

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


HARVARD
DIVINITY
SCHOOL
Andover-Harvard
Theological Library

Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET AD CONCILII FLORENTINI TEMPORA (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT.

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA; DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS. ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS COADUNATORUM.

SERIES LATINA

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES, SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS XXVIII

S. EUSEBIUS HIERONYMUS

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1890

BR
60
.M4
t. 28

PHILADELPHIA
DIVINITY SCHOOL

TRADITIO CATHOLICA

SÆCULUM V. ANNUS 420

SANCTI EUSEBII

HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

OPERA OMNIA

POST MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI E CONGREGATIONE S. MAURI

SED POTISSIMUM D. JOANNIS MARTIANÆI

RECENSIONEM

DENUO AD MANUSCRIPTOS ROMANOS, AMBROSIANOS, VERONENSES ET MULTOS ALIOS
NEC NON AD OMNES EDITIONES GALLICAS ET EXTERAS CASTIGATA
PLURIMIS ANTEA OMNINO INEDITIS MONUMENTIS
ALIISQUE S. DOCTORIS LUCUBRATIONIBUS SEORSIM TANTUM VULGATIS AUCTA
NOTIS ET OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

STUDIO ET LABORE

VALLARSII ET MAFFÆI II VERONÆ PRESBYTERORUM

EDITIO PARISIORUM NOVISSIMA
JUXTA SECUNDAM AB IPSIS VERONENSIBUS ITERATIS CURIS RECENSITAM
TYPIS REPETITA

ACCURANTE ET DENUO RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE

Bibliothecæ Cleri universæ

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS NONUS

PARISIIS
APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES
IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127

1889

TRADITIO CATHOLICA

SÆCULUM V. ANNUS 420.

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO XXVIII CONTINENTUR

S. EUSEBIUS HIERONYMUS STRIDONENSIS PRESBYTER

Vallarsii Præfatio. Col. 9

Maurinorum Patrum Epistola dedicatoria ad Innocentium XII, Pontificem Maximum 27

PROLEGOMENA IN DIVINAM S. HIERONYMI BIBLIOTHECAM. 31

Prolegomenon primum. — De nomine Divinæ Bibliothecæ et de modo quo edita sit. 33

Prologomenon II. — De tempore translationum Hieronymi et earum usu in Ecclesia. 53

Prologomenon III. — De Canone Hebraicæ veritatis et scholiis ejusdem marginalibus. 81

Prolegomenon IV. — De titulis et capitulis, versibus et metris sacrorum Bibliorum. 123

Laus virorum aliquot clarissimorum, cum indice mss. codicum ad quorum fidem restituta est Divina Hieronymi Bibliotheca. 165

Selecta veterum testimonia de Hieronymianis versionibus latinis SS. Bibliorum. 168

Synopsis Divinæ Bibliothecæ ex Epistola Hieronymi Paulino desumpta. 175

DIVINÆ BIBLIOTHECÆ PARS PRIMA, quæ complectitur canonem Hebraicæ veritatis cum annotationibus Hebræi cujusdam qui tempore Rabani Mauri in scientia legis celebratissimus fuit. 177

Ordo primus, Legis. 177

Ordo secundus, Prophetarum. 503

Ordo tertius, Hagiographorum. 1137

APPENDICULA ad partem I Divinæ Bibliothecæ S. Hieronymi. 1521

J. Martianæi admonitio. 1521

Psalmi XLIV et XLV lingua Hebræorum vernacula, characteribus vero Latinis. 1521

Scholia in lectiones Hebraicas. 1525

PRÆFATIO.

Hebræum Canonem, seu Veteris Testamenti versionem ex Hebræo adornatam abs HIERONYMO, quæ laborum ejus ac vigiliarum longe nobilissima pars est, eaque cæteris utilior omnibus, tomo isto operum ejus nono complectimur. Sed antequam dico quid istuc rei sit, quidve propositum nobis in hac adornanda provincia fuerit aut præstitum, lectoris præoccupanda sunt mihi judicia, et quam facile dicam impingeret diligentiæ nostræ, præcavenda sedulo, et deprecanda. Neque enim dubito fore plerosque, cætera nec malos homines, nec divinarum prorsus rerum ignaros, qui hunc laborem primo statim intuitu libri, aut minus utilem, aut certe Hieronymianarum scriptionum Collectioni non adcensendum judicent, cum perfunctorie animum advertentes, eadem quæ in Vulgata Latina versione continentur hic legent, hancque ab illa editione nihil propemodum differre existimabunt. Porro supervacaneum, aut ad quærendam Collectioni molem institutum putabunt, eam modo Hieronymianis scriptis annectere, quæ licet ex omnibus Latinis sacrarum Scripturarum interpretationibus probata una sit, cæterarum optima ac fidelissima, sit etiam quam qui maxime genuinus Hieronymiani fetus ingenii, ex quo interpres omnium ætatum, omnisque memoriæ longe doctissimus audiit: tum ita quoque pervulgata illa est atque obvia, toties, totque locis, tot formis, tamque variis jam inde ab inventa arte typographica, multo autem magis post Tridentinæ synodi decretum recusa, ornata, atque exposita, ut vere bibliothecas orbis impleverit, sitque iis etiam in promptu, qui aliam plane quam in versandis libris vitæ rationem instituerunt. Nos ipsi, quod minime diffitemur, cum ante hoc ferme quinquennium novam hanc operum Hieronymianorum editionem animo moliremur, diu multumque dubitavimus, num e re nostra aut lectorum esset, eam versionem, tametsi pridem a Benedictinis editoribus nedum junctam, sed toti collectioni præpositam, retinere: et cum multa animo obversarentur, illud cumprimis sollicitos nos habebat, ut ne actum agere videremur, atque in eorum, quos hæc fert ætas, vitium incidere, qui per chartarum plaustra ad immortalitatem grassantur. Ac fere propositum fuerat, solas variantes lectiones, quas veteres mss. libri suppeditabant, in unum colligere, easque paucis adnotationibus de more expositas cum duplici Psalterio, aliisque nonnulis libris qui in Vulgata non habentur, Hieronymianis apponere et proferre in lucem. Verum cum in editionis programmate hac ipsa de re Publicum et doctissimos quosque ex omni Italia, datis litteris, consuleremus, ea fuit una omnium sententia de universo opere serie integra recudendo, ut quibus aliter videri posset, palmaris isthæc responsio sit: Nos publico judicio niti, et plus malle doctorum hominum suffragiis tribuere, quam eorum, si qui essent, qui hanc cum Vulgata similitudinem causarentur, socordiæ concedere. Sed fuerunt præterea gravissimæ, quæ ad hanc me operam causæ invitum ferme adduxerunt, quas et cordatum quemcunque lectorem persuadere posse non dubito.

Et vero non hæc nos primum ad augendam libri molem accrevimus, sed ab editoribus Benedictinis adjuncta sunt pridem Hieronymianorum operum editioni, imo tota auspicato ab his incepta Collectio est, utpote ab omnium nobilissima lucubrationum earum parte. Nos adeo qui totum, ut ita dicam, scriptionum Hieronymianarum orbem primi complectimur, et quæ haud sane pauca pridem desiderabantur, monimenta collegimus, ut hæc demum integra atque absoluta editio prodeat in publicum, si ea parte careamus, quæ veteris editionis fuit potior, jam non auxisse pro more, sed priorem operis dignitatem imminuisse, dicemur. Suo autem jure quantum decesserit, homo ad elegantiam excultus desideret; nam cum primum illa prodiit in lucem, litterato orbi, si unum Ricardum Simonium excipias, acceptissima cumprimis fuit, non ea solum de causa, quod supra cæteros ejus editionis tomos diligentissime elaborata,

342

et collato Martianæi et Pougetii, qui multum illi labore atque eruditione sua profuit, studio perfecta sit ; sed præcipue ipso veterum monumentorum merito, ac nativa propemodum sui dignitata tantam iniit a studiosis gratiam. Testem dabo hujus rei hominem, cujus eo certius erit ac luculentius testimonium, quo magis ipse studiis monachorum sanctorumque Patrum infensus, cætera doctus, et lacessitus a Martianæo, nihil non egerit ut ejus labori, arrepta quaquaversum occasione, detraheret. Dico Hieronymianarum Questionum auctorem, cujus odia exercentem calamum, ipsa inter jurgia, hæc in adversarii sui laudem profiteri, vis veritatis coegit : « Non possum non laudare consilium Martianæi de edendis Hieronymi Versionibus, quemadmodum exstant in antiquissimis libris, sine mutationibus, quæ postea in iis factæ sunt, eoque ordine quo inveniuntur iisdem in libris ; non omissis antiquis distinctionibus quæ in iis cernuntur. Videmur enim nobis videre eas Versiones, quales e manu Hieronymi prodierunt, aut certe quam minime fieri potuit, immutatas. » (Jo. Clericus, quæst. 9, num. 2.)

Atque hæc quidem bona satis est ratio critici testimonio conjuncta, sed quæ me præcipue causa permovit, alia est, quod meo ipse periculo expertus sum, aliter vix fieri posse, ut quæ maxima sunt hujus libri commoda, ab studioso perciperentur, nisi totum ejus interpretationis contextum digereremus. Ex his quædam, ut fiant exemplo manifestiora, proferamus. Tantam in unoquoque libro variantium lectionum silvam, emendationum quoque et glossematum ingentem vim aut nullo cum fructu, aut non eo saltem, qui est lectu debitus, carptim oculis usurpes : quæ si ad suum quæque contextus locum notentur, irritant animum, et provocant legentis arbitrium ; contra si ad quem modo versum referantur, docere velis, et laciniosis sæpe verborum ductibus uti opus sit, et tædium potius quam ingenium homini eruditionis cupido moveas. Scholia autem, quæ innumera propemodum sunt, maxime in Octateuchum, ne hac quidem industria proponere est commode : cum enim illud dunaxat, laudas, quod verbum respiciunt, ipso monito, molesto scilicet atque ingrato, plura quam ipse contextus habet, verba conjungas : quæ vicissim e regione posita, nullo negotio, uno obtutu in oculos mentemque incurrunt. Idem dicendum plane est de obelis atque asteriscis, qui cum passim alibi, tum præcipue iis in libris, qui ad Græcum exemplar emendati sunt et recogniti, tanto numero obveniunt, ut otio abutatur et patientia nostra, si quis id sibi pensidet, ut singula memoret, nedum ut causas enarret. Quoties vero eadem in notis repetenda erunt ? qui modus erit legentis aut dictantis fastidio ? quæ ratio laudandorum codicum ? Vetus autem illa versuum distinctio, quæ tanti nunc fit ac tantæ refert antiquitatis memoriam, verbis repræsentari vix posse arbitror : omnino autem ut quis utiliter præstet, ne vix quidem. Tum ipse etiam Hebræi Canonis conspectus, atque ordo, quem tantopere prædicant, præverti penitus necesse sit. Ad hæc solidi quidam sunt sacri libri abs Hieronymo quidem in Latinum conversi, non autem in Vulgatam editionem recepti, qui suum hic sibi vindicant proprie locum. Tale Psalterium est ex Hebræo archetypo, quod vetere jamdudum in Ecclesiis obtinente interpretatione ex Græco, ne turbæ in populo, longa jam habitudine psalmis illis assueto, cierentur, substitui non potuit : cumque sit omnium fidelissime ac doctrina incredibili elaboratum, solum fere ad privatam eruditionem legentium superat. Tales aliæ sunt sacrorum librorum versiones juxta LXX Interpretes, ut est altera Jobi atque Esther, duplex item Psalmorum recognitio, sive quæ Romana et quæ Gallicana Psalteria audiunt, quæ in Vulgatæ recensione, vel plane, vel ad eum saltem modum non sunt ; pretium autem est summum operæ cognovisse.

Quicunque hæc sedulo rationum momenta expenderit, nullus jam dubito quin æqui bonique consulat propositum nostrum, ac bene locatæ in universo recensendo textu operæ nos sinat conscientia frui. Sed erunt fortasse qui alia de causa contradicere, atque, illa vixdum sublata calumnia, gravioreme vestigio invidiam creare in nos studeant. Compertum nempe cum sit, Hieronymi maxima saltem ex parte versionem esse, quæ Vulgata editione continetur, dum eam emendare, ac pristinæ integritati satagimus restituere. Tunc, inquiet fortasse aliquis, recensione hac tua eam editionem excludis, quam remotissimæ antiquitatis memoria, multo autem magis œcumenici Tridentini concilii auctoritas,et plura deinceps pontificum decreta unam ex omnibus sacrarum Scripturarum Christianis hominibus commendarunt ? Mihi vero id neque in mentem venit, nec si cui unquam veniat, ille mihi sapere videatur. Quin imo summam ejus editionis laudem, dum spiritus hos reget artus, tuebimur, ut ad fidei ac morum doctrinam imbuendam tradendamque, nihil non grave et præstantissimum in ea esse profiteamur, et quam adeo in hisce rebus auctoritatem obtinuit

sartam tectamque præstemus. Nihilosecius si quæ veterum librariorum aut incuria, aut perversa cura irrepserunt in eam menda,et partibus insident minime necessariis ad fidei morumque leges componendas, homo cui cordi est rerum sacrarum dignitas, ea qua par est, probalititate ac religione usus castiget: minime omnium ei arbitror succensendum, imo vero bene illum ingenio suo ac diligentia de sacris Litteris meruisse. Id olim viri præstiterunt summe catholici, summique itidem Vulgatæ patroni, e quibus, ut interim Henricum Buchentopium præteream, nunquam non laudem promeruit doctissimus Franciscus Luca Brugensis, qui amplius quater mille loca, quæ post Clementis VIII recognitionem, emendatione indigerent, aut correxit, aut bonis argumentis corrigenda indicavit: et card. Bellarminus, qui, datis ad eum litteris, plura iis adhuc superesse in melius mutanda, si is esset animus, ingenue professus est. Tu nostros conatus ejusdem æstimato esse animi ac voluntatis: ac si demum tanti sunt, quæ proponimus emendanda, his adcense, quæ tantam a te ex aliorum accepta studio gratiam inierunt.

Tamen et si alia omnino provincia est, quam nos sumpsimus, neque in ea adornanda ad nobis putavimus negotii dari, ut tertio quoque verbo, secus ne esset in Vulgata editione, dispiceremus. Hac sane ipsa de causa retinetur qui ante nos erat titulus universi operis *Bibliotheca Divina*, quem cætera probamus parum, et a S. Interprete perscriptum fuisse, omnino non credimus. Scimus vero jamdiu olim obtinuisse apud veteres, quos Martianæus laudat, et qui eum fugerunt, scriptores; sed nec ignoramus vicissim ab aliis diversos præferri, et in mss. præsertim codicibus pro suo quemque arbitratu atque ingenio amanuenses lusisse. Celeberrimus noni sæculi Latinorum Bibliorum ἐπανορθωτὴς Alcuinus, de quo plura inferius dicenda nobis erunt, cæteris repudiatis omnibus titulis, *Pandecten* inscripsit, hocque ejus proprium nomen esse contendit. Sententiam suam eo exaggerat epigrammate, quod et inter ejus opera vulgatum est, et ad calcem sacri textus a se recogniti atque emendati in Vallicellano de Urbe ms. habetur:

Nomine *Pandecten* proprio vocitare memento
Hoc corpus sacrum, lector, in ore tuo.
Quod nunc a multis constat *bibliotheca* dicta
Nomine non proprio, ut lingua Pelasga sonat, etc.

Verum hæc ex ejus occasione tituli, neque enim nostri est institutui,quot apud Latinos,quamque variis nominibus Scriptura appellata sit, persequi. Voluimus, ea retenta inscriptione, quæ etiam præ æteris ferme obtinuit, et nos lubricæ disputationi subducere, et quam longe a prurientium ingeniorum affectata novitate absumus, significare.

Propositum autem unum est nobis, Hieronymianam interpretationem exscribere ab antiquis libris, qui propius, quoad ejus fieri potuit, ab ipsius Interpretis ætate absunt, antequam eos sive glossatorum pervaserint manus, sententiarum e vetustiori versione usus immutarit. Ac sane si Octateuchum excipias, quos tamen libros minus minusque impendio correctorum περιέργεια depravavit, reliquos omnes Hebræi Canonis tam et vetustis, et sinceris ab apographis fontibusque derivamus, ut de earum lectionum fide, ac Hieronymiani operis germanitate dubitare vix liceat. Sicubi ergo inducendum quempiam versum dicimus aut sententiam; si cubare in mendo locum, vera lectione proposita, animadvertimus: demum si aliter atque obtinet vulgo, nectimus: hæremus etiam aliquando, atque in diversa veteres quoque chartas abire observamus, ex fide nostrorum exemplarium facimus; nec alio quam ad Hieronymianæ versionis dignitatem asserendam aut vindicandam, quicunque tandem hic labor est, fine exantlatur.

Ut vero propositum hoc nostrum probe teneas, ac scias quanti nobis labor hic steterit, repetenda rei memoria est, ex qua tota propemodum Hieronymianæ versionis pendet historia, deque ejus,quam vindicatum imus,germanitate judicium.Vixdum erant quatuor elapsa sæcula, ex quo in publicum versio S. Doctoris prodierat, ac passim auctoritatem apud omnes fere obtinebat, cum jam vilescere visa est mendis obsita, quæ in tanto describentium librariorum numero, tantaque utentium varietate, cavere hominum diligentia non poterat. Id ægre ferens Carolus Magnus imperator, homo ad Ecclesiæ ædificationem atque ornamentum natus, ut pristinæ integritati restitueretur, atque omnibus Ecclesiis, maxime Gallicanis, constaret emendatissima, quanto maximo potuit studio atque auctoritate contendit. *Volumus*, inquit in Capitularibus, *et ita Missis nostris mandavimus et præcepimus, ut in Ecclesiis libri canonici veraces habeantur; secut jam alio Capitulari sæpe mandavimus.* Alcuino autem, sive Albino, qui in magna imperatoris existimatione

consuetudineque tum vixit, utpote omnium, quos ea tulit ætas, eruditissimo, tantum instaurandæ Scripturæ opus demandatum est. Ac sunt quidem, qui eum tradant vernaculis interpretationibus non contentum, addiscendis originalibus linguis, Hebraicæ et Græcæ, operam impendisse-iisque esse in hoc labore feliciter exantlando usum. Verum quæ tria ejus peritiæ in Hebraico textu tractando profert argumenta nuperus ejus laudator Hodyus ex Commentariorum libris, in quibus Hieronymianam versionem, qua utebatur, ex Hebræo interdum correxisse, et nonnunquam diserte repudiasse autumat, nihil profecto sunt, neque enim Albini illa sunt, sed ipsiusmet Hieronymi, a quo ille descripsit, totidem verba. Sunt vero isthæc: In cap. Gen. XXV, 8: *Quomodo convenit Abrahæ tam sancto viro quod dicitur*, Et deficiens mortuus est? *Respondeo, in Hebræo non habetur*, deficiens; *sed a Septuaginta Interpretibus additum est.* Et in Eccles. IX: *Notandum est, quod per totum librum ubicunque dicitur*, Filii hominum, *in Hebræo habetur*, Filii hominis, *hoc est*, Filii Adam: *et omnis pene Scriptura hoc idiomate plena est, universum genus humanum Adam filios vocans.* Denique in cap. XII: *Obmutescere quoque, sive, ut melius habetur in Hebræo*, surdescere, *aures significat.* Hæc, inquam, omnia pura putaque sunt Hieronymi verba in Commentariis ad ea Scripturarum loca: quod miror magis eruditum virum latere potuisse, cum nemo jam nesciat pleraque omnia Albinum ex Hieronymianis fontibus delibasse. Igitur, non ut quamdam, si libet, Orientalium litterarum aurulam Magni Caroli magistro invideam, sed ut quibus ille instructus subsidiis editionem suam adornarit, innotescat: sic statuo, minime illum hoc sibi negotii dedisse, sed neque eam illi fuisse mentem ut originales textus consuleret, et se archetypis Hebræo et Græco conformaret. Tota fuit ejus industria in conquirendis undequaque Hieronymianæ versionis codicibus, iisque sedulo inter se conferendis, ut quæ probanda sibi esset lectio, ex eorum fide, qui melioris emendationis et notæ viderentur, decerneret: sive illam præterea ad sanioris criticæ regulas, sive ad ipsiusmet Hieronymi testimonia expenderit.

Opus integrum, Vetus scilicet ac Novum Testamentum, novo hoc pumice expolitum atque emendatum jam senex, cum annum plus minus octogesimum secundum ageret, in cœnobio, cui præerat, S. Martini apud Gallos Turonenses absolvit, eidemque imperatori Carolo Magno obtulit. Exstat nuncupatoria ipsa Epistola nunc inter Alcuinianas vicesima ex eadem S. Martini cœnobio data, ubi de sui ratione operis regem alloquens, *Sacros*, inquit, *libros in unius clarissimi corporis sanctitatem connexos atque diligenter emendatos Vestræ Clarissimæ Auctoritati dirigere curavi.* Tum alia ad Gislam epistola sexto suorum Commentariorum in Joannem libro præfixa, ubi se ait, *occupasse domini regis præceptum in emendatione Veteris Novique testamenti.* Paria his habet ipsemet Carolus, *Jampridem*, inquiens, *universos Veteris ac Novi testamenti libros librariorum imperitia depravatos, Deo, nos in omnibus abjuvante, examussim correximus.* Denique et Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad annum 790 *correxisse* Alcuinum *Divinam Historiam jussu ipsius regis*; et libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 83, *jussu imperatoris correxisse Divinam Bibliothecam*, tradit. Quæ nos testimonia huc etiam retulimus, ut certius constet, quod dicebamus, non videri ad Hebraicum Græcumque textum eam editionem recognitam, quorum nec verbo tenus meminere qui eam posteris commendarunt. Porro nonnulli etiamnum codices ejus recensionis superant, quorum duos prægandi mole, cum Romæ ageremus, tractavimus nos ipsi, interdum et consuluimus. Alterum, quem et Victorius sæpe laudat, servant S. Pauli extra muros armaria; alterum Vallicellana bibliotheca, quem Baronius pro ingentis prætii thesauro habuit, utpote quo usi, non sine grandi laboris compendio, fuerint eruditi viri, qui post Tridentini concilii decretum, reformandæ Vulgatæ editioni insudarunt. Exstant et quædam epigrammata ad calcem voluminis, e quibus satis abunde fuerit, paucos hos versus pro ejus licet sæculi vitio inficetos, qui vel auctorem, vel impulsorem operis nominant, exscripsisse:

Codicis istius quot sunt in corpore sancto
Depictæ formis litterulæ variis,
Mercedes habeat, Christo donante, per ævum
Tot Carolus rex, qui scribere jussit eum.

Item:


Pro me, quisque legas versus, orare memento,
Alcuin dicor ego; tu sine fine vale.

Jam vero persequi haud vacat, quam longe lateque in Ecclesiis editio ista obtinuerit, obsequente imperatoris auctoritati orbe propemodum universo. Vix tamen dictu est, quo, semel data sacri textus emendandi facultate, studiosorum industria evaserit. Tum scholiis onerati sacrorum codicum margines, notisque variantium lectionum aut emendationum ex Hebræo, non illo quidem archetypo, sed aut aliis pro dubitu punctis instructo, aut ex neoterici Judaizantis ingenio in Latinum converso. Hujusmodi ferme usum libro existimo Hebræum scholiasten, quem vocant, et supparem faciunt Rabano Mauro, qui taut illa glossemata, quæ et nos retinuimus ad libri oram, congessit, et qui licet sæpius contentiose magis quam vere interpretari videatur, interdum etiam falsa ipse lectione decipi, aut melioris penitiorisque significatus ignoratione labi, suum tamen studium ita ejus ætatis hominibus approbavit, ut vendibiliores nullos haberent librarii codices, quam quibus notas illas apposuissent. Quid quod Hieronymus ipse diu potuit terræ ille filius Martianæo videri, ex quo tanta eum inter et Simonium lis fuit? Taceo nunc alios se quiorum temporum, qui cum aliquid sibi viderentur in Hebraica lingua eruditionis consecuti, ad refigenda suopte ingenio Latina exemplaria operam suam conferebant, eoque plus se putabant bene de sacris Litteris meruisse, quo pluribus locis ab recepta lectione abluderent. Insignis in hanc rem Hugonis de S. Victore, qui duodecimo ineunte sæculo floruit, locus est lib. *de sacris Scripturis* cap. 9, ubi, *Octavo*, inquit, *loco Hieronymus accessit non jam de Hebræo in Græcum, sicut priores, sed de Hebræo in Latinum transferens sermonem: cujus translatio, quia Hebraicæ veritati concordare magis probata est, idcirco Ecclesia Christi per universam latitudinem præ cæteris omnibus translationibus, quas vitiosa interpretatio, sive prima de Hebræo in Græcum, sive secunda de Græco in Latinum facta, corruperat: hanc solam legendam et in auctoritate habendam constituit. Usu autem pravo invalescente, qui nonnunquam solita magis quam vera appetit, factum est ut diversas diversis sequentibus translationes, ita tandem omnia confusa sint, ut pene nunc quid cui tribuendum sit, ignoretur.* Hinc porro exorta illa *correctoria*, ut vocant, sive *castigatoria*, que tametsi hominum cætera doctorum studio concinnata sunt, iisdem tamen vestigiis insistere haud potuerunt: novas autem sacro textui mutationes intulerunt: dum appositas margini librorum notas alii pro veris lectionibus substituunt, aut simul una inferunt, ac pro suo quisque arbitratu addit, delet, immutat. Hujusmodi exemplar narrat se vidisse Lindanus pervetustum in Carthusia Zeelhemensi juxta Diesthamiam sita, quod Biblia ad codices Caroli Magni perdiligenter castigatos notabat emendanda locis sane ut non paucis, ita minime pœnitendis. Alterum Bessarion cardinalis Commentario in illud: *Sic eum volo manere*, contra Georg. Trapezuntium laudat, quod ante annos supra trecentos Romæ, Nicolaus S. Damasi diaconus, et Vaticanæ, ut ipse ait, Bibliothecæ suffraganeus, adornaverat, cujus hæc recitat verba: *Lustrans armoria nequibam hoc adipisci, veracia scilicet exemplaria invenire, quia et quæ a doctissimis viris dicebantur correcta, unoquoque in suo sensu abundante, adeo discrepabant, ut quotquot codices, tot exemplaria reperirem.* Vere tum dici de Hieronymiana versione poterat, quod de hominum valetudine: quod gravius ægrotant ii, qui cum morbo levati viderentur, in eum de integro incidèrunt.

Puto autem ex his lector intelligit, quod volebamus, quo nos proposito hanc provinciam subierimus, et quanti labor hic steterit. Nempe cum Hieronymi versionem jam inde ab VIII sæculo omne genus vitia depravarint, ejus erat qui vellet nativam illius germanitatem repræsentare, tantam ætatis memoriam supergredi, in eamque rem primo incumbere, ut quæ sæculum illud anteverterent, exemplaria nanciscerentur, aut quæ certe criticorum id et sequioris temporis manus evasissent, manifestis indiciis dignosceret. Nam in cæteris quidem omnibus litterarum monimentis recensendis expoliendisque, exemplaris a quo petuntur, aut ad cujus exiguntur fidem, momenti plurimum ætas habet, si propiore ab auctoris temporibus intervallo absit: fieri tamen potest, atque interdum usu venit, ut recentioris ævi apographum antiquiori longe præferas sui merito atque emendatione, utpote quod vel a sinceriore alio, vel ab amanuensi et diligentiore et magis erudito descriptum sit. Alia est Latinæ hujus versionis in mss. codicibus ratio, de quibus vix puto id fere unquam ut eveniat, quod non ad privatam eruditionem, sed ad populi usum describerentur, utque eorum continuo labem temporum ferant, quibus exarati sunt. Non igitur ad eam pristinæ integritati restituendam satis erat mss. libros, ut fors tulit obvios, aut, qui sane multi superant in bibliothecis, elegantes adhibere in consilium,

sed conquirendi, quanta maxima id fieri solertia potuit, vetustissimi ac pene exsoleti; iisque tota deferenda auctoritas, quibus glossatorum manus pepercerint.

Ejusmodi libros ut longo labore atque indagine ex Italiæ bibliothecis, quot ferme opus erant ad rem nostram, comparaverimus: profecto quem Veronensis hæc nostra suppeditavit, omnem ut ætatem, ita et opinionem facile exsuperat: quem et præstat paucis ad periculum faciendum describere, ut et alios ab eo æstimes. Continet codex iste Regum libros, quæ potior ac nobilissima Scripturæ pars est, tam certis tamque germanis intactæ Hieronymianæ Versionis notis, ut cæteris præstare omnibus, quot ex Europæ bibliothecis hactenus innotuere, non dubitem. Membrana compactus est perquam tenui, in-folii, ut vocant, sed ferme quadrati formam: litteris autem majoribus, quales in antiquissimis omnium monmentis conspicimus, exaratus es totus. Interdum flavas atque aciem oculorum effugientes litteras posterior manus nigro juxta veteres ductus atramento infecit, ac pene exsoletam atque evanescentem tanta vetustate scripturam renovavit. Interdum et clarius expressit, maxime ubi transversa superne lineola T litteram efformat, quæ in priore typo haud multum ab I differt. Exemplum ad veri faciendam fidem hoc habeto:



Oratio tametsi omnis continuata rerum serie continetur, nullum ut pateat interstitium, neque in capita aut versus distributa: ubi tamen sententia aut periocha insignior desinit, parvo intervallo ut plurimum intercipitur: quod sequiori amanuensi locum fecit depingendæ ibi interpunctionis, ut libuit, notæ. Orthographia quoque priscam redolet Latinitatis rationem et formam in verbis maxime compositis, in quibus integra præpositio servatur, ut est, *subputare*, *adloqui*, atque his similia. Emendatio autem et satis diligentem antiquarium probat, atque iis scribentem temporibus, quæ Latinæ adhuc linguæ gloriam sustinebant: si illud excipias, quod sæpe accusandi casum pro sexto, atque hunc vicissim pro illo adhibet: quod ipsum tamen verendæ antiquitatis indicium esse, notatum est doctis viris ex veterum Grammaticorum testimoniis, atque alias nobis, qui locum illum ex domestici Musæoli nostri veteri ethnico titulo adduximus, SINE. ALTERITRUM. ANIMI. LESIONEM. Uno verbo tantam huic libro tribuimus antiquitatem, ut inter Hieronymianos parem esse vilemus ei neminem; atque illi etiam præferamus sæpius laudato, qui Vitam S. Pauli Eremitæ continet, et constat ex consulari epocha ab amanuense adnotata, vixdum centum esse annis Hieronymo recentiorem: ut hunc adeo, quem illi ætate præferimus, propiore adhuc intervallo a S. Doctoris ævo removeamus. Quod porro germanam exhibeat Hieronymi translationem, innumeris propemodum argumentis evincimus, quorum insigniora quædam, quæ ex ipso contextu elucent, in notis proponimus observanda; nunc illud quod petitur ex tota codicis structura, indicemus. Ac primum in duos tantum libros, quorum alter *Samuel* inscribitur, alter *Malachim*, totam Regnorum historiam tribuit, nimirum ut fert Hebraicum exemplar, quod Hieronymus affectabat, monetque in præfatione a se præstitum: non ut Vulgata in quatuor, quod antea ex τῶν LXX partitione obtinebat. Deinde cum veteris ante Hieronymum divisionis monere antiquarius voluit, hoc ipso monuit testatusque est luculenter, quam perscribebat, Hieronymianam versionem esse. Initio libri apud nos secundi, infectis minio prioribus verbis, *Factum est*, e regione adnotavit, *In antiquis exemplaribus hic incipit liber secundus*. Neque vero antiqua, nisi ad novæ versionis respectum, exemplaria diceret: neque alia tum poterant aut antiqua appellari, nisi quæ pridem obtinuerant, ex Græco derivata, aut alia nova, quam quæ dudum ex Hebræo S. Pater excuderat. Idipsum ad locum ubi quartus liber incipit in Vulgatis, fortasse autem manifestius

docuit, hac ad oram codicis adnotatione: *Hic finit liber tertius secundum LXX.* Nempe quæ superius antiqua dixerat exemplaria, ea nunc vocat de nomine, quæ a Septuagintaviral translatione fluxerunt, infertque adeo quod præ manibus habebat, esse ad Hebraici textus normam adornatum, quod Hebraici textus, non Græci partitionem teneat; re enim vera nulla est in codice alia inscriptio, quam isthæc ad finem libri in Vulgata secundi: *Finit liber Samuel. Incipit liber Malachim.* Ad hæc summa cum Hebræo textu conformitas locis ferme omnibus, quibus in diversa abit Vulgata, sive cum additamenta, quæ ex vetustiori translatione irrepserunt omnino reticet sive ubi meliorem multo profert lectionem ac sensum (quæ in notis, ut diximus, pro re nata exponuntur) γνησιότητος Hieronymianæ Versionis eo manifestius indicium est, quo luculentius profitetur S. Interpres in Prologo, nihil sibi omnino conscium esse, *mutasse se quidpiam de Hebraica veritate.* Sunt autem præterea quæ ejus præstantiam libri commendent notulæ quædam prima eadem manu et characteris forma, multo licet minutioribus litteris, margini passim appositæ, nec sane contemnendæ, aut locis, quos explanant, inutiles: quanquam eas satius duximus utpote devias proposito nostro prætermittere. Specimen ex prima, quæ occurrit ad vocem *Ramatha* habeto; *Hæc est civitas, quæ in Evangelio Arimathia dicitur, unde et Joseph decurio fuit.* Capitula quoque, sive Lemmatum seriem, quæ licet abs Hieronymo non videntur elaborata, antiquissima tamen sunt, et ante Cassiodori ævum, unus iste Veronensis ms. post ven. card. Thomasii et Benedictinorum editiones integra repræsentat, restituitque, ac solidis interdum titulis supplet.

Tanto igitur tamque bono exemplari in restituenda ejus libri Hieronymiana interpretatione usi sumus, ut si nihil fuisset præterea præstitum, esset tamen cur ejus nominis atque eruditionis studiosi homines multum se nobis debere profiterentur. Verum et in reliquis libris omnibus non iniqua fortuna utimur; nam, etsi nec tantæ vetustatis, nec pretii, antiquos tamen mss. codices, ac bonæ cumprimis notæ nacti sumus, et unamquamque Scripturæ partem ad unius ut minimum, passim vero ad duorum aut trium mss. fidem recensuimus. Pluribus uti potuissemus, si recentiorum rationem habere aliquam, fuisset e re nostra: et non eos modo propositum esset utiliter adhibere in consilium, qui aut bonis argumentis ætatem Caroli Magni, et quam diximus Alcuini recognitionem antecedere viderentur, aut certe non admisisse.

Hoc vero opus, hic labor: ea enim est ejus ævi codicum charitas, tamque maturo atque acri opus est ad posteriores curas internoscendas judicio, ut qui tantum sibi peritiæ tribuat, arrogantius fortasse atque ambitiosius, quam verius facere videatur. Hoc ipsum tamen summopere interat, quando ipsi minime diffitentur Benedictini editores in altero, ut vocant, prolegomeno num 5, ne unicum quidem Hieronymianæ versionis exemplar inveniri in aliis extra Galliam regionibus potuisse. Ab iis scilicet, quos sibi gens una aut natio Scripturarum codices comparaverat, tota eorum editio describitur. Et nemo est tamen in Latinæ hujus versionis historia tantisper eruditus qui nesciat, a regionum ac gentium variis inter se usibus et consuetudine, variantium in sacris Libris lectionum causas esse repetendas. Econtrario quæ unius, ut ita dicam. Ecclesiæ cœtibus inservierunt, pleraque omnia exemplaria labii unius atque eorumdem sermonum esse. Adeo non satis recte ab ejusdem ingenii apographis de pristina operis integritate videtur snmi argumentum: illudque porro ipsum ad eam editionem numeris omnibus absolvendam deerat, quod nos, collatis undique suffragiis, præstare conati sumus. Nam et si codices ex Italia quidem omnes accepimus, neque hoc ipsum leve erat ad propositam recensionem post Gallicanos duntaxat subsidium, accedit quod ex orbe propemodum universo in Vaticanam, quæ nobis una est pro cunctis bibliothecam, quantum erat codicum præstantissimorum concesserit. Ad hæc non eos modo libros, qui sacrum textum perpetua serie exibent, advocavimus; sed et qui commentariis Hieronymianis constant, cum primis vero in prophetas omnes, in quibus ille continenter suam ex Hebræo interpretationem proponit primum atque explicat, huc jussimus, ubi opus erat, proferri testes, adstipulatoresque emendationum nostrarum accedere.

Dicam porro, quod rei caput est, quam hæc religiose, fortasse etiam ut aliis videbitur, superstitiosa cum abstinentia tractavimus: ut etiamsi tota promiscue variantium lectionum vis ingens albo per nos calculo donaretur, non esset tamen cur de mutato temere inquam textu jure quispiam dolere posset aut queri. Equidem ob oculos sæpe illam habuimus cedro dignam Augustini sententiam libro II *de Doctrina Christiana*, cap. 14: *Codicibus emendandis primitus debet invigilare solertia eorum, qui Scripturas divinas nosse desiderant;* sed et vicissim illud menti obser-

vabatur magistrorum Hebræorum præceptum, sane perquam opportune ad sufflaminandos ingenii ausus excogitatum : לבדתי הגיה מסנדה, *Ex conjectura nihil est corrigendum.* Hac autem ratione proposita, quidquid a recepta vulgo lectione dissonum manu exaratæ chartæ sufficerent, seu verbo tenus et scriptura, seu sensu ipso et significatus ἐκτάσει, sedulo, expendimus. Et quod sola quidem dissimilitudine vocis abluderet, sine boni æque sensus dispendio, si nulla, vel non sufficiens hanc præ illa adoptandi ratio suppetebat, satis fuit vel e regione apposuisse, vel si tanti res videbatur, in subnexis adnotationibus, addita brevibus causa, indicasse. Miseret enimvero me præposteræ ejus curæ, qua nihil puto ingratius posse lectori erudito accidere, cum mera veteris pronuntiationis aut scriptionis vitia, quæ in libris omnibus antiquis occurunt, tertio quoque verbo ingeruntur: quod factum in nupera vetusti Psalterii editione risum omnibus movit, ubi non aliis ferme sunt notis onerati margines libri, quam quibus monetur, *B* pro V, atque *E* pro *I,* et vicissim in vocibus ex. gr. *brebi* et *bobes,* pro *brevi* et *boves,* et *intellege,* quod rectum tamen ipsum quoque est, pro *intellige,* hisque similes litteras fuisse ab antiquario substitutas.

Cordi fuerunt econtrario nobis quæ proprie sensu, eoque in Vulgatis vel imminuto, vel interpolato, diversa in mss. verba, aut commata ipsa invenimus. Ac primum si plurium exemplarium suffragiis niterentur, cautius investigare : dein conferre diligenter alia cum aliis, cum nostro Interprete singula ; tum ad Hebraicæ veritatis Lydium lapidem exigere; ipsum quoque Hebraicum archetypum perscrutari, num errore scribarum peccet, ac possit ipsum ad veteris Interpretationis vestigia restitui, ac vicissim : multo autem verosimilius, num ex eo facile appareat Latinorum in permutandis litteris lapsus, quo ratiocinandi modo non semel rem acu tetigisse visi sumus : demum et Græcos LXX Interpretes sciscitari, esset necne proposita lectio vetus illa e Vulgata ante Hieronymum editione, quam aut denuo huc temere studiosus non nemo revocavit, aut S. Interpres, utpote non incongrui sensus, ipse retinuerit. Animum præterea intendimus ad reliquos translatores Aquilam, Symmachum, Theodotionem, atque alios, cumprimis vero Symmachum, cujus mirum in modum ingenio atque eruditione delectatus est. S. Pater. Nulla autem est nobis prætermissa vocula, cui difficultatis aliquid subesse suspicio foret, nulla intacta, nullaque indicta. Cumque omnia ad hanc obrussam exegissemus, ac staret etiam a mss. partibus judicium, rei quidem causas in adnotationibus exponere, et in quam facile sententiam concederemus, novis argumentis confirmare, satius multo duximus, quam inferre textui manus, etiamsi non modo cum melioris significatus compendio liceret, sed etiam tutum esset. Quod si tamen alicubi audemus, profecto ejus sincera loci emendatio, germanusque intellectus per se ipse patere visus est nobis. et communitus ita est, ut convelli deinceps nulla vi possit criticaque censura. Cætera nisi res clamaret ipsa, originalium quoque librorum ea fides esset, denique aditum animosque fecissent magni nominis viri, religiose abstinuimus ; ipsasque maculas, verendæ antiquitatis indicia, cum honoris præfatione, eluendas monstrare, aliis, satis fuit. Hanc omnium optimam sacri codicis recognoscendi rationem duximus, eaque si nihil aliud, hoc certe speramus consecuturos nos laudis, quod et maximo Christianæ religionis monimento fidem servavimus, et Hieronymianæ gloriæ, ejusque studiosis consulere conati sumus.

Videar porro nunc actum agere, si quæ ad hujusmet interpretationis, ut ita dicam, naturam atque historiam spectant, de integro velim proferre in medium atque edisserere. Jampridem eorum desiderio, qui hæc nosce cupiunt, satisfecerunt neque indocte Benedictini editores, his ipsis, quæ præfationi huic nostræ subnectimus prolegomenis : tum alii sane perquam eruditi viri, Natalis Alexander, Dupinius, Frassenius, Simonius, Calmetus, aliique magno numero criticorum filii, et qui principem in hac eruditionis parte locum obtinet, Humfredus Hodyus , libro *de Bibliorum textibus originalibus.* Et quanquam sunt quædam in singulis maxime in antiquiorum scriptis, quæ nobis parum aut nihil probantur : haud visum tamen est pretium operæ, quibus illa argumentis refutentur, hic loci exponere, quod nisi universam ac vulgo tralatitiam disputationem longa oratione retractare pro rei dignitate instituam, facile suis quæque locis edocere ipse non possim. Sunt etiam lucubrationes illæ omnibus in promptu : quas si invicem contendas, atque ad eam exigas, quam nosmetipsi ab Alcuinianæ recensionis epocha historiæ particulam attigimus, vix erit cur nostram in hoc operam ultra desideres. Peccant enim plerumque nimium prolixa in S. Interpretem voluntate: ut est illud, quod aiunt nonnulli, eum *Ecclesiæ totius nomine* versionem suam ex Hebræo fuisse molitum ; aut quod alii tradunt, eam fuisse ab ipso Damaso papa Ecclesiæ universæ commendatam, Platina in ejus pontificis Vita : *Primus* (Damasus) *Hieronymi*

scriptis auctoritatem dedit, cum prius Septuaginta Interpretum scripta tantummodo in pretio essent. Nam et Biblia Hieronymi legi cœpta est, et psalmi ejus fideliter ex Hebræo traducti, cum antea apud Gallos potissimum incomposite legerentur. Quam fabulam et Joannes Franciscus Brixianus, ut alios interim taceam, epistola ad Pagninum probat: *Damasi,* inquit, *patrocinio curaque et castigata Græca olim per Hieronymum, et conversa in Latinum Hebræa sacrarum litterarum monumenta..... et Damasi redivivam curam, et Hieronymi operam subinde renascentem sæpenumero desiderant.* Dixissent, favisse Damasum Hebraicis Hieronymi studiis, cum se Romæ pariter continerent, ut ex ἀμοιβαίαις eorum epistolis liquet: ad Scripturas enim ex Hebræo interpretandas nondum, illo advivente, manum S. Pater admoverat. Verum hæc persequi nostri, ut diximus, instituti non est.

Quin etiam hac ipsa de causa, ut ne te scilicet diutius morari, et quæ alii pridem multa cum laude elucubrarunt, scripta compilare videar, omittere satius duxi, quæ de Hebræorum poesi ad enucleandam vindicandamque ab adversariorum calumniis S. Patris sententiam, expositurum me receperam, ac paraveram quidem, atque ad umbilicum fere perduxeram. Experientia autem comprobatum est illud Romani oratoris, *Nimium quod est, offendit vehementius, quam quod videtur parum.* Accedit, quod proprio opere hanc sibi nuper excolendam materiam susceperit, studiaque etiam in hoc nostra præverterit longe doctissimus amicus noster, cujus propediem edendus in lucem liber; quantum ergo opinione auguror, atque ex eo, quod mecum communicavit, exemplo didici, faciet eruditorum hominum desiderio satis.

At non ita prætereundum silentio erat, si quid in chronologicis libri uniuscujusque notis contra aliorum, qui easdem rationes inierunt, sententias fuerit animadversum. Pertinet hoc nempe ad Hieronymianarum rerum seriem probe instituendam, nectendamque invicem quam sicubi trajectione aliqua peccare sinas, facile tota labefactetur. Et vero cum minister diffiteamur, quod uno omnes ore consentiunt, constatque cum aliis, tum hoc præsertim. Hieronymi testimonio in prologo Galeato, *Lege ergo primum Samuel et Malachim meum.* Regum libros omnium primos in lucem prodiisse: placet eos etiam ad annum circiter 390 potius quam ad 392 aut insequentem, ut vulgo putant, referri. Ratio ex ea quam continuo subnectemus, serie constabit: nam eos pone sequi psalterium, et prophetas una omnes sentimus, quos libros anno 392, quo Catalogum scriptorum ecclesiasticorum concinnavit S. Pater, fuisse jam de Latino in Græcum abs Sophronio refusos, capitulo illo de Sophronio testatur: *In Græcum,* inquit, *eleganti sermone transtulit Psalterium quoque et prophetas, quos nos de Hebræo in Latinum vertimus.* Haud recte igitur Martianæus aliique post an. 393 Psalterii versionem differunt, quam adhuc armario clausam S. Interpretem tenuisse autumant, ex his quæ ad Pammaéhium epistola 49, quæ ejus quidem est anni, scribit: *Libros sedecim Prophetarum* (nulla Psalmorum mentione facta) *quos in Latinum de Hebræo sermone verti, si legeris, et delectari te hoc opere comperero, provocabis nos etiam cætera clausa armario non tenere.* Nempe significare hoc silentio potuit Hieronymus, eum intra domesticos parietes continere se librum, quem tandiu antea Sophronio inscriptum, propria ad eum præfatione munierat: quo nullum puto editionis manifestius indicium est. Neque hoc porro solum, sed et Græce, quod longi adeo est operis, explicatum ab illo una cum prophetis omnibus satis eleganter, vulgatumque apud ejus linguæ homines, ab superiore jam anno noverat. Quin etiam hunc prophetis librum præponit: ex quo recensionis ordine, editionis quoque prærogativam colligere verosimilius licet: subsecuta autem est statim Jobi versio, quam se *nuper* adornasse, ejusque misisse ad Marcellam exemplar, in laudata modo epistola ait S Pater: ex quo iterum falli perspicuum est post Marcianæum alios, qui præivisse Jobum prophetis opinantur. His vulgo addunt tres libros Salomonis, quos ego quidem serius differendos ex prologi ad Chromatium atque Heliodorum verbis existimo: interea tamen haud ausim receptæ apud omnes sententiæ refragari.

Atque hi demum libri omnes sunt, quos scimus editionis honori jam permissos eo tempore, quo de se Hieronymus testatus ita est in Catalogo, *Fetus Vestamentum juxta Hebraicum transtuli*: quod criticorum filii ita σχηματικῶς dictum accipiunt, ut non universam proprie Scripturam, sed quas duntaxat recensuimus modo partes per id temporis transtulisse eum velint. Vere ego dixisse S. Doctorem existimo, totumque jam ab eo redditum Latine Vetus Testamentum, nisi si quam fortasse exiguam ejus partem excipere liceat, cujus ibi sigillatim meminisse, nihil intererat. Et certa quo tempore Jobi versionem refert, jam et *cætera clauso armorio tenere*

se ait : quæ tametsi variis subinde annis in lucem prodierint, ab eo tamen quo memorantur exordio esse repetenda : atque adeo jam inde a conscripti Catalogi anno fuisse adornata, perspicuum est. Prodierunt vero ex his primi Esdras et Nehemias, circa annum 394, quod ex prologo liquet, ubi multa quæ in Evangeliis laudantur, quasi de Veteri Testamento, et apud LXX non habentur, expendenda se ait *latiori operi* reservare. Per latius enim opus epistolam in nostra recensione 57 sive libellum *de Optimo genere interpretandi*, quem nos anno ascripsimus 395, certum est designari. Hos excipiunt Paralipomena, in quorum nempe Prologo idem ille *de Optimo genere interpretandi* libellus *nuper* editus dicitur : ut eodem atque isto anno 395, lucem aspexisse videantur. Qui igitur postremo omnium loco prodiisse hæc affirmant, Dupinius et Martianæus, a vero quam longissime aberrant : ac doceri quidem cum hoc ipso testimonio poterant, tum illo in epistola 71, ad Lucinium, post ferme triennium data, ubi omnes ante Octateuchum Veteris Testamenti libros S. ipse Interpres editos a se profitetur. *Canonem,* inquit, *Hebraicæ veritatis, excepto Octateucho, quem nunc in manibus habeo, pueris tuis et notariis dedi describendum.* His itaque recognoscendis octo libris, qui priorem ex ordine sacri textus locum obtinent, ab anno 398 insudabat : quanquam Genesim eo citius editam, facile adducor ut credam, cum reliqui interim Mosis libri in quartum quintumve annum premerentur. Josue autem nonnisi post *sanctæ Paulæ dormitionem* in lucem venit : quam obiisse *Honorio Augusto* VI *et Aristæneto coss.*, id est ap. 404, ex ejusdem epitaphio compertum est. Omnium denique postremus liber Esther prodierit, siquidem eum S. Pater Octateuchi numero comprehendit, ex Hebræorum more Judices et Ruth libros in unum conjungens, qua demum in re, ac temporis nota aliorum probe initis rationibus nihil esse duximus reponendum.

S. P. INNOCENTIO XII P. M.

Hieronymus, Christi vestem in Romana urbe suscipiens, cathedræ Petri inviolata communione consociatus, Damasi papæ oraculum quondam ac deliciæ, ad tuæ Sanctitatis vestigia, beatissime Pater, festinus voto, obsequio lætus accedit. Quanquam enim tui eum terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. Recedat, inquit, Romani culminis ambitio, cum successore Piscatoris et discipulo crucis loquor (*Epist.* 57.) *Novit etenim Doctor Ecclesiæ maximus, socius angelorum in cœlo, quod si apostolos honore sequeris, sequaris et merito. Tuæ igitur Beatitudinis pedibus provolutus summus ille vir, Bibliothecam suam Divinam, quæ caput est omnium studiorum ejus, redivivam nunc opera nostra, manibus quoque nostris offerre gestit, ut qui ad Sedem Apostolicam uno eodemque affectu reverentiæ propensi sumus, junctis pariter officiis, secunda cunctis virtutibus tui pontificatus initia individuo honoris studio concelebremus* (*Epist.* 58.)

Neque vero erit, sanctissime Pater, quod affatus tuos etiam minimi paveamus, cum nobis audientiam facturum sit immortale illud ingenium cum suo sacrarum interpretationum amplissimo munere, quod nos venerabundi nomini tuo consecramus. Quid enim piissimo Christianorum Patri acceptum magis gratumve fuerit, quam restituta in omnes Ecclesiæ utilitates Divina Hieronymi Bibliotheca, cœlestium scilicet mandatorum thesaurus, unde proferuntur nova et vetera, quibus sese ac concreditum sibi gregem alere queat pastor bonus et dispensator fidelis ? Quidni jucunda nunc fuerint Innocentio sacra Scripturarum volumina, quæ castæ erant deliciæ sancti pontificis Damasi, cujus insignia hæc sunt verba ad ipsum Hieronymum scripta ? Neque vero ullam puto digniorem disputationis nostræ confabulationem, quam si de Scripturis sermocinemur inter nos, id est, ut ego interrogem, tu respondeas. Qua vita nihil puto in hac luce jucundius : quo animæ pabulo omnia mella superantur. Quam dulcia, inquit propheta, gutturi meo eloquia tua ! super mel ori meo (*Epist.* 124.)

Multa quidem præclare facta tua, Pater sanctissime, dum apud duces, reges, imperatoresque internuntii olim officio fungereris, divinis te legibus addictum, ac sanctorum Patrum documentis probe affectum demonstrabant : nunc autem summæ potestatis particeps, Christique vicarius effectus, tot ac tanta pietatis præbes argumenta, ut omnes Christianæ plebes

sibi gratulentur, quod in te habeant scribam doctum in regno cœlorum, cujus voluntas sit in lege Domini diu noctuque meditanda. Nam unde tibi vox illa toto jam orbe percelebris, Domus Romani Pontificis, domus est egenorum? *Et iterum ad ipsos pauperes oculis captos.* Non libertatem vobis eripio, sed dux viæ ac vester oculus esse volo. *Unde, inquam, Sanctitati tuæ hujusmodi voces, quæ dulcissime sonant in auribus Ecclesiæ virginis, nisi ex adytis et oraculo divinarum Scripturarum, e quo sermonem istum eloqui didiceras:* Oculus fui cæco, et pes claudo, pater eram pauperum (*Job* XXIX, 15.) *Quod enim ab inclyto illo inter Orientales quondam principe sciebat actitatum religioso humanitatis affectu, id ipsum Sanctitas tua orbi jam universo conspicua imitandum sibi proposuit, plurimorum largitione munerum membra Christi confovens; vagosque inducens in domos pontificias.*

Nec uno tantum humanitatis ac misericordiæ beneficio Ecclesiam Dei sublevasse contentus, Papa venerabilis, omnes etiam divites ære percusso præmonere voluisti, ne sperarent in incerto divitiarum, aliena concupiscentes, propria non erogantes, suisque in propriam perniciem abutentes; dicis enim: Pecunia ista non sit nobiscum in perditione. *Quid plura? Ut exsultaret e Christiana republica simulacrorum servitus avaritia, et cupiditatis radix omnium malorum, decreto singulari statuit Apostolica tua sollicitudo, ne deinceps venalia forent judicum tribunalia, sed igratis tribuerentur probis hominibus, qui juxta præceptum legislatoris prophetæ constituti,* judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent munera accipientes, quæ excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum (*Deut.* XVI.) *Maxima utique hoc modo præstas largitatis ac munificentiæ munera: summoque in Pontifice digniora vix desiderari possunt facinora, nisi forte in Innocentio XII, qui quodam futurorum bonorum vaticinio, numeri duodenarii sortitus est nomen, ut in eo virtutis Apostolicæ quasi plenitudinem sperare nobis liceret. Ecquis vivit illo hodie moderatius, qui, Ecclesiæ proventibus e nobilissima Pignatelli familia prorsus abdicatis, debitum parantibus amoris affectum in pauperes totum ex decreto transferre curavit? Persuasum nempe ipsi fuerat ab Hieronymo, gloriam episcopi in eo maxime collocatam, si pauperum inopiæ proviserit, nec propriis studerit divitiis* (*Epist.* 2).

Ergo, in te, beatissime Pater, factis æqualibus expressa dignoscuntur quæcunque egregius Doctor, divino potius quam rethorico afflatus spiritu, de abnegandis pro Christo Nepotibus vel Nepotianis, nec sæculi lucris in Dei militia quærendis, familiarissimos suos litteris monere contendit (*Epist.* 1, 2). *Nam Hieronymo cum Innocentio quam bene conveniat, hinc epistolæ illinc decreta testantur. Solum pietatis genus esse volunt, per calcatum patrem ad vexillum crucis evolare; et in exstincto parentum affectu crudeles dici gloriantur. Tantam rerum verborumque consonantium mirabantur alii in maximo Doctore et in summo Pontifice: apud nos quidem justam habet venerationem quidquid excellit; sed admirationem non habuit antiqua ac explorata sanctorum virorum consensio. Innocentio XII fidem scimus prædicatam familiariter ab Hieronymo, dum ejus præcessorem hoc nomine primum Demectriadi Virgini sequendum ita proponit:* Illud te pio charitatis affectu præmonendam puto, ut sancti Innocentii, qui apostolicæ cathedræ, et supradicti viri successor et filius est, teneas fidem : nec peregrinam, quamvis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias. (*Epist.* 8). *Nec mirum quod Innocentii prædicata sit fides ab eo qui filius ejus declaratur in concilio Milevitano, ubi nova et nimium perniciosa hæresis, peregrina illa Pelagii doctrina æternum damnata erat.* Verumtamen multo plures, *inquit synodus Milevitana epist. ad Innocentium papam,* qui ejus sensus diligentius indagare potuerunt, adversus eum pro Christi gratia et Catholicæ fidei veritate confligunt; sed præcipue sanctus filius tuus, frater et compresbyter noster Hieronymus.

Plura congeri potuissent, sanctissime Pater, ut ex fide sua, tuorum prædecessorum laude, ac Romanæ sedis veneratione perpetua acceptissimus apud te Hieronymus haberetur. At quid in iis recensendis diutius immoremur, cum audito solo doctoris sancti nomine exsultantem te præsentes conspiciant? Oblatum enim Operum Hieronymi nostro labore adornatam novam editionem tam benigne tamque grate suscepisti ut cum restituto a nobis Hieronymo, Damasum in tua Sanctitate redivivum invenisse multum gaudeamus. Accipe igitur pretiosissimum antiquitatis sacræ monumentum, Eusebii Hieronymi Divinam Bibliothecam antehac ineditum; et quasi florente adhuc ætate de Gallia Romam redeuntem doctissimum virum hilari vultu amplectere. Multam secum defert interpretationum Scripturæ sacræ supellectilem, quæ temporum injuria nobis omnino periisse credebantur. Nec sine nutu divino factum est

quod ad nostram ætatem usque ista e tenebris non prodierint in lucem. Congruum quippe fuerat ut sub tanto pontifice, solita maximi Sripturarum interpretis Hieronymi ministeria repeterentur (*Dist.* 15, *cap.* Sancta Ramana Ecclesia). *Lubens docebit in Israel præceptum et judicium, si te adjutorem ac patronum habere meruerit, Pontificiæ vocis tuo oraculo probatus confirmatusque. Nec exsurgentes hujus temporis quosdam Rufini gregales morabitur supralaudatus Innocentii filius, si te sanctissimum suum Patrem audierit cum Gelasio et concilio Romano proclamentam :* Illa sentimus, quæ beatum Hieronymum sentire cognoscimus; et non solum de Rufino, sed etiam de universis, quas vir sæpius memoratus, zelo Dei et fidei religione reprehendit.

Post multam operam nostram, quam in res obscuras atque difficiles contulimus, tuum est, Pater beatissime, Hieronymo evangelizanti multam in Ecclesia virtutem tribuere. (*Epist.* 58). *Ita in solio cum duodecim judicaturus sedeas : ita municipatum cœli cum Paulo consequaris. Felicem prorsus ac providum laborem nostrum litterarium reputabimus, si profectus noster et tua gloria fuerit : cumque nos omnes, quos pro officio sacerdotii filiorum loco Sanctitas tua diligit, Apostolica etiam benedictione sua prosequetur.*

Sanctitati tuæ.

Offerebant humillimi Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri.

PROLEGOMENA

IN DIVINAM

S. HIERONYMI BIBLIOTHECAM

EX EDITIONE BENEDICTINA.

—

PROŒMIUM.

—

Qui veterum scriptorum novas aggrediuntur editiones, de suscepto ab ipsis opere lectorem paucis docere possunt : cum enim in restituenda textus librorum integritate, ac illustrandis nonnullis locis obscurioribus, illorum præcipue versetur opera ; una vel altera in id argumentum instituta disputatione, studiosis hominibus faciunt satis. Nobis vero S. Hieronymi Divinam Bibliothecam, antehac ineditam, utilitati publicæ procurandam suscipientibus, tot tantaque incumbunt maximarum rerum momenta, ut magnitudo operis impositi non solum cervices premat, sed ante sub fasce ruendum sit, quam levandum. Quis enim non pertimescat maximi Scripturarum divinarum Interpretis opus præcipuum expendere in eam, quam consecutus est, linguæ Hebraicæ peritiam inquirere ; tempus scriptionum ejus translationumque præfigere ; dubias ac spurias a veris et genuinis discernere lucubrationibus ; planum facere legenti qualis in ecclesia Christi fuerit Hieronymianarum vertionum usus ; multaque his similia liquido demonstrare, quæ nec facili negotio nominibus suis recenserentur ? Exhorrescimus, fateor, immensum illud ac profundum quasi disputationis pelagus, in quod necessitate compellimur, S. Hieronymi operibus edendis addicti et consecrati. Sed magna nos spes ista tenet apud æquum Lectorem, veniam scilicet nobis facilius indulgendam, sicubi in rebus sponte sua obscurioribus, et a nemine adhuc tentatis, illius desiderio non usque quaque satisfecimus ; vel certe si nonnihil aliquando scribentibus exciderit; quod oculatiores diligentioresque haud effugisset. Hac spectatione in primis provocati quædam emittimus Prolegomena in elucidationem Divinæ hujus S. Hieronymi Bibliothecæ, quæ ante nostram ætatem clausa et ignorata bene multa patefaciet, scriptorum ac librorum errores ab animis removebit, sacrisque voluminibus, in Latinum cum e Græco, tum ex Hebræo conversis ab Eusebio Hieronymo, Ecclesiam Christi ditabit.

PROLEGOMENON PRIMUM

De nomine Bibliothecæ Divinæ, et de modo quo nobis edita sit.

I. *Quid significet Bibliotheca Divina.* II. *Consilium Hieronymi in vertendis Scripturis sacris.* III. *Ejusdem studium in lingua Hebraica perdiscenda.* IV. *Quos habuerit hortatores, quos oppugnatores, suarum translationum ex Hebræo.* V. *In suis translationibus nimiam vitabat novitatem, et interpretationis* κακοζηλίαν.

Apud Veteres Bibliothecæ Divinæ nomen obtinebant sacra Volumina, quæ nunc temporis Biblia vocamus. Ideo apud Hieronymum in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum, Eusebius Cæteriensis *Bibliothecæ divinæ* cum Pamphylo martyre *diligentissimus pervestigator* laudatur: erant enim ambo in Scripturis divinis studiosissimi, ita ut Palæstinos Bibliorum codices, ab Origene elaboratos, in Ecclesiis Orientis vulgandos susceperint. Nec exemplaria solum Instrumenti Veteris ac Novi, quæ Christianorum manibus terebantur, Bibliothecæ nomine gaudebant antiquitus: sed Hebræorum quoque volumina eadem appellatione efferunt sancti Patres. Hieronymus ad Paulam juniorem et ad Eustochium Christi virgines, sic in librum Esther præfatus est: *Vos autem*, inquit, *o Paula et Eustochium, quoniam et Bibliothecas Hebræorum studuistis intrare, et interpretum certamina comprobastis, tenentes Esther Hebraicum librum, per singula verba, nostram translationem aspicite: ut possitis agnoscere me nihil etiam augmentasse addendo, sed fideli testimonio simpliciter, sicut in Hebræo habetur, historiam Hebraicam Latinæ linguæ tradidisse.* Bibliothecas itaque Hebræorum hoc loco appellat volumina Hebræa Veteris Testamenti, quæ volumina Paula et Eutochium edoctæ fuerant sub eodem magistro Hieronymo. Hac item appellationem manifestius adhuc declaratur Vetus Testamentum lib. VI *Originum* c. 3, apud Isidorum, et in manuscripto codice bibliothecæ Colbertinæ, qui glossas divinorum librorum complectitur, habetque notam numericam 2852. Nam circa medium libri hæc Isidori verba ab anonymo scripta leguntur: *Bibliothecam Veteris Testamenti Esdras scriba post incensam Legem a Chaldæis dum Judæi ingressi sunt* (Isidorus, *regressi fuissent*) *in Jerusalem, divino afflatus Spiritu reparavit: cunctaque Legis ac Prophetarum volumina, quæ fuerant a gentibus corrupta, correxit: totumque Vetus Testamentum in* XX *duos libros constituit, ut tot libri essent in Lege, quot habebantur et litteræ.* Ita ibi vetus ille scriptor, quisquis fuerit. Eodem sensu Hieronymus epistola ad Augustinum, Vetus Instrumentum, seu volumina ejusdem vocat Ecclesiarum Bibliothecas: *Vis*, inquit, *amator esse verus Septuaginta Interpretum? Non legas ea quæ sub asteriscis sunt, imo rade de voluminibus, ut veterum te fautorem probes. Quod si feceris, omnes Ecclesiarum Bibliothecas damnare cogeris: vix enim unus aut alter invenitur liber, qui ista non habeat.* Exemplaria etiam Novi Testamenti hoc nomine fuisse vocata, testis est epist. 52, *ad Pammachium;* ubi S. Doctor, provocans ad illam Apostoli περικοπήν, in qua de virginitate et nuptiis disputat (*I Cor.* VII), commentarios Patrum revolvendos monet, *et Ecclesiarum Bibliothecis* fruendum, ut consideratis diligenter verbis Apostoli, liquido appareat ipsum propter calumniam declinandam, multo plus, quam Paulus voluerit, in maritos fuisse clementem. Dicitur igitur, *Revolve omnium, quos supra memoravi, commentarios, et Ecclesiarum Bibliothecis fruere; et magis concito gradu ad optata cæptaque pervenies.* Denique epistolam S. Hieronymi ad Paulinum, in fronte sacrorum Bibliorum appositam, sic inscribunt manuscripti codices aliquot, qui apud Cœlestinos et Prædicatores Avenionenses asservantur: *Incipit Prologus Hieronymi super Bibliothecam.* Tot a nobis præmissa sunt testimonia ex ipso præsertim Hieronymo deprompta, ut omnibus planum fieret Veteris ac Novi Testamenti volumina ab eodem interprete in Latinum sermonem conversa, non incongrue vocari *Divinam Hieronymi Bibliothecam.* Quod facilius nobis concedent litterati viri, cum noverint *Bibliothecæ Hieronymi* nomen ab antiquis scriptoribus usurpatum fuisse ad designandas ejusdem Latinas sacrorum Bibliorum translationes. Exstat in nostra biblio-

theca S. Germani a Pratis codex venerandæ antiquitatis num. 15, in quo scriptor ad finem Epistolæ ad Hebræos hæc apposuit : *Lege cum pace Bibliothecam Hieronymi presbyteri Bethleem.* Hujus scriptoris studium imitati, verbisque S. Doctoris prorsus adhærentes, volumen præsens *Divinæ Hieronymi Bibliothecæ* titulo inscriptum esse curavimus, quippe quod omnia Veteris ac Novi Testamenti volumina Latine ab eodem reddita complectatur. Plura de hujusmodi nomenclatura adjicere poteramus : nisi unus sufficeret nobis Hieronymus ad probationem ejus nominationis, qua cooptamus primum editionis nostræ volumen.

H. Studio ac exemplo Origenis provocatus Hieronymus, primum emendatissimam ad fidem Hexaplorum editionem Scripturæ sacræ Latinis suis tribuere curavit : magis utile quid ex hoc, ut vocat, otio Ecclesiis boni venturum ratus, quam ex aliorum negotio. Audiendus ipse est præfatione in librum Job ex Græco eloquio conversum : *Si aut fiscellam*, inquit, *junco texerem, aut palmarum folia complicarem... nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem quia juxta sententiam Salvatoris volo operari cibum qui non perit, et antiquam divinorum voluminum viam sentibus virgultisque purgare : mihi genuinus infigitur, corrector vitiorum falsarius vocor, et errores non auferre, sed serere. Tanta est enim vetustatis consuetudo, ut etiam confessa plerisque vitia placeant ; dum magis pulchros habere volunt codices, quam emendatos.* Integritati igitur ac sinceritati suæ volumina sacra restituere satagebat Hieronymus, et hoc consilio omissa bene multa supplevit, vitiaque confessa, quamvis plerisque placerent, auferre non dubitabat. Ad originem enim Græcam revertens, ea quæ vel a vitiosis interpretibus male reddita, vel a præsumptoribus imperitis emendata perversius, vel a librariis dormitantibus aut addita fuerant, aut mutata, impigre correxit. Hoc modo operabatur cibum qui non perit, ac pro flabellis et sportellis aliorum monachorum, spiritualia hæc et mansura dona Ecclesiæ Dei tribuebat. Unde mentem suam aperiens sanctis mulieribus, ita scribit præfatione in Danielem : *Obsecro vos, o Paula et Eustochium, fundatis pro me ad Dominum preces : ut quandiu in hoc corpusculo sum, scribam aliquid gratum vobis, utile Ecclesiæ, dignum posteris. Prsenætium quippe judiciis non satis moveor : qui in utramque partem, aut amore labuntur, aut odio.* Quid vero utilius Ecclesiæ, quid magis dignum posteris quam divinorum Voluminum via sentibus virgultisque errorum purgata ? Quid acceptum magis cunctis fidelibus in Christo quam integri ac immaculati codices divinæ Scripturæ ? Itaque publicæ hujus utilitatis intuitu curam in se suscepit Hieronymus emendandi quæcumque librariorum incuria, vel injuria temporum, aut imperitia interpretum, male irrepserant in exemplaria sacrorum Bibliorum Latina e Græcis deprompta. Post navatam autem Ecclesiæ Christi tantam operam e LXX Translatorum interpretatione, ad perfectiora sese convertens, novam ex Hebræo Scripturarum editionem aggressus est, ut deinceps Latinis, non rivulos consectari, sed rerum fontes videre, cornicumque, id est Judæorum, oculos ex ipsa veritate Hebraica configere liceret. Id animi habuisse se in vertendis e fonte Hebræo sacris voluminibus testatur S. Doctor pluribus locis scriptionum suarum. Memorabilis est præcipue sententia isthæc lib. III Apologiæ adversus Rufinum : *Tu Latinas Scripturas*, inquit, *de Græco emendabis, et aliud Ecclesiis trades legendum, quam quod semel ab apostolis susceperunt : mihi non licebit post Septuaginta editionem, quam diligentissime emendatam ante annos plurimos meæ linguæ hominibus dedi, ad confutandos Judæos etiam ipsa exemplaria vertere, quæ ipsi verissima confitentur, ut si quando adversum eos Christianis disputatio est, non habeant subterfugiendi diverticula, sed suomet potissimum mucrone feriantur.* Illudebant Judæi Christianos, et Ecclesiis Dei insultabant de falsitate Scripturarum propter Septuaginta Interpretes, quos in multis errasse contendebant. Ad retundendam igitur hostium calumniam profitetur Hieronymus præfatione in Isaiam, se in peregrinæ linguæ eruditione sudasse, *ne* scilicet *Judæi de falsitate Scripturarum Ecclesiis Dei diutius insultarent.* Et ad Chromatium præfatione in Paralipomena : *Nostri arbitrii putas*, inquit, *aut e pluribus judicare quid verum sit, aut novum opus in veteri opere cudere, illudentibusque Judæis, cornicum, ut dicitur, oculos configere.* Nemo est qui nesciat Sophronium aliquando a Judæis illusum in disputando : hoc namque docuit Hieronymus præfatione in Psalterium suum

ex Hebræo Latine conversum, ita ad ipsum Sophronium scribens : *Quia igitur nuper cum Hebræo disputans, quædam pro Domino de Psalmis testimonia protulisti, volensque ille te illudere, per sermones pene singulos, asserebat non ita haberi in Hebræo, ut tu de Septuaginta Interpretibus opponebas : studiosissime postulasti, ut post Aquilam, et Symmachum, et Theodotionem, novam editionem Latino sermone transferrem.* Ex his manifestum nobis est ingratos prorsus ac iniquos fuisse Hieronymo eos omnes, qui objiciebant sanctum virum in Septuaginta condemnationem Scripturas sanctas interpretatum : neque vero in culpam vocari meruit, quod arma adversus hostes fidei Christianæ sua versione subministraret Ecclesiis. Juste ergo hoc queritur ad finem secundi libri Apologiæ suæ adversus Rutinum : *Unde me putabam bene mereri de Latinis meis, et nostrorum ad discendum animos concitare (quod etiam Græci versum de Latino post tantos Interpretes non fastidiunt), inde in culpam vocor, et nauseanti stomacho cibos ingero. Ecquid in homine totum sit, si innocentia criminosa est ?* Denique studium suum hoc argumento malignis etiam lectoribus persuasum voluit : *Quod si apud Græcos, post Septuaginta editionem, jam Christi Evangelio coruscante, Judæus Aquila, et Symmachus, ac Theodotio judaizantes hærectici sunt recepti, qui multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt : et tamen in* Ἑξαπλοῖς *habentur apud Ecclesias, et explanantur ab ecclesiasticis viris : quanto magis ego Christianus, et de parentibus Christianis natus, et vexillum crucis in mea fronte portans, cujus studium fuit omissa repetere, depravata corrigere, et sacramenta Ecclesiæ puro et fideli aperire sermone, vel a fastidiosis, vel a malignis lectoribus non debeo reprobari ?* Hæc ipse præfatione in librum Job ex Hebræo Latine redditum. Idem probat epist 89 ad Augustinum, cui suum studium commendabat his verbis : *Ego enim non tam vetera adolere conatus sum, quæ linguæ meæ ominibus emendata de Græco in Latinum transtuli, quam ea testimonia, quæ a Judæis prætermissa sunt, vel corrupta, proferre in medium : ut scirent nostri quid Hebraico veritas contineret. Si cui legere non placet, nemo compellit invitum. Bibat vinum vetus cum suavitate, et nostra musta contemnat, quæ in explanationem priorum edita sunt : ut sicubi illa non intelligantur, ex nostris manifestiora fiant.* Rescripsit S. Augustinus ad Hieronymum, prorsus ita esse persuasus : *De interpretatione tua,* inquit, *jam mihi persuasisti, qua utilitate Scripturas volueris transferre de Hebræo, ut scilicet ea, quæ a Judæis prætermissa vel corrupta sunt, proferres in medium.* Cætera vide epist. 97 inter Hieronymianas. Restat igitur e supra jam allatis, Hieronymum non in suggillationem Septuaginta Interpretum, sed ad omnes Ecclesiæ utilitates novam ex Hebræo fonte edidisse versionem.

III. Cum autem sciret Hieronymus se non posse interpretari, nisi quod antea intellexerat, omnibus Græcorum ac Latinorum excultus disciplinis, Hæbræorum magistrorum limina terere, eorumque litteras studere cœpit. Id abunde testatus est epist. 4 *ad Rusticum* monachum, docens amore virtutum vitia superanda : *Dum essem juvenis,* inquit, *et solitudinis me deserta vallarent, incentiva vitiorum ardoremque naturæ ferre non poteram. Quam cum crebis jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat : ad quam edomandam, cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, et lenitatem Plinii, alphabetum discerem, et stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quotiesque cessaverim, et contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia tam mea qui passus sum, quam eorum qui mecum duxerint vitam. Et gratias ago Domino, quod de amaro semine litterarum dulces fructus carpo.* Hanc in discendo litteras Hebraicas difficultatem pistrinum vocat, dum sic in Danielem præfatu : *Denique et ego adolescentulus post Quintiliani et Tullii lectionem, ac flores rhetoricos, cum me in linguæ hujus pistrinum reclusissem, et multo sudore, multoque tempore vix cœpissem anhelantia stridentiaque verba resonare, et quasi per cryptam ambulans, rarum desuper lumem aspicerem, impegi novissime in Danielem, et tanto tædio affectus sum, ut desperatione subita omnem laborem veterem voluerim contemnere. Verum adhortante me quodam Hebræo, et illud mihi crebrius in sua lingua ingerente, Labor omnia vincit improbus : et qui mihi videbar*

sciolus inter eos, cœpi rursum discipulus esse Chaldaicus. Et ut verum fatear, usque ad præsentem diem magis possum sermonem Chaldaicum legere et intelligere, quam sonare. Tantum operæ ac laboris expertus est S. Hieronymus in discenda lingua Hebraica, propter anhelantia illa et stridentia verba, quæ etsi intelligantur a Latinis, vix tamen ea sonare possumus ad morem Judæorum, quibus nativum est hujusmodi idioma barbarum. Unde idem Hieronymus lib. I Comment. in cap. III Epistolæ ad Titum, causam tantæ difficultatis edisserit dicens : *Quod autem ait, genealogias, et contentiones, et rixas, quæ veniunt ex lege, devita : proprie pulsat Judæos, qui in eo se jactant, et putant legis habere notitiam, si nomina teneant singulorum, quæ quia barbara sunt, et etymologias eorum non novimus, plerumque corrupte proferuntur a nobis. Et si forte erraverimus in accentu, in extensione et brevitate syllabæ, vel brevia producentes, vel producta breviantes, solent irridere nos imperitiæ, maxime in aspirationibus et quibusdam cum rasura gulæ litteris proferendis... Si igitur a nobis hæc nominum et linguæ idiomata, ut videlicet barbara, non ita fuerint expressa, ut exprimuntur ab Hebræis, solent cachinnum attollere, et jurare se penitus nescire quod dicimus. Unde et nobis curæ fuit omnes veteris legis libros, quos vir doctus Adamantius in Hexapla digesserat, de Cæsariensi Bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare, in quibus et ipsa Hebræa propriis sunt characteribus verba descripta, et Græcis litteris tramite expressa vicino... ut non magnopere pertimescamus supercilium Judærum, solutis labiis, et obtorta lingua, et stridente, et rasa fauce gaudentium.* Assiduum vero fuisse in litteris Hebraicis S. Doctorem manifeste declarant verba isthæc, quæ in epitaphio Paulæ matris scripta leguntur : *Loquar et aliud, quod forsitan æmulis videatur incredibile. Hebræam linguam, quam ego ab adolescentia multo labore ac sudore ex parte didici, et infatigabili meditatione non desero, ne ipse ab ea deserar, discere voluit, et consecuta est,* etc. Parum erat homini studiosissimo ac intelligentiæ sacrorum Bibliorum cupidissimo, linguam Hebræam multo sudore didicisse, nisi etiam opes suas in eo negotio experiretur. Ad perfectam enim obscurissimi libri Job intelligentiam doctorem adhibuit Hebræum, quem non gratis accessisse, sed pecunia conductum asserit præfatione in eumdem Jobi librum ; *Memini me* inquit, *ob intelligentiam hujus voluminis Lyddæum quemdam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis : cujus doctrina, an aliquid profecerim, nescio. Hoc unum scio, non potuisse me interpretari, nisi quod ante intellexeram.* Nulli ergo labori parcens, nec marsupio suo, linguæ Hebraicæ notitiam consecutus est non mediocrem ; ita ut par esset Latino sermone extemplo exponere quæcunque Judæi Hebraicæ ipsi dictitarent. Cujus rei testem habemus præfationem in Tobiam, ubi docuit nos modum quo suam versionem Latinam edidit : *Et quia,* ait, *vicina est Chaldæorum lingua sermoni Hebraico utriusque linguæ peritissimum loquarem repeciens, unius dei laborem arripui : et quidquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego, accito notario, sermonibus Latinis exposui.* Quod utique per se ipsum nunquam præstitisset, nisi probe et pulchre calluisset linguam Hebraicam : nam quis semidoctus aut rudis in lingua Hebraica, loquentis hebræi verba dictata simili facilitate in Latinum sermonem converteret ? Satis ergo perspectum fit, Hieronymum sermonis Hebræi perfectam notitiam habuisse : etsi modestiæ causa ipse alibi dixerit, se *Hebræorum sermonem ex parte didicisse, in Latino autem ab incunabulis inter grammaticos, et rhetores, et philosophos fuisse detritum.* Neque vero negare potuit epistola 142, ad Damasum papam, ab Hebræis multa didicisse ; *Est vir quidam,* inquit, *a quo ego plura didicisse me gaudeo, et qui Hebræum sermonem ita elimarit, ut inter scribas eorum Chaldæus existimetur.* Ad Marcellam quoque epist. 130 fatetur nonnihil purioris Latinitatis amisisse propter usum idiomatis Hebræi sibi familiarem : *Nos, ut scis, Hebræorum lectione detenti, in Latina lingua rubiginem obduximus, in tantum ut loquentibus quoque nobis stridor quidam non Latinus interstrepat. Unde ignosce ariditati,* etc. In fine Commentariorum in Aggæum prophetam, omnen eloquii venustatem perdidisse se dicit studio linguæ Hebraicæ : *Obsecro te, lector, ut ignoscas celeri sermone dictanti, nec requiras eloquii venustatem, quam multo tempore Hebrææ linguæ studio perdidi,* etc. Idem Hieronymi studium pro-

bant Hebræa volumina ab eo descripta, vel collata cum interpretibus Græcis, nec non Palæstinæ provincia, quam perlustravit ac peragravit ob pleniorem intelligentiam Hebraicorum nominum, adscitis etiam Judæorum eruditissimis magistris sibi sociis. Singula ordine suo prosequamur. Apud S. Damasum excusat se tarditatis epist. 125, quod non statim ad ejus interrogata rescripserit alio opere detentus. Quid sit autem tale opus, his verbis declaravit initio ejusdem epistolæ : *Interim tamen et ego linguam, et ille articulum, movebamus, cum subito Hebræus intervenit, deferens non pauca volumina, quæ de Synagoga quasi lecturus acceperat.* Et illico : *Habes, inquit, quod postulaveras : meque dubium, et quid facerem nescientem, ita festinus exterruit, ut omnibus prætermissis, ad describendum transvolarem : quod quidem usque ad præsens facio.* Hebraicis similiter detentus litteris, et contentione librorum assidua, breviorem dedit epistolam 74, ad Marcellam : *Ut tam parvam*, inquit, *epistolam scriberem, causæ duplicis fuit, quod et tabellarius festinabat, et ego alio opere detentus, hoc quasi* παρέργῳ, *me occuparem. Quæris quidnam illud sit, tam grande, tam necessarium, quo epistolicæ confabulationis munus exclusum est. Jampridem cum voluminibus Hebræorum editionem Aquilæ confero; ne quid forsitan, propter odium Christi, Synagoga mutaverit : et ut amicæ menti fatear, quæ ad nostram fidem pertinet roborandam, plura reperio. Nunc a prophetis, Salomone, Psalterio, Regnorumque libris examussim recensitis, Exodum teneo, quem illi* ELLESMOTH *vocant, ad Leviticum transiturus : vides igitur, quod nullum officium huic operi præponendum est.* In his studiis occupatus Romæ vir sanctus, oculis insuper Judæam contemplari voluit : quomodo enim Græcorum historias magis intelligunt qui Athenas viderint ; ita sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Judæam oculis contemplatus est, vel antiquarum urbium memorias, locorumque, et eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Unde et Hieronymo curæ fuit cum eruditissimis Hebræorum hunc laborem subire, ut circumirent provinciam quam universæ Christi Ecclesiæ sonant. Ita ipse conceptis verbis ad Domnionem et Rogatianum præfatione in librum Paralipomenon, quibus item fassus, est, nunquam se in divinis voluminibus propriis viribus credidisse, nec habuisse magistram opinionem suam, sed ea etiam de quibus scire se arbitrabatur, interrogare solitum ; quanto magis in iis super quibus anceps erat? Hoc vero confirmat argumento sequenti: *Denique*, inquit, *cum a me nuper litteris flagitassetis, ut vobis Paralipomenon Latino sermone transferrem ; de Tiberiade legis quemdam doctorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, assumpsi et contuli cum eo a vertice, ut aiunt, usque ad extremum unguem : et sic confirmatus ausus sum facere quod jubebatis.* Quid amplius in viro studioso desiderari queat, certe non video. Omnem in rebus Hebraicis laborem insumit, sumptui non parcit, peregrinationes laboriosas subit, cum eruditissimis Judæorum assidue sermonem confert; libros propria manu describit ; contendit Græca cum Hebræis. Denique quid, non, ut linguæ sanctæ intelligentiam consequeretur? Merito igitur aiebat supra : *Et gratias ago Domino, quod de amaro semine litterarum dulces fructus carpo;* id est, scientiam divinarum Scripturarum, et sermonis Hebræi peritiam.

IV. Multarum igitur linguarum scientia insignis Hieronymus, et apud omnes eruditione sua celebratus, brevi a pluribus rogari cœpit, ut libros sacros e fontibus Hebræis in Latinum sermonem transferre vellet. Omnes præfatiunculæ veteris Testamenti quarum ex parte exempla subjiciemus, huic rei testes sunt. Et superfluum est, quod in illis dictum invenitur, aliter quam ibi dictum est, scribere. Incipiamus igitur a Genesi, cujus prologus talis est : *Desiderii mei desideratus accepi epistolas, qui quodam præsagio futurorum cum Daniele sortitus est nomen* (*Dan.* x, 11, 19), *obsecrantis ut translatum in linguam Latinam de Hebræo sermone Pentateuchum nostrorum auribus traderem.* Erat forte hic *Desiderius* sanctus ille presbyter in Vasconia, qui cum Ripario auctor fuit luculenti operis editi ab Hieronymo pro sanctis martyrum reliquiis adversus Vigilantium. *Auctores sunt hujus Dictatiunculæ meæ,* inquit Hieronymus, *sancti presbyteri Riparius et Desiderius, qui parochias suas vicinia istius scribunt esse maculatas, miseruntque libros per fratrem Sisinnium*, etc. Nisi alium *Desiderium* fuisse credamus, honestum et eloquentem virum, cui S. Doctor scribebat epistolam 154, in qua etiam apparet, opuscula Hieronymi vehementer postulari ab eo, qui cum Daniele

vaticinium habuerit. Sed quisquis fuerit iste *Desiderius*, qui Pentateuchum Latino sermone translatum ex Hebræo flagitabat ; certum videtur sanctum fuisse, nec exiguum in Ecclesia meritis hominem. Finito Pentateucho, ad Jesum filium Nave, id est, ad Josue, et ad Judicum librum, ad Ruth quoque et Esther manum misit : quia *hos libros Eustochio virgini Christi negare non potuit.* Latine eos ex Hebræo convertit post sanctæ Paulæ dormitionem, cujus antea precibus volumina quatuor Regum in Latinum sermonem fuisse interpretatum non levis est conjectura in illis ultimis præfatiunculæ verbis : *Sed et vos famulas Christi rogo, quæ Domini discumbentis pretiosissimo fidei myro ungitis caput* (*Matth.* XXVI, 7)... *ut contra latrantes canes, qui adversum me rabido ore desæviunt... orationum vestrarum clypeos opponatis.* Famulas Christi, non alias puto quam Paulam et Eustochium, Bethleem degentes ætatem cum Hieronymo. Paralipomena, petente sanctissimo episcopo Chromatio, ad fontem Hebræum Latinis sermonibus expressit : *Si Septuaginta*, inquit *Interpretum pura, et ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superflue me, Chromati, episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut Hebræa volumina Latino sermone transferrem.* Impellebat ergo sanctissimus atque doctissimus episcopus Hieronymum, ut omissis rivulorum tramitibus, ex ipsa veritate Hebraica libros sacros Latinis hominibus traderet. Pro libro Ezræ et Nehemiæ similiter vertendo, Domnionem et Rogatianum Hieronymo institisse probant verba hæc, quæ in præfatione leguntur : *Tertius annus est, quod semper scribitis atque rescribitis, ut Ezræ librum de Hebræo transferam : quasi non habeatis Græca et Latina volumina : aut quidquid illud est, quod a nobis vertitur, non statim ab omnibus conspuendum sit.* Certe in Ecclesia Christi non fuit tunc temporis vir Domnione celebratior illustri sanctitatis laude, ut testata res est pluribus epistolis Hieronymi, Augustini, ac Paulini, nec non Rufini, et Palladii scriptis. Rogatianus autem frater creditur ejusdem sanctissimi Patris et presbyteri Domnionis, qui veneranda canitie Christianis omnibus summo in honore erat, atque hospitalitatis officio Lot sui temporis appellari meruit. Tales habuit Hieronymus hortatores translationum suarum ex Hebræo.

Libros quoque Salomonis ex Hebraica veritate conversos, sanctis episcopis Chromatio et Heliodoro dedicavit : quorum deinde postulationibus acquiescens, librum Tobiæ Chaldæo sermone scriptum Latine interpretatus est. *Mirari non desino*, ejus sunt verba, *exactionis vestræ instantiam : exigitis enim ut librum Chaldæo sermone conscriptum ad Latinum stylum traham... feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio. Arguunt enim nos Hebræorum studia, et imputant nobis contra suum Canonem Latinis auribus ista transferre. Sed melius esse judicans Pharisæorum displicere judicio, et episcoporum jussionibus deservire, institi ut potui*, etc. Sophronius, vir apprime eruditus, inter eos etiam numerandus venit, qui Hieronymum litteris impellebant ad hujusmodi translationes Latinas. Unde ad eumdem Sophronium de occasione versionis Psalterii ex Hebræo scribens, hæc in præfatione commiscitur : *Quia igitur nuper cum Hebræo disputans, quædam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisti : volensque ille te illudere, per sermones pene singulos asserebat non ita haberi in Hebræo, ut tu de Septuaginta Interpretibus opponebas, studiosissime postulasti, ut post Aquilam, et Symmachum, et Theodotionem, novam editionem Latino sermone transferrem. Aiebas enim te magis interpretum varietate turbari, et amore quo laberis, vel translatione, vel judicio meo esse contentum. Unde impulsus a te, cui et quæ possum negare non possum, rursum me obtrectatorum latratibus tradidi : maluique te vires meas, quam voluntatem in amicitia quærere. Certe confidenter dicam, et multos hujus operis testes citabo, me nihil duntaxat scientem de Hebraica veritate mutasse.* Invitus denique et coactus Paulæ matris ac Eustochii virginis quotidianis exactionibus, prophetarum tam majorum, quam minorum volumina latinitate donavit : id enim expresse conqueritur præfatione in Jeremiam, quam his verbis definitam esse voluit : *Pro his omnibus maledicta ab æmulis præstolantes, quibus me necesse est per singula opuscula respondere. Et hoc patior, quia vos cogitis. Cæterum ad compendium malirectius fuerat modum furori eorum silentio meo ponere, quam quotidie novi aliquid scriptitantem, invidorum insaniam provocare.* Huc usque de tantis ac talibus exactoribus Hieronymianarum versionum dixisse sufficiat, ut

ratum sit omnibus summam in Ecclesia Dei fuisse semper auctoritatem voluminum Hebraicorum veteris Instrumenti, quod Latine redditum Ecclesiis dedicatum est, procurante ancillarum Christi, virorum doctorum, ac sanctissimorum episcoporum agmine.

Jam quod oppugnatores earumdem translationum spectat, si Augustinum excipias, nemo eorum qui non, stimulante invidia, sanctum opus capere et Hieronymo detrahere studuerit. Ideo præfatione in Ezram de suis æmulis aiebat: *Accedunt ad hoc invidorum studia, qui omne quod scribimus reprehendendum putant; et interdum contra se, conscientia repugnante, publice lacerant quod occulte legunt: in tantum ut clamare compellar, et dicere* (*Psal.* CXIX, 2.): *Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa.* Nihil est quod manifestius invidorum illorum vesaniam prodiderit, quam ea quæ leguntur ad finem libri secundi Apologiæ adversus Rufinum, ubi de supposita Hieronymo epistola abunde satis disputatur: *Scribit frater Eusebius,* Inquit S. Hieronymus, *se apud Afros episcopos; qui propter ecclesiasticas causas ad comitatum venerant, epistolam quasi meo scriptam nomine reperisse: in qua agerem pœnitentiam, et me ab Hebræis in adolescentiam inductum esse ut testarer, ut Hebræa volumina in Latinum verterem, in quibus nulla sit veritas. Quod audiens obstupui... Qui hoc ausus est facere, quid aliud non audeat? Bene quod malitia non habet tantas vires, quantos conatus. Perierat innocentia, si semper nequitiæ juncta esset potentia; et totum quidquid cupit calumnia, prævaleret.* Et iterum: *Ecquid in homine tutum sit, si innocentia criminosa est? Dormiente patrefamilias, inimicus homo ζιζania superseminavit.* (*Matth.*, XIII, 25.) *Exterminavit vineam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam* (*Psal.* LXXXI. 14). *Ego taceo, et litteræ non meæ loquuntur contra me. Ignoro crimen, et crimen in toto orbe confiteor. Heu mihi, mater mea, ut quid me genuisti, virum, qui judicer et discernar omni terræ?* His inflammati invidiæ facibus, ac nequitiæ artibus instructi, nebulones quidam oppugnabant translationes Hebraicas Hieronymi. Signifer eorum fuit Rufinus, etsi juraret se epistolam non scripsisse ad Afros sub nomine Hieronymi, in qua iste confiteretur inductum esse a Judæis ut mendacia transferret. Inter gregales ejusdem Rufini, oppugnatorem quoque habuit Palladium Hieronymus; nam hujus ipse meminit procœmio Dialogorum adversus Pelagianos, dicens: *Palladius, servilis nequitiæ, eamdem hæresim instaurare conatus es, et novam translationis Hebraicæ mihi calumniam struere,* etc. O felices S. Doctoris labores, qui nunquam hæreticis parcens, omni egit studio, ut hostes Ecclesiæ, ejus quoque hostes fierent! Neque vero tot calumnias excogitarent Origenistæ ad exitium sancti viri, nisi prius illorum errores publice redarguisset, scriptisque fregisset ipsorum superbiam. At licet hydra sibilaret, victorque Sinon incendia jactaret: magis sanctorum virorum charitate provocabatur ad studium, quam invidorum detractione et odio deterreretur. Tanto autem livore torquebantur propter translationem Hebraicam, tum Judæi, tum malevoli Christiani, ut Hieronymum de medio tollere voluissent. Hinc Beda in sua epistola apologetica ejusmodi invidiæ recordatus, ait: *Quippe qui in tam necessaria divinæ Scripturæ translatione, pene a Latinis simul et Hebræis est lapidibus oppressus. Ab Hebræis quidem, quod eis irridendi Christianos, et calumniandi pro codicibus mendosis occasio foret ablata: a Latinis autem, quod eis nova et insolita, tametsi meliora, pro veteribus ingererentur et solitis.* Quibus consonant ista quæ leguntur apud ipsum Hieronymum præfatione in librum Josue: *Quæ enim audientis vel legentis utilitas est, nos laborando sudare et alios detrahendo laborare; dolere Judæos, quod calumniandi eis et irridendi Christianos sit ablata occasio; et Ecclesiæ homines id despicere, imo lacerare, unde adversarii torqueantur?*

Diverso prorsus ferebatur studio S. Augustinus, cum ab interpretatione Hebræorum voluminum aliquando Hieronymum deterruit, eo scilicet animo, qui oculis Dei in fraterna dilectione non displicet. Quid igitur causæ exstiterit ad deterrendum Hieronymum ab incepto opere Hebraicæ translationis, amicissime ipsi suggerebat idem Augustinus epist. 71, ubi ait: *Ego sane te mallem Græcas potius canonicas nobis interpretari Scripturas, quæ Septuaginta Interpretum perhibentur. Perdurum erit enim, si tua interpretatio per multas Ecclesias frequentius cæperit lectitari, quod a Græcis Ecclesiis Latinæ Ecclesiæ dissonabunt; maxime quia facile contradictor convincitur Græco prolato libro, id est, linquæ*

*notissimæ. Quisquis autem in eo quod ex Hebræo translatum est, aliquo insolito permotus fuerit, et falsi crimen intenderit ; vix aut nunquam ad Heboæa testimonia perveniet*ur, *quibus defendatur objectum. Quod si etiam perventum fuerit, tot Latinas et Græcas auctoritates damnari quis ferat ? Huc accedit, quia etiam consulti Hebræi possunt aliud respondere : ut tu solus necessarius videaris, qui etiam ipsos possis convincere : sed tamen quo judice mirum si potueris invenire.* Hæc erant argumenta, quibus sanctus sanctum impellebat ad interpretationem Græcorum codicum Septuaginta, prætermissis Hebræorum voluminum fontibus ; quia Latinis hominibus difficilis aut nullus erat accessus ad Hebræa testimonia comprobanda. At brevi utilitatem agnovit Hebraicæ translationis Augustinus, accepta videlicet Hieronymi responsione ad illas objectas difficultates. Unde usum ejus in Ecclesiis quamvis minime probaret, propter vitandam Christianæ multitudinis perturbationem : fatetur tamen plurimis locis utiliorem ac præstantiorem esse versionem Scripturarum ex Hebræo illa quæ ad Græcorum codices primum edita erat : *De interpretatione tua,* inquit ad Hieronymum epistola octogesima secunda, *jam mihi persuasisti, qua utilitate Scripturas volueris transferre de Hebræis : ut scilicet ea, quæ a Judæis prætermissa vel corrupta sunt, proferres in medium... Ideo autem desidero interpretationem tuam de Septuaginta, ut et tanta Latinorum interpretum, qui qualescunque hoc ausi sunt, quantum possumus, imperitia careamus ; et hi qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tandem aliquando, si fieri potest, intelligant, propterea me nolle tuam ex Hebræo interpretationem in Ecclesiis legi, ne contra Septuaginta auctoritatem, tanquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures et corda illam interpretationem audire consueverunt, quæ etiam ab apostolis approbata est.* Idem sensit ipse Hieronymus, qui in epistola ad Sunniam et Fretelam concors invenitur Augustini jam verbis allatis, dum ait : *Ex quo perspicuum est sic psallendum, ut nos interpretati sumus. Et tamen sciendum qui Hebraica veritas habeat. Hoc enim quod Septuaginta transtulerunt, propter vetustatem in Ecclesiis decantandum est, et illud ab eruditis sciendum propter notitiam Scripturarum.* Et ad Sophronium præfatione in Psalterium Hebraicum : *Nec hoc dico, quod prædecessores meos mordeam, aut quidquam his arbitrer detrahendum, quorum translationem diligentissime emendatam, olim, meæ linguæ hominibus dedi ; sed quod aliud sit in Ecclesiis Christo credentium psalmos legere, aliud Judæis singula verba calumniantibus respondere.* Bene igitur Hieronymo convenit cum Augustino de interpretatione Septuaginta Seniorum in Ecclesiis Christi legenda et decantanda propter antiquiores usus, quibus nascentis Ecclesiæ fides roborata est. Translationem vero Hebraicam præstantiorem esse sciebant ad intelligentiam Scripturarum ; quare Audaci respondens Augustinus epist. 261 vocat eam perfectiorem : *Psalterium,* inquit, *a sancto Hieronymo translatum ex Hebræo non habeo. Nos autem non interpretati sumus, sed codicum Latinorum nonnullas mendositates ex Græcis exemplaribus emendavimus. Unde fortassis fecerimus aliquid commodius quam erat, non tamen tale quale esse debebat. Nam etiam nunc, quæ forte nos tunc præterierunt, si legentes moveriunt, collatis codicibus emendamus. Ita illud quod perfectum est, tecum nos quoque requirimus.* Clarius adhuc lib. IV Doctrinæ Christianæ cap. 7. num. 15, ubi de Hieronymianæ interpretationis præstantia hæc fassus invenitur : *Non autem secundum Septuaginta Interpretes, qui etiam ipsi divino Spiritu interpretati, ob hoc aliter videntur nonnulla dixisse, ut ad spiritalem sensum scrutandum magis admoneretur lectoris intentio, unde etiam obscuriora nonnulla, quia magis tropica, sunt eorum, sed sicut ex Hebræo in Latinum eloquium, presbytero Hieronymo utriusque linguæ perito interpretante, translata sunt.* Vides obscurorem esse, Augustino testante, versionem Septuaginta Interpretum ; planiorem vero ac intelligentiæ magis accommodatam illam, quæ nobis edita est ab Hieronymo, quamque Hebraicam vocamus, eo quod ex Hebræo fonte derivata sit. Jam si libros Quæstionum in Heptateuchum revolveris apud eumdem Augustinum, sexcenta tibi occurrent loca, in quibus versionem ex Hebræo præfert Septuaginta Interpretibus, sive quod majorem habeat lucem, sive propter puriorem Scripturæ contextum, quem Septuaginta additamentis pluribus interpolarunt. Exempli gratia, quæstione 19 in Judices, cum multa de Pharaone attulisset ex LXX Translatione, quæ manifeste interpolata dignoscuntur, ita diffi-

cultatem solvere voluit : *Quod de Pharaone rege dictum intelligere debemus : cum hæc historia illis temporibus conscripta credatur, quibus erant gesta illa recentia. Quid autem magnum eligi potuit quod prophetice diceretur, cum præterita narrentur, taceanturque futura majora, et maxime necessaria ? Proindepotius existimandum est Septuaginta Interpretes, qui auctoritate prophetica ex ipsa mirabili consensione interpretati esse perhibentur, hæc addidisse, non tanquam futura prænuntiantes, sed quia illo tempore ipsi erant quo facta esse meminerant et in libris Regnorum legerant. Etenim Regnum temporibus factum est. Quod ideo credibilius nobis visum est, quoniam inspeximus interpretationem, quæ est ex Hebræo, et hoc ibi non invenimus : sicut nec illud quod dictum est de Jericho, etc. Unde apparet a Septuaginta interpositum, qui factum esse noverant.* Prudenter quidem excusat in Septuaginta hujusmodi interpositiones et perturbationes contextus sacri ; sed ingenue fatetur multa ab eis fuisse addita, quæ completa viderant suo tempore : etsi ab hagiographis auctoribus posita minime repertirentur. Ad solvendas itaque quascunque quæstiones sibi propositas e libris canonicis, interpretationem Hieronymianam, quæ est ex Hebræo, ubique testem adhibet. Quare sæpius eum sic disserentem audias : *Sed neque ulla Hebraica veritate ista solvitur quæstio* : et ibidem quæst. 152 in Genesim : *Qui omnes adnumerantur sexaginta sex hominibus, cum quibus Jacob in Ægyptum, etiam secundum Hebraicam veritatem, perhibetur intrasse.* Hebraicam veritatem vocat cum Hieronymo Latinam ejusdem translationem ad Hebræorum volumina concinnatam. Et hanc tanta fide in suo *Speculo* secutus est Augustinus, ut nihil prorsus in illud congesserit præter ipsissima verba quæ leguntur in Latina Instrumenti veteris interpretatione ab Hieronymo edita juxta Hebraicam veritatem. Audiendus est super hac re domnus Thomas Blampin (cui gratis animis acceptam referimus editionem novam operum S. Augustini). Is enim in librum *Speculi* lectorem præmonuit, dicens : *Porro cum ad vulgi usum istud pium opus compararet S. Doctor, eo noluit nisi faciliores intellectu præceptiones comprehendi. Quo etiam concilio adductum credimus, ut versione uteretur non ex Græco LXX, quam sequi solebat, sed ex Hebræo, quod hanc demum comperis-* A *set esse illa multis in locis planiorem. Nam hoc nomine eam aliquoties laudat in postremis suis libris Quæstionum in Heptateuchum,* etc. Quis nunc contentiosus adducto supercilio inficiabitur, translationem Hebraicam S. Hieronymi ab Augustino laudatam fuisse, ac Septuaginta Interpretibus demum antepositam ? At de usu versionis Hieronymianæ apud Afros, ac de Speculo S. Augustini iterum dicturi nihil amplius de illis hic adjiciemus.

V. Difficile est, inquit Hieronymus, senis mutare linguam, et canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis B enim doctus pariter, vel inductus, cum in manus volumen Scripturarum assumpserit, et a saliva, quam semel imbibit, viderit discrepare quod lectitat, non statim erumpat in vocem, interpretem novum clamitans esse falsarium et sacrilegum, qui audeat aliquid in veteribus libris tollere, addere, mutare, corrigere ? Adversus hanc invidiam præcavere se Hieronymus studuit in nova editione Latina sacrorum Bibliorum : et ne multum a lectionis Latinæ consuetudine discederet, ita calamo temperavit, ut iis tantum, quæ sensum mutare videbantur, correctis, reliqua sæpius manere pateretur, ut ante fuerant. Id ipse profitetur in epistola ad Sunn. et Fretel. cum de C antiquo interprete Latino sermonem instituit : *Sed sciendum,* inquit, *quod ubicunque in Græco scriptum est,* glorificate, *Latinus interpres,* magnificate, *transtulerit, secundum illud quod in Exodo dicitur : Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est* (*Exod.* xv, 1). *Pro quo in Græco scribitur,* glorificatus est : *sed in Latino sermone si transferatur, fit indecora translatio. Et nos emendantes olim Psalterium, ubicunque sensus idem est, veterum intrepretum consuetudinem mutare noluimus, ne nimia novitate lectoris studium terreremus.* Et infra de eodem verbo *honorificabit,* vel *glorificabit,* idem quoque replicat, D dicens : *Noluimus ergo immutare quod ab antiquis legebatur, quia idem sensus erat... sed et in hoc nulla est sensus mutatio : et nos antiquam interpretationem sequentes, quod non nocebat, mutare noluimus* : Difficiliora vero et obscura libri Ecclesiastæ in modum commentarioli edisserens, novitatis etiam nimiæ invidiam declinare sollicitus, ita procemio in eumdem Commentarium aiebat : *Hoc breviter admonens, quod nullius auctoritatem secutus sum ; sed de Hebræo transferens, magis me*

Septuaginta interpretum consuetudini coaptavi, in his duntaxat, quæ non multum ab Hebraicis discrepabant. Interdum Aquilæ quoque, et Symmachi, et Theodotionis recordatus sum, ut nec novitate nimia lectoris studium deterrerem, nec rursum contra conscientiam meam, fonte veritatis omisso, opinionum rivulos consectarer. Præfatione tamen in librum Job ex Hebræo in Latinum eloquium translatum, asserit nullum de veteribus interpretem fuisse se secutum : *Hæc autem translatio,* inquit, *nullum de veteribus sequitur interpretem, sed ex ipso Hebraico Arabicoque sermone, et interdum Syro, nunc verba, nunc sensus, nunc simul utrumque resonabit.* Translationem certe Jobi Hebraicam quisquis conferre voluerit cum ea quæ ad Græcos codices edita erat ab eodem Hieronymo, in inter se discrepantes reperiet, ut sæpius cogatur apud se cogitare, num in utroque exemplari eadem sit Scripturæ narratio, num usus historiæ sacræ contextus. In Psalmorum autem libro, etsi multa diversa sint, plurima nihil omnino inveniuntur mutuata ab antiqua interprete Latino, id est, immutata in Psalterio Hieronymi Hebraico : sicque in cæteris libris tum Legis, tum prophetarum, observatum dignoscet studiosus lector, qui cum nova Hieronymiana translatione partes superstites antiquæ Latinæ seu Italicæ versionis contendere voluerit. Exempla hujusmodi lectionum suppeditat collectio canticorum Scripturæ sacræ, quæ ad finem Psalterii Hieronymiani, ex nova ac veteri editione Latina proposuit doctus vir Carus, qui Romæ ante paucos annas multa antiquitatis sacræ monumenta studiosissime conquisivit, et typis mandari curavit. Consuetudini igitur veterum interpretum ita se attemperabat Hieronymus, ut tamen fontem veritatis non omitteret, rivulos consectatus: Hoc est, ubi nullum erat sensus aut intelligentiæ damnum, facile antiquam sequebatur Latinam translationem, ne novitate verborum perpetua lectoris studium deterreret.

Porro indecoras vitabat semper Scripturarum interpretationes, nec cum Augustino bene ipsi convenit in hac parte sanctus quippe Augustinus solœcismos ac barbarismos, cæteraque locutionis Latinæ vitia contemni voluit, quæ sano intellectui nihil detrahunt : et ideo lib. III de Doctrina Christiana mallet cum barbarismo legi (*Psal.* CXXXVIII, 15): *Non est absconditum a te ossum meum,* quam *os meum,* quod est minus apertum, quia magis, Latinum. Contra sanctus Hieronymus apertissima hæc locutionibus vitia monet esse vitanda, ubi unus est Scripturæ sensus. *Et nos,* inquit epist. 135, *hoc sequimur, ut ubi nulla est de sensu mutatio, Latini sermonis elegantiam conservemus.* Iterum paulo post : *Eadem igitur interpretandi sequenda est regula, quam sæpe diximus : ut ubi non sit damnum in sensu, linguæ in quam transferimus,* εὐφωνία *et proprietas conservetur.* Quæ sit autem interpretandi regula, quam sequendam hic docet, abunde demonstravit initio ejusdem epistolæ dicens : *Et sciendum, quod si voluerimus dicere, Domine, quis incolet tabernaculum tuum* (*Psal.* XIV, 1)... *perdet* εὐφωνίαν : *et dum interpretationis* κακοζηλίαν *sequimur, omnem decorem translationis amittimus. Et hanc esse regulam boni interpretis, ut* ἰδιώματα *linguæ alterius, suæ linguæ exprimat proprietate. Quod et Tullium in Protagora Platonis, et in* Οἰκονομικῷ *Xenophontis, et in Demosthenis contra Æschinem oratione fecisse convincimus, et Plautum, Terentium, Cæciliumque eruditissimos viros, in Græcis comœdiis transferendis. Nec ideo quis Latinam linguam angustissimam putet, quod non possit verbum de verbo transferre, cum etiam Græci pleraque nostra circuitu transferant, et verba Hebraica non iuterpretationis fide, sed linguæ suæ proprietatibus nitantur exprimere.* Denique eadem semper adnectens epist. 101, ad Pammachium, translationes verbis nimis obstrictas, putidas vocat et κακοζήλους. *Horatius,* inquit, *vir acutus et doctus hoc idem in arte poetica erudito interpreti præcepit : Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres. Terentius Menandrum, Plautus et Cœcilius veteres comicos interpretati sunt. Nunquid hærent in verbis, ac nondecorem magis et elegantiam in translatione conservant ? Quam vos veritatem interpretationis, hanc eruditi* κακοζηλίαν *nuncupant.* Laudat ibidem sanctum Hilarium, qui homilias in Job, et in Psalmos tractatus plurimos in Latinum vertit e Græco : quia non assedit litteræ dormitanti, nec putida rusticorum interpretatione se torsit; sed quasi captivos sensus in suam linguam victoris jure transposuerit. Aquilam vero projicit, proselytum et contentiosum interpretem, qui non solum verba, sed etymologias quoque verborum transferre conatus est. Cujus interpretationis vitia ac κακοζηλίαν ostendit aliquot exemplis, non sustinens importunam illam

diligentiam, qua non appendere se verba, sed ea numerare lectori oportere putavit Judæus interpres. Nec propterea quis adducatur, ut credat Hieronymum omnem circa verba diligentiam interpretum, ac sollicitudinem aspernari, neque illis quidquam credidisse inesse momenti ad nativos auctorum sensus exprimendos. Eos igitur potissimum castigat S. doctor, quos nimio verborum studio sciebat sententias ipsas pervertere. *non debemus*, inquit ad Sunn. et Fret., *sic verbum de verbo exprimere, ut dum syllabas sequimur, perdamus intelligentiam.* Tum epist. 101 jam laudata, ad Pammachium : *Alii syllabas aucupentur et litteras, tu quære sententias.* Servile hoc vertendi genus insectatur tantum sanctus Hieronymus, nec eos culpare voluit qui verbum edunt de verbo ; sed qui violenter interpretantur, sensum relinquentes auctoris. Hoc vero interpretationis vitium plane cum Hieronymo respuunt viri litterati omnes, ac summi pontifices in suis epistolis. Præclare enim Gregorius Magnus hæc habet lib. VIII, epist. 42 : *Indicamus præterea, quia gravem hic difficultatem interpretum patimur. Dum enim non sunt, qui sensum de sensu exprimunt, sed transferre proprietatem semper volunt, omnem sensum dictorum confundunt. Unde agitur ut ea quæ translata fuerint, nisi cum gravi labore intelligere nullo modo valeamus.* Idem et Nicolaus papa in epistola ad Michaelem imperatorem : *Si Latinam linguam*, inquit, *ideo barbaram nuncupatis, quoniam a translatoribus in Græcam dictionem mutata barbarismos generat, non linguæ Latinæ, sed culpa est, ut opinor, interpretum qui, quando necesse est, non sensum e sensu, sed violenter verbum edere conantur e verbo.* Ad sensus vero divinæ Scripturæ exprimendos adeo attentus fuit ac religiosus Hieronymus, ut ab eis legibus quas commemoravi, se ipse sæpissime absolverit. Unde monuit nos lib. XII Commentariorum in cap. XL Ezechialis, se non omnia vitia sermonis vitasse, quamvis ea probe novisset : *Illud autem semel monuisse sufficiat*, ait, *nosse me cubitum et cubita neutrali appellari genere : sed pro simplicitate, et facilitate intelligentiæ, vulgique consuetudine, ponere et genere masculino. Non enim curæ nobis est vitare sermonem vitia, sed Scripturæ sanctæ obscuritatem quibuscunque verbis disserere.* Verborum etiam compositionem ac flores sermonis vocat siliquas epist. 146, ad Damasum papam : *Non ambigo, quin inculta tibi nostræ parvitatis videatur oratio : sed sæpe causatus sum, expoliri non posse sermonem, nisi quem propria manus limaverit. Itaque ignosce dolentibus oculis, id est, ignosce dictanti, maxime cum in ecclesiasticis rebus non quærantur verba, sed sensus, id est, panibus sit vita sustentanda, non siliquis.* Paulinum laudem cum hortaretur epistola 103, ut sese in studium divinarum litterarum insinuaret, noluit virum eloquentem offendi simplicitate sermonis Scripturarum : *Nolo*, inquit, *offendaris in Scripturis sanctis simplicitate et quasi vilitate verborum : quæ vel vitio interpretum, vel de industria sic prolata sunt, ut rusticam concionem facilius instruerent : et in una eademque sententia aliter doctus, aliter audiret indoctus.* Ex his, in fallor, planum fit, Hieronymum elegantiam et venustatem Latini sermis in suis translationibus conservasse, ubi nulla erat de sensu mutatio : nec omnibus tamen interdixisse sermonum vitiis, cum propter intelligentiæ facilitatem et vulgi consuetudinem incultum quid retinendum fuit. Fastidiosam igitur ineptorum interpretum severitatem et ad verba vitiosam adhæsionem exagitat, plurimis locis κακοζηλίαν vocans : simplicem vero sæpius stylum imitatus est, quia in Scripturis sacris simplicium corda doceri voluit, non aures curiosorum demulceri. At de his hactenus.

PROLEGOMENON II.

De tempore translationum Hieronymi, et earum usu in Ecclesia.

Diverso tempore, nec servato sacrorum librorum ordine suas versiones edidit Hieronymus. II. *Apud Græcos ac Latinos statim lectitari cæperunt.* III. *Hieronymi translationibus utebantur coætanei scriptores.* IV. *Tempore Gregorii Magni Ecclesia Romana, nova ex Hebræo, et antiqua ex Græco editione usa est.* V. *Galliarum præsertim Ecclesiæ Hieronymiænas versiones cæteris anteponebant.* VI. *Ecclesia catholica versionem Latinam Hieronymi publico decreto authenticam declaravit, et eam in suos usus adhibendam decrevit.*

I. Nemo studiosorum est, qui nesciat translationes librorum sacrorum Latinas diverso tempore, et quasi tumultuario ordine conditas fuisse ab Hieronymo. Non enim temere,

aut sua sponte interpretabatur volumina Scripturarum; sed ut erat ab amicis rogatus, vel a sanctis episcopis jussus. Fuere autem qui sanctum doctorem impellerent ad suscipiendam prophetarum translationem, antequam Pentateuchi libros Latinitate donasset: erant et qui Samuelis ac Malachim, id est, quatuor Regnorum volumina Latine reddenda procurarent, ante alias Scripturæ sacræ quascunque interpretationes. Hinc contigit, ut nulla sacri canonis servata serie, omnia in Romanum sonum promiscue converterit Hieronymus.

Quod igitur spectat ejus juxta Septuaginta Interpretes translationem, sciendum est, Psalterium ante cætera ab eo fuisse emendatum, cum Romæ positus erat tempore Damasi papæ, longeque post in Bethleemitico secessu monitus a Paula et Eustochio, antiquum errorem plus valere, quam novam emendationem, secundis curis ex eodem Psalterio renascentes velut spinas eradicare instituit. In qua etiam posteriori emendatione obelos addidit, et asteriscos, quibus lectoris admoneretur intentio, aliquando plus, interdum minus esse apud Septuaginta, quam in textu Hebraico. Porro castigationem Psalmorum priorem elaboratam credimus circa annum Christi trecentesimum octogesimum secundum, vel octogesimum tertium. Tunc namque celebris Romæ apud omnes habebatur scientia divinarum Scripturarum, et familiares cum sancto pontifice Damaso conferens sermones, facile ab eo rogari potuit, ut Psalterium mendis expurgaret. Quod quidem licet, cursim, magna tamen ex parte correxit. Bethleem postea ætatem degens aliquo annorum intervallo post obitum sancti Damasi, secundam eamque diligentiorem in se suscepit curam castigandi Psalterii. Id vero fieri non potuit nisi post annum Christi trecentesimum octogesimum quartum : quod breviter demonstrare conabimur ex Epistola 99, ad Asellam scripta in portu Romano. Pene triennium cum Romanis vixit sanctus Doctor, divinos libros, ut poterat, nonnullis sæpe disserens : ab iis vero discessit Jerosolymam regressurus post mortem S. Damasi papæ, quæ cum mense Octobri anni trecentesimi octogesimi quarti evenerit, Hieronymus autem Roma profectus sit mense Augusto, ut ipse testatur lib. III Apologiæ adversus Rufinum; necesse est Psalteri posteriorem emendationem non solum post annum 384 et obitum sancti Damasi fuisse susceptam, sed aliquot etiam decursis annis ex illo tempore, quo navem in Romano portu securus ascendit cum sancto Vincentio presbytero, et adolescente fratre, et aliis monachis, qui Jerosolymæ postea commorati dicuntur. Nam initio præfationis suæ in hanc posteriorem Psalmorum ex LXX castigationem, recordatus prioris emendationis dicit se eam dudum absolvisse : *Psalterium*, inquit, *dudum Romæ positus emendarum*, etc. *Dudum* autem, ut de parvo, sic etiam de longinquo tempore dicitur. Quod si de tempore longinquo intelligamus, facile post annos sex vel octo illam perfectam esse existimabit, quisquis ad tempus primæ emendationis recurrens, gradum stiterit in anno Christi trecentesimo octogesimo tertio, in quo verisimile est Psalterium ab Hieronymo fuisse primum Romæ emendatum. Pro prima itaque Psalmorum Latinorum castigatione, quæ cursim a S. Doctore facta dicitur, annus Christi 383, vel 384, assignandus venit : pro altera vero, quæ habuit asteriscos ※ et obelos ⊣, annus assignari potest 389, aut 390. Certe posterior hæc emendatio serius protrahi non valet quam in annum Christi trecentesimum nonagesimum : quia Psalterii Hebraici translatio Latina ab Hieronymo absoluta est anno 390 vel 391 ; ea autem versio seu emendatio, quæ e codicibus Græcis derivata erat, semper præcessit tempore aliam, quam vocamus Hebraicam, eo quod ex Hebraica veritate nata sit. Lectorem proinde monitum velim, notas chronologicas quas apposuimus in fronte utriusque emendationis Psalterii, tum Romani, tum Gallicani, nihil aliud innuere præter tempus indefinitum. Etenim cum diximus Psalterium Romanum fuisse ab Hieronymo emendatum circa annum Christi 382, ita accipiendum est, ut ante talem annum hujusmodi emendatio non fuerit instituta ; quandoquidem Hieronymus venit Romam cum sanctis episcopis Paulino et Epiphanio sub finem ejusdem anni 382. De posteriori emendatione similiter statuendum ; neque vero potuit adornari nisi post annum Christi 384, id est, post obitum sancti Damasi papæ, cum Jerosolymam regressus esset sanctus vir Hieronymus, et concito gradu suam Bethleem remeasset. Ocius autem an tardius absoluta sit post reditum S. Hieronymi, judicium ferant illi, quibus forsan non placuerint conjecturæ nostræ supra positæ. Cæterum de hoc Psalterio a se emendato hæc habet Hierony-

mus in fine lib. II Apologiæ adversus Rufinum : *Psalterium quoque, quod certe emendatissimum juxta Septuaginta Interpretes nostro labore dudum Roma suscepit, rursum juxta Hebraicum vertens, præfatione munivi*, etc. Plura adhuc videsis in admonitione nostra ad utrumque Psalterium Hieronymi. Romanum et Gallicanum hodie nuncupatum.

Dedit etiam S. Hieronymus Latino sermoni alios Scripturæ sacræ libros juxta Septuaginta interpretationem, quos obelis et asteriscis distinxit. An vero singula volumina Instrumenti veteris hoc modo converterit in Latinum, seu potius emendaverit ex Origenis Hexaplis, nonnihil ambiguum videtur. Pro eo maxime faciunt quæ leguntur multis in locis ejus scriptionum, ubi generatim de omnibus libris versionis LXX id affirmare visus est egregius ipse Doctor : nam lib. II Apologiæ adversus Rufinum vindicat se ab ejusdem reprehensione et objectis, dicens : *Egone contra Septuaginta Interpretes aliquid sum locutus, quos ante annos plurimos, diligentissime emendatos, meæ linguæ studiosis dedi, quos quotidie in conventu fratrum edissero, quorum Psalmos jugi meditatione decanto ?* etc. Idem legimus præfatione in Paralipomenon libros. In epistola 28, ad Lucinium, ita quoque scribit de Septuaginta Interpretibus Latine redditis : *Septuaginta Interpretum editionem et te habere non dubito, et ante annos plurimos diligentissime emendatam studiosis tradidi.* Emendatam tantum hic dicit editionem se tradidisse Latinis : at in epistola 135, ad Sunniam et Fretelam versionem appellat : Κοινὴ *autem ista, hoc est communis editio*, inquit, *ipsa est quæ et Septuaginta. Sed hoc interest inter utramque, quod* κοινὴ *pro locis et temporibus, et pro voluntate scriptorum, vetus corrupta editio est. Ea autem quæ habetur in* Ἑξαπλοῖς, *et quam nos vertimus, ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta et immaculata Septuaginta Interpretum translatio reservatur.* Sed rursus lib. III Apologiæ adversus Rufinum nomine emendationis auditur : *Mihi non licebit, post Septuaginta editionem, quam diligentissime emendatam ante annos plurimos meæ linguæ hominibus dedi*, etc. Hæc sunt præter alia quibus probari potest ex ipso Hieronymo, cuncta editionis Græcæ volumina ab eodem fuisse Latine conversa seu emendata juxta Hexaplorum veritatem. Contra vero militant plurima eaque validissima argumenta. Primum petitur ex silentio sancti Hieronymi qui, cæteris omnibus prætermissis, sex tantum librorum juxta Septuaginta emendatissimorum (jam enim reliquos libros amiserat fraude cujusdam) meminit adversus Rufinum, et aliquot locis præfationum in suam editionem ex Hebræo. Sex volumina speciatim ab eo recensita ista sunt, liber *Job*, liber *Psalmorum*, libri tres Salomonis, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Cantica canticorum*, et liber *Paralipomenon*. His exceptis, nullum alium Scripturæ sacræ librum, ut sciam, dicit in præfationibus se eum Latine tradidisse emendatum juxta LXX cum obelis et asteriscis. Deinde idem manifesto probari videtur ex quatuor solum præfatiunculis quæ nobis supersunt in supradictos libros. Nam congeries cunctarum præfationum B. Hieronymi, quam habemus separatim in nonnullis antiquissimis, monumentis, ac in corpore Bibliorum tum editorum, tum manuscriptorum, quatuor solumodo retinet prologos duplices in volumina sacra, nempe in libros Jobi, Davidis, Salomonis et in Paralipomena. Reliqui, ipso advivente Hieronymo, perierant, aut certe eum latebant. Quare autem a librariis omitterentur reliquæ Hieronymi præfationes, si quæ fuissent editæ cum hujusmodi libris versis vel emendatis juxta LXX Interpretes, nulla potest alia assignari ratio, quam quæ movet ut credamus quatuor tantum in schedulis sancti Doctoris fuisse repertas. Unus præ cunctis Cassiodorus omnes memorat. Tertio scriptores veteres, quos usque in hanc diem legi, non recordantur aliorum librorum juxta LXX editorum ab Hieronymo : imo sanctus Augustinus diligentiam ejus admiratus in editione libri Job secundum eosdem LXX (ignorabat Augustinus Hieronymum hoc jam fuisse labore perfunctum), adhortatur illum ut Græcas canonicas Scripturas, quæ Septuaginta Interpretum auctoritate perhibentur, interpretetur Ecclesiæ Latinæ : *Per hoc*, inquit, *plurimum profueris, si eam Græcam Scripturam, quam Septuaginta operati sunt, Latinæ veritati reddideris, quæ in diversis codicibus ita varia est, ut tolerari vix possit, et ita suspecta ne in Græco aliud inveniatur, ut inde aliquid proferri aut probari dubitetur.* Ea vero scribebat Augustinus epistola 71, cum jam laberetur annus a Christi nativitate 403. Ex quo intelligimus haud improbabili conjectura, quosdam tantummodo libros Scripturæ Græcæ, seu Septuaginta

Interpretum, Latine fuisse conversos ac Græcæ fidei redditos ab Hieronymo. Verum inspectis diligentius Augustini ac Hieronymi ultro citroque datis epistolis, exploratum nobis est, Hieronymum universa Scripturarum Veteris Instrumenti volumina, emendata juxta Hexaplorum fidem, Latinis tradidisse : etsi paucissima, nebulonis cujuspiam fraude aliisve temporum injuriis, ad posteros pervenerint. Monebat anno Christi 404 Augustinum Hieronymus, vetera editionis LXX Interpretum exemplaria emendata, de Græco in Latinum transtulisse linguæ suæ hominibus. Quare hanc Hieronymi translationem seu emendationem editionis Septuaginta, ad se transmittendam postulat Augustinus anno sequenti : *Deinde nobis*, inquit epist. 82, *mittas, obsecro, interpretationem tuam de Septuaginta, quam te edidisse nesciebam*, etc. ; ad quod respondet Hieronymus epist. 94, apud Aug. 172 : *Grandem Latini sermonis in ista provincia notariorum patimur penuriam : et idcirco præceptis tuis parere non possumus, maxime in editione Septuaginta, quæ asteriscis verubusque distincta est. Pleraque enim prioris laboris, fraude cujusdam, amisimus.* Hæc perpaucis annis ante obitum suum scribebat S. Hieronymus, anno scilicet 416 ineunte. Unde proclive est credere, ab eo minime restituta fuisse volumina illa, quæ de Septuaginta editione fraus ipsi suppilarat. Ita res si se habuerit, nihil mirum est quod e tot voluminibus de Græco in Latinum eloquium conversis, sex tantum nobis supersint. Cæterum librorum hujusmodi editionem cum asteriscis et obelis, intra quinquennium perfectam esse oportet, ab anno Christi scilicet 385 exeunte ad annum 390 vel 391 ineuntem, quia anno Domini 391 posterior translatio Jobi et Salomonis absoluta fuit ab eodem Hieronymo, ut infra dicetur.

Præpostero similiter ordine atque confuso, ut antea monuimus, Canonem Hebraicæ veritatis Latine interpretari cæpit, et, Christo adjuvante, complevit. Non enim a primo usque ad novissimum juxta ordinem quo ibidem leguntur ; sed ut potuit et ut rogatus fuit, ita libros Hebræorum in Latinum sermonem transtulit. Samuelis et Malachim volumina primo φιλοπονωτάταις Paulæ ejusque filiæ Eustochio προσεφώνησε. Secundo prophetas omnes majores atque minores sedecim eisdem delegavit. Tertio circa idem tempus Sophronio roganti Psalterium de Hebræo transgulatum, Græce convertendum tradidit. Quarto petentibus Chromatio et Heliodoro episcopis, libros Salomonis ex Hebraica veritate convertit in linguam Latinam. Quinto recurrens ad principium Canonis, librum Geneseos, et reliquos Pentateuchi interpretatus est, obsecrante Desiderio suo. Libros denique Josue, Judicum, Ruth, ac Esther Eustochio virgini negare non potuit : uti nec Paralipomena Chromatio. Sed ut tempus suum singulis voluminibus, quantum scire nobis licet, præfinitum sit, hisce notis ac characteribus chronologicis illud designare curavimus.

Ante alios igitur libros Canonis Hebræi, Latine primum edidit volumina Samuelis et Malachim, quæ hodie quatuor Regum libros vocamus. Quod statim persuasum erit lectori studioso, ut præfationem huic editioni præfixam perlegere voluerit. Nam prologus iste in libros Regum dicitur *Principium galeatum*, quod possit omnibus libris, quos de Hebræo Hieronymus vertebat in Latinum, convenire : *Hic prologus Scripturarum*, inquit, *quasi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest.* Galeatum dicit principium, quod caput suarum versionum defenderet adversus æmulos suos : sive quod priori translationi suæ ex Hebræo præfixa sit, et quasi generalis prologus in Scripturas a se versas præmittatur. Idipsum manifeste declarant ejusdem prologi verba isthæc : *Lege ergo primum Samuel et Malachim meum, inquam, meum. Quidquid enim crebrius vertendo et emendando sollicitius et didicimus, et tenemus, nostrum est.* Primum legi voluit volumina Regum, quia hac ante cætera converterat de Hebræo in Latinum sermonem : aliter utique dicturus, si quæ aliæ veteris Instrumenti interpretationes præcessissent. Exemplaria hujus prioris translationis Romæ inveniebantur apud Domnionem ante annum Christi 393, quo scripta perhibetur epistola 52, ad Pammachium ; ubi conceptis verbis id affirmavit Hieronymus : *Miseram*, inquit, *quædam* τῶν ὑπομνημάτων *in prophetas duodecim sancto Patri Domnioni, Samuel quoque et Malachim, id est, quatuor Regnorum libros*, etc. Et ne longius evagari contingat, quid de Jobo, quid de sedecim prophetis ibidem dictum legamus, breviter afferre non abs re sit. De Jobo quidem ita habet eadem epistola ad Pammachium : *Transtuli nuper Job in linguam nostram ; cujus exemplar a sancta Marcella, consobrina tua, poteris mutuari. Lege*

eumdem Græcum et Latinum, et veterem editionem nostræ translationi compara; et liquido pervidebis, quantum distet inter veritatem et mendacium. De prophetarum voluminibus prius meminerat his verbis: *Libros sedecim prophetarum, quos in Latinum de Hebræo sermone verti, si legeris, et delectari te hoc opere comperero, provocabis nos etiam cætera clausa armario non tenere.* Armario clausa tunc temporis tenebat præter jam dictas versiones, Psalmorum translationem Sophronio nuncupatam, et libros Salomonis, quos diximus dedicasse Chromatio et Heliodoro. Cætera volumina veteris Testamenti nondum erant de Hebræo Latine conversa: quamvis ipse scribat anno Christi 392, quando contexuit catalogum de Scriptoribus Ecclesiasticis, se instrumentum vetus juxta Hebraicum transtulisse. Quæ si non nemo de singulis libris intelligenda putavit, multum a vero eum discedere necesse est: quia ex epistola ad Lucinium, et ex præfatione in librum Josue exploratum habemus, Pentateuchi translationem, atque trium aliorum voluminum, quorum in eodem prologo meminit, non fuisse absolutam ante exitum S. Paulæ matris, id est, annum Christi 404. Liber item Ezræ editus dicitur in præfatione aliquanto tempore post exemplaria prophetarum, moram enim attulit huic translationi Hieronymus, quam per tres annos continuos petierunt scribendo et rescribendo, insignes illi Domnion et Rogatianus. Libros itaque Samuelis et Malachim immediate subsequitur versio Jobi: Jobum autem excipit sedecim prophetarum translatio. Deinde Psalterium ac libri Salomonis. Universa hæc volumina Scripturarum de Hebræo in Latinum transtulerat Hieronymus anno Christi 392, quo edidit librum de Viris Illustribus. Eodemque tempore Sophronius ejus familiaris de Latino in Græcum eloquium nonnulla ex his converterat. *Sophronius, vir apprime eruditus,* inquit S. Doctor in catologo Scriptorum Ecclesiasticorum, *Opuscula mea in Græcum eleganti sermone translutit: Psalterium quoque et prophetas, quos de Hebræo in Latinum vertimus.* Ea sunt quæ usque in jam dictum annum Theodosii principis decimum quartum et Christi 392, de Hebræo in Latinum sermonem, et de Latino in Græcum translata erant ab Hieronymo ac Sophronio. Ab anno autem 392 ad annum Christi 394 editus videtur liber Ezræ, ac liber Genesis: nam Ezram brevi temporis intervallo post edita prophetarum volumina, Latinitate donavit, ut testis est præfatio ad Domnionem et Rogatianum: librum autem Geneseos dedisse Desiderio post decimum quartum annum Theodosii principis, plane liquet ex epist. 154, modo consentiamus eumdem esse Desiderium, cui propter nominis vaticinium gratulatur tam in hac epistola quam in præfatione ad Genes. Præterea de Hebræo Genesim vertit priusquam librum edidisset de Optimo genere interpretandi, in quo multa collegit de veteri Testamento, quæ in LXX non leguntur. Plura tandem de Opusculis Hieronymi repetita, aut certe similia dicta reperiuntur epistola 154 et 52, quam diximus scriptam ad Pammachium anno Christi 293. Quatuor reliquos Pentateuchi libros variis distractus occupationibus absolvere non potuit ante annum Christi 404 vel 405. Quod ipse nos docuit præfatione in Josue, dicens: *Tandem finito Pentateucho Moysi, velut grandi fenore liberati, ad Jesum filium Nave manum mittimus.* Et infra: *Cæterum post sanctæ Paulæ dormitionem, cujus vita virtutis exemplum est, et hos libros, quos Eustochio virgini negare non potui, decrevimus,* etc. Id ergo post obitum sanctæ Paulæ scribebat Hieronymus: unde apparet translationem totius Pentateuchi non fuisse perfectam nisi post annum Christi 404, quia sancta hæc vidua vita excessit VII Kal. Febr., Honorio Augusto sexies et Aristæneto consulibus, id est, 26 januarii anni 404. Tanto autem mœrore luctus exagitatus est et confectus Hieronymus, ut absque translatione libri Paschalis a Theophilo editi, nihil aliud divini operis per longum temporis spatium scribere potuerit. Ex quo non obscure significatur, Octateuchi translationem, cujus meminit in epistola 28, ad Lucinium, absolutam fuisse anno Christi 404 exeunte, vel anno 405 currente. Postremo librum Paralipomenon edidit juxta Hebræum anno Christi 396: maturius enim huic translationi tempus assignari non potest, quia in præfatione perfecta illa versio dicitur post epistolam 10, de optimo genere interpretandi: *Scripsi nuper,* inquit Hieronymus, *librum de optimo genere interpretandi, ostendens illa de Evangelio* (*Matth.* II, 15, *Ex Ægypto vocavi filium meum,* etc. Liber autem ad Pammachium de optimo interpretationis genere editus ibidem asseritur annis circiter viginti postquam Eusebii Cæsariensis χρονικόν in Latinum verterat. Quibus rite perpensis, existimavimus

cum doctioribus viris epistolam 101 scriptam esse anno 396, ac brevi temporis intervallo, quod adverbio *nuper* satis exprimitur, Paralipomenon librum de Hebræo conversum. Diutius in his adnotationibus chronologicis lectorem trahere poteramus, nisi persuasum nobis esset multa hujusmodi temporum momenta præfiniri vix ac ne vix quidem potuisse; aut etiamsi invenerimus magno studio et labore, parum profutura cognovimus. Quæ habentur ergo a nobis perstricta breviter, curioso lectori sint satis.

II. Apud Græcos et Latinos editionem Scripturarum Hieronymianam statim lectitari cœpisse secundo loco affirmavimus. Nec immerito, cum utraque ejusdem S. Doctoris interpretatio, et quæ prior edita est e Græcis LXX exemplaribus, ac posterior ad fontem Hebræum elaborata, omnium Latinarum versionum absolutissima haberetur. De ea quæ derivata erat e Septuaginta Interpretibus scribens ad Hieronymum Augustinus epist. 82 dicit se illam desiderare, ut cæteras abjiciat Latinas interpretationes, et multorum aliorum translatorum careat imperitia : *Ideo autem*, inquit, *desidero interpretationem tuam de Septuaginta, ut et tanta Latinorum Interpretum, qui qualescunque ausi sunt, quantum possumus, imperitia careamus.* Sophronius apud Græcos, vir et ipse apprime eruditus, Græcas similiter fastidiens interpretationes, novam abs Hieronymo Latinam editionem studiosissime postulavit. Hujus ita meminit Hieronymus præfatione in Psalterium Hebraicum, id est, de Hebræo Latine redditum : *Studiosissime postulasti, ut post Aquilam, et Symmachum, et Theodotionem, novam editionem Latino sermone transferrem. Aiebas enim te magis interpretum varietate turbari, et amore quo laberis, vel translatione, vel judicio meo esse contentum,* Græcas igitur Latinasque multorum interpretum translationes cum respuerint viri doctiores tum apud Græcos, tum apud Latinos, ac earum varietate atque imperitia non minime turbarentur : consequens erat, ut Hieronymianas versiones appeterent, quas similibus vitiis carere omnes noverant. Ideo gratulatur sibi Hieronymus lib. II Apologiæ adversus Rufinum, quod Romana Ecclesia suscepit *Psalterium suum emendatissimum juxta Septuaginta Interpretes :* et præfatione in librum Paralipomenon, quem nominatissimi Domnionis et Rogatiani precibus impulsus Latine reddidit, non ambigit suam interpretationem benevolis placituram ac, lectione assidua Romæ terendam apud eos maxime, qui nunc temporis Christiani senatus fuere lumina. In Ecclesia Africana quam familiaris fuerit Hieronymi versio Latina juxta LXX Interpretes, satis exploratum habemus ex libro Adnotationum S. Augustini in Job. Nam in eo volumine nullum de veteribus interpretum sequitur Augustinus, sed totum habet ex translatione quam Hieronymus edidit, additis obelis et asteriscis. Vix autem mihi unquam persuasum erit ab eruditissimo scriptore libri *de Claris interpretibus*, priorem Hieronymi editionem, e Septuaginta Senum interpretatione derivatam, e Latino Græce iterum versam, a Græcis studiose susceptam esse. Quid enim necesse fuerat ea quæ in Hexaplis habebantur, e Latino Hieronymo in Græcum iterum convertere, et actum agere in editione Scripturarum ? Quod igitur de suspecta sua editione apud Græcos meminit Hieronymus libro secundo adversus Rufinum, id sine dubio de translatione posteriori, quæ Hebraica dicta est, intelligendum est: *Unde putabam,* inquit, *bene mereri de Latinis meis, et nostrorum ad discendum animos concitare : quod etiam Græci versum de Latino post tantos interpretes non fastidiunt : inde in culpam vocor, et nauseanti stomacho cibos ingero.* Sophronius Hieronymi necessarius, ut pervulgatum est, Psalterium ab eo de Hebraica veritate translatum, et omnes sedecim prophetas Græce reposuerat : quam editionem Græci studiose susceperunt, non dedignati aliquid mutuari a Latinis hominibus. Hoc est quod docere nos voluit Hieronymus, non solum jam laudato Apologiæ adversus Rufinum testimonio ; sed præfatione etiam in Ezram, ubi studium ac benevolentiam Græcorum commendans, Latinorum sibi obtrectantium injuriam, et ingrati in eis animi crimen hoc modo conqueritur : *Porro aliud est, si clausis quod dicitur oculis mihi volunt maledicere, et non imitantur Græcorum studium ac benevolentiam, qui post Septuaginta Translatores, jam Christi Evangelio coruscante, Judæos et Hebionitas, legis veteris interpretes, Aquilam videlicet, et Symmachum, et Theodotionem, et curiose legunt, et per Origenis laborem in* Ἑξαπλοῖς, *Ecclesiis dedicarunt. Quanto magis Latini grati esse deberent, quod exsultantem cernerent Græ-*

ciam a se aliquid mutuari ! Non aliter Græcia exsultans a Latinis mutuata est, quod studiosi post tantos interpretes non fastidirent, nisi suscipiens translationem Hieronymianam de Hebræo in Latinum editam, quam Sophronius Græcam fecit juxta promissum, quo apud Hieronymum tenebatur, uti fidem facit ejusdem præfatio in Psalmorum librum. Majori adhuc studio susceptæ sunt apud Latinos et usurpatæ Hieronymi translationes ex Hebraicis prognatæ : nam omnium Ecclesiarum usu quotidiano celebratas fuisse, testis est tabescens invidia Rufini, qui propter odium auctoris non eas modo repudiabat ; sed in nova illa sancti doctoris editione flagitia et sacrilegia perpetrata esse voluit orator ipse criminosissimus : *Illa vero*, inquit lib. II Invectivæ suæ in Hieronymum, *quæ nunc tu interpretaris, et per ecclesias et monasteria, per oppida et castella transmittis, quomodo suscipiemus? tanquam divina, an tanquam humana ? Et quid facimus, quod quæ prophetarum vel legislatorum nominibus titulantur, veriora hæc abs te, quam illa quæ apostoli probaverunt, affirmantur ? Istud commissum dic quomodo emendabitur : imo nefas quomodo expiabitur ? Si enim in explicanda lege aliquid aliter sensisse damnabile apud te ducitur, ipsam legem pervertere in aliud quam apostoli tradiderunt, quoties damnabile judicandum est !* Ergo quoquoversum ferebantur Hieronymianæ translationes per ecclesias et monasteria, per oppida et castella transmissa. Earum exemplaria Romæ inveniebantur tum apud doctissimos viros, tum apud eos qui sanctitatis laude celebratissimi fuerunt in urbe. Pammachius, vir nobilissimus, cujus in sacris litteris studium Hieronymus sibi aliquando prætulit, libros *sedecim Prophetarum* apud se habebat : sancta Marcella exempla libri *Job* : sanctus Pater Domnion *Samuelem et Malachim* in Latinum de Hebræo sermone conversos manibus quotidie terebat, uti abunde testatum exstat in epistola 52 ad Pammachium scripta. Eumdem usum apud Latinorum episcopos, ac Italos præcipue, probare possunt quædam præfatiunculæ veteris Testamenti : ipsum epistolæ et opuscula nonnulla S. Augustini manifeste demonstrant. Narrat Augustinus epistola 71, apud Hieronymum 88, quomodo institutum esset ab Africanæ cujusdam Ecclesiæ episcopo, ut nova Hieronymi interpretatio prophetarum in Ecclesia legeretur, et hujusce-

A modi texit fabulam : *Quidam frater noster episcopus, cum lectitari instituisset in Ecclesia, cui præest, interpretationem tuam, movit quiddam longe aliter abs te positum apud Jonam prophetam, quam erat omnium sensibus memoriæque inveteratum, et tot ætatum successionibus decantatum*, etc. Ex hoc Augustini loco plane liquet, nonnullos in Africæ partibus episcopos privata lectione minime contentos, interpretationem novam Hieronymi in suis ecclesiis publice legendam instituisse, idque ante annum Christi 403, quo scripta dicitur Augustini epistola 71, jam laudata. Psalterium a sancto Hieronymo B translatum ex Hebræo se non habere scribit idem S. Doctor epist. 261, ad Audacem. Illud vero tanquam perfectam editionem Psalmorum Latinam uterque requirere videtur, si de eodem Psalterio ista intelligamus : *Ita illud quod perfectum est tecum nos quoque requirimus*. Plura ex Augustino inferius dicenda supersunt ; quapropter his commemorandis nunc supersedeo. Laudat præcipue Hieronymus in Lucinio Bætico fervorem et studium Scripturarum, quo describi sibi fecit opuscula quæcunque S. Doctor dictaverat ab adolescentia usque in annum Christi circiter 394 : Hispanias enim occupaverat præ- C clara Hieronymi ac ejus lucubrationum fama. unde vehementi desiderio incensus Lucinius, sex ad Hieronymum misit notarios, qui descripta hujus immortalis ingenii monumenta ad se perferrent. Huic rescribens Hieronymus suarum Scripturæ editionum meminit his verbis : *Canonem Hebraicæ veritatis, excepto Octateucho, quem nunc in manibus habeo, pueris tuis et notariis dedi describendum. Septuaginta Interpretum editionem et te habere non dubito, et ante annos plurimos diligentissime emendatam studiosis tradidi. Novum Testamentum Græcæ reddidi auctoritati. Ut enim veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita novorum Græci sermo-* D *nis normam desiderat.* Excepto itaque Octateucho, novam ex Hebræo interpretationem Hieronymi Hispaniarum Ecclesiæ susceperunt circa annum 395. Parque est ut credamus priorem ejus editionem diligentissime emendatam juxta fidem Hexaplorum, aliquot annis ante adventum notariorum Lucini in Palæstinam, fuisse pervulgatam apud Hispanos et usurpatam ab eorum studiosis. Id sat manifesto indicare videntur verba hæc. *Septuaginta Interpretum editionem et te habere*

non dubito, etc. Nam alioquin descriptam hanc editionem cum aliis opusculis ad Lucinium transmisisset Hieronymus.

III. Capituli præcedentis argumenta iterum comprobantur his quæ dicenda suscepimus in tota articuli istius continentia. Quisquis enim ex auctoribus coætaneis in suos usus Hieronymianas adhibuit translationes, testis haud dubio accedit locuples ad manifestationem prioris sententiæ, qua statuimus Hieronymi Latinas Scripturæ sacræ interpretationes lectione studiosorum brevi fuisse celebratas. Hesychius magni illius sancti Gregorii Nazianzeni (ut fertur) discipulus. Hierosolymorum presbyter, primus in censum veniat inter eos qui testimonia Scripturarum recitant juxta editionem Hieronymianam de fontibus Hebraicis derivatam. Ille igitur lib. I Comm. in Leviticum, postquam attulisset versiculum 30 capitis IV juxta Septuaginta Interpretes: *Et tollet et ponet sacerdos sanguinem peccati digito super cornua altaris holocaustomatis*, subdidit statim isthæc de Hebraica translatione: *Quod Hieronymus simili sensu edidit dicens: Tolletque sacerdos de sanguine digito suo tangens cornua altaris.* Iterum ad caput XIX, vers. 12, ejusdem Levitici translationis. Hieronymianæ ita recordatur: *Unde dicens, Non levabitis nomen in injusto, addidit: et non profanabitis nomen Domini Dei vestri. Quod Hieronymi translatio edidit: Non tollues nomen Dei tui.* Idem Hesychius librum duodecim minorum prophetarum versibus distinctum edidisse videtur ad exemplum S. Hieronymi, qui utilitati legentium consulens, novam suam ex Hebræo editionem per cola et commata descripsit, ut testatum exstat initio præfationis in Isaiam prophetam. De utilitate et commodis hujusmodi distinctionis versuum meminit etiam Hesychius in principio propriæ lucubrationis, quam ita inscriptam legimus tomo VIII Criticorum sacrorum: Ἡσυχίου πρεσβυτέρου Ἱεροσολύμων Στιχηρὸν τῶν ιβ' προφητῶν, hoc est, *Hesychii presbyteri Hierosolymitani duodecim prophetarum distinctio in modum versuum.* Multum autem a vero aberrant illi qui nomen Græcum στιχηρὸν sive στιχηδὸν pertrahunt ad distinctionem in capita et paragraphos: quia hæc longe diversa est ab ea quam sibi proposuit Hesychius, observatamque docet apud scriptores hagiographos, in Psalterio, Proverbiis, Ecclesiaste, Job, et in Cantico canticorum. Quæ quidem volumina metro et versibus fuere conscripta afflatu Spiritus sancti, non tamen in capita ac paragraphos distincta, uti concedunt omnes divinarum Scripturarum studiosissimi defensores ac diligentes indagatores. Hanc igitur versuum distinctionem in libro duodecim prophetarum retinere voluit Hesychius, quod antiquitus a viris sanctis usurpatam novisset; et doctis pariter et indoctis utilem fore ad intelligentiam oraculorum propheticorum cum Hieronymo speraret; Πολλὰ μὲν τῶν ἀσαφῶν ἡ τῶν στίχων σαφηνίζει διαίρεσις, id est, *Multa enim obscura et incerta elucidat hæc versuum distinctio.* Ita Hesychius Hierosolymitanus, qui distinctiones per membra divisas in editione Hieronymi, diligens et ipse scriptor conservavit in duodecim prophetis.

Ex Hesychiano illo usu nonnihil laudis accedit Hieronymianæ editioni Scripturarum: sed omnem commendationem excedit quod de ea, vel ex eadem translatione Hebraica scriptum reperitur in commentariis Augustini. Modo eam citat cum honorifica auctoris commemoratione; nunc utilitatem et facilitatem ejus prædicans, obscuriorem et intricatam LXX Interpretum editionem abjicit. ex illa denique Hieronymiana libros integros Christianæ pietati non parum profuturos contexit. Cum lib. IV de Doctrina Christ. cap. 7, num. 15 et seqq., respondet male doctis hominibus, qui nostros auctores sacros contemnendos putant, non quia non habent, sed quia non ostentant, quam nimis isti diligunt, eloquentiam; ex illius prophetæ libro potissimum, qui se pastorem vel armentarium fuisse dicit, aliorum prophetarum probat eloquentiam. Non autem, inquit, hoc faciam secundum Septuaginta Interpretes; sed sicut ex Hebræo in Latinum eloquium, *presbytero Hieronymo utriusque linguæ perito* interpretante, translata sunt verba Amos. Erat. Itaque recto Augustini judicio expeditior et commodior interpretatio Hieronymiana ad demonstrandam prophetarum sanctorum eloquentiam, quam alia vetus et Vulgata e LXX Interpretibus derivata. Miratus sum sæpius tantam inveniri concordiam inter præsentem nostram editionem prophetarum, et locum Amos ab Augustino citatum; nihil enim inest discriminis neque in sententiis, neque in distinctione commatum. Tria cola prophetæ Amos capite sexto, vers. 3, 4, hoc modo descripta leguntur:

Qui separati estis in diem malum,
Et appropinquatis solo iniquitatis:

Qui dormitis in lectis eburneis ;
Et lascivitis in stratis vestris :
Qui comeditis agnum de grege,
Et vitulos de medio armenti.

De eisdem vero verbis ita disserit S. Augustinus num. 18 ejusdem cap. 7 jam laudati de Doctrina Christ. : *Ista sex membro tres bimembres circuitus ediderunt. Non enim ait,* « Qui separati estis in diem malum, qui appropinquatis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, qui lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. » *Si ita diceretur, esset quidem et hoc pulchrum, ut ab uno pronomine repetito singula sex membra decurrerent, et pronuntiantis voce singula finirentur : sed pulchrius factum est, ut eidem pronomini essent in bina subnexa, quæ tres sententias explicarent : unam ad captivitatis pronuntiationem,* qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis : *alteram ad libidinem,* qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in lectis vestris : *ad verocitatem vero tertiam pertinentem,* qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti : *ut in potestate sit pronuntiantis, utrum singula finiat, et membra sint sex, an primum et tertium et quintum voce suspendat, et secundum primo, quartum tertio, sextum quinto connectendo, tres bimembres circuitus decentissime faciat,* etc. Quid manifestius dici poterat ad comprobandam distinctionem versuum in nostra editione usurpatam? Habes in iis quæ superius a nobis allata sunt, tria cola, sex commata prophetiæ Amos. Sex item Augustinus agnoscit membra, ac tres bimembres circuitus, qui totidem sententias explicant. Si quis ergo criticorum in hac Canonis Hebraicæ veritatis editione voluerit aliquid reprehendere, consulat Opuscula Hieronymi et Augustini, suam conscientiam recolat, videat ordinem textumque sermonis, et tunc nostro labori, si potuerit, detrahat.

Sunt et alia loca bene multa in quibus Hieronymi translatio Hebraica recensetur ab Augustino. Quindecim, ni fallor, occurrunt in libris Quæstionum in Heptateuchum : nec in illis ambiguum quid nisi raro proponitur, quod *aliqua veritate Hebraica* non solvatur, ut ipsius Augustini verbis utar, quæ leguntur quæstione 152 in Genesim. Longum esset ac fastidiosum lectori studioso, si ex ordine singula hæc replicarem : indicabo tamen breviter quæstiones 20 et 54 in Deuteronomium ; 7, 15, 19, 24, 25, in librum Josue ; 16, 37, 47, 56, in Judices, ubi sanctus Augustinus interpretationis ex Hebræo auxilia quærit, tanquam ejus quæ majorem præbeat lucem ad intelligentiam Scripturarum. Unum instar omnium sit nobis testimonium illud, quod ex Deuteronomii capite decimo quarto vers. 28 et 29 sumptum, proponit solvendum lib. v, qu. 20, in idem Deuteronomium. Recitato igitur LXX Interpretum contextu sacro, subjungit nonnulla de decimis quæ quæstionem hujus loci peperererunt ; sicque accedit ad ejusdem difficultatis solutionem : *Sed obscure positum est, quia non est distincta ista decima ab illa, quam voluit cum Levitis in eo loco manducari, quem Dominus elegisset templo suo. Sed in ea interpretatione, quæ est ex Hebræo, apertius hoc distinctum reperimus. Ait enim.* Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, et repones intra januas tuas, venietque Levites, qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, et peregrinus et pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent et saturabuntur, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris (*Deut.* XIV, 28, 29.) *Primo hoc ipsum planius est quod ait,* Anno tertio : *intelligitur enim uno anno intermisso : in Septuaginta autem, quoniam* Post tres annos *dixit, incertum est utrum eos medios esse voluerit ut quinto quoque anno fieret. Deinde cum ait,* et separabis aliam decimam, *satis ostendit extra esse illam, quam voluit eum ipsum qui offert, manducare cum suis et Levitis in eo loco, quem Dominus elegisset. Et hanc enim aliam decimam intra januas suas eum ponere præcepit, non ad eum locum deferre, ubi Dominus se voluit invocari,* etc. Ex unico illo loco manifestissime demonstratur, interpretationem Hieronymi probatissimam fuisse Augustino, qui eam citat tanquam planiorem, ac sensui Scripturarum assequendo maxime accommodatam : in Septuaginta autem multum obscuritatis agnoscit, et pleraque perplexa, quibus elucidandis succurrat interpres Hieronymus necesse sit. Breviter ista transcurrimus, ut ex *Speculo* S. Augustini ampliorem accersamus probationis nostræ splendorem, quia nihil ad causam Hieronymianæ versionis est potius.

Quid sit vero Speculum Augustini, Possi-

dius in ejus Vita cap. 28 aperte declaravit, dicens : *Quique prodesse omnibus volens, et volentibus multa librorum legere et non valentibus, ex utroque divino Testamento, vetere et novo, præmissa præfatione, præcepta divina seu vetita ad vitæ regulam pertinentia excerpsit, atque ex his unum codicem fecit; ut qui vellet legeret, atque in eo vel quam obediens Deo, inobediensve esset, agnosceret, et hoc opus voluit Speculum appellare.* Hujus Operis lectionem commendans postea Cassiodorus lib. de Institutione divinarum litterarum cap. 16, de eo ita scribebat : *Liber ejusdem* (Augustini) *quasi philosophiæ moralis, quem pro moribus instituendis atque corrigendis ex divina auctoritate collegit, Speculumque nominavit, magna intentione legendus est.* Talem librum philosophiæ moralis, quem omnibus Christianis prodesse voluit Augustinus, unde excerptum putas ? Ex Septuaginta, an ex Hebraica Hieronymi interpretatione ? Certe LXX Interpretum assertor quandoque fuit Augustinus etiam adversus Hieronymum, quem obtentu ecclesiasticæ futuræ perturbationis ab studio Hebraica interpretandi deterrere volebat. At Hieronymianiæ translationis splendore, fide, facilitate, ac utilitate tandem perculsus, potius ex ea maximo emolumento edocendas, quam magno scandalo plebes Christi perturbandas intellexit. Egregium propterea opus Speculi, quod memoria maxime tenendum erat, totum de nova Hieronymi interpretatione contextum Latinis Ecclesiis, suisque præsertim Africanis edidit : nihil deinceps sacerdotio metuens, etiamsi fidelibus ingereret multa ab Hieronymo longe aliter posita, quam erat omnium sensibus memoriæque inveteratum, et tot ætatum successionibus decantatum. Quis crederet Psalterio ex Hebraicis prognato locum in Augustini Speculo concedendum, et senis linguam ibi esse mutandam ? Nam veteri Psalmorum editioni atque adeo modulationi assuetæ Christianorum aures, universæque Latinorum Ecclesiæ, novitatem alterius sustinentes, linguam quodammodo mutasse videntur. Ita psalmo secundo vers. 23 et 24, in Vulgata editione vers. 12, pro *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et percatis de via justa;* legebant in Speculo Ecclesiæ Africanæ et Latinæ linguæ homines, *Adorate pure, ne forte irascatur, et pereatis de via.* Pari modo qui præcepta divina ex psalmo XIV, 4, memoriæ commendare volebant, lectionis LXX Interpretum, *qui jurat proximo suo, et non decipit*, tanquam veteris prorsus obliti, novam istam de fonte Hebraico derivatam, *Jurat ut se affligat, et non mutat*, animis imbiberunt. Utque omnes libros Testamenti veteris protocanonicos uno verbo comprehendam, repudiatis ex integro Septuaginta Interpretibus, Canonem Hebraicæ veritatis susceperunt Ecclesiæ Latinæ, una cum Speculo sancti Augustini Hipponensis episcopi. Nihil in hoc opere posuit sanctus antistes, quod e pura Hieronymi translatione Hebraica, hoc est, e Canone Hebraicæ veritatis non manarit : præter nonnulla scriptorum vitia, quæ modo e nostra Canonis editione emendari possunt in Speculo, uti et nos nonnulla in Canone emendavimus moniti ab Speculo sancti Augustini. Habes igitur, Christiane lector, permultas sententias sacræ Scripturæ recitatas ex Hieronymi translatione apud sanctum Augustinum : habes et opus integrum juxta eamdem interpretationem conditum, in quo major pars Canonis Hebraicæ veritatis conservata est. Aliam denique nec mediocrem capiet utilitatem, qui ex Canone Hebraicæ veritatis numerum versuum mendose adeo expressum in antiquis editionibus Speculi infinitis locis restituere voluerit. In nova similiter editione domini nostri Blampin dissonantes numeros in mss. codicibus designatos emendare, ac proprium valebit reponere numerum, eum nempe quem sanctus Augustinus definivit, versionem Hieronymianam per cola ac commata divisam imitatus. Exempla sumanus ex Psalmis, ubi primum notis suis monet nos domnus Blampin, quomodo ad fidem mss. codicum restituere curaverit numerum versuum mendose expressum in prioribus editionibus Speculi. Columna 694 hujus Operis, sic legimus scriptum : « In psalmo XXVI, vers. 1 : *Lux mea Dominus, et salutare meum, quem timebo ? Dominus fortitudo vitæ meæ, quem formidabo ?* Et post quatuor versus, *Si steterint adversum me castra (ibid. 3)*, etc. ; « In notis autem, littera *e*, optime hæc observata sunt : « In prius editis, *Et post tertius versus*. Reponimus ex mss., *Et post quatuor*. » Restituit igitur nova editio Speculi ordinem ac numerum versuum, prout legebantur apud veteres, sed nonnullæ scriptorum mendæ castigandæ veniunt in Speculo, ut sequens Canonis nostri contextus manifeste declarat.

Psalmo XXVII juxta Hebræos, hoc modo superiora verba a nobis edita leguntur:

Dominus lux mea, et salutare meum,
quem timebo?
Dominus fortitudo vitæ meæ, quem formidabo?
Cum appropinquarent mihi maligni,
ut comederent carnem meam:
Hostes mei et inimici mei,
ipsi impegerunt et ceciderunt.
Si steterint adversus me castra,
Non timebit cor meum.

Lectionem itaque, *quem formidabo?* sequuntur quatuor versus usque ad illud. *Si steterint*, etc. Hoc minime assecuti Lovanienses theologi putarunt designatam esse in Speculo S. Augustini distinctionem versiculorum, quæ in Vulgata Latina hodierno usu recepta est: unde *tertium* versum psalmi XXVI vel XXVII apud Hebræos, eodem ordine in exemplaribus Augustini scriptum esse arbitrati, posuerunt, *Et post, tertius versus: Si steterint*, etc., cum non tertius versus esset apud veteres Patres, sed potius *septimus* numeraretur, uti fidem faciunt Canonis Hebraicæ veritatis libri mss. Porro in nova editione Speculi duo priores versus ejusdem psalmi nullum debent habere punctum interrogandi, quia manifestissime apparet sensum hujus Scripturæ non esse interrogantis, sed affirmantis prophetæ, quod Dominus sua sit lux, et fortitudo vitæ ipsius, quem timere se dicit. Principium quoque psalmi perturbatum est in Speculo, ubi voces istæ, *Lux mea*, præcedunt vocem, *Dominus*. Nec solum in sententiis emendandum est Speculum e Canone Hebraicæ veritatis; sed in numeris etiam versuum ab Augustino designatis. Pessime quidem psal. XXXIII post versum decimum quintum legebatur in editis, *Et post, quartus versus*, quod ad fidem mss. codicum ita mutat nova editio: *Et post, septem versus*. At, ut verum fatear, superest adhuc lectio paululum depravata: *sex* enim, non *septem versus* sunt ab illo versu, *quære pacem, et persequere eam* (*Psal.* XXXIII, 15), ad istum usque, *juxta est Dominus contritis corde* (*ibid.* 19). Quamobrem in Speculo legi necesse est: *Et post, sex versus*. Nulla autem cum fuerit ambiguitas in distinctione versuum psalmi CXI, qui singulos suos versus juxta numerum Hebraicarum litterarum partitos retinere debet, miror quomodo in opere Speculi numerentur solummodo quinque versus ab istis verbis, *volet nimis* (*Psal.* CXI, 1) usque ad illa, *Bonus vir clemens et fenorans* (*ibid.* 5): sex namque versus decurrunt cum suis litteris alphabeti Hebraici, id est, *gimel, daleth, he, vav, zain, heith*, nec a quocunque scriptore pauciores numerari possunt. Hic igitur loci castiganda est nova nostra editio operum sancti Augustini, cujus Speculum qui exegerit ad Canonem editum Hebraicæ veritatis, sexcenta deprehendet, quæ adhuc emendatione indigeant. Nos vero ire pergamus ad ea quæ sunt præsentis instituti.

Post Augustinum, qui unus pro omnibus esse poterat ad probationem propositæ assertionis nostræ numero tertio, absque injuria non reticeremus de insigni auditore Hieronymi Philippo; hic namque coætaneus scriptor præcipuos suo præceptori honores addidit, cum suis in Jobum Commentariis versionem Hieronymianam ex Hebræo solam edisserebat. Ne quis vero in dubium revocet Commentarios Philippi, propter idem opus quod nomine Bedæ editum circumfertur, meminerit Gennadium in Catalogo Virorum Illustrium ista de Philippo litteris ac memoriæ tradidisse: *Philippus presbyter, optimus auditor Hieronymi, Commentatus in Job edidit sermone simplici libros*, etc. Genuinos illos Philippi Commentarios ex parte descriptos retinet codex monasterii nostri Corbeiensis ante nongentos annos in membranis robustissimis sive densissimis exaratus, qui in bibliotheca San-Germanensi habet numericam notam 660. Totus libri Job sacer contextus in hoc exemplari scriptus est litteris uncialibus: interlineares vero Philippi Commentarii Longobardicis characteribus sunt adjecti: quibus, ni fallor, satis explorata nobis est ætas ms. codicis. Eadem manu, eisdemque characteribus Longobardicis isthæc scripta leguntur in fine Commentariorum: *Hæc interpretatio excerpta est de expositione Philippi*. In his igitur excerptis et Epitome expositionis Philippi presbyteri in Job, purus fluit totus sacer textus absque illis additamentis, quæ in editis libris sub nomine Hieronymi frequenter occurrunt. Duo sunt, verbi gratia, additamenta Job capite I, 21 et 22, nempe, *sicut Domino placuit, ita factum est*, et consequenter, *labiis suis*. Quæ omnia superflua esse et additicia, perspicue demonstratur ex Commentariis mss. Philippi presbyteri, ut ex scholiis nostris infra positis col. 799. Præterea insigne illud additamentum, *Animæ enim esurienti etiam*

amara dulcia esse videntur, quod in editis apud Hieronymum Commentariis legitur capite VI, vers. 6 Jobi, non apparet apud Philippum Hieronymi optimum auditorem. Unde colligas Hieronymi coætaneum scriptorem non aliam in suis opusculis translationem Latinam sibi proposuisse exponendam, nisi Hieronymianam illam novam, quam superius dicebamus in Speculo S. Augustini conservatam. Præter integrum Jobi textum, multas Scripturarum sententias ac prophetarum sermones recitat Philippus juxta editionem novam sui magistri, ut est illud comma omissum a LXX Translatoribus in fine capituli II Isaiæ prophetæ: *Quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus est: quia excelsus reputatus est ipse* (*Isa.* II, 22). Hac sententia utitur Philippus in editis omnibus Commentariis, cum de Christo interpretatur illa verba Job cap. XXVII, 3: *Quia donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis*. Plura congerere in promptu erat ex Procopio etiam Gazæo; sed longitudinem fugio in re satis superque demonstrata.

IV. Dixi in Ecclesia Romana receptam fuisse tempore Gregorii. Magni utramque Scripturarum editionem, et veterem, et novam Hieronymianam. Nam licet omnes Ecclesiæ Christi primas partes tribuerent illi translationi, quam de fontibus Hebraicis derivatam noverant, propter antiquitatem tamen Vulgatæ Italicæ versionis, noluerunt prorsus studium ab eadem abjicere, caute pedetentim omnia facientes, ut quod senescebat, suapte ad interitum veniret. Usum autem utriusque Latinæ interpretationis docuit nos ipse Gregorius Magnus epistola dedicatoria, sive præfatione Moralium expositionum in Job; ait enim ad finem: *Novam vero translationem dissero, sed ut comprobationis causa exigit, nunc novam, nunc veterem per testimonia assumo: ut quia sedes apostolica* (*cui auctore Deo præsideo*) *utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur*. Pro textu habebat novam, id est Hieronymi, translationem, ad cujus tantum comprobationem vetus alia ab eo usurpabatur. Quantum vero auctoritatis attribueret Hieronymianæ super Italam, aperte declaravit lib. XX Moralium, cap. 23, ubi expositione sua hunc Jobi locum illustrat: *Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi* (*Job* XXX, 21). *Longe*, inquit, *ab hac sententia vetusta translatio dissonat, quia quod in hac de Deo dicitur, hoc in illa de adversariis et persecutoribus memoratur. Sed tamen quia hæc nova translatio ex Hebræo nobis Arabicoque eloquio cuncta verius transfudisse perhibetur, credendum est quidquid in ea dicitur: et oportet ut verba illius nostra expositio subtiliter rimetur. Ait ergo: Mutatus es*, etc. Ita Magnus ille Gregorius, Ecclesiæ catholicæ lumen, summorumque pontificum decus et exemplar. Quem si fuissem aliquoties imitatus in laude Hieronymianæ translationis, dicendo eam nobis *verius* cuncta transfudisse, ac credendum *quidquid* in ea legitur scriptum: Deus bone! quantos sustinuissem impetus et furores sciolorum hujus temporis, qui me temeritatis insimulare alicubi ausi sunt, quod dixissem Ecclesiam Romanam nunquam discessisse a Vulgata Latina, in rebus etiam chronologicis. Sed apage a nobis hujusmodi scriptores, qui Iberias nænias libris authenticis præferunt, nec judicium Ecclesiæ Dei suorumve pontificum nobiscum consectantur.

Matrem omnium Ecclesiarum, cui, auctore Deo, præsedit Gregorius, cæteræ omnes Latinæ secutæ sunt, novam ex Hebræo editionem Scripturarum suscipientes, eo quod inter omnes longe præstaret. Clariorem esse in verbis, ac veraciorem in sententiis, nullus antiquorum negare visus est: unde legimus apud Isidorum Hispalensem lib. I de Offic. Eccl. cap. 12: *De Hebræo autem in Latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter sacras Scripturas convertit: cujus editione generaliter omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur, pro eo quod veracior sit in sententiis, et clarior in verbis*. Cum talis fuerit interpretatio Hieronymi, ut definitive pronuntiat Isidorus, mirum quid est, si veterem obscuriorem in verbis, in sententiis non adeo veracem omnes Ecclesiæ repudiarint? De usu itaque Hieronymianæ translationis recepto apud omnes Ecclesias, adeo constans est Gregorii ac Isidori testificatio, ut frustra, quod Italos ac Hispanos spectat, idipsum aliorum scriptorum sententiis affirmaremus. Ad nostrates igitur properandum est, quia fidem etiam Gallorum postulat articulus sequens.

V. Gallicani Psalterii nomen tulit Psalmorum liber ab Hieronymo iterum emendatus, editusque cum obelis et asteriscis: hoc vero nomine appellata est posterior illa editio

juxta LXX, quod Galliarum Ecclesiæ inter omnes primum discesserint ab usu Romani Psalterii, sive veteris illius editionis Latinæ, quam Romæ positus Hieronymus magna ex parte correxerat. Hinc autem ad gloriam Ecclesiarum nostrarum cumulus accedit, non solum ex eo quod e duobus Psalterium perfectius retinuerint ; sed maxime quia usu psallendi in Gallicanis Ecclesiis celebratus est ab antiquo ævo liber ille Psalmorum, quem cum aliis libris canonicis publico tandem decreto probavit œcumenica synodus Tridentina. Quanta porro fuerit diligentia nostratum in describendo hocce Psalterio cum astericis et obelis, non aliunde testatum volumus, quam ex infinita copia codicum mss. qui cum talibus distinctionibus supersunt usque hodie in Gallicanis bibliothecis. In Italia non ita abundant, et perpauca apud suos invenisse se exemplaria fatetur doctus Carus præsbyter theologus, qui inchoatam nobis dedit editionem Psalterii Hieronymiani cum supra dictis obelorum et asteriscorum signis. Nos, præstantissimos id genus ac permultos codices mss. consecuti, supplenda curavimus quæ deesse videbantur in editione Romana Cari. At de his vide infra admonitionem nostram in utrumque Psalterium Romanum et Gallicanum.

Galliarum Ecclesias summam auctoritatem tribuisse novæ ex Hebræo translationi, conjicere nobis licet ex illo usu, quem constanter retinebant in Psalterio juxta LXX Interpretes emendato posterioribus curis Hieronymi. Nam cur in toto non reciperent, quod in partibus tanto studio susceperant ? Hoc est, si exemplaria emendata ad Græcas interpretationes, quæ propius accedebant Hebræorum codicibus, magno studio nostrates susceperunt : quanta putamus voluntate adhæsisse eos Hebraicæ veritati, quanta jucunditate de fonte purissimo haustam aquam ebibisse ! Verum ne conjecturis tantum nostris astruamus opinionem de usu Hieronymianæ translationis apud Gallos, testis accedat idoneus Stephanus abbas Cisterciensis secundus, qui rem nostram plane conficiat. Is igitur verbo atque exemplo suo docet, veterem Latinam interpretationem neglectam fuisse apud *nostrates*, propter novam, quam Italæ æmulam objecerat Hieronymus. Nam descripta sacrorum Bibliorum exemplaria ad usum suæ congregationis, cum aliquot locis redundantia ac parum consona Hieronymianæ versioni reperisset, illico offensus hujusmodi dissidiis, et collatione facta Latinorum cum Hebræis codicum, eradenda et oblitteranda voluit in suo Historiæ divinæ apographo quæcunque abesse dicebantur in fonte Hebraico, nec posita vidisset apud Hieronymum. Insignior est locus quam ut a nobis prætermittatur, aut ex eo lectori aliquid depereat. Totum proinde transcribam, quemadmodum nuper editus est a Domno Joanne Mabillonio ad calcem tom. IV operum sancti Bernardi col. XI et XII.

CENSURA STEPHANI ABBATIS CISTERCIENSIS II DE ALIQUOT LOCIS BIBLIORUM.

Frater Stephanus, Novi Monasterii abbas, et præsentibus et futuris servis Dei salutem, Hanc Historiam scribere disponentes, inter plurimos libros, quos de diversis Ecclesiis congregavimus, ut veraciorem sequeremur, in quemdam fere ab omnibus multum dissonantem impegimus. Et quia illum pleniorem cæteris invenimus, fidem ei accommodantes, hanc Historiam, secundum quod in eodem libro invenimus, scripsimus. Qua digesta, non modice de dissonantia Historiarum turbati sumus : quia hoc plena docet ratio, ut quod ab uno interprete, videlicet beato Hieronymo, quem cæteris interpretibus omissis, nostrates jamjamque susceperant, de uno Hebraicæ veritatis fonte translatum est, unum debeat sonare. Sunt tamen quidam Veteris Testamenti libri, qui non de Hebraico, sed de Chaldaico sermone ab eodem nostro interprete sunt translati : quia sic eos apud Judæos invenit, sicut ipsemet in Prologo super Daniele scribit, nosque illos sicut cæteros libros secundum ejus translationem suscepimus. Unde nos multum de discordia nostrorum librorum, quos ab uno interprete suscepimus, admirantes, Judæos quosdam in sua Scriptura peritos adivimus, ac diligentissime lingua Romana inquisivimus de omnibus illis Scripturarum locis, in quibus illæ partes et versus, quos in prædicto nostro exemplari inveniebamus, et jam in hoc opere nostro inserebamus, quosque in aliis multis Historiis Latinis inveniebamus. Qui suos libros plures coram nobis revolventes, et in locis illis ubi eos rogabamus, Hebraicam sive Chaldaicam Scripturam Romanis verbis nobis exponentes, partes vel versus, pro quibus turbabamur, minime repererunt. Qua propter Hebraicæ atque Chaldaicæ veritati, et multis libris

Latinis, qui illa non habebant, sed per omnia duabus illis linguis concordabant, credentes omnia illa superflua prorsus abrasimus, veluti in multis hujus libri locis apparet, et præcipue in libris Regum, ubi major pars erroris inveniebatur. Nunc vero omnes, qui hoc volumen sunt lecturi, rogamus, quatenus nullo modo prædictas partes, vel versus superfluos huic operi amplius adjungant. Satis enim lucet in quibus locis erant, quia rasura pergameni eadem loca non celat. Interdicimus etiam auctoritate Dei et nostræ Congregationis, ne quis hunc librum, magno labore præparatum, inhoneste tractare, vel ungula sua per scripturam vel marginem ejus aliquid notare præsumat.

Luculentum adeo sancti viri testimonium nos ad alias probationes non sinit abire : diserte enim rem propositam explicavit, *Gallos scilicet nostrates Latinam e fonte Hebraico editionem Hieronymi jamjamque suscepisse : cæteros vero omnes interpretes repudiasse.* Galliarum igitur Ecclesiæ Hieronymum velut *proprium interpretem* suscipiebant, et qui ad Hebræorum codices adornatam noverant sancti Doctoris translationem, *per omnia Hebraicæ atque Chaldaicæ veritati credentes*, superfla quæque ex aliis interpretationibus derivata in sacros codices Bibliorum imis ceris obliterabant. Hinc tanta nobis copia exemplarium Canonis Hebraicæ veritatis, quæ in Bibliothecis Francorum adhuc supersunt. Quinque vel sex hujusmodi antiquissimos codices Hebræi Canonis, Latinitate donatos ab Hieronymo, suppeditarunt nobis ad præsentem editionem Gallicanæ Bibliothecæ : cum nec unicum exemplar inveniri potuerit in aliis regionibus, ubi tamen innumeri superesse dicuntur codices Latinæ Vulgatæ ; quæ quidem, etsi Hieronymum habebat auctorem multa tamen retinet admista de aliis editionibus, et hæc omnia tanquam superflua eradenda in codicibus Hieronymianæ translationis procuravit Stephanus abbas Cisterciensis.

Cæterum non est hujus loci linguam et sermones critici cujusdam scriptoris retundere, qui utilibus veterum ac hodiernorum monachorum laboribus invidens, comparitionem criminis adornavit adversus abbatem Stephanum, quod Judæorum magistros adivisset, ut ex codicibus Hebræis judicium faceret, quænam retinenda essent in Latinis sacrorum Bibliorum exemplaribus, quænam vero castiganda vel amputanda. Quasi in eo emendationis genere præmonitus non esset ab ipso Hieronymo, qui sæpius inculcat Judæos esse interrogandos, et diversarum urbium magistros consulendos, si quid in sua nova de Hebræo translatione movere contingat. Ita laudabilem sanctorum virorum operam ac diligentiam temeritatis accusare non est veritus ille auctor, qui religionem Stephani pie potius venerari debuisset, quam in eum tam libere suam exercere facundiam. Quid enim peccavit Stephanus Cisterciensis in emaculandis sacris voluminibus errore librariorum interpolis, si Cassiodori regulas secutus sit? Cassiodorus enim vir eruditissimus, cum doceret libro de Institutione divinarum Litterarum cap. 15, *Sub qua cautela relegi debeat cœlestis auctoritas*, ita conceptis verbi præcipit : *Quibus possibile fuerit, Hebræam Scripturam, vel ejus doctores requirere non detrectent. Decet enim, ut unde ad nos venit salutaris translatio, inde iterum redeat decora correctio.* Hinc liquet a nullo damnandam, sed laudendam potius ab omnibus abbatis Cisterciensis diligentiam, qua ad statutas ab ipso Hieronymo regulas, varios codicum suorum errores voluit emendari. Sed de his alio loco commodius.

VI. Ecclesiam catholicam publico decreto Hieronymianam Latinam translationem authenticam declarasse, hujusque usum sibi vindicare, consentiunt omnes vel mediocriter docti. Quanquam enim in vulgata sacrorum Bibliorum editione Latina aliquot integri libri retenti sint ex antiqua illa versione, quæ usu obtinebat ante Hieronymum : maxima tamen pars Veteris Testamenti pura puta est interpretatio quam e fontibus Hebræis nobis edidit eximius ille doctor. Huic igitur Hieronymianæ translationi, *adjunctis Italæ partibus quibusdam, et in unum veluti corpus compacta utraque, effloruit Vulgatailla, quæ nunc omninum versatur manibus, quamqua perpetuus tot sæculorum et constans usus ad nos transmisit.* Ita ante nos scribebat auctor eruditi libri de Claris Interpretibus. Hoc ipsum docuit Sixtus V, pontifex maximus. Præfatione præfixa Bibliis suis, ubi Vulgatæ editionis auctoritatem prædicans, de libris in ea contentis hunc in modum disseruit: *Qui namque in ea libri continentur (ut a majoribus nostris quasi per manus nobis traditum est) retenti sunt partim ex communi et antiquissima quadam editione Latina, quam sanctus Hieronymus Vulgatam editio-*

nem, beatus Augustinus Italam, sanctus Gregorius veterem translationem appellant, quam sanctus itidem Augustinus cæteris quæ tunc plurimæ in usu erant, etiam præferendam censuit, quod esset verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ : partim ex sancti Hieronymi translatione vel emendatione adsciti fuere, quibus idcirco quantus honor deferendus sit, is facile intelligit, qui eorum interpretis dignitatem agnoscit, etc. Ut vero mentem summi pontificis habeat perspectam, adverte diligenter Canonem Hebraicæ veritatis, uno Psalterio excepto, totum reperiri in Vulgata Latina cum duobus insuper Tobiæ et Judith voluminibus, de Chaldaico in Latinum conversis ab eodem Ecclesiæ catholicæ interprete maximo. Præterea habes in libros Psalmorum posteriorem emendationem Hieronymi, quam ipse edidit cum signis asteriscorum et obelorum, eam nempe, quam et nos restituimus in secunda parte hujus Divinæ Bibliothecæ. Reliqui omnes libri Instrumenti Veteris retenti sunt ex illa antiqua Vulgata, quæ *Communis* vel *Italica* dicta perhibetur. Hi sunt liber *Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus*, ac libri *Machabæorum primus et secundus*. Nonnullas etiam deprehendimus sententias ac versus integros e vituri illa editione in libros præcipue Regum, inque Proverbia Salomonis derivatos : quos quidem licet non admiserimus in nostra Canonis editione, eos tamen locis suis hoc obeli ÷ signo marginali designavimus, ut ad illa signa lector intendus intelligat plus aliquid ibidem haberi in Vulgata, quam habeatur in pura et non confusa Hieronymi translatione Hebraica. Decretum itaque concilii Tridentini de editione et usu sacrorum Librorum, in sessione quarta promulgatum, ad Hieronymianam maxime spectat translationem ; quia maxima pars Veteris ac Novi Testamenti, prout Latine edita est in Vulgata hodierna, auctorem habet S. Hieronymum. Nihil enim officit auctoritati ejusdem interpretationis, quod cum illa partes aliquot Itala versionis pro authenticis habeantur in Ecclesia catholica, quæ in suos usus adhibet veterem Latinum interpretem, ubi silet Hieronymus, in Scripturis sacris interpretandis doctor ejus maximus. Nunc ergo decretum subjiciamus, quo auctoritatem Hieronymianæ versionis sancitam dicimus in concilio Tridentino sess. 4 : *Insuper eadem sacrosancta Synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, qvæ circumferentur sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statui et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus, pro authentica habeatur : et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.* Hac sanctione Ecclesiæ catholicæ consignata auctoritas translationis Hieronymianæ, piorum omnium ita animos incessit, ut eidem commendandæ longiorem probationem frustra postularemus.

PROLEGOMENON III.

De Canone Hebraicæ veritatis et Scholiis ejusdem marginalibus.

I. *Quid Canon Hebraicæ veritatis.* II. *Hujus Canonis sæpius meminit ipse Hieronymus.* III. *Hebraicam veritatem Græci ac Latini Patres agnoscunt.* IV. *De singulis partibus, sive ordinibus, ejusdem Canonis.* V. *Danielis et Estheris additamenta recepta cum signis obelorum in translationem Hieronymi.* VI. *Quisnam fuerit auctor marginalium scholiorum Canonis, et quænam sit hujusmodi adnotationum utilitas ac præstantia.*

Canonis Hebraicæ veritatis nomine intelligenda veniunt instrumenti Veteris volumina viginti duo, quæ canonica habentur tam apud Judæos quam apud Christianos ; quæque in Latinum eloquium ab Hieronymo fuere conversa juxta fidem Hebræorum fontium, ac demum in unum veluti corpus compacta, servato librorum ordine triplici, prout in codicibus Hebræorum res positæ inveniebantur tempore sancti Hieronymi. Canon igitur est catalogus Scripturarum divinarum quæ Canonicæ appellantur, eo quod in canonem sunt receptæ, supremumque obtinuerint culmen auctoritatis, non modo ad mores sancte informandos, sed ad comprobanda etiam quælibet ecclesiastica dogmata. Hanc vero Canonis sacri notionem mutuati sumus e libro secundo Apologiæ Hieronymi adversus Rufinum, deque Præfatione ejusdem sancti Doctoris in libros Salomonis. Nam Galeati

prologi, ubi Hebræorum explicavit Canonem, his verbis recordatur in fine posterioris Apologiæ : *In libris quoque Samuelis et Malachim, quos nos Regnorum quatuor nominamus, post catalogum divinæ Scripturæ, hœc intuli*, etc. Hinc videas. *Canonem sacrorum Bibliorum* Veteris Testamenti Hieronymum hoc loco appellasse *Catalogum divinæ Scripturæ*. Id autem descriminis posuit inter Scripturas canonicas et non canonicas, quod istæ legerentur tantum in ecclesia ad ædificationem plebis ; canonicæ vero ad fidei dogmata insuper confirmanda ; *Sicut ergo Judith*, inquit præfatione jam laudata in libros Salomonis, *et Tobiæ, et Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit : sic et hœc duo volumina* (Ecclesiast. et Sapient.) *legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam*. Hieronymo in hac Scripturarum parte consentit Rufinus, cum et ipse in suo symbolo diserte docet, non alia volumina pro Canonicis fuisse habita suo tempore præter illa quæ recensentur in prologo Hieronymi Galeato. Ad Catalogum namque librorum Veteris et Novi Testamenti ista subjungit : *Hæc sunt quæ Patres intra Canonem concluserunt, et ex quibus fidei nostræ assertationes constare voluerunt. Sciendum tamen est, quod et alii libri sunt, qui non sunt canonici, sed ecclesiastici a majoribus appellati sunt, id est Sapientia, quæ dicitur Salomonis et alia Sapientia, quæ dicitur filii Sirach, qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur, quo vocabulo non auctor libelli, sed Scripturæ qualitas cognominata est. Ejusdem vero ordinis libellis est Tobiæ, et Judith, et Machabæorum libri*. Post ætatem Hieronymi ac Rufini non statim in canonem sacrorum Bibliorum susceptos fuisse libros illos, qui *ecclesiastici* dicti sunt, fidem nobis facit exemplar manuscriptum, quod, licet vetustissimum appareat, quadringentis tamen annis ad minus post obitum Ruffini fuisse inscriptum, nemo inficiatur. Hic itaque codex Bibliorum manuscriptus, notatus num. 15 in nostra San-Germanensi bibliotheca, hæc attexuit libro Estheris : *Finit Esther. Deo gratias, Amen. Hucusque completum est Vetus Testamentum, id est omnes canonicæ Scripturæ, quas transtulit Hieronymus presbyter de Hebraica veritate in Latinum sermonem. Cæterœ vero Scripturæ, quæ non sunt Canonicæ, sed dicuntur Ecclesiasticæ, istœ sunt, id est liber Judith, Tobias, libri Machabœorum duo, Sapientia quæ dicitur Salomonis, et liber Jesu filii. Sirach, et liber Pastoris*. Nonnulla prætermitto, quæ videri possunt ad finem columnæ 1152 hujus editionis. Quam igitur habuerint in Ecclesia auctoritatis dignitatem Scripturæ canonicæ, plane liquet ex supra memoratis, et illæ sunt, quibus constat Canon Hebraicæ veritatis, in quo nunquam fuerunt libri, vel *Apocryphi*, vel *Ecclesiastici* appellati apud antiquos Patres. Hodie nullo auctoritatis discrimine in Canonem Ecclesiasticum recepti parem cum cæteris merentur veneratio-
nem apud omnes vere pios, qui concilii Tridentini decreto (sess. 4) de canonicis Scripturis adhærere gloriantur.

Canonis porro Hebraicæ veritatis meminit Cassiodorus, de Institutione divinarum litterarum capite duodecimo, ubi ipsum vocat divisionem Scripturæ divinæ secundum Hieronymum : *Auctoritas divina*, inquit, *secundum sanctum Hieronymum in Testamenta duo ita dividitur, id est in Vetus et Novum ; in legem, id est Genesim, Exodum, Leviticum, Numerorum, Deuteronomium ; in prophetas, qui sunt Jesu Nave, Judicum, Ruth, Samuel, Malachim, Isaias, Jeremias, Ezechiel, libri duodecim Prophetarum. In Hagiographos, qui sunt Job, David, Salomonis Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Daniel, Verba dierum, id est Paralipomenon, Esdras Esther*. Hæc ex prologo Hieronymi Galeato afferebat Cassiodorus : sed vitiosa est prorsus illa divisio, tam in editis, quam in manuscriptis libris : 1° quidem omissa ubique voce *Malachim* post verbum *Samuel*. 2° Manuscripti codices non pauci prætermiserunt *Daniel*, alii cum editis annumerant majoribus prophetis post Ezechielem, servato ordine vulgato Bibliorum sacrorum. 3° Pro nomine isto, *Ecclesiastes*, posuerunt *Ecclesiasticum*, qui non est Salomonis, sed liber Jesu filii Sirach ; quique in Canonem nusquam admissus est ab Hieronymo. 4° Denique aliquot manuscripta exemplaria adjiciunt librum Judith post volumen Estheris ; cum tamen Judithæ liber e numero canonicarum Scripturarum segregatus sit in multis locis apud Hieronymum. Neque tamen negligentiæ vel inscientiæ accusandus est Garetius noster, qui in ultima Cassiodori operum editione hos non emendavit codicum, seu edi-

torum, seu manuscriptorum errores. Is quippe, sicut et alii, qui edendis SS. Patrum lucubrationibus navant operam, id quod in melioris notæ libris, manu optima et vetustissima exaratis habebatur, bona fide retulit, nec sui credidit esse officii et muneris ea corrigere, quæ in tam venerandæ antiquitatis codicibus constanter legebantur. At nulli omnino ingratum aut injucundum fore arbitramur, si pro suscepto a nobis Canonis Hebraici explicandi munere observemus hos omnes lapsus et errores posse ab iis facile corrigi, qui sacra divinarum litterarum eruditione imbuti, eos tentaverint hac sacrati fontis unda eluere atque abstergere.

Eumdem Hebræorum Canonem repræsentat Isidorus Hispalensis, Originum lib. VI, cap. 1, quem integrum hoc loco transcriberemus, nisi infra editus esset cum principio Scripturarum Galeato, seu Præfatione in libros Regum. Notandum tamen nonnulla verba Hebraica aliter legi apud Isidorum, quam legantur apud Hieronymum : quia editores Isidori morem hodiernum grammaticorum Hebræorum sæpius imitantur, imperitia quoque vel ipsorum, vel librariorum, voces quædam mendosiores occurrunt, ut est illud : *Quidam autem* Ruth *et Rimoth, quod Latine dicitur* lamentatio Jeremiæ, *Hagiographis adjiciunt.* Quisquis vocem *Rimoth* barbaram posuit pro *Kinoth*, sive *Cinoth, quæ lamentationes* significat, eum linguæ Hebraicæ imperitissimum fuisse oportet. Sic fieri amat inter illos, qui scriptorum veterum opera restituere præsumunt absque sufficienti notitia multarum rerum, quas pertractant.

II. Canonem Hebraicæ veritatis conceptis verbis appellat ipse Hieronymus libros Veteris Testamenti Latine a se redditos : quod si secus fuisset, hoc nomine nequaquam a nobis fuisset insignita prima pars hujus divinæ bibliothecæ. Verum hanc nomenclaturam edocti a sancto doctore, inepte ageremus alienum ac ementitum titulum apponentes Hebraicæ translationi Veteris Instrumenti. Celebrior et explicatior locus hujusce nominationis legitur epistola 28, ad Lucinium ; de quo ne minima particula nobis excidat, integrum affero ad laudem præcipue Hebraicorum voluminum, in quorum auctoritatem debacchatus est hujus temporis quidam fabularum Ægyptiacarum propugnator. Sed nunc audiat Hieronymum juxta datam sibi sapientiam ita Lucinio respondentem : *Canonem Hebraicæ veritatis, excepto Octateucho, quem nunc in manibus habeo, pueris tuis et notariis dedi scribendum. Septuaginta interpretationem et te habere non dubito, et ante annos plurimos diligentissime emendatum, studiosis tradidi. Novum Testamentum Græcæ reddidi auctoritati. Ut enim veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est : ita novorum Græci sermonis normam desiderat.* Non poterat beatus Hieronymus clarius aut brevius declarare quidquid in Divina Bibliotheca nobis præstitit. Priorem enim partem apertissime demonstrat, cum ait, *Canonem Hebraicæ veritatis, excepto Octateucho, quem nunc in manibus habeo, pueris tuis et notariis dedi scribendum;* alteram autem in his verbis, *Septuaginta interpretationem et te habere non dubito, et ante annos plurimos diligentissime emendatum studiosis tradidi.* Tertiam denique partem Divinæ Bibliothecæ indicat dicens, *Novum Testamentum Græcæ reddidi auctoritati.* Quid plura? ut innotescat quibus fundamentis suas Bibliorum sacrorum interpretationes suffultas esse voluerit, apte concluseque subjungit, *Ut enim veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est : ita novorum Græci sermonis normam desiderat.* Quæ definitio emendationis Scripturarum tantam in Ecclesia obtinuit auctoritatem, ut ex præscripto Hieronymi jus canonicum in Decreto Gratiani eamdem castigationis normam sequendam esse decernat. Canonem igitur Hebraicæ veritatis scribendum dedit Hieronymus pueris sex et notariis Lucinii, in quo laudans præcipue fervorem ac studium Scripturarum, ita ad Theodoram scribit epist. 29 : *Nec patriæ suæ largitate contentus, misit Jerosolymarum et Alexandrinæ Ecclesiæ tantum auri, quantum multorum possit inopiæ subveniri. Quod cum multi mirentur, et prædicent, ego in illo magis laudabo fervorem et studium Scripturarum. Quo ille desiderio opuscula nostra flagitavit, et missis sex notariis, quia in hac provincia Latini sermonis scriptorumque penuria est, describi sibi fecit quæcunque ab adolescentia usque in præsens tempus dictavimus ?* Circa annum Christi 394 illa scribebat Hieronymus, cum Octateuchum adhuc haberet in manibus interpretatione donandum tempore opportuno. Quisnam vero fuerit ille Octateuchus, satis liquet ex Præfatione in librum Josue, ubi dicit, finito tandem Mosis *Pentateucho*, ad libros *Josue, Judicum, Ruth* et *Esther* mitten-

dam manum. Quod duobus vel tribus modis intelligi potest. Primum librum Judicum et Ruth in eumdem compingendo, Octateuchum faciemus ex quinque Mosi voluminibus, uno Josue, altero Judicum, et ultimo Estheris. Hic erit Octateuchus, quem Hieronymus absolvebat post annum Christi 404, ut videre est in prolegomeno nostro superiori, ubi disputatum est de tempore translationum Hieronymianarum. Secundo Octateuchum istum ita supputari nihil vetat, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, *Josue*, *Judices*, *Ruth* et *Esther*. Nam quo tempore scribebat Hieronymus ad Lucinium, tunc Genesis librum in Latinum sermonem ab eo fuisse translatum, vix dubitari potest : neque vero uno tempore omnia Mosis volumina Latinitate donavit, uti suo loco diximus, sed statim Geneseos librum interpretari cœpit anno circiter 394, quem *Desiderio* suo nuncupavit : reliqua Pentateuchi Mosaici volumina majoribus reservans otiis scribendi. Denique de supputatione, sublato Genesis volumine, et Ruth cum Judicibus copulato, erit nihilominus integer adhuc Octateuchus in manibus Hieronymi suo tempore convertendus in Latinum eloquium : nempe IV Mosis libri, I Josue, I Judicum et Ruth, I Estheris, et I Paralipomenon. Quia certum est libros Paralipomenon ex Hebræo non fuisse translatos ante annum 396, quando vita jam excesserat Lucinius. Hinc intelligat lector non uno modo errasse Marianum in notis ad epistolam 28 S. Hieronymi : nam error in eo est, quod pro *Octateucho* legerit *Heptateuchum*, et Erasmum puræ lectioni adhærentem putavit reprehensione dignum. Monemus igitur studiosum lectorem meliores ac doctiores esse notas Gravii, quibus illustravit epistolas Hieronymi, quam sint illæ quas Marianus Victorius edidit cum operibus ejusdem sancti Doctoris.

De canone meminit iterum aliis locis Hieronymus : nam Præfatione in libros Regum, postquam illum per partes singulas explanavit, hæc ab eo scripta leguntur : *Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, et Jesu filii Sirach liber, et Judith, et Tobias, et Pastor, non sunt in Canone.* Libro quoque primo adversus Jovinianum de Περιόδοις, volumine prorsus apocrypho, locutus, redit ad canonicas Scripturas, dicens, *Sed nunc nobis de Canone omne certamen est.* Ejusdem recordatur procemio Commentariorum in Jonam prophetam : *Liber quoque Tobiæ*, inquit, *licet non habeatur in Canone, tamen quia usurpatur ab ecclesiasticis viris, tale quid memorat*, etc. Quem etiam tacito nomine *Canonis*, in partes suas distribuit Præfatione in Danielem ex Hebræo translatum. *Illud admoneo, non haberi Danielem apud Hebræos inter prophetas, sed inter eos qui Hagiographa scripserant. In tres siquidem partes omnis ab eis Scriptura dividitur, in Legem, in Prophetas, et in Hagiographa, id est in quinque, et octo, et in undecim libros ; de quo non est hujus temporis disserere.* Ut autem *Canonis* mentionem ingerit non addendo nomen *Hebraicæ veritatis :* ita sexcentis locis citat *Hebraicam veritatem*, prætermissa omni *Canonis* appellatione. Idem talem intelligit in Hebræorum *Canone*, quod in *Hebraica veritate ;* quia Hebraica veritas apud Hieronymum semper accipitur pro canonicis Hebræorum Scripturis, id est, pro iis solis quæ leguntur in fonte Hebraico. Jam vero stultus sit, qui singula loca enumerare velit, in quibus Hebraicam veritatem replicat Hieronymus : vix enim aliquam Epistolam, aut quemlibet Commentarium revolveris, ubi statim non occurrant similes locutiones : *Juxta Hebraicam veritatem. Aliter Hebraica veritas habet. Hoc a veritate Hebraica discordat.* Et ita de cæteris, quæ vel comminisci, otiosi esset scriptoris.

III. Multifariam Hebræorum voluminum auctoritatem agnovere Græci Latinique Patres ; et quanto fuere cæteris doctiores, tanto plus eos perspicias Hebraicæ studuisse veritati. Dum testatur Hieronymus, libro primo Apologiæ adversus Rufinum, Origenem se legisse ob eruditionis meritum, non ad sectandam ejus fidem, præclarum istud contexuit testimonium, quo Græcorum studia erga Hebraicam Scripturam manifesta exploratque nobis fecit : *Ipse Origenes*, inquit, *et Clemens, et Eusebius, atque alii complures, quando de Scripturis aliqua disputant, et volunt approbare quod dicunt, sic solent scribere : Referebat mihi Hebræus ;* et, *Audivi ab Hebræo ;* et, *Hebræorum ista sententia est. Certo etiam Origenes patriarchen Huillum, qui temporibus ejus fuit, nominat, et tricesimum in Isaiam, in cujus fine edisserit : Væ tibi, civitas Ariel, quam expugnavit David* (*Isa.* XXIX, 1), *illius expositione concludit : ut cum aliter prius sensisse se dicat, doctus ab illo, id quod verius est, confitetur. Octogesimum quoque nonum psalmum, qui inscribitur Oratio Moysi, homi-*

nis Dei (*Psal.* LXXXIX, 1), *et reliquos undecim, qui non habent titulos, secundum Huilli expositionem, ejusdem Moysi putat : nec dedignatur, Hebræam Scripturam interpretans per singula loca, quid Hebræis videatur, inserere.* » In fine libri secundi ejusdem Apologiæ, de Origene iterum, et Didymo, et Eusebio, asserit ipsos Judæorum translationes explanasse in omnibus suis libris ; quodque præcipuum est in commendationem Hebraicæ veritatis, hoc ita subjungit : *Apostolici viri Scripturis utuntur Hebraicis : ipsos apostolos et evangelistas hoc fecisse perspicuum est. Dominus atque Salvator, ubicunque veteris Scripturæ meminit, de Hebraicis voluminibus ponit exempla*, etc. Quid igitur mirum si post Dominum Salvatorem, post apostolos et evangelistas, ac demum post viros apostolicos, Græcorum Patrum celebratiores Hebraicis uterentur Scripturis, earum auctoritatem agnoscerent, atque de Judæorum codicibus divinos sensus scrutarentur? Idem studium Hebraicæ Scripturæ in Adamantio probat Eusebius Cæsariensis, *Eccl. Hist.* lib. VI, cap. 16, ubi ait statim ab initio : *Tantam porro curam ac diligentiam in divinis Scripturis perscrutandis adhibebat Origenes, ut Hebraicam etiam linguam didicerit, et authenticos Scripturarum libros, Hebraicis scriptos litteris, qui apud Judæos habentur, sibi comparaverit*, τάς τε παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἐμφερομένας πρωτοτύπους αὐτοῖς Ἑβραίων στοιχείοις γραφὰς, κτῆμα ἴδιον ποιήσασθαι. *Authenticos*, interprete Valesio, vocat Eusebius Judæorum *codices*, respectu omnium translationum, etiam comparatione facta cum versione LXXII Translatorum. Qua quidem appellatione sæpissime eosdem libros exornat Hieronymus, ut epistola 132, ad Vitalem : *Et siquidem in historiis aliter haberent Septuaginta, aliter Hebraica veritas, confugere poteramus ad solita præsidia, et arcem linguæ tenere vernaculæ : nunc vero cum et ipsum Authenticum et cæteri interpretes pari auctoritate consentiant, non in Scriptura, sed in sensu est difficultas.* Similiter epist. 135 de psalmo sexagesimo septimo nonnullos versiculos in medium adducens, hanc castigationem illis adhibuit juxta fidem librorum authenticorum. *Cum iste versiculus*, inquit, *magis habere debeat juxta Hebraicam veritatem*, Cantate Deo, Psallite Domino (*Psal.* LXVII, 33), *et illud quod sequitur in principio versus alterius*, Psallite Deo, *non sit in libris authenticis, sed obelo prænotatum.* Libro denique decimo Commentariorum in Isaiam prophetam non aliter vocat Hebræorum exemplaria, quam libros authenticos : sic enim scribit de Apostolo : *Paraphrasin hujus testimonii, quasi Hebræus ex Hebræis* (*Philipp.* III, 5,) *assumit apostolus Paulus de authenticis libris in Epistola quam scribit ad Corinthios* (*II Cor.* XI, 22). Illas ergo Hebræorum primigenias, πρωτοτύπους, Scripturas, sive *libros authenticos* sibi comparavit Origenes, quos tanti faciebat, ut decimo Stromatum suorum libro nihil recipiendum putarit præter ea quæ in libris Hebraicis legerentur. Unde de historia Susannæ aiebat apud Hieronymum in fine Commentariorum in Danielem : *Quia Hebræi reprobant historiam Susannæ, dicentes eam in Danielis volumine non haberi, debemus diligenter inquirere nomina* σχίνου καὶ πρίνου. (*Dan.* XIII, 54, 58), *quæ Latini illicem et lentiscum interpretantur, si sint apud Hebræos, et quam habeant etymologiam, ut a* σχίνῳ, *scissio, et a* πρίνῳ, *sectio, sive serratio, dicatur lingua eorum. Quod si non fuerit inventum, necessitate cogemur et nos eorum acquiescere sententiæ, qui Græci tantum sermonis hanc volunt esse* περικοπὴν, *quæ Græcam habeat etymologiam, et Hebraicam non habeat. Quod si quis ostenderit duarum istarum arborum scissionis et sectionis in Hebræo stare etymologiam, tunc poterimus etiam hanc Scripturam recipere.* Ibidem nonnulla edisserens de verbis regis Babylonis, deque idolo Beli apud Babylonios, pulchre sententiam suam tuetur exceptione hac subtili : *Hoc quod Scriptura nunc dicit :* Exclamavit voce magna (*Dan.* XIII, 24) ; *quia de idololatra et ignorante Deum dicitur, videtur observationem nostram subvertere, qua dudum asseruimus, vocem magnam in sanctis tantum reperiri. Quod solvet facile qui hanc historiam in libro Danielis apud Hebræos dixerit non haberi. Si quis autem potuerit eam approbare esse de Canone, tunc quærendum est quid ei respondere debeamus.* Ex his manifestum nobis est, Origenem ita Hebraicæ veritati adhæsisse, ut nihil extra Canonem Hebræorum recipere, nihil non Hebraicum defendere voluerit. Nec vetat quod scriptum ab eo legimus in epistola ad Africanum ; quia prudenti consilio usitatos in Ecclesia codices, Vulgatamque lectionem Scripturæ ad ædificationem plebis, noluit a Christianis repudiari tanquam adulterina additamenta, aut mimorum arte contexta. In

homiliis igitur suis, quas ad vulgum loquitur, communem editionem ac lectiones usitatas sequitur : in tomis vero, id est, in disputatione majori, Hebraica veritate stipatus, et suorum circumdatus agminibus, interdum linguæ peregrinæ quærit auxilia. Quod ita testatum habemus ab Hieronymo præfatione Quæstionum Hebraicarum in Genesim. Sciendum tamen in Homiliis etiam Origenis bene audiri Hebraicam veritatem, ac sæpius præferri Septuaginta Seniorum interpretationibus. Homilia secunda in Cantica canticorum cum recitasset Origenes hæc verba Proverbiorum XXVII, 10: *In domum fratris tui ne intres infelix*, in ultimam vocem, *infelix*, sic observatum voluit. *Pro eo quod Septuaginta, infelix, interpretati sunt, Aquila, Hebræam exprimens veritatem,* ἀγροικὸν *posuit.* Homiali quoque undecima in Jeremiam manifestus est assertor Hebræorum voluminum, in tantum ut ea vocet exemplaria certiora atque veraciora, habita etiam ratione ad versionem LXX Interpretum. *Duplex quippe,* inquit, *Scriptura est. Nam in multis exemplaribus continetur:* Non profui, neque profuit mihi quisquam (*Jerem.* XV, 10.) *In his vero quæ exemplaria veriora sunt, et cum Hebræis consonant, habetur*: Non debui, neque debuit mihi quisquam. *Oportet igitur et quod in usu est, atque in ecclesiis legitur, exponere, et hoc quod in Hebræis codicibus invenitur, intactum non præterire.* Et post pauca: *Quia autem et alia nobis expositio residua est, propter exemplaria certiora, in quibus continetur:* Non debui, neque debuit mihi quisquam, *et hunc locum consideremus.* Qui plura desiderarit, ut persuasum habeat Origenem in omnibus agnovisse auctoritatem Hebraicorum voluminum, legat libros ejusdem contra Celsum, et tomos Commentariorum in Matthæum. Nunc unus pro aliis omnibus Græcis Patribus veniat ad probationem nostræ assertionis Procopius Gazæus sophista, qui Commentarios in Octateuchum ex vetustissimis orthodoxorum Patrum aliorumque scriptorum enarrationibus accuratissime concinnavit, et sententias eorum in unum corpus ac perpetuum interpretationis contextum delibavit. Hic itaque Græcus scriptor, ad primum Geneseos verbum, Hebraicam agnoscit veritatem, parumque abest quin LXX Interpretibus succenseat ob occasionem erroris quam præbent illi in sua translatione Scripturarum. *At si velimus,* inquit *Hebræam observare veritatem, sciendum est principii nomen significare caput. Itaque licebit hunc assignare sensum: Moses cælum et terram, quæ prima sunt entium visibilia, caput vocat,* etc.; deinde singula discutiens de verbo *creavit,* in primo Geneseos versu, hæc in primis notare studuit: *Verum si Hebraicam dictionem diligentius excutere velimus, reperiemus eam vocem non simpliciter significare, fecit, sed condidit, in conspectum nostrum dedit, et demonstravit; quæ omnia quodammodo docent, quod eam, cum prius non fuerit, nec ex præjacente materia constituerit, et videndam exibuerit. Nam quod Septuaginta Interpretes inquiunt,* fecit, *certe occasionem quibusdam magni erroris obtulere. Facere etenim de his prædicant, quæ ex quadam materia producuntur, ut ex ferro falx, et alia quæ nobis artificus efficiunt. Hinc quidam in hunc errorem provoluti sunt, ut vociferarent, Mosen ab Ægyptiis edoctum, credidisse ex præjacente materia hoc universum conditum, eamque sententiam statim in sui operis initio nobis inculcare, cum utatur verbo,* fecit, (*Gen.* I, 7, 16, 25). *Horum impudentiam cum ignorarent Septuaginta Interpretes, præsentem locum per verbum,* fecit *exposuere, cum satius fuisset aliter expositum esse, et per verbum, quod Hebræo per omnia responderet, sicut Mosem egisse constat, qui eo verbo quod ponit, quasi reluctatur summa vi illis qui materiam inducebant, ostendens evidenter eam non præjacuisse, Imo cœlum, terram, abyssumque antecessisse materiam commonstrat, dum ex his mundi ornatum processisse, populum suæ fidei commissum erudit.* Quanta sunt in hac Procopiana expositione, quæ veritatem Hebræorum voluminum commendant; quanta econtrario, quæ translationem Septuaginta Interpretum explodunt? Ne quis tamen sibi soli doctus, nobis vero multum indoctus propugnator LXX Translatorum, existimet, Procopium unico hocce loco tribuisse auctoritatem exemplaribus Hebraicis sacrorum Bibliorum, legat ejusdem Commentarios in caput undecimum Geneseos (vers. 10), ubi scriptum reperiet: *Sem fuit filius centum annorum, et genuit Arphaxad, biennio post diluvium. Hebraica veritas habet, Selam genitum esse ab Arphaxad. Quæ deinde in medio ponuntur, obelisco signata visuntur.* Junioris igitur, qui vocatur, Cainani jugulata est obelisco progenitura; quia nulla fuit in

veritate Hebraica hujus patriarchæ commemoratio. Ea autem quæ obelis signata, erant, nulla expositione dignabantur apud Græcos, quippe quod aliena a fonte Scripturarum, et adscititia haberentur in verbis propheticis. Tempus me deficiet, si cuncta replicem quæ in Procopii Gazæi collectione affatim occurrunt ad manifestandam auctoritatem, quam *Hebraicæ veritati* tribuere Græci scriptores. Verum nefas sit omisisse quæ de annis chronologicis priorum patriarcharum ante diluvium, scribit Procopius, quasi nomine aliorum omnium Græciæ tractatorum : *Notandum est*, inquit, *Hebræum semper circa centenarium numerum versari in componenda genealogia, exempli gratia* : *Adam natus annos* 230 *genuit Seth, qui primogenitus censetur* : *sed Hebræus sic scribit : Adam natus annos* 130 *genuit Seth* (*Gen.* v, 3)... *Enos vero vixit nonaginta annis, et genuit Kenan* (*Ibid.* 9)... *Kenan vero vixit septuaginta annis, et genuit Mahælalel*, etc. (*Ibid.* 12 seqq.) Ita consequenter usque ad patriarcham Henoch, qui cum Deo ambulans sublatus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Minorem vero numerum codicum Hebræorum hoc modo prosecutus Procopius, agnoscit talem chronologiam summa diligentia fuisse adnotatam a Moyse : *Ecce quanta diligentia adnotatum sit tempus quod præcessit generationem liberorum, et quod denique insecutum est.* Hic quidem in cap. v Geneseos probat Scripturam Hebraicam ; at in Commentariis ad versum octavum capitis XXXII Deuteronomii, errorem Septuaginta manifeste redarguit his verbis : *Ab Adam usque ad Noe ab eo decimum, annis circiter bis mille quadraginta duobus, qui error LXX Interpretum est, nullus in spatiosum iter reflexisse, historia fertur.* Ne congeries multorum similium testimoniorum lectorem obrueret, plura prætermitto ex iis quæ legi in Commentariis Procopii. Si cui jam allata non sufficiant, consultat ipse Commentarios in Octateuchum, et verum me dicere comprobabit.

Cæterum de ætate Procopii Gazæi sophistæ non una est eruditorum sententia. At si vera est epistola ejusdem Procopii ad ipsum Hieronymum scripta, quam Isaac Vossius afferebat in responsione ad tertias Simonii objectiones, pag. 117, æquales fuisse Hieronymum ac Procopium necesse est. Probat vero Joannes Curterius, interpres Procopii in Isaiam prophetam, Theodosii primi sæculum attigisse sophistam nostrum Gazæum : imo et prius etiam aliquanto cæpisse, cum hic se multos alacriter martyria subeuntes vidisse testetur, quæ in Juliano cessasse reperiuntur : a cujus imperio ad idolorum alteram usque dejectionem, Procopii sæculum produci queat. Vide præfationem Curterii in Epitomen variarum commentationum in Isaiam prophetam. Utut sit de tempore Procopii Gazæi, certum ab eo exstat Græcos scriptores ecclesiasticos omnes veritatis Hebraicæ tenacissimos fuisse cum Hieronymo : Septuaginta vero Interpretes sæpius ab ipsis abjectos esse. Præclare quidem commendatur Hebraica veritas ex iis quæ modo recensuimus : præcipuum tamen ac singulare est ad ejus laudis accessionem, quod in rebus maximi momenti, ac fidem catholicam spectantibus, ad fontem Hebræum recurrere, et, linguæ peregrinæ auxilia quærere teneantur Græci atque Latini orthodoxi. Procopium jam vidimus repudiantem Septuaginta Interpretes, qui occasionem erroris præbuerunt in primo versiculo Geneseos, propter verbum *fecit* ; ut multi dicerent Mosen credidisse ex præjacente materia universum cœli ac terræ opificium conditum fuisse. Hujus opinionis imperitiam non aliunde refellit. Procopius, quam ex Hebraico contextu, ubi diserte testatur Moses Deum creasse, ברא *bara* id est *ex nihilo condidisse* cœlum et terram. Cum autem creationis mundi ex nihilo fidem excludant aliquo modo Septuaginta Translatores, pejus adhuc creationem inducunt in æternam Sapientiæ Dei generationem, et inde Arianæ hæresi ansam sui dogmatis subministrant. Ideo sancti Patres provocant ad Hebraicam veritatem, qua error Arianorum validissime confutatur. Epiphanius hær. 68, pag. 320, Arianis, locum a LXX male editum, ὁ Κύριος ἔκτισέ με, urgentibus, ita respondit : *Hi, cum Hebraicas dictiones neque attigerint, neque noverint, neque commodo se habeat harum vis, sciant : proterve et petulanter insultarunt, graves inimici* : *quærentes occasionem unde fidem mutilent, imo magis seipsos, nec enim possunt veritatem. Et quia invenerunt,* Dominus creavit me (*Prov.* VIII, 22), *periculose velut imaginantes somniant, ea, quæ ad nihil commoda sunt, vitæ inferentes, et orbem terrarum turbantes : at Hebraica lingua non sic habet. Unde et Aquila dicit,* Dominus posse-

dit me, *etc.* De eodem testimonio hæc habet Hieronymus lib. II Commentariorum in caput IV (vers 24.) Epistolæ ad Ephesios : *Unde et hæresis nativitatem Christi calumnians, Salomonis usurpat exemplum : Dominus creavit me initium viarum suarum.* Quod ipse castigat lib. II Commentariorum in cap. IV Michææ (vers. 9), dicens : *Sive, ut Hebræo scribitur, Dominus possedit me.* CANANI *enim* (קנני) *non creavit me, sed possedit me habuitque, significat.* Clarius adhuc in epistola ad Cyprianum, ubi exponit octogesimum nonum psalmum. Ait igitur non longe ab initio : *Simile quid et in Proverbiis ex persona Sapientiæ, qui Christus est, legitur :* Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua : ante sæcula fundavit me in principio : antequam terram faceret et abyssos, priusquam produceret fontes aquarum, priusquam montes firmarentur, ante omnes colles generavit me (*Prov.* VIII, 22-25.) *Nullum autem debet verbum creationis movere, cum in Hebræo non sit creatio, quæ dicitur* BARA (ברא), *sed possessio : ita enim scriptum est,* ADONAI CANANI RESITH DERCHO (יהוה קנני ראשית דרכו), *quod in lingua nostra exprimitur,* Dominis possedit me, initium viarum suarum. *Inter possessionem autem et creationem multa diversitas est, Possessio significat, quod semper Filius in Patre et Pater in Filio fuerit. Creatio autem ejus, qui prius non erat, conditionis exordium.* Idem Hieronymus, libro Quæstionum Hebraicarum in Genesim, et libro primo adversus Jovinianum, urget immaculatum partum Virginis Mariæ tum contra Judæos, tum contra hæreticos, ex dictione Hebraica העלמה *aalma*, quæ legitur Isaiæ VII, 14, ubi virgo paritura nostrum Emmanuel prædicta erat. *Loquatur Isaias*, inquit sanctus doctor lib. I adversus Jovinianum, *spei nostræ fideique mysterium.* Ecce virgo in utero concipet, et pariet filium, et vocabis nomen ejus Emmanuel. (*Ibid.*) *Scio Judæos opponere solere, in Hebræo verbum* AALMA, *non virginem sonare, sed adolescentulam. Et revera virgo proprie* BETHULA, *adolescentula autem vel puella, non* AALMA *dicitur, sed* NAARA. *Quid est igitur quod significat* AALMA *? Absconditam virginem, id est, non solum virginem, sed cum* ὑπερβάσει *virginem : quia non omnis virgo abscondita est, nec ab hominum fortuito separata conspectu... In eo loco in quo ait :* Virgo quæ egredietur, ut hauriat aquam (*Gen.* XXIV, 16, *in Hebraico scriptum est* AALMA, *id est virgo secreta, et nimia parentum diligentia custodita. Aut certe ostendat mihi, ubi hoc verbo appellentur et nuptæ, et imperetiam confitebor.* Pro purissimo virginitatis et integritatis honore adversus eumdem Jovinianum dum supra militaret libro jam laudato Hieronymus, hoc Zachariæ commate hæresim jugulabat. *Et expletur,* inquit, *illud vaticinium Zachariæ, duntaxat juxta Hebraicam veritatem de Ecclesiæ virginibus prophetantis :* Complebuntur infantibus, et puellis ludentibus plateæ ejus (*Zach.* VIII, 5). Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines (*Zach.* IX, 16, 17) ? *Istæ sunt virgines*, etc. Vides, prudens lector, *spei nostræ fideique mysteriis*, cum adversus Judæos, tum adversus hæreticos, patrocinia quæsita e codicibus Hebræorum, et Ecclesiæ catholicæ invictissimos pugiles, ubi quæstio est de fide nativitatis Christi, Verbique æterna generatione, ad Hebraicam semper provocasse veritatem. Quod utique incassum ivisset, nisi constans ac perpetua fuisset habita apud omnes auctoritas Hebræorum voluminum. Merito proinde aiebat Hieronymus epist. 74, ad Marcellam : *Iampridem cum voluminibus Hebræorum editionem Aquilæ confero, ne quid forsitan propter odium Christi synagoga mutaverit, et ut amicæ menti fatear, quæ ad nostram fidem pertineant roborandam, plura reperio.* Suspicabatur vir sanctus Aquilam subdola interpretatione nonnihil mutasse de Scripturis sanctis, dumque editionem ejus cum fonte Hebræo contendit, plura reperit Hebraica veritate ad comprobationem nostræ fidei. Quare alibi pudebat tantum doctorem contentionis nostrorum sciolorum, qui Hebraicam veritatem, id est suam ex Hebræo translationem, arguebant. *Judæi,* inquit, *contra se legunt, et quid pro se sit, nescit Ecclesia.*

Pro Ecclesia maxime erat quod in prophetarum voluminibus Hebræis legebatur : utque inconcussum haberet fides Christiana apud ipsos inimicos testimonium. Judæorum gentem Deus per terras dispergi voluit cum instrumentis divinarum Scripturarum, quibus nostræ religionis sacramenta non conficta, sed a vero Deo promissa atque completa demonstrantur. Hinc sanctus Augustinus de Civitate Dei lib. XVIII, cap. 46 : *Nobis quidem,* inquit, *illæ sufficiunt prophetiæ, quæ de no-*

strorum inimicorum codicibus proferuntur, quos agnoscimus propter hoc testimonium, quod nobis inviti perhibent, eosdem codices habendo atque servando, per omnes gentes etiam ipsos esse dispersos, quaquaversum Christi Ecclesia dilatatur... quoniam si cum illo testimonio Scripturarum in sua tantummodo terra non ubique essent, profecto Ecclesia, quæ ubique est, eos prophetiarum, quæ de Christo præmissæ sunt, testes in omnibus gentibus habere non posset. Idem docebat in Psalmum LVI, vers. 7, cum diceret: *Ut Judæi tanquam capsarii nostri libros nostros circum ferrent, ut cum pagani non credunt, quæ nos de Christo prædicta fuisse dicimus, quasi a nobis essent conficta, mittamus eos ad inimicos fidei nostræ Judæos, qui libros nostros circumferunt, in quibus eadem habentur, quæ nos prædicamus.* His consonant quæ leguntur apud Justinum Martyrem Oratione prima ad Græcos, ubi religionis Christianæ libros asservatos esse pronuntiat cum sacris Judæorum exemplaribus: nec id quidem fortuito, sed ex divinæ providentiæ consilio admirabili: *Nam quod etiam nunc apud Judæos pietatis nostræ libri asservantur, divinæ id de nobis opus est prudentiæ.* Audiendus de eodem argumento Tertullianus, qui apertissime demonstrat supremam fuisse in Ecclesia Christi auctoritatem Hebræorum voluminum ad rerum ineffabilium veritatem comprobandam, et ethnicis fidem faciendam de cultu Christianæ religionis nostræ. Inanium itaque deorum cultores hoc modo compellit et interpellat. Apologet. cap. 18 et 19: *Hæc et nos risimus aliquando. De vestris fuimus: fiunt, non nascuntur Christiani. Quod diximus prædicatores, prophetæ de officio præfandi vocantur. Voces eorum, itemque virtutes, quas ad fidem divinitatis edebant, in thesauris litterarum manent, nec iste nunc latent... Hodie apud Serapeum, Ptolomæi bibliothecæ cum ipsis Hebraicis litteris exhibentur. Sed et Judæi palam lectitant. Vectigalis libertas vulgo aditur sabbatis omnibus. Qui audierit, inveniet Deum: qui autem studuerit intelligere, cogetur et credere. Primam instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vindicat: deos vestros, ipsa templa, et oracula, et sacra, unius interim prophetæ scrinium sæculis vincit, in quo videtur thesaurus collocatus totius Judaici sacramenti, et inde etiam nostri.* De Hebræis voluminibus locutum fuisse Tertullianum hoc Apologetici loco, nemo prudens ac sobrius inficiabitur. Si qui erunt tantis cervicibus, qui audeant ad suos sensus contorquere tam apertum antiquissimi scriptoris testimonium, facile ex ipso textu ordineque sermonis eorum pervicaciam revincere poterunt, qui controversias scribunt, vel disputationes prolixas instituunt. Nos æquis lectoribus, non litigiosis, hæc scripsisse contenti, ad alias pergemus probationes.

Summam ex alio capite auctoritatem deducimus Hebræorum voluminum. Nam cum sanctorum Patrum celebratissimi Hilarius et Ambrosius exemplaribus secundum Hebræum correctis et emendatis semper adhæserint, ex eo nobis evidentissimum indicium præbent quanta fuerit apud illos dignitas Hebræorum codicum. Hanc in sancto Hilario venerationem erga fontem Hebræum observat Petrus noster Coutant, num. 19 et 20, admonitionis in Commentarium Psalmorum, sive in tractatus Hilarii super Psalmos. Is tametsi natam de mundi ætate controversiam ingredi forte nolens, omnem a se removet suspicionem opinionis præjudicatæ in gratiam Hebræorum voluminum, testisque accedit locuples ad declarationem sententiæ sancti Hilarii, quem nobis edidit. Sic igitur nonnulla loca Operum a se nuper editorum expendit: *Quanti etiam fecerit* (Hilarius) *Psalmorum librum apud Græcos, secundum Hebræos emendatum, initio littera* 8, *psal.* CXVIII, *testatum reliquit: ubi a præconcepta sententia, quam Latini codices confirmabant, ac nonnulli Græci, ob unam illius auctoritatem discedit. In ejusdem libri emendatione, ut in totius psalmi* CXVIII *explanatione, consensit Ambrosius in eumdem locum. Utriusque verba ab illud Luciani martyris opus commode referes, de quo Euthymius testatur:* omnibus editionibus visis, et cum Hebraica veritate diligentissime collatis, propriam editionem, nihil mancum, nihil habentem superfluum, Christianis tradidit, etc.

Ille cum ex hoc loco, quo librum secundum Hebræos *emendatum tanti ducit, tum ex altero, quo Græcis codicibus, quia* ex Hebræo fonte proximi sunt, *aliquanto plus quam Latinis auctoritatis esse innuit, suam de Hebræo textu sententiam manifestam fecit. Neque vero textus hujus sinceritatem arguit, sed tantum ab ejus ambiguitate sibi cavendum monet. Imo si verba illius in psal.* II, *num.* 3, *assequimur, libri Hebræi simul cum iis quos*

Septuaginta Translatores ediderant, post resurrectionem Domini collati sunt, et cum fideliter constantes comperti essent, utriusque indissolubilis constituta est privilegio doctrinæ et ætatis auctoritas. *Certe cum ibidem fatetur, Hebræis non necessarias fuisse Seniorum Septuaginta translationes, cumque numero* 4 *Paulo Hebræo apud Hebræos Hebræo textu uti licuisse ostendit, aperte indicat, sese hunc corruptum nequaquam suspicari.* Tantum abest ut depravatos putaret Hilarius codices Hebræorum, quin potius *indissolubilem* eis constituit *auctoritatem*, cum docet libros illos diligenti et religiosa custodia fuisse servatos, post passionem et resurrectionem Christi collatos cum versione LXX Interpretum, ac usu quotidiano celebratos, Hebræos inter et apostolum Paulum. Insignem adeo locum haud integrum recitasse vix mihi concederent lectores studiosi : quare totum affero, prout editus est a nostro Coustant ; *Horum igitur translationes Hebræis tum lingua tantum sua utentibus non erant necessariæ. Ipsis tamen omnibus diligenti et religiosa custodia observatis, quibus postea quam Dominus legem omnem sacramento et corporationis suæ, et passionis, et resurrectionis impleverat, cum his libris, quos regi iidem translatores ediderant, collatis, et fideliter consonantibus compertis, indissolubilis constituta est privilegio doctrinæ et ætatis auctoritas. Beatus ergo apostolus Paulus, secundum professionem suam Hebræus ex Hebræis* (*Philipp.* III, 5), *etiam secundum Hebraicam cognitionem et fidem psalmum hunc primum esse dixit, translatorum distinctione non usus : cui maximum hoc prædicandi ad Synagogæ principes studium erat, ut Dominum nostrum Jesum Christum Dei Filium, natum; passum, resurgentem, regnare in æternum ex doctrina legis ostenderet. Tenuit itaque hunc modum, ut Hebræus ipse et Hebræis prædicans, Hebræorum consuetudine uteretur.* Bene monet supra dictus noster editor Hilarii, verba isthæc tractatus in II psalmum maxime favere Hebraico textui, illique concessam esse ab Hilario indubitatam auctoritatem ætatis atque doctrinæ. Sed cum eo consentire non possum, ubi existimat *librorum sacrorum Canonem recensitum fuisse ab Hilario juxta Hebræos, non juxta usum Ecclesiæ suis temporibus receptum.* Quippe usque ad ætatem hujus sancti Doctoris unus fuit usus Judæorum ac Christianorum in Scripturis canonicis recipiendis : ita ut non plures in Canonem Veteris Testamenti admitterentur ab Ecclesiis Christi, quam viginti duo, qui in Judæorum Canone habebantur. Testes huic assertioni sunt Melitonis Sardensis Catalogus apud Eusebium libro IV Historiæ Ecclesiasticæ, capite 26 ; Origenes homilia 7 in Josue, Commentario in psalmum I, et apud eumdem Eusebium libro VIII, capite 25 ; Laodicenæ synodi canon 60 ; Synopsis vulgo Athanasii Alexandrini dicta, et ejusdem Epistola festiva ; Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4 ; Gregorius Nazianzenus Carmine de libris Authenticis ; Amphilochius ad Seleucum de iisdem Scripturis, et alii bene multi, quos hic non recenseo. Latinorum vero duo in primis, Hieronymus et Rufinus Aquileiensis, qui diserte testati sunt libros *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *Judith*, *Tobiæ*, et *Machabæorum*, legi quidem consuetos esse in ecclesia ad ædificationem plebis : non tamen inter canonicas Scripturas fuisse adhuc admissos. Consule Hieronymi Præfationem in libros Salomonis, et Symbolum supra dicti Rufini. Præterea colligi potest ex ipsis Hilarii verbis librorum divinorum Canonem recensentis, de usu in Ecclesia recepto eum fuisse locutum. Nam cum addat, post recensitos viginti duos libros. *Quibusdam autem visum est, additis Tobia et Judith, viginti quatuor libros secundum numerum Græcarum litterarum connumerare*, etc. ; perspicue ostendit Christianos in hac enumeratione esse intelligendos ; quis enim inter Circumcisos, librum Judith vel Tobiæ in sanctarum Scripturarum Canonem fertur admisisse ? Christiani igitur erant, et qui viginti duos tantum libros canonicos suscipiebant, et qui viginti quatuor connumerabant secundum numerum Græcarum litterarum. Hæ rationes tanti momenti ac ponderis mihi videntur, ut recedere me compulerint a superiori sodalis nostri sententia, quantumvis ejus in aliis studium probem. Verum inter amicos etiam et fratres nihil officit hæc opinionum diversitas.

Quanta demum fuerit auctoritas Hebræorum codicum apud Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum, Eucherium Lugdunensem, et cæteros posteriores Latinæ linguæ homines, superfluum esset hic adnotasse : quia neminem virorum studiosorum novi, qui non fateatur, prædictos Patres veritati Hebraicæ primas partes semper tribuisse in

auctoritate divinorum voluminum. Et nisi me fallat opinio, satis superque res ipsa demonstrata est in opusculis nostris, quæ nuper edidi in defensionem Vulgatæ Latinæ, ac Hebraicæ veritatis. Huc non timemus amandare quoscunque delectat simplicis ac puræ veritatis aspectus, non mendaciorum fucata facies, sermonisque lenocinium. Præterea consuli velim quæ superius a nobis explicata leguntur prolegomeno secundo, num. 4 et 5. Quoniam in illis apertissima est auctoritas qua gaudebant apud Gregorium Magnum, ac in Gallicanis Ecclesiis, sacri Hæbræi codices. At præsenti quæstiunculæ finem facientes, lectorem studiosum monemus, textum Hebraicum conceptis verbis appellatum fuisse *veritatem Hebraicam*, tam ab auctoribus Græcis quam a Latinis Patribus. Sic Origenes loco supra citato. Procopius similiter, et Euthymius Præfatione in Psalmos ; inter Latinos autem Hieronymus ubique arcem tenet *veritatis Hebraicæ ;* Augustinus lib. XVIII de Civit. Dei, cap, 44, et Quæstionibus in Heptateuchum, de quibus antea dictum est ; Beda, Albinus, Joseph abbas ejus discipulus, Rabanus Maurus, Agobardus, Claudius Taurinensis Stephanus Civerciensis, et alii innumeri his recentiores.

IV. Facilis est ac expedita partium singularum Canonis expositio : quia tres ordines quibus constat, distincte et explicate ab Hieronymo descripti sunt in prologo Galeato Scripturarum, quem præmissit quatuor Regum libris, ad quorum etiam frontem a nobis editus est. Ne actum tamen hic agere videamur, nonnulla de eodem Canone disseremus, quæ nondum disputationibus ventilata sunt, neque in notis, neque in prolegomenis nostris. In tres itaque partes omnis Scriptura a Judæis divisa est, in *Legem*, in *Prophetas*, et in *Hagiographa*. Prima classis, sive primus ordo, qui התורה *Thora*, id est *Lex,* ab eis dicitur, quinque libros Nosis continet, *Genesim* scilicet, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros* et *Deuteronomium*. Hi omnes a principiis suis nomina sortiuntur apud Judæos, ita ut Genesis vocetur *Bresith*, quia primum hujus libri vocabulum in textu Hebraico est בראשית *Beresith*, quod significat, *In principio* (*Gen.* I, 1). Similiter Exodum vocant *Ellesmoth*, sive Οὐελλεσμώθ, *Vellesmoth*, ut legit Origenes Commentario in psalmum I. Nam primæ voces in libro Exodi istæ sunt שמות יאלה *Vellesmoth*, quod interpretatur, *Et hæc nomina*, vel *Hæc sunt nomina* (*Exod* I, 1). Leviticus dicitur, *Vajicra ;* apud Origenem, Οὐικρά, *Vikra ;* apud Hieronymum, *Vajecra ;* in Hebræo scriptum est ויקרא. Id vero significat, *Et vocavit* (*Levit.* I, 1). Quartus Mosi liber, quem *Numeros* vocamus, incipit ab hoc verbo ויובר, *Vajedabber,* et eodem modo vocatur ab Hebræis. Nam quod Origenes notavit in psalm. I, de volumine Numerorum, non primam vocem spectat, sed potius argumentum in eo pertractatum (*Num.* I, XXVII passim), ut diximus in notis ad prologum Galeatum, col. 318. Quintus denique legis Mosaicæ liber dictus est *Elle haddabarim*, vel ex Origene Ἑλλε ἀδδεβαρίμ, *Helle haddebarim*; in Hebræo enim istud habet initium, אלה דדמים, *Elle haddebarim*, id est, *Hæc sunt verba* (*Deut.* I, 1). Hæc est prima pars Canonis Hebraicæ veritatis, qua Pentateucho Mosis constituitur.

Secunda pars, sive secundus ordo librorum Canonis complectitur omnes prophetas, *Priores* scilicet, et *Posteriores*, uti vocantur a Judæis, נביאים לאשונים, *Neviim rischonim*, et נביאים אהדונים *Neviim ahharonim*. Priores sunt quatuor, qui librorum *Josue*, *Judicum*, *Samuelis*, et *Malachim*, id est *Regum*, titulo prænotantur. Posteriores autem prophetæ quatuor itidem volumina constituunt, I *Isaias*. II *Jeremias*, III *Ezechiel*, IV *Duodecim Minores* una simul. Octo igitur habet libros secunda classis in Canone Hebraicæ veritatis. Ita tamen ut volumen *Ruth* unico volumine complexum sit cum Judicum libro, qui apud Hebræos שפמים, *Sophtim,* vel Juxta Origenem Σωφετίμ, *Sophetim*, dictum est.

Tertius ac ultimus ordo *Hagiographa* possidet, quæ ab Hebræis כחובים *Kethuvim* nuncupantur, id est, *Scripta ;* non quidem vulgaria, sed sancta et בורוהקדש, *bervahh haccodesch*, *per Spiritum sanctum* litteris consignata, hoc est, per immediatum afflatum sancti Spiritus. Consule Maimonidem in More Nevochim parte II, cap. 45. Hagiographa autem novem numerantur, *Job*, *Psalmi*, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Canticum canticorum*, *Daniel*, *Paralipomena*, *Ezras*, et *Esther*. Apud Origenem liber Psalmorum inscribitur Σίφερ θιλλίμ, *Sepher thillim*, et Proverbia prænotantur titulo Μισλώθ, *Misloth*. Quod ideo adnotamus, ne nos prætereat varians horum nominum lectio apud veteres; nam aliter leguntur apud Hieronymum, nempe *Sephar tallim*, *et Masaloth*, vel *Masloth*. Cætera

videsis in scholiis ad prologum Galeatum.

Hujus divisionis Scripturæ sacræ in tres partes principaliores meminit Salvator noster Christus Dominus Luc. XXIV, 44 : *Quoniam necesse est,* inquit, *impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.* Ubi Psalmi ponuntur pro omnibus hagiographis, quibus constituta est tertia classis librorum Canonis. In Psalmis namque major pars prophetiarum, ac manifestiora de Christo oracula prænuntia leguntur : ideo volumen Psalmorum nominavit Christus tanquam nobiliorem partem in ordine Hagiographorum. Alibi apud eumdem Lucam XVI, 16, duas tantum partes nominavit, dicens : *Lex et prophetæ usque ad Joannem.* Sicut ergo Psalmos hoc loco prætermissos conspicimus, ita nihil mirum sit, quod de serie Hagiographorum meminerit Christus unico tantum hujus ordinis volumine appellato. Notandum vero per synecdochen partem integram Scripturæ alibi positam esse pro uno libro ejusdem partis ; ut Joannis VI, 45, dicitur : *Est scriptum in prophetis,* cum tamen testimonium illud a Joanne recitatum in uno Isaiæ volumine, cap. LIV, 13, scriptum reperiatur. Sed dicendo, *in Prophetis,* secundam classem librorum Canonis intelligit evangelista : nempe partem illam quæ *prophetas* continet. Idem occurit Actor. XIII, 40: *Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in prophetis.* Nam locus ibi citatus desumptus est e capite primo, vers 5, Habacuci, non ex omnibus prophetis. Verum *in Prophetis* dixit, quia attentus erat in eam partem Scripturæ quæ omnes libros propheticos complectitur, vocaturque *ordo prophetarum.* Nihil de Josepho, Judæorum vernaculo scriptore, vel ex Commentariis Masorethicis hic amplius adjiciemus ad probandam antiquam illam divisionem Scripturarum in tres partes præcipuas : sufficere enim credimus ea adduxisse, quæ auctoritatem habent a Christo et ab apostolis. Qui plura de hoc argumento poposcit, adeat Buxtorfios, Bonfrerum, et multos alios commentatores, qui præludia isagogica scriptitarunt ad sacrorum Bibliorum intelligentiam.

V. Odium, quo Rufinus Hieronymum prosecutus est, persuasit aliquando illi calumniatori partes nonullas Scripturæ e volumine Danielis abscissas esse et abjectas a sancto doctore. Sic enim criminatur Invect. II in Hieronymum : *Omnis illa historia de Susanna* (*Dan.* XII), *quæ castitatis exemplum præbebat ecclesiis Dei, ab isto abscissa est, et abjecta, atque posthabita.* De cantico Hebræorum puerorum in camino ignis ardentis, similes habet querimonias : *Trium puerorum hymnus* (*Dan.* III. 52-90), *qui maxime diebus solemnibus in Ecclesia Dei cantatur, ab isto e loco suo penitus erasus est.* Hanc Rufini imperitam reprehensionem non solum imitatus est scriptor nuperus ; sed calumniam calumniis cumulans, ausus fuit asserere Ecclesiam Christi castigasse Hieronymianam versionem, et eas Danielis partes restituisse in Canone, quas sensu Judaico et Rabbinico spiritu Hieronymus absciderat. Illis ergo ac similibus conviciis id reponit sanctus interpres : *Quod autem refero, quid adversum Susannæ historiam, et hymnum trium puerorum, et Belis draconis fabulas* (*Dan.* XII, XIII, XIV), *quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere : qui me criminatur, stultum se sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi.* Et infra : *Quæso te, amice dulcissime, qui tam curiosus es ut etiam somnia mea noveris, omniaque, quæ per tot annos absque metu futuræ scripsi calumniæ, in accusationem vocas, ut respondeas, quomodo eorum Præfationes librorum nescias, quos accusas ? Quæ quodam vaticinio futuræ calumniæ responderunt, implentes proverbium : Prius antidotum, quam venenum.* Certe ex ipsa præfatione in Danielem de Hebræo Latine conversum, manifeste patet Rufinum ejusque hodiernos gregales non legisse prologos librorum quos in condemnationem vocant. Nonne ibi contestatur Hieronymus partes illas, quæ in Hæbræo non inveniuntur, a se fuisse subjectas cum signis obelorum ? *Hæc idcirco refero,* inquit, *ut difficultatem vobis Danielis ostenderem, qui apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis draconis fabulas* (*Ibid.*), *quas nos, quia in toto orbe dispersæ sunt, vero anteposito easque jugulante, subjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse.* Hieronymo igitur animum Judaicum quisquis impingit, stultum se probat sycophantam, utpote qui nesciat sanctum Doctorem in sua Danielis Latina conversione, et hymno trium puerorum, et historiæ Susannæ proprium tribuisse locum, nihilque de illis partibus detruncasse, nec quidem Commentariis in

Danielem. Audiant qua propter obtrectatores illi doctissimum virum in causam suam eleganter descendentem procœmio jam laudatorum Commentariorum : *Unde et nos ante annos plurimos cum verteremus Danielem has visiones obelo prænotavimus, significantes eas non haberi in Hebraico. Et miror quosdam* μεμψιμοίρους *indignari, mihi, quasi ego decurtaverim librum*, etc. Ergo nunc cum Amasio suo Rufinum probent quidem μεμψίμοιροι abcissam et posthabitam esse historiam Susannæ ab Hieronymo, ideoque illi malo Ecclesiam Christi succurrisse, quando Vulgatam Latinam utendam tradidit fidelibus. Apud pios vero ac bene eruditos illud observatum velim, hymnum trium puerorum, historiam Susannæ, et alteram Belis draconis, sumptam fuisse non ex LXX Interpretibus (qui recto judicio Ecclesiæ repudiati sunt in toto Danielis volumine), sed ex Theodotione, licet Ebionita et Semi-Judæo, quia hujus translatio veritati consona reperta est, cum illa quæ circumferebatur nomine LXX Translatorum, multum a veritate discordaret. Utque persuasum habeant omnes Ecclesiam catholicam per omnia adhærere Hieronymo in Latina Danielis editione, conferat qui voluerit, apud Carum thelogum, variantes lectiones cantici Azariæ a versu 26 ad versum 45 (*cap.* III), ubi multa deprehendet diversa in editione veteri, ab iis quæ leguntur in Vulgata, ac in Canone Hebraicæ veritatis, a nobis edito. Præterea insertæ in tra textus Danielis adnotatiunculæ Hieronymi manifestissimum præbent argumentum, Ecclesiam Romanam non aliam sequi versionem in libro Danielis, quam illam Hieronymianam tum ex Hebræo, tum ex Theodotione expressam.

Nunc signa obelorum quibus omnes illas partes deuterocanonicas prænotavit Hieronymus diligenter consideranda sunt in Danielis volumine. Nam primo sciendum, illa signa per scriptorum negligentiam e pluribus mss. libris esse subtracta. Quæ notariorum incuria vetus adeo est, ut illam his terve conqueratur Hieronymus epist. 133 : *Quæ signa*, inquit, *dum per scriptorum negligentiam a plerisque quasi superflua relinquuntur, magnus in legendo error exoritur.* Supersunt tamen aliquot codices, qui obelos retinent prænotatos tam in prioribus additamentis Danielis, quam in appendicibus Estheris. Manuscriptus Regius Bibliorum sacrorum, vulgo dictus codex S. Mauri, notatus num. 3561 et CCXXII, retinet diligenter omnia isthæc signa obelorum ac Hymnum trium puerorum in Danielis volumine. Similiter splendidissimum exemplar Colbertinæ bibliothecæ num. 1, quod Carolo Calvo donarunt olim monachi S. Martini Turonensis, habet prænotatas illas virgulas eodem Danielis loco, et hoc quidem ad caput omnium linearum. Non sic Exemplaria Canonis Hebraicæ veritatis, ubi librariorum et notariorum incuria hujusmodi signa prætermissa sunt. Excipiendum tamen Regium exemplar, notatum 3564, quod non omnia obelorum signa prorsus abjecit, quatuor enim, vel quinque habet adscripta in capite, medio et fine columnarum, sub quibus comprehendi voluit lineas singulas harum partium Danielis. Quod spectat historiam Susannæ (*Dan.* XII) et Belis (*Ibid.* XIV), nullum usque in præsens codicem ms. invenire potui, in quo signa obelorum non fuerint omissa, quamvis Hieronymus expresse testatus sit, *has visiones obelis prænotatas esse*, ut lectoris admoneretur intentio, eas in Hebraico non haberi. Quare *visiones* dictæ sint a veteribus scriptoribus illæ sectiones, quæ apud nos hodie *Capita* nominantur, commodius infra declaratur.

Notandum est secundo inæqualem esse obelorum formam non in diversis solum, sed in iisdem etiam mss. codicibus. Sic laudatus supra manuscriptus Colbertinus signa hæc in toto Hieronymi Psalterio scripta retinet cum duobus punctis, uno superiori, et inferiori altero, ad istum modum ÷ ; in additamentis autem Danielis et Esther, eamdem repræsentat virgulam ÷, transversam, sed absque ullo puncto. Regius quoque num. 3561 in Danielis Hymno obelum habet punctis ornatum ÷, at in fine Estheris solam exhibet virgulam jacentem ÷ sine punctorum comitatu, quod imitatur Corbeiensis mss. codex num 1. Cæteri San-Germanenses nostri et Memmianus Canon partes Estheris ultimas obelis pænotant cum duplici puncto supremo et infimo ÷, Eadem signa obelorum binis punctis instructorum visuntur in editione Origenica libri Esther, ex Arundelliana bibliotheca producti. Caveat autem prudens lector, ne notulam compendiariam in mss. libris usitatam confundat cum signo obeli, propter eamdem omnino figuram utriusque assignatam. Nam librarii et scriptores antiqui utuntur hoc charactere ÷ pro verbo, *est*, tertia persona sin-

gulari verbi substantivi *sum*. Unde legimus saepius : *Et ÷ sensus* : pro *Et est sensus*. *Quis ÷ in vobis* : pro, *Quis est in vobis*. Sicque aliis locis innumeris, prout placuit veteribus notariis, qui ab annis septingentis plus minus libros exscribere curarunt.

Cæterum obelorum signa in additamentis Danielis et Esther non potuerunt proprias ubique sedes habere in hac præsenti editione nostra : nam librariorum hodiernorum seu impressorum usus non patitur eamdem paginarum et columnarum disposituram, quæ in codicibus mss. repræsentatur. In manuscriptis obeli semper prænotantur ad caput versuum, sive singularum linearum sacri contextus, tam in secunda paginarum columna, quam in prima, medium enim spatium relinquunt sufficiens inter columnas, in quo spatio continue describunt obelos. Contra in editis libris nihil est intermedium, nisi majusculæ litteræ ad distinctionem columnarum, vel partium contextus. Nec quid aliud in medio positum hodiernæ typographiæ leges paterentur præter jam dictas litteras, aut lineam pendentem a summo usque ad imum paginæ versum. Ideo necessitate compulsi, ne novam induceremus dispositionem apud typographos, satius esse duximus, obelorum signa in margine exteriori semper ascribere, et in prima quidem columna ad caput singularum linearum Scripturæ, in posteriori autem columna ad finem linearum ; ita tamen ut cujusque obeli cuspis in scripturam sit conversa, qua significatur apud Hieronymum, confodiendas esse hujusmodi partes, quæ absunt in Hebræis exemplaribus.

De obelorum denique signis illud etiam lectorem monemus, diversa esse signa isthæc in libris Samuelis, et Salomonis Proverbiis, ad margines horum librorum a nobis posita, ab illis Hieronymianis, de quibus hucusque diximus. Nostra enim signa obelorum non significant additituum quid aut superfluum exstare in texta, quem edidimus in libris Regum et Proverbiorum ; sed studiosis quibusque indicant Vulgatam Latinam his locis aliquid redundare, et a LXX Interpretibus mutuatum habere, quod nec in pura Hieronymi versione, nec in fonte Hebraico legatur. Usum itaque obelorum nostrorum nullus promiscue accipiat, putans eumdem esse cum illo quem habent in translatione Danielis et Estheris apud Hieronymum, quia nostri obeli quosdam versus absentes indicant, alii vero sententias præsentes Scripturæ, quasi veru anteposito jugulatas docent et commonefaciunt.

VI. Non parvam in hoc præsenti articulo quæstionem movemus, inquirentes quisnam fuerit primus auctor scholiorum marginalium, quæ in exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis posita reperimus, quantaque sit hujuscemodi adnotationum utilitas ac præstantia. Ego quidem nihil prius mihi faciendum putavi, quam ut fatear me aliquando errasse in auctore scholiorum, quem ipsummet Hieronymum opinabar, nec sine aliqua similitudine veri. Sciebam ab eodem S. Doctore monitus in epistola 135 nonnunquam pro eruditione legentium adnotationes additas e latere contextus : has vero temeritate vel imperitia librariorum in corpore fuisse positas. Unde docta scholia marginalia veritati Hebraicæ consona, in sacrum textum Scripturæ derivata cum deprehendissem, facile mihi statim persuadebam idem in pluribus evenisse, quod ipse epistola jam laudata conqueritur ad psalmum LXXIII, vers, 8, ubi ait : *In Græco scriptum est* καταπαύσωμεν *et nos ita transtulimus* : Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra. *Et miror quomodo e latere adnotationem nostram nescio quis temerarius scribendam in corpore putaverit, quam nos pro eruditione legentis scripsimus hoc modo* : *Non habet* καταπαύσωμεν *ut quidam putant* ; *sed* κατακαύσωμεν, *id est incendamus* ; et iterum eodem loco : *Unde si quid pro studio e latere additum est, non debet poni in corpore, ne priorem translationem pro scribentium voluntate conturbet.* Præterea aliud exemplum ejusdem temeritatis librariorum, nisi potius imperitiæ fuerit, animadverti in epistola 142, ad Damasum papam : nam in uno Colbertino antiquissimo codice Epistolarum S. Hieronymi, e latere additam inveni adnotationem quamdam marginalem quæ in alio codice monasterii San Cygirani in corpore posita legitur. Monebat Hieronymus pontificem Romanum de nomine ineffabili Dei, et apud Hebræos יהוה tetragrammato ; sicque rem observabat, *Dominus quoque ipse hic quatuor litterarum est, quod proprie in Deo ponitur* IOD, HE, IOD, HE, *id est, duabus* IA, *quæ duplicata ineffabile illud et gloriosum Dei nomen efficiunt.* At errorem Græcorum, qui nomen illud quatuor litterarum, יהוה legebant, IIIII, *Pipi*, imitatus in

contextu epistolæ Hieronymus, statim sese, et eum redarguit addens e latere hanc adnotationem : *Pro secundo* IOD *melius* VAV *legitur ut sit* IAO. Hoc igitur scholion marginale suo loco retinet Colbertinus codex minutissimo scriptus charactere, ponitque signum emendationis post ista, *id est, duabus* IA. San-Cygiranni autem ms. locum citatum cum adnotatione confundit hoc modo : *Dominus quoque ipse hic quatuor litterarum est, quod proprie in Deo ponitur*, IOD, HE, IOD, HE. *Pro secundo* IOD *melius* VAV *legitur, ut sit* IAO ; *id est duabus* IA, *quæ duplicata ineffabile illud et gloriosum Dei nomen efficiunt.* Quorum verborum nullus est sensus propter adnotationem in corpore positam librarii nescio cujus temeritate. Si cui tamen hæc incesserit opinio, errorem quidem lectionis in nomine Dei יהוה *Jehova*, sive *Adonai*, ab Hieronymo manasse ; castigationem vero eidem errori ab alio scriptore fuisse adhibitam, meminerit idem nomen cum litteris suis optime expressum esse epistola 136 Hieronymi ad Marcellam : *Nonum*, inquit, *nomen Dei* τετραγράμματον, *quod* ἀνεκφώνητον, *id est ineffabile, putaverunt, quod his litteris scribitur*, IOD, HE, VAV, HE, *quod quidam non intelligentes propter elementorum similitudinem, cum in Græcis libris repererint,* pipi *legere consueverunt.* Vides non ignorasse Hieronymum nomen Dei tetragrammaton compositum esse ex *iod* et *vau* cum duplici *he ;* non ex duabus *ia*, ut surpra dicebat, id est duplici *iod*, et ex duplici *he*. De lectione similiter, *Iao*, nihil dubitaveris ipsam esse Hieronymianam ; nam in prophetarum Commentariis nomen tetragrammaton יהוה aliquando legebat *Iao* (si bene tamen memini ejus quod tempore suo neglexi adnotare in schedulis meis). Commentario quoque in Psalmos, quem eidem Hieronymo viri docti acceptum referunt, sic de nomine Dei scriptum legimus psalm. VIII, vers. 2, *Domine, Dominus noster. Prius nomen Domini apud Hebræos quatuor litterarum est*, IOD, HE, VAV, HE, *quod proprie Dei vocabulum sonat et legi potest* IAHO : *et Hebræi, arreton, id est, ineffabile opinantur. Secundum vero* ADONAI *omnium commune est : quod sæpe et in hominibus ponitur.* Hunc locum attulit ex quatuor antiquissimis mss. codicibus monasterii nostri Corbeiensis duobus num. 135 et 136, uno Cluniacensi et altero Sorbonico. Omnes isti scribunt verbum Græcum ἄῤῥητον cum Latinis characteribus, id est *arreton*, quod significat *ineffabile.* Præterea non legunt corrupte cum editis nomen illud יהוה *Jehova ;* sed *Iaho*, juxta consuetudinem antiquorum, sive potius *Iao*, sine, aspiratione in medio, ut sit Ἰαῶ Græcorum apud Diodorum lib. I Bibloth. Histor. : Παρὰ δὲ Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν αὐτοῖς ἐπικαλούμενον Θεὸν, *apud Judæos Moses Deum, qui Iao dicitur*, etc. Hinc videas Drusium cap. 21, de nomine *Jehova* merito observasse : *In editione Frobeniana, quæ in omnes partes melior est, legi non Jehova, sed Iao : quam lectionem germanam esse*, inquit, *nullus dubito. Imperita temeritas pro antiqua reposuit recentem, h. e. pro vera corruptam.* De eodem nomine tetragrammato יהוה *Jehova, Iaho*, vel *Iao*, consule laudati jam Drusii Disputationem. Caveas autem velim ineptissimam lectionem ejusdem nominis gloriosissimi, quæ hoc modo scribitur Procopii Gazei Commentariis in Exod. VI, vers. 3, : *Præterea majorem his nactus es mei notitiam, dum tibi demonstravi nomen meum tetragrammatum, reliquis non effabile nisi solis sacerdotibus, quod inscribebatur aureæ mitræ* (*Exod.* XXXIX, 29.) *Hæ autem, ex quibus illud nomen conflatur, sunt illæ quatuor litteræ : iod, aleph, fau, thet. Hoc nomen significat Dei vitam perennem et æternitatem.* Linguæ Hebraicæ imperitissimus fuit quisquis hanc lectionem nominis quatuor litterarum, יהוה, quod dicitur ineffabile, ita depravatum exhibuit, ut diceret secundam litteram esse *aleph*, et quartam esse *thet :* cum utraque sit ה *he*, vel apud eos qui minimam Hebraicorum elementorum notitiam consecuti sunt. Sed jam redeamus unde divertimus. Auctorem scholiorum Canonis pro ipso Hieronymo habebam in adnotationibus Prodromi, pag. 83, et in notis etiam hujus divinæ Bibliothecæ, col. 160 et 164, cujus erroris causa nunc mihi est temeritas veterum librariorum, qui plures ejusdem sancti doctoris notatiunculas, e latere ab eodem additas, in corpore contextus apponere non dubitarunt. Quod cum in scholiis jam dictis factitatum quoque vidissem, facile erat ut crederem eadem scholia ab Hieronymo fuisse profecta, idque maxime quod ab homine linguæ Hebraicæ peritissimo fuerint addita e latere translationum sancti Hieronymi. Deinde par aliquot in locis eruditio, ac idem omnino stylus unum auctorem suadebant : ex uno namque et eodem calamo exarata

creduntur quæ formam litterarum ubique æqualem servant. Verum quamcunque habeam in errore excusationem, error tamen est, qui modo castigandus mihi venit his potissimum consequentibus argumentis.

Diversum esse scholiasten Canonis Hebraicæ veritatis a sancto Hieronymo omnes docti fatebuntur, ubi primum exploratum ipsis erit, unum eumdemque habere auctorem scholia Canonis et Quæstiones Hebraicas in Regum ac Paralipomenon libros, quæ inter opera Hieronymiana editæ sunt ab Erasmo ac Mariano Victorio. Nam cum sit omnino manifestum ex Rabano Mauro, alium esse ac plane diversum scriptorem Quæstionum seu Traditionum in Regum libros, ab ipso Hieronymo qui Traditiones Hebraicas in Genesim nobis edidit : consectaria erit horum scriptorum, id est Hieronymi et scholiastis anonymi, diversitas ; siquidem ostenderimus ipsum esse scholiasten Canonis, qui et Traditiones Hebraicas scribebat in Regum volumina. Ad id vero probandum sola nobis instituenda est comparatio scholiorum cum memoratis Quæst. Hebraicis : quia utrobique una est scriptoris eruditio, eædem phrases, et ipsissima verba in observationibus, quas utique haud immerito crederemus, vel de Quæstionibus Hebraicis transisse ad margines exemplarium Canonis, aut de marginibus illis in libros Quæstionum Hebraicarum fuisse derivatas. Nisi huic opinioni nonnihil contraria esset copia plurimorum scholiorum, quæ non leguntur in Traditionibus Hebraicis, quæ tamen leguntur in exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis. Primum igitur quod ex Hebræo observat auctor Quæstionum seu Traditionum in libros Samuelis, variantem spectat lectionem lib. I Regum, cap. I, vers. 5 : *Annæ autem dedit partem unam tristis. In Hebræo*, inquit, *ita legitur* : *Annæ autem dedit partem unam duplicem, quia Annam diligebat.* Non aliter legas in scholiis Canonis, quæ ponuntur e latere ejusdem versiculi col. 326 nostræ editionis. Consequenter ad vers. 24 hujus capituli impugnat lectionem codicum Latinorum, hoc est Hieronymi translationem, vitiosamque conatur ostendere, ita dicens : *In Hebræo non tribus modiis farinæ, sed modio farinæ legitur : quem locum apud Latinos scriptorum vitio constat esse depravatum. Si enim cum vitulis tribus tres modios farinæ obtulit, contra præceptum legis fecit... Inde datur intelligi quod Elcana non obtulerit tres modios farinæ cum trbius vitulis, sed novem decimas, quibus, secundum Hebraicam mensuram, unus efficitur Ephi.* In scholiis Canonis posuerat idem auctor, *h.* et *modio farinæ* ; sed qui hæc scholia descripsit in exemplari nostro San-Germanensi, erasit e textu sacro vocem *tribus*, adnotationemque in corpore ponendam putavit, relicta littera *h* in margine, ut ex ea lector commoneface-ret Hebraicum habere : *Et modio farinæ.* Ex iis apertissime demonstratur unum eumdemque fuisse scriptorem scholiorum Canonis ac Traditionum Hebraicarum in libris Regum : hunc vero plane diversum esse a sancto Hieronymo, qui Hebræum איפה *Epha*, semper interpretatur *tres modios, tria sata*, etc., uti liquet e versu 17 capitis II lib. Ruth, et ex libro XIV Commentariorum in Ezechielem, quorum verba inferius recitavi in notis nostris ad hunc Samuelis locum, col. 327. Capite secundo, libri item prioris Regum ad vers. 5 scholion istud marginale *h. Septem* positum est e regione, *peperit plurimos.* Ad versum similiter octavum e latere horum verborum, *sunt cardines terræ*, ita scriptum legitur, *h. Domini enim sunt afflicti terræ.* Hujusmodi igitur scholia marginalia minime gentium omittenda duxit auctor Traditionum in libros Regum : unde hæc monuit lectorem studiosum : *In Hebræo et in Septuaginta translatione, non plurimi, sed septem leguntur* (*I Reg.* II, 5.) Et paulo infra : *In Hebræo ita habetur, Domini enim sunt afflicti terræ* (*Ibid.* 8.) *Afflictos terræ, Hebræi pauperes spiritu, et humiles corde intelligunt, super quos Dominum orbem posuisse dicunt; quia eorum meritis terram stare autumant.* Non ambigo quamplurimos reperiri qui e talibus scholiis Hebræi anonymi reprehendendam existiment Hieronymi translationem Latinam ; sed si meminerint hanc esse regulam boni interpretis ut ἰδιώματα linguæ alterius, suæ linguæ exprimat proprietate, mirabuntur potius maximum Scripturarum interpretem nostrum ; qui pro *septem*, Latina proprietate, *plurimos* reddidit. *Septenarius* enim numerus, inquit Procopius Gazæus in hunc locum, *multitudinem denotat.* Deinde quod asserat Hebræus noster scholiastes haberi in fonte, *Domini enim sunt afflicti terræ*, nescio an Hebrææ voces istæ, מעקי אדץ *metsuce eres*, magis *afflictos terræ* significent, quam *fundamenta et cardines terræ* (*Ibid.*).

Quidquid sit de grammaticali significatione illorum verborum, certum est Judæos cum scholiaste, mystica saltem expositione conspirare in sensum Hieronymi. Quia si meritis humilium et afflictorum mundus stat, haud dubio *cardines* illi sunt quibus totus orbis innitatur. Jam si in scholiaste et in auctore Traditionum ipsissima verba requiras, consulendus tibi est locus iste cap. x, vers. 25: *Locutus est Samuel ad populum legem regni.* Ubi uterque Habet, *Hebræus judicium regni*, nihil aliud observantes præter sensum grammaticalem verbi משפט *misphat*, sive *mispat.* Idem intelligas de *Ephod lineo*, infra, cap. xxii, vers. 18, et de *Maon civitate*, cap. xxv, vers. 2, sicque de aliis plurimis, in quibus ne lato quidem ungue a se ipso discedit scholiastes, id est, non discedit ab auctore Traditionum Hebraicarum. Utque demum non ex lineamentis solum pulchrioribus, sed ex propriis etiam nævis vultum innotescat tibi, scholiastes noster, ipsissimus auctor Traditionum Hebraicarum in libros Regum et Paralipomenon, adverte diligenter quæ leguntur infra col. 363, ubi auctorem illum et scholiasten nostrum notis castigavimus, quod non probaverit interpretationem Hieronymi lib. I Samuelis, c. xxx versib. 10 et 21. Putat enim Hebræus ille scriptor vocem נגדר *piggeru*, Latine reddendam esse *jussi fuerant*, non *lassi substiterant*. In quo nullum habet astipulatorem inter Hebræos grammaticos hodiernos, neque in lexico heptaglotto linguarum Orientalium. Unde manifestum habemus argumentum, specialem ac propriam esse illi auctori Hebræo significationem quem affert tam in scholiis, quam in suis Quæstionibus Hebraicis. Idem igitur habendus est auctor qui scholia apposuit ad margines translationis Hieronymianæ, et qui Quæstiones Hebraicas edidit in volumina Regum ac Paralipomenon. Nunc inquiramus quo tempore floreret in scientia Scripturarum, et unde genus suum traxerit.

Pauci admodum dies sunt, quod ex Rabano Mauro didici auctorem Quæstionum Hebraicarum in libros Regum et Paralipomenon quemdam fuisse Hebræum, qui sæculo octavo aut nono celebratior erat Bibliorum sacrorum usu ac intelligentia. An vero genere Hebræus fuerit et ex Judæorum gente prognatus, non satis liquet ex Rabani præfatiunculis: quia juxta morem illorum temporum causa nominis in dubio esse potest; non enim propriis nominibus multi vocabantur, sed ingenii sæpius nominatione ementita eos alii cooptabant. Unde Joannes Mabillonius noster tomo I veterum Analectorum, pag. 370, fatetur, *Cuculum Menalcam et Daphnin* nomina esse suppositia pro veris, qualia de more usurpat Alcuinus et Theodulphus episcopus Aurelianensis, nec scire potuisse quinam fuerint *Menalca*, vel *Daphnis*, vel *Cuculus*: nisi quod existimat de *Cuculo*, eum esse filium illum prodigum (*Luc.* xv, 12 *seqq.*), cujus intemperantiam et casum plangit Alcuinus in epistolis 103 et 114. Hoc modo nomine *Hebræi* appellari poterat vir doctus in lingua Hebraica, quamvis origine Gallus esset, vel Germanus. Certe si natione Judæus erat, in Christum tamen illum credidisse manifestum nobis est ex verbis infra recitandis. De auctore igitur Quæstionum Hebraicarum, sive Traditionum in libros Regum et Paralipomenon, hæc habet Rabanus Maurus Præfatione Commentariorum in quatuor libros Regum: *Ibi enim inveniet quid Pater Augustinus, quid insignis interpres divinorum librorum Hieronymus senserint, quid papa beatus ac suavissimus doctor Gregorius, quidve Isidorus Hispalensis episcopus, et quid Beda magister nobilis, ac cæteri Patres, quorum longum est nomina recensere, rite intellexerint... Præterea Hebræi cujusdam modernis temporibus in legis scientia capitulis traditionem Hebræorum habere non paucis locis simul cum nota nominis ejus inserui, non quasi ingerens alicui auctoritatem ipsius, sed simpliciter potius quod scriptum reperi, ejus probationem lectoris judicio derelinquo.* Hunc locum omnino depravatum restituere volebam ad fidem manuscriptorum codicum Rabani; sed nullus id generis inventus liber est in nostra Bibliotheca San-Germanensi, si verum est quod mihi asseveravit sodalis noster qui monumenta hujusmodi sub clavi tenet et conservat. Neque tamen insuperabilis restat hoc loco difficultas restituendi textus aut assequendi sensus verborum Mauri; quia quod de *Hebræo* hic scribebat, iterum docuit Præfatione Commentariorum in libros Paralipomenon, dicens: *Non enim longos florentesque tractatus, in quibus plausibilis ludit oratio, sed Commentarios in divinas Historias scribere decrevi, quorum officium est præterire manifesta, obscura disserere. Ante annos enim aliquot rogatu Hildonii abbatis*

in Regum libros, secundum sensum catholicorum Patrum, quatuor Commentariorum libros edidi, quos et sacratissimo genitori vestro Ludovico imperatori præsentialiter in nostro monasterio tradidi: in quibus sicut et in præsenti opere feci, Josephi, Judæorum historici, narrationem, et Hebræi cujusdam, modernis temporibus in legis scientia florentis, opiniones plerisque in locis interposui: sed non ita, ut quasi lectorem invitum ad ipsorum traditionis assensum pertraherem; sed magis judicio ac probationi ipsius illa derelinquens. Ex iis exploratum nobis fit, Rabanum Maurum ita in primo testimonio intelligendum esse, ut dixerit capitula cujusdam Hebræi suo tempore in scientia legis florentis inseruisse plurimis locis suorum in Regum volumina Commentariorum, quæ capitula traditionem Hebræorum contineant. Idque indubitatum esse comperiet quisquis in Rabani expositionibus et Commentariis opiniones ac sectiones integras Quæstionum Hebraicarum in libros Regum et Paralipomenon positas animadverterit, atque Commentarios Mauri et Hebræi traditiones inter se composuerit. Quis igitur fuerit scholiastes Canonis, et quo tempore vixerit, certum exstat ex allatis duobus Rabani Mauri testimoniis. *Hebræus* ab eo dictus est, *in scientia legis* non mediocriter *celebris*, cujus commentationes ac Quæstiones Hæbraicæ locum habere meruerint inter sententias Hieronymi, Augustini, et aliorum doctorum nominatissimorum in Ecclesia Christi. Florebat autem scientia divinarum Scripturarum eodem tempore quo Alcuinus et ipse Rabanus Maurus: nam apud Maurum *moderna tempora* vocantur illa tempora quibus ipse ætatem degebat, ut testis est præfatiuncula, seu epistola, dedicatoria Commentariorum in librum Geneseos, ubi *modernum tempus* appellat *ætatem Freculphi*, ad quem ipse rescribit ac præfatur: *Magnorum virorum conamen antiquitus fuit, ut invicem scribendo, sua provocarent studia, et exercerent ingenia. Quod licet eorum exemplo moderno tempore agere decreveris, tamen mirandus in hoc es, quod convenientem personam ad istud conamen non quæsieris.* Modernum itaque tempus intelligit Maurus tempus ipsum quo Commentarios scribebat in Genesim, rogatus ab episcopo Freculpho : quare similes phrases, quæ occurrunt in Præfationibus Commentariorum in Regum ac Paralipomenon volumina, non aliter interpretandæ sunt de ætate Hebræi, qui scholia marginalia Canonis Hebraicæ veritatis, et traditiones Hebraicas edidit, exeunte sæculo octavo, aut ineunte nono. Et hæc sunt *tempora moderna* Rabani Mauri, in quibus testatur floruisse scriptorem illum, e quo plurima mutuatur et interponit in suis Commentariis. Quantumcunque vero nota nobis sit ætas Hebræi illius, scholiastis et commentatoris, incertum tamen genus remanet. Nam quod eum *Josepho Judæorum historico* adjungat Maurus Præfatione Commentariorum in Paralipomena, ambos una scriptores illos forsitan recensere voluit, ut doceremur Judæum utrumque fuisse. At huic opinioni non parum repugnat scholion marginale Canonis Hebraicæ veritatis positum col. 170, ubi morem Latinorum secutus auctor hujusmodi adnotationum, dicit in Hebræo haberi Numerorum capite XVII, vers. 6: *Fueruntque virgæ duodecim cum virga Aaron.* In Latinis autem codicibus, quos *suos* vocat juxta consuetudinem Hieronymi et Augustini, scriptum esse, *fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron. Hebræus*, inquit, *cum nostri, absque*; id est Hebræus textus legit *cum virga Aaron*; nostri codices Latini, *absque virga Aaron.* Non aliis verbis usos fuisse Latinæ linguæ homines in recitandis variantibus lectionibus Scripturarum divinarum, probe noverunt quicunque sanctorum Patrum lucubrationes evolvunt. Et superfluum esset hic exempla congerere in rem cunctis studiosis indubitatam atque manifestam. Superest igitur ut dicamus Hebræum scholiasten *Codices* Latinorum *suos* appellasse, quia ex Latinæ linguæ hominibus prognatus fuerat, aut certe quod in Christum credens, Romanæ Ecclesiæ libros, *suos* deinceps cum cæteris fidelibus nominare voluit. At unde habes, inquit forte lector aliquis, scholiasten illum et auctorem Traditionum Hebraicarum Christo nomen dedisse ? Manifestissimum religiosi et Christiani sui cultus argumentum præbuit ipsemet scriptor Hebræus, et in Quæstionibus Hebraicis ad librum I Regum, cap. XXI, vers. 6, fidem suam prodit his verbis: *Tradunt Hebræi nequaquam David eos comedisse panes*; *sed aliter tamen Dominus in Evangelio* (*Luc.* VI, 4). Christum ergo *Dominum* suum agnoscit, et *Evangelium* ejus, contrarium licet Judæorum traditionibus. De Hebræorum etiam gente capite XVI lib. I. Regum non-

nulla memoratus, eos habet veluti alienigenas sibique extraneos. *In Hebræo ita habetur*, inquit, *et fratres tuos visitabis, si recte agant, et pignora eorum tolles* (*I Reg.* XVII, 18.) *Pignora in hoc loco Hebræi libellos repudii intelligunt. Siquidem usum illius gentis fuisse ferunt, ut quando ibatur ab eis in pugnam, libellos repudii uxoribus suis darent : ut si contigisset virum in prælio capi, et in captivitatem duci, mulier ejus, exspectatis tribus annis, si vir ejus non redisset, alium duceret virum.* Videat nunc prudens lector quam clare gentem sibi alienam in Judæorum gente demonstrarit Hebræus scholiastes, auctor Quæst. Hebr. in libros Regum. Non dixit : *Siquidem usus nostræ gentis fuit*, quod utique Judæus homo dicere debuisset : sed tanquam de alienigenis loquens, *siquidem usum illius gentis fuisse ferunt.* Nihil gentilitium agnoscit, nihil domesticum in Judæorum traditionibus, quæ matres tamen Hebræorum spectant in libello repudii. Potuissem et ex aliis capitulis earumdem Quæstionum Hebraicarum in libros Regum et Paralipomenon, planum legenti facere scholiastem Canonis Hebraicæ veritatis hominem fuisse Christianum ; sed anhelanti finem Prolegomenorum pauca pro multis sufficiant : maxime quod eadem difficultas in altero volumine redeat iterum discutienda. Verum tamen antequam de hac tabella tollatur manus, utilitatem scholiorum marginalium Canonis breviter perstringamus.

Inter præcipuas utilitates marginalium scholiorum Canonis Hebraicæ veritatis, primam recenseo, quod arma nobis subministrant ad revincendos hujus temporis heterodoxos, qui sæpius Ecclesiæ Dei insultarunt de ignoratione linguæ Hebraicæ, dicentes neminem Romanorum repertum fuisse post ætatem Hieronymi Hebraice scientem : ideoque quasi clausis oculis catholicos omnes adhæsisse Vulgatæ versioni, nec pares fuisse ad ejus errores (ut ipsi vocant) coarguendos et emendandos. Discant igitur obtrectatores illi, Ecclesiæ Romanæ nunquam defuisse viros Hebraice doctos, qui Vulgatæ Latine codices manibus quotidie terentes, eam publice redarguere atque castigare potuissent, si quid sanæ doctrinæ aut sanctis moribus contrarium ibi reperiretur. Quanta putas diligentia translationem Hieronymi ab scholiaste Canonis expensam ? Non fuit in ea verbulum, non syllaba, non apex, qui fugeret illius eruditi scriptoris censuram : sed salvo semper honore Vulgatæ, sive Hieronymianæ versionis, quam notis tantum criticis illustrare decreverat, non ex odii præsumptione, vel censorio supercilio ipsam temerare ac oblitterare. Ubique monet Hebræus noster Christianus, hoc vel illud non haberi in Hebraico : nec propterea expungit in sacro contextu voces Latinas hujusmodi redundantes, quas ab interprete Latino additas noverat, ut Latini sermonis proprietas compleretur in Scriptura. Quam opinionem si futilem æstimaveris, audi ipsum scholiasten Commentariolis in canticum Debboræ ita scribentem : *Sed quod ait,* o Amalec (*Judic.* v, 14), *in Hebræo non legitur : sed Latinus interpres sensus gratia hoc addidit.* Legerat haud dubie epistolam Hieronymi ad Sunniam et Fretelam, in qua de versu tricesimo octavo psalmi LXXVII vir sanctus disserit in hunc modum : *In eodem* : Et propitius fiet peccatis eorum, et non disperdet eos. *Dicitis, quod*, eos (*vers.* 38), *in Græco non habeat, quod et verum est. Sed nos ne sententia pendeat, Latinum sermonem sua proprietate complevimus.* Et vero quid obscurius in totis codicum Latinorum voluminibus sacris resonaret, quam illæ sententiæ pendentes, in quibus verba nonnulla, pronomina, ac verbum substantivum, tollerentur ? Verbi gratia notat scholiastes in caput XIX Levitici vers. 14, non haberi in Hebræo, *quia*, neque, *sum* : quæ verba tamen complent proprietatem sermonis nostri ; pulchre enim dicitur : *Sed timebis Deum tuum, quia ego sum Dominus.* Nec ita sensus pendet, si legamus, *sed timebis Deum tuum, ego Dominus ;* pendet namque aliquo modo isthæc sententia propter absentiam *quia* particulæ causalis, ac substantivi *sum*. Ea igitur verba, quæ in Hebræis voluminibus per totum Canonem dicuntur abesse, non superflue addita noscuntur in versione Latina, quia sine illis obscura vel mutila oratio remaneret, ut diligenti lectori liquidum erit, quando monitus hoc scholio marginali. *Hebræus non habet*, animos attenderit ad consequentia sermonis.

Non mediocrem existimo in scholiis Canonis fructum etiam alterum, quo occludere possumus linguam illis qui ausi sunt plurimis abuti Scripturarum testimoniis, eaque in suos sensus trahere ad propriam ipsorum et aliorum perniciem. Tantum sæpius sibi arrogant quidam ejus ævi scriptores, ut re-

ceptissimam ac celebratissimam Ecclesiæ traditionem ex sacræ Scripturæ frivola interpretatione subvertendam sperent, et suis potius commentis credituros lectores, quam Christi attestantis oraculo. Sic videas opera pestifera et Latino et Gallico sermone conscripta, ubi præfacte negant Mosen auctorem fuisse librorum Pentateuchi : quod ut probent contra Christi et apostolorum ejus auctoritatem, aliquot loca afferunt præsertim ex Deuteronomio, quibus perversi dogmatis et hucusque inauditi opinionem fultam esse volunt. Scriptum est, inquiunt, Deuteronomii cap. I, vers. 1 . *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moses ad omnem Israel trans Jordanem* : et deinde cap. III, vers. 8 : *Tulimusque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem.* Repugnat autem hæc ab ipso Mose fuisse litteris tradita, cum ille nusquam Jordanem transierit, et reges Amorrhæi respectu ipsius non *trans*, sed *cis* Jordanem habitaverint. Si autem opponamus in Hebraico scriptum legi בעבר, *beever*, quod omnino ambiguum est, et ad citeriorem vel ulteriorem partem accommodari potest pro consequentia sermonis : urgent adhuc dicentes, בעבר semper, *trans* interpretari apud omnes veteres, qui lingnam Hebraicam callebant. At, velint nolint, Deuteronomii scriptor fuit ipse Moses : nec temeritati neotericorum deinceps relinquitur locus, quoniam scholia marginalia Canonis Hebraicæ veritatis apertissime demonstrant vocem Hebræam, *beever*, non *trans*, esse reddendam, sed, *in transitu.* Quæ hoc modo lecta et intellecta optime convenit Mosi loquenti ac scribenti : erat enim in procinctu ad transeundum Jordanem, quando verba Deuteronomii locutus est ad omnem Israel. Ecce quam levi negotio, unius voculæ recta interpretatione, dissolvitur formidolosa illa et insuperabilis, ut sibi videbatur, objectionis machina, quam in Pentateuchi legitimum auctorem critici quidam recentiores torquent. Certe hoc vel uno loco profligari possunt, utinam et convinci, quicunque Mosen negant auctorem fuisse sacrorum voluminum Pentateuchi. Quanquam timendum est ne erudito et catholico scholiastæ non acquiescant, qui etiam Christi Domini testimonio non cedunt. Sed si illi resipiscere nolint, saltem sinceri catholici omnes gratiam, ut speramus, habebunt scholiastæ nostro, qui divinorum Librorum auctoritatem adversus immoderatas horum criticorum censuras vindicabit. Cæterum hoc uno exemplo docemur, quam parum fidere debeamus levibus ejusmodi, quæ contra sacram Ecclesiæ traditionem afferuntur in dies, ratiunculis, magno simplicium Christianorum damno, quorum fides hisce præstigiis minuitur, aut sæpe corrumpitur : tametsi uno quasi flatu dissipari possunt. Quibus postmodum animadversis, pudet homines sui erroris, quos simplex ac pia fides in officio continere debuerat.

Jam quis dicere sufficiat quanto nobis sint emolumento scholia illa marginalia ad eruditionem et intelligentiam Scripturarum ? Nihil est in versione Hieronymiana ambiguum et subobscurum, quod illucescere non faciant ; nihil est laxius et παραφραστικῶς in ea expressum, quod intra proprios fines et nativos verborum sensus non fuerit per scholia circumscriptum. Hic summam pietatem redolent ; illic significantias Hebræorum verborum aut singulares et inauditas, aut certe rarissimas produnt ; plures textus Hebræi varientes lectiones retinent, fidem ubique admirabilem scholiastis commendant, et si pauca tandem excipias, in quibus hallucinatum eum credimus, nihil illis notis criticis præstantius antiquitas sacra posteris tradere potuit. In iis recensendis utilitatibus jam non immorabor, cum sole clariores sint ac curiosis omnibus manifestissimæ. In unica tamen pagina multiplices ostendo scholiorum fructus et utilitates, ut sic de cæteris innumeris bonis judicium ex uno faciamus loco. Columnis igitur 99 et 100 ista occurrunt marginalia scholia, primo e latere hujus sacri contextus : *Et populus tuus quem eduxisti.* (*Deut.* IV, 12), etc. Ita monet scholiastes, *Hebræus non habet, tuus.* In hac notatione fides ejus maxime elucet atque diligentia. Consequenter vero ad illa verba : *Novi te ex nomine.* (*Exod.* XXXIII, 17), semel et iterum docet in Hebræo haberi, *Notescam tibi in nomine* : quam interpretationem in aliis Hebræis scriptoribus, et Latinorum plurimis Commentariis frustra quæsivi. Quam pius quoque fuerit ac religiosus noster scholiastes, discimus, ni fallor, ex modo exponendi hunc Exodi locum : *Ego ostendam omne bonum tibi, et vocabo in nomine Domini,* etc. (*Ibid.* 19.) Non enim ea verba refert ad visionem Essentiæ divinæ, ut multi nunc temporis scholastici faciunt ; sed omne bo-

num hominis vitam mortalem degentis, in eo statuere videtur, si sciat Deum deprecari et eum flectere ad misericordiam. *Ego ostendam omne bonum tibi. Hoc est*, inquit scholiastes, *ostendam tibi quomodo me debeas deprecari, et ad misericordiam flectere.* O singularem et admirabilem Scripturæ divinæ expositionem ! Hanc me non docuit scholarum frequentia, non assidua commentatorum lectio. Unum interim scholion marginale Canonis immensa expositorum vincit volumina. Utque aliquid addamus, quod lectori fuisset creditu difficile, erat scholiastes tam perspicax ad dissolvendas ambiguitates Bibliorum sacrorum, ut interdum propius accedat ad sensum auctoris hagiographi, quam ipse Hieronymus, interpretum phœnix, vel facile princeps. Ne quid v. g. obscuritatis vel ambiguitatis remaneret versib. Quinto et sexto capitis tricesimi quarti lib. Exodi, nonnulla scholia post emendatum textum apposuit in margine, quæ omnem removent difficultatis umbram, nec amplius verba quæ ibi leguntur ad Mosen loquentem, sed ad Deum docentem orandi et deprecandi se modum, directe referri debent. De cujus contextus mutatione seu emendatione facta in versione Hieronymiana infra dicturi, id tantum nunc monemus studiosos, præstantiorem esse translationem hujus loci ex emendatione et notis scholiastis, quam quæ primum condita est ab ipso Hieronymo, ut paulo post auctoritate sacræ Scripturæ demonstrare conamur.

Ad commendationem fidei nostræ in edendis scholiis hujusmodi marginalibus, illud etiam monitum volumus lectorem prudentem, excusa fuisse a nobis charactere Romano quæcunque legi potuerunt in manuscripto codice : cætera vero, quæ vetustate deleta sunt et corrupta, corrosa vel mutilata, supplevimus ex textu Hebraico, sed charactere Italico : iisque locis duntaxat, ubi clare perspeximus, quod abesse, potuit : in aliis enim obscurioribus puncta tantum adjecimus loco verborum et syllabarum, quarum sufficientem notitiam assequi nequivimus. Sic columna 118 diverso charactere scriptum reperies, « quæ *offerri debent* in sacrificium ; » et deinde, « *in cunctis* habitaculis *vestris*, » quia partim hæc leguntur in manuscripto, partim a nobis supplentur, ut jam dixi. At columna 190 posuimus hoc modo scholion marginale, « lapis*que*.... magnitudinis.... ejus mag.... ; interierit, percus*sor* morte morietur, *etc.* » Nullum enim sensum expiscari potuimus ex verbis aut syllabis superstitibus : ideo satius esse duximus, hæc divinationi studiosorum relinquere, quam conjecturis nostris incerta definire ac supplere. Denique pro duobus punctis appositis in codice manuscripto ad caput scholiorum, et supra contextum contra respondentem, stellulas repræsentamus (*a*), quæ in omnibus libris editis usurpantur, cum supradictorum punctorum situm nequaquam patiantur leges typographiæ hodiernæ.

De auctore scholiorum Canonis unum adhuc notandum, penes nos esse quamplures codices mss. in quibus exstant nonnulla opera ejusdem scriptoris, quæ nondum typis excusa sunt ; et hoc ordine tam edita, quam inedita describuntur post Traditiones Hebraicas S. Hieronymi in Genesim : *Liber de decem Tentationibus. Liber de Quæstionibus Regum et Paralipomenon : Canticum Debboræ. Lamentationes Jeremiæ : Epistola ad Dardanum.* Universa isthæc Opuscula sancti Hieronymi prætitulantur in mss. codicibus, et duobus exceptis edita sunt ad Erasmo et Mariano, cum Operibus ejusdem S. Doctoris. Inedita sunt hæc, Commentarius in Canticum Debboræ, quod legitur cap. v, vers. 2 *seqq.* libri Judicum, et Commentarius alter in primam Lamentationem Jeremiæ (*Thren.* i, 1 *seqq.*) De quo ultimo opere non ausim adhuc definite affirmare, lucubrationem esse Hebræi Scholiastis nostri. At de Commentariolis in Canticum Debboræ nulla superest nobis difficultas ; quia eorum stylus, eruditio, sententiæ, et cætera omnia, quæ alicujus auctoris notitiam tribuere possunt, unum renuntiant Scholiasten Canonis Hebraicæ veritatis. Testes hujus rei accedent eruditi homines, cum Opuscula illa typis excusa vulgabuntur.

(*a*) Nec inveniet lector notas marginales in nostra editione, nec a fortiori stellas : scholia inserimus in textu uncinis distincta. EDIT.

PROLEGOMENON IV.

De Titulis et Capitulis, Versibus et Metris sacrorum Bibliorum.

I. *Biblia sacra in certas partes dividebant scriptores antiqui, sed multis diversisque modis.* II. *Sectiones illæ indifferenter vocabantur Tituli, Breves et Capitula.* III. *Quænam fuerint distinctiones versuum ab antiquis usurpatæ in Scriptura sacra.* IV. *An sint metra in libris sacris, et et præcipue in Psalmis Davidis.* V. *Hieronymi sententia de metris Scripturarum explicatur et defenditur.*

I. Non est præsentis loci, nec animi nostri, de omnibus sacrorum Bibliorum sectionibus ac distinctionibus perlongam instituere disputationem. Satis sit munus editorum Hieronymi hoc Prolegomeno explesse, et Latinorum codicum varias ac multiplices divisiones, cum majores, tum minores, non incuriose explicasse. Actum enim nunc ageremus, si quod spectat Hebræorum aut Græcorum exemplariorum divisiones, capitula et versus pertractandum hic susciperem : quia in hoc studio nobis anteverterunt viri non pauci eruditione celebres. De Latinorum ergo Bibliorum sectionibus, atque antiquis distinctionibus tam capitulorum, quam versiculorum, disputandum nobis incumbit, ut nihil occurrat in editione divinæ hujus Bibliothecæ, unde fructus uberes percipere non possit lector studiosus.

Integrum porro volumen de veteribus sacrorum Bibliorum titulis, sive capitulis, sectionibus, et stichometria, conditum fuisse ab erudito Jos. M. Caro, presbytero theologo, notum est omnibus ; at cum multa divisionum id genus exempla prætermiserit, et, ut ipse fatetur, *anguste* antiquitatem harum distinctionum prosecutus sit ; non pauca supplere curabimus, quæ ejus diligentiam fugisse perspexi. Illud autem primum observari velim, idem affirmandum esse de antiquis sacrorum Bibliorum capitulis et sectionibus, quod de translationibus Latinis Scripturarum docuerunt Hieronymus et Augustinus : nempe tot esse genera hujusmodi divisionum, seu *capitulationum*, quot sunt codices : quemadmodum tot erant interpretationum exemplaria Latina diversa tempore Hieronymi et Augustini, quot habebantur codices sacri : *Qui enim*, inquit S. Aug. lib. II de Doctrina Christiana, cap. 19, *Scripturas ex Hebræa lingua in Græcum verterunt, numerari possunt : Latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.* Ab iis interpretibus, quorum imperitia carere volebat Augustinus subsidio translationum Hieronymianarum, habemus, ni fallor, tot modos divisionum et capitulationum in Veteri et Novo Testamento : neque vero persuadere mihi possum ab aliis scriptoribus, quam ab illis imperitis translatoribus Latinis, derivata fuisset tot inepta lemmata, quæ leguntur in codicibus mss. vetustissimis sacrorum Bibliorum. Solebant namque antiqui scriptores in interpretes libris suis indicem capitulorum præfigere, ut lectores quid in contextu librorum tractaretur, uno quasi intuitu agnoscerent. Pluribus autem modis id præstare consueverant tum ecclesiastici, tum exotici scriptores : nam aut omnium simul librorum capitula in fronte universi operis præponebant, sicut a Plinio Secundo factum est in libris Historiæ Naturalis, et similiter ab ecclesiasticis viris, qui capitula quatuor Evangeliorum una simul præfixerunt in fronte Matthæi, sicut posita leguntur in vetustissimo ms. San-Germanensi nostro num. 15 ; aut singulis libris titulos capitulorum præfigere satagebant, ut in Historia Ecclesiastica fecit Eusebius Cæsariensis, qui libris Historiarum suarum indices seu titulos prænotavit, sicut hodie leguntur in ejusdem operibus. Aut certe ex latere in pagina breviter adnotabant, quem intrinsecus sensum singula capitula continerent ; quod Hieronymus fecit in translatione epistolæ S. Epiphanii ad Joannem episcopum Hierosolymitanum, uti liquet ex epistola ejusdem Hieronymi ad Pammachium, inscripta De optimo genere interpretandi. Ex hoc antiquorum usu in præfigendis capitulis ad frontem librorum, falicis est conjectura, unumquemque Latinum interpretem Veteris Instrumenti, Libris sacris indices seu titulos suos præposuisse, ut lectores admonerentur quid in libro Genesis, qui in Exodo, quid in Le-

vitico, et quid demum in cæteris omnibus Scripturæ sacræ voluminibus positum legeretur. Deinde cum ad editionem LXX Interpretum adornati fuerint hujusmodi tituli et capitulationes, ut nominum et vocabulorum antiqua probat barbaries, antiquiores Hieronymo tales indices esse vix dubitari potest. Eosdem igitur habuere parentes tituli veteres et capitula, quos habuerant auctores tam diversæ Latinæ sacrorum Bibliorum interpretationes. Scio Hesychium doctissimum presbyterum composuisse argumenta et κεφάλαια in duodecim prophetas minores, sed nunc de Latinorum Bibliorum capitulis loquor, quæ multum distant ab Hesychianorum elegantia et facilitate. Primum e viginti capitulum Osee prophetæ hoc modo contexuit Hesychius tom. VIII Criticorum sacrorum: Εἰκὼν τῆς τῶν Ἰουδαίων συναγωγῆς, ἐξ ἧς ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα τίκτεται· καὶ λαοῦ τὸ μὲν ἐν ἀπιστίᾳ ἔμεινεν, τὸ δὲ ὕστερον ἐπιστρέφει καὶ σώζεται· id est, *Imago synagogæ Judæorum, de qua Christus nascitur secundum carnem, et populi, qui cum in incredulitate permanserit, postea revertitur et salvatur.* Ita Latine reddo sensum capituli Hesychiani, quod quantum distet a Latinorum inepta compositione, ostendi potest ex eodem priori capitulo Osee prophetæ apud Carum jam laudatum his verbis expresso: I. *Vade et accipe tibi uxorem fornicariam* (*Osee.* I, 2). Nihil aliud præter hæc verba continet capitulum præsens in mss. Latinis codicibus. II. *Et erat numerus filiorum Israel sicut arena maris* (*Ibid.* 10). III. *Ipsa fecit argentea et aurea vasa.* Quid habent indices illi tres commune cum unico Hesychii κεφαλαίῳ? quid vero ad eruditionem conferunt obscura adeo verba, ut eorum sensum assequi minime possis nisi ex lectione contextus prophetici? Restat igitur inepta hujusmodi, et similia capitula Latinorum Bibliorum, condita fuisse ab imperitis antiquis scriptoribus et interpretibus, qui pro captu ac libitu suo hos titulos exemplaribus suis præfigebant. Antiquissimos existimo titulos illos, non tamen omnium librorum Veteris Testamenti: quia non me latet aliquos fuisse appositos a Cassiodoro nostro, ut manifestum nobis est ex subjectis viri clarissimi testimoniis. Libro itaque I de illis titulis ista observat Cassiodorus: *Sed ut textus memorati Octateuchi quodam nobis compendio panderetur, in principiis librorum de universa serie lectionis titulos credidimus imprimendos, a majoribus nostris ordine currente descriptos, ut lector utiliter admonitus, salubriter reddatur attentus, et facile unamquamque rem dum quærit, inveniat, quam sibi cognoscit breviter indicatam.* Titulos Octateuchi, librorum scilicet quinque Mosaicorum, Josue, Judicum et Ruth, a majoribus suis ordine descriptos agnoscit Cassiodorus; at non idem in libris Paralipomenon invenisse se dicit: *In memoratis autem,* inquit, *Paralipomenon libris duobus. . . . . quoniam titulos antiquos non reperi, novos ad præcedentium similitudinem locis singulis, ut æstimo, consequenter impressi: ut qualicunque obsequio sermonis, devotionis nostræ qualitas potuisset agnosci.* Idipsum præstitit in libris Salomonis nomine prænotatis, vocans capite 5 *capitula*, quod aliis locis jam recitatis titulos appellat. Ait igitur: *Quibus libris* (id est Salomonis) *juvante Domino capitula insignire curavimus, ne in tam necessaria lectione, ut sæpe dictum est, confusa tironis novitas linqueretur.* Certum ex his exploratumque habemus titulos sive capitula præfixa fuisse pluribus Scripturarum libris ante ætatem Cassiodori: ea enim vocat *veteres titulos,* et *a majoribus ordine currente descriptos:* quod non esset nisi in veteribus codicibus, tempore quo Cassiodorus illa scribebat, invenirentur longe antea exarati. Ergo recentiores tituli, Bibliorum sacrorum exemplaribus præfixi, auctorem agnoscunt Cassiodorum, nec inferior ætas eis assignari potest quam sæculum sextum. Alii antiquiores primis fidei temporibus prodire potuerunt cum illis Latinis interpretationibus Scripturarum, quas innumerabiles supra dicebat Augustinus. Quidquid sit de vetustate et auctoribus capitulorum quæ divinis voluminibus leguntur præfixa, indubitata res est, parentem illa capitula non habuisse Hieronymum. Lemmata enim hujusmodi barbara et inepta, imperitum prorsus auctorem ubique præ se ferunt, quod de Hieronymo vel cogitasse nefas esset. Præterea nullum apparet vestigium in S. Doctoris operibus, unde horum titulorum usus apud ipsum receptus dignoscatur, et capitula, quorum ille sæpius meminit, partes sunt ipsiusmet contextus librorum, non tituli extrinsecus positi, vel in fronte præfixi, qui summatim repræsentent easdem partes in textu positas. Utque rem probemus exemplis, nonnulla loca recenseo e Quæstio-

nibus Hebraicis in Genesim, ubi ter aut quater capitula nominat Hieronymus sectiones Scripturæ quas suscepit exponendas. Capitulum verb. gr. appellat quæ leguntur Genes. XXV, a versu 13 ad versum 18 : *Quod autem*, inquit, *in extremo hujus capituli juxta Septuaginta legimus :* Contra faciem omnium fratrum suorum habitavit, *verius est illud quod nos posuimus*, coram omnibus fratribus occubuit, *id est in manibus omnium filiorum suorum mortuus est, superstitibus liberis, et nullo prius morte prærepto.* Capitulum intelligit hoc loco sex tantum versus, ut dixi, qui etiam continentur in capitulo XLVI nostræ editionis, col. 25 et 26; sed convenientiam hujus capituli fortuitam ostendunt cætera quæ sequuntur. Nam quod capitulum dixit infra Hieronymus, unicum comma est, sive versus unus recentioris illius, quam hodie sequimur, divisionis. Genesis cap. XXXVI, 24 : *Ipse est Ana, qui invenit Jamim in deserto, cum pasceret asinos Zebeon patris sui.* De isto commate ita disserit Hieronymus : *Multa et varia apud Hebræos de hoc capitulo disputantur : apud Græcos quippe et nostros super hoc silentium est*, etc. Nihil tale reperies in divisione titulorum veterum ; angustior est enim unius versiculi continentia ad constituendum integrum capitulum, quod pluribus versibus et sententiis constare perspicuum est ex congerie omnium capitulationum. Diversa proinde dicenda sunt Hieronymi capitula ab iis quæ nos edidimus in fronte Geneseos, auctoritatem codicum mss. secuti. Quod iterum probari potest ex Quæstionibus Hebraicis, ubi capitulum dixit Hieronymus duos versus hodiernæ divisionis, 5 scilicet et 6 cap. XLVIII Gen. : *Et nunc ecce duo filii tui, qui nati sunt in terra Ægypti*, etc. Si quis ambigebat, inquit Hieronymus, quod Septuaginta animæ introissent Ægyptum (*Gen.* XLVI, 27), *præsenti capitulo confirmatur.* Istud capitulum præsens non invenies notatum in aliqua serie antiquarum divisionum seu capitulationum a nobis editarum, unde colligas necesse est, propriam esse Hieronymo hujusmodi divisionem ac distinctionem capitulorum in libro Geneseos. Nec aliquem moveat, quod æqualia interdum inveniantur capitula Hieronymi cum titulis veteribus mss. codicum ; casu enim quasi involuntario hæc acciderunt ; sicut æqualitas quam aliquando habere dignoscuntur cum capitulis hodiernis. Libro quinto Commentariorum in Isaiam totum contextum capituli nostri vicesimi cum descripsisset Hieronymus, ejus expositionem sic auspicatur : *Totam posuimus capituli hujus continentiam, ut per partes singula disseramus*, etc. Nemo virorum est qui, propter pares capituli hujusce terminos, novissimæ nostræ in Vulgata Latina divisionis auctorem faciat Hieronymum. Quare nec eidem tanquam auctori ascribere debemus veteres titulos sive capitulationes ; etsi nonnunquam illæ conveniant cum sectionibus Scripturæ, quas suis Commentariis illustrat maximus Latinorum interpres. Sane tota hæc distinguendi ratio ex auctorum librariorumque arbitrio pependit, et unusquisque veterum scriptorum pro captu suo distinxit contextum sacrum : unde nullam tum fuisse distinctionem præ cæteris probatam ac vulgo receptam, consentiunt eruditi, probantque tam diversæ eorumdem librorum sectiones ac distinctiones. Quatuor diversas capitulationes, id est, seriem quadruplicem titulorum sive capitulorum, edidimus ad frontem Geneseos, sicut leguntur in diversis exemplaribus mss. versionis Hieronymianæ. Nulla tamen ex illis usu communi recepta fuit, sed indiscriminatim modo hanc modo aliam exscriptores usurpabant. Qui exemplaria Canonis descripserunt, titulos præferebant, qui aliis divisionibus numero pauciores erant : cæteris placuit capitula præponere, multo plura numero et sententiis diversa, arbitrantibus commodiorem esse methodum quæ textum Scripturæ in multas partes secat, quam quæ sub eadem divisione materias diversas complectitur. Ingenii igitur et arbitrii exscriptorum fuit tot diversas in exemplaribus translationis Hieronymi præfigere species capitulorum : quarum nulla a S. Doctore adornata creditur, ut facilis est probatio in jam allatis superius argumentis.

II. Indices autem et ordines illi sectionum indiscriminatim ac promiscue *tituli*, *breves*, et *capitula* vocantur apud veteres. Id jam cursim observavimus in Cassiodoro, qui prioribus duobus capitibus lib. I de Institutione divinarum Litterarum, summaria et lemmata præfixa Libris sacris vocat *titulos*; quæ tamen capite quinto appellat *capitula*. In mss. autem codicibus adeo inconstantes reperiuntur hujusmodi appellationes, ut sæpius in illis scriptum legamus ; *Incipiunt tituli libri*, etc. ; vel etiam alio modo : *Incipiunt breves*

libris Genesis; et postea ad finem : *Expliciunt capitula libri Genesis*. Canon Hebraicæ veritatis notatus num. 9 in nostra San-Germanensi bibliotheca, variam habet inscriptionem in fronte plurimorum librorum. Et titulos quidem libri Exodi sic inscribit : *Incipiunt capitula libri Exodi*; Levitici vero non item, ibi enim legit : *Incipiunt tituli libri Levitici, id est Vaiecra*; et ad calcem sectionum : *Expliciunt tituli Levitici*. Et ita consequenter in cæteris Mosis voluminibus : at in Josue, *Incipiunt capitula. Expliciunt capitula*. In libris tandem Malachim, id est, tertio et quarto Regum volumine, primum posuit : *Incipiunt capitula libri Malachim*, et deinde : *Expliciunt tituli Malachim*. In Novo etiam Testamento diversimode inscribuntur lemmata sacrorum librorum. Quamplures mss. legunt juxta receptum magis communemque modum : *Incipiunt capitula Mathæi*; alii vero tum Vaticani, tum Gallicani codices non pauci ita habent : *Incipit Breviarium Matthæi* : et in fine, *Explicit Breviarium Matthæi*. Quod similiter legunt in aliis evangelistis. Exstat in Bibliotheca nostra San-Germanensi codex Bibliorum manuscriptus, venerandæ admodum æque ac curiosæ antiquitatis, qui quamplures libros sanctos Veteris ac Novi Testamenti retinet juxta veterem Latinam versionem sive Italicam. In eo igitur codice tituli veteres Evangeliorum hanc habent inscriptionem : *Incipit capitulatio Matthæi, Incipit capitulatio Marci*, etc.; et ad calcem titulorum, *Explicit capitulatio Matthæi*, etc. In fronte Actuum apostolorum singularem prorsus habet titulum, seu potius adnotationem et admonitionem istam : *Indiculum quid fecerint apostoli in Actibus suis, ut facile invenias id quod vis, si per numeros percurrens capitula perquisieris*. Huic adnotationi subjungit capitula LIII, et consequenter, *Finiunt capitula*. Ex tot diversis nominibus lemmatum, quæ præfixa inveniuntur in fronte sacrorum Bibliorum, mss. liquido apparet liberum cuique fuisse ea vocare *titulos, breves, braviaria, capitula, capitulationes* et *indicula* sive *indices*; his enim gaudebant appellationibus tam minores, quam copiosi indices diversarum sectionum Scripturæ sacræ. Non sic in hac præsenti divina Bibliotheca errantes inveniuntur et vagæ appellationes editorum a nobis lemmatum : ad tres siquidem species ac nominationes revocamus diversas omnes sacrorum Bibliorum sectiones quæ apud antiquos scriptores erant usurpatæ. Et primo gradu *titulorum* series collocatur; secundo loco *breves* posuimus; tertio denique *capitula*, quocunque numero describantur, sive plura, sive pauciora sint. Ad hunc modum in fronte Geneseos editi sunt a nobis *tituli* XXXVIII, *breves* XLVI, *capitula* LXXXII, et iterum in alio indice *capitula* CLIV. In libro Exodi tres idem sectionum indices præposuimus, *titulos* scilicet XVIII, *breves* XXI, *capitula* CXXXVIII. Et ita consequenter in toto Heptateucho. In voluminibus autem Samuelis et Malachim, id est in quatuor Regum libris, nihil apposuimus præter *titulos*, qui leguntur scripti in tribus exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis, Memmiano nempe, Carcassonensi, et San-Germanensi nostro. Quod Prophetarum volumina spectat, nullum prorsus indicem sectionum putavimus præfigendum in fronte horum librorum, ne quid contra mentem et usum Hieronymi edidisse videremur : certo namque certius est, non alias eum agnoscere Prophetarum sectiones in genere quam quæ ab ipso dictæ sunt *visiones*; nec capitula illa alicubi appellat nisi lemmata quædam contextus sacri, et partes quas in suis Commentariis pro arbitrio et captu distinxit et illustravit. Hæc capitula Hieronymi longe diversa esse ab iis, quæ sacris Libris præfixa sunt, supra ostendimus; et adhuc aliquot exemplis, quantum res exigit, probare non refugio. Duos Vulgatæ divisionis versiculos cap. I Osee dum exponeret Hieronymus, ita monuit lectorem : *Et quia Commentarios, non lata volumina scribimus, singulis capitulis explanationes proprias in suis locis reservantes, nunc tantum de præsenti capitulo disputemus*. Capitulum illud, *primum* quod vocat, 3 et 4 versum cap. I Osee, ut dixi, solummodo continet, et quæ præcesserunt similia capitula, quinque vel sex numerantur in Commentariis Hieronymi, qui singulis capitulis explanationes proprias adhibebat. *Quatuor* igitur priores versus Osee prophetæ in sex *capitula* vel *septem* distinxit S. Doctor. Primum vero capitulum ejusdem prophetæ in mss. codicibus, et in editione Cari, novem complectitur versiculos integros : nam secundum capitulum istud habet exordium : *Et erit numerus filiorum Israel*, etc.; quæ verba leguntur initio decimi versus, capite supradicto. Hinc videas Biblia sacra diverso sane modo secta esse ac distincta ab Hieronymo, atque ab antiquis aliis scriptoribus vel interpretibus. Quod ut magis magisque

exploratum habeas ac compertum, audi ipsum de Hebræis, Græcis, Latinisque capitulis disserentem in Sophoniæ cap. 3, vers. 14 : *Non videatur mirum*, inquit, *ut sæpe diximus, aliter Hebraica capitula, et aliter LXX, Græca videlicet Latinaque finiri. Ubi enim in sensu diversa translatio est, ibi necesse est diversa esse vel principia vel fines.* Quid amplius ad judicium de Hieronymi et aliorum capitulis faciendum possit desiderari, certe non video. Manifestissime enim distinxit capitula sive sectiones suas a cæteris omnibus, tam Græcorum quam Latinorum, dicens, in sua translatione Hebraica, diversa esse principia et fines Sectionum ab illis quæ in LXX interpretatione legebantur. Prophetia Sophoniæ habet in Commentariis Hieronymi plusquam viginti sectiones sive capitula ; in editione autem Cari presbyteri unicum capitulum huic libro præfixum conspicitur. Merito igitur lemmata hujusmodi abjecimus in libris propheticis, cum adeo diversa reperiantur ab iis capitulis quæ Hieronymianis Commentariis distincta sunt et illustrata. Præterea in Prophetarum voluminibus speciales Scriptura sacra, et quasi nativas sortita est divisiones ratione diversarum materiarum, quarum contextus sensu separatur in diversas ac distinctas quamplurimas partes, quæ ab invicem minime dependent. Sectiones illæ cum libris nascuntur, et apud veteres scriptores nomen *visionum* obtinent : quæque interdum etiam cum hodiernis capitulis inveniuntur concordes. Hieronymus primam secundamque visionem Isaiæ vocat juxta morem suæ ætatis, quod nos dicimus, primum et secundum caput ejusdem prophetæ. Unde hæc apud eum leguntur in Commentariis ad caput II Isaiæ : *Et in priore visione, quam jam exposuimus, ubi LXX interpretati sunt.* Quam vidit contra Judæam et contra Jerusalem (*Isa.* I, 2), *in Hebraico scriptum est,* AL IUDA UIERUSALEM, *id est, super Judam et Jerusalem, et in hac quæ secunda est, in Hebraico similiter continetur* (*Isa.* II, 1). *Et miror*, etc. Priorem, ut vides, dicit *visionem* itemque secundam, quod nos prius, et secundum appellamus capitulum. Ordo igitur sectionum hucusque in Isaia idem est apud nos, qui usu receptus erat tempore Hieronymi apud Patres et Ecclesiæ proceres. In Præfatione quoque translationis Jeremiæ ex Hebræo, idem Hieronymus meminit hujusmodi visionum : nec mediocrem operam Ecclesiæ Christi contulit, cum ordini primævo eas studuit reddere : *Præterea*, inquit, *ordinem visionum, qui apud Græcos et Latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus.* Denique *visiones* sive περικοπάς Danielis absentes ab Hebraico fonte obelis dicit se prænotasse : *Unde et nos ante annos plurimos cum verteremus Danielem, has visiones obelo prænotavimus, significantes eas in Hebraico non haberi.* Vide procœmium Comment. in Danielem. Et ne quid desit curiositati, monendus est lector studiosus, librum Danielis sectum esse ab antiquis in duodecim *visiones* : quæ in mss. codicibus Canonis Hebraicæ veritatis, inque aliis vetustissimis melioris notæ, summa fide expressæ sunt ac descriptæ prout a nobis nunc editæ sunt in hac Divina Bibliotheca. Capitula vero præfixa in fronte Danielis numerantur multo plura, tam in editione Cari quam in mss. aliquot codicibus, ubi ad numerum 31 usque extenta visuntur : qua divisione hodierna nostra minor est media parte capitulorum ad minus : Vulgata enim versio XIV tantum habet sectiones in toto Danielis volumine. Ergo nec cum hodiernis, nec cum antiquis veterum scriptorum divisionibus convenit illa, quæ per Visiones distributa est in veris exemplaribus Hieronymianæ translationis ex Hebræo.

Cæterum sine capitulis præfixis edidimus volumina Paralipomenon, Ezræ, et Estheris : quia nulla fuisse apposita his libris ab Hieronymo, docuit nos supra Cassiodorus, et mss. codices pervetusti ac optimæ notæ nullum retinent indicem capitulorum vel titulorum, sed tantummodo Hieronymi præfationes cum sacro contextu per membra plurima distincto et diviso juxta modum quo nos illum expressimus ad fidem præstantissimorum mss. exemplarium Regiorum, Colbertinorum, Corbeiensium, et San-Germanensium. Omissas tamen capitulationes, quarum auctor fuit Cassiodorus, supplere curabimus, cum veteris Vulgatæ seu Italicæ versionis quamplurimos libros integros evulgandos, Deo juvante, suscipiemus. Nostris etenim votis ac studiis tantum præstitit largitor omnium bonorum Deus, ut non solum Hieronymianæ versionis in angulis obscuris archivorum et bibliothecarum delitescentem ingentem thesaurum nobis revelaret : sed donis cumulans, manibus nostris etiam tradere voluit non pauca Italicæ versionis exemplaria, tum Veteris, tum Novi

Testamenti, quæ suo tempore publici juris fierent ad studiosorum et Christianæ reipublicæ summam utilitatem. Provocati igitur veneratione antiquissimæ versionis, et magnis compulsi hortatoribus, monumenta isthæc sacra rediviva exhibere statuimus. Quare ne ab aliis, quam a nobis in regno Franciæ ederentur, jam cautum est Diplomate Regio, quod nobis speciatim concessum est ad hanc Italicæ versionis editionem. A Matthæi volumine exordiemur eam prælo committere, et seorsum typis evulgabimus illud Evangelium propter ferventem controversiam duorum hujus temporis scriptorum, qui occasione manuscripti Cantabrigensis multa disputant de antiqua versione Latina Evangeliorum, de ea scilicet quæ obtinebat in Ecclesia occidentali ante Hieronymianam castigationem. Multa leguntur in nostris exemplaribus manuscriptis, quæ longe absunt ab amborum conjecturis : nonnulla vero quibus nunc hujus, nunc illius dicto vera esse comprobantur. Cujus demum causæ potissimum faveant mss. codices nostri, non ante ipsorum impressionem perdisces.

III. Longum esset, si vellem cunctos quorumdam criticorum errores huic articulo inserere, et falsas eorum opiniones de versuum divisionibus ac distinctionibus usitatis apud antiquos, singillatim refellere, propositisque capitulis ad singula respondere. Unde laciniosæ disputationis fastidia fugiens, et in arctum verba compingens, illud tantum breviter lectorem admoneo, nullum adhuc nuperorum scriptorum satis accurate dixisse de antiquis versibus seu commatibus Scripturarum divinarum. Pleraque ex Augustini Speculo afferunt in suis notis et observationibus, quæ ad finem vetustissimorum codicum probata statim evanescunt, et falsa demonstrantur. Scribit vir doctus, et mihi summa veneratione semper colendus, Augustinum quidem ita Bibliorum versus distinxisse sibi visum, *ut sex dictiones unusquisque versus contineret*: subditque verba isthæc : *Sed id Augustiniano codici videtur fuisse peculiare, non omnibus commune. Libros Scripturæ plerosque, et fortasse omnes per versus distinxit Hieronymus, sed hodiernæ distinctionis nulla apud eum exstant vestigia.* At pace eruditissimi scriptoris dicere fas sit, innumeros fuisse antiquitus in totis Bibliorum voluminibus, qui duas vel tres tantum dictiones continerent, nec aliquo vocabulorum numero præfinito circumscribendos esse hujusmodi versus, cum nulla certa lege, nunc plures in eis, nunc pauciores dictiones decurrant. Deinde Augustiniano codici nihil fuit peculiare in distinctionibus versuum, sed totum commune habuit cum aliis exemplaribus Græcorum ac Latinorum Patrum. Tertio denique apud Hieronymum nonnulla exstant vestigia hodiernæ distinctionis versuum ; uti subjectis exemplis infra declarabimus, nullo tamen animo litigandi, sed proponendæ solius veritatis studio.

Distinctiones autem versuum in libris veterum scriptorum usitatissimas fuisse, facile nobis concedent qui animum attenderint ad Historiam Josephi, ad Hesychii presbyteri testificationem, atque ad vetustissima Scripturarum sacrarum monumenta, quæ antæ mille et centum annos in membranis pretiosissimis exarata supersunt. Josephus igitur, vernaculus Judæorum scriptor, et apostolicorum temporum æqualis vel suppar, notat ad finem libri XX Ἀρχαιολογίας suæ, versus in his viginti Antiquitatum voluminibus exstitisse sexaginta millia : quæ profecto nec tot numerari possint in textu Græco Josephi, nisi breviores fuissent hodiernis nostris Biblicis, nec ad certum numerum præfiniri, nisi distincte et per intervalla fuissent descripti in autographo ejusdem auctoris. Morem hunc describendi multa versibus valde superiorem Josepho ostendit Hesychius presbyter Hierosolymorum, cum, in tractatu quem vocat Στιχηρόν duodecim prophetarum, eum refert ad tempora Davidis et Salomonis, sive etiam Jobi his Regibus vetustioris : addens insuper similem versuum distinctionem se invenisse in aliquot exemplaribus librorum apostolicorum : Ἰλὴν ἀλλὰ καὶ τὴν ἀποστολικὴν βίβλιον οὕτω τινὶ συγγραφεῖσαν εὑρών, etc. Non ergo recens erat tempore Hesychii, sed jam recepta et inolita versuum distinctio in libris sacris Veteris ac Novi Testamenti. Nec unum solummodo sacrum contextum versibus fuisse distinctum ac descriptum novimus ; sed versiones etiam Græcas quascunque Instrumenti Veteris ab Origene per membra sive versuum cola fuisse divisas docuit nos Eusebius Cæsariensis lib. VI Eccl. Hist. cap. 16, ubi hæc habet de opere Hexaplorum Origenis : *Has igitur omnes interpretationes cum in unum corpus collegisset, et per cola* ac

membra distinxisset, et sibi invicem e regione opposuisset, una cum Hebraico textu, Hexaplorum nobis exemplaria reliquit. De verbis hisce Græcis, διελών τε πρὸς κῶλον fuse satis disputavit Henricus Valesius, Eusebii interpres eruditissimus, jure merito castigans Christophorsonum quod verterit prædicta verba *columellis inter se distinxit*: cola enim sunt versus seu membra sensum integrum absolventia. Verum ipse Valesius non videtur naturam versuum Scripture plene assecutus, quia confundit in Hieronymi præfatiunculis cola versuum cum commatibus, quæ partes sunt et membra colorum, sensum integrum sæpius non absolventia. Sed age, proferamus in medium adnotationem Valesianam in locum Eusebii jam laudatum. *Primus*, inquit, *apud Latinos Hieronymus interpretationem suam per versus distinxit, imitatus Origenem, qui in Hexaplis idem præstiterat. Porro Origenes in eo maxime consuluit legentium utilitati. Nam quæcunque per versus distincta sunt, ea facilius, tum intelliguntur, tum memoriæ mandantur. Adde quod ad Græcas editiones inter se comparandas, prorsus necessaria fuit hujusmodi distinctio. Exemplum Origenis secuti sunt postea complures, et in Novo Testamento idem præstiterunt, quod ille prius fecerat in Vetere Instrumento, ut testatur Hesychius Hierosolymitanus in libro quem inscripsit* Στιχηρὸν *duodecim prophetarum. Quem quidem librum ideo sic inscripsit, quod ad marginem singulorum versuum apposuerat expositionem locorum difficilium, quod* παρατίθεσθαι *et* παράθεσιν *ipse vocat. Verba Hesychii sunt hæc:* Ἔστι μὲν ἀρχαῖον τοῦτο τοῖς θεοφόροις τὸ σπούδασμα, στιχηδὸν ὡς τὰ πολλὰ πρὸς τὴν τῶν μελετωμένων σαφήνειαν, τὰς προφητείας ἐκτίθεσθαι, *etc., quæ Latine ita reddimus*: Libros propheticos majoris perspicuitatis causa per versuum cola dividere, vetus inventum est sanctorum Patrum. Nam initio sine ulla distinctione legebantur. Postea vero viri docti et sacrarum Litterarum studiosi, majoris, ut dixi, perspicuitatis causa, hujusmodi versuum distinctionem excogitarunt. Ita Prophetarum libri ab illis editi sunt. Sic Davidis Psalmi ; sic Proverbia, et Ecclesiastes, et Canticum canticorum. Sic liber Jobi per versus distinctus reperitur. Sed et librum Apostolicum, id est, Actus et Epistolas apostolorum hoc modo ab aliquibus descriptum inveni. *Subjungit deinde Hesychius* hæc verba : Ἀλλ' ἐπειδὴ πολλὰ μὲν τῶν ἀσαφῶν ἡ τῶν στίχων σαφηνίζει διαίρεσις *Ubi* στίχους *vocat quæ* κῶλα *dicere debuisset... supra monuimus, quid primum ab Origene præstitum sit in Hexaplorum editione : quod singulas interpretationes per versuum cola distinxit. Itaque versuum distinctio quam hodie in Septuaginta Seniorum interpretatione cernimus, Origenis inventum est.* Sic ille, Origenis quidem inventum est, quod interpretationes Græcas e regione sibi invicem opposuerit : at non facile acquiescerem Valesii sententiæ in priori Origenis invento, quo scilicet versuum distinctionem derivatam dicit in Septuaginta Seniorum interpretationem. Credibilius est, ni fallor, aliqualem versuum et commatum divisionem observasse veteres illos Græcos interpretes, Septuaginta dico, Aquilam, Symmachum et Theodotionem, quam confuso prorsus et indistincto imperitorum scriptorum more suas versiones condidisse. Ex Josepho ostensum quoque est supra, consuetissimum fuisse morem apud veteres auctores, ætate apostolis æquales, opera dividendi per versus, ac eorum numerum in fine librorum adnotandi. Præterea libri στιχήρεις dicti, id est, *Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes* et *Canticum canticorum*, versibus ab initio conscripti sunt. Unde evidens exsurgit argumentum, quod in illis saltem libris divisio versuum inventum Origenis haberi nullatenus debet. Plura sunt in adnotatione Valesii, præcipue Græcorum verborum Hesychii interpretationem spectantia, quæ eruditorum judicio permittimus. Tantum dicam Hesychium apposite versus appellasse στίχους, non κῶλα, ut voluit Valesius *colon* enim sumitur apud Hieronymum pro sententia integra, quæ duobus vel tribus cæsis decurrit in sacris libris : στίχος vero dicitur quodlibet cæsum *coli*, et quælibet subdistinctio in periodis sermonum. Rem exemplis manifestam facere juvabit. Psalmus I hanc habuit antiquitus versuum dispositionem ac distinctionem in vetustissimis Ecclesiarum monumentis :

Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum,
et in via peccatorum non stetit,
et in cathedra pestilentiæ non sedit.
Sed in lege Domini voluntas ejus :
et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Duo ibi sunt κῶλα, id est duæ sententiæ, prior trimembris, et posterior bimembris: quinque autem membra et quinque στίχοι seu versus Hesychiani, qui singulis sen-

tentiolis et lineis constituuntur. In exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis *cola* semper incipiunt ab una littera majuscula, sæpius etiam miniata : στίχοι seu versus indiscriminatim a minuta littera vel majuscula, juxta morem quorumvis scriptorum, et eorum temporum, quibus libri descripti sunt. In Psalterio v. g. monasterii San-Germani, cujus usuram habuisse dicitur sanctissimus antistes Parisiensis, ac patronus noster, litteræ omnes versiculorum initiales ubique visuntur æquales, quia universæ unciales sunt sive majusculæ per totum contextum : sic enim legimus Psal. I :

IDEO NON RE URGENT IMPII IN JUDICIO, NEQUE PECCATORES IN CONCILIO JUSTORUM, QUONIAM NOVIT DOMINUS VIAM JUSTORUM ET ITER IMPIORUM PERIBIT.

Contra quatuor hos στίχους, id est, versus in duobus colis exscriptos retinent Canonis exemplaria, ad hunc modum :

Propterea non resurgent impii in judicio,
neque peccatores in congregatione justorum.
Quoniam novit Dominus viam justorum,
et viam impiorum peribit.

Inter στίχους igitur et inter κῶλα eamdem distinctionem adhibere debuit Valesius, quam omnes agnoscimus in circuitum perfectum orationis, et inter membra ejusdem circuitus, id est, inter περίοδον et inter κῶλα. Quæ ut ex Augustino manifestiora fiant, in consideratione eorum quæ leguntur cap. 7, lib IV de Doctrina Christiana, paulisper immoremur : nonnihil enim lucis accedet si recte intelligatur quod de periodis, colis, et commatibus ubi reperitur scriptum : *Agnoscitur*, inquit Augustinus, *et aliud decus, quoniam post aliqua pronuntiationis voce singula finita, quæ nostri membra et cæsa, Græci autem* κῶλα *et* κόμματα *vocant, sequitur ambitus sive circuitus, quem* περίοδον *illi appellant, cujus membra suspenduntur voce dicentis, donec ultimo finiatur. Nam eorum quæ præcedunt, circuitum membrum illud est primum*, quoniam tribulatio patientiam operatur (*Rom.* V, 3) : *secundum*, patientia autem probationem (*Ibid.* 4) : *tertium*, probatio vero spem (*Ibid.*). *Deinde subjungitur ipse circuitus, qui tribus peragitur membris, quorum primum est*, spes autem non confundit (*Ibid.* 5) : *secundum*, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris (*Ibid.*) : *tertium*, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Ibid*). *At hæc atque hujusmodi in elocutionis arte traduntur* ; et iterum paulo inferius : *Porro autem qui novit, agnoscit quod ea cæsa, quæ* κόμματα *Græci vocant, et membra, et circuitus, de quibus paulo ante disserui*, etc. Cæsa ergo sunt quæ *commata* a Græcis vocantur : *cola* membra integra, et majora commatibus : periodi vero, circuitus qui pluribus membris peraguntur, ita ut circuitus in κῶλα, cola in κόμματα divisa sint in oratione, juxta elocutionis artem, de qua ibidem disputat sanctus Augustinus, qui tres distinctionum species propriis vocabulis ostendit in una B. Pauli περικόπῃ. His non ex æquo respondent Hieronymianæ versuum distinctiones : duo enim genera divisionum in Scripturis solum memorat Hieronymus, ejus scilicet quæ fit per κῶλα integra, et alterius quæ per κῶλα et κόμματα distincta est. De priori distinctione versuum per integra κῶλα meminit expresse in Præfatione librorum Paralipomenon, quos ex Hebræo Latine reddidit : *Et quod nunc*, inquit, DABRE AJAMIM, *id est*, Verba dierum, *interpretatus sum : idcirco feci, ut inextricabiles moras, et silvam nominum, quæ scriptorum confusa sunt vitio, sensuumque barbariem, apertius et per versuum cola digererem.* Eadem versuum *cola*, membra vocat Præfatione in Josue : *Monemusque lectorem, ut silvam Hebraicorum nominum, et distinctiones per membra divisas diligens scriptor conservet.* Præfationibus autem in Isaiam et in Ezechielem non solum per cola, sed per cola et commata suam versionem novam ex Hebræo distinctam fuisse, docet ad morem librorum Demosthenis et Ciceronis : *Nemo*, inquit, *cum prophetas versibus viderit esse descriptos, metro eos æstimet apud Hebræos ligari, et aliquid simile habere de Psalmis et Operibus Salomonis* : *sed quod in Demosthene et in Tullio solet fieri, ut per cola scribantur, et commata, qui utique prosa et non versibus conscripserunt. Nos quoque utilitati legentium providentes, interpretationem novam novo scribendi genere distinximus.* Ita Hieronymus Præfatione in Isaiam, et in Ezechielem de Hebræo similiter ab eo versum, hoc modo invitat Paulam et Eustochium ad lectionem ejusdem prophetæ : *Legite igitur et hunc juxta translationem nostram : quoniam per cola scriptus, et commata, manifestiorem legentibus sensum tribuit.* Colis igitur et commatibus distincta erat nova Hieronymiana interpretatio pro-

phetarum, cum tantum colis libros Paralipomenon divisisset. Quare lectorem non præmonuit Præfationibus in volumina Historica Josue et Paralipomenon, ne crederet ex sua colorum distinctione, metra esse in illis libris : sicut revera illam opinionem docet esse præcavendam in libris propheticis ; quia per cola et commata descripti speciem habent metricæ compositionis. Quæ ut oculis omnium perspecta sint et manifesta, nonnullas sententias, tum ex Prophetis, tum ex Paralipomenis, hic loci describere non gravabor. Sic igitur per cola et commata edidimus sequentes Isaiæ prophetæ sententias sive periodos cap. I :

Audite, cœli, et auribus percipe, terra,
quoniam Dominus locutus est.
Filios enutrivi, et exaltavi :
ipsi autem spreverunt me.
Cognovit bos possessorum suum,
et asinus præsepe domini sui :
Israel autem non cognovit,
populus meus non intellexit.

Modus hic dividendi contextum sacrum prophetarum, nihil differt ab eo, quo Psalmi descripti sunt in exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis : nam Psalmo nono verbi gratia similem habes versuum distinctionem.

Confitebor Domino in toto corde meo,
narrabo omnia mirabilia tua.
Lætabor et gaudebo in te,
canam nomini tuo, Altissime.
Cum ceciderint inimici mei retrorsum,
corruerint et perierint a facie tua.
Fecisti enim judicium meum et causam meam,
sedisti super solium judex justitiæ.

Prophetarum itaque et Psalmorum descriptio, cum eadem fuerit in nova Hieronymi translatione ex Hebræo, non abs re monuit S. Doctor Præfatione in Isaiam, ne quis, cum videret Prophetas versibus descriptos, metro eos æstimaret apud Hebræos ligari et aliquid habere simile de Psalmis et Operibus Salomonis, cui addendum est, et de Jobi volumine : Job namque, teste Hieronymo, metro ligatur apud Hebræos, et versibus in versione ejusdem descriptus legitur ad morem Psalmorum et operum Salomonis. Non sic Paralipomena, quæ, ut dixi, colis tantummodo descripta sunt et distincta ad vitandam sensuum barbariem et confusionem. Unde cola isthæc ita descripta reperiuntur cap. I libri prioris :

Porro filii Regma : Saba et Datan.
Chus autem genuit Nemrod : iste cœpit esse potens in terra.
Mesraim vero genuit Ludim, et Anamim, et Laabim, et Nephtuim, Phetrusim quoque et Casluim : de quibus egressi sunt Philistim, et Caphtorim.

Quam diversa sit ista distinctio per cola versuum ab ea, quæ fit per cola et commata nemo prudens ex propositis exemplis perspectum modo habere non potest. Quis enim sibi persuadere patietur, cola in Paralipomenis descripta, speciem præferre metricæ cujusdam compositionis ? Econtra quis inficias ibit, distinctionem prophetarum per cola et commata similem esse metricis descriptionibus ? In ea distinctione versiculorum diceres Prophetas decurrere hexametris et pentametris, licet prosa et non versu conscripti sint. Paralipomena vero nullam habent imaginem hexametri aut pentametri, sed solius orationis per membra divisæ, id est per suas περικοπὰς et circuiuts distinctæ. Ergo colis tantum Paralipomenon, et Josue libros distinxit Hieronymus, cum omnes prophetas per cola et commata descripserit, ut ipse fidem facit in suis Præfatiunculis. Quod distinctionis duplex genus facilius intelliges, si noveris eadem volumina Scripturarum diversimode fuisse secta et descripta in variis ac diversis mss. codicibus. Neque vero colis et commatibus ubique distinctus invenitur liber Jobi, vel liber Psalmorum ; sed nunc per versuum integra cola, nunc per cola et commata, sicut unicuique scriptorum veterum placuit, descriptos fuisse nulli dubium est. Librum Jobi per cola distinxit ms. codex monasterii nostri Majoris prope Turones, quem per cola et commata dividunt exemplaria tria Canonis Hebraicæ veritatis, Memmantum dico, Carcassonense, et San-Germanense nostrum. Cap. III libri Job sic legimus scriptum in codice Majoris monasterii, ante sexcentos annos in membranis pulchre exarato :

Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : conceptus est homo.
Dies ille vertatur in tenebras : non requirat eum Deus desuper, et non illustret lumine :
Obscurent eum tenebræ, et umbra mortis. Occupet eum caligo, et involvatur amaritudine.

Tria, ut vides, hic cola versuum descripta sunt, quæ in omnibus æqualia sunt divisioni hodiernæ, et Massoretharum distinctionibus. In exemplaribus autem Canonis eadem verba diversam habent versuum distinctionem, quia per cola, et commata separantur juxta morem vetustissimorum Scriptorum, qui ali-

quanto tempore post Hieronymum Biblia sacra describebant in hunc modum :

Pereat dies in qua natus sum.
et nox in qua dictum est : conceptus est homo.
Dies ille vertatur in tenebras,
non requirat cum Deus desuper,
et non illustret lumine.
Obscurent eum tenebræ, et umbra mortis,
occupet eum caligo, et involvatur amaritudine.

In aliis quamplurimis mss. libris liber Job nec primum habet, nec secundum genus distinctionis, sed uno quasi ducti et eodem tenore descriptus est, sicut describuntur Mosis et Regum volumina. Nec alio modo versus in illis ex ordine secantur, quam punctis adhibitis, duobus vel tribus pro voluntate scriptorum veterum, qui Cassiodorum secuti videntur in eo, quod docuit cap. 12 de Institutione divin. Litterarum. Nam quod per intervalla Hieronymus in sua translatione descripsit, illud consequenter posuisse et adunasse Cassiodorus credendus est ex iis, quæ loco citato leguntur : *Hunc autem pandecten*, inquit, *propter copiam lectionis minutiore manu in senionibus quinquaginta tribus æstimavimus conscribendum, ut quod lectio copiosa tetendit, scripturæ densitas adunata contraheret.* Copiosissima erat in editione Hieronymi lectio Scripturæ propter distincta intervalla colorum et commatum : eam breviorem fecit et contractiorem Cassiodorus, cum et minutioribus characteribus litterarum, et adunatis partibus prius distinctis in unum veluti densum corpus contraxit. Infinita supersunt mss. exemplaria sacrorum Bibliorum, ubi versus, tam in Psalmis, quam in reliquis notis, tantum interpunctis distincti reperiuntur : sed rariora in quibus Psalmi, et præcipue libri Jobi, colis versuum sunt descripti : rarissimi autem codices illi sunt qui per cola et commata adhuc retinent descriptos libros στιχήρεις Jobum nempe cum Psalmis Davidis, et operibus Salomonis. Quod igitur spectat distinctionem versuum in toto Canone Hebraicæ veritatis, eam mutuati sumus et vetustissimis monumentis, quorum ope destituti in Mosis voluminibus, Josue, Judicum, etc., nihil per cola versuum ibidem dividere nobis permisimus, sed tantum interpunctionibus ad versuum distinctionem adhibitis editionem nostram absolvimus prout licuit mediocritati nostræ.

Notandum vero cum primis, duo genera distinctionum, quæ in versibus Jobi et Psalmorum diximus usitata, in pluribus Hebræis voluminibus mss. nondum esse obsoleta : nam quæcunque observavimus in Latinis libris de distinctione versuum nunc per cola, modo per cola et commata, eadem prorsus occurrunt in antiquis Hebræorum monumentis, haud incuriose a nobis eruditionis causa perlustratis. Hebraica Biblia mss. quæ in Bibliotheca Oratorii Parisiensis asservantur, hisque litteris et numeris, BB. 33 notata sunt, non aliam agnoscunt versuum distinctionem in libris Jobi, Davidis, et Salomonis, quam quæ a Massorethis præfinita est per puncta dicta *Silouc*, sive *Soph Pasuc*. At regia Hebraica sacrorum Bibliorum volumina mss. num. 5 et 6 eosdem libros descriptos retinent per cola versuum et commata, ita ut diceres exemplaria Canonis Latina ex illis Hebræis expressa fuisse. Tanta namque reperitur inter utrosque codices affinitas et concordia, ut nobis sæpius admirationi fuerit, quando cum Hebræis comparabamus exemplaria Latina. Liber Job, attestante Hieronymo, prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur, id est, a principio voluminis usque ad verba Job, ubi ait : *Pereat dies*, etc. (*Job* III, 3), prosa oratio est : ab illo autem commate usque ad finem libri versibus absolvitur, nempe usque ad hæc verba, *Et ago pœnitentiam in favilla et cinere* (*Job* XLII, 6.). Parvum autem comma sive Capitulum quod remanet prosa oratione contexitur. Totum istud libri Job artificium religiose observatum videmus in regiis mss. Hebræis jam laudatis : totum item in exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis, quem Latinum fecit Hieronymus. In eo tantum discrepabant, quod Hebræorum versuum commata spatiis vacuis ab invicem separantur in eadem linea : quæ commata sibi subjecta et subnexa reperiuntur in Latina versione, propter majorem verborum Latinorum copiam, qua proprietas hujus linguæ completur. Res erit facilior intellectu, si hujus discriminis exempla proponamus. Jobi itaque capite tertio talis est apud Hebræos commatum distinctio in versibus.

יאבד יום בולד בו והלילה אמר הרה גבר :

Iovad iom havaled bo valaela amar hora gaver.

Hæc duo commata ejusdem versus in Latina versione sibi subnexa sunt (*Job*, III, 3), ut diximus, et hoc modo descripta :

Pereat dies in qua natus sum ;
Et nox in qua dictum est : conceptus est homo.

Ita consequenter per totum Jobum, et in Hebræis mss. codicibus, et in Latinis Canonis exemplaribus, cola versuum et commata descripta reperiuntur. Quorum distinctionem etsi in pluribus mss. codicibus minime observatam videamus, nullum propterea movere debent exemplariorum tantæ discrepantiæ, quia inductæ sunt a librariis et scriptoribus antiquis, qui nunc plures sententias conjungunt, nunc distrahunt, prout in calamum fluerent, et animus scriptoris, tum Hebræi, tum Latini, operi esset intentus, aut vagus; ut in magnis et diuturnis operibus fieri solet. Scriptor codicis Hebræi Oratoriani supra memorati integros versus continue descripsit in toto Psalterio, nec ullam ibi observavit commatum distinctionem, quam tamen prosecutus est libro primo Paralipomenon, cum cap. XVI ejusdem libri Psalmum CIV non segniter exscribere voluit. Idem esto judicium de scriptore Latino, ms. codicis Bibliorum, quem Colbertinæ bibliothecæ donarunt canonici Anicienses: is enim colis versuum distinxit priores octo vel decem Psalmos Davidis, reliquos vero sequentes descripsit absque simili colorum distinctione, interpunctionibus solummodo adhibitis in fine versuum. His addendæ essent aliquot variantes distinctiones versuum interdum occurrentes in regiis Hebræis codicibus, inque tribus exemplaribus Latinis Canonis Hebraicæ veritatis nisi curioso lectori sufficerent quæ præmisimus exempla ad causæ explicationem.

Nunc si ad periodos, cola et commata ab Augustino observata in Epistolis Pauli redeamus, proclivis est atque expedita responsio, sanctissimum antistitem respexisse lib. IV de Doctrina Christiana, non ad distinctionem versuum usitatam in Libris sacris, sed ad hagiographorum scriptorum eloquentiam, quam ostendere studuit e contextu Epistolarum B. Pauli, ubi grammaticæ artis distinctiones, ac leges elegantioris sermonis probantur retentæ. Cola igitur et commata S. Augustini nihil hoc loco spirant præter gradationem grammaticam, qua verba vel censa connectuntur alterum ex altero, sicut Rom. v, 3, ex tribulatione patientiam, ex patientia probationem, ex probatione spem connexam videmus: vel decus aliud orationis, quo post aliqua pronuntiantis voce singula finita, sequitur ambitus sive circuitus, quem περίοδον appellant: grammaticorum et oratorum sunt A ista cola et commata: Hieronymiana autem κῶλα et κόμματα in Præfatiunculis S. Doctoris memorata, distinctiones sunt Scripturarum per membra divisæ, quæ numerum versuum constituunt in Libris sacris. Quas distinctiones versuum, nunc majores fuisse apud veteres Scriptores, nunc breviores supra dicebamus. Utrumque autem id distinctionum genus ab Hieronymo agnitum et usurpatum, ex ejusdem verbis breviter demonstrandum est. Versuum distinctio ab antiquo ævo usurpata in Libris sacris, ea primum haud dubie recensenda est quæ in editione Vulgata ante Hieronymum obtinebat: quæque B copiosior fuit cæteris omnibus divisionibus tam antiquis, quam hodiernis. Hac distinctione versuum partiti olim Psalmi, duple majorem habuere numerum versiculorum, vel interdum triplo majorem, quam nunc habent in Vulgata nostra Latina. Verbi causa Psal XIII juxta hodiernam divisionem decem versibus distinctus legitur, juxta antiquam divisionem in Psalterio Romana duodecim habuit versus, vel tredecim, numerato titulo Psalmi pro uno commate. In communi autem et veteri Latina translatione viginti quinque numerantur στίχοι, aut viginti sex cum titulo. Istius copiosissimæ divisionis ver- C suum meminit Hieronymus, dum virgini eruditissimæ Eustochio respondet procœmio in lib. XVI Commentariorum in Isaiam: *Non parvam*, inquit, *mihi quæstiunculam detulisti, quod scilicet octo versus qui leguntur in Ecclesiis, et in Hebraico non habentur, tertii decimi Psalmi, Apostolus usurparit, scribens ad Romanos* (*Cap.* III, *vers.* 13-18): Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis D non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum. *Quod cum audissem, quasi a fortissimo pugile percussus essem, cœpi tacitus æstuare, et stuporem mentis vultus pallore signare*, etc. Octo illi versus, qui tres tantum habent distinctiones in nostra Vulgata Latina, et in Romano, Psalterio, hoc ordine et numero decurrunt in Psalterio S. Germani, veterem Vulgatam et Κοινὴν complexo, et uncialibus, ut vocant, litteris aureis atque argenteis exarato:

Sepulcrum patens est guttur eorum,

Linguis suis dolose agebant;
Venenum aspidum sub labiis eorum
Quorum os maledictione et amaritudine plenum est.
Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem;
Contritio et infelicitas in viis eorum;
Et viam pacis non cognoverunt;
Non est timor Dei ante oculos eorum.

In Ecclesiis Latinorum legebantur octo illi versus, teste Hieronymo, ac virgine Eustochio, in eorum quoque codicibus modo jam exhibito scribebantur cum totidem versuum distinctionibus, quæ duplam vel triplam habent divisionem cum nostra hodierna comparatæ. Eamdem versuum distinctionem numerosam agnoscit Hieronymus epistola ad Sunniam et Fretelam, ubi hæc habet ad Psal. XVII, 13: *Grando et carbones ignis*, etc. *Et quæritis cur Græcus istum versiculum secundo non habeat, interpositis duobus versibus. Sed sciendum quia de Hebraico, et Theodotionis editione in Septuaginta interpretibus sub asterisco additum sit.* Ita est, Græcus contextus ad quem vetus antiqua Latina expressa est, non legebat in Κοινῇ *Grando et carbones ignis*; post ista: *Et Altissimus dedit vocem suam*; sed semel tantum ante: *Et intonuit de cœlo Dominus.* Unde illum versiculum cum asterisco reposuit Hieronymus in hunc modum:

Grando et carbones ignis.
Et intonuit de cœlo Dominus:
Et Altissimus dedit vocem suam,
※ Grando et carbones ignis.

Tres ultimi versus hujus divisionis, unicum constituunt vers. 14 in Vulgata Latina. Unde colligas maximum discrimen quod intercidit inter hodiernam, et inter antiquissimam distinctionem versuum, in Libris sacris usurpatam primis fidei temporibus. De numerosa hac versuum divisione consulatur adhuc Hieronymus in c. XXI Ezech., in c. LXIII Isaiæ, et aliis innumeris locis, quorum recitationi indulgere non juvat, eo quod jam allata testimonia lectori studioso satis esse credidimus. Unum superest, ut nonnulla vestigia hodiernæ distinctionis versuum ostendamus exsistere apud Hieronymum, quod supra me facturum promisi. Sciendum igitur verba Jobi cap. XLII, vers. 6, quibus pœnitentiam suam prædicat, unum efficere versum apud S. Hieronymum, ut unum dicimus juxta hodiernam versiculorum divisionem, a Massorethis mutuatam. Nam postquam monuerat Præfatione in librum Job ex Hebræo conversum, hexametris versibus ipsum decurrere apud Hebræos, a verbis A scilicet Job, in quibus ait, *Pereat dies*, etc. (*Cap.* III, *vers.* 3), usque ad eum locum, ubi ante finem voluminis scriptum est: *Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere* (*Cap.* XLII, *vers.* 6): subdidit statim: *A supradicto autem versu usque ad finem libri, parvum comma quod remanet, prosa oratione contexitur.* Ubi duo observari velim, primum eamdem distinctionem, et eamdem unius versus continentiam in supra dictis verbis Job, usurpatam fuisse ab Hieronymo, quæ in Vulgata hodierna versuum distinctione usu recepta est: unde sequitur nonnulla hodiernæ distinctionis vestigia apB parere apud Hieronymum. Deinde *comma* ab eodem S. Doctore vocatum hoc loco non esse promiscue accipiendum cum *colis* et *commatibus* versuum, de quorum divisionibus in hoc articulo disputatur: quia *comma quod remanet* a supradicto versu Jobi usque ad finem libri, integrum est capitulum, plurimis constans sententiis, id est plurimis versibus, et versuum commatibus. *Comma* itaque hic loci dictum, idem est quod περικοπὴ apud Origenem ac cæteros Græciæ tractatores. Aliud vestigium hodiernæ distinctionis versuum putabam me invenisse lib. I Commentariorum Hieronymi in Danie-C lem c. III (*vers.* 87): de illis enim verbis, *Benedicite sancti et humiles corde Domino, laudate et superexaltate eum in sæcula*, ita disserit S. Hieronymus: *Humilitatem cordis habere, et præsens versiculus docet*, etc. At inspectis diligenter mss. codicibus Commentariorum in Dianelem, fidem nullam esse deprehendi in editis libris: ita enim textum prædictum Danielis describunt, ac si integrum vers. 87, c. III, recitaret, et commentariis illustraret Hieronymus, cum certum sit mediam tantum partem versiculi nostri positam ab eo fuisse et expositam in suis Commentariis, istam nempe: *Benedicite sancti* D *et humiles corde Domino.* Et hoc est, quod Hieronymus vocat *præsentem versiculum*, juxta antiquam, et non juxta hodiernam distinctionem versuum. Ad alia proinde exempla divertendum nobis est. In Psal. CXVIII duplicem distinctionem versuum usitatam fuisse apud veteres discimus e vetustissimis monumentis, ex Hieronymi epistolis non paucis, et egregio Augustini Speculo. Monumenta vetustissima ista sunt: Psalterium S. Germani toties laudatum, et exemplaria tria Canonis Hebraicæ veritatis, ubi Psal. CXVIII se-

decim habet versus sub unaquaque littera alphabeti Hebraici, qui sic describuntur in Vulgata veteri, quam continet Psalterium ante nuncupatum S. Germani :

'ΑΛΕΦ

BEATI IMMACULATI IN VIA,
QUI AMBULANT IN LEGE DOMINI ;
BEATI QUI SCRUTANTUR TESTIMONIA EJUS
IN TOTO CORDE EXQUIRUNT EUM, *etc.* :

quæ eodem modo leguntur in illo exemplari vetustissimo Psalmorum. In Canonis exemplaribus idem numerus versuum, sed paulo aliter descriptus :

ALEPH

Beati immaculati in via,
qui ambulant in lege Domini.
Beati qui custodiunt testimonia ejus ;
in toto corde exquirunt eum.
Non enim qui operantur iniquitatem,
in viis ejus ambulaverunt.
Tu mandasti præcepta tua
custodiri nimis.
Utinam dirigantur viæ meæ
ad custodienda præcepta tua.
Tunc non confundar,
cum respexero ad omnia mandata tua.
Confitebor tibi in directione cordis,
cum didicero judicia justitiæ tuæ.
Præcepta tua custodiam,
ne derelinquas me nimis.

BETH.

In quo corrigit juvenior, *etc.*

Hæc erat numerosa versuum distinctio in Psal. CXVIII, quæ e Vulgata antiqua versione Latina in novam S. Hieronymi translationem illico derivata est, uti res est in promptu ex Speculo S. Augustini, qui hujus Psalmi versus quamplurimos citavit, et eorum numerum determinat, dicens *duos esse versus* ab illis verbis ; *Præcepta tua non sum oblitus* (*v.* 83), usque ad ista quæ leguntur vers. 85 : *Foderunt mihi superbi foveas, quæ non erant juxta legem tuam.* Totidem etiam ab his usque ad ea : *Paulo minus consummaverunt me in terra*, etc. (*vers.* 87) : numeri ergo versuum, quos assignat Augustinus, sæpius iterando : *Et post duos versus ; et post septem versus*, etc., perfecte quadrant ad distinctionem jam dictam, usitatam in veteribus Ecclesiarum monumentis, quæ sedecim versuum divisiones exhibent ad singula Alphabeti Hebraici elementa. Alii mss. codices Psalmorum antiquissimi quamplures ac optimæ notæ, octo tantum versus habent ascriptos sub singulis litteris Hebraicis, tam in veteri editione juxta LXX interpretes, quam in nova Hieronymiana ex Hebræis voluminibus prognata. Ita Psalterium triplex S. Hieronymi in codice vetustissimo Carnutensi descriptum per tres columellas sibi invicem oppositas, ad similitudinem Tetraplorum et Hexaplorum Origenis. Itaque quoque aliud triplex Psalterium bibliothecæ Sorbonicæ, quod Græcam LXX seniorum editionem, Latinis tamen scriptam elementis, curiosissime retinet cum Psalterio Romano et translatione Hieronymi Hebraica. Sic denique Vaticani, Regii, Colbertini, San-Germanenses, et alii innumeri codices mss. Psalmorum, in quibus exstat editio nova Hieronymi, aut vetus juxta Septuaginta interpretes. Per cola versuum, sive per octonos versus descripti sunt universi codices illi, secundum hodiernam versuum distinctionem et enumerationem in Psalmo centesimo decimo octavo, de quo Hieronymus, ad Paulam Urbicam : *Studiosissime perquisisti, quid sibi velint Hebrææ litteræ, quæ Psalmo quem legebamus, videbantur insertæ. Respondi secundum ordinem litterarum eum esse compositum, quod videlicet ex prima littera, quæ apud eos vocatur* ALEPH, *octo versus inciperent, rursus ex sequenti* BETH *totidem versus exordium sumerent, ac postea ex* GIMEL *idem numerus compleretur, atque ita usque ad* TAU, *quæ apud eos extrema littera est, Psalmum esse conscriptum*, etc. Eamdem versuum distinctionem sequuntur Hilarius et Ambrosius in suis ad Psal. CXVIII commentariis ; unde manifestum nobis est, non solum apud Hieronymum, sed apud alios etiam Ecclesiæ doctores et antiquissimos scriptores nonnulla exstare vestigia hodiernæ versuum divisionis et enumerationis. Idem intellige de ultima sectione Proverbiorum, quod de Psal. CXVIII : nam apud Hieronymum illa περιχοπὴ quæ laudes mulieris fortis prosequitur, viginti duobus constat versibus juxta numerum litterarum Hebraicarum : *Proverbia quoque Salomonis*, inquit Hieronymus epistola jam laudata, *extremum claudit Alphabetum, quod tetrametro iambico supputatur ab eo loco, in quo ait* : Mulierem fortem quis inveniet (*Prov.* XXXI, 10) ? In exemplaribus autem Canonis, inque vetustissimis aliquot aliis mss. codicibus, numerantur in illa sectione, non tantum 22 versus, sed 44, quia per cola et commata descriptum ibi legitur ultimum alphabetum .

Mulierem fortem quis inveniet ?
procul et de ultimis finibus pretium ejus.
Confidit in ea cor viri sui,
et spoliis non indigebit, *etc.*

Hinc colligas duplicem fuisse in vetustissimis monumentis versuum distinctionem, utramque vero agnitam fuisse et usurpatam ab antiquioribus Ecclesiasticis scriptoribus. Apud Augustinum usu semper receptam eam invenies, quæ sit per cola et commenta : apud Hieronymum vero, nunc eamdem, nunc diversam juxta qualitatem singularum partium Scripturæ divinæ. In metricis compositionibus, quæ numeros habent astrictos secundum seriem Hebræorum elementorum, eam fere semper distinctionem versuum usurpavit, quam nos hodie sequimur in Vulgata Latina : in cæteris autem libris, ut supra diximus, numerat Bibliorum versus juxta copiosissimam eorum distinctionem suo tempore receptam in Ecclesiis, id est, receptam in veteri Vulgata, quæ manibus Latinorum terebatur. Quorum versiculorum antequam varios indices proponamus, haud otiosum fuerit nonnullas subjicere distinctiones usitatas in novo Testamento. Quædam igitur fragmenta mss. Evangelii secundum Lucam mihi communicavit clarissimus vir F. Desmares, in quibus superest distinctio antiqua versuum, ut et antiqua versio Latina, litteris uncialibus descripta in pervetustis membranis. Luc. v, 18, hoc modo scriptum legimus : ET ECCE VIRI POTENTES IN LECTO CIRCUMFERE- C BANT HOMINEM QUI ERAT PARALYTICUS ; ET QUÆREBANT EUM INFERRE ET PONERE ANTE EUM ET NON INVENIENTES, etc. Duos ibi versus distinxit scriptor illius codicis, notando punctum supernum ad finem singulorum, nec aliam distinctionem versuum in illo ms. exemplari adhibitam perspexi. In alio autem fragmento ejusdem Evangelii, plena est versuum divisio, atque distinctio commatum per intervalla :

ET ECCE EXEUNTES
DUO EX DISCIPULIS JESU
IBANT IPSA DIE
IN CASTELLUM
QUOD ERAT IN SPATIO
STADIORUM SEXA-
GINTA AB HIERUSALEM
NOMINE EMMAUS.

Quatuor hi versus antiquæ distinctionis unicum constituunt in nostra Vulgata Latina Luc. XXIV, 13. Tanta igitur erit distantia numerorum in versibus Biblicis apud nos et apud antiquos, quanta est unius partis ad quatuor partes. Quare neminem moveant adeo dissonantes numeri versuum, A qui hodie supputantur in sacris voluminibus, cum illis versuum enumerationibus, quæ leguntur in veteribus Bibliorum sacrorum exemplaribus manuscriptis, Græcis atque Latinis. Incredibile visum est nupero scriptori critico, in solo Jobi volumine defuisse septingentos vel octingentos versus ante editionem ejusdem libri, quam sub asteriscis et obelis edidit Hieronymus ; at si fuisset mediocriter versatus in antiquis versuum distinctionibus, judiciumque de illis fecisset ex vetustissimis exemplaribus divinorum voluminum, et non ex propria præsumptione, ineptam pervi- B disset conjecturam suam, qua sollicitare voluit germanam lectionem Præfationis Hieronymi in librum Job, et hoc modo adulterandam : *Septuaginta, vel octoginta versus desunt :* pro septingentis, *septuaginta*, vel pro octingentis, *octoginta*. Qualis restitutor lectionum Hieronymianarum ! Utinam abscindantur qui vos conturbant !

Plura prætermissimus, ne nimia longitudo molesta sit lectori, et quod prodest scriptoris exercitationi, noceat corporis ipsius valetudini. Ad manifestandas igitur versuum Biblicorum quaslibet distinctiones, antiquas ac recentiores, numerum versuum, C quem singuli divinarum Scripturarum libri continent, in tetraplis exhibemus, ut sic uno intuitu diversas hujusmodi distinctiones quilibet studiosus liquido habeat perspectas, neque deinceps uniuscujusque critici errores sequi cogatur.

VERSUS VETERIS TESTAMENTI

LIBRI	VERSUUM NUMERUS I. Sec. divisionem ante-Hieronym.	II. Sec. Hieronymum.	III. Sec. Nicephorum. Cpm.	IV. Sec. hodiernam et Masoreth. divis.
Gen.	4500	3700	4400	1534
Exod.	3700	3000	2800	1209
Levit.	2800	2400	2700	859
Num.	3650	3080	3500	1288
Deut.	3300	2600	3100	935
Jos.	2000	1750	2100	656
Judic.	2000	1750	2450	618
Ruth.	250	250		85
I Reth.	2500	2300	2240	1506
II Reg.	2000	2000		
III Reg.	2600	2500	2330	1534
IV Reg.	2400	2250		
Isai.	3600	3580	4800	1295
Jerem.	4070	4450	4000	1365
Ezech.	3600	3340	4000	1273
Dan.	1600	1850	2000	157
XII Proph.	3110	3800	3800	1050
Job.	1600	1700	1800	1070
Psalm.	5000	5000	3500	2527
Prov.	1600	1740	1708	915
Eccles.	600	800	750	222
Cant.	300	280	280	117
I Par.		2040	5500	1743
II Par.		2100		
Esd. et Neh.	1500		5500	680
Esther.	1000	700	3008	166

Liber Judith, qui non est in Canone Hebræorum, habet versus 1300 juxta antiquam distinctionem ; 1100 in codicibus versionis Hieronymi ; et 1700 apud Nicephorum Constantinopolitanum. Tobias autem habet versus 1000 in antiqua divisione, et apud Nicephorum 800, alibi omittuntur. In novo Testamento diversæ quidem sunt versuum enumerationes, sed minor est inter indices distantia, quam sit in libris veteris Instrumenti, quod subjecta tetrapla docebunt.

VERSUS NOVI TESTAMENTI

LIBRI	VERSUUM NUMERUS I. Sec. divisionem antehieronym.	II. Sec. Hieronymum.	III. Sec. Nicephorum. Cpm.	IV. Sec. codices Græc. mss.
Matt.	2600	2700	2500	2514
Marc.	1600	1700	2000	1590
Luc.	2900	3800	2600	2677
Jean.	2000	1706	2800	
Act.	2600	3600	2800	
Rom.	1040	911		920
I Cor.	1060	980		870
II Cor.	70	292		590
Gap.	350	213		293
Ephes.	375	317		312
Philipp.		350		208
Coloss.	250	208	v°ccc°	208
I Thess.		213	*Fort.*	193
II Thess.		108	v,*etc.*	106
I Tim.	208	230		250
II Tim.	289	172		102
Tit.	140	67		97
Philem.	50	34		37
Hebr.	Barnab. 850	700		703
VII Epist. Can.			1300	
Apoc.	1200	1800	1500	

Primam versuum enumerationem, quam vocamus antiquam ante Hieronymum, mutuati sumus ex vetustissimo Catalogo codicis ms. San-Germanensis, qui complectitur Epistolas Pauli Græce ac Latine, litterisque uncialibus exaratas. Scriptor hujus libri adtexuit in fine ante Epistolam ad Hebræos Catalogum omnium divinorum Librorum veteris ac novi Testamenti; adnotans e regione numerum versuum uniuscujusque voluminis. Prætermisit nihilominus V. T. nonnullos libros, et Epistolas aliquot Pauli apostoli. Hunc nos defectum suis locis notavimus hoc modo, *omittuntur hic*, supple versus libri, qui non recensentur in pervetusto illo indice sacrorum Bibliorum. Sub nomine Barnabæ, versus Epistolæ ad Hebræos videtur enumerasse : neque vero mente adeo vagus credendus est, ut Epistolam quam ob oculos habebat, dum Catalogum describeret, incuriose omnino prætermitteret. Doctorum tamen hic adsit judicium. Versus singulorum librorum numerat, prout inveniebantur distincti in antiqua versione Latina usu recepta ante Hieronymum. Quod manifeste probari potest ex unico libro Job, quem dicit continere versus mille sexcentos. Ubi advertas velim Job antequam apud Græcos cum asteriscis restitueretur ab Origene, habuisse versus sive στίχους 1600. Restitutus vero habebat versus 2200, id est, sexcentos supra numerum præcedentem. Consule testimonia veterum Scriptorum posita in fronte ejusdem libri Job, a nobis editi, cum asteriscis et obelis, II parte hujus divinæ Bibliothecæ. Secundam versuum enumerationem invenimus in mss. codicibus versionis Hieronymianæ, eumque numerum hic in tetraplis nostris proposuimus sicut exstat in illis exemplaribus vetustissimis. Errores igitur hujusmodi numerorum, quotquot sunt, penes antiquos erunt librarios, et exscriptores imperitos. Porro tertium Canonem Librorum sacrorum cum numero versuum singulis libris adnotato, Nicephori patriarchæ Constantinopolitani esse diximus. Hunc edidit nobis eruditissimus P. Pithæus in opusculo de Latinis SS. Bibliorum interpretibus, quo curiosus lector se amandari patietur. Indicem denique columnæ quartæ e Græcis exemplaribus deprompsit ante nos Robertus Stephanus, in quo si quid difficultatis emerserit, recurrere debes ad editionem Græcam novi Testamenti, elegantissimis typis ab eodem scriptore adornatam.

Injuriam nobiscum expostulare possent studiosi lectores, si dissimularem silentio errores nuperi critici scriptoris, qui pro more suis indulgens conjecturis multa statuit de versuum Biblicorum distinctionibus ac numero, in quibus nulla est veritas : dumque aliena sæpius nititur emendare vitia, ostendit sua. Putavit vir multæ lectionis veteres scriptores *versus* appellasse quascunque distinctiones contextus librorum, quas nos Gallico sermone vocamus *lignes* ; Græci autem στίχους. Lineas vero vocabulorum certo *numero* fuisse *præfinitas ;* ita ut ex numero versuum in fine librorum adnotato, facile sciretur *quot essent dictiones* in singulis libris. Denique Augustinum frequenter meminisse in Speculo hujusmodi *versuum*, et ex nonnullis ab eo recitatis colligi posse *unumquemque versum sex tantum habuisse dictiones*. Ita docuit criticus auctor, qui secum

exortam divinarum Scripturarum peritiam apud catholicos sibi gratulatur, ac secum aliquando prorsus exstinguendam pertimescit. Sed vanitatem hujus opinionis ostendere in promptu nobis est ex uno Ruth volumine, quod magna curiositate totum perlegens in plurimis mss. codicibus, numeravi lineas, et singulas dictiones, ut judicium haberem de falsis observationibus viri supradicti. Eam vero rem expendere, et dictiones enumerare volui in libro Ruth, quod ipse brevitate sua sit accommodatior nostro consilio, eumdemque habeat numerum versuum in codicibus mss. vetustissimis adnotatum ad finem. Liber Ruth in ms. Regio Bibliorum sacrorum codice num. 3563, descriptus in duabus columnis minutiore manu sive caractere, habet lineas 335; singulæ columnæ complectuntur lineas 42; lineæ vero tres interdum habent dictiones, nonnullæ quatuor integras cum dimidiata dictione, aliquando quinque, vel sex, vel septem. Colbertinus ms. num. 157 librum Ruth integrum describit 216 lineis. In columnis ejus lineæ 43 numerantur. Lineæ 5 habent dictiones, aut 6, aut 7, cum aliquot syllabis, vel etiam 8. Alter Colbertinus num. 74 totum librum Ruth absolvit 363 lineis. Columnæ habent 30 lineas; lineæ continent nunc duas dictiones aut tres; alibi tres cum dimidia, nunc quatuor vel quinque. Codex Bibliorum San-Germanensis ante octingentos annos in membranis exaratus, notatusque num. 3, lineas habet in toto Ruth volumine tantum 243; columnæ continent 35 lineas; lineæ 4, 5, 6, 7, vel 8 dictiones, integras aliquando, nonnunquam in fine sectas et imperfectas. His adjungendus Biblicus codex Corbeiensis ejusdem ætatis cum superiori, in quo Ruth habet lineas 218. In columnis singulis lineæ sunt 45, et in lineis dictiones, 4, 5, 6, 7, vel 8, ut leguntur in præcedentibus mss. codicibus. Nunc si meminerimus librum Ruth apud antiquos scriptores ecclesiasticos habuisse tantum versus 250, tam in antiqua divisione ante Hieronymum, quam in codicibus Hieronymianæ versionis, quis æquanimiter feret tot tantosque errores nuperæ criticæ veteris Testamenti, quæ multis studiosis hominibus impune fucum facit in rebus nunc levioris, nunc gravissimi momenti? Falsum est veteres appellasse *versus* quascunque *lineas* scripturæ; falsum quoque illas *lineas* constare *sex dictionibus*, falsissimum denique ex *adnotato numero versuum* innotuisse lectoribus *quot essent dictiones in singulis libris*. Quinque antiquissima monumenta a nobis citata, nec pares habent lineas, nec æqualem dictionum numerum in lineis, nec similen in toto libro linearum numerum: etsi pro libro Ruth æqualis in eis adnotatus sit *versuum numerus* in fine ejusdem voluminis, nempe versus 250. Proferat in medium criticus noster, si tamen potuerit, vetustissimum aliquod exemplar Bibliorum, in quo æqualis sit numerus versuum adnotatus in fine, cum numero linearum, quibus illud exemplar descriptum est. Ostendat iterum singulas lineas in ille exemplari habere sex tantum dictiones, et ex eo dictionum numero ita circumscripto, statim agnosci quot sint dictiones in tali vel tali libro. Si hoc fecerit, erit nobis magnus Apollo, et ego criticorum abortivus proferam in medium sexcenta volumina, quæ fidem excludant eruditi hujus viri.

IV. In hoc præsenti articulo breviter quærimus an sint metra in Scripturis sacris, ac præcipue in Psalmis Davidis? Famosissima quidem quæstio, sed apud eos duntaxat qui rudes sunt in lingua sancta, nec solvendæ huic difficultati ex se pares inveniuntur. Nam inter doctiores et exercitatos in Libris sacris haud ambigitur metricam esse in Canticis Bibliorum compositionem. Id Philo Judæorum disertissimus, et sapientissimus Josephus expresse docuerunt. Et post vernaculos illos Judæorum scriptores idem quoque attestati sunt Origenes, Eusebius, Ambrosius, et Hieronymus cum innumeris aliis recentioris ævi auctoribus ecclesiasticis, cumque eruditissimo scholiaste Canonis Hebraicæ veritatis, qui diserte eamdem sententiam tuetur in suis Quæstionibus Hebraicis ad c. 23 libri posterioris Samuelis: *Hæc sunt verba David novissima* (*II Reg.* XXIII, 1): *Novissima sunt*, inquit scholiastes, *quia post Psalterium et cætera metra, hoc composuisse metrum dicitur, in quo ait: Dixit David filius Isai. Dixit vir, cui constituta est scala Christo Dei Jacob* (*Ibid.*) Non solum metra agnoscit in Psalterio Davidis, et in cæteris ejus Canticis, sed metricam insuper compositionem et melodiam Davidicam observat in supradictis verbis Scripturæ, a versu primo capitis XXIII lib. II Regum ad octavum usque versum. Quæ si quis curiosius perscrutatus fuerit, facile discedet a sententia quorumdam neotericorum existimantium metra non esse

in Libris sacris, quia illud edocti sunt abs novis prudentibus, quorum nomina taceo, ne quemquam lædere videar. Fuit siquidem, inquit non nemo, communis antiquorum opinio plures Scripturæ partes maxime que *Psalterium*, et omnia ferme *Cantica*, versibus constare. *Verum cum huic opinioni refragentur nonnulli recentiores, qui Psalmos Davidicos carminis vocabulo insigniunt, ita explicari possunt, ut eorum dictionem non tam vinctam pedibus, quam grandem, patheticam atque ad cantum accommodatam esse significent.* Falluntur qui ita scripserunt, non possunt explicari hoc modo scriptores veteres, qui Psalmos Davidicos carminis vocabulo insigniunt. Nisi forte dixeris apud Josephum lib. II Antiqq. capite ultimo, ἐν ἑξαμέτρῳ τόντῳ συνσίθησιν, *hexametro versu composuit.* idem esse quod sermone *grandi et pathetica dictione* laudes Dei cecinit. Apud Philonem similiter; et Apud Hieronymum versus *tremetro, et tetrametro iambico* constantes explicabuntur per *grandem et patheticam dictionem,* si fides habeatur supra memoratis observationibus. Non sic illudamus simplicitati lectorum, ne in eos chartis illudant scriptores periti. Vera est ergo antiquorum opinio de metris ac carminibus Scripturarum, quorum utique ratio carminum non ab aliquo nesciente, sed ab Hebræorum eruditissimis discenda est, et sedulo inquirenda. Doceat te R. Asarias libri *Meor anaim* nuncupati parte 3, cap. 60 : *Sine dubio esse mensuras et proportiones certas Canticorum sacrorum, sed illas non consistere in numero motionum* (id est *syllabarum*) *vel pedum perfectorem, aut imperfectorum, juxta formam carminum hodiernorum, sed in numero rerum et illarum partium, subjecti scilicet, prædicati, et ejus quod illa inter se copulat in unaquaque sententia et enuntiatione,* sive *in unoquoque versu. Sic est versus duabus mensuris seu propositionis partibus constans, quibus si secundus accedat, fiunt quatuor* (partes sive mensuræ.) *Alius qui constat ex tribus mensuris, quibus si alter accedat versus, fiunt sex mensuræ seu partes.* Exempli gratia, *in Cantico Mosis Exod.* XV, 6 : ימינך יהוה (jeminecha Adonai) *est unus versus, duobus constans terminis* : נאדרי בכח (nedari bakkoahh) *est ei similis et cohærens, qui juncti faciunt quatuor,* id est, tetrametrum, etc. Alia exempla ex Canticis sacris proponit Asarias, quibus probat illa cantica constare tetrametris vel hexametris, id est, quatuor vel sex partibus, quas *terminos* vocat. At hæc videsis apud Joannem Buxtorfium filium, in Mantissa aliquot dissertationum ad finem libri *Cozri.*

V. Nullam apud eruditos quæstionem esse dixi, an sint nonnullæ partes in sacra Scriptura, quæ constent aliqua metrica compositione. Id enim negare contra unanimem consensum celebratissimorum omnium veterum scriptorum, non sapere esset, ut oportet, sed gratis ineptire. Constans igitur sententia est virorum doctorum, metricam esse in aliquot Libris sacris artem et compositionem. Sed valde celebris hæc est quæstio : *Quænam veteris Poeseos sacræ olim fuerit ratio ?* Tantis namque difficultatibus obsita, est, ut vix certi aliquid de ea possit haberi. Et, si quamplures studiosos audiamus, tantum abest, ut quæ *Josephus, Philo, Eusebius. Hieronymus, Theodoretus, et Isidorus* de carminibus Bibliorum scripserunt, rem obscuram illustriorem reddiderint, et lectoribus satisfecerint, quin potius incertos magis et perplexos animos eorum reddiderint : quia id, quod illi tradiderunt, nuspiam invenire, potuerunt. Unde vel aliter verba eorum esse intelligenda volunt et exponenda, vel fumos lectoribus vendidisse, et nimis audacter de rebus non satis cognitis atque perspectis eos pronuntiasse. Hujusmodi expostulationes ab Hieronymo amovere decrevimus, eumque non fumorum venditorem, sed Scripturarum divinarum consultissimum interpretem ostendere conabimur. Quæ res prospere ut nobis eveniat, loca prius proponenda sunt, in quibus fumos vendidisse Hieronymum, conqueritur Buxtorfius nomine aliorum studiosorum. Præfatione igitur in Chronica Eusebii Cæsariensis de interpretationis difficultate disserens Hieronymus, hæc de metris Scripturarum obiter observat : *Denique quid Psalterio canorius, quod in morem nostri Flacci et Græci Pindari nunc iambo currit, nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc semipede ingreditur ? Quid Deuteronomii et Isaiæ cantico pulchrius ? Quid Salomone gravius ? Quid perfectius ? Job ? Quæ omnia Hexametris et Pentametris versibus, ut Josephus et Origenes scribunt, apud suos composita decurrunt ? Hæc cum Græce legimus, aliud quiddam sonant ; cum Latine, penitus non hærent.* Non insolens est Hieronymo vulgares primum opiniones sequi, et postea ab illis discedere

cum unicuique rei debitum tempus impertire licuit, de hac inconstantia lectorem ipse suum præmonuit, dum nomen דפקה *Daphea* (*Num.* XXXIII, 12) interpretaretur epist. 127, mansione 9 : *Hoc nomen*, inquit, *apud Hebræos* κροῦμα *id est, pulsatio dicitur, juxta quod et Dominus ait*: Pulsate et aperietur vobis (*Luc*, XI, 9). *In libro autem Hebraicorum nominum, ahdæsionem, retentionemque transtulimus, quod lectorem turbare non debet, nec putet nos dissonantia scribere. Ibi enim, juxta hoc quod vulgo habetur, edidimus, si medium verbum scribatur per* BETH *litteram : hic autem in Hebraico volumine scriptum reperi per* PHE, *quod elementum magis pulsationem quam glutinum sonat... Prudentem studiosumque lectorem rogatum velim, ut sciat me vertere nomina juxta Hebraicam veritatem. Alioquin in Græcis et Latinis codicibus, præter pauca, omnia corrupta reperimus, et miror quosdam eruditos et ecclesiasticos viros ea voluisse transferre, quæ in Hebraico non habentur*, etc. Istius admonitionis mox recordari oportebit ; quia canticum Deuteronomii (*cap.* XXXII, *vers.* 1-43), quod Josephum et Origenem supra secutus versu hexametro compositum voluit, iambico tetrametro constare testificatur epist. 155, ad Paulam Urbicam, in qua de Psalmis et cæteris metricis compositionibus sat abunde disputavit : *Ac priusquam de singulis disseram*, ait, *scire debes quatuor Psalmos secundum ordinem Hebræorum incipere elementorum, centesimum decimum et centesimum undecimum, et hunc de quo nunc scribimus, et centesimum quadragesimum quartum. Verum debes scire in prioribus Psalmis, singulis litteris singulos versiculos, qui trimetro iambico constant, esse subnexos : inferiores vero tetrametro iambico constare, sicuti et Deuteronomii Canticum scriptum est. In centesimo decimo octavo Psalmo, singulas litteras octoni versus sequuntur. In centesimo quadragesimo quarto singulis litteris singuli versus deputantur. Sunt qui et alios hoc ordine putant incipere, sed falsa eorum opinio est. Habes et in Lamentationibus Jeremiæ quatuor alphabeta, e quibus duo prima quasi Sapphico metro scripta sunt ; quia tres versiculos qui sibi connexi sunt, et ab una tantum littera incipiunt, Heroici comma concludit. Tertium vero alphabetum trimetro scriptum est, et a ternis litteris, sed eisdem terni versus incipiunt. Quartum alphabetum simile est primo et secundo. Proverbia quoque Salomonis extremum claudit alphabetum, quod tetrametro iambico supputatur, ab eo loco, in quo ait :* Mulierem fortem quis inveniet (*Prov.* XXXI, 10) ? Opera Salomonis et Canticum Deuteronomii, quæ hexametris et pentametris apud suos composita decurrere docuit Præfatione in Chronica Eusebii, hic ad Paulam scribens, asserit tetrametro iambico eadem opuscula constare. Melius sibi constat in versibus Jobi, ait enim Præfatione in eumdem librum : *A principio itaque voluminis usque ad verba Job, apud Hebræos prosa oratio est. Porro a verbis Job, in quibus ait :* Pereat dies, in qua natus sum, *etc.* (*Job.* III, 3), *usque ad eum locum, ubi ante finem voluminis scriptum est.* Idcirco ipse me reprehendo, *etc.* (*Job.* XLII, 6), *hexametri versus sunt, dactylo, spondæoque currentes, et propter linguæ idioma, crebro recipiendos et alios pedes, non earumdem syllabarum, sed eorumdem temporum. Interdum quoque rythmus ipse dulcis et tinnulus fertur numeris lege metri solutis : quod metrici magis quam simplex lector, intelligunt... Quod si cui videtur incredulum, metra scilicet esse apud Hebræos, et in morem Flacci, Græcique Pindari, Alcæi et Sappho, vel Psalterium, vel Lamentationes Jeremiæ, vel omnia ferme Scripturarum Cantica comprehendi, legat Philonem, Josephum, Origenem, Cæsariensem Eusebium, et eorum testimonio me verum dicere comprobabit.* Psalmographum quoque Davidem nostrum æmulum objicit Græcis Latinisque poetis, in epistola ad Paulinum scripta de omnibus divinæ Historiæ libris ; *David Simonides noster*, inquit, *Pindarus, et Alcæus, Flaccus quoque, Catullus atque Serenus, Christum lyra personat, et in decachordo Psalterio ab inferis excitat resurgentem.* Quod genus carminis lyrici conceptis verbis iterum prædicat lib. IX Commentariorum in cap. XXX Ezechielis prophetæ : *Sed in Psalmis facilis responsio est, carmen esse lyricum, et in hujusmodi opere non quæri ordinem historiæ, sed factorum carmina singulorum.* Præfatione demum in Jeremiam quadruplicis alphabeti, et mensuræ metri mentionem fecit his verbis : *Unde in Juda tantum, et in Benjamin prophetavit, et civitatis suæ ruinas quadruplici planxit alphabeto, quod nos mensuræ metri versibusque reddidimus.* Hæc sunt loca celebriora, ut puto, in quibus et suam, et præcessorum suorum opinionem.

circa metra sacrorum Bibliorum declaravit Hieronymus. Quæ si eodem spiritu quo scripta sunt, a nobis explicata proponi potuissent, validissime injuriam fumorum prius impactam defendere ab Hieronymo non desperarem. Sed vereor, ne rei difficultate superatus, post Hieronymi susceptam expositionem clamare cum eo compellar : *Ignosce, lector, difficultati, et veniam tribue pauperi intelligentiæ. Per fenestras enim obliquas, et in modum retis factas, et quæ semper clausæ sunt,* oculum intromittimus, varia genera carminum in libris sacris rimari tentantes. Operæ tamen pretium sit vel illud conari ad absolutionem Prolegomenorum nostrorum, quæ non alio consilio adornata sunt, quam in elucidationem et defensionem maximi Scripturarum interpretis. Ejus igitur sententiam de metris et versibus divinorum Voluminum ut manifestam faciamus, ad tres aut quatuor carminum species revocanda videntur recitata superius testimonia. Nam primum in libro Job versus hexametros, dactylo spondæoque currentes agnoscit sanctus Doctor. In Psalmis autem trimetra et tetrametra iambica, ut in Cantico Deuteronomii, quod tetrametro iambico constare pronuntiat, quamvis alias hexametro versu dixisset compositum. Lamentationes denique quasi versu Sapphico asserit scriptas, propter comma heroici, quod tres versiculos sibi connexos concludit. Quodque ait de Lamentationibus *quasi* Sapphico versu conscriptis, idem intelligendum et de aliis carminum speciebus. Neque vero Græcorum ac Latinorum hexametris et pentametris pedes omnino similes pateretur idioma Hebraicum, quo Libri sacri conditi sunt ab hagiographis auctoribus. Quare cum audis *hexametra* et *pentametra*, similitudinem quamdam heroicorum versuum intelligere debes, et sic in cæteris metrorum generibus, *iambico* et *alcaico*, quibus currere ac personare Psalterium dicitur apud Hieronymum. Ergo Carmina heroica elegiaca et lyrica in Scripturis sacris, non eadem sunt cum Græcis aut Latinis metris, sed illorum metrorum instar : quas tamen imagines versuum ac similitudines supra omnes Pindaricos longe modos, Flaccicos, Horatianos et Homericos præstare nullus dubitet. Sed novis modo experimentis propositum nostrum exsequamur, a libro Job initium sumentes similitudinis illius metricæ, quam in Libris sacris exstare diximus.

A Jobi versus cap. III hoc modo incipiunt in veteribus Hebræis exemplaribus :

יאבד יום אולד בו והלילה אמר הרה גבר :
היום ההוא יהוהשך אלדידרשהו אלוא ממעל
ואלדחופע עליו נחדה :

Quæ verba ita legi possunt juxta morem antiquorum Hebræorum, et tempore sancti Hieronymi receptum :

lobed iom havaled bo valalea amar hora gaber.
Aiom ahu iehi hosach al iadrasu Eloa mimmaal.
val lhophaa alav nara.

Latine autem reddita sunt hoc ordine in Exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis (*Job.* III, 3, 4) :

Pereat dies, in qua natus sum,
et nox in qua dictum est : conceptus est homo.
Dies ille vertatur in tenebras,
non requirat eum Deus desuper,
et non illustret lumine.

Non mireris quod in tertia voce prioris versus pulverem *havaled*, pro Hebræo אולד ; hanc enim, teste Hieronymo, consuetudinem habebant veteres Hebræi, ut *aleph* legerent per *he* : et *he* per *aleph*. Unde ipse libro Quæstionum Hebraicarum in Genesim : *Nec mirandum, quare cum apud Græcos et nos* A *littera videatur addita* (in nomine Abram, *Gen.* XVII, 3, 5) *nos* HE *litteram Hebræam additam dixerimus : idioma enim linguæ illius est per* HE *quidem scribere, sed per* A *legere : sicut econtrario* A *litteram sæpe per* HE *pronuntiant.* Notandum etiam me Hieronymi auctoritate ductum legisse *gabor* pro hodierno *gaver*, et *Hosach* pro *choscech*. Nam epistola ad Evagrium de Melchisedecho scribens, Hebræum שלם *Salim*, vel *Salem* indiscriminatim legi docet (*Gen.* XIV, 18) ; *Non refert*, inquit, *utrum* Salem, *an* Salim *nominetur, cum vocalibus in medio litteris perraro utantur Hebræi et pro voluntate lectorum, atque veritate regionum, eadem verba diversis sonis atque accentibus proferantur.* Litteram , ח *heth*, lego etiam per *h* majusculam, ad distinctionem simplicis, *he* : quod observatum quoque legimus in appendicula Canonis Hebraicæ veritatis, quam consuli velim cum scholiis ad finem ejus appositis. Ex præmissa sic antiqua lectione Hebraicorum verborum, haud impossibile erit Hieronymi causam obtinere adversus iniquos reprehensores, qui in condemnationem vocant quidquid a saliva propria viderint discrepare. Versus igitur libri Job aliqualem speciem hexametri præferunt in dictionibus quibus constant : nam in priori versu, verbi gratia, dactyli pedes

spondæique decurrunt, nec absurde instituitur aliqualis comparatio inter versum primum Æneidos (*lib.* I) et istum Jobi versiculum Hebræum.

Iobed jom havaled ho ivalaela amar hora gaber
Arma virumque cano Trojæ qui primus ab. oris

In Hebræo versu Jobi tot sunt syllabæ quot sunt in versu Latino Maronis : cæsum item perfecte convenit inter utrumque, et si dactyli non consonant, nec in syllabis brevibus, nec in numero pedum, nonnullæ tamen sunt voces constantes tribus syllabis, quæ vicem supplent dactylorum Græcorum et Latinorum. Præterea versus Hebræus similem habet sonum, sive *rythmum*, ut Gallice dicunt, in fine commatum : quia utrumque comma terminatur in *o*, *bo*, et *bor*. Hoc decus obtinent Hebræa carmina supra Græcorum vel Latinorum metra. Porro ex eadem concordia versuum Hebræorum cum Latinis hexametris, quæ sexcentis locis occurrit in toto Jobi volumine plane demonstratur Hieronymum absque temeritatis vel inscitiæ nota pronuntiasse de hexametris versibus ejusdem libri, nec inepte speciem in eo ac imaginem dactyli et spondæi perspexisse. Nec vetat quod talem convenientiam multa sæpius impediant : quia et hoc ipsum præmonuit, dicens, librum Jobi crebro recipere alios pedes et modos propter linguæ ipsius idioma. Hæc raptim et pro tempore de hexametris Job dixisse sufficiat in defensionem S. Doctoris. Nunc pauca et de versu Sapphico perstringere liceat in Lamentationibus Jeremiæ. Prior Lamentationum Jeremiæ illud habet exordium in contextu Hebraico :

איכה ישבה בוד העיר רבתי עם
היתה כאלמנה רבתי בגוים
שרתי בדינות היתה למס :

Ecchaiasceva vadad hair rabbathi am
haretha kealmana rabbathi baggoim
sarathi bammeainoth haietha lamas.

Ista Latine mensuræ metri et versibus reddidit hoc modo S. Hieronymus (*Thren.* I, 1) :

ALEPH.

Quomodo sedet sola civitas plena populo :
facta est quasi vidua domina gentium :
princeps provinciarum facta est sub tributo.

Tres hi versus sibi connexi, et ab una littera *Aleph* incipientes, unius strophæ hymnicæ similitudinem gerunt, et quasi Sapphico versu scripti videntur, in Hebræo maxime contextu, ubi *hajetha lamas*, comma perfectum heroici, ultimum versum concludit. Deinde similem habent versus in fine desinentiam, quam nos Gallice dicimus *rime* : priores enim duo desinunt, in ם *mem*, et prior cum tertio in vocalem *a*, *am* scilicet et *mas*. Tandem si versuum syllabæ numerentur, æqualem in eis numerum deprehendes. Unde perspectum atque exploratum habemus, nihil temere ab Hieronymo fuisse scriptum, cum diceret : *Habes et in Lamentationibus Jeremiæ quatuor alphabeta, e quibus duo prima quasi Sapphico metro scripta sunt ; quia tres versiculos, qui sibi connexi sunt, et ab una tantum littera incipiunt, Heroici comma concludit.*

De cantico Deuteronomii (*cap.* XXXII, *vers.* 1-43), quod vel hexametris versibus, vel tetrametro iambico constare dicitur, et hoc etiam adjiciendum. Præstantissimum illud carmen in eo habet speciem hexametri, quod singuli ferme versus per sex dictiones decurrant, quasi per totidem pedes et metra (*vers.* 1, 2.) :

האזינו דשמים ואדברה ותשמע הארץ אמרי-פי :
יערף כמטר לקחי תזל כטל אמרתי :

Haazinu haschamaim vaadabbera vethismath haarets imrephi iaaroph kammatar licchi tizzal kattat imrathi.

Audite, cœli, quæ loquor :
audiat terra verba oris mei.
Concrescat ut pluvia doctrina mea :
fluat ut ros eloquium meum ;

Nonne veram Heroicorum carminum speciem præ se ferunt illa Deuteronomii versuum κῶλα ? Mirare tu rythmum in disticho isto Virgiliano : *Æneid.* liv. II. vers. 250.) :

Vertitur interea cœlum, et ruit Oceano nox.
Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.

Mirare, inquam, modulos illos metricos in poeta gentili ; ego divini vatis sacra carmina semper prædicabo, in rythmo æqualitatem ac gravitatem, in cæsis lenitatem tinnuli alterius rythmi late sumpti, et in sex dictionibus versus quasi hexametros majestatem plane divinam ubique retinentes. Et si aliam metrorum speciem, quæ tetrametro constet iambico, curiosus lector requirat in Mosis cantico, meminerit imperfecti tetrametri, quod sæpius in sacris hymnis decurrit, cui utique possunt comparari Deuteronomii versus. Verbi gratia, duo priores versus cantici supradicti.

Hauzim aschamaim vaadebbera vethismath haareets imrephi jaaroph kammatar licchi tizzal kallal imrathi.

aliquam habent similitudinem cum istis tetrametris iambicis (*Hymn. missæ in Parasceve*) :

Pange, lingua, gloriosi prælium certaminis :
Et super crucis tropæum dic triumphum nobilem.

Quamvis enim ad tetrametrum perfectum desint nonnullæ syllabæ in posteriori versu Deuteronomii, et in priori nonnullæ redundent ; suavius tamen decurrunt illa sacra iambica imperfecta, quam ista apud Terentium :

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est [lucrum.
Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.

Trimetra quasi iambica in Psalmis CX et CXI, cum Hieronymo facile concedent, qui hos Hebræos versus legere et intelligere studuerint. Psalmo CX (*Vers.* 1) scriptum legitur in Hebræorum voluminibus :

אשרי-איש ירא את-יהוה
במצותיו הפץ מאד :

Ode Iaho bechol-levav :
besod jescarim veda.
Confitebor Domino in toto corde :
in concilio justorum et congregatione.

Psalmo autem CXI (*Vers.* 1), eadem versuum species ita decurrit :

אודה יהוה בכל-לבב
בסוד ישרים ועדה :

Ascre isc jare eth-Iaho :
bemitsvothav hhaphets meod.
Beatus vir qui timet Dominum :
in mandatis ejus volet nimis.

Advertat lector eumdem esse sonum vocalium in fine hujusmodi versuum Hebraicorum : nam *levav* et *veeda* unam habent desinentiam sive rythmum late sumptum. Similiter in psalmo CXI *meod* in vocalem *o* terminatum, eumdem habet sonum cum *Jaho*. Ita enim legi debet nomen Dei tetragrammaton ; non ut hodie corrupte legitur : *Jehova*. His vero versibus iambicis sacris majorem inesse melodiam, quam sit in metris Catulli, Horatii et aliorum, quis non videat ? Terminantur in dictionibus duarum syllabarum, sex habent quasi pedes, vel ut melius dicamus, pedum imagines, tres voces integras sæpius, nec plures in eodem versu retinent ; ecquid istud vocas nisi trimetra iambica ? Fateantur ergo fastidiosi homines totum Psalterium, et omnia Scripturarum cantica poetico quodam charactere esse animata, nec fumos vendidisse Hieronymum cum diceret : *Denique quid Psalterio canorius, quod in morem nostri Flacci et Græci Pindari nunc iambo currit, nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet* ? Legerat Pindarum, sciebat quid sit iambicum, quid Alcaicum, et quid Sapphicum metrum. Cum Hebræorum eruditissimis colloquia quotidie miscens, ipse linguæ Hebraicæ callentissimus non potuit ignorare quænam sint in Libris sacris opera metrica, et quibus legibus metricis adstricta. Quamobrem fides Hieronymo habenda est, potiusquam Scaligero, ejusque, reconditioris disciplinæ sectatoribus, qui et ipsi opinionem propriam de metris Scripturarum, ac præcipue Psalterii statuentes, totum ordinem pervertunt in sententiis et versibus Bibliorum sacrorum, in quibus sæpissime ordo verborum mysterium est. Unde idem Hieronymus in cap. III. Epistolæ ad Ephesios : *Quia ita habetur in Græco, et singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus : propterea magis volumus in compositione structuraque verborum, quam intelligentia, periclitari.* Non sic Scriptor nuperus, qui pro libitu sacrum Contextum pervertit in Psalmis II, CLXXI et CL, ut poesim rythmnicam in illis inveniat. Tantam viri eruditi libertatem cohibere in promptu esset ex distinctionibus Hebræorum codicum antiquissimis, et ex versiculis per intervalla descriptis in exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis ; sed hanc disputationem majoribus otiis, et alteri tempori reservavimus, contenti hoc loco quædam futuræ domus stravisse fundamenta. Hæc vero qualiacunque sint, non frivola videantur esse lectori, licet, et mihi ipsi, qui dico, displiceant, sentiens me clausam pulsare januam. Sed legenda cum venia sunt, alioquin potui simpliciter ignorantiam confiteri, et omne studiosorum amputare desiderium. Sicut enim a perfecta scientia procul sumus : levioris culpæ arbitramur saltem parum de metris sacris, quam omnino nihil dicere.

EPILOGUS.

Ergo legenda sunt cum pace Prolegomena nostra, et conatus nostri favore potius et orationibus adjuvandi, quam spernendi aure malivola, quia carpere et detrahere vel imperiti possunt. Doctorum autem est, et qui laborantium novere sudorem, vel lassis manum porrigere, vel errantibus iter ostendere. Et quid prodest spumantibus labiis, et latratu adversum nos garrire canum : cum simplex et moderata responsio, aut possit te placare si vera est, aut si falsa, leniter a te et placabiliter emendari. Hæc interim pro-

pter æmulos, quos censoriam virgulam et multa convicia operi nostro intentare scimus. Cæterum spem, quæ nos tenuit apud æquos ac eruditos lectores nequaquam abjecimus, veniam enim illi nobis facile concedent, si quid peccavimus in editione hujus Divinæ Bibliothecæ. Idque potissimum si animo ita me comparatum noverint, ut non multopere criticorum quorundam supercilium pertimescens, benevolis reprehensoribus quibusque parere multum gaudeam. Caveant alii, qui fulmen intentant, ne in alium, quam in Fratrem Joannem Martianay tela contorqueant sua : quidquid enim in A hac editione sancti Hieronymi peccatum est, mihi imputandum admoneo. Cæteris sodalibus meis nulla conviciorum tela debent adhærere, quia imperitiæ meæ nullatenus participes fuerunt. Bona igitur, si quæ sint, ut vere multa sunt in hoc opere, Patri luminum ut reddas etiam atque etiam rogo. Laudem etiam domno Antonio Pouget, mihi fraternitatis amore et studiis conjunctissimo, debitam non negabis, cum mira dexteritate canones Evangeliorum suis locis inveneris restitutos. In cæteris, aut profer meliores epulas, et me conviva utere, aut qualicunque nostra cœnacula contentus esto.

LAUS VIRORUM ALIQUOT CLARISSIMORUM

CUM INDICE MANUSCRIPTORUM CODICUM

Ad quorum fidem restituta est Divina Hieronymi Bibliotheca.

Quæ accepimus, cito et cum fenore reddenda Hieronymus docuit : quia sortis dilatio majorem adhuc usuram parturit. Indicem igitur librorum manuscriptorum, quem pro more recepto ad calcem hujus voluminis conjicere poteramus, hic in fronte apponere volui : ut ex hoc tandem ordine rerum quasi præpostero intelligant omnes sinceram ac præpoperam animi nostri gratitudinem erga doctos studiososque homines, quos experti sumus editioni S. Hieronymi impensius faventes. Scio me promisso teneri, ex quo conscripsi prodromum editionis nostræ ; in cujus priori parte animi grati significationem pollicitus sum erga eos, qui aliquid opis aut eruditionis conferrent ad novam editionem operum S. Hieronymi. Ergo tam grandi velut fenore liberaturus exsolvo lubens illa promissa : etsi pro merito humanitatis ac benevolentiæ qua sumus obstricti, laus omnis inferior sit. B C

Et quis digne vicem laudis primum referat eruditissimo domino Jacobo Benigno Bossuet, episcopo Meldensi ? Non enim mediocrem operam in edenda divina Bibliotheca ille nobis dedit, cum laborem nostrum honore tanto sæpius afficere dignatus est, ut dixerit summam ex eo Ecclesiæ Christi utilitatem esse venturam. Præterea quoties animos addidit nobis ad absolvendum opus difficillimum ? Quoties vetustissima monumenta nostra oculis curiosis ac benignis perlustrare voluit, ut testis esset fidei et diligentiæ nostræ oculatus ? Manuscriptos quidem libros, quibus carebat, communicare non potuit : sed haud impar præstitit beneficium, dum codicum nostrorum vetustatis merito et dignitate præstantissimorum approbator accessit apud omnes pios ac studiosos. Talem utique post summum Mecænatem, pontificem dico Romanum, ambibat Hieronymus noster patronum, in qua dignitas episcopalis cum scientia pietateque conjuncta potens esset exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere : arguere autem, nunc eruditissimis lucubrationibus hostes Ecclesiæ profligando, nunc luxuriantes imperita temeritate quosdam catholicos scriptores a libris edendis cohibendo. Ea breviter commemorare oportuit, ut indicaremus posteris, sapientissimum supradictum virum nobis ubique benevolentiam, Hieronymo item nostro perpetuam observantiam exhibuisse. D

Indicem jam mss. codicum texentes ab exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis exordimur : quia ad eorum præcipue fidem, primam nobilioremque divinæ Bibliothecæ partem edidimus. Sex autem, ni fallor, nacti sumus id genus exemplaria, quatuor quæ totum dividunt Vetus Testamentum per tres ordines, qui conceptis verbis tales habent inscriptiones in mss. codicibus : *Incipit primus ordo, Legis* ; *incipit secundus ordo, Prophetarum* ; *incipit tértius ordo, Hagiographorum*. Codices illi sunt, unus insignis Ecclesiæ Narbonensis, alter Ecclesiæ Carcassonensis, tertius monasterii hujus S. Germani a Patris, quartus bibliothecæ illustrissimi Domini *de Mesmes*, in curia Parisiensi præsidis. Inter quatuor illa exemplaria, Memmianum perfectius est et absolutissimum ; nihil enim in eo mutilum est aut lacerum, quia summa semper diligentia conservatum est, tum propter antiquitatis dignitatem, tum propter elegantiam et pretium scripturæ aureæ atque argenteæ, qua plurimæ partes libri describuntur. Non habet ille codex marginalia scholia Hebræi antiquissimi supra me-

morati; sed eorum loco infinitas retinet variantes lectiones Præfationum Hieronymi et sacri contextus. Incredibilis est humanitas ac benevolentia laudati superius illustrissimi præsidis, qui semper nos excepit ad eum venientes. Neque vero codicem suum extra propriam domum sinit asportari, propter jusjurandum nempe quo se ac parentes suos dicit esse obstrictos, ne liber ille manuscriptus aliquo circumferatur. Serius ad nos libri hujus notitia pervenit; jam enim duos integros ordines sive duas partes Canonis ediderамus, cum ex lectione cujusdam citationis didici librum Danielis scriptum reperiri in Memmiano ms. codice, non cum aliis prophetis, sed post libros Salomonis. Unde statim intellexi exemplar ibi esse Canonis Hebraicæ veritatis; quia in solo Canone Hebraicæ veritatis Daniel propheta describi solet post librum Cantici canticorum, et ante Paralipomena. Nec me fefellit opinio mea, invenimus namque perfectissimum Canonis exemplar in codice illo Memmiano: quem nonnulli studiosi alio quidem nomine satis triverant, sed Canonem coram habentes minime videbant. Exemplaris Narbonensis nihil contulimus præter Præfationes Hieronymi; est enim Integra prima parte mutilum, incipiens ab Isaia propheta, quem, ni fallor, propter usum chori reposuerunt successu temporum, ante librum Judicum. Alii consequentes libri nativum Canonis ordinem retinent, ut suis locis notavimus. Eum codicem mihi perhumaniter communicarunt honestissimi æque ac nobilissimi Ecclesiæ Narbonensis canonici. De Carcassonensi codice abunde satis diximus in prodromo S. Hieronymi. Sed hoc etiam adjiciendum, Canonem illum in libris propheticis nonnulla habere scholia marginalia Hebræi critici, quæ absunt in Canone nostro San-Germanensi; sicut e contrario Canon San-Germanensis multa aliis locis retinet hujusmodi scholia, omissa in codice Carcassonensi. Tria exemplaria jam dicta Memmianum, Carcassonense, et San-Germanense scripta sunt eodem tempore, et si expertis credimus, ante octingentos annos. De Memmiano nullum potest superesse dubium, quia jussu Theodulphi Aurelianensis episcopi scriptum esse perhibetur.

Aliud exemplar Canonis Hebraicæ veritatis suppeditavit nobis bibliotheca Regia, illudque antiquissimum et optimæ notæ: quod etiamsi non habeat inscriptiones trium ordinum, ut quatuor alia nunc laudata, nulli tamen posthabendum puto. In duobus magnis voluminibus descriptus est ille Canon, cui primum volumen notam habet numericam 3563, complectiturque priores duos ordines, Legis scilicet et Prophetarum. Secundum volumen num. 3564 continet ordinem Hagiographorum: in quo ultimo Canonis ordine exscriptor libri interposuit libros *Sapientiæ* et *Ecclesiastici* post volumina Salomonis. Verum pristino librorum ordini ut librum Danielis restitueret, post interpolata volumina Sap. et Eccli. iterum non mediocrem partem Cantici canticorum descripsit, et consequenter Danielem prophetam, eo modo quo legitur in veris et genuinis Canonis Hebraicæ veritatis exemplaribus. Similem habuimus in bibliotheca San-Germanensi codicem mss., sed major pars nobis periit; cum nihil integrum nobis supersit præter librum Proverbiorum Salomonis, et libros Paralipomenon Ezræ, et Esther cum obelis in fine voluminis. Porro Regii Canonis H. V. copiam nobis fecit præpositus Regiæ Bibliothecæ honestissimus dominus Camillus, *le Tellier*, abbas Sancti Petri de Burgolio.

Ad editionem ejusdem Canonis Hebraicæ veritatis alios quamplures habuimus mss. codices sacrorum Bibliorum, qui veram retinent versionem Hieronymi cum ejusdem Præfatiunculis. Psalterium præcipue ex Hebræo Latine versum a S. Doctore restitutum est ad finem decem præstantissimorum et antiquissimorum mss. exemplarium: nam præter Canonis exemplaria recensita, aliis sex uti licuit, uno Vaticano, altero Augustinianorum Burdigalensium, tertio monasterii S. Michaelis in Periculo maris, quarto Bibliothecæ Sorbonicæ, quinto Corbeiens., et sexto demum monasterii Sancti Petri Carnutensis. Vaticani codicis variantes lectiones collegit, et Parisios ad me misit domnus Claudius Estiennot, congregationis nostræ procurator generalis in curia Romana: qui cum sit studiosissimus et vere φιλόπονος, nullum non movet lapidem ad operam nobis præstandam in editione sanctorum Patrum. Augustinianum exemplar Burdigalense mihi communicaverunt R. Pater Paulus, et R. P. Corneille. Summa humanitate sæpissime nos complexus est dominus *Chevilier*, custos bibliothecæ Sorbonicæ diligentissimus. Ab illo accepimus Psalteria Hieronymi mss. quæ curiosissima sunt, nostræque editioni haud parum profuerunt, quamvis ante annos tantum quadringentos scripta videantur. Eminentissimi cardinalis de Bonzi benevolentiæ ac humanitati admirabili multum me debere profiteor: nam e sua bibliotheca Narbonensi et libros editos et manuscriptos, quot quot volui mecum asportare in nostrum Crassense monasterium, eximia liberalitate permisit. Eamdem libertatem similiter mihi concessit D. *Pontelier*, prior monasteri Fontis Frigidi, ordinis Cisterciensis; qui summe in nos semper officiosus fuit. Si putem RR. patribus Cœlestinis et Cartusianis Avenionensibus gratias a me referri posse, non sapiam: incredibile enim est quantum in nos humanitatis et amicitiæ largirentur affectum, dum ab eis postulavimus quamplures mss. codices Bibliorum sacrorum. Nec prætermittendus nobis est Nicolaus *Faber*, vir sapientissimus ac religiosissimus, qui volumen Biblicum in bibliotheca Avenionensis collegii Societ. Jesu perlegendum tradidit; e quo nonnulla citavimus in notis nostris ad Præfationes Hieronymi. Cæterum ut ad Parisienses amicos redeat Laus nostra, veniat nunc in hunc censum Franciscus

Desmarès, Antonii Allem ex Ludovica filia nepos : de eo namque jure dicitur, *Solus est homo amico amicus.* Non sufficit sincero huic pectori cuncta quæ possidet, edita atque inedita, liberalissime nobiscum communicare : aliena undique conquirit, instat opportune, importune ; et si quod nostris consiliis et editionibus accommodatum invenerit, animum statim prodit maxima voluptate perfusum. Similem amicitiæ affectum et officium experti sumus, in R. Patre Ildefonso *Sarrasin* ordinis Cluniacensis : nam eodem procurante decem volumina mss. operum S. Hieronymi, Parisios deportata sunt ecelebri monasterio abbatiæ Cluniacensis : quæ quidem volumina antiquissima et præstantissima, non parum conferunt ad restitutionem omnium fere lucubrationum S. Doctoris. Nonnullos Hebræos codices mss. Bibliorum perhumaniter nobis etiam commodarunt religiosi ac docti presbyteri congregationis Oratorii Parisiensis : apud quos asservatur hujusmodi librorum non parva copia. Hi sunt, si bene memini quibus grates persolveneæ erant in fronte divinæ Bibliothecæ : quia huic edendæ multum profuerunt, communicatis vel commodatis exemplaribus mss. supra citatis. Veniet tempus quando in aliis voluminibus laudes prosequemur Joannis *Harduini* Societatis Jesu presbyteri, P. Jacobi *Hommey* Augustiniani, et aliorum eruditorum virorum, qui cum illis aliquod officium in nostrum Hieronymum conferre voluerunt.

SELECTA VETERUM SCRIPTORUM TESTIMONIA

DE

HIERONYMIS VERSIONIBUS LATINIS SS. BIBLIORUM.

Augustini ex cap. 45, *lib.* XVIII *de Civitate Dei.*

Quamvis non defuerit temporibus nostris presbyter Hieronymus, homo doctissimus et omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas converterit. Sed ejus tam litteratum laborem quamvis Judæi fateantur esse veracem : Septuaginta vero Interpretes in multis errasse contendant, etc.

Ejusdem lib. IV *de Doctrina Christiana, cap.* 7, *num.* 15 :

Non autem secundum Septuaginta... sed sicut ex Hebræo in Latinum eloquium, presbytero Hieronymo utriusque linguæ perito, interpretante translata sunt.

Ejusdem ex epistola 71, *alias* 10, *ad Hieronymum :*

In hac autem epistola hoc addo, quod postes dicimus, ex Hebræo Job a te interpretatum, cum jam quamdam haberemus interpretationem tuam ejusdem prophetæ ex Græco eloquo versam in Latinum : ubi tamen asteriscis notasti quæ in Hebræo sunt, et in Græco desunt, obelis autem quæ in Græco inveniuntur, et in Hebræo non sunt : tam mirabili diligentia, ut quibusdam in locis ad verba singula singulas stellas videamus ; significantes, eadem verba esse in Hæbræo, in Græco autem non esse.

Ejusdem ex epist. 82, *alias* 19, *ad Hieronymum :*

Ideo autem desidero interpretationem tuam de Septuaginta, ut et tanta Latinorum interpretum, qui qualescunque hoc ausi sunt, imperitia carea-mus ; et hi, qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tandem aliquando, si fieri potest, intelligant, etc.

Ejusdem ex epist. 71, *alias* 10, *ad Hieronymum :*

Proindre nen parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quo Evangelium ex Græco interpretatus es : quia pene in omnibus nulla offensio est, cum Scripturam Græcam contulerimus. Unde si quisquam veteri falsitati contentiosus faverit, prolatis collatisque codicibus, vel docetur facillime, vel refellitur. Et si quædam rarissima merito movent, quis tam durus est qui labori tam utili non facile ignoscat, cui vicem laudis referre non sufficit ?

Prosperi Aquitani lib de Ingratis, cap. 2 :

Tunc etiam Bethlei præclari nominis hospes,
Hebræo simul et Graio, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister
Hieronymus libris valde excellentibus hostem
Dissecuit, etc.

Idatii episcopi in Chronico :

Hieronymus, qui supra, præcipuus in omnibus, elementorum quoque peritissimus Hebræorum, in lege Domini, quod scriptum est, diurna nocturnaque meditatione continuus, studia operis sui reliquit innumera.

Marcellini comitis Chronico.

Hieronymus apud Bethlehem oppidum degens, ubi et monasterium sibi condidit, et alia multa ecclesiastica litteris quoque Hebraicis edoctus scripsit..... Catholicis quidem inexpugnabilis Ecclesiæ turris, hæreticis autem omnibus infatigabilis hostis, tam proposito vitæ suæ, quam librorum a se editorum assertionibus depugnans.

Gennadii ita Vita S. Hieronymi ex tom. IV vet. Analect. et ex quampluribus mss. codicibus ;

Verumenimvero hunc ego felicem dixerim, hu-

jus fugæ eventum corrigentis. Christi judicio dispensatum, quia pravorum hominum persecutionibus paratum fore existimo : scilicet, ut Romana Ecclesia Petri instituta regimine, omniumque Veteris Testamenti librorum edocta veritate, Christo Deo volente, et Hieronymi speciali studio desudante, Hebraicam quoque habeat veritatem, et Græcorum quorumdam levitas, quæ sibi Romanos a se omnes Scripturas divinitus inspiratas accepisse plaudebat, eos habere quod non habet recognoscat.

Christi itaque gratia Hieronymus fidem adeptus, litterisque Græcis ac Latinis atque Hebraicis doctus, cuncta Hebræorum volumina, quæ in Canone continentur ex Veteri Testamento, vera editione in linguam Latinam vertit, eaque omnia commentatus est.

Ejusdem de Viris Illustribus cap. 1 *in ms. Corbeiensi, et tom. II veterum Analectorum* :

Hieronymus noster, litteris Græcis ac Latinis Romæ apprime eruditus....., litteris quoque Hebraicis atque Chaldaicis ita edoctus, ut omnes Veteris Testamenti libros, ex Hebræorum scilicet codicibus, verterit in Latinum : Danielem quoque prophetam Chaldaico stylo locutum, et Job justum Arabico, in Romanam linguam, utrumque auctorem perfecta interpretatione mutaverit. Matthæi nihilominus Evangelium ex Hebræo fecit esse Romanum.

Idem legitur in ms. codice Colbertino num. 2807 *qui post Elogium Hieronymi, quod Epitaphium vocat, subdit ista* : Hæc sunt verba auctorum de beato Hieronymo presbytero. Explicit Epitaphium.

Cassiodori lib. de Institutione div. Lit., cap. 21 :

Beatus etiam Hieronymus, Latinæ linguæ dilatator eximius, qui nobis in translatione divinæ Scripturæ tantum præstitit, ut ad Hebræum fontem pene non egeamus accedere, quando nos facundiæ suæ cognoscitur ubertate satiasse.

Ejusdem eodem libro de Inst. div. Lit., cap. 15 :

Quod si tamen alia verba reperiuntur absurde posita, aut ex his codicibus, quos beatus Hieronymus in editione Septuaginta Interpretum emendavit, vel quos ipse ex Hebræo transtulit, intrepide corrigenda sunt.

Gregorii Magni Præfat. Exposit. Moral. in Job :

Novam vero translationem dissero ; sed ut comprobationis causa exigit, nunc novam, nunc veterem per testimonia assumo : ut quia sedes apostolica (cui, auctore Deo, præsideo) utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur.

Ejusdem lib. XX *Moralium, cap.* 25 *:*

Sed quia hæc nova translatio ex Hebræo nobis Arabicoque eloquio cuncta verius transfudisse perhibetur, credendum est quidquid in ea dicitur : et oportet ut verba illius nostra expositio subtibiliter rimetur.

Isidori Hispalensis lib. VI *Originum, cap.* 5 :

Presbyter quoque Hieronymus, trium linguarum peritus, ex Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas convertit, eloquenterque transfundit. Cujus interpretatio merito cæteris antefertur : nam est verborum tenacior et perspicuitate sententiæ clarior.

Ejusdem lib. I *de Offic. Eccles., cap.* 12 :

De Hebræo autem in Latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter sacras Scripturas convertit : cujus editione generaliter omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur, pro eo quod veracior sit in sententiis et clarior in verbis.

Bedæ venerab. in Matyrologio prid. Kalend. Octobr. :

In Bethlehem Judæ depositio sancti Hieronymi presbyteri, cujus vita et doctrina ubique in Ecclesiis Christi laudabilis, exstat ; quomodo divinos Libros ex Hebræa lingua in Latinum transtulerit, etc.

Ejusdem Præfat. in librum de Temporum Ratione :

Fixa autem mihi stat sententia, quam a nullo prudentium redarguendam autumo, ut sicut reverendissimus ejusdem Hebraicæ veritatis interpres obtrectatoribus sui operis : *Non damno*, inquit, *non reprehendo LXX sed omnibus his apostolos præfero* : ita et ego confidenter profiteor, quia non reprehendo veteres chronographos.... sed omnibus his Hebraicæ veritatis integram præfero puritatem, cum præeminentissimi doctorum, Hieronymus in libris *Hebr. Quæst.*, Augustinus in libris *de Civitate Dei*... comprobant

Ejusdem lib. eodem de Temp. Ratione, cap. 66 :

Hæc de cursu præteriti sæculi ex hebraica veritate, prout potuimus, elucubrare curavimus, æquum rati, ut sicut Græci LXXI Translatorum editione utentes, de ea sibi suisque temporum libros condidere : ita et nos, qui beati interpretis Hieronymi industria, puro Hebraicæ veritatis fonte potamur, temporum quoque rationem juxta hanc scire queamus. . . Cæterum cunctis in commune suademus, ut sive quis ex Hebraica veritate, quod ad nos per memoratum interpretem pura pervenisse etiam hostibus Judæis in professo est : sive, etc.

Rabani Mauri lib. II *de Instit. Cleric. cap.* 54 :

De Hebræo autem in Latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter sacras Scripturas convertit : cujus editione generaliter omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur, pro eo quod veneratior sit in sententiis, et clarior in verbis. *Hæc ex Isidoro transcripsit Maurus. Vide supra, et lege,* veracior *pro* veneratior.

Ejusdem Præfat. Comment. in libros Regum :

Ibi enim inveniet, quid Pater Augustinus, quidve insignis interpres divinorum Librorum Hieronymus senserint.

Ejusdem Præfat. Comment. in Paralipomena :

Quapropter sciendum est quod inter Scripturas Veteris Testamenti, præsens historia Paralipomenon non ignobilem locum tenet : de qua divinorum Librorum peritissimus interpres beatus Hieronymus ita ait, etc.

Trithemii lib. I *de Scriptoribus ecclesiasticis :*

Hieronymus presbyter et monachus. . . vir in divinis Scripturis inter omnes doctores eruditissimus, multarum linguarum peritia insignis, sacræ Legis interpres, hæreticorum malleus et expugnator fortissimus. Hic est verus dispensator evangelicus, fidelis et prudens, qui proferens de thesauro suo nova et vetera, dansque in tempore spiritalis tritici mensuram conservis suis, Hebræos superbos spoliavit, humilesque ditavit Latinos.

Inter omnes enim Ecclesiæ doctores nullus A plus Hieronymo profuit, qui præter innumera opuscula, Vetus Testamentum de Hebraico in Latinum transtulit, ac novum ad Græcam veritatem correxit, atque legendum Ecclesiæ fideliter obtulit.

Ecclesiæ catholicæ Oratione in festo S. Doctoris :

Deus, qui Ecclesiæ tuæ in exponendis Scripturis beatum Hieronymum, confessorem tuum, Doctorem maximum, providere dignatus es : præsta, quæsumus, ut, ejus suffragantibus meritis, quod ore simul et opere docuit, te adjuvante, exercere valeamus. Per Dominum, etc.

SYNOPSIS DIVINÆ BIBLIOTHECÆ

EX EPISTOLA HIERONYMI AD PAULINAM DESUMPTA.

=Ep. 53

Videlicet manifestissima est Genesis, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de divisione terræ, de confusione linguarum et gentium, usque ad exitum scribitur Hebræorum.

Patet Exodus cum decem plagis, cum decalogo, cum mysticis divinisque præceptis.

In Promptu est Leviticus liber, in quo singula sacrificia, imo singulæ pene syllabæ, et vestes Aaron, et totus ordo Leviticus spirant cœlestia sacramenta.

Numeri vero, nonne totius arithmeticæ, et prophetiæ Balaam, et quadraginta duarum per eremum mansionum mysteria continent?

Deuteronomium quoque secunda lex et evangelicæ legis præfiguratio, nonne sic ea habet quæ priora sunt, ut tamen nova sint omnia de veteribus. Hucusque Moyses, hucusque Pentateuchus : quibus quinque verbis loqui se velle Apostolus in Ecclesia gloriatur.

Job exemplar patientiæ, quæ non mysteria suo sermone complectitur? Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur, omnesque leges Dialecticæ, propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat. Singula in eo verba plena sunt sensibus. Et (ut de cæteris silcam) resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius, vel cautius scripserit : *Scio*, inquit, *quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo* (*Job* XIX, 25-27).

Veniam ad Jesum Nave, qui typum Domini non solum gestis, verum etiam nomine præfert : transit Jordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Ecclesiæ cœlestique Jerusalem spiritualia regna describit.

In Judicum libro, quot principes populi, tot figuræ sunt.

Ruth Moabitis, Isaiæ explet vaticinium dicentis : *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti, ad montem filiæ Sion* (*Isa.* XVI, 1).

Samuel in Heli mortuo et in occiso Saul veterem legem abolitam monstrat (I *Reg.* IV, 18; XXXI, 6) Porro in Sadoc atque David novi sacerdotii novique imperii sacramenta testatur (II *Reg.* VIII, XV, etc I *Reg.* XVI, etc., *passim*).

Malachim, id est, tertius et quartus Regum liber, a Salomone usque ad Jechoniam et a Jeroboam filio Nabat usque ad Osee qui ductus est in Assyrios, regnum Juda et regnum describit Israel. Si historiam respicias, verba simplicia sunt; si in litteris sensum latentem inspexeris, Ecclesiæ paucitas et hæreticorum contra Ecclesiam bella narrantur.

Duodecim Prophetæ in unius voluminis angustias coarctati, multo aliud quam sonet in littera, præfigurant.

Osee crebro nominat Ephraim, Samariam, Joseph, Jezrael, et uxorem fornicariam, et fornicationis filios, et adulteram cubiculo clausam mariti, multo tempore sedere viduam, et sub veste lugubri viri ad se reditum præstolari.

Joel filius Phatuel describit terram duodecim tribuum, eruca, brucho, locusta, rubigius vastante consumptam; et post eversionem prioris populi, effusum iri Spiritum sanctum super servos Dei et ancillas, id est, super centum viginti credentium nomina, et effusum iri in cœnaculo Sion. Qui centum viginti ab uno usque ad quindecim paulatim et per incrementa surgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in psalterio mystice continentur.

Amos pastor et rusticus et ruborum mora distringens, paucis verbis explicari non potest. Quis enim

digne exprimat tria aut quatuor scelera Damasci, et Gazæ, et Tyri, et Idumææ, et filiorum Ammon et Moab, et in septimo et octavo gradu Judæ et Israel? Hic loquitur ad vaccas pingues, quæ sunt in Samariæ monte, et ruituram domum majorem minoremque testatur. Ipse cernit fictorem locustæ et stantem Dominum super murum litum vel adamantinum et uncinum pomorum, attrahentem supplicia peccatoribus et famem in terram : non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.

ABDIAS, qui interpretatur Servus Dei, personat contra Edom sanguineum terrenumque hominem; fratris quoque Jacob semper æmulum hasta percutit spiritali.

JONAS, columba pulcherrima, naufragio suo passionem Domini præfigurans, mundum ad pœnitentiam revocat, et sub nomine Ninive gentibus salutem nuntiat.

MICHÆAS, de Morasthi, cohæres Christi, vastationem annuntiat filiæ latronis, et obsidionem ponit contra eam : quia maxillam percusserit judicis Israel.

NAHUM, consolator orbis increpat civitatem sanguinum, et post eversionem illius loquitur : *Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem* (*Nah.* I, 15).

HABACUC, luctator fortis et rigidus, stat super custodiam suam et figit gradum super munitionem, ut Christum in cruce contempletur, et dicat : *Operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus : ibi abscondita est fortitudo ejus* (*Habac.* III, 3, 4).

SOPHONIAS, speculator et arcanorum Dei cognitor, audit clamorem a porta Piscium et ejulatum a Secunda, et contritionem a collibus. Indicit quoque ululatum habitatoribus Pilæ, quia conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt universi qui involuti erant argento.

AGGÆUS, festivus et lætus, qui seminavit in lacrymis ut in gaudio meteret, destructum templum ædificat, Deumque Patrem inducit loquentem : *Adhuc unum modicum, et ego commovebo cœlum et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus* (*Agg.* II, 7, 8).

ZACHARIAS, memor Domini sui, multiplex in prophetia, Jesum vestibus sordidis indutum et lapidem oculorum septem, candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis, duas quoque olivas a sinistris lampadis cernit et a dextris : ut post equos nigros, rufos, albos, et varios, et dissipatas quadrigas ex Ephraim, et equum de Jerusalem, pauperem regem vaticinetur et prædicet, sedentem super pullum, filium asinæ subjugalis.

MALACHIAS aperte, et in fine omnium prophetarum, de abjectione Israel et vocatione gentium : *Non est mihi,* ait *voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda* (*Malach.* I, 10, 11).

ISAIAM, JEREMIAM, EZECHIELEM et DANIELEM quis potest vel intelligere, vel exponere? Quorum primus non prophetiam mihi videtur texere, sed Evangelium; — secundus virgam nuceam et ollam succensam a facie Aquilonis (*Jerem.* I, 11, 13), et pardum spoliatum suis coloribus et quadruplex diversis metris nectit alphabetum; — tertius principia et finem tantis habet obscuritatibus involuta, ut apud Hebræos istæ partes cum exordio Geneseos ante annos triginta non legantur; — quartus vero, qui et extremus inter quatuor prophetas, temporum conscius et totius mundi φιλίστωρ, lapidem præcisum de monte sine manibus et regna omnia subvertentem (*Dan.* II, 34), claro sermone pronuntiat.

DAVID, Simonides noster, Pindarus, et Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus, Christum lyra personat, et in decachordo psalterio, ab inferis excitat resurgentem.

SALOMON, pacificus et amabilis Domini, mores corrigit, naturam docet, Ecclesiam jungit et Christum, sanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium.

ESTHER, in Ecclesiæ typo, populum liberat de periculo et interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas partes convivii et diem celebrem mittit in posteros.

PARALIPOMENON liber id est, Instrumenti Veteris ἐπιτομή, tantus, talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula quippe nomina junctura-sque verborum et prætermissæ in Regum libris tanguntur historiæ, et innumerabiles explicantur Evangelii quæstiones.

ESDRAS et NEHEMIAS, adjutor videlicet, et consolator a Domino, in unum volumen coarctantur, instaurant templum, muros exstruunt civitatis; omnisque illa turba populi redeuntis in patriam et descriptio sacerdotum, Levitarum, Israelis proselytorum, ac per singulas familias murorum ac turrium opera divisa, aliud in cortice præferunt, aliud retinent in medulla. Cernis me Scripturarum amore raptum, excessisse modum epistolæ, et tamen non implesse quod volui. Audivimus tantum quid nosse quid cupere debeamus, ut et nos quoque possimus dicere : Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore (*Psal.* CXVIII, 20). Cæterum illud Socraticum impletur in nobis, Hoc tantum scio, quod nescio.

Tangam et Novum breviter Testamentum.

MATTHÆUS, MARCUS, LUCAS et JOANNES, quadriga Domini et verum Cherubim, quod interpretatur scientiæ multitudo, per totum corpus osculati sunt, scintillæ emicant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos, et in sublime tendentes, terga pennata et ubique volitantia, tenent se mutuo sibique perplexi sunt, et quasi rota in rota volvuntur, et pergunt quocunque eos flatus Spiritus sancti perduxerit.

Paulus Apostolus ad septem scribit Ecclesias : octava enim, ad Hebræos, a plerisque extra numerum ponitur. Timotheum instruit ac Titum et Philemonem pro fugitivo famulo deprecatur. Super quo melius tacere puto quam pauca scribere.

Actus Apostolorum nudam quidem sonare videntur historiam et nascentis Ecclesiæ infantiam texere; sed si noverimus scriptorem eorum Lucam esse medicum (*Coloss.* II, 14), cujus laus est in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius animæ languentis esse medicinam.

Jacobus, Petrus, Joannes, Judas, septem Epistolas ediderunt, tam mysticas quam succinctas, et breves pariter ac longas : breves in verbis, longas in sententiis : ut rarus sit qui non in earum lectione cæcutiat.

Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta quot verba. Parum dixi et pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. Oro te, frater charissime, inter hæc vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere. Nonne tibi videtur jam hic in terris regni cœlestis habitaculum? Nolo offendaris in Scripturis sanctis simplicitate, et quasi vilitate verborum, quæ vel vitio interpretum, vel de industria, sic prolata sunt, ut rusticam concionem facilius instruerent, et in una eademque sententia aliter doctus, aliter audiret indoctus. Non sum tam petulans et hebes, ut hæc me nosse pollicear et eorum fructus capere quorum radices in cœlo fixæ sunt; sed velle fateor. Sedenti me præfero : magistrum renuens, comitem spondeo. Petenti datur, pulsanti aperitur, quærens invenit. Discamus in terris quorum scientia nobis perseveret in cœlo. Obviis te manibus excipiam, et (ut inepte aliquid ac de Hermagoræ tumiditate effutiam) quidquid quæsieris, tecum scire conabor. Habes hic amantissimum tui fratrem Eusebium, qui litterarum tuarum mihi gratiam duplicavit, referens honestatem morum tuorum, contemptum sæculi, fidem amicitiæ, amorem Christi. Nam prudentiam et eloquii venustatem etiam absque illo ipsa epistola præferebat. Festina, quæso te, et hærentis in salo naviculæ funem magis præcide quam solve. Nemo renuntiaturus sæculo bene potest vendere quæ contempsit ut venderet. Quidquid in sumptus de tuo tuleris, pro lucro computa. Antiquum dictum est, Avaro tam deest quod habet quam quod non habet. Credenti totus mundus divitiarum est : infidelis autem etiam obolo indiget. Sic vivamus, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* VI, 10). Victus et vestitus divitiæ Christianorum sunt. Si habes in potestate rem tuam, vende ; si non habes, projice. Tollenti tunicam, et pallium relinquendum est (*Matth.* V. 40). Scilicet nisi tu, semper recrastinans, et diem de die trahens, caute et pedetentim tuas possessiunculas vendideris, non habet Christus unde alat pauperes suos. Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Apostoli navem tantum et retia reliquerunt (*Matth.* IV, 20; *Luc.* V, 11). Vidua duo æra misit in gazophylacium, et præfertur Crœsi divitiis (*Luc.* XXI, 2, 3). Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.

S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI,

DIVINÆ BIBLIOTHECÆ

PARS PRIMA,

Quæ complectitur Canonem Hebraicæ veritatis, cum annotationibus marginalibus Hebræi cujusdam qui tempore Rabani Mauri in scientia Legis celebratissimus fuit.

ORDO PRIMUS, LEGIS.

PRÆFATIO S. HIERONYMI IN PENTATEUCHUM [1],

AD DESIDERIUM.

Desiderii [2] mei desideratas accepi epistolas, qui quodam præsagio futurorum [3], cum Daniele sortitus est nomen, obsecrantis (*Dan.* IX, 23), ut translatum in Latinam linguam de Hebræo sermone

[1] Exegimus hanc epistolam ad tres mss. codices : unum collegii Romani PP. Soc. Jesu, et duos qui nunc sunt Vaticanæ bibliothecæ, alterum Palatinum sub n. 3

[2] Hic ille Desiderius videtur, ad quem epistola in nostra

[3] Iisdem fere verbis eum compellat in modo laudata ad

Pentateucheum, nostrorum auribus traderem. Peri- A culosum opus certe, et obtrectatorum meorum [1] latratibus patens, qui me asserunt in Septuaginta Interpretum suggillationem nova pro veteribus cudere, ita ingenium quasi vinum probantes [2]; cum ego sæpissime testatus sim, me pro virili portione in tabernaculo Dei offerre quæ possim [3], nec opes alterius aliorum paupertate fœdari. Quod ut auderem, Origenis me studium provocavit, qui editioni antiquæ translationem Theodotionis miscuit, asterisco ※, et obelo [4] ÷, id est, stella et veru [5] opus omne distinguens : dum aut illucescere [6] facit quæ minus ante fuerant, aut superflua quæque jugulat, et confodit : maximeque quæ evangelistarum [7] et apostolorum auctoritas promulgavit : in quibus multa de Veteri Testa- B

sub n. 3, alterum Urbinatem. In his *Prologus*, sive *Præfatio in Pentateuchum* inscribitur : quod ipsemet Hieronymus hac ipsa præfatione innuit, quanquam lib. II *contra Rufinum*, n. 25, *Prologum in Genesim* vocat eumque ab initio ad finem totidem verbis replicat.

nostra resensione 47 ab Hieronymo data est. Quotus ille quantusque fuerit, ex eadem intelliges, ubi scientiæ ac pietatis, maxime vero eloquentiæ laudibus effertur. Nobis etiam aliquando visus est Romæ in presbyteri gradu meruisse : isque idem esse, cui et S. Paulinus epist. 43 et Severus S. Martini Vitam inscripsit.

data ad eumdem epist. : « Hoc nominis vaticinio in te prædestinatum est ; legimus enim sanctum quoque Danielem appellatum desideriorum virum (*Dan.* IX, 23) et amicum Dei, quia mysteria ejus scire desideravit.

[1] Illud *meorum* in laudata contra Rufinum Apologia S. Pater non agnoscit.

[2] Eos carpit qui libros annis æstimant non suis meritis. Vina enim ætate exquisit aredduntur : libri non item. Hoc sensu ad Augustinum aiebat, epistol. 89 : « Bibat vinum vetus cum suavitate, et nostra musta contemnat. » MART.

[3] Ita canon Memmianæ bibliothecæ, qui tamen retinet in margine lectionem alteram, nempe, *pro vili portione* ; ut legendum putavit Haimo monachus, qui commentarios edidit in Genesim, et in Deuteronomium, quos habeo in codice ms. perantiquo. Hic igitur scriptor prologi præsentis singula verba dum explicaret sic de illa lectione sermonem habuit : Pro vili portione, seu paupertate mea. In alia enim præfatione dicit quod in tabernaculo Dei alii offerrent aurum, ladides onychinos, byssum, coccum et purpuram (*Exod.* XXXV, 5) : sibi vero sufficere si saltem pilos caprarum offerat (*Ibid.* 6). Hanc dicit vilem portionem humiliando se, cum tamen magna ipse offerret in tabernaculo Dei, hoc est in Ecclesia. » Præfatio quam isto loco Haimo citavit, est prologus Galeatus libris Samuel et Malachim præfixus. Quare idem Hieronymus, lib. II *Apologiæ adversus Rufinum*, his verbis ejus imperitiam redarguit : « Vide quanto contra Septuaginta Interpretes tumeam supercilio, ut illos aurum, et pretiosos lapides et purpuram ; me pelles et pilos caprarum in tabernaculo Dei obtulisse profitear. » Legimus tamen hic loci cum canone Memmiano, et aliis quibusdam mss. antiquioribus, *pro virili portione*, sive *pro virili parte*, ut scriptum infra invenies præfatione in Josue, ubi se ipsum explicat Hieron. MART.

— Nostri omnes codices *pro vili* legunt sicque olim lectum vulgo est : et vilia quidem se pro vimento legimus, quæ in nostris codicibus non habentur ; ut est illud : *Ex Ægypto vocavi filium meum* (*Matth.* II, 15) ; et : *Quoniam Nazaræus vocabitur* (*ibid.* 23) ; et : *Videbunt in quem compunxerunt* (*Joan.* XIX. 37) ; et : *Flumina de ventre ejus fluent æquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38) ; et : *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt* [8], *quæ præparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.* II, 9), et multa alia quæ proprium σύνταγμα desiderant. Interrogemus ergo eos, ubi hæc scripta sint : et cum dicere non potuerint, de libris Hebraicis proferamus. Primum testimonium est in Osee (*cap.* XI, *vers.* 1), secundum in Isaia (*cap.* XII, *vers.* 1), tertium in Zacharia (*cap.* XII, *vers.* 10, quartum in Proverbiis (*cap.* XVII, *vers.* 4). quintum æque in Isaia (*cap.* LXIV, *vers.* 4), Quod multi ignorantes,

rium tenuitate offerre, excusarit Hieronymus. Verior tamen impressa est lectio, quam probat etiam in Commentariis in Ezechielem l. XXIV : « In tabernaculo quoque factum legimus, ut pro varietate virium (hoc nempe est, pro virili parte) alius aurum, alius argentum, coccum, byssum, etc. : alii pelles et caprarum offerant pilos, » etc. (*Ezech.* XXXVII, 16-18).

[4] Alias *Obelisco*. Audi jam Isodorum : « Obelus, id est virgula jacens, apponitur in verbis, aut sententiis, superflue iteratis, sive ubi lectio aliqua falsitate notata est, ut quasi sagitta jugulet supervacua, et falsa confodiat : sagitta enim Græce ὀβελὸς dicitur. » Hesychio dicuntur ῥάοδοι περιτεθιμενοι τοῖς· Ὁμήρου στίχοις, *Virgulæ versibus Homeri appositæ*. Vide si lubet et Cicer. epist. *ad Dolabellam*.

[5] Canon Memmianus, *stella et virgula* ; in mar- C gine autem notat *alibi veru*. Hoc modo innumeras variantes lectiones observatas retinet idem manuscriptus codex Memmianus, quo nescio an sit præstantior in orbe Christiano. MART.

[6] Nuperus quæstionum Hieronymianarum auctor contendit pro *illucescere* verbo, hic rescribendum *illustria* : quemadmodum in *Apologia contra Rufinum* Erasmus et Victorius excuderunt. Sed videntur illi mutasse eam vocem ex ingenio, ut elegantius pro arbitrio suo legerent. Cætera enim optime habet, estque ad omnium mss. fidem, *illucescere* : atque illud, *illustria*, textu nihil mutato commode subintelligitur post vocem *fuerant*, id est, *facit illucescere quæ minus ante fuerant (illustria)*. Hieronymo autem non insolens loquendi modus hic est, quem simillimo iisdemque fere verbis exemplo asseram. Scribit nempe in præfatione ad Paralip. : *Asteriscis designans, quæ minus ante fuerant*, id est, *designata*.

[7] Restituimus ad Palatini atque alterius codici D fidem, tuum ad eam, quæ in Apologia durat lectionem, *maximeque quæ evangelistarum*, etc., sensu nunc demum perspicuo ac verissimo. Hoc nimirum ait Hieronymus, Ut hanc interpretationem ex Hebræo aggrederer. *Origenis me studium provocavit, maximeque ea, quæ evangelistarum et apostolorum auctoritas promulgavit*, etc., quæ deinde recitat testimonia. Veteres editiones, in quibus erat *maximeque evangelistarum*, et Martianæus rescribens, *maxime quæ evangelistarum*, aut nullum, aut plane falsum, et S. Doctoris menti contrarium sensum reddunt, ut videretur dixisse de Origene, quod inter superflua jugularit maxime quæ evangelistarum et apostolorum auctoritas promulgavit, et in versione ex LXX non erant.

[8] Alibi *ascendit*, juxta Græcum ἀνέβη.

apocryphorum deliramenta sectantur [1]; Et Iberas nænias [2] libris authenticis præferunt. Causas erroris non est meum exponere. Judæi prudenti factum dicunt esse consilio, ne Ptolomæus unius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet. Quod maxime idcirco faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur [3]. Denique ubicunque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre et Filio et Spiritu sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt; ut et regi satisfacerent et arcanum fidei non vulgarent. Et nescio quis primus auctor septuaginta cellulas [4] Alexandriæ mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarent, cum Aristeas [*Al.* Aristæus] ejusdem Ptolemæi [5] ὑπερασπιστὴς, et multo post tempore Josephus [6], nihil tale retulerint; sed in una basilica congregatos, contulisse scribant, non prophetasse. Aliud est enim vatem, aliud esse interpretem [7]. Ibi Spiritus ventura prædicit: hic eruditio et verborum copia, ea quæ intelligit, transfert. Nisi forte putandus est Tullius Œconomicum Xenophontis, et Platonis Protagoram [8], et Demosthenis pro Ctesiphonte, afflatus rhetorico spiritu transtulisse. Aut aliter de eisdem libris per Septuaginta Interpretes [9], aliter per apostolos Spiritus sanctus testimonia texuit, ut quod illi tacuerunt, hi scriptum esse mentiti sint. Quid igitur? Damnamus veteres? minime: sed post priorum studia, in domo nensis multarum originem explicans hæreseon, et maxime Gnosticorum, qui per Marcum Ægyptium, Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles feminas deceperunt.» Quæ postrema ex Irenæo repetit in epistola *ad Theodorum*. Iberæ igitur næniæ, quas dicit, visiones sunt Gnosticorum et Basilidis, quibus Hispanias occupavit eorum discipulus Marcus Ægyptius. Paria his habet in epist. *ad Hedibiam*, quæst. 10: « Multo melius est simpliciter imperitiam confiteri, quam Basilidis hæresim defendere, et Iberas næniias, Ægyptiaque portenta sectari. » Denique et in c. III in Amos hoc plane sensu: « Et Iberæ ineptiæ de Balsamo Barbeloque mirantur. » Recole et quæ nos ibi observamus.

[1] Assumptionem sive Eliæ Apocalypsin spuriam intelligit propter ultimum Epistolæ Pauli testimonium, de quo ita scribit ad Pammachium, lib. *de Optimo genere interpretandi*: « Solent in hoc loco apocryphorum quidam deliramenta sectari, et dicere, quod de Apocalypsi Eliæ testimonium sumptum sit, cum in Isaia juxta Hebraicum ita legatur, *A sæculo non audierunt*, etc. (*Isa.* LIV, 4). Intelligimus unde sumptum sit testimonium; et tamen Apostolus non verbum expressit e verbo; sed παραφραστικῶς eumdem sensum aliis sermonibus indicavit. » Idem intelliges et de aliis Scripturæ testimoniis, maxime de eo quod e Proverbiis sumptum a Joanne refertur, ubi sensum indicat aliis verbis S. evangelista. MART.

— Apocryphos libros, quorum titulus *Ascensio Isaiæ*, et *Apocalypsis Eliæ*, notat, ex quibus Gnostici et Basilidis discipuli depromptum putabant Pauli locum hunc ad Corinth. quod ipse Hieronymus tum epist. 57, *ad Pammachium* de Optimo genere interpretandi, cum luculentius in commentario in c. LXIV Isaiæ, mox adducendo testimonio prodit.

[2] Idem Hieronymus ita scribebat: *Et Iberas nænias Ægyptiaque portenta sectari*. Ad Hedibiam, quæst. 10, *Iberas nænias* appellari putant nonnulli portentosas nugas, quod apud Iberos, ut et Thessalos, magica miracula narrentur. Næniæ sunt etiam querimoniæ flentium muliercularum pretio adductarum a parentibus defunctorum, ut ineptas laudes mortuis persolvant. Hic usus obtinet hodie apud incolas montium Pyrenæorum, e quibus, si Dionysio credimus, Iberes populi profecti in Asiam, sedes in Iberia posuerunt. At hoc loco, ni fallor, aliud voluit Hieronymus, fabulamenta scilicet librorum apocryphorum, in quibus de Gog et Magog multa forsitan narrabantur. Gog et Magog cum Iberis sibi junctis adversus sanctos et civitatem sanctam pugnaturi credebantur a Chiliastis tum Judæis, tum Christianis. Illorum opinionem vocat S. Doctor, *Judaicas et anilcs fabulas*. Eos vero, qui somniabant diabolum cum omni exercitu suo aliquando Jerusalem cœlestem oppugnaturum, *multo pejores nænias fingere* asserit, lib. XI Comment. in c. XXXVIII Ezechielis. MART. — Non alia de causa vocat *Iberas nænias*, quam quod illi iidem hæretici, qui apocryphorum Ascensionis, Isaiæ et Apocalypsis Eliæ deliramenta sectabantur, in Iberia, sive Hispaniarum et Lusitaniæ regionibus illa jactabant. Luculentissime hoc prodit in c. LXIV Isaiæ, ubi de hoc loco Pauli disputans ex authenticis Isaiæ libris assumpto, « Unde, inquit, apocryphorum deliramenta conticeant, quæ ex occasione hujus testimonii ingeruntur Ecclesiis Christi..... Ascensio enim Isaiæ, et Apocalysis Eliæ hoc habent testimonium, et per hanc occasionem, multaque hujusmodi Hispaniarum et Lusitaniæ deceptæ sunt mulierculæ... de quibus diligentissime vir apostolicus scribit Irenæus episcopus Lugdu-

[3] Cod. Palatin. *videbantur*. Platonis effatum, Θεοῦ εὑρεῖν τε ἔργον, εὑρόντα τε εἰς πολλοὺς ἐκφέρειν ἀδύνατον.

[4] Omnium vetustissimi, qui fabulæ ab Hellenistis Judæis ad suæ gentis gloriam conflctæ, aurem præbuere. Sancti sunt Patres, Justinus, Irenæus, Clemens, Cyrillus Hierosolymit. et Augustinus, qui singulum quemque interpretem suæ inclusum cellulæ fuisse narrant: a quibus abludunt tamen alii, qui binos commoratos esse aiunt, S. Epiphanius et Justinianus imperator novella 146, atque alii.

[5] Addunt duo mss. ut et Memmianus apud Martianæum, *id est protector*: proprie autem est ὑπερασπιστὴς corporis custos, sive satelles, qui ἀσπίδος, seu clypei objectu, Regis corpus protegebat.

[6] Vetus Apologiæ editio cum negandi particula, *et non multo post tempore Josephus*, etc. Porro Josephi testimonium habes lib. XII *Antiquit.* c. 2: Συνέδριον ἐποιήσατο ἐν τῷ παρὰ τὴν ἠιόνα κατεσκευασμένῳ οἴκῳ: *Congregavit* (Demetrius) *eos* (Septuaginta seniores) *in domum prope litus exstructam*. In quem locum, paulo post tradit, perfecta jam legis interpretatione, congregasse Demetrium Judæos omnes, præsentibus etiam interpretibus. Non tamen esse, Aristeas cum Josepho convenit.

[7] Conferendus S. ipse Pater præfatione altera in Paralipomenon libros ex Græco versos, ubi sentit *de Septuaginta Interpretibus, quod Spiritu sancto pleni ea quæ vera fuerant, transtulerint.*

[8] *Pythagoram*, loco *Protagoram*, legimus in mss. omnibus: sed hoc scriptorum inolevisse imperitia, nulli erudito dubium esse potest, hi enim manifestiora et magis trita vocabula scribunt pro iis quæ ignorant. *Juda* v. g. pro *Jehu*, *Isaias* olim pro *Asaph*, uti monet Hieronym. in cap. I Osee, et in cap. XIII Matth. MART.

— Falso nostri etiam mss. *Pythagoram* legunt. Ciceronis autem versiones illæ omnes interciderunt.

[9] Vocem *interpretes* nostri mss. sufficiunt, quæ et in Apologia recitatur.

Domini quod possumus, laboramus. Illi interpretati sunt ante adventum Christi, et quod nesciebant, dubiis protulere sententiis. Nos post passionem et resurrectionem ejus, non tam prophetiam quam historiam scribimus. Aliter enim audita, aliter visa narrantur. Quod melius intelligimus, melius et proferimus. Audi igitur, æmule; obtrectator, ausculta: non damno, non reprehendo Septuaginta, sed confidenter cunctis illis apostolos præfero. Per istorum os mihi Christus sonat [1], quos ante prophetas inter spiritalia charismata positos lego (*I Cor.* XII, 28; *Ephes.* IV, 11): in quibus ultimum pene gradum interpretes tenent. Quid livore torqueris? quid imperitorum animos contra me concitas? Sicubi in translatione tibi videor errare, interroga Hebræos, diversarum urbium magistros consule. Quod illi habent de Christo, tui codices non habent. Aliud est, si contra se postea ab apostolis usurpata testimonia, probaverunt [2], et emendatiora sunt exemplaria Latina quam Græca, Græca quam Hebræa. Verum hæc contra invidos. Nunc te precor, Desideri charissime, ut quia [3] tantum opus me subire fecisti, et a Genesi exordium capere, orationibus juves: quo possim eodem spiritu quo scripti sunt libri, in Latinum eos transferre sermonem.

[1] Minus recte legebatur antea, *Per illorum*. Mss. nostri cum Apologiæ lectione castigant.

[2] Imo econtrario inferendum videtur mihi, *reprobaverunt*: id est, Hebræi contra se usurpata ab apostolis testimonia rejecerunt, suisque e codicibus vel eraserunt, vel subdola lectione adulterarunt. Id profecto est, quod omnis S. Doctoris contextus intendit; vixque ego dubito, quin scriptum ab eo fuerit hoc sensu, *reprobaverunt;* minor autem editores et criticos huc animum non advertisse.

[3] Unus Palatin. *ut qui*, pro *quia*, æque bene.

TITULI LIBRI BRESITH, ID EST GENESIS [1].

I. De creatione mundi, et plasmatione hominis. De interdictione arboris, et prævaricatione et sententia Dei.

II. Tunicis pelliciis indutum Adam et uxorem, et custodiam ligni vitæ, et nativitatem Cain et Abel. De muneribus eorum, et parricidio Cain in Abel, et Catalogus vitæ Patrum.

III. Corrupta terra per immunditiam hominum. Dominus ad Noe dicit ut arcam sibimet fabricaret, et universæ carnis seminario reservato, diluvium superinducit.

IV. Noe ædificat altare Domino, et Dominus promittit super terram ultra diluvii aquas non missurum. Signum fœderis arcum ponit in nube, et ubi Noe vineam plantat, redactis fructibus inebriatur, atque nudatus, nuditatem patris Cham impie ridens, jugum servitutis incurrit.

V. Catalogus filiorum Noe quemadmodum disseminati sunt super omnem terram. De ædificatione turris et confusione linguarum, et nativitate Abrahæ.

VI. Dicit Deus ad Abraham, egredere de terra tua et de cognatione tua. Descendit in Ægyptum, et Saram uxorem suam sororem visus est appellare, et propter eam flagellavit Dominus Pharaonem. Et divisionem Lot et Abraham.

VII. Reges gentium congregati contra Sodomam inire certamen. Lot deprædatum Abraham cum vernaculis suis una cum præda revocat. De Melchisedec sacrificio futuri temporis præsagante.

VIII. Ubi Abraham dicit quod absque liberis sit, et vernaculum adoptat hæredem, atque ad annum audit de utero ejus futurum illi esse hæredem. Et sacrificio oblato rursum in terra non sua semen ejus peregrinum pronuntiat futurum, et quarta generatione auctum conscendere, et terras promissionis, exstinctis gentibus, possidere.

IX. Sara sterili permanente, ejus oratione ad Agar ingressus est. De fuga Agar et apparitione angeli ad eam. De promissionibus ad Abraham factis, et mutatione nominis ejus.

X. Ubi Abrahæ præcipitur ut seipsum et omnes masculos domus suæ circumcisione signaret, et immutatione nominis Sarai, et quod illi centenario promitteretur nasciturus ex nonagenaria filius.

XI. In valle Mambre in tribus viris Abrahæ apparuit Deus.

XII. Ubi Dominus de interitu Sodomorum cum Abraham colloquitur: et gradatim de numero justorum Abraham interrogat, et de salvatione Lot atque eversione illarum civitatum.

XIII. Ubi Lot mansit in monte, et de conceptu duarum filiarum ejus ex eo.

XIV. Abraham peregrinatus Geraris, et Abimelech regem, quando Saram tulerat, et admonitio Dei facta est ad eum ne contingeret eam.

XV. Ubi Sara concepit et peperit filium nonagenaria Isaac centenario Abraham, et Sara dicit: Ejice ancillam et filium ejus. Et juramento Abi-

[1] Horum titulorum seriem descripsimus ex canone Memmiano, longo satis tempore post editum Geneseos librum, quem habemus mutilum prioribus septem vel octo foliis in exemplari nostro San-Germanensi. Hinc contigit ut priores numeros titulorum apponeremus divinando in libro Genesis, et ita in nonnullis locis falleremur. Nullum igitur moveat dispar aliquando numerus marginalis ab ista titulorum congerie, quia causam erroris indicamus. MART.

melech cum Abraham, et de nemore plantato in Bersabee.

XVI. Tentavit Deus Abraham ut offerret filium suum, et promissio facta est benedictionum in semine ejus.

XVII. De morte Saræ et emptione agri Ephron, et speluncæ duplicis.

XVIII. Servum adjurans dirigit Abraham ut de cognatione ejus uxorem acciperet Isaac, et de conjunctione ejus et Rebeccæ.

XIX. Abraham Ceturam duxit uxorem. De obitu ejus et sepultura. De conceptu Rebeccæ, et partu. De pulmento Jacob, et benedictione primitiarum Esau.

XX. Ubi Isaac peregrinatus est in Geraris, et Rebeccam conjugem suam dicit esse sororem atque in illa terra sevit, et centuplum invenit. Ubi Palæstini invidentes ei puteos quos foderat, obruerunt.

XXI. Apparuit Deus ad Isaac sponte impleturum se quod pollicitus est Abrahæ. Atque ibi cum Amalec fœdus iniit.

XXII. De senectute Isaac, et ubi Jacob benedictionem subripuit Esau.

XXIII. Isaac vocavit Jacob, et præcepit ei ne conjugem Chananæam acciperet, sed ad Mesopotamiam pergeret, et ad Laban avunculum suum, et Esau Chananæas accepit uxores.

XXIV, Jacob profectus dormivit in Bethel, atque inde venit Charran, ubi servivit Laban, pro filiabus suis, et de conjunctione eorum.

XXV. Jacob filios de Lia et Rachel atque utraque famula suscepit. Et de pastu gregum.

XXVI. Varias virgas ponit Jacob in lancibus, et de assumptione ejus cum vellet patriam repedare, ac persecutione Laban, et juramento utrorumque.

XXVII. Proficiscenti Jacob obviam fuerunt angeli Dei, et legatos ac munera mittit ad Esau fratrem suum, et de lucta ejus cum angelo, et immutatione nominis, ut Israel vocaretur.

XXVIII. Sichem filius Emmor Dinam filiam Jacob rapuit, et de ultione pudicitiæ ejus. De profectione Jacob, et de abjectione idolorum, quæ sub terebinthum obruit.

XXIX. Verno tempore in Euphrata parturiens Rachel decessit, et sepulta est in Beth-Lehem. Ruben concubuit cum concubina patris sui, et Isaac senectute confectus obiit.

XXX. Catalogus generationum qui ex Jacob orti sunt. De segregatione virorum.

XXXI. Joseph præ cæteris filiis a patre diligitur. De somniis ejus et ubi fratres suos in pastu ovium occupatos visitat, et in puteo deponitur, et Ismaelitis negotiatoribus distrahitur.

XXXII. Judas ad Hiram Odollamitem descendit, atque inde duxit uxorem, et filio suo Thamar accepit, quæ sequenti tradita, et utroque viduata in domo patris sedit, ac socero fetandum corpus fraude subjecit.

XXXIII. Joseph in Ægyptum distrahitur atque ab Ægyptia domina adamatur, ille recusat adulterium.

XXXIV. Duo eunuchi, præpositus pincernarum ac pistorum in carcere somnium vident, atque Joseph interpretationem sciscitantur, et Pharao somnium videt atque Joseph præsagus factus est futurorum,

XXXV. Joseph, potestate accepta terræ Ægypti, septem annorum fertilitatem, regalibus recondit in horreis, ac famis tempore totidem annorum dum frumenta distrahit, a fratribus secundo remeantibus recognoscitur, et muneribus datis, ut patrem deponerent hortatur, ac vehicula dirigit.

XXXVI. Nuntio audito Jacob gaudens pergit in Ægyptum, ac nuntios dirigit ad Joseph, et obviam patri pergens amplexatus eum flevit, fratres suos patremque coram Pharaone statuit, ac dedit eis terram Gesen, et omnis terra Ægypti famis egestate coacta pro argento venit, et quinta pars solvit Pharaoni.

XXXVII. De ægritudine Jacob et benedictione duorum filiorum Joseph, et partem unam extra fratres suos dedit Jacob Joseph filio suo quam tulit de manu Amorrhæi.

XXXVIII. Jacob vicinior obitu filios convocat suos et propriis benedictionibus munerat, et futuri temporis sacramenta præsagat. Ne in Ægyptiorum sepulcris poneretur et filios hortatur, ut eum collocarent in sepulcro majorum. Emisso spiritu aromatibus curatur atque ejus corpus ad terram Chanaan deportatur, et fratres ne ab Joseph vicissitudinem sceleris reciperent, deprecatur Joseph moriens fratres suos juramento constringens, ut cum illis visitatio divina respexerit, ejus secum ossa portarent.

BREVES LIBRI BRESITH, ID EST GENESIS.

I. De lucis exordio, et divisione tenebrarum a luce, et die prima.

II. De divisione aquarum, et firmamento inter eas facto, et secunda die.

III. De congregatione aquarum sub cœlo, et germine terræ, et tertia die.

IV. De luminaribus cœli et divisione diei et noctis, et quarta die.

V. De reptilibus et volatilibus, et die quinta.

VI. De jumentis et bestiis terræ, et creatione hominis, et sexta die.

VII. De sanctificatione diei septimi, et paradiso, et de fluminibus ejus, et homine ibi posito.

VIII. De Adam ubi nomina animantibus universis

imposuit, et de muliere quomodo facta sit, et transgressione eorum.

IX. De irrogata in eos a Domino sententia, et de tunicis, et de Cherubim flammeo gladio [1].

X. De Cain et Abel, et maledictione Dei in parricidas.

XI. De Seth qui Adæ [2] natus est pro Abel, et de generatione ejus usque ad Noe.

XII. De gigantibus, et Noe, et arca, et diluvio.

XIII. De egressu Noe de arca, et de ædificatione altaris [3].

XIV. De nuditate Noe, et maledictione Chanaan.

XV. De generationibus trium filiorum Noe, et de Nemrod.

XVI. De ædificatione Turris et confusione linguarum, et de progenie Sem usque ad Abraham et Lot.

XVII. De egressione Abrahæ de terra Chaldæorum in Haran Mesopotamiæ cum fratribus suis.

XVIII. De Dei promissione ad Abraham, et de profectione ejus in terram Chanaan, et ubi ei Deus secundo apparuit.

XIX. De ingressu Abrahæ in Ægyptum, ac reditu ejus in Bethel, et de discessu Lot, et habitatione ejus in Sodomis.

XX. De Dei promissione tertio ad Abraham, et de trecentis decem et octo vernaculis [4], cæsis hostibus, et revocato Lot.

XXI. De Dei promissione quarta ad Abraham, in Hebron, et de prænuntiatione Dei quod peregrinaretur semen ejus, et de nativitate Ismael.

XXII. De promissione Dei quinta ad Abraham et de immutatione nominum Abraham et Saræ. De pacto circumcisionis.

XXIII. De Domino quomodo in tribus apparuit Abrahæ in convalle Mambre, ubi pollicetur ei Isaac nasciturum, et de quinquaginta [5] justis in Sodomis.

XXIV. De subversione Sodomorum, et conceptu filiarum Lot de patre.

XXV. De profectione Abrahæ in Gerara, et quæ apud eum gessit Abimelech rex Palæstinorum.

XXVI. De nativitate Isaac, et de ludo ejus cum Ismael, et de expulsione Agar cum Filio, et de pactione Abimelech rex Palæstinorum.

XXVII. De Isaac ubi immolatur a patre, et quod Bathueli Rebecca sit nata, et de obitu Saræ.

XXVIII. De Rebecca, quomodo Abrahæ servus petitor accedens acceptam jungit Isaac.

XXIX. De Abraham ubi Cethuram accepit uxorem, et de obitu Abrahæ : et de progenie Ismaelis, et de conceptu et partu Rebeccæ.

XXX. De Esau ubi vendidit primogenita sua Jacob, et de promissionibus Dei in Geraris, et ubi seminavit et invenit centuplum.

XXXI. De promissione Isaac et Bersabee, ubi secundo apparuit ei Dominus, et de pacto regis Abimelech cum Isaac, et de Esau et uxoribus ejus.

XXXII. De cæcitate Isaac, et quomodo pro Esau benedixit Jacob.

XXXIII. De odio Esau circa Jacob, et fuga Jacob ad Laban, et de somnio et scala, et angelis, et Dominum vidit loquentem ad se.

XXXIV. De servitio Jacob pro uxoribus, et conceptu ovium pro varietate virgarum, et de nativitate filiorum Jacob.

XXXV. De profectione Jacob de Mesopotamia, et de jurgio ejus cum Laban et pacto, et de divisione angelorum, et colluctatione, et pacatione Jacob cum Esau.

XXXVI. De habitatione Jacob in Sichem, et stupro in Dinam, et interfectione urbis, et de idolis absconditis sub terebintho.

XXXVII. De reditu Jacob in Bethel, in quo denuo apparuit ei Deus et vocavit eum Israel, et de Ephrata ubi Rachel, edito Benjamin, obiit et sepulta est; et ubi Ruben ad concubinam patris sui ingressus est, et nominibus patriarcharum, et de obitu Isaac, et generationibus Esau.

XXXVIII. De Joseph et somniis ejus, et venditione ejus in Ægyptum, et de Juda, et quæ de Thamar memorantur [6].

XXXIX. De Joseph ab eunucho empto et in carcerem misso, et de somniis Pharaonis.

XL. De Joseph educto de carcere, et quomodo somnium regi edisserit, et dominus Ægypti constitutus est, et de uxore ejus ac duobus liberis.

XLI. De fratribus Joseph, quomodo descenderunt in Ægyptum, et de reditu eorum, relicto Simeon, et pecunia reperta in saccis.

XLII. De secunda fratrum Joseph profectione cum Benjamin in Ægyptum, et agnitione mutua.

XLIII. De subventione et muneribus a Joseph fratribus datis, et de profectione Jacob cum omni domo sua in Ægyptum.

XLIV. De ingressu Jacob ad Pharaonem, et de possessione sibi data in terra Gessen.

XLV. De caligine oculorum Jacob, et benedictione in filiis Joseph, et benedictione filiorum Jacob duodecim.

XLVI. De obitu Jacob et sepultura ejus in Hebron, et de morte Joseph.

[1] Palatinus codex, quocum hos breves contulimus, verba *flammeo gladio* ignorat.

[2] Idem nomen *Adæ* respuit.

[3] Hæc quoque, *et de ædificatione altaris*, tacet Pal. ms.

[4] Auctius hic est uno verbo *pergens* Pal. exemplar.

[5] Numerus *quinquaginta* in Palatino desideratur

[6] Denique et ista, *et quæ de Thamar memorantur*. absunt a Palatino ms.

LVII. Dixit Dominus ad Jacob : Revertere in terram patris tui, et consecutus est eum Laban, et juraverunt invicem.

LVIII. Vidit Jacob castra Dei, et misit nuntios ad fratrem suum, et luctatus est cum angelo.

LIX. Venit Jacob in civitatem Sichimorum, ubi occiderunt filii ejus omnes inhabitantes propter Dinan.

LX. Dixit Dominus ad Jacob : Ascende in locum Bethel, et abjecit omnia idola.

LXI. Visus est Dominus ipsi Jacob, et benedixit eum, et cognominavit eum Israel.

LXII. Ubi peperit Rachel Benjamin, et mortua est, et de generationibus Jacob, et obitu Isaac patris ejus.

LXIII. De generationibus Esau.

LXIV. De principibus Esau.

LXV. Qui regnaverunt in Edom priusquam esset rex in Israel.

LXVI. De Joseph et somniis ejus.

LXVII. Ubi missus est in puteum, et distractus Ismaelitis.

LXVIII. De Juda et Thamar uxore filii ejus, quæ erat vidua.

LXIX. De Joseph et uxore Putiphare.

LXX. De his qui in carcere somnia viderunt,et interpretavit ea Joseph.

LXXI. Somnium Pharaonis, quod interpretavit Joseph, et factus est dominus terræ Ægypti, et nati sunt ei duo filii.

LXXII. Ubi misit Jacob filios suos in Ægyptum, et cognovit eos Joseph, et unum ex ipsis reclusit usque dum veniret ejus frater Benjamin.

LXXIII. Invaluit fames,et venerunt ad Joseph fratres sui cum Benjamin, et mandavit patri suo venire ad se.

LXXIV. Visus est Dominus Jacob, et dixit ei : Descende in Ægyptum.

LXXV. Nomina filiorum Israel,qui ingressi sunt in Ægyptum.

LXXVI. Ubi venit Joseph obviam Israeli patri suo.

LXXVII. Nuntiavit Joseph Pharaoni, quoniam venit pater ejus.

LXXVIII. Dixit Pharao ad Joseph, ut eligeret terram in qua habitaret pater ejus.

LXXIX. Habitavit Israel in Ægypto, et dixit filio suo Joseph ne sepeliret eum illic, et vixit Jacob annis centum quadraginta septem.

LXXX. Infirmatus Jacob benedixit filios Joseph alternis manibus.

LXXXI. Vocavit Jacob omnes filios suos,et dixit eis quæ ventura essent in novissimis diebus, et defunctus, sublatus et sepultus est in terra sua.

LXXXII. Vixit Joseph annis centum decem,et adjuravit fratres suos ut,cum visitarentur a Domino, tollerent secum ossa ejus in terram suam.

CAPITULA IN LIBRUM GENESEOS.

Ex Vaticano Codice ms. antiquissimo.

I. Ubi lux primo fieri jubetur.

II. Firmamentum die secundo facit.

III. Ubi aquæ a terra separari jubentur.

IV. Ubi terra germinare jubetur die tertio.

V. Ubi luminaria fieri jubentur die quarto.

VI. Luminare factum.

VII. Ubi ex aquis animalia jubentur die quinta.

VIII. Ubi animalia benedicitur [*lege* benedicuntur].

IX. De terra animalia produci jubetur [*lege* jubentur] die sexto.

X. Ubi Deus hominem fieri jubet.

XI. Ubi Adam factus benedicitur.

XII. Ubi Adam escarum accipit potestatem.

XIII. Urbis [*Lege* Orbis] consummatio.

XIV. Recapitulatio creationis.

XV. Adam de limo factus.

XVI. Paradisus factus.

XVII. De fluminibus.

XVIII. Præceptum Adæ in paradiso.

XIX. Ubi Adam nomina pecoribus imponit.

XX. De muliere facta.

XXI. De serpente.

XXII. Ubi se nudos viderunt Adam et Eva.

XXIII. Ubi Dominus ad Adam in paradiso loquitur.

XXIV. Sententia in serpentem.

XXV. Ubi Adam ex paradiso expellitur.

XXVI. Primogenitus Adæ Kain.

XXVII. Habel natus.

XXVIII. Sacrificium Kain et Habel.

XXIX. Ubi Kain fratrem occidit.

[1]Seriem istam capitulorum retinet antiquissimus codex manuscriptus Vaticanæ bibliothecæ,qui fuit olim celeberrimi monasterii Farfensis. Nonnullos sustulimus solœcismos et barbarismos exscriptoris, quia tolerari non potuerunt. Cætera ut leguntur in manuscripto cum propriis vitiis exhibemus, lectorem rogantes, ne confessa errata librariorum veterum typographis nostris imputet, vel nobis hujus voluminis editoribus. Notandum est autem omissum esse ab scriptore ms. codicis Vaticani capitulum ultimum, in quo pars ultima libri Geneseos repræsentari debet in hunc aut similem modum : « Ubi Joseph vixit annos centum et decem, et adjuravit fratres suos, ut cum visitarentur, tollerent secum ossa ejus in terram suam. » Nam liber Geneseos non explicit in capitulo CLIV, ubi Jacob filios suos duodecim benedicit, sed in, morte et sepultura Joseph, filii Jacob. MART.

XXX. Ubi Kain in terra maledicitur.
XXXI. Commoratio Kain a facie Dei, et de genere ejus.
XXXII. De filiis Lamech qui ostenderunt [1].
XXXIII. De musicæ artis vindicta Lamach [2].
XXXIV. Ubi Adam rursus filios suscepit.
XXXV. Decapitulatio [*lege* Recapitulatio] fabricæ Adæ.
XXXVI. Ubi Adam moritur.
XXXVII. Enoch ubi translatus est.
XXXVIII. Ubi filii Dei filias hominum concupierunt.
XXXIX. Ubi iratus Dominus vitam hominum in CXX annos terminat.
XL. De gigantibus.
XLI. Ubi hominem Deus delere minatur.
XLII. Generationes Novæ [*lege* Noe].
XLIII. Ubi Deus arcam fieri jubet.
XLIV. Ubi Noe in arca introiit.
XLV. Ubi diluvium factum est.
XLVI. Ubi corvus dimittitur.
XLVII. Ubi de Arca exire jubentur Noe et filii ejus.
XLVIII. Ubi Dominus pollicetur jam non exterminare hominem.
XLIX. Ubi Noe filios benedicit.
L. Quia sanguis anima sit, et ideo ab esu prohibetur.
LI. De arca [*lege* arcu] in nube in signum.
LII. Quod Kam pater Kananeorum [*lege* Cham.... Chananæorum] sit.
LIII. Quod Noe vino inebriatur, et a filio irridetur.
LIV. Generationes filiorum Noe; initium novarum linguarum.
LV. De Nembroth gigante, qui prior post diluvium regnavit.
LVI. Ubi Assur Ninivem constituit.
LVII Filii Kanaam [*lege* Chanaan] Sydon et Gethey.
LVIII. Filii Sem.
LIX. Habitatio filiorum Sem.
LX. Consummatio filiorum Noe.
LXI. De turre.
LXII. Ubi Dominus descendit videre civitatem et turrem.
LXIII. Generatio Sem.
LXIV. De Sarai sterili.
LXV. Translatio Abrahæ in Charram.
LXVI. Ubi Abrahæ de terra exire jubetur.
LXVII. Ubi Dominus primum Abrahæ apparuit.
LXVIII. Ubi Abraham in Ægyptum propter famem descendit.
LXIX. Ubi Sarai regi de Ægypto introducitur.
LXX. Contentio inter pastores Abrahæ et Lot.
LXXI. Ubi Abraham Deus et semine ejus totius terra promittitur [3].
LXXII. Ubi Abraham quercum Mambre reversus est.

A LXXIII. Ubi quatuor reges adversus Sodomam veniunt.
LXXIV. Ubi Abraham prædam cum Lot reduxit.
LXXV. De Melchisedech.
LXXVI. Ubi Deus tertio visus est Abrahæ, et filium promittit.
LXXVII. Abraham credidit Deo, et reputatum est illi.
LXXVIII. Abraham per signa sacrificat.
LXXIX. Destamentum [*lege* Testamentum] Abraham.
LXXX. Ubi Sarai risit.
LXXXI. Ubi Agar fugit.
LXXXII. Ubi Dominus Abraham patrem gentium pollicetur.
LXXXIII. Ubi eum Deus circumcidi jubet.
LXXXIV. Ubi Abraham pro Ismael rogat.
B LXXXV. Ubi Abraham omnes suos circumcidit.
LXXXVI. Ubi Dominus cum duobus venit sub arbore Mambre.
LXXXVII. Ubi Abraham de Sodomis interrogat.
LXXXVIII. Ubi Lot angelos hospitio suscipit.
LXXXIX Lot ad generos.
XC. Ubi filiæ Lot ad patrem intrarunt.
XCI. Ubi Abraham uxorem suam vocavit sororem.
XCII. Abraham filium suum suscepit.
XCIII. Ubi Deus ad Agar loquitur.
XCIV. Ubi Abimelech ad Abraham.
XCV. Ubi Deus tentat Abraham de filio.
XCVI. Rebeccæ genus.
XCVII. Ubi Sarra moritur.
XCVIII. Ubi Abraham de uxore filii commendat.
XCIX. De Cethura uxore Abrahæ.
C C. Ubi mortuus est Abraham.
CI. Ismael progenies.
CII. De lente.
CIII. Isaach progenies.
CIV. Ubi visus Deus ad Isaach.
CV. Ubi Isaach sororem suam duxit uxorem.
CVI. Ubi Isaach centuplum redigit Abimelech.
CVII. De puteis Isaach.
CVIII. Ubi Isaach Aram ædificat Domino.
CIX. Ubi Isaach increpat Abimelech.
CX. Ubi puteus Isaach siccavit.
CXI. Vox Esau.
CXII. Ubi Jacob accipit benedictionem Esau.
CXIII. Jacob accepit mandatum a patre ne alienigenam uxorem habeat.
D CXIV. Ubi Esau aliam uxorem accepit.
CXV. Ubi Jacob lapidem ad caput posuit.
CXVI. Ubi Jacob lapidem unxit, et votum fecit.
CXVII. Ubi Jacob ad puteum oves adaquavit.
CXVIII. Ubi Jacob pro uxore servit.
CXIX. De mandragoris filii.
CXX. Ubi Jacob cum socero de mercede paciscitur.
CXXI. De virgis Jacob variis.

[1] **Martianæus suspicatur legendum, *qui offenderunt*, vel, qui *ostenderunt*, subaudi; *artes*.** Non certissima aliquot scribarum menda supra atque intra taciti castigamus.

[2] Idem suppleti jubet, *inventione, et de* : paucioribus scribas, *arte*, etc.

[3] Satis bene emendari textum ac suppleri jubet Martianæus : *Ubi Abraham Deus apparet, et semini ejus totius terræ possessio promittitur.*

CXXII. Ubi Jacob cum uxoribus a Laban proficiscitur.
CXXIII. Ubi Jacob vidit consilium Dei.
CXXIV. Ubi Jacob cum angelo luctatur.
CXXV. Ubi Jacob Esau frater occurrit.
CXXVI. Ubi filia Jacob rapta est.
CXXVII. Ubi filii Jacob filios Sicem interfecerunt.
CXXVIII. Ubi Jacob idola disperdit.
CXXIX. Debbora mortua.
CXXX. Deus ad Jacob in Bethel.
CXXXI. Ubi Rachel moritur.
CXXXII. Ruben cum uxore patris concubuit.
CXXXIII. Nomina filiorum Jacob.
CXXXIV. Jacob ad patrem venit.
CXXXV. Isaach reddit [*supple* spiritum].
CXXXVI. Progenies Esau.
CXXXVII. De Joseph.
CXXXVIII. De Juda uxorem accipiente.
CXXXIX. De Thamar.
CXL. Joseph contra dominam.
CXLI. Joseph in carcerem.
CXLII. Somnium Pharao.
CXLIII. Ubi nati sunt filii Joseph Manasses et Efraym.
CXLIV. Jacob ad frumentum ad Ægyptum mittit.
CXLV. Joseph fratres agnoscit.
CXLVI. Ubi filii Jacob reversi sunt ad patrem suum.
CXLVII. Ubi iterum venerunt in Ægyptum filii Jacob ad Joseph.
CXLVIII. Ubi Joseph fratres agnoscit.
CXLIX. Eunti Jacob in Ægyptum Dominus visus est.
CL. Ubi loquitur Jacob ad Pharao.
CLI. Ubi Joseph Ægyptiis pro panibus.
CLII. Ubi Jacob Joseph pro sepultura commonet jure [1].
CLIII. Ubi Jacob filios Joseph benedicit.
CLIV. Ubi Jacob filios suos duodecim benedicit.

[1] Videtur legendum, *scpulturæ* : Martianæus tamen mutari mavult postremum verbum, *jure* in *jurejurando*. Notatque insuper omissum esse ab scriptore ms. codicis Vaticani capitulum ultimum, in quo pars ultima libri Geneseos repræsentari debet in hunc aut similem modum : *Ubi Joseph vixit annos centum et decem, et adjuraverit fratres suos, ut cum visitarentur, tollerent secum ossa ejus in terram suam.* Nam liber Geneseos non explicit in capitulo 154, ubi Jacob filios suos duodecim benedicit, sed in morte et sepultura Joseph, filii Jacob.

INCIPIT [1]

LIBER BRESITH [2]

QUI GRÆCE DICITUR

GENESIS.

[T. I, B. I, C. I, *Cap.* I [3]]. In Principio creavit Deus cœlum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ [*Vulg. addit* erant] super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus : Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona : Et divisit Deus lucem ac tenebras [*Vulg.* a tenebris]. Appellavitque lucem Diem, et tenebras Noctem : Factumque est vespere et mane, dies unus. [B. II, C. II]. Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum. Cœlum : et factum est vespere et mane, dies secundus. [B. III, C. III]. Dixit vero Deus : Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida. Factumque est ita. Et vocavit Deus aridam Terram,

[1] Integrum Pentateuchum exegimus ad duos mss. quos invenire potuimus melioris notæ in Vatic. Bibliotheca, unum Palatinum num. 3 prænotatum, alterum Urbinatem prægrandem. Alios tantum consuluimus ad vexata loca, ubi et laudabimus.

[2] Librum Geneseos בראשית *Bresith* ad Hebræis fuisse nominatum docet S. Hieronymus initio Qu. Hebraicarum in Genesim, ubi hæc ab eo scripta leguntur : « Sed et hoc sciendum, quod apud Hebræos liber hic Bresith vocatur, hanc habentes consuetudinem, ut voluminibus ex principiis eorum nomina imponant. » Et iterum in prologo Scripturarum, sive Principio Galeato : « Primus, inquit, apud eos liber vocatur Bresith, quem nos Genesim dicimus. » Hodie *Beresith*, *Berescith*, et *Bereschith* dicitur. MART.

— Hebræos a primis unumquemque librum Scripturæ verbis appellare, notum. Incipit vero ab his Genesis בראשית, quod Veteres, priore sceva de more prætermisso, efferebant Βρησίθ Græce, et Latine *Bresith*. Vide Quæst. Hebraic. in Genesin.

[3] Id est : *T. I*, titulus primus secundum capitulationem per titulos ; *B. I*, brevis primus secundum capitulationem per breves : *C. I*, capitulum primum secundum capitulationem per capitula ; atque demum *Cap. I*, caput primum secundum Vulgatam editionem. EDIT.

congregationesque aquarum appellavit Maria. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait : Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, et ferentem [*Vulg.* facientem] semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque semen [*Vulg.* sementem] secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. Factumque est vespere et mane, dies tertius. [B. IV, C. IV.] Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, ut [*Vulg.* et] dividant diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies et annos, et [*Vulg.* ut] luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo magna luminaria : luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas. Et posuit ea Deus in firmamento cœli, ut lucerent super terram, et præessent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere et mane, dies quartus. [B. V, C. V.] Dixit etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum. benedixitque eis, dicens : Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris : avesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere et mane, dies quintus [B. VI, C. VI.] Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta et omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra Et creavit Deus hominem ad imaginem suam : ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram. Dixitque Deus : Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, et universis quæ moventur in terra, et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita. Viditque Deus cuncta quæ fecit [*Vulg.* fecerat], et erant valde bona. Et factum est vespere et mane, dies sextus.

[B. VII, C. VII, *Cap.* II.] Igitur perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum : quia in ipso cessaverat ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret. [C. VIII.] Istæ generationes [*Vulg. interserit* sunt] cœli et terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Deus cœlum et terram : et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret : non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat qui operaretur terram ; sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave : lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita : Nomen uni Phison : ipse est qui circuit omnem terram Evila [1], ubi nascitur aurum. Et aurum terræ illius optimum est : ibique invenitur bdellium [2], et lapis onychinus. Et nomen fluvii secundi Gion [*Vulg.* Gehon] : ipse est qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen vero fluminis tertii, Tigris : ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates. [C. IX.] Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum : præcepitque ei dicens : Ex omni ligno paradisi comede : de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas ; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Dixit quoque Dominus Deus : Non est bonum esse hominem solum : faciamus [3] ei adjutorium simile sui [*Vulg.* sibi]. [B. VIII.] Formatis igitur, Dominus Deus, de humo

[1] Non *Evila*, sed *Evilat*, et *Eveilat* legitur apud LXX Interpretes. In plurimis quoque Latinis mss. codicibus mendose scriptum reperimus *Ilevilat*, vel *Evilath*. At exploratum omnino nobis est Hieronymum legisse *Evila*, ut nos emendavimus juxta fidem exemplarium canonis Hebraicæ veritatis : nam de hoc nomine *Evila*, abunde disserit, lib. *de locis Hebraicis*. Favet quoque emendationi nostræ vox חוילה *hhoilh* in Hebraico, quam veteres *Evila* legebant. Eamdem denique retinet lectionem textus Hebræo-Samaritanus ; ac versio etiam LXX Interpretum aliquot in locis, puta Genes. cap. x et xxv. MART.

— Unus Palatin. *Evilath*. Impressa lectio ad Hebræum textum, et meliori notæ manuscriptorum est fidem.

[2] Ante Hieronymum legebant hoc loco Latini juxta LXX interpretationem : *Ibi est carbunculus et lapis prasinus ;* sed, inquit Hieronymus, lib. Quæst. Hebr., *pro carbunculo et lapide prasino*, βδέλλιον *et* ὄνυχα. *alii transtulerunt*. Hujus itaque interpretationis alios ante se agnoscit auctores, quos postea ex Hebræo vertens ipse secutus est. MART.

— Videtur Βδέλλιον et λίθους ὄνυχας ab Aquila, Symmacho et Theodotione accepisse.

[3] In Hebræo hodierno scriptum est אעשה *Eese, fa-*

cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea : omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia cœli, et omnes bestias terræ.

Adam [*Vulg.* Adæ] vero non inveniebatur adjutor similis ejus. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam : cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam : Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea, hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. [C. X.] Erant autem uterque nudi [1], Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant.

[*Cap.* III.] Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem : Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi ? Cui respondit mulier : De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur [2]; de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem : Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius, et comedit : deditque viro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata. [C. XI.] Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei : Ubi es ? Qui ait : Vocem tuam audivi in paradiso, et timui eo quod nudus essem, et abscondi me. Cui dixit : Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti ? Dixitque Adam : Mulier quam dedisti sociam mihi, dedit mihi de ligno, et comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem : Quare hoc fecisti ? Quæ respondit : Serpens decepit me, et comedi. [B. IX.] Et ait Dominus Deus ad serpentem ; Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, et bestias terræ : super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipse conteret caput tuum [3], et tu insidiaberis calcaneo ejus. Mulieri quoque dixit : Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos : in dolore paries filios, et sub viri potestate eris [4], et ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes eam (*Vulg.* ex ea) cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus : quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva : eo quod mater esset cunctorum viventium. (T. II, C. XII). Fecit quoque Dominus Deus Adam (*Vulg.* Adæ) et uxori ejus tunicas pellicias, et induit eos, et ait : Ecce Adam factus

ciam. Singulari itidem numero legunt Samaritani et cæteri Orientales : Septuaginta vero habent ποιήσωμεν, unde fluxit in Hieronymi translationem Latinam, *faciamus ;* nisi forte post LXX interpretes sanctus Hieronymus legerit in suo exemplari Hebraico, ut supra, cap. I, v, 26, נעשה *naase*, id est *faciamus*, in plurali. MART.

— Hic quoque imitatus sit Aquilam, qui ποιήσωμεν vertit plurium numero. Hebræus autem in singulari habet אעשה, *faciam*.

[1] Ita mss. omnes codices antiquiores, ac melioris notæ. Ab eodem etiam versu initium suum ducit capitulum sequens tam apud LXX interpretes, quam in codicibus Latinis mss. MART.

— Vulgata editio, *Erat autem uterque nudus* (*Gen.* II, 25).

[2] Plures mss. Bibliorum codices legunt, *vescamur :* cui lectioni suffragari videtur נאכל, *Nochel*, Hebræi atque Samaritani contextus. Φαγούμεθα similiter, id est *edemus*, habent LXX Interpretes, quos sequuntur Chaldæus et Syrus. Sed quis nesciat apud Heb. futurum usurpari solitum pro præsenti indeterminato, MART.

— Quidam, quos Martianæus laudat, mss., *vescemur*, cui lectioni suffragari utcunque ait Hebr. נאכל et præter alias antiquas Versiones, Græcus φαγούμεθα.

[3] Pro *ipse*, legitur *ipsa* in omnibus fere codicibus mss. At Hieronymus, tum ex Hebraico fonte, tum e Septuaginta, legit *ipse* in suis *Quæstionibus Hebraicis*. Idem ergo hic accidit librariorum lapsu quod tempore ejusdem sancti Doctoris, ut et ipse conqueritur in epist. *ad Lucinium :* « Unde, inquit, si paragrammata repereris, vel minus aliqua descripta sunt, quæ sensum legentis impediant, non mihi debes imputare, sed tuis, et imperitiæ notariorum, librariorumque incuriæ, qui scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt, et dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos. » Exstat etiam ms. codex perantiquus in bibliotheca Sancti Germani a Pratis, ubi prima manu scriptum superest *ipse*, licet alia recentiori sit additus apex litteræ *e*, ut esset *ipsa*, pro *ipse*. Denique curiosum lectorem non celamus, scripsisse olim veteres pronomina, et adverbia terminata in *e*, per diphthongum *ae ;* ut est illud, *ipsæ dixit et facta sunt* (*Psal.* CXLVIII, 5). Et, *superbæ loqueris, stultæ egisti*, etc. Ex hoc scribendi modo retineri facile potuit *ipsa*, pro *ipse*, sive *ipsæ*. Chaldæus interpres hujus vocis ac sententiæ tollit ambiguitatem dicens : *Inter filium tuum et inter filium ejus ; ipse*, etc. MART.

— Unus Palatinus cum Vulgata Editione *ipsa*. Veteri autem ac translatitiæ quæstioni de hujus lectione pronominis, non est hic locus. Adito interpretes atque ipsum comprimis Hieronym. in *Quæstion. Hebraicis*.

[4] Addit Hebræus textus pronomen *tui*, id est אישך.

est quasi unus ex nobis, sciens bonum et malum : nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum. Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est. Ejicitque Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

[B. X, C. XIII, *Cap.* IV.] Adam vero cognovit Evam uxorem suam, quæ concepit et peperit Cain, dicens : Possedi hominem per Deum. Rursumque peperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola. Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum, et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. Ad Cain vero, et ad munera illius non respexit : iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus. Dixitque Dominus ad eum : Quare iratus es ? et cur concidit facies tua ? Nonne si bene egeris, recipies ? sin autem male, statim in foribus peccatum aderit ? sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius [C. XIV.] Dixitque Cain ad Abel fratrem suum : Egrediamur foras[1]. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus Abel fratrem suum, et interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain : Ubi est Abel frater tuus ? Qui respondit, Nescio. Num custos fratris mei sum[2] ? Dixitque ad eum : Quid fecisti ? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos : vagus et profugus eris super terram. Dixique Cain ad Dominum : Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra : omnis igitur qui invenirit me occidet me. Dixitque ei Dominus : Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain septulum punietur. Posuitque Dominus Cain signum[3], ut non eum interficeret omnis qui invenisset eum. Egressusque Cain a facie Domini habitavit in terra profugus ad orientalem plagam Edem. Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit et peperit Enoch, et ædificavit civitatem, vocavitque nomem ejus ex nomine filii sui Enoch. Porro Enoch genuit Irad, Irad genuit Maujael, et Maujael genuit Mathusael, Mathusael genuit Lamech. Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, et nomen alteri Sella. Genuitque Ada Jabal, qui fuit pater habitantium in tentoriis atque pastorum. Et nomen fratris ejus Jubal : ipse fuit pater canentium cithara et organo. Sella queque genuit Thubal Cain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera æris et ferri. Soror vero Thubal Cain, Noema. Dixitque Lamech uxoribus suis, Adæ et Sellæ : Audite vocem meam uxores Lamech, auscultate sermonem meum : quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum. Septuplum ultio dabitur de Cain : de Lamech vero septuagies septies. [B. XI. C. XV.] Cognovit quoque adhuc [*Vulg. lac.* adhuc] Adam uxorem suam, et perperit filium, vocavitque nomem ejus Seth, dicens : Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Sed et Seth natus est filius quem vocavit Enos : iste cœpit invocare nomen Domini.

[C. XVI, *Cap.* V.] Hic est liber generationis Adam. In die qua ercavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis, et vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt. Vixit autem Adam centum triginta annis, et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomenejus Seth. Et facti sunt dies Adam, postquam gennit Seth, octingenti anni : genuitque filios et filias. Et factum est omne tempus quod vixit Adam anni nongenti triginta, et mortuus est. Vixit quoque Seth centum quinque annis, et genuit Enos. Vixitque Seth postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuitque filios et filias. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, et mortuus est. Vixit vero Enos nonaginta annis et genuit Cainan. Post cujus ortum vixit octingentis quindecim annis, et genuit filios et filias. Factique sunt omnes dies Enos nongentorum quinque annorum et mortuus est. Vixit quoque Cainan septuaginta annis, et genuit Malaleel. Et vivit Cainan postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis genuitque filios et filias. Et facti sunt omnes dei Cainan nongenti decem anni, et mortuus est. Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, et genuit Jared. Et vixit Malaleel postquam genuit Jared, octingentis triginta annis, et genuit filios et et filias. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, et mortuus est. Vixitque Jared centum sexaginta duobus annis, et genuit Enoch. Et vixit Jared postquam genuit Enoch octingentis annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, et mortuus est. [C. XVII.] Porro Enoch vixit sexaginta quinque annis, et ge-

[1] Desunt verba hæc in Heb. exemplari, et superflua ab Hieron. declarantur. Locum tamen propter vestutatem retinet in sua versione, ut fidem facit phrasis ipsi familiaris : *Egrediamur foras* : nam in veteri Vulgata legebat : *Transeamus in campum.* MART.

—Vide *Quæstiones Hebraic.* in hunc locum, quem tametsi ibi superfluum pronuntiet, ex Aquila tamen hic videtur retinuisse.

[2] In aliquot mss. scriptum est, *Nunquid custos fratris mei sum ego* ? quod habetur apud LXX MART.

—Palatin. mss. *nunquid* ; allii addunt præterea *ego.*

[3] Aliter mss. plures codd. qui legunt, *Posuitque Dominus Cain in signum*, sed *in* librariis additum est ; in Hebræo enim legitur לכין *Lecain*, id est, *Caino*, sive, *super Cain.* MART.

—Cod. Urbinas, *in Cain*, propius ad Hebræum לכן.

nuit Mathusalem, et ambulavit Enoch cum Deo post- A quam genuit Mathusalem[1], trecentis annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulavique cum Deo, et non apparuit : quia tulit eum Deus. Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis[2] et genuit Lamech. Et vixit Mathusala, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Mathusalæ nongenti sexaginta novem anni, et mortuus est. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, et genuit filium, vocavitque nomen ejus Noe, dicens : Iste consolabitur nos ab operibus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus. Vixitque Lamech postquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis et genuit filios et B filias. Et facti sunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni, et mortuus est.

[T. III, B. XII, C. XVIII, *Cap.* VI.] Noe vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Japheth. Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, et filias procreassent, videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus : Non permanebit[3] spiritus meus in homine in æternum, quia caro est : eruntque dies illius centum viginti annorum gigantes autem erant super terram in diebus illis ; postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a sæculo viri famosi. Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta C esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus : Delebo, inquit, hominem, quem creavi a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli : pœnitet enim me fecisse eos. [C. XIV.] Noe vero invenit gratiam coram Domino. Hæ [*Vulg. addit* sunt] generationes Noe : Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit. Et genuit tres filios Sem, Cham et Japheth : corrupta est autem terra coram Deo, et repleta est iniquitate. Cumque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram), dixit ad Noe : Finis universæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis lævigatis[4], mansiunculas in arca facies, et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus. Et sic facies eam : Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, et trigita cubitorum altitudo illius. Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summitatem ejus ostium autem arcæ pones ex latere deorsum, cœnacula et tristega facies in ea. Ecce ego adducam diluvii aquas super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum [*Vulg add. et*] universa quæ in terra sunt consummentur. Ponamque fœdus meum tecum, et ingredieris arcam tu, et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum tecum. Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina iuduces in arcam, ut vivant tecum, masculini sexus et feminini. De volucribus juxta genus suum, et de jumentis in genere suo, et ex omni reptili terræ secundum genus suum : bina de omnibus ingredientur tecum ut possint vivere. Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, et comportabis apud te, et erunt tam tibi quam illis in cibum. Fecit ergo Noe omnia quæ præceperat illi Deus.

[*Cap.* VII.] Dixitque Dominus ad eum Ingredere tu, et omnis domus tua in arcam, te enim vidi justum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et feminam ; de animantibus vero non mundis duo, masculum et feminam. Sed et de volatilibus cœli septena et septena, masculum et feminam, ut salvetur semen super faciem universæ terræ. Adhuc enim et post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et delebo omnem substantiam quam feci, de superficie terræ. Fecit ergo Noe

[1] Interserit Vulgata. interpres *et vixit*, quæ Hebræus textus verba non agnoscit.

[2] Apud LXX legimus : *Centum sexaginta septem annos*, quem errorem in numeris redarguit Hieronymus, testaturque se reperisse eamdem prorsus D Chronologiam in Samarinatorum volumine, et in libris Hebræorum. Constat igitur textum Hebræo-Samaritanum, qui totus hodie diversus abit ab Hebræo, in annis chronologicis fuisse labefactum atque corruptum post Hieronymi ætatem : aliquot tamen exemplaria Samarit. jam ante Hieron. fuisse depravata, colligi potest ex Chron. Euseb. apud Syncel. MART.

[3] In hodierno Hebr. textu, et in Samaritiano ידון *iadon* legimus, quod santus Hieronymus in *Quæst. Hebr.* interpretatur, *judicabis*, etsi versionem LXX secutus retineat vocem, *permanebit* : ילון *ialon* autem, sive ילין *ialin*, id est, *pernoctabit*, *permanebit*, scriptum erat forte in exemplari Hebraico LXX seniorum. MART.

—Vulgatæ huic lectioni in Quæst. præfert *judicabit*. Hebræum tamen ידון etiam antiquæ versiones permanendi significatu donant.

[4] LXX, ἐκ ξύλων τετραγώνων, *de lignis quadratis* Cum dixisset Hieronym. pro *quadratis lignis*, in Hebræo legi *bituminata*, hallucinatum eum putarunt nonnulli et legisse in Hebraico contextu כפר *copher*, pro גפר *gopher*. At pace hujusmodi scriptorum asserere fas sit, Hieronymum legisse *copher*, et optime ex Hebræo fuisse interpretatum, *de lignis bituminatis* : nam גפריח *gophrith*, genus est gummi et bituminis, sive materiæ sulphurosæ. Rabbini quoque inter species cedri ponunt עץ-שמן *est-schemen*, arborem pinguedinis ; e lignis vero cedrinis factam arcam multi volunt. *Gopher* igitur est species arboris bituminatæ, et stillantis resinam aut picem, ut abies, pinus, etc. MART.

—Mavult in *Hebraic. Quæst.* interpretari *bituminatis*.

omnia quæ mandaverat ei Dominus. Eratque sexcentorum annorum quando diluvii aquæ inundaverunt super terram. [C. XX.] Et ingressus est Noe et filii ejus, uxor ejus et uxores filiorum ejus cum eo, in arcam propter aquas diluvii. De animantibus quoque mundis et immundis, et de volucribus, et ex omni quod movetur super terram, duo et duo ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus et femina, sicut præceperat Deus Noe. Cumque transissent septem dies, aquæ diluvii inundaverunt super terram. Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt, et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus. In articulo diei illius ingressus est Noe, et Sem, et Cham, et Japheth, filii ejus, uxor illius, et tres uxores filiorum ejus cum eis, in arcam : ipsi et omne animal secundum genus suum, universaque jumenta in genere suo, et omne quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum, universæ aves, omnesque volucres, ingressæ sunt ad Noe in arcam ; bina et bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ. Et quæ ingressa sunt, masculus et femina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus : et inclusit eum Dominus de foris. Factumque est dilivium quadraginta diebus super terram : et multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime a terra. Vehementer enim inundaverunt, et omnia repleverunt in superficie terræ ; porro arca ferebatur super aquas. Et aquæ prævaluerunt nimis super terram, operteque sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium quæ reptant super terram ; universi homines, et cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt. Et delevit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres cœli, et deleta sunt de terra ; remansit autem solus Noe, et qui cum eo erant in arca. Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.

[T. IV, C. XXI, *Cap.* VIII.] Recordatus autem Deus Noe, cunctorumque animantium, et omnium jumentorum quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ. Et clausi sunt fontes abyssi, et cataractæ cœli : et prohibitæ sunt pluviæ de cœlo. Reversæque sunt aquæ de terra euntes et redeuntes ; et cœperunt minui post centum quinquaginta dies. Requievitque arca mense septimo, vicesima septima die[1] mensis, super montes Armeniæ. At vero aquæ ibant et decrescebant usque ad decimum mensem : decimo enim mense, prima die mensis, apparuerunt cacumina montium. Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit corvum : qui egrediebatur, et revertebatur[2], donec siccarentur aquæ super terram. Emisit quoque columbam post eum, ut videret si jam cessassent aquæ super faciem terræ. Quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam : aquæ enim erant super universam terram : extenditque manum, et apprehensam intulit in arcam. Exspectatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Intellexit ergo Noe quod cessassent aquæ super terram. Exspectavitque nihilominus septem alios dies : et emisit columbam, quæ non est reversa ultra ad eum. [C. XXII.] Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ super terram : et aperiens Noe tectum arcæ, aspexit, viditque quod exsiccata esset superficies terræ. Mense secundo, septima et vicesima die mensis, arefacta est terra. [B. XIII.] Locutus est autem Deus ad Noe, dicens : Egredere de arca, tu et uxor tua, filii tui, et uxores filiorum tuorum tecum ; cuncta animantia quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus quam in bestiis et universis reptilibus quæ reptant super terram, educ tecum, et ingredimini super terram : crescite et multiplicamini super eam. Egressus est ergo Noe, et filii ejus, uxor illius, et uxores filiorum ejus, cum eo. Sed et omnia animantia, jumenta, et reptilia quæ reptant super terram, secundum genus suum, de arca egressa sunt. [T. V.] Ædificavit autem Noe altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait ad eum[3] : Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines : sensus enim et cogitatio humani cordis

[1] Ita LXX et Hieronymus : in Hebræo autem, et Samaritano, cunctisque Orientalium versionibus legimus : *Decima septima die.* Quod mendosum esse nullus dubito, et proclivi lapsu librariorum Hebræorum mutatum fuisse hic loci עשרים *esrim*, עשר יום *asar iom.* Mart.

— Erroris accusat Martianæus Hebræum textum, et Samaritanum, cunctasque Orientales versiones, quæ lapsu, ut ait, librariorum præferunt, *decima septima die*, pro *vicesima septima*. Ego, utra lectio verior sit dijudicare non ausim, et malim tamen ab Hebræi stare partibus.

[2] In uno ms. codice Corbeinsi legitur : *Qui egrediebatur et regrediebatur ;* alii habent, *revertebatur.* Diversus est multimodis locus iste apud LXX, nam pro *fenestram arcæ*, legunt *ostium arcæ*, et de corvo dicunt quod *egressus non rediit.* Hanc vero lectionem secutus est etiam ipse Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, ubi ait : *Emittitur itaque de arca corvus, et non rediit.* At allegoriis ibi utitur S. Doctor, et tunc temporis volumina Hebræorum nondum evolverat. Consule lib. *Quæst. Hebraicarum* in mss. libris. Mart.

— Nostri mss., *Et non revertebatur ;* Hebræus tamen ושוב *et revertebatur*, cui concinit Chaldæus, Josephus, et Syriacus apud Didym um.

[3] Hebraice אל-לבו *el libbo*, quod ambiguum est,

in malum prona sunt ab adolescentia sua ; non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci. Cunctis diebus terræ, sementis et messis, frigus et æstus, æstas et hyems, nox et dies non requiescent.

[C. XXIII, *Cap.* IX.] Benedixitque Deus Noe et filiis ejus.Et dixit ad eos : Crescite et multiplicamini,et implete [*Vulg.* replete] terram. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres cœli, cum universis quæ moventur in terra [*Vulg.* super terram], omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. Et omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia : excepto, quod carnem cum sanguine comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, et de manu hominis, de manu viri et fratris ejus,requiram animam hominis. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo. Vos autem crescite et multiplicamini, et ingredimini super terram, et implete eam. [C. XXIV.] Hæc quoque dixit Deus ad Noe et ad filios ejus cum eo. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos : et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, tam in volucribus quam in jumentis et pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, et universis bestiis terræ. Statuam pactum meum vobiscum, et nequaquam ultra interficietur omnis caro ab aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram. Dixitque Deus : Hoc signum fœderis quod do inter me et vos, et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram. Cumque obduxero nubibus cœlum,apparebit arcus meus in nubibus; et recordabor fœderis mei vobiscum,et cum omni anima vivente quæ carnem vegetat, et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendam universam carnem. Eritque arcus in nubibus,et videbo illum, et recordabor fœderis sempiterni quod pactum est inter Deum et inter omnem animam viventem universæ carnis quæ est super terram. Dixitque Deus Noe : Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me et inter omnem carnem super terram. [B. XIV, C. XXV.] Erant igitur filii Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham et Japheth : porro Cham ipse est pater Chanaan. Tres isti sunt filii Noe : et ab his disseminatum est omne hominum genus super universam terram. Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam. Bibensque vinum inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo. Quod A cum vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras. At vero Sem et Japheth pallium imposuerunt humeris suis,et incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui : faciesque eorum aversæ erant, et patris virilia non viderunt. Evigilans autem Noe ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait : Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. Dixitque : Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus. Dilatet Deus Japheth, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus. [C. XXVI.] Vixit autem Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis. Et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum, et mortuus est.

B [T. VI, B. XV, *Cap.* X.] Hæ generationes filiorum Noe, Sem, Cham et Japheth : natique sunt eis filii post diluvium. Filii Japheth : Gomer, et Magog, et Madai, et Javan et Thubal, et Mosoch, et Thiras. Porro filii Gomer : Ascenez et Riphath et Thogorma. Filii autem Javan : Elisa et Tharsis, Cethim et Dodanim. Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis : unusquisque secundum linguam suam et familias suas in nationibus suis. Filii autem Cham ; Chus et Mesraim, et Phuth, et Chanaan. Filii Chus : Saba, et Evila, et Sabatha, et Regma, et Sabathaca. Filii Regma : Saba, et Dadan. Porro Chus genuit Nemrod : ipse cœpit esse potens in terra, et erat robustus venator coram Domino. Ob hoc exivit proverbium : Quasi Nemrod robustus venator coram Domino. Fuit autem principium C regni ejus Babylon, et Arach, et Achad, et Chalanne, in terra Sennaar. De terra illa egressus est Assur, et ædificavit Nineven, et plateas civitatis, et Chale. Resen quoque inter Nineven et Chale : hæc est civitas magna. At vero Mesraim genuit Ludim, et Anamim, et Laabim : Nephtuim, et Phetrusim, et Chasluim, de quibus egressi sunt Philisthiim et Chaphturim. Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, Ethæum, et Jebusæum, et Amorrhæum, Gergesæum, Evæum, et Aracæum : Sinæum, et Aradium, Samaræum, et Amathæum, et post hæc disseminati sunt populi Chananæorum. Factique sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam et Gomorram, et Adamam, D et Seboim, usque Lesa.Hi filii Cham in cognationibus, et linguis, et generationibus, terrisque et gentibus suis. De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Japhet majore. Filii Sem : Ælam et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram. Filii Aram : Hus, et Hul et Gether, et Mes.At vero Arphaxad genuit Sale, de quo ortus

et significare potest, *ad cor ejus*, vel *ad cor suum*, nempe cor Noe, aut cor Dei. Unde LXX Καὶ εἶπε Κύριος ὁ Θεὸς διανοηθείς, *Et dixit Dominus Deus recogitans*, sive, ut Symmachus, *ad seipsum*, et Theodotio, *ad cor suum*. Hieronymus refert ad Noe, *Et ait ad eum*. MART.

— Videri possit Hieron. in Hebraico, tametsi contra linguæ ejus ingenium, legisse אל-לבו *ad eum*, pro quo nunc est אל-לבו *ad cor ejus*, aut *suum*. Certe qui ita, ut ille, verterit, neminem scio esse.

est Heber. Natique sunt Hober filii duo, nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus divisa sit terra, et nomen fratris ejus Jectan. Qui Jectan genuit Elmodad, et Saleph, et Asarmoth, Jare, et Aduram, et Uzal, et Decla, et Ebal, et Abimael, Saba, et Ophir, et Evila, et Jobab; omnes isti filii Jectan. Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem orientalem. Isti filii Sem, secundum cognationes, et linguas, et regiones, in gentibus suis. Hæ familiæ Noe juxta populos et nationes suas. Ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium.

[B. XVI, C. XXVII, *Cap.* XI.] Erat autem terra labii unius, et sermonum eorumdem. Cumque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, et habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento; et dixirunt: Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum; et celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras. Descendit autem Dominus ut videret civitatem et turrim, quam ædificabant filii Adam, et dixit: Ecce unus est populus, et unum labium omnibus; cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessaverunt ædificare civitatem. Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ: et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum. Hæc generationes Sem: Sem centum erat annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium. Vixitque Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: et genuit filios et filias. Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, et genuit Sale. Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, quadringentis tribus annis [*Ita cod. mss. S. German. n.* 3, *Heb. Syr. et Arab. At vero Sam. editi Latini et mss. plurimi libri legunt* 303], et genuit filios et filias. Sale quoque vixit triginta annis, et genuit Heber. Vixitque Sale postquam genuit Heber, quadringintis [*Vulg.* quadraginta] tribus annis, et genuit filios et filias. Vixit autem Heber triginta quatuor annis, et genuit Phaleg. Et vixit Heber postquam genuit Phleg, quadringentis triginta annis, et genuit filios et filias. Vixit quoque Phaleg triginta annis, et genuit Reu. Vixitque Phaleg postquam genuit Reu, ducentis novem annis: et genuit filios et filias. Vixit autem Reu triginta duobus annis, et genuit Sarug. Vixit quoque Reu postquam genuit Sarug, ducentis septem annis, et genuit filios et filias. Vixit vero Sarug triginta annis, et genuit Nahor. Vixitque Sarug postquam genuit Nahor, ducentis annis, et genuit filios et filias. Vixit autem Nahor viginti novem annis, et genuit Thare. Vixitque Nahor postquam genuit Thare, centum decem et novem annis: et genuit filios et filias. Vixitque Thare septuaginta annis, et genuit Abram, et Nahor, et Aran. [C. XXV, 121.] Hæc sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, et Nahor, et Aran. Porro Aran genuit Lot. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum. Duxerunt autem Abram et Nahor uxores: nomen uxoris Abram, Sarai, et nomen uxoris Nahor, Melcha, filia Aran, patris Melchæ et patris Ieschæ. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos. Tulit itaque Thare Abram filium suum, et Lot filium Aran, filium filii sui, et Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, et eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan: veneruntque usque Haran, et habitaverunt ibi. Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Haran.

[T. VII, B. XVII, C. XXIX, *Cap.* XII.] Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui [*Vulg. add.* et veni] in terram quam monstrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ. Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus: et ivit cum eo Lot. Septuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran. Tulitque Sarai uxorem suam, et Lot filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, et animas quas fecerant in Haran. [C. XXX.] Et egressi sunt ut irent in terram Chanaan. Cumque venissent in eam, pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem: Chanaæus autem tunc erat in terra. [B. XVIII.] Apparuitque Dominus Abram, et dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. Et inde transgrediens ad montem qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, et ab oriente Ai: ædificavit quoque ibi altare Domino, et invocavit nomen ejus. Perrexitque Abram vadens, et ultra progrediens ad meridiem. Facta est autem fames in terra: descenditque Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terra. Cumque prope esset ut ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai uxori suæ: Novi quod pulchra sis mulier: et quod cum viderint te Ægyptii, dicturi sunt: Uxor ipsius est: et interficient me, et te reservabunt. Dic ergo, obsecro te quod soror mea sis: ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui. Cum itaque ingressus esset Abram Ægytum, viderunt Ægyptii mulierem quod esset pulchra nimis. Et nuntiaverunt principes Pharaoni, et laudaverunt eam apud illum: et sublata est mulier in domum Pharaonis. Abram vero bene usi sunt propter illam fueruntque ei oves et boves et asini et servi, et famulæ, asinæ, et cameli. Flagellavit autem Do-

minus Pharaonem plagis maximis, et domum ejus, propter Sarai uxorem Abram. Vocavitque Pharao Abram, et dixit ei : Quidnam est, quod fecisti mihi ? quare non indicasti quod uxor tua esset ? Quam ob causam, dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem ? Nunc igitur ecce conjux tua, accipe eam, et vade. Præcepitque Pharao super Abram viris : et deduxerunt eum, et uxorem illius, et omnia quæ habebat.

[B. XIX, *Cap.* XIII.] Ascendit ergo Abram de Ægypto, ipse et uxor ejus et omnia quæ habebat, et Lot cum eo, ad australem plagam. Erat autem dives valde [1] in possessione argenti et auri. Reversusque est per iter, quo venerat, a meridie in Bethel, usque ad locum ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel et Ai, in loco altaris quod fecerat prius, et invocavit ibi nomen Domini. Sed et Lot qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, et armenta, et tabernacula. Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul : erat quippe substantia eorum multa, et non quibant habitare communiter. Unde et facta est rixa inter pastores gregum Abram et Lot. Eo autem tempore Chananæus et Pherenæus habitabant in terra illa. Dixit ergo Abram ad Lot. Ne quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et patores tuos : fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est : recede a me, obsecro ; si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo ; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham, sicut paradisus Domini, et sicut Ægyptus venientibus in Segor. Elegitque sibi Lot regionem circa Jordanem, et recessit ab Oriente, divisique sunt alterutrum a fratre suo. Abram habitavit in terra Chanaam : Lot vero moratus est in oppidis quæ erant circa Jordanem, et habitavit in Sodomis. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino [2] nimis. [B XX, C. XXXI.] Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est Lot ab eo : Leva oculos tuos, et vide a loco in quo nunc es, ad aquilonem et ad meridiem, ad orientem et ad occidentem. Omnem terram, quam conspiscis, tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum. Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ ; si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit. Surge et perambala terram in longitudinem et in latitudinem suam, quia tibi daturus sum eam. Movens igitur Abram tabernaculum suum, venit et habitavit juxta convallem Mamre, quæ est et in Hebron, ædificavitque ibi altare Domino.

[T. VIII, C. XXXII, *Cap.* XIV.] Factum est autem in illo tempore, ut Amraphel, rex Sennaar, et Arioch rex Ponti, et Chodorlahomor, rex Elamitarum, et Thadal, rex Gentium, inirent bellum contra Bara, regem Sodomorum, et contra Bersa, regem Gomorrhæ, et contra Sennaab, regem Adamæ, et contra Semeber, regem Seboim, contraque regem Balæ, ipsa est Segor. Omnes hi convenerunt in vallem Silvestram, quæ nunc est mare salis. Duodecim enim annis servierant Chodorlahomor, et tertio decimo anno recesserunt ab eo. Igitur anno quartodecimo venit Chodorlahomor, et reges qui erant cum eo : percusseruntque Raphaim in Astaroth Carnaim, et Zuzim cum eis [3], et Emim in Save Cariathaim, et Horrhæos in montibus Seir, usque ad campestria Pharan, quæ est in solitudine. Reversique sunt, et venerunt ad fontem Mesphat, ipsa est Cades, et percusserunt omnem regionem Amalecitarum, et Ammorhæum qui habitabat in Asason Thamar. Et egressi sunt rex Sodomorum et rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, et rex Seboim, nec non et rex Balæ, quæ est Segor : et direxerunt aciem contra eos in valle Silvestri, scilicet adversum Chodorlahomor, regem Elamitarum, et Thadal, regem Gentium, et Amraphel, regem Sennaar, et Arioch, regem Ponti : quatuor reges adversus quinque. Vallis autem Silvestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum et Gomorrhæ terga verterunt, ceciderunt que ibi, et qui remanserant, fugerunt ad montem. Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum et Gomorrhæ, et universa quæ ad cibum pertinent, et abierunt ; necnon et Lot et substantiam ejus, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis. Et ecce unus qui evaserat, nuntiavit Abram Hebræo, qui habitabat in convalle Mamre Amorrhæi, fratris Escol, et fratris Amer ; hi enim pepigerant fœdus cum Abram. Quod cum audisset Abram, captum vidclicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem et octo, et persecutus est [4] eos usque Dan. Et divisis sociis, irruit

[1] In Hebraica vereritate scribitur : *Abram gravis vehementer*, hoc est βαρὺς σφόδρα MART.

— Vetus hæc lectio est, et Hieronymum movit, *quomodo potuerit* (Abraham) *exiens de Ægypto fuisse* dives valde ? *Quod solvitur*, inquit, *illa Hebraica veritate, in qua scribitur Abram* gravis vehementer, *hoc est*, βαρὺς σφόδρα .

[2] In Hebraico tantum est, ליהיה *Deo*. Et ipse etiam Hieron. in *Quæstionibus* in hunc locum, *superflue*, inquit, *hic in Septuaginta Interpretibus additum est*, in conspectu Dei

[3] Ita post LXX Interpretes, qui legebant בהם *baihem*, id est *cum eis*. In *Quæstionibus* autem *Hebricis* asserit Hieronymus mediam litteram hujus vocis non esse ה *he*, sed ח *heth*. ac legendum בחם *bahom*, id est, *in Hom*. Ita ut *Hom* sit nomem loci in quo Zuzim percussi sunt a quatuor regibus, MART

— Hieronymus ait *Baem, pro quo* (LXX) *dixerunt* ἅμα αὐτοῖς *hoc est cum eis, putaverunt scribi per* he, *ducti elementi similitudine, cum per* heth *scriptum sit*. Baem *enim cum per tres litteras scribitur, si mediam* he *habet, interpretatur*, in eis ; *si autem* heth, *ut in præsenti, locum significat, id est*, in Hom.

[4] *In* Hebræo hodierno legimus sine pronomine affixo וירדף עד דן *vairdoph ad dan*, et persecutus est usque Dan. LXX autem, ut et Hieronymus,

super eos nocte ; percussitque eos, et persecutus est eos usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci. Reduxitque omnem substantiam, et Lot fratrem suum cum substantia illius. mulieres quoque et populum. Egressus est autem rex Sodomorum in occursum ejus, postquam reversus est a cæde Chodorlahomor et regum qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis regis. At vero Melchisedec,rex Salem, proferens panem et vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi), benedixit ei, et ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cœlum et terram, et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi. Qui respondit ei: Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli et terræ, quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas, Ego ditavi Abram, exceptis his quæ comederunt juvenes, et partibus virorum qui venerunt mecum, Aner, Escol, et Mamre ; isti accipient partes suas.

[T. IX, B. XXI, C. XXXIII, *Cap.* XV.] His ita transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem, dicens : Noli timere, Abram, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Dixitque Abram, Domine Deus, quid dabis mihi ? ego vadam absque liberis, et filius procuratoris domus meæ, iste Damascus Eliezer. Addiditque Abram : Mihi autem non dedisti semen, et ecce vernaculus meus, hæres meus erit. Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens. Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem. Eduxitque eum foras, et ait illi : Suspice cœlum, et numera stellas, si potes.Et dixit ei. Sic erit semen tuum. Credidit Domino [1], et reputatum est illi ad justitiam. Dixitque ad eum : Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam. At ille ait: Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sim eam ? Et respondens Dominus, Sume, inquit, mihi vaccam triennem, et capram trimam, et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam. Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium, et utrasque partes contra se altrinsecus posuit, aves autem non divisit. Descenderuntque volucres super cadavera, et abigebat eas Abram. Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram. et horror magnus et tenebrosus invasit eum. Dictumque est ad eum: Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo, et posthæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis adpatres tuos in pace, sepultus in senectute bona.Generatione autem quarta revertentur huc ; necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus. Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans, et lampas ignis transiens inter divisiones illas. In die illo pepigit Dominus cum Abram fœdus, dicens: Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem, Cinæos, et Cenezæos et Cedmonæos,et Ethæos,et Hherezæos,Raphaim quoque, et Amorrhæos, et Chananæos, et Gergesæos, et Jebusæos.

[T. X, *Cap.* XVI.] Igitur Sarai, uxor Abram, non genuerat liberos ; sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar, dixit marito suo : Ecce conclusit me Dominus, ne parerem ; ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios. Cumque ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Ægyptiam ancillam suam,post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan, et dedit eam viro suo uxorem. Qui ingressus est ad eam At illa concepisse se videns, despexit dominam suam. Dixitque Sarai ad Abram : Inique agis contra me : ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit despectui me habet : judicet Dominus inter me et te. Cui respondens Abram : Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit. Cumque invenisset illam angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine, qui [*Vulg.* quæ] est in via Sur, dixit ad illam [2]: Agar ancilla Sarai, unde venis ? et quo vadis ? quæ respondit : A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Dixitque ei angelus Domini: Revertere ad dominam tuam. et humiliare sub manu ipsius. Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine. Ac deinceps : Ecce, ait, concepisti, et paries filium : vocabisque nomen ejus Ismael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam. Hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes, et manus omnium contra cum, et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula. Vocavit autem nomen Domini qui loquebatur ad eam : Tu, Deus, qui vidisti me. Dixit enim : Profecto hic vidi posteriora videntis me. Propterea appellavit puteum illum, Puteum viventis et videntis me. Ipse est inter Cades et Barad. Peperitque Agar Abræ filium: qui vocavit nomen ejus Ismael. Octoginta et sex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Ismaelem.

[B. XXII. C. XXXIV, *Cap.* XVII.] Postquam vero nonaginta et novem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum : Ego Deus om-

Syrus et Arabs in suis exemplaribus Hebraicis videntur legisse ויורדף אחרהם *vaiirdoph ahharehem*, et persecutus est post eos usque Dan. Aut ויורדפם *vaiirdephem*, ut in sequenti versiculo. MART.

— Ita et in *Hebraicis Quæst.* legit, nec tamen verbo admonet de Hebraica lectione, quæ pronomen *eos* hic loci non agnoscit.

[1] Vulg., *credidit Abram Deo* Hebræo dissentiente.

[2] Addit Vulgatus interpres *in deserto.*,quæ varia lectio videtur, pro *in solitudine,* ex libri ora in textum intrusa.

nipotens, ambula coram me, et esto perfectus. Ponamque fœdus meum inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abram pronus in faciem. Dixitque ei Deus : Ego sum, et pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. Faciamque te crescere vehementissime, et ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur. Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, et seminis tui post te. Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum. [T. XI.] Dixit iterum Deus ad Abraham : Et tu ergo custodies pactum meum, et semen tuum poste in generationibus suis. Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te. Circumcidetur vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, et quicunque non fuerit de stirpe vestra eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Dixit quoque Deus ad Abraham : Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Et benedicam ei et ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritque in nationes, et reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem suam, et risit, dicens in corde suo : Putasne, centenario nascetur filius ? et Sara nonagenaria pariet ? Dixitque ad Deum : Utinam Ismael vivat coram te. Et ait Deus ad Abraham. Sara, uxor tua, pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac, et constituam pactum meum illi fœdus sempiternum, et semini ejus post eum. Super Ismael quoque exaudivi te ecce, benedicam ei, et augebo, et multiplicabo eum valde, duodecim duces generabit, et faciam illum in gentem magnam. Pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero. Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ad Abraham. Tulit autem Abraham Ismael, filium suum et omnes vernaculos domus suæ, universosque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ, et circumcidit carnem præputii eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus. Abraham nonaginta et novem erat annorum quando circumcidit carnem præputii sui. Et Ismael filius ejus [*Vulg. loc.* ejus] tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suæ. Eadem die circumcisus est Abram et Ismael filius ejus. Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quam emptitii et alienigenæ, pariter circumcisi sunt.

[T. XII, B. XXXIII, C. XXXV, *Cap.* XVIII,] Apparuit autem ei Dominus in convalle Mamre sedenti in ostia tabernaculi sui, in ipso fervore diei. Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propter [*Vulg.* prope] eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram. Et dixit : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum ; sed afferam pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum, postea transibitis : idcirco enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt : Fac ut locutus es. Festinavit Abraham in tabernacuum ad Saram, dixitque ei Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericlos panes. Ipse vero ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum, deditque puero, qui festinavit et coxit illum. Tulit quoque butyrum et lac, et vitulum quem coxerat, et posuit coram eis ; ipse vero stabat juxta eos sub arbore. Cumque comedissent, dixerunt ad eum : Ubi est Sara, uxor tua ? ille respondit : Ecce in tabernaculo est. Cui dixit : Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, et habebit filium Sara uxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi. Erant autem senes provectæque ætatis, et desierunt Saræ fieri muliebria. Quæ risit occulte, dicens : Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo ? Dixit autem Dominus ad Abraham Quare risit Sara, dicens : Num vere paritura sum anus ? Nunquid Deo est quidquam difficile ? juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, et habebit Sara filium. Negavit Sara dicens, Non risi, timore perterrita. Dominus autem, Non est, inquit, ita ; sed risisti. Cum ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam, et Abraham simul gradiebatur deducens eos. Dixitque Dominus : Num celare potero Abraham quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, et benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ ? Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant justitiam et judicium, ut adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum. Dixit itaque Dominus : Clamor Sodomorum et Gomorræorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam et videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint ; an non est ita, ut sciam. Converteruntque se inde, et abierunt Sodomam. Abraham vero adhuc stabat coram Domino. Et appropinquans ait : Nunquid perdes justum cum impio ? Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul, et non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerunt in ea ? Absit a te, ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius. Non est hoc tuum. Qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium [*Vulg. add.* hoc]. Dixitque Dominus ad eum : Si invenero Sodomis quinquaginta justos

in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos. Respondens Abraham ait : Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Quid si minus quinquaginta justis, quinque fuerint ? delebis, propter quinque [1], universam urbem? Et ait, Non delebo, si invenero ibi quadraginta et quinque. Rursumque locutus est ad eum : Sin autem quadraginta inventi fuerint [2], quid facies ? Ait : Non percutiam propter quadraginta. Ne, quæso, inquit, indigneris, Domine, si loquar : Quid si inventi fuerint ibi triginta ? Respondit, Non faciam, si invenero ibi triginta. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum : Quid si inventi fuerint ibi viginti ? Dixit, Non interficiam propter viginti. Obsecro, inquit, ne irascaris, Domine, si loquar adhuc semel : Quid si inventi fuerint ibi decem ? Et dixit, Non delebo propter decem. Abiit Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham, et ille reversus est in locum suum.

[C. XXXVI, *Cap.* XIX.] Veneruntque duo angeli Sodomam vespere, sedente Lot in foribus civitatis. Qui cum vidisset [*Vulg. add.* eos], surrexit, et ivit obviam eis : adoravitque pronus in terram, et dixit : Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, et manete ibi ; lavate pedes vestros, et mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt : Minime, sed in platea manebimus. Compulit illos oppido ut diverterent ad eum ; ingressisque domum illius fecit convivium, coxit azyma, et comederunt. Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum a puero usque ad semen, omnis populus simul. Vocaveruntque Lot, et dixerunt ei : Ubi sunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, ut cognoscamus eos. Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium, ait : Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum : educam eas ad vos, et abutimini eis sicut placuerit vobis dummodo viris istis nihil faciatis, mali, quia ingressi sunt sub umbraculum culminis mei. At illi dixerunt : Recede illuc. Et rursus : Ingressus es, inquint, ut advena ; nunquid ut judices? te ergo ipsum magis quam hos affligemus. Vimque faciebant Lot vehementissime : jam prope erant [*Vulg.* jamque erat] ut infringerent fores. Et ecce miserunt manum viri, et introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium, et eos, qui erant foris, percusserunt cæcitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent. Dixerunt autem ad Lot : Habes hic tuorum quempiam? generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui sunt, educ de urbe hac : delebimus enim locum istum, eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos ut perdamus illum [*Vulg.* illos]. Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, et dixit : Surgite, egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. Cumque esset mane, cogebant eum angeli, dicentes : Surge, tolle uxorem tuam et duas filias quas habes, ne et tu pariter pereas in scelere civitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus, et manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eo quod parceret Dominus illi. Et eduxerunt eum, et posuerunt extra civitatem. Ibi locutus est Dominus ad eum [3] : Salva animam tuam ; noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione : sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas. Dixitque Lot ad eos : Quæso, domine mi, quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum, ut salvares animam meam, nec possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, et moriar. Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea ; nunquid non modica est, et vivet anima mea? Dixitque ad eum : Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es. Festina et salvare ibi, quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illud. Idcirco vocatum est nomen urbis illus Segor. Sol egressus est super terram, et Lot ingressus est Segor [C. XXXVII.] Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo, et subvertit civitates has, et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia. Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis. [B. XXIV.] Abraham autem consurgens mane, ubi steterat prius cum Domino, intuitus est Sodomam et Gomorrham, et universam terram regionis illius, viditque ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum. Cum enim subverteret Deus civitates regionis illius, recordatus est Abrahæ, et liberavit Lot de subversione urbium in quibus habitaverat. [T. XIII.] Ascenditque Lot de Segor, et mansit in monte, duæ quoque filiæ ejus cum eo (timuerat enim manere in Segor), et mansit in spelunca ipse, et duæ filiæ ejus cum eo. Dixitque major ad minorem : Pater noster senex est, et nullus virorum remansit in terra qui possit ingredi ad nos juxta morem universæ terræ. Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen. Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est major, dormivitque cum patre ; at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit. Altera quoque die dixit major ad minorem : Ecce dormivi heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, et dormies cum eo, ut salvemus semen de patre nostro. Dederunt et illa

[1] Vulgatus interpres [*Propter quadraginta quinque*, dissentiente Hebræo בחמשה.

[2] Addit et Hebræus שם, et Vulgat, interpres *ibi*

[3] Pro his, *Ibi locutus est Dominus ad eum*, Hebræus habet, *Et factum est, cum illi eduxissent eos foras, dixit*, etc. Vulgatus quoque interpres abludit, *Ibique loculi sunt ad eum dicentes*, etc.

nocte patri vinum [1], ingressaque minor filia dormivit cum eo, et nec tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo. Peperitque major filium, et vocavit nomen ejus Moab : ipse est pater Moabitarum usque in præsentem diem. Minor quoque peperit filium, et vocavit nomen Ammon [2], id est, filius populi mei : ipse est pater Ammonitarum usque hodie.

[T. XIV, B. XXV, C. XXXVIII, *Cap.* XX.] Profectus inde Abraham in terram australem, habitavit inter Cades et Sur, et peregrinatus est in Gerari. Dixitque de Sara uxore sua : Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, et tulit eam. Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, et ait illi : En morieris propter mulierem quam tulisti : habet enim virum. Abimelech vero non tetigerat eam, et ait : Domine, num gentem ignorantem et justam interficies ? Nonne ipse dixit mihi : Soror mea est, et ipsa ait : Frater meus est ? in simplicitate cordis mei et munditia manuum mearum feci hoc. Dixitque ad eum Deus : Et ego scio quod simplici corde feceris, et ideo custodivi te ne peccares in me, et non dimisi ut tangeres eam. Nunc igitur redde viro suo uxorem, quia propheta est, et orabit pro te, et vives ; si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris, tu et omnia quæ tua sunt. Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocavit omnes servos suos, et locutus est universa verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde. Vocavit autem Abimelech etiam Abraham, et dixit ei : Quid fecisti nobis ? quid peccavimus in te, quia induxisti super me et super regnum meum peccatum grande ? quæ non debuisti facere, fecisti nobis. Rursusque expostulans, ait : Quid vidisti, ut hoc faceres ? Respondit Abraham : Cogitavi mecum, dicens : Forsitan non est timor Dei in loco isto, et interficient me propter uxorem meam : alias autem vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meæ, et duxi eam in uxorem. Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam : Hanc misericordiam facies mecum : in omni loco, ad quem ingrediemur, dices, quod frater tuus sim. Tulit igitur Abimelech oves et boves, et servos et ancillas, et dedit Abraham : reddiditque illi Saram uxorem suam, et ait : Terra coram vobis est, ubicunque tibi placuerit, habita. Saræ autem dixit : Ecce mille argenteos dedi fratri tuo ; hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, et quocunque perrexeris : mementoque te deprehensam. Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech, et uxorem ancillasque ejus, et pepererunt : concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ.

[T. XV, B. XXVI, C. XXXVIII, *Cap.* XXI.] Visitavit autem Dominus Saram, sicut promiserat, et implevit quæ locutus est. Concepitque et peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. Vocavitque Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac : et circumcidit eum octavo die, sicut præceperat ei Deus, cum centum esset annorum : hac quippe ætate patris, natus est Isaac. Dixitque Sara ; Risum fecit mihi Deus, quicunque audierit, corridebit mihi. Rursumque ait : Quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei jam seni ? Crevit igitur puer et ablactatus est ; fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus. [C. XL.] Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem [3], dixit ad Abraham : Ejice ancillam hanc et filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Dure accepit hoc Abraham pro filio suo. Cui dixit Deus : Non tibi videatur asperum super puero, et super ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara ; audi vocem ejus, quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed et filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Surrexit itaque Abraham mane, et tollens panem et utrem aquæ, imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum, et dimisit eam. Quæ cum abiisset, errabat in solitudine Bersabee. Cumque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborum, quæ ibi erant. Et abiit, seditque e regione procul quantum potest arcus jacere. Dixit enim ; Non videbo morientem puerum ; et sedens contra, levavit vocem suam, et flevit. Exaudivit autem Deus vocem pueri ; vocavitque angelus Dei Agar de cœlo, dicens : Quid agis, Agar ? nolli timere ; exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo est ; surge, tolle puerum, et tene manum illius ; quia in gentem magnam faciam eum. Aperuitque oculos ejus Deus ; quæ videns puteum aquæ,

[1] Addunt Hebræus textus et Vulgat. interpres, *suo*.

[2] Nomen *Ammon* excidisse videtur ex Hebræo hodierno ; nam *Benammi*, quod exstat in Hebraico, non est nomen ipsum, sed in eo quasi causa redditur, cur *Ammon* vocatus fuerit filius minoris filiæ Lot. MART.

— Non est in Hebræo archetypo hoc nomen, sed tantum habet, ויקרא שמו בן-עמי הוא אבי עמון : *Et vocavit nomen ejus Ben ammi, ipse est pater*, etc. Illud porro *Ben-ammi* sonat *filium populi mei*, quæ Hieronymi interpretatio est. Hinc autumat Martian. nomen *Ammon* excidisse ex Hebræo hodierno, quod tamen adeo non est verosimile, ut sacro contextui ejusque ingenio linguæ repugnet, etymologiam, quæ nec tamen satis bene respondet, vernaculi ejusdem sermonis adnecti. Hoc propius ad fidem est, ex Græca paraphrasi, ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἀμμαν, λέγουσα, Υἱὸς γένους μου, versionem hic derivari. Vid. *Qu. Hebraicas*.

[3] Addunt, post Septuaginta, editi libri ac mss. Bibliorum nonnulli codices, *Cum Isaac filio suo*. Monet vero lectorem Hieronymus in *Quæst. Hebraicis*, hæc verba non esse in Hebræorum voluminibus : *Quod sequitur*, inquit, cum Isaac, filio suo, *non habetur in Hebræo*. MART.

— Vetus Latina versio addebat, *cum Isaac, filio suo*. Nostri mss. *cum Isaac* tantum addunt ; in uno autem Palatin. voces *filio suo* in libri ora adnotavit posterior manus.

abiit, et implexit utrem, deditque puero bibere. Et fuit cum eo; qui crevit, et moratus est in solitudine, factusque est juvenis sagittarius. Habitavitque in deserto Pharan, et accepit illi mater sua uxorem de terra Ægypti. [C. XLI.] Eodem tempore dixit Abimelech, et Phichol, princeps exercitus ejus, ad Abraham : Deus tecum est in universis quæ agis. Jura ergo per Deum, ne noceas mihi, et posteris meis, stirpique meæ; sed juxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi, et terræ in qua versatus es advena. Dixitque Abraham : Ego jurabo. Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant servi illius. Responditque Abimelech : Nescivi quis fecerit hanc rem; sed et tu non indicasti mihi, et ego non audivi præter hodie. Tulit itaque Abraham oves et boves, et dedit Abimelech: percusseruntque ambo fœdus. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum? At ille, Septem, inquit, agnas accipies de manu mea, ut sint in testimonium mihi, quoniam ego fodi puteum istum. Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia ubi uterque juraverunt. Et inierunt fœdus pro puteo juramenti. Surrexit autem Abimelech et Phichol, princeps militiæ ejus, reversique sunt in terram Philistinorum. Abraham vero plantavit nemus in Bersabee, et invocavit ibi nomen Domini Dei æterni. Et fuit colonus terræ Philistinorum diebus multis.

[T. XVI, B. XXVII, C. XLII, *Cap.* XXII.] Quæ postquam gesta sunt, tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum : Abraham! Ille respondit : Adsum. Ait illi : tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac [1] et vade in terram Visionis, atque offer eum ibi in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi. Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit asinum suum, ducens secum duos juvenes et Isaac, filium suum. Cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus. Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul : dixitque ad pueros suos : Expectate hic cum asino; ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. Tulit quoque ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum; ipse vero portabat in manibus ignem et gladium. Cumque pergerent duo simul dixit Isaac patri suo : Pater mi! At ille respondit; Quid vis, fili? Ecce, inquit, ignis et ligna: ubi est victima holocausti? Dixit Abraham; Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter; veneruntque ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, et desuper ligna composuit; cumque colligasset Isaac filium suum, posuit eum in altari super struem lignorum. Extenditque manum, et arripuit gladium, ut immolaret filium suum. Et ecce angelus Domini de cœlo clamavit dicens; Abraham! Abraham! Qui respondit, Adsum, Dixitque ei; Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam; nunc cognovi quod timeas Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus suis [3], quem assumens obtulit holocaustum pro filio suo. Appellavitque nomen loci illius, Dominus videt. Unde usque hodie dicitur; In monte Dominus videbit [4]. Vocavit autem angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens : Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo unigenito [5], benedictam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris : possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ quia obedisti voci meæ. Reversus est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabee simul, et habitavit ibi. His ita gestis, nuntiatum est Abraham quod Melcha quoque genuisset filios Nahor fratri suo : Ilus primogenitum, et Buz fratrem ejus, et Camuel patrem Syrorum, et Chased, et Azau, Pheldas quoque et Jedlaph, ac Bathull, de quo nata est Rebecca : octo istos genuit Melcha, Nahor fratri Abraham. Concubina vero illius nomine Roma, peperit Tabee, et Gaham et Thahas et Maacha.

[1] Ubi nunc dicitur, *in terram Visionis*, in Hebræo habet, *in terram* המריה *Moria* : textus Sam. המוראה *Moraa* : דאמוריא domouroie, *Amorrhæorum*. Syrus legit; LXX interpretantur *terram* τὴν ὑψηλήν, *excelsam*, ex רום *rum*, ni fallor : Aquila, τὴν καταφανῆ, hoc est *lucidam*; Symmachus, τῆς ὁπτασίας, *visionis*. Alii, *terram divini cultus*, sive *adorationis*, dicunt: aiunt enim Hebræi *Moria* hunc esse montem in quo postea templum conditum est. Non sine causa fatetur hic S. Hieronymus, *difficile esse idioma linguæ Hebrææ in latinum sermonem vertere*. Certe hanc difficultatem probant tam diversæ ejusdem verbi מריה *Moria* interpretationes. MART.

— Hebr. *in terram* המריה *Moria*. S. Pater cum Symmacho facit, qui vertit, τῆς ὁπτασίας. Ipsi etiam LXX, qui *terram excelsum* interpretati sunt in eumdem concinunt sensum, deducta voce a verbo ראה, id est aparere, et procul cerni ob loci eminentiam, non a רום, ut Martianæus putat.

[2] Hebraice habet בסבן *bassabech*. Ut vocis *sabech* vim interpretaretur Hieronymus in suis Quæstionibus Hebraicis, longiori usus est circuitu verborum; sed nostrates Sancti Severi in capite Vasconiæ significantiam dictionis *sabech*, et totam Hieronymi circumlocutionem uno verbo exprimunt, vepretum enim vel spinetum, condensa et inter se implexa virgulta, vocant *pleix*, quasi dicas *plexum* aut *implexum*. *Sabeth* igitur Hebræorum ipsum est *pleix*, sive *pleigs* Vasconum. MART.

[3] Palatin. ms. cum Vulg. interprete hic *suis* tacet, quod et in sequenti versu facit post vocem *filio* : habet e contrario Hebræus. Cæterum vide Quæst. Hebraic. in hunc locum, et quos nos ibi adnotavimus.

[4] Lectio hodierna Massorethurum est יראה *iorue*, id est *videbitur*, dro יראה, *ire*, hoc est *videbit*, ut Hieronymus legit. MART.

— Eadem utroque in loco Hebræi textus est lectio, tametsi varie nunc Massorethurum punctis distincta. Reddi potest, *Dominus videbitur*, vel *Dominus providebit*.

[5] Addit Vulg. *propter me*, juxta Græcum.

[T. XVII, C. XLIII. *Cap.* XXIII.] Vivit autem Sara centum vigenti septem annis. Et mortua est in civitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanaan; venitque Abraham ut plangeret et fleret eam. Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens : Advena sum et peregrinus apud vos : date mihi jus sepulcri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum. Responderuntque filii Heth, dicentes : Audi nos, domine, princeps Dei es apud nos : in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum nullusque te prohibere poterit quin in monumento ejus sepelias mortuum tuum. Surrexit Abraham, et adoravit populum terræ, filios videlicet Heth, dixitque ad eos : Si placet animæ vestræ ut sepellam mortuum meum, audite me, et intercedite pro me apud Ephron, filium Sohar [*Vulg.* Seor], ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui : pecunia digna tradat mihi eam coram vobis in possessionem sepulcri. Habitabat autem Epheron in medio filiorum Heth. Respondítque Ephron Hetthæus[1] ad Abraham cunctis audientibus qui ingrediebantur portam civitatis illius, dicens : Nequaquam ita fiat, domine mi, sed [*Vulg. add.* tu] magis ausculta quod loquor : Agrum trado tibi et speluncam quæ in eo est : præsentibus filiis populi mei, sepeli mortuum tuum. Adoravit Abraham coram populo terræ. Et locutus es ad Ephron, circumstante plebe : Quæso, ut audias me : Dabo pecuniam pro agro suscipe eam, et sic sepeliam mortuum meum in eo. Respondit Ephron ; Domine mi, audi : Terram quam postulas, quadringentos argenti siclos valet : istud est pretium inter me te : sed quantum est hoc ? sepeli mortuum tuum. Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron[2] postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti et [*Vulg. tac.* et] probatæ monetæ publicæ. Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mamre, tam ipse quam spelunca, et omnes arbores ejus in cunctis terminis per circuitum[3], Abrahæ in possesionem, videntibus filiis Heth et cunctis qui intrabant portam civitatis illius. Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici[4], quæ respiciebat Mamre. Hæc est Hebron in terra Chanaan. Et confirmatus est ager, et antrum quod erat in eo Abrahæ in possessionem monumenti a filiis Heth.

[T. XVIII, B. XXVIII, C. XLIV, *Cap.* XXIV.] Erat autem Abraham senex dierumque multorum : et Dominus in cunctis benedixerat ei. Dixitque ad A servum seniorem domus suæ qui præerat omnibus quæ habebat : Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli et terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito : sed ad terram meam[5] et ad cognitionem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac. Respondit servus : Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, num reducere debeo filium tuum ad locum de quo egressus es? Dixit Abraham : Cave nequando reducas illuc filium meum : Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, et de terra nativitatis meæ, qui locutus est mihi, et juravit[6], dicens : Semini tuo dabo terram hanc : ipse mittet angelum suum corum te, et accipies inde uxorem filio meo ; sin autem mulier sequi te noluerit, non B teneberis juramento : filium tantum meum ne reducas illuc. Posuit ergo servus manum sub femore Abram domini sui, et juravit illi super sermone hoc. Tulitque decem camelos de gregibus domini sui et abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum, profectusque perrexit Mesopotaniam ad urbem Nahor. Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum juxta puteum aquæ vespere, eo tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit : Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, et fac misericordiam cum domino meo Abraham. Ecce ego sto propter fontem aquæ, et filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero : Inclina hydriam tum ut bibam : et illa respondeC rit, bibe ; quin et camelis tuis dabo potum ; ipsa est, quam præparasti servo tuo Isaac : et per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum domino meo. Necdum intra se verba compleverat, et ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filii Melchæ, uxoris Nahor, fratris Abraham, habens hydriam in scapula [*Vulg. add.* sua, juxta Hebr.] : puella decora nimis, virgoque pulcherrima, incognita viro : descenderat autem ad fontem, et impleverat hydriam, ac revertebatur. Occurritque ei servus, et ait : Pauxillum mihi ad sorbendum præbe aquæ de hydria tua. Quæ respondit : Bibe, domine mi ; celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam, et dedit ei potum. Cumque ille bibisset, adjecit : Quin etiam et camelis tuis hauriam aquam, D donec cuncti bibant. Effundensque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum ut hauriret aquam : et haustam omnibus camelis dedit. Ille autem contemplabatur eam tacitus, scire volens utrum

[1] Tacet Vulg. *Helthæus*, quæ est tamen in Hebræo, Græco atque aliis.

[2] Nostri mss. *Ephron*. Vid. *Quæst. Hebraic.* עפרן *Ephran*, non *Ephron*, ut hodie, legebant tempore Hieronymi : quod ipse manifestissime testatur his verbis : *In Hebræo, sicut hic posuimus, primum nomen ejus scribitur* Ephron, *secundum* Ephran. *Postquam enim pretio victus est, ut sepulcrum venderet argento, licet cogente Abraham*, Vau *littera, quæ apud illos pro o legitur, ablata de ejus nomine est ; et pro* Ephron *appeliatus est* Ephran. MART.

[3] Addit *Vulg. ejus*, quod affixum et Hebræus novit גבלו.

[4] In canone Hebraicæ veritatis legimus : *In spelunca agri duplicis, qui recepiebat Mamre.* Quod non multum recedit ab Hebræo. MART.

—Palat. cod. *duplicis*. Urbinas vero, *qui* pro *qua*.

[5] Vulgat. tacet *meam*, quod tamen est in Hebræo ארצי

[6] Hic quoque Hebraic. et Vulg. addunt *mihi* לי.

prosperum fecisset Dominus iter suum, an non. Postquam ergo [*Vulg.* autem] biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos [1], et armillas totidem pondo siclorum decem. Dixitque ad eam : cujus es filia? indica mihi : est in domo patris tui locus ad manendum? Quæ respondit : Filia Bathuelis sum filii Melchæ, quem peperit, [*Vulg. add.* ipsi] Nahor. Et addidit, dicens : Palearum quoque et feni plurimum est apud nos, et locus spatiosus ad manendum. Inclinavit se homo, et adoravit Dominum, dicens : Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam et veritatem suam a domino meo, et recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei. Cucurrit itaque puella, et nuntiavit in domum matris suæ omnia quæ audierat. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, ubi erat fons. Cumque vidisset inaures et armillas in manibus sororis suæ, et audisset cuncta verba referentis : Hæc locutus est mihi homo : venit ad virum, qui stabat juxta camelos, et prope fontem [*Vulg. add.* aquæ] : dixitque ad eum : Ingredere, benedicte Domini : cur foris stas? præparavi domum et locum camelis. Et introduxit eum in hospitium : ac destravit camelos, deditque paleas et fenum camelis [*Vulg. tac.* camelis], et aquam ad lavandos pedes ejus, et virorum qui venerant cum eo. Et appositus est in conspectu ejus panis. Qui ait : Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit, ei : Loquere. At ille : Servus, inquit, Abraham sum : et Dominus benedixit domino meo valde, magnificatusque est ; et dedit ei oves et boves, argentum et aurum, servos et ancillas, camelos et asinos. Et peperit Sara, uxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia quæ habuerat. Et adjuravit me dominus meus dicens : Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito, sed ad domum patris mei perges, et de cognatione mea accipies uxorem filio meo ; ego vero respondi domino meo, Quid si noluerit venire mecum mulier? Dominus, ait, in cujus conspectu ambulo, A mittet angelum suum tecum, et diriget viam tuam, accipiesque uxorem filio meo de cognatione mea, et de domo patris mei. Innocens eris a maledictione mea cum veneris ad propinquos meos, et non dederint tibi. Veni ergo hodie ad fontem [*Vulg add.* aquæ], et dixi, Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo, ecce sto juxta fontem aquæ ; et virgo [2], quæ egredietur ad hauriendam aquam audierit a me, Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua, et dixerit mihi, Et tu bibe, et camelis tuis hauriam, ipsa est mulier quam præparavit Dominus filio domini mei. Dum hæc mecum tacitus volverem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula, descenditque ad fontem, et hausit aquam. Et aio ad eam, Da mihi B paululum bibere. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, et dixit mihi : et tu bibe, et camelis tuis potum tribuam. Bibi, et adaquavit camelos. Interrogavique eam, et dixi, Cujus es filia? Quæ respondit, Filia Bathuelis sum, filii Nahor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus, et armillas posui in manibus ejus. Pronusque adoravi Dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris domini mei filio ejus. Quamobrem si facitis misericordiam et veritatem cum domino meo, indicate mihi ; sin autem aliud placet, et hoc dicite [*Vulg. add.* mihi] ut vadam ad dexteram sive ad sinistram. Responderuntque [h. respondit] Laban et Bathuel, A Do- C mino egressus est sermo, non possumus extra placitum ejus quidquam aliud tecum loqui. En Rebecca coram te est, tolle eam, proficiscere, et sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus, Quod cum audisset puer Abraham, [*Vulg. add.* procidens] adoravit in terra Dominum. Prolatisque vasis argenteis, et aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque ejus matri dona obtulit. Initoque convivio, vescentes pariter et bibentes manserunt ibi. Surgens autem mane, locutus est puer, Dimitte me ut vadam ad domi-

[1] Pro, *appendentes siclos duos* legendum videtur *semisiclos duos* : nam quid aliud nos docent ista Hieronymi ipsius verba in *Quæst. Hebraicis* ? *Et tulit vir*, inquit, *inaurem, auream didrachmum pondus ejus.* Baci. *quod in hoc loco pro* didrachmo *scribitur, semiuncia est* : secel *vero, qui Latino sermone* siclus *corrupte appellatur, unciæ pondus habet.* Igitur inaures duæ non appendebant duas uncias, id est duos siclos ; sed unaquæque habebat pondus semiunciæ, sive dimidium sicli, ex Hieronymo. Chaldæus et Syrus legunt in singulari : *Inaurem auream appendentem siclum*, vel, *pondo sicli unius.* Quod favet lectioni Latinorum. Mart.

— Legendum videtur Martianæo, *semisiclos* pro *siclos*, ex eo quod tradat Hieron. in *Quæst.* ad hunc locum, in Hebræo haberi, *Bace, quod pro didrachmo scribitur, et semiuncia ; Secel vero, qui Latino sermone siclus corrupte appellatur, unciæ pondus habere.* Ostendimus autem nos ibi, ipsius sicli pondus semiunciam fuisse, idque ex ipsiusmet Hieronymi testimonio, qui siclum quatuor drachmas pendere non inficiatur, octo vero drachmas unciam conficere. In commentario in Ezechiel, cap. 4 : *Siclus*, inquit, *id est, stater quatuor drachmas habet, drachmæ autem octo Latinam unciam faciunt.*

[2] Hunc locum adversus Judæos urget sanctus D Hieronymus in libris *Quæst. Hæbraicarum*, ostenditque in Hebræo, pro *virgine* scriptum esse *aalma.* Quod quidem et in Isaia habetur : nam in eo loco ubi in nostris codicibus legitur, *Ecce virgo concipiet et pariet* et Aquila sulidole transtulit. *Ecce adolescentula concipiet et pariet*, in Hebræo scriptum habet : *Ecce aalma concipiet et pariet.* Notandum autem ex eodem Hieronymo, quod verbum *aalma* nunquam nisi in virgine scribitur ; unde disputationem hujus loci ita concludit : *Ostendant igitur Judæi in scripturis alicubi positum* aalma, *ubi adolescentulam tantum, et non virginem sonet et concedimus eis illud, quod in Isaia apud nos dicitur* : Ecce virgo concipiet et pariet : *non absconditam virginem, sed adolescentulam significare jam nuptam.* Mart.

num meum. Responderunt fratres ejus et mater: Maneat puella saltem decem dies apud nos, et postea proficiscetur. Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam; dimittite me ut pergam ad dominum meum. Dixerunt, Vocemus puellam, et quæramus ipsius voluntatem. Cumque vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait, Vadam., Dimiserunt ergo eam, et nutricem illius, servumque Abraham, comites ejus, imprecantes prospera sonori suæ, atque dicentes: Soror nostra, crescas in mille millia, et possedeat semen tuum portas inimicorum suorum Igitur Rebecca et puellæ illius, ascensis camelis, secutæ sunt virum, qui festinus revertebatur ad dominum suum. Eo tempore Isaac deambulabat per viam quæ ducit ad puteum, cujus nomem est Viventis [*Vulg. add.* et] videntis, habitabat enim in terra australi, et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die; cumque levasset oculos suos, vidit camelos venientes procul. Rebecca quoque, conspecto Isaac, descendit de camelo, et ait ad puerum. Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei, Ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium, operuit se. Servus autem cuncta, quæ gesserat, narravit Isaac. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ, matris suæ, et accepit eam uxorem, et in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.

[T. XVIII, B. XXIV. *Cap.* XXV]. Abraham vero aliam duxit uxorem nomine Ceturam, quæ peperit ei Zamran et Jecsan, et Madan, et Madian, et Jesboc, et Sue. Jecsan quoque genuit Saba, et Dadan. Filii Dadan fuerunt, Asurim, et Latusim, et Laomim. At vero ex Madian ortus est Epha, et Epher [*Vulg.* Opher], et Enoch, et Abida, et Eldaa: omnes hi filii Ceturæ. Deditque Abraham cuncta quæ possederat Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac, filio suo dum adhuc ipse viveret, ac plagam orientalem [C. XLV] Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni. Et deficiens mortuus est[1] in senectute bona, provectæque ætatis, et plenus dierum: congregatusque est ad populum suum. Et sepelierunt eum Isaac et Ismael, filii sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron, filii Sohar [*Vulg.* Seor] Hetthæi, e regione Mamre, quem emerat a filiis Heth: ibi sepultus est ipse, et Sara uxor ejus. Et post obitum illius benedixit Deus Isaac, filio ejus, qui habitabat juxta puteum nomine Viventis [*Vulg. add.* et] videntis. [C. XLVI,] Hæ sunt generationes Ismael, filii Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia, famula Saræ, et hæc nomina filiorum ejus in vocabulis et generationibus suis. Primogenitus Ismaelis Nabajoth, deiude Cedar, et Adbeel, et Mabsam, Masma quoque, et Duma, et Masa, Hadar, et Thema, et Itur [*Vulg.* Jethur], et Naphis, et Cedma. Isti sunt filii Ismael, et hæc nomina per castella et oppida eorum duodecim principes tribuum suorum. Anni vitæ Ismaelis centum triginta septem[2], et deficiens mortuus est, et appositus ad populum suum. Habitavit autem ab Evila usque Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios. Coram(a)cunctis fratribus suis obiit [C. XLVII.] Hæ quoque sunt generationes Isaac, filii Abraham: Abraham genuit Isaac: qui cum quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam, filiam Bathuel Syri de Mesopotamia, sororem Laban. Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in utero ejus parvuli; quæ ait: Si sic mihi futurum erat quid necesse fuit concipere? Perrexitque ut consuleret Dominum. Qui respondens, ait: Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori. Jam tempus pariendi advenerat, et ecce gemini in utero ejus reperti sunt. Qui prior egressus est, rufus erat, et totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen ejus Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, et idcirco appellavit eum Jacob. Sexagenarius erat, Isaac quando nati sunt ei parvuli. Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, et homo agricola: Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Isaac amabat

[1] Hieronymus libro *Quæst. Hebraicarum*, dicit male in Septuaginta Interpretibus additum, *Et deficiens Abraham mortuus est*, quia non convenit Abrahæ deficere et imminui. Sed tunc ludit in allegoriis, et anagogicos sensus prosequitur; hic autem verba Scripturæ plena fide, ut optimus interpres, expressit. Quare ויגוע ויכות *vaiigva vaiiamoth*, quod hodie in Hebræo legimus, interpretatur, *Et deficiens mortuus est*. Addit similiter, *dierum*, ad vocem *plenus*; et si in textu, שבע *sabea* tantum, id est *satur* vel *plenus*, legatur. Confer ista cum Hieronymi commentariis in cap. I Sophoniæ, ubi verba illa probat, quæ hic male addita dicit. MART.

— Hebræus proprie habet, *Exspiravit et mortuus est*. Vide *Quæst. Hebraic.* et quæ nos ibi observamus.

[2] In Vulgata editione. *Et facti sunt anni*, etc. Hebræus ואלה שני *et hi anni*, etc.

[a] Locus hic insignis apud Hieronymum in *Quæst. Hebraicis*, ubi totum fere capitulum istud XLVI recitans, easdem sacri contextus divisiones secutus videtur, quas in hoc opere e mss. libris exhibemus; agnoscit enim extema esse capituli verba, quæ vere hoc loco extrema sunt. Ait igitur: *Quod autem in extremo hujus capituli juxta Septuaginta legimus*. Contra faciem fratrum suorum habitavit, *verius est quod nos posuimus*: Coram omnibus fratribus suis occubuit, *id est, in manibus omnium filiorum mortuus est*, etc. Sed ne fucum faciamus candido lectori, ingenue fatemur capitula indifferenter ab Hieronymo vocari, quæcunque versuum cola, et commata Scripturarum, quæ suis ipse lucubrationibus intermiscet, ac commentariis illustrat, ut infra in libris *Quæst Hebraicarum* vocat capitulum, versiculum 24 capitis XXXVI libri Genesis. Consule locum. MART.

Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur ; et Rebecca diligebat Jacob. [B. XXX.] Coxit autem Jacob pulmentum, ad quem cum venisset Esau de agro lassus, ait : Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen ejus Edom. Cui dixit Jacob : Vende mihi primogenita tua. Ille respondit : En morior, quid mihi proderunt primogenita ? Ait Jacob : Jura ergo mihi. Juravit Esau [1], et vendidit primogenita. Et sic accepto pane et lentis edulio, et comedit, et bibit, et abiit, parvipendens quod primogenita vendidisset.

[C. XLVIII, *Cap.* XXVI.] Orta autem fame super terram, post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech regem Philistinorum in Gerara. [T. XX, B. XXX.] Apparuitque ei Dominus, et ait : Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi. Et peregrinare in ea, eroque tecum, et benedicam tibi : tibi enim et semini tuo dabo universas regiones has, complens juramentum quod spopondi Abraham patri tuo. Et multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli ; daboque posteris tuis universas regiones has, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meæ, et custodierit præcepta et mandata mea, et cæremonias legesque servaverit. Mansit itaque Isaac in Geraris. Qui cum interrogaretur a viris loci illius super uxore sua, respondit : Soror mea est : timuerat enim confiteri quod sibi esset sociata conjugio, reputans ne forte interficerent eum propter illius pulchritudinem. Cumque pertransissent dies plurimi, et ibidem moraretur ; prospiciens Abimelech, Philistinorum rex, per fenestram, vidit eum jocantem cum Rebecca, uxore sua. Et accersito, ait : Perspicuum est quod uxor tua sit, cur mentitus es eam sororem tuam esse ? Respondit : Timui ne morerer propter eam. Dixitque Abimelech : Quare imposuisti nobis ? potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, et induxeras super nos grande peccatum. Præcepitque omni populo, dicens : Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur. Sevit autem Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum : benedixitque ei Dominus. Et locupletatus est homo, et ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est : habuit quoque possessiones ovium et armentorum, et familiæ plurimum. Ob hoc invidentes ei Philistini, omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo, in tantum, ut ipse Abimelech diceret ad Isaac : Recede a nobis, quoniam potentior nostri [*Vulg.* nobis] factus es valde. Et ille discedens, ut veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi : rursumque fodit alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham, et quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philisthiim ; appellavitque eos iisdem nominibus quibus ante pater vocaverat. Foderuntque in torrente et repererunt aquam vivam. Sed et ibi jurgium fuit pastorum Geraræ adversum pastores Isaac, dicentium, Nostra est aqua. Quam ob rem nomen putei ex eo quod acciderat, vocavit Calumniam. Foderunt et alium, et pro illo quoque rixati sunt, appellavitque eum Inimicitias [2]. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt, itaque vocavit nomen ejus, Latitudo, dicens. Nunc dilatavit nos Dominus, et fecit crescere nos super terram. [T. XXI.] Ascendit autem ex illo loco in Bersabee, ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens. Ego sum Deus Abraham patris tui, noli metuere, quia tecum sum, et benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham. Itaque ædificavit ibi altare, et invocato nomine Domini, extendit tabernaculum, præcepitque servis suis ut foderent puteum. Ad quem locum cum venisset de Geraris, Abimelech, et Ohuzath [*Vulg.* Ohozath] amicus illius, et Phichol, dux militum, locutus est eis Isaac. Quid venistis ad me, hominem quem odistis et expulistis a vobis ? Qui responderunt : Vidimus tecum esse Dominum, et idcirco nunc [*Vulg.* nos] diximus. Sit juramentum inter nos, et ineamus fœdus, ut non facias nobis quiddam mali, sicut et nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet, sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini. Fecit ergo eis convivium, et post cibum et potum, surgentes mane, juraverunt sibi mutuo, dimisitque eos Isaac pacifice in locum suum. Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac, annuntiantes ei de puteo quem foderant, atque dicentes. Invenimus aquam. Unde appellavit eum, Abundantiam, et nomen urbi impositum est Bersabee, usque in præsentem diem. Esau vero quadragenarius duxit uxores, Judith, filiam Beeri Hetthæi, et Basemath, filiam Elon ejusdem loci, quæ ambæ offenderant animum Isaac et Rebeccæ.

[T. XXII, B. XXXII, C. XLVIII. *Cap.* XXVII.] Senuit autem Isaac, et caligaverunt oculi ejus, ut videre non poterat : vocavitque Esau filium suum majorem, et dixit ei : Fili mi ! Qui respondit : Adsum, Cui pater : Vides, inquit, quod senuerim, et ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram et arcum, et egredere foras : cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, et affer, ut comedam, et benedicat tibi anima mea antequam moriar. Quod cum audisset Rebecca, et ille abiisset in agrum ut jus-

[1] Nonnihil ab Hebraico textu abludit, in quo est, *Jura mihi juxta hunc diem ; et juravit ei : et vendidit primogenituram suam Jacob.*

[2] Pro inimicitiis, quod Aquila et Symmachus τὸ ἐντικείμενον et ἐναντίωσιν transtulerunt, id est adversum atque contrarium ; in Hebræo habet שטנה *Satana.* Ex quo intelligimus *Satanam* contrarium interpretari. MART.

— Hebraic. שטנה *Satana.* Vid. *Quæst. Hebraicas.*

sionem patris expleret, dixit filio suo Jacob: Audivi patrem tuum loquentem cum Esau, fratre tuo, et dicentem ei : Affer mihi de venatione tua, et fac cibos ut comedam, et benedicam tibi coram Domino antequam moriar. Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis : et pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur, quas cum intuleris et comederit, benedicat tibi priusquam moriatur. Cui ille respondit : Nosti quod Esau, frater meus, homo pilosus sit, et ego lenis : si attrectaverit me pater meus, et senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, et inducam super me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater : In me sit, ait, ista maledictio, fili mi, tantum audi vocem meam, et pergens affer quæ dixi. Abiit, et attulit, B deditque matri. Paravit illa cibos, sicut noverat velle patrem illius. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi induit eum : pelliculasque hædorum circumdedit manibus, et colli nuda protexit. Dedit pulmentum ; et panes, quos coxerat, tradidit. Quibus illatis, dixit : Pater mi ! At ille respondit : Audio. Quis es tu, fili mi ? Dixitque Jacob : Ego sum Esau primogenitus tuus ; feci sicut præcepisti mihi : surge, sede et comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. Rursum Isaac ad filium suum : Quomodo, inquit, tam cito invenire potuisti, fili mi ? Qui respondit : Voluntas Dei fuit ut cito mihi occurreret quod volebam. Dixitque Isaac : Accede huc, ut tangam te, fili mi, et probem utrum tu sis filius meus Esau, an non. Accessit ille ad patrem, et palpato eo, dixit Isaac : C Vox quidem, vox Jacob est : sed manus manus sunt Esau. Et non cognovit eum, quia pilosæ manus similitudinem majoris expresserant. Benedicens ergo illi, ait : Tu es filius meus Esau ? Respondit, Ego sum. At ille ; Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, ut benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum, quo hausto, dixit ad eum ; Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi. Accessit, et osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens [*Vulg. add.* illi], ait ; Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Dei tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti et vini. Et serviant tibi populi, et adorent te tribus ; esto domi- D nus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ ; qui maledixerit tibi, sit maledictus ; et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Vix Isaac sermonem impleverat ; et egresso Jacob foras, venit Esau, coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens ; Surge, pater mi, et comede de venatione filii tui ; ut benedicat mihi anima tua. Dixitque illi Isaac ; Quis enim es tu ? Qui respondit ; Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Expavit A Isaac stupore vehementi, et ultra quam credi potest, admirans ait : Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi, et comedi ex omnibus, priusquam tu venires ? benedixique ei, et erit benedictus. Auditis Esau sermonibus patris irrugiit clamore magno, et consternatus ait : Benedic etiam mihi, pater mi. Qui ait : Venit germanus tuus fraudulenter, et accepit benedictionem tuam. At ille subjunxit : Juste vocatum est nomen ejus Jacob : supplantavit enim me in altera vice, primogenita mea ante tulit, et nunc secundo surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem : Nunquid non reservasti, ait, et mihi benedictionem ? Respondit Isaac : Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi, frumento et vino stabilivi eum, et tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam ? Cui Esau : Num unam, inquit, tantum benedictionem habes, pater ? mihi quoque obsecro ut benedicas. Cumque ejulatu magno fleret, motus Isaac, dixit ad eum : In pinguedine terræ et in rore cœli desuper, erit benedictio tua. Vives in gladio, et fratri tuo servies : tempusque veniet, cum excutias et solvas jugum ejus de cervicibus tuis. [B. XXXIII]. Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione qua benedixerat ei pater : dixitque in corde suo : Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob [1], fratrem meum. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ, quæ mittens et vocans Jacob, filium suum, dixit ad eum : Ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te. Nunc ergo [*Vulg. add.* mi] fili, audi vocem meam, et consurgens fuge ad Laban, fratrem meum, in Ha- C ran : habitabisque cum eo dies paucos, donec quiescat furor fratris tui, et cesset indignatio ejus, obliviscaturque eorum quæ fecisti in eum : postea mittam, et adducam te inde huc. Cur utroque orbabor filio in uno die ? Dixit quoque Rebecca ad Isaac : Tædet me vitæ meæ propter filias Heth ; si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere.

[T. XXIII, C. L., *Cap.* XXVIII.] Vocavit itaque Isaac Jacob, et benedixit ei, præcepitque ei dicens : Noli accipere conjugem de genere Chanaan : sed vade et proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui. Deus autem omnipotens benedicat tibi, et crescere te faciat, atque multiplicet : ut sis in turbas populorum. Et D det tibi benedictionem Abraham, et semini tuo post te : ut possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est avo tuo. Cumque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban, filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ. Videns autem Esau quod benedixisset pater suus Jacob, et misisset eum in Mesopotaniam Syriæ, ut inde uxorem duceret ; et quod post benedictionem præcepisset ei, dicens : Non accipias conjugem de filiabus Chanaan : quodque obediens Jacob parenti-

[1] Codices mss. antiquiores et LXX legunt ; *Venient dies luctus patris mei, ut occidam Jacob*, etc. MART.
— Palatin. ms. *et occidam.*

bus isset [1] in Syriam : probans quoque quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus : ivit ad Ismaelem, et duxit uxorem, absque iis quas prius habebat, Mahelath, filiam Ismael, filii Abraham, sororem Nabajoth. [T. XXIV, C. LI.] Igitur egressus Jacob de Bersabee pergebat Haran. Cumque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, et supponens capiti suo, dormivit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum : angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac : Terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo. Eritque semen tuum quasi pulvis terræ [2] : dilataberis ad Occidentem, et Orientem, Septentrionem, et Meridiem : et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero custos tuus quocunque perrexeris, et reducam te in terram hanc : nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi. Cumque evigilasset Jacob de somno, ait : Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque, Quam terribilis, inquit, est locus iste ! non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli. Surgens ergo Jacob mane tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper. Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. Vovit etiam votum, dicens : Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam [*Vulg. add.* ego] ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei : erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei : cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

[B. XXXIV, C. LII, *Cap.* XXIX.] Profectus ergo Jacob venit ad terram Orientalem. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium accubantes juxta eum : nam ex illo adaquabantur pecora, et os ejus grandi lapide claudebatur. Morisque erat, ut cunctis ovibus congregatis, devolverent lapidem, et refectis gregibus, rursum super os putei ponerent. Dixitque ad pastores : Fratres, unde estis ? Qui responderunt : De Haran. Quos interrogans, Nunquid, ait, nostis Laban, filium Nahor ? Dixerunt : Novimus. Sanusne est ? inquit. Valet, inquiunt, et ecce Rachel, filia ejus, venit cum grege [*Vulg. add.* suo]. Dixitque Jacob : Adhuc multum diei superest, nec est tempus ut reducantur ad caulas greges : date ante potum ovibus, et sic ad pastum eas reducite. Qui responderunt : Non possumus, donec omnia pecora congregentur, et amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus greges. Adhuc loquebantur, et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui : nam gregem ipsa pascebat. Quam cum vidisset Jacob, et sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui, amovit lapidem quo puteus claudebatur. Et adaquato grege, osculatus est eam : elevataque voce flevit, et indicavit ei quod frater esset patris sui, et filius Rebeccæ : at illa festinans nuntiavit patri suo. Qui cum audisset venisse Jacob filium sororis suæ, cucurrit obviam ei, complexusque eum, et in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem [*Vulg.* tamen] causis itineris, respondit : Os meum es, et caro mea. Et postquam expleti sunt dies mensis unius, dixit ei : Num quia frater meus es, gratis servies mihi ? dic quid mercedis accipias [*Vul.* accipies]. Habebat vero filias duas, nomen majoris Lia [h. Lea] : minor vero appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis : Rachel decora facie, et venusto aspectu. Quam diligens Jacob, ait : Serviam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis. Respondit Laban : Melius est ut tibi eam dem quam viro alteri, mane apud me. Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis : et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Dixitque ad Laban. Da mihi uxorem meam : quia jam tempus expletum est, ut ingrediar ad illam. Qui, vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias. Et vespere filiam suam Liam introduxit ad eum, dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cum ex more Jacob fuisset ingressus, facto mane, vidit Liam : et dixit ad socerum suum [*Vulg. tac.* suum] : Quid est quod facere voluisti ? Nonne pro Rachel servivi tibi ? quare imposuisti mihi ? Respondit Laban : Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias. Imple hebdomadam dierum hujus copulæ : hanc quoque dabo tibi pro opere quo serviturus es mihi septem annis aliis. Acquievit placito, et hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem : cui pater servam Balam dederat. Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, serviens apud eum septem annis aliis. [T. XXV, C. LIII.] Videns autem Dominus quod despiceret Liam, aperuit vulvam ejus, sorore sterili permanente. Quæ conceptum genuit filium, vocavitque nomen ejus Ruben, dicens : Vidit Dominus humilitatem meam ; nunc amabit me vir meus. Rursumque concepit et peperit filium, et ait : Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi, vocavitque nomen ejus Simeon. Concepit tertio, et genuit alium : dixitque : Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios, et idcirco appellavit nomen ejus, Levi. Quarto concepit, et peperit filium, et ait : Modo confitebor Domino, et ob hoc vocavit eum, Judam : cessavitque parere.

[C. LIV, *Cap.* XXX.] Cernens autem Rachel quod infecunda esset, invidit sorori suæ, et ait marito

[1] Vulgat. addit *suis ;* Hebr., *patri suo et matri suæ* habet. Levia id genus deinceps satis nobis erit ad libri oram annotasse.

[2] In canone Heb. verit., inque plurimis libris mss. habetur, *Eritque germen tuum quasi pulvis terræ.* MART.

— Palat. ms., *germen* pro *semen.*

suo : Da mihi liberos, alioquin moriar. Cui iratus respondit Jacob : Num pro Deo ergo sum, qui privavit te fructu ventris tui? At illa : Habeo, inquit, famulam Balam : ingredere ad illam, ut pariat super genua mea et habeam ex ea filios. Dedique illi Balam in conjugium, quæ, ingresso ad se viro, concepit, et peperit filium. Et dixit Rachel : Judicavit mihi Deus, et exaudivit vocem meam, et dedit mihi filium : et idcirco appellavit nomen illius, Dan. Rursumque Bala concipiens peperit alterum pro quo ait Rachel : Comparavit me Deus cum sorore mea, et invalui. Vocavitque eum. Nephthali. [C. LV.] Sentiens Lia quod parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit. Qua post conceptum edente filium, dixit : Feliciter : et idcirco vocavit nomen ejus, Gad. Peperit quoque Zelpha alterum. Dixitque Lia : Hoc pro beatitudine mea : Beatam quippe me dicent mulieres. Propterea appellavit eum, Aser. Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras : quas matri Liæ detulit. Dixitque Rachel : Da mihi partem de mandragoris filii tui. Illa respondit : Parumne tibi videtur, quod præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filii mei tuleris? Ait Rachel : Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui. Redeuntique ad vesperam de agro Jacob, egressa est in occursum ejus Lia : et, Ad me, inquit, intrabis : quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei. Dormivit cum ea nocte illa. Et exaudivit Deus preces ejus : concepitque et peperit filium quintum, et ait : Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo, appellavitque nomen ejus, Issachar [1]. Rursum Lia concipiens, peperit sextum filium, et ait : Dotavit me Deus dote bona : etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios : et idcirco appellavit nomen ejus, Zabulon. Post quem peperit filiam, nomine Dinam. [C. L. VI.] Recordatus quoque Deus Rachelis, exaudivit eam, et aperuit vulvam ejus. Quæ concepit et peperit filium, dicens : Abstulit Deus opprobrium meum. Et vocavit nomen illius Joseph, dicens : Addat mihi Dominus Filium alterum. Nato autem Joseph, dixit Jacob socero suo : Dimitte me ut revertar in patriam, et ad terram meam. Da mihi uxores, et liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam; tu nosti servitutem quæ servivi tibi. Ait ei Laban : Inveniam gratiam in conspectu tuo : experimento didici quod benedixerit mihi Deus propter te ; constitue mercedem tuam quam dem tibi. At ille respondit : Tu nosti quomodo servierim tibi et quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequam venirem [*Vulg. add.* ad te], et nunc dives effectus es : benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. Justum est igitur, ut aliquando provideam etiam domui meæ. Dixitque Laban : Quid dabo tibi? At ille ait : Nihil volo : sed si feceris quod postulo, iterum pascam, et custodiam pecora tua. Gyra omnes greges tuos, et separa cunctas oves varias et sparso vellere : et quodcunque fulvum et maculosum, variumque fuerit, tam in ovibus, quam in capris, erit merces mea. Respondebitque mihi cras justitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te, et omnia quæ non fuerint varia, et maculosa, et rufa [*vulg.* furva], tam in ovibus quam in capris, furti me arguent. Dixitque Laban : Gratum habeo quod petis. Et separavit in die illo capras, et oves, hircos, et arietes varios atque maculosos, cunctum autem gregem unicolorem, id est, albi et nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum. Et posuit spatium itineris trium dierum inter se et [h. Jacob] generum, qui pascebat reliquos greges ejus. [T. XXVI.] Tollens ergo Jacob virgas populeas virides et amygdalinas, et ex platanis, ex parte decorticavit eas : detractisque corticibus, in his quæ spoliata fuerant candor apparuit : illa vero quæ integra fuerant, viridia permanserunt : atque in hunc modum color effectus est varius. Posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua : ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, et in aspectu earum conciperent. Factumque est ut in ipso calore coitus oves intuerentur virgas, et parerent maculosa, et varia, diverso colore respersa. Divisitque gregem Jacob, et posuit virgas [*Vulg. add.* in canalibus] ante oculos arietum ; erant autem alba quæque et nigra Laban; cætera vero, Jacob, separatis inter se gregibus. Igitur quando primo tempore ascendebantur oves, ponebat Jacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum et ovium, ut in earum contemplatione conciperent : quando vero serotina admissura erat, et conceptus extremus, non ponebat eas. Factaque sunt ea, quæ erant serotina, Laban : et quæ primi temporis, Jacob. Ditatusque est homo ultra modum, et habuit greges multos, ancillas et servos, camelos et asinos.

[C. LVII, *Cap.* XXXI.] Postquam autem audivit verba filiorum Laban dicentium : Tulit Jacob omnia quæ fuerant patris nostri, et de illius facultate ditatus, factus est inclytus : animadvertit quoque faciem Laban, quod non esset erga se sicut heri et nudiustertius, maxime dicente sibi Domino : Revertere in terram patrum tuorum, et ad generationem tuam, eroque tecum. Misit et vocavit Rachel

[1] Manuscripti codices *Isachar* semper legunt cum unico *s*, et in Hebræo hodierno alterum *schin* otiosum esse videtur, quia nullam habet vocalem sibi sociam. Nihilominus duplex *ss* ab Hieronymo legendum discimus; de eodem enim nomine ita disserunt in Quæst. Hebraicis. *Etymologiam*, inquit, *hujus nominis Septuaginta Interpretes ediderunt*, est merces : *non utique ut plerique, addito pronomine, male legunt, æstimandum est ita scriptum esse*, quod est merces, *sed totum nomen interpretatur*, est merces. *Is quippe dicitur* est *et* Sachar *merces*. MART.

— Nostri mss. constanter *Isachar* legunt. Vid. Quæst. Hebraicas.

et liam in agrum ubi pascebat greges, dixitque eis : Video faciem patris vestri quod non sit erga me sicut heri et nudiusterius : Deus autem patris mei fuit mecum. Et ipsæ nostis quod totis viribus meis servierim patri vestro. Sed pater vester circumvenit me, et mutavit mercedem meam decem vicibus : et tamen non dimisit eum Deus, ut noceret mihi. Si quando dixit : Variæ erunt mercedes tuæ : pariebant omnes oves varios fetus ; quando vero econtrario ait : Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt. Tulitque Deus substantiam patris vestri, et dedit mihi. Postquam enim conceptus ovium tempus advenerat, levavi oculos meos, et vidi in somnis ascendentes mares super feminas, varios et maculosos et diversorum colorum. Dixitque angelus Dei ad me in somnis : Jacob ! Et ego respondi : Adsum. Qui ait : Leva oculos tuos, et vide universos masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos atque respersos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi. Nunc ergo surge, et egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuæ. Responderuntque Rachel et Lia : Nunquid habemus residui quidquam in facultatibus et hæreditate domus patris nostri ? Nonne quasi alienas reputavit nos, et vendidit, comeditque pretium nostrum ? Sed Deus tulit opes patris nostri, et nobis eas tradidit, ac filiis nostris ; unde omnia quæ præcepit tibi Deus, fac. [B. XXXV.] Surrexit itaque Jacob, et impositis liberis et conjugibus suis super camelos, abiit. Tulitque omnem substantiam suam, et greges, et quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan. Eo tempore Laban ierat ad tondendas oves, et Rachel furata est idola [1] patris sui. Noluitque, Jacob confiteri socero suo quod fugeret. Cumque abiisset tam ipse quam omnia quæ juris ejus erant et amne transmisso pergeret contra montem Galaad [2], nuntiatum est Laban die tertio quod fugeret Jacob. Qui, assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem, et comprehendit eum in monte Galaad. Viditque in somnis dicentem sibi Deum : Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob. Jamque Jacob extenderat in monte tabernaculum : cumque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium. Et dixit ad Jacob : Quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas quasi captivas gladio ? Cur ignorante me, fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio, et canticis et tympanis, et citharis ? Non es passus ut osculerer filios meos ac filias : stulte operatus es, et nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum : sed Deus patris vestri heri dixit mihi : Cave ne loquaris cum [*Vulg.* contra Jacob quidquam durius. Esto, ad tuos ire cupiebas, et desiderio tibi erat domus patris tui, cur furatus es deos meos ? Respondit Jacob : Quod inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas. Quod autem furti me arguis, apud quemcunque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris. Scrutare quidquid tuorum apud me inveneris, et aufer : hæc dicens, ignorabat quod Rachel furata esset idola. Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob et Liæ, et utriusque famulæ, non invenit. Cumque intrasset tentorium Rachelis, illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, et sedit desuper : scrutantique omne tentorium, et nihil invenienti, ait : Ne irascatur dominus meus quod coram te assurgere nequeo : quia juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi: sic delusa sollicitudo quærentis est. Tumensque Jacob, cum jurgio ait : Quam ob culpam meam, et ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, et scrutatus es omnem suppellectilem meam ? Quid invenisti de cuncta substantia domus tuæ ? pone hic coram fratribus meis et fratribus tuis, et judicent inter me et te. Idcirco viginti annis fui tecum ? oves tuæ et capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi : nec captum a bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam : quidquid furto periebat, a me exigebas : die noctuque æstu urebar, et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Sic per viginti annos in domo tua servivi tibi, quatuordecim pro filiabus, et sex pro gregibus tuis : immutasti quoque mercedem meam decem vicibus. Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac adfuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses : afflictionem meam et laborem manuum mearum respexit Deus, et arguit te heri. Respondit in Laban : Filiæ meæ et filii, et greges tui et omnia quæ cernis, mea sunt : quid possum facere filiis et nepotibus meis ? Veni ergo, et ineamus fœdus, ut sit in testimonium inter me et te. Tulit itaque Jacob lapidem, et erexit illum in titulum : dixitque fratribus suis : Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum : quem vocavit Laban, Tumulum testis : et Jacob, Acervum testimonii ; uterque juxta proprietatem linguæ suæ [3]. Dixitque Laban : Tumulus iste testis erit inter me et te hodie, et idcirco appellatum est nomen ejus Galaad, id est, Tumulus testis. Intuea-

[1] Ubi nund. *idola* legimus, in Hebræo תרפים *theraphim* scriptum est, quod Aquila μορφώματα, id est *figurata* vel *imagines* interpretatur. Hoc autem ideo monet S. Hieronymus, ut sciamus quid in Judicum libro *theraphim* sonet. MART.

[2] Mons iste per anticipationem, ut frequenter docet Hieronymus, illo hic vocatur nomine, quo postea nuncupandus est. MART.

[3] Verba isthæc ab interprete addita sunt, neque in Hebræorum voluminibus hoc modo posita reperiuntur : sed ibi scriptum est, quod Laban *acervum lapidum* vocaverit *igar sedutha*, Jacob vero *Galaad*. Unde S. Hieronymus in Quæst. Hebraicis : *Acervus lingua Hebræa* (גל) gal *dicitur*, (עד) aad *vero testimonium*. *Rursum lingua Syra acervus* (יגר) igar *appellatur*, *testimonium* (שהדותא) sedutha. *Jacob igi-*

tur Dominus et judicet inter nos quando recesserimus a nobis, si afflixeris filias meas, et si introduxeris uxores alias super eas : nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit. Dixitque rursus ad Jacob : En tumulus hic, et lapis quem erexi inter me et te, testis erit : tumulus, inquam, iste et lapis sint in testimonium, si aut ego transierio illum pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans. Deus Abraham, et Deus Nahor, judicet inter nos, Deus patris eorum. Juravitque Jacob per timorem patris sui Isaac, immolatisque victimis in monte, vocavit fratres suos, ut ederent panem. Qui cum comedissent, manserunt ibi. Laban vero, de nocte consurgens, osculatus est filios et filias suas, et benedixit illis : reversusque est in locum suum.

[T. XXVII, C. LVIII, *Cap.* XXXII.] Jacob quoque abiit itinere quo cœperat; fueruntque ei obviam angeli Dei, quos cum vidisset, ait : Castra Dei sunt hæc : et appellavit nomen loci illius Mahnaim, id est, Castra. Misit autem et nuntios ante se ad Esau fratrem suum in terram [*Vulg.* in regionem.] Seir, regionis Edon : præcepitque eis : dicens : Sic loquimini domino meo Esau : Hæc dicit frater tuus Jacob : Apud Laban peregrinatus sum, et fui usque in præsentem diem. Habeo boves, et asinos, oves, et servos, atque ancillas : mittoque nunc legationem ad dominum meum, ut inveniam gratiam in conspectu tuo. Reversi sunt nuntii ad Jacob, dicentes : Venimus ad Esau fratrem tuum, et ecce properat in occursum tibi cum quadringentis viris. Timuitque Jacob valde : et perterritus divisit populum qui secum erat, greges quoque et oves et boves et camelos, in duas turmas, dicens : Si venerit Esau ad unam turmam, et percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, salvabitur. Dixitque Jacob : Deus patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac : Domine, qui dixisti mihi, Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ, et benefaciam tibi : minor sum cunctis miserationibus, et veritate [*Vulg.* miserationibus et veritate tua], quam explesti servo tuo. In baculo meo transivi Jordanem istum : et nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei, de manu [*Vulg. tac.* de manu] Esau, quia valde eum timeo : ne forte veniens percutiat matrem cum filiis. Tu locutus es quod benefaceres mihi, et dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest. Cumque dormisset ibi nocte illa, separavit de his quæ habebat, munera Esau fratri suo, capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, et arietes viginti, camelos fetas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, et tauros decem [1], asinas viginti, et pullos earum decem. Et misit per manus servorum suorum singulos seorsum greges : dixitque pueris suis : Antecedite me, et sit spatium inter gregem et gregem. Et præcepit priori dicens Si obvium habueris Esau fratrem meum, et interrogaverit te, Cujus es? aut, Quo vadis? et [*Vulg.* aut], Cujus sunt ista quæ sequeris? Respondebis : Servi tui, Jacob, munera misit domino meo Esau : ipse quoque post nos venit. Similiter mandata dedit secundo, et tertio, et cunctis qui sequebantur greges, dicens : Iisdem verbis loquimini ad Esau, cum inveneritis eum. Et addetis : Ipse quoque servus tuus Jacob iter nostrum insequitur, dixit enim : Placabo illum muneribus quæ præcedunt, et postea videbo eum, forsitan propitiabitur mihi. Præcesserunt itaque munera ante eum, ipse vero mansit nocte illa in castris. Cumque mature surrexisset, tulit duas uxores suas, et totidem famulas, cum undecim filiis et transivit vadum Jebboc. Transductisque omnibus quæ ad se pertinebant, remansit solus : ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit. Dixitque ad eum : Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Ait ergo : Quod nomen est tibi? Respondit : Jacob. At ille, Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel : quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævaiebis! Interrogavit eum Jacob : Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit : Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco. Vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens : Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Ortusque est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel : ipse vero claudicabat pede. Quam ob causam non comedunt filii Israel nervum, qui emarcuit in femore Jacob, usque in præsentem diem : eo quod tetigerit nervum femoris ejus, et obstupuerit.

[*Cap.* XXXIII.] Levans autem Jacob oculos suos, vidit venientem Esau, et cum eo quadringentos viros, divisitque filios Liæ et Rachel, ambarumque famularum : et posuit utramque ancillam, et liberos earum, in principio : Liam vero, et filios ejus, in secundo loco : Rachel autem et Joseph, novissimos. Et ipse progrediens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus. Currens itaque Esau obviam fratri suo, amplexatus est eum : stringensque collum ejus et osculans flevit. Levatisque oculis, vidit mulieres et parvulos earum, et ait : Quid sibi volunt isti? et si ad te pertinent? Respondit : Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo. Et appropinquantes ancillæ et filii

tur acervum testimonii, hoc est, Galaad, *lingua appellavit Hebræa : Laban vero idipsum, id est acervum testimonii*, igar sedutha, *gentis suæ sermone vocavit ; erat enim Syrus, et antiquam linguam parentum, provinciæ in qua habitabat, sermone commutaverat.* MART.

— Hanc clausulam, *uterque juxta proprietatem linguæ suæ*, addit Latinus interpres de suo. Vid. Quæst. Hebraicas.

[1] Nostri omnes mss. *viginti* numerant, cum Syriaco et Vulgato interprete.

earum, incurvati sunt. Accessit quoque Lia cum liberis [*Vulg.* pueris] suis : et cum similiter adorassent, extremi Joseph et Rachel adoraverunt. Dixitque Esau : Quænam sunt istæ turmæ, quas obviam habui ? Respondit : Ut invenirem gratiam coram domino meo. At ille ait : Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi. Dixitque Jacob : Noli ita, obsecro : sed si inveni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis : sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei : esto mihi propitius, et suscipe benedictionem quam attuli tibi, et quam donavit mihi Deus tribuens omnia. Vix fratre compellente suscipiens, ait : Gradiamur simul, eroque socius itineris tui. Dixitque Jacob : Nosti, domine mi, quod parvulos habeam teneros, et oves et boves fetas, mecum : quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges. Præcedat dominus meus ante servum suum, et ego sequar paulatim vestigia ejus sicut videro posse parvulos meos, donec veniam ad dominum meum in Seir. Respondit Esau : Oro te, ut de populo qui mecum est, saltem socii remaneant viæ tuæ. Non est, inquit, necesse : hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu domini mei [1]. Reversus est itaque illo die Esau itinere quo venerat in Seir. [C. LIX.] Et Jacob venit in Sochoth : ubi ædificata domo et fixis tentoriis, appellavit nomen loci illius Sochoth, id est tabernacula. [B. XXXVI.] Transivitque in Salem [2] urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ, et habitavit juxta oppidum. Emitque partem agri in qua fixerat tabernacula, a filiis Emor patris Sichem, centum agnis. Et erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israel.

[T. XXVIII, *Cap.* XXXIV.] Egressa est autem Dina, filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius. Quam cum vidisset Sichem filius Emor Evæi, princeps terræ illius, adamavit eam, et rapuit, et dormivit cum illa, vi opprimens virginem. Et conglutinata est anima ejus cum ea, tristemque blanditiis delinivit. Et pergens ad Emor patrem suum, Accipe mihi, inquit, puellam hanc conjugem. Quod cum audisset Jacob, absentibus filiis, et in pastu pecorum occupatis, siluit donec redirent. Egresso autem Emor patre Sichem, ut loqueretur ad Jacob, ecce filii ejus veniebant de agro, auditoque quod acciderat, irati sunt valde, eo quod fœdam rem esset operatus in Israel, et, violata filia Jacob, rem illicitam perpetrasset. Locutus est itaque Emor ad eos, et dixit : Sichem filii mei adhæsit anima filiæ vestræ : date eam illi uxorem, et jungamus vicissim connubia ; filias vestras tradite nobis, et filias nostras accipite. Et habitate nobiscum : terra in potestate vestra est : exercete, negotiamini, et possidete eam. Sed et Sichem ad patrem et fratres ejus ait : Inveniam gratiam coram vobis, et quæcunque statueritis, dabo : augete dotem, munera postulate, et libens [*Vulg.* libenter] tribuam quod petieritis : tantum date mihi puellam hanc uxorem. Responderunt filii Jacob Sichem et patri ejus in dolo, sævientes ob stuprum sororis : Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso : quod illicitum et nefarium est apud nos. Sed in hoc valebimus fœderari, si esse volueritis nostri similes, et circumcidatur in vobis omne [*Vulg.* omnis] masculini sexus : tunc dabimus et accipiemus mutuo filias nostras ac vestras, et habitabimus vobiscum, erimusque unus populus : sin autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam nostram, et recedemus. Placuit oblatio eorum Emor, et Sichem filio ejus : nec distulit adolescens quin statim quod petebatur, expleret : amabat enim puellam valde, et ipse erat inclytus in omni domo patris sui. Ingressique portam urbis, locuti sunt populo : Viri isti pacifici sunt, et volunt habitare nobiscum : negotientur in terra, et exerceant eam, quæ spatiosa et lata cultoribus indiget : filias eorum accipiemus uxores, et nostras illis dabimus. Unum est, quo differtur tantum bonum : Si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes. Et substantia eorum, et pecora [3], et cuncta quæ possident nostra erunt : tantum in hoc acquiescamus, et habitantes simul, unum efficiemus populum. Assensi sunt omnes, circumcisis cunctis maribus. Et ecce die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est, arreptis, duo Jacob filii Simeon et Levi, fratres Dinæ, gladiis, ingressi sunt urbem confidenter : interfectisque omnibus masculis, et Emor et Sichem filium suum [4] pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. Quibus egressis, irruerunt super occisos cæteri filii Jacob [In h. non habet, cæteri filii Jacob, sed *filii Jacob venerunt super occisos*], et depopulati sunt urbem in ultionem stupri. Oves eorum, et armenta, et asinos, cunctaque vastantes quæ in domibus et in agris erant ; parvulos quoque et uxores eorum duxerunt captivas. Quibus patratis audacter Jacob dixit ad Simeon et Levi : Turbastis me, et odiosum me fecistis Chananæis et Pheresæis habitatoribus terræ hujus. Nos

[1] Vulg. *in conspectu tuo, domine mi*, longius ab Hebræo.

[2] Error oboritur hic loci, si credatur ista *Salem* esse *Jerusalem*, quæ *Salem* etiam ante dicta est, in qua regnavit Melchisedech (*Gen.* XIV, 18) Consule lib. *Quæst. Hebraicarum* sancti Hieronymi. MART.

— Vocem *Salem* Urbinas ms. tacet. Fuerit ejus descriptor in ea sententia, non esse illud proprium urbis nomen ; Hebræorum enim magistri de ipso Jacob accipiunt, quod שלם *salem*, id est, *illæsus, incolumis*, venerit Sichem. Obstare autem Hebræi textus syntaxis videtur.

[3] Istud *et pecora*, quod in Hebræo quoque resonat, Vulgatus interpres nescit.

[4] Hic quoque *filium suum*, quod in Hebræo est בנו, in Vulgat. edit. desideratur.

pauci sumus ; illi congregati percutient me, et delebor ego, et domus mea. Responderunt : Nunquid ut scorto abuti debuere sorore nostra ?

[C. LX, *Cap.* XXXV.] Interea locutus est Deus ad Jacob : Surge, et ascende Bethel, et habita ibi, facque altare Deo qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum. Jacob vero, convocata omni domo sua, ait : Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Surgite, et ascendamus in Bethel, et [*Vulg.* ut] faciamus ibi altare Deo, qui exaudivit me in die tribulationis meæ, et socius fuit itineris mei. Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, et inaures quæ erant in auribus eorum : at ille infodit eas subter terebinthum, quæ est post urbem Sichem. Cumque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes. [C. LXI, B. XXXVII.] Venit igitur Jacob Luzam, quæ est in terra Chanaam, cognomento Bethel ; ipse et omnis populus cum eo. Ædificavitque ibi altare, et appellavit nomen loci [*Vulg. add.* illius] Domus Dei : ibi enim apparuit ei Deus cum fugeret fratrem suum [*Vulg. tac.* suum]. Eodem tempore mortua est Debbora nutrix Rebeccæ, et sepulta est ad radices Bethel subter quercum : vocatumque est nomen loci [*Vulg. add.* illius], Quercus fletus. Apparuit autem iterum Deus Jacob postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitque ei dicens : Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellavit eum Israel, dixitque ei : Ego Deus omnipotens, cresce et multiplicare : gentes et populi nationum erunt ex te, reges de lumbis tuis egredientur. Terramque quam dedi Abraham et Isaac, dabo tibi et semini tuo post te. Et recessit ab eo. [C. LXII.] Ille vero erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus : libans super eum libamina et effundens oleum : vocansque nomen loci illius, Bethel. [T. XXIX.] Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam : in qua cum parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix : Noli timere, quia et hunc habebis filium. Egrediente autem anima præ dolore, et imminente jam morte, vocavit nomen filii sui Benoni, id est filius doloris mei : pater vero appellavit eum Benjamin, id est filius dextræ. Mortua est ergo Rachel, et sepulta in via quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. Erexitque Jacob titulum super sepulcrum ejus. Hic est titulus monumenti Rachel, usque in præsentem diem. Egressus inde, fixit tabernaculum trans turrem gregis. Cumque habitaret in illa regione, abiit Ruben, et dormivit cum Bala concubina patris sui, quod illum minime latuit. Erant autem filii Jacob duodecim. Filii Liæ : primogenitus Ruben, et Simeon et Levi, et Judas, et Issachar, et Zabulon. Filii Rachel : Joseph et Benjamin. Filii Balæ ancillæ Rachelis, Dan et Nephtali. Filii Zelphæ ancillæ Liæ, Gad et Aser ; hi filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ. Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mamre, civitatem Arbee, hæc est Hebron ; in qua peregrinatus est Abraham et Isaac. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum. Consumptusque ætate mortuus est : et appositus est populo suo senex et plenus dierum : et sepelierunt eum Esau et Jacob filii sui.

[T. XXX, C. LXIII, *Cap.* XXXVI.] Hæ sunt autem generationes Esau, ipse est Edom. Esau accepit uxores de filiabus Chanaan ; Ada filiam Elon Hethæi, et Olibama filiam Ana, filiam Sebeon Hevei : Basemath quoque filiam Ismael sororem Nabajoth. Peperit autem Ada, Eliphaz : Basameth genuit Rahuei : Oolibama edidit Jesus et Jalam [*Vulg.* genuit Jelom] et Core. Hi filii Esau qui nati sunt ei in terra Chanaan. Tulit autem Esau uxores suas et filios et filias, et omnem animam domus suæ, et substantiam, et pecora, et cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan : et abiit in alteram [1] regionem, recessitque a fratre suo Jacob. Divites enim erant valde, et simul habitare non poterant : nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. Habitavitque Esau in monte Seir, ipse est Edom. Hæ sunt autem generationes Esau patris Edom in monte Seir, et hæc nomina filiorum ejus : Eliphaz filius Ada uxoris Esau : Rahuel quoque filius Basemath uxoris ejus. Fueruntque filii Eliphaz : Theman, Omar, Sephu, et Gatham, et Cenez. Erat autem Thamna, concubina Eliphaz filii Esau : quæ peperit ei Amalech. Hi sunt filii Adæ uxoris Esau. Filii autem Rahuel : Nahat et Zara, Semma et Miza [*Vulg.* Samma et Meza]. Hi filii Basemath uxoris Esau. Isti quoque erant filii Oolibama filiæ Ana, filiæ Sebeon, uxoris Esau, quos genuit ei, Jeus et Jalam, et Core. [C. LXIV.] Hi duces filiorum Esau : filii Eliphaz primogeniti Esau : dux Theman, dux Omar, dux Sephu, dux Cenez, dux Core, dux Gatham, dux Amalech. Hi duces Eliphaz in terra Edom, et hi filii Adæ [2]. Hi quoque filii Rahuel filii Esau, dux Nahath, dux Zata, dux Semma, dux Miza. Hi autem duces Rahuel in terra Edom : isti filii Basemath uxoris Esau. Hi autem filii Oolibama uxoris Esau : dux Jeus, dux Jalam, dux Core. Hi duces Oolibama filiæ Ana uxoris Esau. Isti filii Esau, et hi duces eorum : ipse est Edom. Isti sunt filii Seir Horræi habitatores terræ : Lotan, et Sobal, et Sebeon, et Ana, Dison, et Eser, et Disan. Hi duces Horrhæi, filii Seir, in terra Edom. Facti sunt autem filii Lothan Hori et Heman ; erat autem soror Lothan, Thamna. Et isti filii Sobal : Alvan et Manabath et Hebal, et Sepho et Onam. Et hi filii Sebeon : Aja et Ana. Iste est Ana qui invenit aquas calidas [*in Hebr.* הימים mulos in solitudine], cum pasceret asinos Sebeon patris sui : habuitque filium Disan, et filiam Ooli-

[1] Neque Heb. textus, neque Vulgatus interpres habent *alteram ;* sed Targum Chald., ubi explicatius additur אוחרי.

[2] Sic et Hebr. habet אלופי, *duces*. Vulgata editio *filii* præfert.

bama. Et isti filli Disan : Amdam, et Eseban, et Jethran, et Charan. Hi quoque filii Eser : Balaan et Tavan, et Acan. Habuit autem filios Disan : Hus et Aram. Istis duces Horræorum : dux Lothan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana, dux Dison, dux Eser, dux Disan : isti duces Horræorum qui imperaverunt in terra Seir. [C. LXV.] Reges autem qui regnaverunt in terra Edom antequam haberent regem filii Israel, fuerunt hi : Bela filius Beor, nomenque urbis ejus Denaba. Mortuus est autem Bela, et regnavit pro eo Jobab filius Zaræ de Bosra. Cumque mortuus esset Jobab, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum. Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madan in regione Moab, et nomen urbis ejus Havith. Cumque mortuus esset Adad, regnavit pro eo Semla de Masereca. Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Saul de fluvio Rooboth. Cumque et hic obiisset, successit in regnum Bahalanan filius Achobor. Isto quoque mor. tuo regnavit pro eo Adad [*Vulg.* Adar], nomenque urbis ejus Phau, et appellabatur uxor illius Mehetabel, filia Matred, filia Mesaab. Hæc ergo nomina ducum Esau, in cognationibus, et locis, et vobabulis suis : dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth, dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, dux Magdiel, dux Iram ; hi duces Edom habitantes in terra imperii sui ; ipse est Esau pater Idumæorum.

[*Cap.* XXXVII.] Habitavit autem Jacob in terra Chanaan, in qua peregrinatus est pater suus. Et hæ sunt generationes ejus [*Hebr.* Jacob. *Vulg. tacet*]. [T. XXXI, B. XXXVIII, C. LXVI.] Joseph cum sexdecim esset annorum [1], pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer, et erat cum filiis Balæ et Zelphæ uxorum patris sui, accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo. Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum, fecitque ei tunicam polymitam [2]. Videntes autem fratres ejus quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. Accedit quoque ut visum somnium referret fratribus suis, quæ causa majoris odii seminarium fuit. Dixitque ad eos : Audite somnium meum quod vidi : Putabam ligare nos manipulos in agro, et quasi consurgere manipulum meum, et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Responderunt fratres ejus : Nunquid rex noster eris ? aut subjiciemur ditioni tuæ ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, invidiæ et odii fomitem ministravit. Aliud quodque vidit somnium, quod narrans fratribus suis [*Vulg. tac.* suis], ait : Vidi per somnium, quasi solem et lunam, et stellas undecim adorare me. Quod cum patri suo et fratribus retulisset, increpavit eum pater [*Vulg. add.* suus], et dixit : Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti ? num ego et mater tua et fratres tui adorabimus te super terram ? Invidebant ei igitur fratres sui : pater vero rem tacitus considerabat. Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel : Fratres tui pascunt oves in Sichimis : veni, mittam te ad eos. Quo respondente, Præsto suum, ait [*Vulg. add.*] ei : Vade et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, et pecora, et renuntia mihi quid agatur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem : invenitque eum vir errantem in agro, et interrogavit quid quæreret. At ille respondit : Fratres meos quæro, indica mihi ubi pascant greges. Dixitque ei vir : Recesserunt de loco isto ; audivi autem eos dicentes : Eamus in Dothain. [C. LXVII]. Perrexit ergo Joseph post fratres suos, et invenit eos in Dothain. Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere, et mutuo loquebantur : Ecce somniator venit, occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem : dicemusque : Fera pessima devoravit eum et tunc apparebit quid illi prosint somnia sua. Audiens hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, et dicebat : Non interficiamus [3] animam ejus, nec effundatis sanguinem : sed projicite eum in cisternam hanc, quæ est solitudine, manusque vestres servate innoxias ; hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, et reddere patri suo. Confestim igitur ut pervenit ad fratres [*Vulg. add.* suos], nudaverunt eum tunica talari et polymita : miseruntque [*Vulg.add.*eum]in cisternam,quæ non habebat aquam. Et sedentes ut comederent panem, viderunt viatores Ismaelitas venire de Galaad, et camelos eorum, portantes aromata,

[1] In Hebræo *filius decem et septem annorum* dicitur Joseph. Quod sequuntur Græci, et cunctæ Orientalium versiones ; sensum tamen recte expressit Hieronymus, quia annos sexdecim expletos intelligit. MART.

--Exciderit e Latino apographo ultima numeralis nota, aut quod passim usu venit, effugerit describentis oculos, qui XVI depinxit pro XVII. Cætera enim adeo certum est juxta Hebræum et versiones omnes, *septemdecim* hic quoque debere legi pro *sexdecim*, ut nimirum audiendus Martianæus sit qui expressisse Hieronymum putat annos jam expletos, et quem nondum exegerat Joseph, decimum septium prætermississe. Nihil minus : Hieronymo immutare pro arbitrio textum neque licuit, neque tantum sibi ille unquam tribuit.

[2] Pro *varia* sive *polymita*, Aquila interpretatus est ἀστραγάλειον, id est *tunicam latarem ;* Symnachus, *tunicam manicatam* ; sive quod ad talos usque descenderet, et manibus artificis mira esset varietate distincta : sive quod haberet manicas : antiqui enim magis colobiis utebantur. MART.

[3] Sic canon Hebr. verit. et manuscriptus alter Bibliorum. In Hebræo ac Samaritano textu habetur נכנו *nacennu, percutiamus eum*, sive *interficiamus ;* quam lectionem sequuntur quoque LXX ac cæteri interpretes ; sed dissentiunt in consequentibus ; nam legunt in tertia persona אל־תשפכו *al-thisphechu, ne effundatis :* duo autem codices mss. jam memorati habent *effundamus*, manifesto, ni falllor, scriptorum errore. MART.

—Vulgat interpres, *non interficiatis*. Unus Urbinas ms. consequenter, *nec effundamus*.

et resinam, et stacten, in Ægyptum. Dixit ergo Judas fratribus suis : Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, et celverimus sanguinem ipsius ? Melius est ut venundetur Ismaelitis, et manus nostræ non polluantur : frater enim et caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus ejus. Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt [*Vulg. add.* eum] Ismaelitis, viginti argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum. Reversusque Ruben ad cisternam, non invenit puerum, et scissis vestibus, pergens ad fratres suos, ait : Puer non comparet, et ego quo ibo ? Tulerunt autem tunicam ejus, et in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt; mittentes qui ferrent ad patrem, et dicerent : Hanc invenimus : vide utrum tunica filii tui sit, an non. Quam cum agnovisset pater, ait : Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph. Scissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium multo tempore. Congregatis autem cunctis liberis ejus, ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem recipere, et [*Vulg.* sed] ait : Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseverante in fletu, Madianitæ vendiderunt Joseph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis, magistro militiæ.

[T. XXXII, C. LXVIII, *Cap.* XXXVIII.] Eodem tempore descendens Judas a fratribus suis divertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram. Viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sua : et uxore accepta, ingressus est ad eam. Quæ concepit, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Her. Rursus concepto fetu, natum filium nominavit Onam. Tertium quoque peperit : quem appellavit Sella; quo nato, parere ultra cessavit. Dedit autem Judas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. Fuit quoque Her primogenitus Judæ, nequam in conspectu Domini : et ab eo occisus est. Dixit ergo Judas ad Onam filium suum : Ingredere ad uxorem fratris tui, et sociare illi, ut suscites semen fratri tuo. Ille autem sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret. Quamobrem dixit Judas Thamar nuri suæ : Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sella filius meus : timebat enim, ne et ipse moreretur sicut fratres ejus. Quæ abiit, et habitavit in domo patris sui. Evolutis autem multis diebus, mortua est filia Sua uxor Judæ : qui post luctum consolatione suscepta, ascendebat ad tonsores ovium suarum, ipse et Hiras opilio gregis [1] Odollamita, in Timnatha [2]. Nuntiatumque est Thamar quod socer illius ascenderet in Thimnatha ad tondendas oves. Quæ, depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum : et mutato habitu, sedit in bivio itineris, quod ducit Thimnatham; eo quod crevisset Sela, et non eum accepisset maritum. Quam cum vidisset Judas, suspicatus est esse meretricem : operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur. Ingrediensque ad eam, ait : Dimitte me, ut coeam tecum : nesciebat enim quod nurus sua esset. Qua respondente : Quid mihi dabis ut fruaris concubitu meo? dixit : Mittam tibi hædum de gregibus. Sursumque illa dicente : Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris. Ait Judas : Quid vis tibi pro arrhabone dari ? Respondit : Annulum tuum, et armillam, et baculum tuum [*Vulg. tacet* tuum] quem in manu tenes. Ad unum igitur coitum concepit mulier et surgens abiit ; depositoque habitu, quem assumpserat, induta est viduitatis vestibus. Misit autem Judas hædum per pastorem suum Odollamitem, ut reciperet pignus quod dederat mulieri, qui cum non invenisset eam, interrogavit homines loci illius ? Ubi est mulier quæ sedebat in bivio ? Respondentibus cunctis : Non fuit in loco isto meretrix, reversus est ad Judam, et dixit ei non inveni eam ; sed et homines loci illius dixerunt mihi nunquam ibi sedisse scortum. Ait Judas : Habeat sibi, certe mendacii nos arguere non poterit [*Vulg.* potest] : ego misi hædum quem promiseram, et tu non invenisti eam. Ecce autem post tres menses renuntiaverunt Judæ, dicentes : Fornicata est Thamar nurus tua, et videtur uterus illius intumescere. Dixit Judas : Producite eam, ut comburatur. Quæ cum educeretur ad pœnam, misit ad socerum suum dicens : De viro, cujus hæc sunt, concepi; agnosce cujus sit annulus, et armilla, et baculus. Qui agnitis muneribus, ait : Justior me est [3], quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen ultra non cognovit illam. Instante autem partu, apparuerunt gemini in utero : atque in ipsa effusione infantum, unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens : iste egredietur prior. Illo vero retrahente manum, egressus est alter : dixitque mulier : Quare divisa est propter te maceria? et ob hanc causam vocavit nomen ejus Phares. Postea egressus est frater ejus, in cujus manu erat coccinum : quem appellavit Zara.

[T. XXXIII, B. XXXIX, C. LXIX, *Cap.* XXXIX.] Igitur Joseph ductus in Ægyptum est, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus [*Vulg. add.* sui], vir Ægyptus, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat. Fuitque Dominus

[1] Pro *opilione* sive *pastore*, *amicus* legitur (רעה) Sed verbum ambiguum est, quia iisdem litteris utrumque nomen scribitur : verum amicus *ree*, pastor *roe* legitur ; רעה igitur nomen Hebræum diversimode legit Hieronymus, *roe* hic loci, *ree* vero in *Quæstionibus Hebraicis*. De hac diversa interpretandi ratione apud Hieronymum non insolita, diximus in Prolegomenis nostris. MART.

[2] Vulgatus interpres constanter effert *Thamnas* Hebræus vero תמנתה.

[3] In Hebræo habet : *Justificata est ex me*, non quod justa fuerit, sed quod comparatione illius minus mali fecerit, nequaquam vaga ad turpitudinem, sed liberos requirendo. MART.

—Addit ms. Urbinas hic nomen *Thamar*.

cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens : habitavitque in domo domini sui, qui optime noverat esse Dominum cum eo, et omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, et ministrabat ei, a quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, et universa quæ ei tradita fuerant : benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in ædibus, quam in agris, cunctam ejus substantiam : nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur. Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus aspectu. Post multos itaque dies injecit domina oculos suos in Joseph, et ait : Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam : Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua ; nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es ; quomodo ergo possum malum hoc facere, et peccare in Deum [*Vulg. add.* meum] ? Hujuscemodi verbis per singulos dies, et mulier molesta erat adolescenti, et ille recusabat stuprum. Accidit autem quadam die, ut intraret Joseph domum, et operis quidpiam absque arbitris faceret ; et illa, apprehensa lacinia vestimenti ejus, diceret : Dormi mecum. Qui, relicto in manu illius pallio, fugit, et egressus est foras. Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, et se esse contemptam, vocavit [*Vulg. add.* ad se] homines domus suæ, et ait ad eos : En introduxit virum Hebræum, ut illuderet nobis ; ingressus est ad me, ut coiret mecum, cumque ego succlamassem, et audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, et fugit foras. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti in domum suam [*Vulg. tacet* in *et* suam], et ait : Ingressus est ad me servus Hebræus quem adduxisti ut illuderet mihi ; cumque audisset me clamare [1], reliquit pallium [*Vulg. add.* quod tenebam], et fugit foras. His auditis dominus, et nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde ; tradiditque Joseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur, et erat ibi clausus. Fuit autem Dominus cum Joseph, et misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris, qui tradidit in manu ipsius universos vinctos qui in custodia tenebantur ; et quidquid fiebat, sub ipso erat. Nec noverat aliquid cunctis ei creditis : Dominus enim erat cum illo, et omnia opera ejus dirigebat.

[T. XXXIV, C. LXX, *Cap.* XL.] His itaque gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi, pincerna [2] regis Ægypti, et pistor, domino suo. Iratusque Pharao contra eos (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus), et misit eos in carcerem principis militum in quo erat vinctus et Joseph. At custos carceris tradidit eos Joseph, qui et ministrabat eis. Aliquantum temporis fluxerat, et illi in custodia tenebantur. Videruntque ambo somnium nocte una juxta interpretationem congruam sibi ; ad quos cum introisset Joseph mane, et vidisset eos tristes, sciscitatus est dicens : Cur tristior est hodie solito facies vestra ? Qui responderunt : Somnium vidimus, et non est qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Joseph : Nunquid non Dei est interpretatio ? referte mihi quid videritis. Narravit prior, præpositus pincernarum, somnium suum : Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, et post flores uvas maturescere : calicemque Pharaonis in manu mea ; tulli ergo uvas, et expressi in calicem quem tenebam, et tradidi poculum Pharaoni. Respondit Joseph : Hæc est interpretatio somnii : Tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui et restituet te in gradum pristinum : dabisque ei calicem juxta officium tuum, sicut facere ante consueveras. Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit, et facias mecum misericordiam ; ut suggeras Pharaoni, et [*Vulg.* ut] educat me de isto carcere ; quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, et hic innocens in lacum missus sum. Videns pistorum magister quod prudenter somnium dissolvisset, ait : Et ego vidi somnium : Quod haberem tria canistra farinæ super caput meum ; et in uno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo. Respondit, Joseph : Hæc est interpretatio somnii : Tria canistra tres adhuc dies sunt ; post quos auferet Pharao caput tuum ac suspendet te in cruce, et lacerabunt volucres carnes tuas. Exin dies tertius natalis [*Vulg.* natalitius] Pharaonis erat : qui faciens grande convivium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, et pistorum principis. Restituitque alterum in locum suum, ut porrigeret regi [*Vulg.* ei] poculum : alterum suspendit in cruce [*Vulg.* patibulo], ut conjectoris veritas probaretur Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.

[C. LXXI, *Cap.* XLI.] Post duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves, pulchræ et crassæ nimis : pascebantur in locis palustribus. Aliæ quoque septem emergebant de flumine, fœdæ confectæque macie et pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus : devoraveruntque eas quarum mira species et habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao, rursum dormivit, et vidit

[1] Aliter mss. codices et canon Hebr. verit. qui legunt : *Cumque vidisset me clamare* ; sed idem est sensus in utraque lectione. MART.

— Nostri et quos Martian. consuluit mss., *vidisset* pro *audisset*.

[2] Notat sanctus Hieronymus in Hebræo scriptum esse *Masec*, illud verbum quod in nomine servi Abraham supra legitur. Hodie tamen in Hebræo illud verbum nonnihil habet diversitatis, quia pro servo Abraham supra, cap. xv, 2, scribitur ; משק *masec* : hic vero משכה *masce*. Nomen autem *masec* more vulgi *pincernam* vocat Hieronymus. MART.

alterum somnium. Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque formosæ : aliæ quoque totidem, spicæ tenues, et percussæ uredine oriebantur, devorantes omnem priorum pulchritudinem. Evigilans Pharao post quietem, et facto mane, pavore perterritus, misit ad [*Vulg. add.* omnes] conjectores Ægypti cunctosque sapientes, et accersitis narravit somnium, nec erat qui interpretaretur. Tunc demum reminiscens pincernarum magister ait : Confiteor peccatum meum : Iratus rex servis suis, me et magistrum pistorum retrudi jussit in carcerem principis militum : ubi una nocte uterque vidimus somnium, præsagium futurorum. Erat ibi puer Hebræus, ejusdem ducis militum famulus : cui narrantes somnia, audivimus quidquid postea rei probavit eventus : ego enim redditus sum officio meo et ille suspensus est in cruce. [B. XL.] Protinus ad regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt : ac veste mutata, oblatus est ei. Cui ille ait : Vidi somnia, nec est qui edisserat : quæ audivi te prudentissime [*Vulg.* sapientissime] conjicere. Respondit Joseph : Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni [1]. Narravit ergo Pharao quod viderat : Putabam me stare super ripam fluminis, et septem boves de amne conscendere, pulchras nimis, et obesis carnibus, quæ in pastu paludis vireta carpebant. Et ecce, has sequebantur aliæ septem boves in tantum deformes et macilentæ, ut nunquam tales in terra Ægypti viderim : quæ, devoratis et comsumptis prioribus, nullum saturitatis dedere vestigium sed simili macie et squalore torpebant. Evigilans, rursum sopore depressus, vidi somnium : septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque pulcherrimæ. Aliæ quoque septem tenues et percussæ uredine, oriebantur e stipula quæ priorum pulchritudinem devorarunt. Narravi conjectoribus somniorum [*Vulg.* somnium], et nemo est qui edisserat. Respondit Joseph : Somnium regis unum est : quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni. Septem boves pulchræ, et septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt : eamdemque vim somnii comprehendunt. Septem quoque boves tenues atque macilentæ, quæ ascenderunt post eas, et septem spicæ tenues, et vento urente percussæ septem anni sunt venturæ famis. Qui hoc ordine complebuntur : Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in universa terra Ægypti : quos sequentur septem anni alii tantæ sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia : consumptura est enim fames omnem terram, et ubertatis magnitudinem perditura est inopiæ magnitudo. Quod autem vidisti secundo ad eamdem rem pertinens somnium, firmitatis indicium, est, eo quod fiat sermo Dei, et velocius impleatur. Nunc ergo provideat rex virum sapientem et industrium, et præficiat eum terræ Ægypti ; qui constituat præpositos per singulas [*Vulg.* cunctas] regiones, et quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis [*Vulg.* sterilitatis], qui jam nunc futuri sunt, congreget in horrea, et omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur serveturque in urbibus. Et paretur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum, et non consumetur terra inopia. Placuit Pharaoni consilium et cunctis ministris ejus : locutusque est ad eos : Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit ? Dixit ergo ad Joseph : Quia ostendit Deus tibi omnia quæ locutus es, nunquid sapientiorem et similem tui invenire potero ? Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet : uno tantum regni solio te præcedam. Dixit quoque rursum Pharao ad Joseph : Ecce constitui te super universam terram Ægypti. Tulit annulum de manu sua et dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti. Dixit quoque rex ad Joseph : Ego sum Pharao : absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti. Vertitque nomen illius, et vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi [2]. Deditque illi uxorem Aseneth, filiam Putiphares, sacerdotis Hieliopoleos. [T. XXXV.] Egressus itaque Joseph ad terram Ægypti (triginta autem annorum erat quando stetit in conspectu regis Pharaonis), circuivit omnes regiones Ægypti. Venitque fertilitas septem annorum : et in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est. Tantaque fuit multitudo

[1] In Hebræo שלום *Salomon* habet : quare Hieronymus in Quæstionibus jam centies nominatis ita interpretatur ad verbum : *Sine me Deus respondebit pacem Pharaoni.* Denique, inquit, Symmachus more suo apertius transtulit : *Non ego, sed Deus respondebit pacem Pharaoni.* MART.

— Mavult in Hebraic. Quæstionibus transferri, *pacem*, juxta Hebr. שכום.

[2] Hunc locum paraphrasticŏs vertit Hieronymus, in Hebræo enim hæc tantum leguntur : *Et vocavit Pharao nomen Joseph* צפנת פענח *Saphaneth Phane.* Sed ad sensum Scripturæ facilius percipiendum non parum conducunt quæ ab Hieronymo addita monemus : unde libro *Traditionum Hebraicarum* de nomine imposito Joseph ipse scribit *Licet : Hebraice hoc nomen* absconditorum repertorem *sonet, tamen quia ab Ægyptio ponitur, ipsius linguæ debet habere rationem. Interpretatur ergo sermone Ægyptio* Saphaneth phane, *sive, ut Septuaginta transferre voluerunt,* Ψομσθὸμ φανὴχ; Salvator mundi : *eo quod orbem terræ ab imminente famis excidio liberarit.* MART.

— Nonnihil ab Hebræo abludit, neque enim habet textus, *vertitque nomen ejus*, multoque minus illud, *lingua Ægyptiaca :* sed tantum, *et vocavit Pharao nomen Joseph. Zaphnat Pantach.* Nec ignorabat Hieron. commodum in Hebræo significatum habere has voces, scilicet, *abscondita revelantis* : sed maluit Ægyptiæ putare originis, quod alii tamen auctores non probant : Vide *Quæst. Hebraicas.*

[*Vulg.* abundantia] tritici, ut arenæ maris coæquaretur, et copia mensuram excederet. Nati sunt autem Joseph filii duo antequam veniret fames; quos ei peperit Aseneth, filia Putiphares, sacerdotis Heliopoleos. Vocavitque nomen primogeniti. Manasses, dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Igitur transactis septem annis ubertatis, qui fuerant in Ægypto, cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Joseph: et in universo orbe fames prævaluit; in cuncta autem terra Ægypti deerat panis. Qua esuriente, clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Joseph, et quidquid vobis dixerit, facite. Crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitque Joseph universa horrea et vendebat Ægyptiis: nam et illos oppresserat fames. Omnesque provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent escas, et malum inopiæ temperarent.

[B. XLI, C. LXXII, *Cap.* XLII.] Audiens autem Jacob quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Quare negligitis? audivi quod triticum venundetur in Ægypto: descendite et emite nobis necessaria, ut possimus vivere et non consumamur inopia. Descendentes igitur fratres Joseph decem, ut emerent frumenta in Ægypto (Benjamin domi retento ab Jacob, qui dixerat fratribus ejus: Ne forte in itinere quidquam patiatur mali), ingressi sunt terram Ægypti cum aliis qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in terra Chanaan. Et Joseph, princeps (*Vulg. add.* erat in terra) Ægypti, atque ad illius nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui, et agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos: Unde venistis? Qui responderunt: De terra Chanaan, ut emamus victui necessaria. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est agnitus ab eis. Recordatusque somnorum, quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores estis: ut videatis infirmiora terræ, venistis. Qui dixerunt: Non est ita, domine, sed servi tui venerunt ut emerent cibos. Omnes filii unius viri sumus: pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali. Quibus ille respondit: Aliter est: immunita terræ hujus considerare venistis. Et [*Vulg.* At] illi, Duodecim, inquiunt, servi tui, fratres sumus, filii viri unius in terra Chanaan, minimus cum patre nostro est, et alius non est super. Hoc est, ait, quod locutus sum: Exploratores estis. Jam nunc experimentum vestri capiam; per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. Mittite e vobis unum, et adducat eum, vos autem eritis, in vinculis, donec probentur quæ dixistis, utrum falsa an vera sint: alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis. Tradidit ergo eos custodiæ tribus diebus. Die autem tertio eductis e carcere, ait: Facite quæ dixi, et vivetis: Deum enim timeo. Si pacifici estis, frater vester unus ligetur in carcere: vos autem abite, et ferte frumenta quæ emistis, in domos vestras, et fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones, et non moriamini. Fecerunt, ut dixerat, et locuti sunt ad invicem: Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, cum deprecaretur nos, et non audivimus; idcirco venit super nos ista tribulatio. E quibus unus Ruben, ait: Nunquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum, et non audistis me? en sanguis ejus exquiritur. Nesciebant autem quod intelligeret Joseph: eo quod per interpretem loqueretur ad eos. Avertitque se parumper; et flevit: et reversus locutus est ad eos. Tollensque Simeon, et ligans illis præsentibus, jussit ministris ut implerent saccos eorum tritico, et reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in viam: qui fecerunt ita. At illi portantes frumenta in asinis [*Vulg. add.* suis] profecti sunt. Apertoque unus sacco, ut daret jumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi, dixit fratribus suis: Reddita est mihi pecunia mea [*Vulg. tac.* mea], en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatique, dixerunt mutuo: Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus? Veneruntque ad Jacob patrem suum in terram Chanaan, et narraverunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes: Locutus est nobis dominus terræ dure, et putavit nos exploratores provinciæ. Cui respondimus: Pacifici sumus, nec ullas molimur insidias, Duodecim fratres uno patre geniti sumus: unus non est super, minimus cum patre versatur in terra Chanaan. Qui ait nobis: Sic probabo quod pacifici sitis: Fratrem vestrum unum dimittite apud me, et cibaria domibus vestris necessaria sumite, et abite, fratremque vestrum minimum adducite ad me, ut sciam quod non sitis exploratores, et istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis, ac deinceps emendi quæ vultis habeatis licentiam. His dictis cum frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias exterritisque simul omnibus, dixit pater Jacob: Absque liberis me esse fecistis, Joseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, Benjamin auferetis: in me hæc mala omnia reciderunt. Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, et ego eum tibi restituam. At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscum: frater ejus mortuus est, ipse solus remansit: si quid ei adversi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

[B. LXII, C. LXXIII, *Cap.* XLIII.] Interim fames omnem terram vehementer premebat. Consumptisque cibis, quos ex Ægypto detulerant, dixit Jacob ad filios suos: Revertimini, et emite [*Vulg. add.* nobis] pauxillum escarum. Respondit Judas: Denuntiavit vir nobis ille sub testificatione jurandi, dicens: Non

videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum. Si ergo vis mittere eum nobiscum, pergemus pariter, et ememus tibi necessaria: sin autem non vis, non ibimus: vir enim, ut sæpe diximus, denuntiavit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo. Dixit eis Israel: In meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis et alium habere vos fratrem. At illi responderunt: Interrogavit nos homo per ordinem nostram progeniem: si pater viveret, si haberemus fratrem, et nos respondimus ei consequenter juxta id quod fuerat sciscitatus: nunquid scire poteramus quod dicturus esset: Adducite vobiscum fratrem vestrum? Judas quoque dixit patri suo: Mitte puerum mecum, ut proficiscamur, et possimus vivere, ne moriamur nos et parvuli nostri. Ego suscipio puerum: de manu mea require illum: nisi reduxero, et tradidero eum tibi, ero peccati in te reus omni tempore. Si non intercessisset dilatio, jam vice altera venissemus. Igitur Israel pater eorum dixit ad eos: Si sic necesse est, facite quod vultis, sumite de optimis [*Vulg. add.* fructibus] terræ in vasis vestris, et ferte viro munera, modicum resinæ, et mellis, et styracis, stactes, et terebinthi, et amygdalarum. Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum, et illam, quam invenistis in sacculis, reportate, ne forte errore factum sit; sed et fratrem vestrum tollite, et ite ad virum. Deus autem [*Vulg. add.* meus] omnipotens faciat vobis eum placabilem, et remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet, et hunc Benjamin: ego autem quasi orbatus absque liberis ero. Tulerunt ergo viri munera, et pecuniam duplicem, et Benjamin: descenderuntque in Ægyptum, et steterunt coram Joseph. Quos cum ille vidisset, et Benjamin simul, præcepit dispensatori domus suæ, dicens: Introduc viros domum, et occide victimas, et instrue convivium, quoniam [*Vulg. add.* hodie] mecum sunt comesturi meridie. Fecit ille quod sibi fuerat imperatum, et introduxit viros domum. Ibique exterriti, dixerunt mutuo: Propter pecuniam, quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus, ut devolvat in nos calumniam, et violenter subjiciat servituti, et nos, et asinos nostros. Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem [*Vulg. add.* domus] locuti sunt: Oramus, domine, ut audias [*Vulg. add.* nos]. Jam ante descendimus ut emeremus escas, quibus emptis, cum venissemus ad diversorium, aperuimus sacculos nostros, et invenimus pecuniam in ore saccorum: quam nunc eodem pondere reportavimus. Sed et aliud attulimus argentum, ut emamus quæ [*Vulg. add.* nobis] necessaria sunt: non est in nostra conscientia, quis eam posuerit in marsupiis nostris. At ille respondit. Pax vobiscum, nolite timere: Deus vester. et Deus patris vestri, dedit vobis thesauros in sac- A B C D culis vestris; nam pecuniam, quam dedistis mihi, probatam ego habeo. Eduxitque ad eos Simeon. Et introductis domum, attulit aquam, et laverunt pedes suos, deditque pabula asinis eorum. Illi vero parabant munera, donec ingrederetur Joseph meridie: audierant enim quod ibi comesuri essent panem. Igitur ingressus est Joseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus [*Vulg. add.* suis]: et adoraverunt proni in terram. At ille clementer resalutatis eis, interrogavit [*Vulg. add.* eos], dicens: Salvusne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? adhuc vivit? Qui responderunt: Sospes est servus tuus pater noster, adhuc vivit. Et incurvati, adoraverunt eum. Attollens autem oculos Joseph, vidit Benjamin fratrem suum uterinum, et ait: Iste est frater vester parvulus. de quo dixeratis mihi? Et rursus: Deus, inquit, misereatur tui, fili mi. Festinavitque, quia commota fuerunt viscera ejus super fratre suo, et erumpebant lacrymæ, et introiens cubiculum, flevit. Rursusque lota facie egressus, continuit se et ait: Ponite panes. Quibus appositis seorsum Joseph, et seorsum fratribus, Ægyptiis quoque, qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Ægyptiis comedere cum Hebreis, et profanum putant hujuscemodi convivium), sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, et minimus juxta ætatem suam. Et mirabantur (nimis) [h. viri ad invicem] sumptis partibus, quas ab eo acceperant: majorque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet. Biberuntque et inebriati sunt cum eo[1].

[*Cap.* XLIV.] Præcepit autem Joseph dispensatori domus suæ, dicens: Imple saccos eorum frumento, quantum possint capere, et pone pecuniam singulorum in summitate sacci. Scyphum autem meum argenteum, et pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci junioris[2]. Factumque est ita. Et orto mane, dimissi sunt cum asinis suis. Jamque urbe exierant, et processerant paululum: tunc Joseph, accersito dispensatore domus: Surge, inquit, persequere viros: et apprehensis dicito: Quare reddidistis malum pro bono? Scyphum quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet: pessimam rem fecistis. Fecit ille ut jusserat. Et apprehensis per ordinem locutus est. Qui responderunt: Quare sic loquitur dominus noster, ut servi tui tantum flagitii commiserint? Pecuniam, quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terra Chanaan: et quo modo consequens est ut furati simus de domo domini tui aurum vel argentum? Apud quemcunque fuerit inventum servorum tuorum quod quæris, moriatur, et nos servi erimus domini nostri. Qui dixit eis: Fiat juxta vestram sententiam: apud quemcunque fuerit inventum, ipse sit

[1] Idioma est linguæ Hebraicæ, ut *ebrietate* pro *satietate* ponat, sicut Psal. LXIV, 11; *In stillicidiis ejus inebriabitur germinans*, haud dubium quin terra pluviis irrigata. MART.

[2] Pro *sacco*, *peronem* vel *follem* in Hebræo habet. Ita S. Hieronymus. MART.

servus meus, vos autem eritis innoxii. Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. Quos scrutatus, incipiens a majore usque ad minimum, invenit cyphum in sacco Benjamin. At illi, scissis vestibus, oneratisque rursum asinis, reversi sunt in oppidum. Primusque Judas cum fratribus ingressus est ad Joseph (necdum enim de loco abierat) omnesque ante eum in terram pariter corruerunt. Quibus ille ait: Cur sic agere voluistis? an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia? Cui Judas: Quid respondebimus, inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut juste poterimus obtendere? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum: en omnes servi sumus domini mei, et nos, et apud quem inventus est scyphus. Respondit Joseph: Absit a me ut sic agam; qui furatus est cyphum, ipse sit servus meus; vos autem abite liberi ad patrem vestrum. Accedens autem propius Judas, confidenter ait: Oro, domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, et ne irascaris famulo tuo; tu es enim post Pharaonem dominus meus. Interrogasti prius servos tuos: Habetis patrem, aut fratrem? et nos respondimus tibi domino meo; Est nobis pater senex, et puer parvulus, qui in senecta illius natus est; cujus uterinus frater mortuus est, et ipsum solum habet mater sua, pater vero tenere diligit eum. Dixistique servis tuis: Adducite eum ad me, et ponam oculos meos super illum. Suggessimus domino meo; Non potest puer relinquere patrem suum; si enim illum dimiserit, morietur. Et dixisti servis tuis; Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam. Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum, patrem nostrum, narravimus ei omnia quæ locutus est dominus meus. Et dixit pater noster: Revertimini, et emite nobis parum tritici. Cui diximus; Ire non possumus; si frater noster minimus descendat [*Vulg.* descenderit] nobiscum, proficiscemur simul; alioquin illo absente, non audemus videre faciem viri. Ad quæ ille respondit: Vos scitis quod duos genuerit mihi uxor mea. Egressus est unus, et dixistis: Bestia devoravit eum et hucusque non comparet. Si tuleritis et istum, et aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. Igitur si intravero ad servum tuum patrem nostrum, et puer defuerit (cum anima illius ex hujus anima pendeat), videritque eum non esse nobiscum, morietur, et deducent famuli tui canos ejus cum dolore ad inferos. Ego proprie servus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem; et spopondi, dicens: Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. Manebo itaque servus tuus pro puero in ministerium domini mei, et puer ascendat cum fratribus suis. Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero, ne A calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

[*Cap.* XLV.] Non se poterat ultra cohibere Joseph multis coram astantibus; unde præcepit ut egrederentur cuncti foras, et nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. Elevavitque vocem cum fletu; quam audierunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis. Et dixit fratribus suis; Ego sum Joseph; adhuc pater meus vivit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me. Et cum accessissent prope, Ego sum, ait, Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pavere, nec vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos. Biennium est quod fames esse cœpit in terra; B et adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti. Præmisitque me Deus ut reservemini super terram, et escas ad vivendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei huc voluntate missus sum: qui fecit me quasi patrem Pharaonis, et dominum universæ domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti. Festinate et ascendite ad patrem meum, et dicetis ei: Hæc mandat filius tuus Joseph: Deus me fecit Dominum universæ terræ Ægypti; descende ad me, ne moreris, et habita [*Vulg.* habitabis] in terra Gesen[1]; erisque juxta me tu, et filii tui, et filii filiorum tuorum, oves tuæ, et armenta tua, et universa quæ possides. Ibique te pascam (adhuc enim quinque anni residui sunt famis), ne tu pereas, et domus tua, et omnia C quæ possides. En oculi vestri, et oculi fratris mei Benjamin, vident quod os meum loquatur ad vos. Nuntiate patri meo universam gloriam meam, et cuncta quæ vidistis in Ægypto. Festinate et adducite eum ad me. Cumque amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit; illo quoque flente similiter super collum ejus. Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, et ploravit super singulos. Post quæ ausi sunt loqui ad eum. Auditumque est, et celebri sermone vulgatum in aula regis: Venerunt fratres Joseph; et gavisus est Pharao, atque omnis familia ejus. Dixitque ad Joseph ut imperaret fratribus suis, dicens; Onerantes jumenta, ite in terram Chanaan, et tollite inde patrem vestrum et cognationem, et venite ad D me; et ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. Præcipe etiam ut tollant plaustra de terra Ægypti, ad subvectionem parvulorum suorum et conjugum; ac dicito: Tollite patrem vestrum, et properate quantocius venientes. Nec dimittatis [h. amittatis] quidquam de supellectili vestro; quia omnes opes Ægypti vestræ erunt. [B. XLIII.] Feceruntque filii Israel ut eis mandatum fuerat. Quibus dedit Joseph plaustra, secundum Pharaonis imperium; et cibaria in itinere.

[1] Eodem modo legit sanctus Hieronymus in *Quæstionibus Hebraicis*. MART.

— Palatin. ms. cum Vulgatis libris, *Gessen*. Vide *Quæstion. Hebraicas*.

Singulisque proferri jussit binas stolas ; Benjamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis ; tantumdem pecuniæ et vestium mittens patri suo, addens et asinos decem, qui subveherent ex omnibus divitiis Ægypti ; et totidem asinas, triticum in itinere panesque portantes. Dimisit ergo fratres suos, et proficiscentibus ait : Ne irascimini in via. Qui ascendentes ex Ægypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Jacob. Et nuntiaverunt ei, dicentes ; Joseph filius tuus vivit, et ipse dominatur in omni terra Ægypti. Quo audito [*Vulg. add.* Jacob], quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis. Illi contra referebant omnem ordinem rei. Cumque vidisset plaustra et universa quæ miserat, revixit spiritus ejus, et ait : Sufficit mihi si adhuc filius meus Joseph vivit ; vadam, et videbo illum antequam moriar.

[T. XXXVI, C. LXXIV, *Cap.* XLVI] Profectusque Israel cum omnibus quæ habebat, venit ad Puteum juramenti, et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audivit eum per visionem noctis vocantem se et dicentem sibi : Jacob, Jacob ; qui respondit : Ecce adsum. Ait illi Deus : Ego sum fortissimus Deus patris tui : noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, et ego inde adducam te revertendum : Joseph quoque ponet manum suam super oculos tuos. [C. LXXV.] Surrexit autem Jacob a Puteo juramenti ; tuleruntque eum filii cum parvulis et uxoribus suis in plaustris quæ miserat Pharao ad portandum senem et omnia quæ possederant [In h. et duxerunt secum greges suos] in terra Chanaan ; venitque in Ægyptum cum omni semine suo, filii ejus, et nepotes, filiæ, et cuncta simul progenies. Hæc sunt autem nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum, ipse cum liberis suis ; Primogenitus Ruben. Filii Ruben : Enoch et Phallu et Esron et Charmi. Filii Simeon : Jemuel et Jamin, et Ohad [*Vulg.* Ahad], et Jachin et Soher, et Saul filius Chanaanitidis. Filii Levi : Gerson et Caath et Merari. Filii Juda : Her et Onan et Sela et Phares et Zara, mortui sunt autem Her et Onan in terra Chanaan. Fueruntque filii [*Vulg.* Natique sunt] Phares : Esron et Amul. Filii Issachar : Thola et Phua et Job et Simron. Filii Zabulon : Sared et Elon et Jahelel. Hi filii Liæ quos genuit in Mesopotamia Syriæ cum Dina filia sua, omnes animæ filiorum ejus et filiarum, triginta et tres. Filii Gad : Sephion et Haggi, Suni, et Esebon et Heri et Arodi et Areli. Filii Aser : Jimna ; et Jisua, et Jisui, et Beria, Sara quoque soror eorum. Filii Beria : Heber et Melchiel : hi filii Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ suæ, et hos genuit Jacob sexdecim animas. Filii Rachel uxoris Jacob : Joseph et Benjamin. Natique sunt Joseph filii in terra Ægypti, quos genuit ei Aseneth, filia Putiphare, sacerdotis Heliopoleos : Manasses et Ephraim. Filii Benjamin : Bela et Becher et Asbel, Gera et Naaman, et Ehi, et Ros, Mophim, et Ophim, et Ared. Hi filii Rachel quos genuit Jacob ; omnes animæ, quatuordecim. Filii Dan : Husim. Filii Nephthali : Jaseel, et Guni, et Jeser, et Sellem. Hi filii Balæ, quam dedit Laban Racheli, filiæ suæ : et hos genuit Jacob : omnes animæ, septem. Cunctæque animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, et egressæ sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex. Filii autem Joseph, qui nati sunt ei in terra Ægypti, animæ duæ. Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt Ægyptum, fuere septuaginta. [C. LXXVI.] Misit autem Judam ante se ad Joseph, ut nuntiaret ei, et ille occurreret in Gesen. Quo cum pervenisset, juncto Joseph curru suo, ascendit obviam patri suo ad eumdem locum : vidensque eum, irruit super collum ejus, et inter amplexus flevit. Dixitque pater ad Joseph : Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquam. [C. LXXVII.] Et [*Vulg.* relinquo. At] ille locutus est ad fratres suos et ad omnem domum patris sui : Ascendam et nuntiabo Pharaoni, dicamque ei : Fratres mei, et domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me : et sunt viri pastores ovium, curamque habent alendorum gregum : pecora sua, et armenta, et omnia quæ habere potuerunt, adduxerunt secum. Cumque vocaverit vos, et dixerit : Quod est opus vestrum ? Respondebitis : Viri pastores sumus servi tui ab infantia nostra usque in præsens, et nos et patres nostri. Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in terra Gesen : quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium.

[*Cap.* XLVII.] Ingressus ergo Joseph nuntiavit Pharaoni, dicens : Pater meus et fratres, oves eorum et armenta, et cuncta quæ possident, venerunt de terra Chanaan : et ecce consistunt in terra Gesen. Extremos quoque fratrum suorum quinque viros statuit coram rege : quos ille interrogavit : Quid habetis operis ? Responderunt : Pastores ovium sumus servi tui, et nos, et patres nostri. Ad peregrinandum in terra tua venimus : quoniam non est herba gregibus servorum tuorum, ingravescente fame in terra Chanaan : petimusque ut esse nos jubeas servos tuos in terra Gesen. [C. LXXVIII.] Dixit itaque rex ad Joseph : Pater tuus et fratres tui venerunt ad te ; terra Ægypti in conspectu tuo est ; in optimo loco fac habitare eos, et trade eis terram Gesen. Quod si nosti esse in eis viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum. [B. XLIV.] Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad regem, et statuit eum coram eo ; qui benedicens illi, et interrogatus ab eo : Quot sunt dies annorum vitæ tuæ ? Respondit : Dies peregrinationis meæ [1] centum triginta annorum sunt,

[1] In antiquis mss. codd. inque canone Hebr. verit. legitur, *Dies peregrinationis vitæ meæ*, sed *vitæ* mu-

parvi, et mali, et non pervenernnt usque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt; et benedicto rege, egressus est foras. Joseph vero patri et fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ solo [*Vulg.* loco]. Ramesses, ut præceperat Pharao. Et alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis : in toto enim orbe panis deerat, et opresserat fames terram, maxime Ægypti et Chanaan. E quibus omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti, et intulit eam in ærarium regis. Cumque defecisset emptoribus [1] pretium, venit cuncta Ægyptus ad Joseph, dicens : Da nobis panes : quare morimur coram te, deficiente pecunia? Quibus ille respondit; adducite pecora vestra, et dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis. Quæ cum adduxissent, dedit eis alimenta pro equis, et ovibus, et bobus, et asinis : sustentavitque eos illo anno pro commutatione pecorum. Venerunt quoque anno secundo, et dixerunt ei : Non celamus domino [*Vulg.* celabimus donum] nostro, quod, deficiente pecunia, pecora simul defecerunt : nec clam te est, quod absque corporibus et terra nihil habeamus. Cur ergo moriemur, te videnle? et nos et terra nostra tui erimus : eme nos in servitutem regiam, et præbe semina, ne, pereunte cultore, redigatur terra in solitudinem. Emit igitur Joseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subjecitque eam Pharaoni, et cunctos populos ejus, a novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus, præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis : quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. Dixit ergo Joseph ad populos : En ut cernitis, et vos et terram vestram Pharao possidet : accipite semina, et serite agros, ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis : quatuor reliquas permitto vobis in sementem, et in cibum familiis et liberis vestris. Qui responderunt : Salus nostra in manu tua est : respiciat nos tantum Dominus noster, et læti serviemus regi. Ex eo tempore usque in præstentem diem, in universa terra Ægypti, regibus quinta pars solvitur, et factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. [C. LXXIX.] Habitavit ergo Israel in Ægypto, id est, in terra Gesen, et possedit eam : auctusque est, et multiplicatus nimis. Et vixit in ea decem et septem annis : factique sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta et septem annorum. Cumque appropinquare cerneret mortis diem [*Vulg. add.* suæ]. vocavit filium suum Joseph, et dixit ad eum : Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, et facies mihi misericordiam et veritatem : ut non sepelias me in Ægypto : sed dormiam cum patribus meis, et auferas me de hac terra, condasque in sepulcro majorum meorum. Cui respondit Joseph : Ego faciam quod jussisti. Et ille : Jura ergo, inquit, mihi. Quo jurante, adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput.

[T. XXVII, C. LXXX, *Cap.* XLVIII] His ita transactis, nuntiatum est Joseph quod ægrotaret pater suus : qui assumptis duobus filiis Manasse et Ephraim, ire perrexit. Dictumque est seni : Ecce filius tuus Joseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. Et ingresso ad se ait : Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan : Benedixitque mihi, et ait : Ego te augebo et multiplicabo, et faciam [*Vulg. add.* te] in turbas populorum : daboque tibi terram hanc, et semini tuo post te, in possessionem sempiternam. Duo igitur filii tui, qui nati sunt [*Vulg. add.* tibi] in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt : Ephraim et Manasses, sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt, et nomine fratrum suorum vocabuntur in possesssionibus suis. Mihi enim quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratque vernum tempus : et ingrediebar Ephratam, et sepelivi eam juxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. Videns autem filios ejus dixit ad eum Qui sunt isti? Respondit : Filii mei sunt, quos dedit mihi Deus in hoc loco. Adduc. induit, eos ad me, ut benedicam illis. [B. XLV.] Oculi enim Israel caligaverant præ nimia senectute, et clare videre non poterat. Applicitosque ad se deosculatus est, et circumplexus [*Vulg. add.* eos] dicit ad filium suum : Non sum fraudatus aspectu tuo : insuper ostendit mihi Deus semen tuum. Cumque tulisset eos Joseph de gremio patris, adoravit pronus in terram. Et posuit Ephraim ad dexteram suam, id est, ad sinistram Israel : Manassen vero in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum, Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim junioris [*Vulg.* minoris] fratris : sinistram autem super cuput Manasse, qui major natu erat, commutans manus. Benedixitque Joseph filio suo [2], et ait : Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei, Abraham et Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem ; angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris [*Vulg. add.* istis] : et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham et Isaac ; et crescant in multitudinem super terram, Videns autem Joseph quod posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, graviter accedit et apprehensam patris manum levare cona-

tuatum videtur e LXX interpretibus, qui legunt. *Dies annorum vitæ meæ.* MART.

— Addunt nostri mss. *vitæ.* Sed et Hebræus, et Aquila nescio quid plus habet, quam *dies peregrinationis meæ*, scil. *dies annorum peregrinationis meæ.*

[1] Alii libri *temporibus* præferunt.

[2] Vulgati libri, *Benedixitque Jacob filiis Joseph, et* ait, etc.

tus est de capite Ephraim, et tranferre super caput Manasse. Dixitque ad patrem: Non ita convenit, pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput ejus. Qui renuens, ait: Scio, fili mi, scio: et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur: sed frater ejus junior major illo erit: et semen illius crescet in gentes. Benedixitque eis in ipso tempore, dicens: In te benedicetur Israel, atque dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim et sicut Manasse. Constituitque Ephraim ante Manassen. Et ait ad Joseph filium suum: Ego morior, et erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum. Do tibi partem unam [1] extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo.

[T. XXXVIII, C. LXXXI, *Cap.* XLIX.] Vocavit autem Jacob filios suos, et ait eis: Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis. Congregamini, et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum: Ruben primogenitus meus [2], tu fortitudo mea, et principium doloris mei: prior in donis, major in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus. Simeon et Levi fratres [3]; vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea; quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax; et indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel; Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi, ascendisti [4]: requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femoribus [*Vulg.* femore] ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, [5], et ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores oculi ejus vino, et dentes lacte candidiores. Zabulon in littore maris habitabit [*Al.* habitavit], et in statione navium pertingens usque ad Sidonem, Issachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens [6]. Dan judicabit populum suum sicut et alia tribus in Israel. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. Salutare tuum exspectabo, Domine. Gad, accinctus præliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum [7]. Aseer, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus. Nephthali, cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis [8]. Filius accrescens Joseph, filius accrescens [9] et decorus aspectu:

[1] Hebræus habet שכם אחד *Sichem ahad*, quod Septuaginta interpretantur Σικιμα ἐξαίρετον, id est, *Sicimam præcipuam*. Hunc locum satis obscurum varia eruditione Hieronymus explicavit: *Sicima*, inquit, *juxta Græcam et Latinam consuetudinem declinata est. Alioquin Hebraice Sichem dicitur, ut Joannes quoque evangelista testatur; licet vitiose, ut* Sichar *legatur, error inolevit et est nunc Neapolis urbe Samaritanorum. Quia igitur* Sichem *lingua Hebræa transferetur in humerum, pulchre allusit ad nomen dicens:* Et ego dabo tibi humerum unum; *propræcipuo enim, id est,* ἐξαίρετον unum *scribitur in Hebræo. Quod autem dicit se eam in arcu et gladio possedisse. arcum hic et gladium, justitiam vocat*, etc. Vide in *Quæst. Hebr.* MART.

— Nostri mss., *Dabo* in futuro; Hebræus præteritum potius notat נתתי dedi. Porro quod ait *partem unam*. Hebræus præfert *humerum unum* שכם אחד, quanquam שכם pro הלם *parte*, exponunt, quæ scilicet in humero portatur. Cæterum vid. *Quæst. Heb.*

[2] Verba Hebraica non semper eodem modo interpretatur Hieronymus: in *Quæst.* enim *Hebraicis* de Ruben in Hebræo ita scriptum esse docet; *Ruben primogenitus meus, fortitudo mea, et capitulum in liberis meis. Major ad portandum, et major robore: effusus es sicut aqua, ne adjicias. Ascendisti enim cubile patris tui, et contaminasti stratum in ascensu.* Quis sit horum verborum sensus apud eum, discere nemo non potest. MART.

— Unus Palat. hic quoque addit, *et ait eis*. Ad sequentia patriarcharum nomina confer Qu. Hebraicas, ubi aliter ex Hebræo S. P ter interpretatur.

[3] Ex eodem Hieronymo legitur hic loci in Hebraica veritate, *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis arma eorum. In arcanum eorum me intret anima, et in conventu eorum ne dissolvatur gloria mea: quia in furore suo interfecerunt virum, et in libidine sua suffoderunt murum.* MART.

[4] In Hebræo habet juxta Hieronymum: *De captivitate, fili mi, ascendisti.* MART.

Hic quoque in Hebræo scriptum est: *Alligans ad vitem pullum suum, et in Sorec, fili mi, asinam suam. Sorec* autem *electa vitis* dicitur. Sed et hoc sciendum, quod ubi nos legimus: *alligans ad vitem pullum suum*, pro *pullo* in Hebræo possit legi, *urbem suam*, עירה. MART

[6] *Issachar asinus osseus recumbens inter terminos et videns requiem, quia bona est: et terram, quia pulchra est; inclinavit humerum suum ad portandum, et factus est tributum serviens.* Ita ad verbum transtulit Hieronymus. MART.

[7] *Gad latrunculus labrocinabitur eum, et ipse latrocinabitur plantam.* Juxta Hebræum sic se interpretari dicit Hieronymus, et deinde: *Ubi nos latrunculum posuimus, ibi scriptum est* GEDUD, *ut ad Gad nomen alluderet, qui significantius* εὔζωνος, *id est accinctus sive expeditus, exprimi potest.* MART.

[8] In Hebræo ita scriptum est: *Nephtali ager irriguus, dans eloquia pulchritudinis.* Hebræi autem volunt propter Tiberiadem, quæ legis videbatur habere notitiam, agrum irriguum, et eloquia pulchritudinis prophetari, porro ubi nos agrum irriguum, et LXX virgultum resolutum posuerunt, in Hebræo legitur AIALA SELUA (אילה שלחה) quod potest et *cervus missus* transferri propter temporaneas fruges, velocitatem terræ uberioris ostendens. Hæc sanctus Hieronymus. Variantes autem ex Hebræo hujusmodi lectiones afferre curavintus, ut intelligeret lector quam diversas habeamus ejusdem Hebraici contextus ab uno Hieronymo interpretationes, et quemquam moveat, si parum sibi constare videatur: quia nunc verbum de verbo, modo sensum e sensu exprimere voluit. MART.

[9] Alterum, *filius accrescens*, in Palat. ms. inducitur, contra textus fidem.

filiæ discurrerrunt super marum. Sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius per manus potentis Jacob: inde pastor egressus est lapis Israel. Deus patris tui erit adjutor tuus, et omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benectionibus uberum et vulvæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus : donec veniret desiderium collium æternorum : fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos. Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia. Omnes hi in tribus Israel duodecim : hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis, benedictionibus propriis. Et præcepit eis, dicens : Ego congregor ad populum meum : sepelite me cum patribus meis in sepelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi contra Mamre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hetthæo in possesionem sepulcri. Ibi sepelierunt cum, et Saram uxorem ejus : ibi sepultus est Isaac cum Rebecca conjuge sua : ibi et Lia condita jacet. Finitisque mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, et obiit : appositusque est ad populum suum.

[B. XLVI. *Cap.* L.] Quod cernens Joseph, ruit super faciem patris flens et deosculans eum. Præcepitque servis suis medicis ut aromatibus condirent patrem. Quibus jussa explentibus, transierunt quadraginta dies : iste quippe mos erat cadaverum conditorum, flevitque eum Ægyptus septuaginta diebus. Et expleto planctus tempore, locutus est Joseph ad familiam Pharaonis : Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis : eo quod pater meus adjuraverit me, dicens : En morior; in sepulcro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me. Ascendam igitur, et sepeliam patrem meum, ac revertar. Dixitque ei Pharao ; Ascende et sepeli patrem tuum sicut adjuratus es. Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique majores natu terræ Ægypti ; domus Joseph cum fratribus suis, absque parvulis et gregibus, atque armentis, quæ dereliquerant in terra Gesen. Habuit quoque in comitatu currus et equites et facta est turba non modica. Veneruntque ad Aream Atad quæ sita est trans Jordanem : ubi celebrantes exsequiis planctu magno atque vehementi, impleverunt septem dies. Quod cum vidissent habitatores terræ Chanaan, dixerunt : Planctus magnus est iste Ægyptiis. Et idcirco appellaverunt [*Vulg.* vocatum est] nomen loci ejus, Planctus Ægypti. Fecerunt ergo filii Jacob sicut præceperat eis. Et portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Ephron Hetthæo contra faciem Mamre. Reversusque est Joseph in Ægyptum cum fratribus suis, et omni comitatu, sepulto patre. Quo mortuo, timentes fratres ejus, et mutuo colloquentes : Ne forte memor sit injuriæ quam passus est, et reddat nobis omne malum, quod fecimus, mandaverunt ei dicentes : Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te : nos quoque oramus, ut servis Dei patris tui dimittas inquitatem hanc. Quibus auditis, flevit Joseph. Veneruntque ad eum fratres sui, et proni [*Vulg. add.* adorantes] in terram dixerunt : Servi tui sumus. Quibus ille respondit : Nolite timere : num Dei possumus renuere [*Vulg.* resistere] voluntati? Vos cogitastis de me malum, et Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos. Nolite metuere ; ego pascam vos et parvulos vestros ; consolatusque est eos, et blande ac leniter est locutus. Et habitavit in Ægypto cum omni domo patris sui : vixitque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. Filii quoque Machir filii Manasse nati sunt in genibus Joseph. [C LXXXII.] Quibus transactis, locutus est fratribus suis : Post mortem meam Deus visitabit vos, et ascendere faciet de terra ista ad terram, quam juravit Abraham, Isaac et Jacob. Cumque adjurasset eos, atque dixisset : Deus visitabit vos : asportate vobiscum ossa mea de loco isto; mortuus est, expletis centum decem vitæ suæ annis Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto.

Explicit liber Bresith, id est Geneseos.

TITULI LIBRI EXODI.

I. Numerus eorum, qui ingressi sunt Ægyptum. Incrementum populi, ac depressio ejus a rege. Obstetrices convocat, et ut masculos necarent imperat. De nativitate Moysi, ac adoptione apud filiam Pharaonis. Ægyptum percutit : a conspectu Pharaonis fugit : filiam sacerdotis Madian a pastoribus defendit, et sephoram sortitur uxorem.

II. Mortuo rege Ægypti, clamorem Israel Deus exaudivit: Moyses in monte Oreb Dominum conspicit : in rubo flammante vocatus accedit : ad Pharaonem ire præcipitur. Signa deposcit, et accipit : excusat, et ineloquentem se esse pronuntiat. Iratus Dominus, ut cum Aaron pergeret, jubet.

II. Moysi revertenti in Ægyptum occurrit angelus Domini ob circumcisionem filii, et sponsionem sanguinum Aaron præcipitur obviam Moysi pergere

Audit ab eo quæ Dominus imperarat. Signa faciunt coram populo : credunt, lætantur, exsultant, Pharaonis auribus ingerunt. Imperio Dei resultant, ac duriora populo quam ingerebat, ingessit. Flagellat principes Israel : Moysi et Aaron Dei judicium imprecantur, nec ultra eorum sermonibus credunt majore angustia coarctati.

IV. Catalogus familiæ Levitarum : et ubi Moyses a Deo Deus constituitur Pharaoni : signaque coram Pharaone faciunt ; virga convertitur in draconem : aquæ vertuntur in sanguinem : producuntur ranæ, quæ totam inquinant supellectilem : nec his tribus plagis coercetur, sed potius induratur.

V. Dominus jubet Pharaonem iterum convenire. Imperatur Aaron pulverem terræ percutere, ut omnis pulvis verteretur in ciniphes : itemque muscis diversi generis cuncta repletur Ægyptus, excepta terra, in qua filii Israel habitabant. Pestem super universa animantia induci jubet : gravia vulnera et vesicæ turgentes in hominibus ex cineris aspersione fiunt. Grando superinducitur, qui universa viventia popularetur, et pœnitentiam Pharao simulans donec requies daretur, deprecatur ; cum præstaretur, multo gravius induratur.

VI. Præcipitur Moysi ut ad eum ingrediatur, locustæ ducantur. Tenebræ superinducuntur, et in omnibus his minime cohibetur.

VII. Lex paschæ præcipitur, et quod media nocte Ægyptus percutienda sit, nuntiatur. Superliminare, et postes Israel pro signo, sanguine liniuntur. In noctis medio primogenita Ægyptiorum exstinguuntur. Pharao consurgit, ac sine mora populum de terra sua exire compellit.

VIII. Profectio populi Israel de Ramesse in Sochoth : religionem paschæ audiunt, et quibus comedere sit licitum. Loquitur Dominus ad Moysen, quod secuturus sit Pharao filios Israel, quique secutus est eos super mare : ac timore coarctati murmuraverunt contra Moysen ; Mosique præcipitur ut mota castra mare percutiat ac dividat. De transitu eorumet nece Ægyptiorum, et cantico triumphorum.

IX. De mari Rubro translati in Maraht veniunt. Aquæ dulcantur, et judicia proponuntur : in Elim veniunt, duodecim fontes, et septuaginta arbores palmarum inveniunt, ac deinde in Sina murmurant : panem et carnes desiderant. Manna de cœlo præstatur, et modus qui sufficiat, imperatur.

X. Venerunt Raphidim, et non erat aqua ad bibendum : ac virga petram percussit, aquæ fluxerunt. De pugna Israel et Amalech. De Jethro cognato Mosi, et de judicibus consitutis.

XI. De Raphidim veniunt Sinai, ubi Moses montem ascendit ad Deum, jubet terio die sanctificare populum. Decalogum proponit, populus terretur vocibus Dei, et rogat ut per Mosen præcepta Dei audiat.

XII. Leges pro singulis rebus Dominus imperat, vel quo judicio quis plectendus sit.

XIII. Ædificato altari, Moyses offert holocaustum, et sanguine respergit populum, et librum. Præcipitur ascendere in montem, ut tabulas lapideas accipiat : jubetur a populo primitias accipere : aurum, et argentum, vel cæteras species ad tabernaculum faciendum, vel universam supellectilem ejus, vestesque sacerdotales et Leviticas, quo ordine in sacrificio consecretur, et jura sacrificii mandatur.

XIV. Præcipitur quod singuli pro animabus suis pretium offerant Domino, et labium æneum sanctuario, compositio thymiamatis, oleum sanctificationis, et denominatio prudentium virorum, qui universa perficiant.

XIV. Tabulas testimonii accipit, et tardante Mose, populus idolum fabricatur. Mosi iratus nuntiat. et ille pronus adorat : de monte descendens, tabulas frangit : vitulum arripuit, combussit, atque contrivit, et cum Levitica familia quantos potuit. interfecit : ac rursum Dominum deprecatur.

XVI. Tabernaculum fœderis extra castra ponit, in quo Dominus facie ad faciem cum Mose loquitur : et rogat ostendi sibi gloriam Dei : ac deinde jubet alias tabulas præparare, cum quibus ascendit montem, ibique quæ populus custodire debeat, imperatur, et decem verba fœderis conscribuntur,

XVII. Clarificato vultu, de monte descendit, ac velata facie, populo quæ Dominus jusserat, enarrabat. observationem ad constructionem tabernaculi : populus sponte offerat, et prudentes viri sapientiæ spiritu, ut faciant, adimplentur.

XVIII. Perfecto tabernaculo, cunctus populus offert et a sacerdote collocato, gloria Domini operitur.

TITULI LIBRI EXODI,

I. De rege qui opprimebat filios Israel, et de obstetricibus Hebræorum, et de nativitate Moysi.

II. De percusso a Moyse Ægyptio, et fuga Moysi in terram Madian, ubi accepta uxore, duos filios suscepit, et de visione in rubo.

III. De virga in colubrum versa, et manu in sinu : et profectione ejus in Ægyptum, et ingressu ad Pharaonem.

IV. De recapitulatione generationum Hebraicarum.

V. De introitu secundo Moysi, et Aaron ad Pharaonem, et de illatis Ægypto plagis usque ad decimam.

VI. De agni immolatione, et de egressu Hebræorum ex Ægypto in consummatione decimæ plagæ.

VII. De primogentis Domino consecrandis, et de ossibus Joseph ex Ægypto ablatis.

VIII. De columna nubis et ignis, et transitu maris Rubri, et cantico.
IX. De amaritudine aquæ in Marath, et de manna in deserto primum delapso.
X. De profectione populi in Raphidim, ubi aqua de petra fluxit, et de bello contra Amalecitas, et ubi Jethro cognatus Moysi, uxorem ei cum filiis repræsentat, dans consilium de præficiendis centurionibus.
XI. De profectione in desertum Sinai, ubi populus in diem tertium sanctificatus assistens, et Deum in vertice montis vidit, et præcepta legis accepit.
XII. De servis Hebræis, remissione, et percussoribus, vel homicidis, furibus, vel falsis testibus, et de reliquis judiciis.
XIII. De reliquiis terræ in anno septimo, et de solemnitatibus, ac decimis.
XIV. De septuaginta senioribus qui juncti sacerdotibus viderunt Dominum Israel.
XV. De ascensu Moysi in monte, et quadraginta dierum illic demoratione ubi de tabernaculi et arcæ fabricatione instituitur.
XVI. De sacerdotalibus indumentis.
XVII. De sacrificiis et victimis.
XVIII. De altare thymiamatis, et de unguento pontificali, et de Beseleel et Oliab, et de observantia sabbati.
XIX. De reditu Moysi post quadraginta dies, et de confractione tabularum, et de vitulo ex auro conflato, et de cæde in sacrilegos gesta, et deprecatione Moysi pro populo.
XX. De secundo ascensu Moysi in montem, et reparatione tabularum, et non adorandis, ac de cunctis præceptis, et de recapitulatione instrumentorum tabernaculi, et reditu Moysi post quadraginta dies.
XXI. De collatione populi, vel apparatu, et de fabricatione tabernaculi, quando apparuit gloria Domini.

CAPITULA LIBRI EXODI.

I. De nominibus filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum, et de infantibus Hebræorum, quos præcepit Pharao in flumen projici.
II. De puero, quem invenit filia Pharaonis, et cognominavit eum Moysen.
III. De Ægyptio, quem occidit Moses, et fugit.
IV. Mortuo Pharaone, exaudivit Dominus filios Israel.
V. Ubi apparuit angelus Mosi in rubo.
VI. De signo quod dedit Dominus Mosi in virga.
VII. De signo secundo.
VIII. De signo tertio.
IX. Ubi venit ad socerum Moyses, et dixit ei : Vado ad fratres meos.
X. Mortuo Pharaone, dixit Dominus ad Mosen : Vade in Ægyptum, et circumcidit Sephora filium suum.
XI. Dixit Dominus ad Aaron : Vade obviam Moysi.
XII. Dicunt Pharaoni, ut dimittat Israel de terra sua.
XIII. Jubet Dominus Moysi loqui ad populum.
XIV. De principibus Israel.
XV. Dedi te, dicit Dominus, Deum Pharaoni.
XVI. Projecit Aaron virgam coram Pharaone, et facta est draco : et fecerunt magi similiter.
Plagæ Ægypti :
1. Ubi aqua fluminis facta est sanguis : fecerunt et magi similiter.
2. Percussit iterum Aaron aquas Ægypti et eduxit ranas : fecerunt et magi similiter.
3. Percussit Aaron pulverem terræ, et facti sunt cinyphes in hominibus : et cesserunt magi.
4. Immisit cænomyiam in totam terram Ægypti.
5. Misit Dominus mortem in pecora Ægyptiorum.
6. De favilla quam sparsit Moyses in cœlum, et facta sunt ulcera in hominibus.
7. Extendit Moyses manum in cœlum, et pluit Dominus ignem et grandinem.
8. Venit locusta super omnes fines Ægypti.
9. Factæ sunt tenebræ in tota terra Ægypti triduo.
10. De decima plaga, in qua percussit Dominus omne primogenitum Ægyptiorum.
XVII. Dicit Dominus Moysi, Adhuc unam plagam ego induco in Pharaonem.
XVIII. Loquitur Dominus Moysi et Aaron de sacramento paschæ.
XIX. Habitaverunt filii Israel in Ægypto annis CCCXXX.
XX. Legem paschæ dat Dominus.
XXI. Dicit Dominus, ut sanctificent omne primitivum.
XXII. Quinta progenie ascenderunt filii Israel de Ægypto.
XXIII. Consecutus est Pharao filios Israel, et cooperuit Ægyptios mare.
XXIV. Canticum.
XXV. Cantavit et Maria cum mulieribus in tympanis et choris.
XXVI. Murmuravit populus in deserto pro aqua.
XXVII. Murmuraverunt et pro carnibus.
XXVIII. Dedit Dominus populo coturnices et manna.
XXIX. Manducaverunt manna annis quadraginta.
XXX. Murmuraverunt pro aqua, et eduxit de petra aquam.
XXXI. Venit Amalech ad pugnam, et percussit eum Josue.
XXXII. Venit Jethro ad Moysen in desertum.

XXXIII. Consilium dedit Jethro Moysi, ut præponeret tribunos et centuriones.
XXXIV. Testatur Dominus per Moysen populo, ut audiant eum.
XXXV. Descendit Dominus in montem Sina in igne.
XXXVI. Præcipit Dominus Moysi, ut ascendat in montem solus.
XXXVII. Decem verba legis, quæ præcepit Dominus custodiri :
1. Non erunt tibi dii absque me.
2. Non facias tibi idolum neque ullam similitudinem.
3. Non sumes nomen Dei tui in vanum
4. In mente habe diem subbatorum.
5. Honora patrem tuum et matrem.
6. Non occides.
7. Non mœchaberis
8. Non furtum facies.
9. Non dices falsum testimonium.
10. Non concupisces uxorem proximi tui, neque aliquid ejus.
XXXVIII. Timuit populus et dixerunt ad Moysen, Tu loquere ad nos.
XXXIX. Deos argenteos vel aureos non faciendos ; sed altare Domino.
XL. De puero Hebræo empto.
XLI. De filia distracta.
XLII. De percusso et mortuo.
XLIII. De his qui occiderint dolo.
XLIV. De his qui percusserint patrem aut matrem.
XLV. Qui furto ereptum vendiderint.
XLVI. Qui maledixerint patri vel matri.
XLVII. Si in rixa percusserit aliquis lapide aut pugno.
XLVIII. Si servum aut ancillam percusserit aliquis, et mortui fuerint.
XLIX. Si mulierem percusserit, et abortiverit.
L. Osculum pro oculo eruendum.
LI. Oculum servi aut ancillæ qui eruerit.
LII. Si cornu aliquem percusserit taurus.
LIII. Si foveam quis foderit.
LIV. Si taurus alium cornu percusserit taurum.
LV. Si quis vitulum aut ovem furatus fuerit.
LVI. De fure percusso.
LVII. De agro alieno depasto.
LVIII. De area incensa, vel messe.
LIX. De commendato et furto ab aliquo sublato.
LX. De jumento vel aliqua pecude commendata et mortua.
LXI. Si petierit quis animal, et mortuum fuerit.
LXII. De virgine nondum sponsata.
LXII. Maleficum occidendum.
LXIV. Qui dormierit cum pecude occidendus.
LXV. Qui immolaverit diis eradicandus.
LXVI. Advenæ non nocendum.
LXVII. Viduæ et orphano non nocendum.
LXVIII. De fenore et pignore.
LXIX. Non blasphemandum.
LXX. Primitias Domino offerendas.

A LXXI. Omne primitivum Domino offerendum.
LXXII. Carnem a bestia prægustatam non edendam.
LXXIII. Non credendum facile quod audieris.
LXXXIV. Non consentiendum testibus iniquis.
LXXV. Non esse malum cum multis.
LXXVI. Non declinare cum multis in judicio.
LXXVII. Non spernandum pauperem in judicio, nec pro illo faciendum.
LXXVIII Errans inimici jumentum revocandum.
LXXIX. Inimici jumentum pressum pondere erigendum.
LXXX. Judicium pauperis non subvertendum.
LXXXI. Ab omni verbo iniquo recedendum.
LXXXII. Innocentem et justum non occidendum.
LXXXIII. Munera non accipienda.
B LXXXIV. De peregrinis, et remissionis anno.
LXXXV. Sabbato non operandum.
LXXXVI. Omnia quæ præcepit Deus, facienda.
LXXXVII. Tribus temporibus anni diem solemnem agendum.
LXXXVIII. De festivitate Azymorum.
LXXXIX. Vacuum in conspectu Domini minime apparendum.
XC. Tribus temporibus anni omne masculinum parere Domino.
XCI. Primitias terræ offerendas.
XCII. Non coquendum agnum in lacte matris suæ.
XCIII. Angelum promittit Dominus Moysi, qui eum præcedat.
XCIV. Qui Deum audierit liberari ab inimicis suis.
C XCV. Deos alienigenarum non adorandos.
XCVI. Timorem et vespas missurum Dominum, qui ejicerent alienigenas.
XCVII. Dixit Dominus Moysi ascendere ad se in monte cum majoribus natu.
XCVIII. Ædificavit Moyses altare ex lapidibus duodecim.
XCIX. Ascendit Moyses cum majoribus natu.
C. Omnes electi venerunt in locum Dei.
CI. Dicit Dominus Moysi ut ascendat in montem accipere tabulas Testamenti.
CII. Ascendit Moyses et descendit ad eum majestas Domini.
CIII. Dicit Dominus offerri initia ad tabernaculum faciendum.
D CIV. Quæ debeant offerri.
CV. De fabrica arcæ, mensæ tabernaculi et altaris.
CVI. De oleo lucernæ.
CVII. De sacerdotio Aaron et filiorum ejus.
CVIII. De stola sancta.
CIX. De veste sacerdotali.
CX. De ordinandis sacerdotibus, et de hostia immolanda.
CXI. De altari incensi.
CXII. De oblatione odorationis.
CXIII. Sacerdotes jubentur lavare et manus et pedes, cum ascendunt sacrificare Domino.
CXIV. De unguento incensi.

CXV, De Beseleel quem replevit Dominus spiritu sapientiæ ad omne opus.
CXVI. De Sabbato observando.
CXVII. Ubi dat Dominus Moysi tabulas Testamenti.
CXVIII. Ubi fecit Aaron vitulum conflatilem.
CXIX. Dicit Dominus Moysi: Descende velociter.
CXX. Ubi oravit Moyses pro populo.
CXXI. Vidit Moyses vitulum, et confregit tabulas.
CXXII Ubi arguit Moyses Aaron propter vitulum.
CXXIII. Jussit Moyses populo ut occiderent invicem.
CXXIV. Rogat Moyses Dominum pro populo, ut dimittat illis peccatum eorum.
CXXV. Dicit Dominus Moysi: Ascendite ad terram, quam juravi patribus vestris.
CXXVI. Increpat Dominus populum, et jubet Moysen extra tabernaculum erigere, et loquitur ad eum in columna nubis.
CXXVII. Locutus est Dominus ad Moysen, quomodo loquitur quis ad amicum suum.
CXXVIII. Petit Moyses Dominum videre, et ait illi Dominus: Non potes videre faciem meam.
CXXIX. Ascendit Moyses in montem cum aliis tabulis, ubi accepit legem et præceptum Domini.
CXXX. Omne primitivum jubet sibi offerri Dominus.
CXXXI. Non manducavit Moyses diebus XL, cum scriberet verba Testamenti.
CXXXII. Gloriosa facta est facies Moysi, et velabat eam coram populo, quod eis cornuta videretur.
CXXXIII. De die sabbatorum.
CXXXIV. Initia jubet Moyses offerri Domino, quæcunque disposuissent in corde suo ad opus tabernaculi, et altaris, et rerum sacerdotalium.
CXXXV. Fecerunt Beseleel, et Ooliab, et omnis sapiens stolas sanctas, et omne opus tabernaculi.
CXXXVI. Fecit Beseleel arcam Testamenti, et mensam, et candelabrum, et septem lucernas, et altare æneum, et oleum liniamenti: et de altari æreo, columnis et utensilibus tabernaculi, et oblatis ad numerum bellatorum: et de veste sacerdotali, tintinnabulis, et omni ornatu et perfectione tabernaculi, et omnibus vasis ejus.
CXXXVII. In die primo mensis primi, præcepit Dominus Moysi sanctificare omnia, et induere Aaron stolam sanctam ejus.
CXXXVIII. In primo mense anni secundi profectionis de Ægypto, statuit Moyses tabernaculum testimonii.
CXXXIX. Consummato tabernaculo, texit illud nubes, et majestas Domini implevit illud.

INCIPIT

LIBER ELLE SMOTH

QUI GRÆCE DICITUR

EXODUS.

[T. I, B. I, C. I, *Cap.* I.] Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob: singuli cum domibus suis introierunt: Ruben, Simeon, Levi, Judas, Issachar, Zabulon, et Benjamin, Dan, et Nephtali, Gad, et Aser. Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta [1]: Joseph autem in Ægypto erat. Quo mortuo, et universis fratribus ejus, omnique cognatione illa [2], filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis, impleverunt terram. Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph: et ait ad populum suum: Ecce, populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur, et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis, egrediatur e terra. Præposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent

[1] Errore librariorum nonnulla fluxerunt e Septuaginta in Canonem Hæbraicæ veritatis: inde est quod hic legat cum altero ms. codice: *Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta quinque*; quod S. Hieronymus diserte refellit in libris *Quæstionum Hebraicarum*, docens paulatim per singulos supputato numero, et in Hebræis voluminibus inveniri tantummodo, *septuaginta animas. Ex quo manifestum est*, inquit, *omnes animas, quæ ingressæ sunt Ægyptum de femoribus Jacob, fuisse septuaginta; dum sexaginta sex postea ingressæ sunt, et reperierunt in Ægypto tres animas, Joseph scilicet cum duobus filiis ejus: septuagesimus autem ipse fuerit Jacob.* Suam deinde sententiam tuetur ab ipsis LXX translatoribus, qui in Deuteronomii cap. x, 22, septuaginta tantum animas in Ægyptum intrasse memorant: quamvis etiam hoc loco corrupte legatur in ms. Alexandrino: *septuaginta quinque.* MART.

— Sic optime habet ms. Urbinas: reliqui autem, e quibus et ille, quem Canonem Hebraicæ veritatis Martianæus vocat, juxta Græcum numerant, *septuaginta quinque*, Vide *Quæst. Hebraic.* in Gen. cap. XLVI, vers. 26.

[2] Pro *cognatione illa*, in can. et aliquot mss. codd. legitur *cognatione sua*. Id vero falsum esse nemo non videt. MART.

— Idem ms. Urbinas, *cognatione sua* perperam. Hebræus habet הדור ההוא, *generatio illa.*

eos oneribus: ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni [1], Phithom et Ramesses. Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant: oderantque filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes eis [2]: atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur. Dixit autem rex Ægypti obstetricibus Hebræorum: quarum una vocabatur Sephora [In h. Siphra], altera Phua, præcipiens eis: Quando obstetricabitis Hebræas, et partus tempus advenerit, si masculus fuerit, interficite illum; si femina [*Vulg. add.* fuerit], reservate. Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares. Quibus ad se accersitis, rex ait: Quidnam est hoc quod facere voluistis, ut pueros servaretis? Quæ responderunt: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, et priusquam veniamus ad eas, pariunt. Bene ergo fecit Deus obstetricibus, et crevit populus, confortatusque est nimis. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit illis domos. Præcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite: quiquid feminei, reservate.

[C. II, *Cap.* II.] Egressus est post hæc vir de domo Levi, accepta uxore stirpis suæ. Quæ concepit, et peperit filium, et videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Cumque jam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam bitumine ac pice: posuitque intus infantulum, et posuit eum in carecto ripæ fluminis stante procul sorore ejus et considerante eventum rei. Ecce autem descendebat filia Pharonis, ut lavaretur in flumine, et puellæ gradiebantur per crepidinem alvei. Quæ cum vidisset fiscelam in papyrione, misit unam e famulis suis, et allatam aperiens, cernensque in ea parvulum vagientem, miserta ejus, ait: De infantibus Hebræorum est hic. Cui soror pueri: Vis, inquit, ut vadam, et vocem tibi A Hebræam mulierem, quæ nutrire possit infantulum? Respondit ei: Vade. Perrexit puella et vocavit matrem ejus [3]. Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait puerum istum, et nutri mihi: ego tibi dabo mercedem tuam. Suscepit mulier, et nutrivit puerum: adultumque tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus, Moses, dicens: Quia de aqua tuli eum.

[C. III.] In diebus illis postquam creverat Moses, egressus ad fratres suos, vidit afflictionem eorum, et virum Ægytium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis. Cumque circumspexisset huc atque illuc, et nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo. Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes; dixitque ei qui B faciebat injuriam: Quare percutis proximum tuum? Qui respondit: Quis te constituit principem et judicem super nos? num occidere me tu vis, sicut occidisti heri Ægyptium? Timuit Moses, et ait: Quomodo palam factum est verbum istud? Audivitque Pharao sermonem hunc, et quærebat occidere Mosen: qui fugiens de conspectu ejus, moratus est in terra Madian, et sedit juxta puteum. Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam, et impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui. Supervenere pastores, et ejecerunt eas: surexitque Moses, et, defensis puellis, adaquavit oves earum. Quæ cum revertissent ad Rahuel patrem suum, dixit ad eas: Cur velocius venistis solito? Responderunt: Vir C Ægyptius liberavit nos de manu pastorum: insuper et hausit aquam nobiscum, potumque dedit ovibus. At ille: Ubi est? inquit: quare dimisistis hominem? vocate eum ut comedat panem. Juravit ergo Moses quod habitaret cum eo. Accepitque Sephoram filiam ejus uxorem [4]: quæ peperit ei filium, quem vocavit Gersom, dicens: Advena fui in terram aliena [5]. [T. II, C. IV.] Post multum temporis mortuus est rex Ægypti: et ingemiscentes filii Israel propter opera, vociferati sunt: ascenditque clamor eorum ad Deum pro [*Vulg.* ab] operibus.

[1] Legerit S. Pater, ערי מסכנות pro ערי משכנות, sive ש pro ס, *tabernaculorum* pro *thesaurorum*, quod Chaldæus præfert, et Rabbini, aliique passim interpretes.

[2] Addunt hic loci mss. quamplures, *et invidentes*, sed frustra. MART.

[3] In Hebræo *matrem pueri* habet, quod tollit omnem ambiguitatem librorum editorum, qui *matrem suam* legunt. MART.

— Melius in Hebræo אם הדלי, *matrem pueri*: Vulgata editio, *matrem suam*.

[4] Palatin. ms. tacet *uxorem* mox *Gersan* cum Urbinate et vulgatis legit pro *Gerson*.

[5] Editi libri ac manuscripti quamplures addunt ista: *Alterum vero peperit, quem vocavit, Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis.* In aliis tum Græcis, tum Latinis exemplaribus hoc modo legitur: *Alium vero vocavit Eliezer*, etc. Horum autem verborum nihil exstat in Hebraico contextu, neque in Samaritano: absunt similiter in LXX edit. Rom. manuscripto Alexandrino, et in Paraphrasi Chaldaica. Mutuata videntur e capite decimo octavo ejusdem Exodi vers. 3 et 4, ubi de Eliezer eadem prope legimus. Deinde codex Bibliorum ms. S. Germ. a Pratis num. 3, totam hanc pericopem exhibet in margine: codex autem Regius optimæ notæ, num. 3563, extra seriem ac numerum linearum habet eadem verba in ora inferiori minutis characteribus descripta. In uno denique Corb. ms., num. 1, hæc tantum leguntur intra textum: *Et eripuit me de manu Pharaonis.* Cætera manus recentior supplevit ad oram inferiorem libri. Ex hac tama exemplarium varietate satis exploratum habemus, quæ de Eliezer dicuntur primum adnotata in margine, successu temporis in corpore posita fuisse a librariis. MART. D

— Addunt nostri ms. et quos Martian. consuluit, editique libri, *Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adjutor meus, et eripuit me de manu Pharaonis.* Quæ cum originales textus non habeant, in Hexaplis tamen sub asterisco fuisse descripta, fidem facit Coislinian. ms, penes Montfauconium.

Et audivit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis quod pepigerat eum Abraham, Isaac et Jacob. Et respexit Dominus filios Israel, et cognovit [*Vulg, add.* eos].

[C. V, *Cap.* III.] Moses autem pascebat oves Jethro cognati [*Vulg.* soceri] sui, sacerdotis Madian. Cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus [b. apparuitque angelus Domini] in flamma ignis de medio rubi, et videbat quod rubus arderet, et non combureretur. Dixit ergo Moses : Vadam, et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, et ait: Moses Moses. Qui respondit : Adsum. At ille : Ne appropies, inquit, huc : solve calceamentum, de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et ait : Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham Deus Isaac, Deus Jacob. Asbcondit Moses faciem suam : non enim audebat respicere contra Deum. Cui ait Dominus : Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui præsunt operibus : et sciens dolorem ejus, descendi ut liberarem [*Vulg.* liberem *et* educam] eum de manibus Ægyptiorum, et educerem de terra illa in terram bonam et spatiosam, in terram quæ fluit lacte et melle, ad loca Chananæi, et Hetthæi, et Amorrhæi, Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi. Clamor ergo filiorum Israel venit ad me : vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. Sed veni, mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel de Ægypto. Dixit Moses ad Deum : Quis ego sum, ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel de Ægypto ? Qui dixit ei : Ego ero tecum, et hoc habebis signum, quod miserim te : Cum eduxeris populum [*Vulg. add.* meum] de Ægypto, immolabis Deo super montem istum. Ait Moses ad Deum : Ecce ego vadam ad filios Israel et dicam eis : Deus patrum vestorum misit me ad vos. Si dixerint mihi : Quod est nomen ejus ? quid dicam eis ? Dixit Deus ad Mosen : Ego sum qui sum. Ait : Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Mosen : Hæc dices filiis Israel : Dominus Deus patrum vestorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos : hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem. Vade, congrega seniores Israel et dices ad eos : Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, dicens : visitans visitavi vos, et vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto. Et dixi ut educam vos de afflictione Ægypti, in terram Chananæi et Hetthæi, et Amorrhæi Pherezæi, et Hevæi, et Jebuzæi, ad terram fluentem lacte et melle. Et audient vocem tuam : ingredierisque tu, et seniores Israel, ad regem Ægypti, et dicetis [*Vulg.* dices] ad eum : Dominus Deus Hebræorum vocavit nos : ibimus viam trium dierum per solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro. Sed ego scio quod non dimittet vos rex Ægypti, ut eatis, nisi per manum validam. Extendam enim manum meam, et percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum : post hæc dimittet vos. Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis, et cum egrediemini, non exibitis vacui : sed postulabit mulier a vicina sua et ab hospita sua, vasa argentea, et aurea, ac vestes : ponetisque eas super filios et filias vestras, et spoliabitis Ægyptum.

[*Cap.* IV.] Respondit Moses et ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam ; sed dicent : Non apparuit tibi Dominus. [B. III, C. VI.] Dixit ergo ad eum : Quid est hoc quod tenes in manu tua ? Respondit : Virga. Dixitque Dominus : Projice eam in terram. Projecit, et versa est in colubrum, ita ut fugeret Moses. Dixitque Dominus : Extende manum tuam, et apprehende caudam ejus. Extendit, et tenuit, versaque est in virgam. Ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum [1]. Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. [C. VII.] Dixitque Dominus rursum : Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis. Retrahe, ait, manum [*Vulg add.* tuam] in sinum tuum. Retraxit, et protulit iterum, et erat similis carni reliquæ. Si non crediderint, inquit tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. [C. VIII.] Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam, sume aquam fluminis, et effunde eam super aridam, et quidquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem. Ait Moses : Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius, et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum. Dixit Dominus ad eum : Quis fecit os hominis ? aut quis fabricatus est mutum aut surdum, videntem et cæcum ? nonne ego ? Perge igitur, et ego in ore tuo : docebo que te quid loquaris. At ille ; Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es [2]. Iratus Dominus in Mosen, ait : Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit : ecce ipse egredietur in occursum tuum, vidensque te, lætabitur corde. Loquere ad eum, et pone verba mea in ore ejus, et ego ero in ore tuo.

[1] Loco, *patrum suorum*, omnes mss. codices legunt, *patrum tuorum* : quod perperam imitata est versio Latina textus Samaritani, cum in Samaritanorum ac Hebræorum voluminibus scriptum reperiatur אבותם *avotham*, id est, *patrum eorum* vel *suorum* MART.

— Et nostri, et quos laudat Martian. ms. *tuorum*, *pro suorum* legunt.

[2] Ita ex Hebræo vertendum docet Hieronymus lib. III Comment. in Isai cap. VI. Post recitatam enim e LXX interpretibus hanc lectionem : *Obsero. Domine, non sum diguus, provide alium quem mittas*, subjungit aliam dicens : *Sive ut in Hebræo legitur*, mitte quem missurus est. MART.

et in ore illius, et ostendam vobis quid agere debeatis. Ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum : tu autem eris [*Vulg. add.* ei] in his quæ ad Deum pertinent. Virgam quoque hanc sumes [*Vulg.*. sume] in manu tua, in qua facturus es signa. [C. IX.] Abiit Moses, et reversus est ad Jethro cognatum [*Vulg.* socerum] suum, dixitque ei : Vadam, et revertar ad fratres meos in Ægyptum ut videam, si adhuc vivunt. Cui ait Jethro : Vade in pace [T. III, C. X.] Dixit ergo Dominus ad Mosen in Madian : Vade, et revertere in Ægyptum, mortui enim sunt omnes qui quærebant animam tuam. Tulit ergo Moses uxorem suam, et filios suos, et imposuit eos super asinum, reversusque est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua. Dixitque ei Dominus revertenti in Ægyptum : Vide ut omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone : ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum. Dicesque ad eum : Hæc dicit Dominus : filius primogenitus meus est Israel. Dixi tibi : Dimitte filium meum, ut serviat mihi, et noluisti dimittere eum : ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. Cumque esset in itinere, in diversorio occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, et ait : Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum postquam dixerat : Sponsus sanguinum, ob circumcisionem [1]. [C. XI.] Dixit autem Dominus ad Aaron : Vade in occursum Mosi in desertum. Qui perrexit ei obviam in Montem Dei, et osculatus est eum. Narravitque Moses Aaron omnia verba Domini, quibus miserat eum, et signa quæ mandaverat. Veneruntque simul, et congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel. Locutusque est Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Mosen, et fecit signa coram populo, et credidit populus. Audieruntque, quod visitasset Dominus filios Israel, et quod rexpexisset afflictionem eorum, et proni adoraverunt.

[C. XII] Post hæc ingressi sunt Moses et Aaron, et dixerunt Pharaoni : Hæc dixit Dominus Deus Israel [2] : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto. At ille respondit : Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel ? nescio Dominum, et Israel non dimittam. Dixeruntque : Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro : ne forte accidat nobis pestis aut gladius. Ait ad eos rex Ægypti : Quare, Moses et Aaron, sollicitatis populum ab operibus suis ? ite ad onera vestra : Dixitque Pharao : Multus est populus terræ : videtis quod turba succreverit : quanto magis si dederitis [3] eis requiem ab operibus? Præcepit ergo in die illo præfectis operum et exactoribus populi, dicens : Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius : sed ipsi vadant, et colligant stipulas. Et mensuram laterum, quos [*Vulg.* quam] prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quidquam ; vacant enim, et idcirco vociferantur, dicentes Eamus, et sacrificemus Deo nostro. Opprimantur operibus, et expleant ea, ut non acquiescant verbis mendacibus. Igitur egressi præfecti operum et exactores, ad populum dixerunt : Sic dixit Pharao : Non do vobis paleas ite, et colligite sicubi invenire poteritis, nec minuetur quidquam de opere vestro. Dispersusque est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. Præfecti quoque operum instabant, dicentes : Complete opus vestrum quotidie, ut prius facere solebatis, quando dabantur vobis paleæ. Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus : Quare non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri nec hodie? Veneruntque præpositi filiorum Israel, et vociferati sunt ad Pharaonem dicentes : Cur ita agis contra servos tuos ? Paleæ non dantur nobis, et lateres similiter imperantur en famuli tui flagellis cædimur, et injuste agitur contra populum tuum. Qui ait : Vacatis otio, et idcirco dicitis : Eamus, et sacrificemus Domino. Ite ergo, et operamini, paleæ non dabuntur vobis, et reddetis consuetum numerum laterum. Videbantque se præpositi filiorum, Israel in malo, eo quod diceretur eis : Non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies. Occurreruntque Mosi et Aaron, qui stabant ex adverso, egredientes [*Vulg.* egredientibus] a Pharaone, et dixerunt ad eos : Videat Dominus, et judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuistis ei gladium, ut occideret nos. Reversusque est Moses ad Dominum, et ait : Domine,

[1] Canon Hebr. ver. ac mss. antiquiores addunt post vocem, *sanguinum* ut in præcendenti versiculo, *tu mihi es*. Sed absunt hæc verba in fonte Hebraico, et notariorum incuria in mss. libro fluxisse non dubium est. MART.

— Addit Palat. ms. pluresque alii penes Martian. hic ut in præcedenti versiculo, *tu mihi es*. Ac sunt qui velint, ea censuisse Hieronymum repetenda, tametsi in Hebraico archetypo desiderentur.

[2] *Pro deo Israel*, in Canone Hebr. ver. ac in altero optimæ notæ ms. codice S. Germani a Pratis, num. 3, legitur *Dominus Deus Hebræorum*, ut pluries infra dicitur in toto Exodo. Id vero in primis notandum, hoc toto in canone fuisse deletum nomen *Israel*, et pro eo appositum verbum *Hebræorum* cum isto signo *h* in margine, quo docere nos voluit ita scriptum legi in Hebræo. Restat igitur ex hac observatione, in aliquot saltem exemplaribus Hebraicis olim scriptum : *Dominus Deus Hebræorum* : contrarium tamen manifeste suadet unus omnium interpres tum cum hodierno Hebræo consensus : necnon Pharaonis responsio subnexa : *Nescio Dominum, et Israel non dimittam*. Itaque hæc suspensus hæreo. MART.

[3] In pluribus mss. codicibus scriptum est, *si dederimus*. Hoc vero mutuatum videtur a Græcis, qui legunt in prima persona, καταπαύσωμεν, id est, *cessationem demus*, vel *quiescere faciamus*. MART.

cur afflixisti populum istum ? quare misisti me ? Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem ut loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum, et non liberasti eos.

(*Cap.* VI). Dixitque Dominus ad Mosen : Nunc videbis quæ facturus sim Pharaoni; per manum enim fortem dimittet eos, et in manu robusta ejiciet illos de terra sua[C. XIII.] Locutusque est Deus ad Mosen dicens : Ego Dominus, qui apparuit Abraham, Isaac, et Jacob, in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis. Pepigique cum eis fœdus, ut darem illis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt advenæ. Ego audivi gemitum filiorum Israel, quo Ægyptii oppresserunt eos, et recordatus sum pacti mei. Ideo dic filiis Israel : Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, et eruam de servitute, ac redimam in brachio excelso, et judiciis magnis. Et assumam vos mihi in populum, et ero vester Deus : et scietis quod ego sim Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, et induxerim in terram, super quam levavi manum meam, ut darem eam Abraham, Isaac, et Jacob daboque illam vobis possidendam, ego Dominus. [T. IV.] Narravit ergo Moses omnia filiis Israel, qui non acquieverunt ei, propter angustiam spiritus, et opus durissimum. Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Ingredere et loquere ad Pharaonem regem Ægypti, ut dimittat filios Israel de terra sua. Respondit Moses coram Domino : Ecce filii Israel non me audiunt, et quomodo audiet Pharao, præsertim cum sim incircumcisus labiis ? [C. XIV.] Locutusque est Dominus ad Mosen et Aaron, et dedit mandatum ad filios Israel, et ad Pharaonem regem Ægypti, ut educerent filios Israel de terra Ægypti. [B. IV.] isti sunt principes domorum per familias suas. Filii Ruben primogeniti Israelis : Enoch et Phallu, Esron et Charmi. Hæ cognationes Ruben. Filii Simeon : Jamuel, et Jamin, et Ohad [*Vulg.* Ahod]. Jachin, et Soar, et Saul filius Chananitidis. Hæ progenies Simeon. Et hæc nomina filiorum Levi per cognationes suas : Gerson, et Caath, et Merari. Anni autem vitæ Levi fuerunt centum triginta septem. Filii Gerson [h.] Libeni et Semei, per cognationes suas. Filii Caath : Amram, et Isaar, et Hebron, et Oziel, annique vitæ Caath, centum triginta tres. Filii Merari : Mooli [h. Mahali] et Musi. Hæ cognationes Levi per familias suas. Accepit autem Amram uxorem [h.] Jochebed patruelem suam, quæ peperit ei [1] Aaron et Mosen [2]. Fuerunt que anni vitæ Amram, centum triginta septem. Filii quoque Isaar : Core, et Nepheg, et Zechri. Filii quoque Oziel : Misael, et Elsaphan, et Sithri. Accepit autem Aaron uxorem Elisabe [3], filiam Aminadab, sororem Naasson, quæ peperit ei Nadab, et Abiu, Eleazar, et Ithamar. Filii quoque Core : Asir, et Elcana, et Abiasaph. Hæ sunt cognationes Coritarum. At vero Eleazar filius Aaron accepit uxorem de filiabus Phutiel ; quæ peperit ei Phinees. Hi sunt principes familiarum Leviticarum per cognationes suas. Iste est Aaron et Moses, quibus præcepit Dominus, ut educerent filios Israel de terra Ægypti per turmas suas. Hi sunt, qui loquuntur ad Pharaonem regem Ægypti, ut educant filios Israel de Ægypto : iste Moses et Aaron, in die qua locutus est Dominus ad Mosen, in terra Ægypti. [C. XV.]Et locutus est Dominus ad Mosen, dicens : Ego Dominus : loquere ad Pharaonem regem Ægypti, omnia quæ ego loquor tibi. Et ait Moses coram Domino : En incircumcisus labiis sum, quomodo audiet me Pharao ?

[*Cap.* VII]. Dixitque Dominus ad Mosen : Ecce constitui te Deum Pharaonis : et Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris [*Vulg. add.* ei] omnia quæ mando tibi : ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel de terra sua. Sed ego indurabo cor ejus, et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti, et non audient vos : immittamque manum meam super Ægyptum, et educam exercitum et populum meum filios Israel de terra Ægypti per judicia maxima. Et scient Ægyptii quod ego sim Dominus qui extenderim manum meam super Ægyptum, et eduxerim filios Israel de medio eorum. Fecit itaque Moses, et Aaron sicut præceperat eis [*Vulg. tacet* eis] Dominus : ita egerunt. [C. XVI.] Erat autem Moses octoginta annorum, et Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem. Dixitque Dominus ad Mosen et Aaron : Cum dixerit vobis Pharao, Ostendite signa, dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, et Projice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum. Ingressi itaque Moses et Aaron ad Pharaonem, fecerunt si-

— In Palatin. mss., *si dederitis ei.*

[1] Urbinas ms tacet *ei* : tum cum Palatino post *Moysen* addit *et Mariam* ex LXX editione.

[2] Septuaginta addunt hoc loco, *et Mariam sororem eorum.* Hæc quoque leguntur in textu Hebræo-Samaritano, in quem non pauca fluxisse e LXX interpretibus, constans est virorum doctorum sententia. Syrus cum aliquot mss. exemplaribus Latinorum legit quidem, *et Mariam* ; sed non habet, *sororem eorum.* Quæ, omnia adscititia esse satis manifeste demonstrat canon Hebr. veritatis, ubi erasis in corpore hujusmodi verbis, scholion istud e latere appositum legitur : *h. non habet Mariam*, id est, Hebræus non habet, *Mariam.* Huic adjungendi Chaldæus et Arabs, apud quos nihil reperias quod Mariam spectat ; sed neque in codicibus Latinis melioris notæ. MART.

[3] In Hebræo legimus אלישבע hoc est, *Elisabe*, non *Elisabeth*, ut habent LXX interpretes, quos sequuntur editi, et nonnulli codd. mss. recentiores. Porro nomen *Elisabe* in exemplaribus Græcis fuisse corruptum probari potest non solum e canone Hebraicæ veritatis, aliisque mss. codd. Latinis antiquioribus ac melioris notæ ; sed ex libris etiam Hebraicorum nominum, ubi S. Hieronymus de Exodo hoc nomen recensens legit *Elisabe*, quod interpretatur *Dei mei juramentum*, etc. Hoc vero non esset, si *Elisabeth* leperetur, MART.

— Palatin ms., *Helsabee.*

cut præceperat Dominus, tulitque Aaron virgam coram Pharaone et servis ejus, quæ versa est in colubrum. Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos : et fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptias et arcana quædam similiter. Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones ; sed devoravit virga Aaron virgas eorum. Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut [h.] dixerat Dominus. [1 *Plaga.*] Dixit autem Dominus ad Mosen : Ingravatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum. Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas : et stabis in occursum ejus super ripum fluminis : et virgam, quæ conversa est in draconem, tolles in manu tua. Dicesque ad eum : Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens : Dimitte populum meum, ut mihi sacrificet in deserto : et usque ad præsens audire noluisti. Hæc igitur dicit Dominus : In hoc scies quod Dominus sim : ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, et vertetur in sanguinem : Pisces quoque, qui sunt in fluvio, morientur, et computrescent aquæ, et affligentur Ægypti, bibentes aquam fluminis. Dixit quoque Dominus ad Mosen : Dic ad Aaron : Tolle virgam tuam, et extende manum tuam super aquas Ægypti, et super fluvios eorum, et rivos ac paludes, et omnes lacus aquarum. ut vertantur in sanguinem, et sit cruor in omni terra Ægypti tam in ligneis vasis quam in saxeis. Feceruntque ita Moses et Aaron, sicut præceperat Dominus : et elevans virgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone et servis ejus ; quæ versa est in sanguinem. Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt : computruitque fluvius, et non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis, et fuit sanguis in tota terra Ægypti. Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis : et induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos, sicut [h.] dixerat Dominus. Avertitque se, et ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice. Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam, ut biberent : non enim poterant bibere de aqua fluminis. Impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluvium.

[B. V, *Cap.* VIII, 2 *Plaga.*] Dixit quoque Dominus ad Mosen : Ingredere ad Pharaonem, et dices ad eum : Hæc dicit Dominus : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi : sin autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis. Et ebulliet fluvius ranas ; quæ ascendent, et ingredientur domum tuam, et cubiculum lectuli tui, et super stratum tuum, et in domos servorum et in populum tuum, et in furnos tuos, et in reliquias ciborum tuorum, et ad te, et ad populum tuum, et ad omnes servos tuos, intrabunt ranæ. A Dixitque Dominus ad Mosen ; Dic ad Aaron : Extende manum tuam super fluxios et super rivos ac paludes, et educ ranas super terram Ægypti. Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, et ascenderunt ranæ [In h. rana], operueruntque terram Ægypti. Fecerunt autem malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram Ægypti. Vocavit autem Pharao Mosen et Aaron, et dixit eis : Orate Dominum, ut auferat ranas a me et a populo meo : et dimittam populum ut sacrificet Domino. Dixitque Moses Pharaoni : Constitue mihi quando deprecer pro te, et pro servis, tuis et pro populo tuo, ut abigantur ranæ a te [1], et a domo tua : et tantum in flumine remaneant. Qui respondit : Cras. At ille : Juxta verbum, B inquit, tuum faciam : ut scias quoniam non est sicut Dominus Deus noster. Et recedent ranæ, a te, et a domo tua, et a servis tuis, et a populo tuo : tantum in flumine remanebunt. Egressique sunt Moses et Aaron a Pharaone ; et clamavit Moses ad Dominum pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni. Fecitque Dominus juxta verbum Mosi, et mortuæ sunt ranæ de domibus, et de villis, et de agris. Congregaveruntque eas in immensos aggeres, et computruit terra. Videns autem Pharao quod data esset requies, ingravavit cor suum, et non audivit eos, sicut dixerat [*Vulg.* præceperat]. Dominus. [T. V, 3 *Plaga.*] Dixitque Dominus ad Mosen : Loquere ad Aaron : Extende virgam tuam, et percute pulverem terræ : et sint ciniphes in universa terra Ægypti. Feceruntque ita. Et extendit C Aaron manum, virgam tenens : percussitque pulverem terræ, et facti sunt ciniphes in hominibus, et in jumentis : omnis pulvis terræ versus est in ciniphes per totam terram Ægypti. Feceruntque similiter malefici per incantationes suas, ut educerent ciniphes, et non potuerunt : erantque ciniphes tam in hominibus quam in jumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem : Digitus Dei est hoc [*Vulg.* hic], induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos sicut locutus est [*Vulg.* præceperat] Dominus. [4 *Plaga.*] Dixit quoque Dominus ad Mosen : Consurge diluculo, et sta coram Pharaone, egredietur enim ad aquas : et dices ad eum : Hæc dicit Dominus : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. Quod si non dimiseris eum, ecce ego D immittam in te, et in servos tuos, in populum tuum, et in domos tuas, omne genus muscarum : et implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis, et universa terra in qua fuerint. Faciamque mirabilem in die illa terram Gesen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ, et scias quoniam ego Dominus in medio terræ. Ponamque divisionem inter populum meum et populum tuum : cras erit signum istud : Fecitque Dominus ita. Et venit mu-

[1] Legunt hic, post LXX, editi Latini libri, *ut abigantur ranæ a te, et a domo tua, et a servis, tuis, et a populo, tuo* ; *et tantum* etc. At in Hebræo, cui consentit canon Heb. veritatis, legitur ut nos edidimus. MART. — Addit idem ms. cum editis libris, juxta Græcum, *et a servis tuis, et a populo tuo, tantum*, etc.

sca gravissima in domos Pharaonis et servorum ejus, et in omnem terram Ægypti, corruptaque est terra ab hujuscemodi muscis. Vocavitque Pharao Mosen et Aaron, et ait eis; Ite, sacrificate Deo vestro in terra [*Vulg. et cod. Mem. addunt* hac]. Et ait Moses: Non potest ita fieri : abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro quod si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent. Viam trium dierum pergemus in solitudinem: et sacrificabimus Domino Deo nostro sicut præcepit nobis. Dixitque Pharao: Ego dimittam vos ut sacrificetis Domino Deo vestro, in deserto : verumtamen longius ne abeatis, rogate pro me. Et ait Moses: Egressus a te, rogabo Dominum, et recedet musca a Pharaone, et a servis, et a populo ejus cras: verumtamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum sacrificare Domino. Egressusque Moses a Pharaone, oravit Dominum. Qui fecit juxta verbum illius : et abstulit muscas a Pharaone, et a servis, et a populo ejus : non superfuit ne una quidem. Et ingravatum est cor Pharaonis, ita ut ne hac quidem vice dimitteret populum.

[*Cap.* IX, 5 *Plaga.*] Dixit autem Dominus ad Mosen : Ingredere ad Pharaonem, et loquere ad eum : Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. Quod si adhuc renuis, et retines eos : ecce manus mea erit super agros tuos : super equos, et asinos, et camelos, et boves, et oves, pestis valde gravis. Et faciet Dominus mirabile, inter possessiones Israel et possessiones Ægyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israel. Constituitque Dominus tempus, dicens : Cras faciet Dominus verbum istud in terra. Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die : mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum : de animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit. Et misit Pharao ad videndum : nec erat quidquam mortuum de his quæ possideba Israel. [6 *Plaga.*] Ingravatumque est cor Pharaonis, et non dimisit populum. Et dixit Dominus ad Mosen et Aaron : Tollite plenas manus cineris de camino, et spargat illum Moses in cœlum coram Pharaone: sitque pulvis super omnem terram Ægypti: erunt enim hominibus et jumentis vulnera [*Vulg.* ulcera], et vesicæ turgentes, in universa terra Ægypti. Tulerunt cinerem de camino, et steterunt coram Pharaone, et sparsit illum Moses in cœlum : factaque sunt vulnera vesicarum turgentium in hominibus, et jumentis, nec poterant malefici stare coram Mose propter vulnera, quæ in illis erant, et in omni terra Ægypti. Induravitque Dominus cor Pharaonis, et non audivit eos sicut locutus est Dominus ad Mosen [7 *Plaga.*] Dixitque Dominus ad Mosen : Mane consurge, et sta coram Pharaone, et dices ad eum : Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum [*Vulg. add.* et], super servos tuos, et super populum tuum : ut scias quod non sit similis mei in omni terra. Nunc enim extendens manum meam [*Vulg. tac.* meam], percutiam te et populum tuum peste, peribisque de terra. Ideirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in ommi terra. Adhuc retines populum meum, et non vis eum dimittere ? En pluam hac ipsa hora cras grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, a die qua fundata est, usque in præsens tempus. Mitte ergo jam nunc, et congrega jumenta tua, et omnia quæ habes in agro : homines enim, et jumenta, et universa, quæ inventa fuerint foris, nec congregata de agris, ecciderit que super ea grando, morientur. Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos et jumenta in domos : qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos et jumenta in agris. Et dixit Dominus ad Mosen : Extende manum tuam in cœlum, ut fiat grando in universa terra Ægypti super homines, et super jumenta, et super omnem herbam agri in terra Ægypti. Extenditque Moses virgam in cœlum, et Dominus dedit tonitrua, et grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti. Et grando et ignis immista pariter ferebantur : tantæque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in universa terra Ægypti ex quo gens illa condita est [1]. Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerant in agris, ab homine usque ad jumentum, cunctamque herbam agri percussit grando, et omne lignum regionis confregit. Tantum in terra Gesen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit. Misitque Pharao, et vocavit Mosen et Aaron, dicens an eos : Peccavi etiam nunc : Dominus justus : ego et populus meus, impii. Orate Dominum, ut desinant tonitrua Dei, et grando : ut dimittam vos, et nequaquam hic ultra maneatis. Ait Moses ; Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, et cessabunt tonitrua, et grando non erit : ut scias quia Domini est terra: novi autem, quod et tu, et servi tui, necdum timeatis Dominum Deum. Linum ergo et hordeum læsum est, eo quod esset hordeum virens, et linum jam folliculos germinaret : triticum autem et far non sunt læsa, quia serotina erant. Egressusque Moses a Pharaone ex urbe tetendit manus ad Dominum : et cessaverunt tonitrua et grando, nec ultra stillavit pluvia super terram. Videns autem Pharao quod cessasset pluvia, et grando, et tonitrua, auxit peccatum, et ingravatum est cor ejus, et servorum illius, et induratum nimis : nec dimisit filios Israel, sicut locutus est Dominus per manum Mosi.

[L. VI, *Cap.* X, 8 *Plaga.*] Et dixit Dominus ad

[1] Aliter canon Hebraicæ veritatis, sed eodem sensu ; legit enim hunc in modum : *Ex quo gens illa condita est* MART.

Mosen : Ingredere ad Pharaonem ; ego enim induravi cor ejus, et servorum illius : ut faciam signa mea hæc in eo, et nares in auribus filii tui, et nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, et signa mea fecerim in eis, et scietis [*Vulg.* sciatis] quia ego Dominus. Introierunt ergo Moses et Aaron ad Pharaonem, et dixerunt ad eum : Hæc dicit Dominus, Deus Hebræorum : Usquequo non vis subjici mihi ? dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. Sin autem resistis, et non vis dimittere eum : ecce ego inducam cras locustam in fines tuos : quæ operiat superficiem terræ nec [*Vulg.* ne] quidquam ejus appareat, sed comedatur quod residuum fuerit grandini : corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris. Et implebunt domos tuas et servorum tuorum, et omnium Ægyptiorum ; quantam non viderunt patres tui, et avi, ex quo orti sunt super terram usque in præsentem diem. Avertitque se, et egressus est a Pharaone. Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum : Usquequo patiemur hoc scandalum ? Dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo : nonne vides quod perierit Ægyptus ? Revocaveruntque Mosen, et Aaron ad Pharaonem : qui dixit eis : Ite, sacrificate Domino Deo vestro : quinam sunt qui ituri sunt ? Ait Moses : Cum parvulis nostris et senibus [*Vulg.* senioribus] pergemus, cum filiis et filiabus, cum ovibus et armentis : est enim solemnitas Domini Dei nostri. Et respondit Pharao : Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, et parvulos vestros, cui dubium est quod pessime cogitetis ? Non fiet ita, sed ite tantum viri, et sacrificate Domino : hoc enim et ipsi petistis. Statimque ejecti sunt de conspectu Pharaonis. Dixit autem Dominus ad Mosen : Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam, et devoret omnem herbam quæ residua fuerit grandini. Et extendit Moses virgam super terram Ægypti ; et Dominus induxit ventum urentem tota illa die, ac nocte, et mane facto, ventus urens levavit locustas. Quæ ascenderunt super universam terram Ægypti, et sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt. Operueruntque universam superficiem terræ, vastantes omnia. Devorata est igitur herba terræ, et quiquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat, nihilque omnino virens relictum est in lignis et in herbis terræ, in cuncta Ægypto. Quam ob rem festinus Pharao vocavit Mosen et Aaron, et dixit eis : Peccavi in Dominum Deum vestrum, et in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, et rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam. Egressusque est de conspetu Pharaonis, et oravit Dominum. Qui flare fecit ventum, ad occidente vehementissimum, et arreptam locustam projecit in mare Rubrum : non remansit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti. Et induravit Dominus cor Pharaonis, necdimisit filios Israel. [9 *Plaga.*] Dixit autem Dominus ad Mosen Extende manum tuam in cœlum, et sint tenebræ super terram Ægypti tam densæ ut palpari queant. Extenditque Moses manum in cœlum, et factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat : ubicunque autem habitabant filii Israel, lux erat. Vocavitque Pharao Mosen, et dixit [1] : Ite, sacrificate Domino, oves tantum vestræ et armenta remaneant, parvuli vestri eant vobiscum. Ait Moses : Hostia quoque st holaucausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro. Cuncti greges pergent nobiscum : non remanebit ex eis ungula : quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri : præsertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perveniamus. Induravit autem Dominus cor Pharaonis, et noluit dimittere eos. Dixitque Pharao ad Mosen : Recede a me [*Vulg add.* et], cave ne ultra videas faciem meam : quocunque die apparueris mihi, morieris. Respondit Moses : Ita fiet [2] ut locutus est, non videbo ultra faciem tuam.

[C. XVII, *Cap.* XI.] Et dixit Dominus ad Mosen : Adhuc una plaga tangam Pharaonem et Ægyptum, et post hæc dimittet vos et exire compellet. Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, et mulier a vicina sua, vasa argentea et aurea. Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis. Fuitque Moses vir magnus valde in terra Ægypti, coram servis Pharaonis et omni populo. Et ait Hæc dicit Dominus : Media nocte egrediar [*Vulg.* ingrediar], in Ægyptum, et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis, qui sedet in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam, et omnia primogenita jumentorum. Eritque clamor magnus in universa terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est. Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine usque ad pecus, ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios et Israel. Descendentque omnes servi tui isti ad me, et adorabunt me, dicentes : Egredere tu, et omnis populus, qui subjectus est tibi : post hæc egrediemur. Et exivit a Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Mosen : Non audiet vos Pharao, ut multa signa fiant in terra Ægypti. Moses autem et Aaron fecerunt omnia ostenta, quæ scripta sunt, coram Pharaone ; et induravit Dominus cor Pharaonis nec dimisit filios Israel de terra sua [*Vulg. tacet* de terra sua].

[T. XII, B. VI, D. XVIII, *Cap.* XII.] Dixit quoque

[1] Editi libri lectionem LXX interpretum, et textum Samaritanum secuti, hic loci post, *Mosen*, addunt, *et Aaron*. Sciendum vero verbum *Aaron* abesse in Hebr., Syr. Arab. et canone sæpius laudato. MART.

— Nostri mss. *Moysen et Aaron, et dixit eis :* cum editis et juxta Græcum.

Urbinas aliique penes Martian. mss., *fiat.*

Dominus ad Mosen et Aaron in terra Ægypti : Mensis iste, vobis principium mensium ; primus erit in mensibus anni. Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, et dicite eis : Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas [1]. Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui junctus est domui ejus, juxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus : juxta quem ritum tolletis et hædum. Et servabilis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus : immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperum. Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni et azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni : caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis. Nec remanebit quidquam ex eo usque mane, si quid residuum fuerit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum, renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter : est enim Phase (id est transitus) Domini. Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus, et in cunctis diis Ægypti faciam judicia, ago Dominus. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis, et videbo sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero terram Ægypti. Habebitis autem hanc diem in monumentum, et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus azyma comedetis : in die primo non erit fermentum [2] in domibus vestris : quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem septimum. Dies prima erit sancta atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis : nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent. Et observabitis azyma, in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti, et custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo. Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam, comedetis azyma usque diem vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris : qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel : tam de advenis quam de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis : in cunctis habitaculis vestris edetis azyma. Vocavit autem Moses omnes seniores [h.] Israel, et dixit ad eos : Ite tollentes animal per familias vestras, et immolate Phase. Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare, et utrumque postem : nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios : cumque viderit sanguinem in superliminari, et in utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domus veatras et lædere. Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in æternum. Cumque intoleritis terram, quam Dominus daturus est vobis ut pollicitus est, observabitis cæremonias istas. Et cum dixerint vobis filii vestri : Quæ est ista religio ? dicetis eis : Victima transitus Domnii est, quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, et domos nostros liberans. Incurvatusque populus adoravit. Et egressi filii Israel fecerunt sicut præceperat Dominus Mosi et Aaron. [10 *Plaga.*] Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio ejus, usque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere, et omne primogenitum jumentorum. Surrexitque Pharao nocte, et omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus, et ortus est clamor magnus in Ægypto : neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus. Vocatisque [*Vulg. add.* Pharao] Mose et Aaron nocte, ait : Surgite, egredimini a populo meo, et vos, et filii Israel : ite, immolate Domino sicut dicitis, Oves vestras et armenta assumite ut petieratis, et abuntes benedicite mihi. Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes ; Omnes moriemur. Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur : et ligans in palliis, posuit super humeros suos. Feceruntque filii Israel sicut præceperat Moses : et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, vestemque plurimam. Dedit autem Dominus gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis : et spoliaverunt Ægyptios. [T. VIII.] Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Soccoth, sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis, et mulieribus [3] [h. non habet :

[1]. Canon Hebr. ver. docet unde tollendus sit agnus, nam ad *domos suas* adjecit, *ab ovibus et hædis* ; quod Arabs partim expressit dicens, *idque caput ex ovibus*. Glossema videtur marginale in corpore positum a librariis. Proximum est huic quod legitur cap. 1 Levitici, vers. 10. MART.

— Voculas *et domos* Urbinas ms. ignorat. Hebræus שה לבות ורבות-אבת שה *agnum, per domum patrum. agnum per domum.*

[2] Pro *fermento* mss. omnes *fermentatum* legunt : retinenda tamen editorum lectio, quia in fonte Hebraico *fermentum* legimus, non *fermentatum* MART.

— Sic recte habent mss. nostri, *fermentum* : secus quibus Martian. usus est, *fermentatum*. Mem. hanc habet notationem in marg. *fermentum*, non ut alii *fermentatum*.

[3] Lectioni canonis consentiunt tres mss. codd. Colbertinæ bibliothecæ, et unus e recentioribus S. Germani a Pratis. Deleta autem videntur in aliis ultima verba, *et mulieribus*, propter adnotationem marginalem canonis. MART.

mulieribus]. Sed et vulgnus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves et armenta et animantia diversi generis multa nimis. Coxeruntque farinam, quam dudum conspersam de Ægypto tulerant: et fecerunt subcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, et nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quidquam occurrerat præparare. [C. XVIII.]Habitatio autem filiorum Israel,qui manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti. Nox est ista observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti; hanc observare debent omnes filii Israel in generationibus suis. [C. XX]. Dixitque Dominus ad Mosen et Aaron: Hæc est religio Phase; Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem servus emptitius circumcidetur, et sic comedet. Advena et mercenarius non edent ex eo. In una domo comedetur, nec efferatis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis. Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud. Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere Phase Domino, circumcidetur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit: eritque sicut indigena terræ: si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ et colono, qui peregrinatur apud vos. Feceruntque omnes filii Israel sicut præceperat Dominus Mosi et Aaron. Et eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti per turmas suas.

[T. VII, C. XXI, *Cap.* XIII.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum,quod aperit vulvam in filiis Israel tam de hominibus quam de jumentis: mea sunt enim omnia. Et ait Moses ad populum: Mementote diei hujus, in qua egressi estis de Ægypto et de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto, ut non comedatis fermentatum panem. Hodie egredimini mense novarum frugum. Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi et Hetthæi et Amorrhæi et Evæi et Jebusæi, quam juravit patribus tuis ut daret tibi terram fluentem lacte et melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto. Septem diebus vesceris azymis, et in die septimo erit solemnitas Domini. Azyma comedetis septem diebus, non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. Narrabisque filio tuo in die illo, dicens: Hoc est quod fecit Dominus mihi, quando egressus sum de Ægypto. Et erit quasi signum in manu tua, et quasi monumentum ante oculos tuos, et ut lex Domini semper sit in ore tuo: in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto. Custodies hujuscemodi cultum statuto tempore a diebus in dies. Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi,sicut juravit tibi et patribus tuis, et dederit eam tibi, A separabis omne, quod aperit vulvam Domino, et quod primitivum est in pecoribus tuis, quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino. Primogenitum asini mutabis ove, quod si non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes. Cumque interrogaverit te filius tuus cras dicens: Quid est hoc? respondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti de domo servitutis. Nam cum induratus esset Pharao, et nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito hominis usque primogenitum jumentorum; idcirco immolo Domino omne quod aperit vulvam masculini sexus, et omnia primogenita filiorum meorum redimo. Erit igitur quasi signum in B manu tua, et quasi appensum quid, ob recordationem, inter oculos tuos; eo quod in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto. [C. XXII.] Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos eduxit Deus per viam terræ Philisthiim quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret cum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum. Sed circumcidit per viam deserti quæ est juxta mare Rubrum, et armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti. Tulit quoque Moses ossa Jacob secum, eo quod adjurasset filios Israel, dicens: Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum. Profectique de Soccoth castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis. [C. VIII.] Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis; et per noctem in C columna ignis: ut dux esset itineris utroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.

[C. XXIII, *Cap.* XIV.] Locutus est autem Dominus ad Mosen, dicens: Loquere filiis Israel: Reversi castrametentur e regione Phiahiroth, quæ est inter Magdalum et mare contra Beelsephon, in conspectu ejus castra ponetis super mare. Dicturusque est Pharao super filiis Israel: Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum. Et indurabo cor ejus, ac persequetur vos, et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus; scientque Ægyptii, quia ego sum Dominus: Feceruntque ita. Et nuntiatum est regi Ægyptiorum quod fugisset populus, immutatumque est cor Pharaonis et servorum ejus super D populo, et dixerunt: Quid voluimus facere, ut dimitteremus Israel, ne serviret nobis? Junxit ergo currum,et omnem populum suum assumpsit secum. Tulitque sexentos currus electos, et quidquid in Ægypto curruum fuit, et duces totius exercitus. Induravitque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, et persecutus est filios Israel, at illi egressi erant in manu excelsa. Cumque persequerentur Ægyptii vestigia præcedentium, repererunt eos in castris super mare; omnis equitatus et currus Pharaonis, et universus exercitus, erant in Phiahiroth [1] con-

[1] Errore librariorum omittitur in omnibus codd. manuscriptis prima syllaba *phi*, et legitur tantum,

tra Beelsephon. Cumque appropinquasset Pharao, levantes filii Israel oculos, viderunt Ægyptios post se, et timerunt valde, clamaveruntque ad Dominum, et dixerunt ad Mosen : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine? quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto : Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto dicentes : Recede a nobis, et serviamus Ægyptiis? multo enim melius est servire eis, quam mori in solitudine. Et ait Moses ac populum : Nolite : state, et videte magnalia Domini quæ facturus est hodie : Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. Dixitque Dominus ad Mosen : Quid clamas ad me? Loquere filiis Israel, ut proficiscantur. Tu autem eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et divide illud ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum. Ego autem indurabo cor Ægyptiorum, ut persequantur vos, et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus, in curribus et in equitibus illius. Et scient Ægyptii quia ego sum Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone, et in curribus atque in equitibus ejus. Tollensque se angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiorum et castra Israel, et erat nubes tenebrosa, et illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. Cumque extendisset Moses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi et urente tota nocte, et vertit in siccum : divisaque est aqua. Et ingressi sunt filii Israel per medium maris sicci : erat enim aqua quasi murus a dextra eorum et læva. Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos, omnis equitatus Phraonis, currus ejus et equites, per medium maris. Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerant ergo Ægyptii : Fugiamus Israelem : Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dominus ad Mosen : Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus et equites eorum. Cumque extendisset Moses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum : fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ. A et involvit eos Dominus in mediis fluctibus. Reversæque sunt aquæ, et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, ne unus quidem superfuit ex eis. Filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, et aquæ eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris : liberavitque Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum. Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, et manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos, timuitque populus Dominum et crediderunt Domino, et Mosi servo ejus.

Tunc cecinit Moses et filii Israel carmen hoc Domino et dixerunt :

Cantemus Domino :
gloriose enim magnificatus est, B
equum et ascensorem dejecit in mare.
Fortitudo mea, Dominus ;
et factus est mihi in salutem.
Iste Deus meus, et glorificabo eum ;
Deus patris mei, et exaltabo eum.
Dominus quasi vir pugnator ;
omnipotens [in h. Dominus] nomen ejus [1] :
currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare.
Electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro :
abyssi opernerunt eos :
descenderunt in profundum quasi lapis.
Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine [2].
dextera tua, Domine, percussit inimicum : et in C
multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios meos [3] [h. [tuos].
Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam : et in spritu furoris tui congregatæ sunt aquæ.
Stetit unda fluens :
congregatæ sunt abyssi in medio mari.
Dixit inimicus : Persequar et comprehendam,
dividam spolia, implebitur anima mea.
Evaginabo gladium meum :
interficiet eos manus mea.
Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare :
submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.
Quis similis tui in fortibus, Domine?
quis similis tui, magnificus in sanctitate : D
terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?
Extendisti manum tuam [h. dexteram tuam],

tant in Abireth : quæ exscriptorum incogitantia lectorem non debuit latere. MART

— Optime Urbinas *Phyayroth* : secus Palatin. *Athireth*. Tum idem Urbinas subsequens *Pharaonis* nomen prætermittit.

[1] Laudat Rabanus editionem quæ fert, *Dominus nomen est illi.*

[2] Hunc locum diversimode legunt mss. codices. Canon Heb. ver. ita habet : *Dextram tuam, Domine, magnificem in fortitudine.* Ain, *Dextra tua, Domine, magnifice in fortitudine* Recentior unus legit, *Magnificetur in fortitudine.* Sic pro voluntate exscriptorum unius sententiæ multæ sæpius occurrunt variantes lectiones. MART.

— In Latina editione alia, quam Rabbanus laudat, *glorificata est.*

[3] Editi legunt, *tuos*, juxta Hebræum. At mss. omnes optimæ notæ et antiquiores habent *meos*, Quare ne quid propria auctoritate a nobis mutaretur, res ut sunt in canone, manere voluimus, MART.

— Sic nostri, aliique omnes mss. habent *meos*. Hebræus tamen et Vulgatus, *tuos*.

et devoravit eos terra.
Dux fuisti in misericordia tua.
populo quem redemisti.
Et portasti eum in fortitudine tua.
ad habitaculum sanctum tuum.
Ascenderunt populi, et irati sunt [1] [h. Audierunt populi, et perturbati sunt] :
dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim.
Tunc conturbati sunt principes Edom,
robustos Moab obtinuit tremor :
obriguerunt omnes habitatores Chanaan.
Irruat super eos formido et pavor,
in magnitudine [2] brachii tui.
Fiant immobiles quasi lapis,
donec transeat populus tuus, Domine,
donec transeat populus tuus iste, quem possedisti.
Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ,
firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine
Sanctuarium [*Vulg. add.* tuum], Domine, quod firmaverunt manus tuæ.
Dominus regnabit in æternum et ultra.
Ingressus est enim [h. sic] eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare :
et reduxit super eos Dominus aquas maris.
Filii autem Israel ambulaverunt per siccum, in medio ejus.
[C. XXV.] Sumpsit ergo Maria prophetis [*Vulg.* prophetissa] soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinebat, dicens : Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem ejus dejecit in mare [T. IX, B. IX, C. XXVI] Tulit autem Moses Israel de mari Rubro, et egressi sunt in desertum Sur : ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, et non inveuiebant aquam. Et venerunt in Marath nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent, amaræ : unde et congruum loco nomen imposuit, vocans illud Mara id est, amaritudinem. Et murmuravit populus contra Mosen, dicens, quid bibemus ? At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum : quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt : ibi constituit ei præcepta atque judicia, et ibi tentavit eum, [h.] et dixit : Si audieris vocem Domini Dei tui, et quod rectum est coram eo feceris, et obedieris mandatis ejus, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te : ego enim Dominus sanator tuus. [C. XXVII.] Venerunt autem in Elim filii Israel, ubi erant duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmæ, et castrametati sunt juxta aquas.
[*Cap.* XVI.] Profectique sunt de Elim, et venit A omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai : quinto decimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti. Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Mosen et contra Aaron in solitudine. Dixeruntque ad eos filii Israel : Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus [h.] panem in saturitate : cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame ? Dixit autem Dominus ad Mosen : Ecce ego pluam vobis [h.] panem de cœlo : egrediatur populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies : ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non ? Die autem sexta parent quod inferant, et B sit duplum cuam colligere solebant per singulos dies. Dixeruntque Moses et Aaron ad omnes filios Israel : Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, et mane videbitis gloriam Domini : audivit enim murmur vestrum contra Dominum : nos vero quid sumus, quia mussitatis [*Vulg.* mussitastis] contra nos ? Et ait Moses : Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, et mane panes in saturitatem ? eo quod audierit murmurationes vestras quibus murmurati esti contra eum, nos enim quid sumus ? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Dixitque Moses ad Aaron : Dic universæ congregationi filiorum Israel : Accedite coram Domino, audivit enim murmur vestrum. Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad so- C litudinem, et ecce gloria Domini apparuit in nube. [C. XXVIII.] Locutus est autem Dominus [ad Mosen, dicens: Audivi murmurationes filiorum Israel, loquere ad eos: Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini [h.] pane: sciestisque quod sim [*Vulg.* ego sum] Dominus Deus vester. Factum est ergo vespere, et ascendens coturnix operuit castra : mane quoque ros jacuit per circuitum castrorum. Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, et quasi pilo tunsum, in similitudinem pruinæ super terram. Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem, MANHU ? quod significat : Quid est hoc ? ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moses : Iste est panis, quem dedit Dominus vobis ad vescendum. Hic est sermo, D quem præcepit Dominus : Colligat unusquisque ex eo quantum sufficiat ad vescendum : gomor per singula capita, juxta numerum animarum vestrarum quæ habitant in tabernaculo, sic tolletis. Feceruntque ita filii Israel : et collegerunt alius plus, alius minus. Et mensi sunt ad mensuram gomor : nec qui plus collegerat, habuit amplius : nec qui minus paraverat, reperit minus : sed singuli juxta id quod edere poterant, congregaverunt. Dixitque Moses ad eos : Nullus relinquat ex eo in mane.

[1] Invenit et Rabanus in alia editione, *Audierunt gentes, et iratæ sunt.*

[2] Unus Palat., *Magnitudines.*

Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis usque mane, scatere cœpit vermibus, atque computruit, et iratus est contra eos Moses. Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum, cumque incaluisset sol, liquefiebat. In die vero sexta collegerunt cibos duplices, id est, duo gomor per singulos homines: venerunt autem omnes principes multitudinis, et narraverunt Mosi. Qui ait eis: Hoc est quod locutus est Dominus: Requies Sabbati sanctificata erit Domino cras; quodcunque operandum est, facite, et quæ coquenda sunt, coquite; quiquid autem reliquum fuerit, reponite usque in mane. Feceruntque ita ut præceperat Moses, et non computruit, neque vermis inventus est in eo. Dixitque Moses: Comedite illud hodie, quia Sabbatum est Domini: non invenietur hodie in agro. Sex diebus colligite, in die autem septimo Sabbatum est [*Vulg. add.* Domini], idcirco non invenietur. Venit septima dies, et egressi de populo, ut colligerent, non invenerunt. Dixit autem Dominus ad Mosen: Usquequo non vultis custodire mandata mea, et legem meam? Videte quod Dominus dederit vobis Sabbatum, et propter hoc die sexta tribuerit vobis cibos duplices: maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo. Et sabbatizavit populus die septimo. Appellavitque domus Israel nomen ejus MAN: quod erat quasi semen coriandi album, gustusque ejus quasi similæ cum melle. Dixit autem Moses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, et custodiatur in futuras retro [h. non habet retro] generationes, ut noverint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti. Dixitque Moses ad Aaron: Sume vas unum, et mitte ibi MAN, quantum potest capere gomor, et repone coram Domino, ad servandum in generationes vestras, sicut præcepit Dominus Mosi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum. [C. XXIX.] Filii autem Israel comederunt MAN quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem hoc cibo aliti sunt usquequo tangerent fines terræ Chanaan. Gomor autem decima pars est [h.] Epha.

[T. X, B. X, C. XXX, *Cap.* XVII.] Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin per mansiones suas, juxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo. Qui jurgatus contra Mosen, ait: Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moses: Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? Sitivit ergo populus ibi pro aquæ penuria, et murmuravit contra Mosen, dicens: Cur nos exire fecisti de Ægypto, ut occideres et nos, et liberos nostros, ac jumenta siti? Clamavit autem Moses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? adhuc pauxillum et lapidabit me. Ait Dominus ad Mosen: Antecede populum, et sume tecum de senioribus Israel: et virgam, qua percussisti fluvium, tolle in manu tua, et vade. Ecce ego stabo coram te ibi, supra petram Horeb, percutiesque petram, et exibit ex ea aqua, ut bibat populus. Fecit Moses ita coram senioribus Israel: et vocavit nomen illius loci, Tentatio, [h] et lis. propter jurgium filiorum Israel, et quia tentaverunt Dominum, dicentes: Estne Dominus in nobis, an non? [C. XXXI.] Venit autem Amalech, et pugnabat contra Israel in Raphidim. Dixitque Moses ad Josue: Elige viros, et egressus, pugna contra Amalech: cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea: Fecit Josue ut locutus ei erat Moses, et pugnavit contra Amalech: Moses autem et Aaron et Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque levaret Moses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalech. Manus autem Mosi erant graves: sumentes igitur lapidem, posuerunt super eum, in quo sedit: Aaron autem et Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum est ut manus ipsius non lassarentur usque ad occasum solis. Fugavitque Josue Amalech et populum ejus in ore gladii. Dixit autem Dominus ad Mosen: Scribe hoc ob monimentum in libro, et trade auribus Josue: delebo enim memoriam Amalech sub cœlo. Ædificavitque Moses altare, et vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea, dicens: Quia manus super solium [*Vulg.* solii] Domini, bellum Domini erit contra Amalech, a generatione in generationem.

[C. XXXII, *Cap.* XVIII.] Cumque audisset Jethro, sacerdos Madian, cognatus Mosi, omnia quæ fecerat Deus Mosi et Israeli populo suo, eo quod adduxisset Dominus Israel de Ægypto: tulit Sephoram uxorem Mosi quam remiserat, et duos filios ejus, quorum unus vocabatur Gersom, dicente patre: Advena fui in terra aliena: alter vero Eliezer Deus enim, ait, patris mei adjutor meus, et eruit me de gladio Pharaonis. Venit ergo Jethro cognatus Mosi, et filii ejus, et uxor ad Mosen in deserium, ubi erat castrametatus juxta montem Dei. Et mandavit Mosi, dicens: Ego cognatus tuus Jethro venio ad te, et uxor tua, et duo filii tui cum ea. Qui egressus in occursum cognati sui, adoravit, et osculatus est eum, salutaveruntque se mutuo verbis pacificis. Cumque intrasset tabernaculum. narravit Moses cognato suo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni, et Ægyptiis propter Israel, universum laborem, qui accidisset eis in inere, qua [*Vulg.* et quod] liberaverat eos Dominus. Lætatusque est Jethro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israeli, eo quod eruisset eum de manu Ægyptiorum, et ait: Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu Ægyptiorum, et de manu Pharaonis, qui eruit populum suum de manu Ægypti. Nunc cognovi, quia magnus Dominus super omnes deos: eo quod superbe egerint contra illos. Obtulit ergo cognatus Mosi holocausta et

hostias Deo [1] : veneruntque Aaron et omnes seniores Israel, ut comederent panem cum eo coram Deo. [C. XXXIII.] Altera autem die sedit Moses, ut judicaret populum,qui assistebat Mosi de mane usque ad vesperam. Quod cum vidisset cognatus ejus, omnia scilicet quæ agebat in populo ait : Quid est hoc quod facis in plebe? cur solus sedes, et omnis populus præstolatur de mane usque ad vesperam? Cui respondit Moses : Venit ad me populus quærens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me ut judicem inter eos, et ostendam præcepta Dei et leges ejus. At ille : Non bonam, inquit, rem facis : stulto labore consumeris et tu et populus iste qui tecum est : ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba mea atque consilia, et erit Deus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum : ostendasque populo cæremonias et ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, et opus quod facere [*Vulg. add.* debeant]. Provide autem de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, qui judicent populum omni tempore : quiquid autem majus fuerit, referant ad te, ipsi minora tantummodo judicent, leviusque tibi sit, partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, et præcepta ejus poteris sustentare : et omnis hic populus revertetur cum pace ad loca sua. Quibus auditis, Moses fecit omnia quæ ille sugesserat. Et, electis, viris strenuis de cuncto Israel,constituit eos principes populi, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, Qui judicabant plebem omni tempore ; quiquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo judicantes. Dimisitque cognatum [*Vulg. add.* suum], qui reversus abiit in terram suam.

[T. XI, B. XI, C. XXXIV, *Cap.* XIX.] Mense tertio egressionis [h.] filiorum Israel de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai. Nam profecti de Raphidim, et pervenientes usque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique Israel fixit tentoria e regione montis. Moses autem ascendit ad Deum, vocavitque eum Dominus de monte, et ait: Hæc dices domui Jacob, et annuntiabis filiis Israel : Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. Hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israel. Venit Moses: et convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones,quos mandaverat Dominus. Responditque universus populus simul : Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Cumque retulisset Moses verba populi ad Dominum, ait ei Dominus : Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, et credat ibi in perpetuum. [C. XXXV.] Nuntiavit ergo Moses verba populi ad Dominum. Qui dixit ei : Vade ad populum : et sanctifica illos, hodie et cras, laventque vestimenta sua. Et sint parati in diem tertium : in die enim tertio descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai. Constituesque terminos populo per circuitum, et dices [*Vulg. add.* ad eos] : Cavete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius : omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur [h. Aliter, manus non tangat eum, quia si tetigerit, lapidibus opprimetur], aut confodietur jaculis: sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet. Cum cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem. Descenditque Moses de monte ad populum,et sanctificavitque eum. Cumque lavissent vestimenta sua, ait ad eos : Estote parati in diem tertium, ne appropinquetis uxoribus vestris. Jam advenerat tertius dies, et mane inclaruerat, et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, et nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat : timuitque omnis [*Vulg. tac.* omnis] populus, qui erat in castris. Cumque eduxisset eos Moses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Totus [*Vulg.* Tunc] autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace : eratque mons omnis terribilis,et sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus, et prolixius tendebatur. Moses loquebatur,et Deus respondebat ei. Descenditque Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, et vocavit Mosen in cacumen ejus. Quo cum ascendisset, dixit ad eum : Descende, et contestare populum, ne forte velint transcendere terminos ad videndum Dominum : et pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. Dixitque Moses ad Dominum : Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai : tu enim testificatus es et jussisti : Pone terminos circa montem, et sanctifica illum. [C. XXXVI.] Cui ait Dominus : Vade, descende ; ascendesque tu, et Aaron tecum ; sacerdotes autem et populus ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne forte interficiat illos. Descenditque Moses ad populum, et omnia narravit eis.

[C, XXXVII, *Cap.* XX.] Locutusque est Deus cunctos sermones hos : [1 *Præceptum*] Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. [2 *Præc.*] Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et

[1] Ita et nostri mss. ; Martian. in aliis invenit *Domino*.

quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles; ego enim sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me : et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea. [3. *Præc.*] Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. [4 *Præc.*] Memento, ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui : non facies in eo omne opus, tu, et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo : idcirco benedixit Dominus diem Sabbati et sanctificavit eum. [5 *Præc.*] Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. [6 P.] Non occides. [7 P.] Non mœchaberis. [8. P.] Non furtum facies. [9 P.] Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. [10. P.] Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. [C. XXXVIII.] Cunctus autem populus videbat voces, et lampades, et sonitum buccinæ, montemque fumantem : et perteriti ac pavore concussi, steterunt procul, dicentes Mosi : Loquere tu nobis, et audiemus : non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Et ait Moses ad populum : Nolite timere, ut enim probaret vos venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis. Stetitque populus de longe. [T. XII, C. XXXIX.] Moses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus. Dixit præterea Dominus ad Mosen : Hæc dices filiis Israel : Vos vidistis quod de cœlo locutus sim vobis. Non facietis mecum [1] deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi, et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra, oves vestras et boves, in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, et benedicam tibi. Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus : si enim levaveris cultrum tuum [*Vulg. tac.* tuum] super eum, polluetur. Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua [h. super illud].

[C. XL, *Cap.* XXI.] Hæc sunt judicia quæ proponeres eis. Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi : in septimo egredietur liber gratis. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat : si habens uxorem, et uxor egredietur simul. Sin autem dominus dederit illi uxorem, et peperit filios et filias mulier et liberi ejus erunt domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. Quod si dixerit servus Diligo dominum meum et uxorem ac liberos, non egrediar liber; offeret eum dominus diis, et applicabitur ad ostium et postes, perforabitque aurem ejus subula, et erit ei servus in sæculum [2]. [C. XLI.] Et si vendiderit filiam ejus in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt. Si displicuerit oculis domini sui, cui tradita fuerit, dimittet eam : populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreverit eam. Sin autem filio suo desponderit eam, juxta morem filiarum faciet illi. Quod si alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias, et vestimenta, et pretium pudicitiæ non negabit. Si tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pecunia. [C. XLII.] Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus; constituam tibi locum quo fugere debeat. [C. XLIII.] Si quis industria occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur. [C. XLIV.] Qui percusserit patrem suum et matrem morte moriatur. [C. XLV.] Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur. [C. XLVI.] Qui maledixerit patri suo et matri, morte moriatur. [C. XLVII.] Si rixati fuerunt viri, et percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo : si surrexerit, et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit : ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat. [C. XLVIII.] Qui percusserit servum suum vel ancillam virga, et mortuus fuerit [3] in manibus ejus, criminis reus erit. Sin autem uno die supervixerit vel duobus, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est. [C. XLIX.] Si rixati fuerint viri,

[1] Particula *mecum* abest in editis : exstat tamen in fonte Hebraico, canone Hebr. verit. et in aliis mss. codd. Latinis antiquioribus ac melioris notæ. Eamdem reperies lectionem apud Augustinum in *Speculo*, ubi Scripturæ recitantur juxta translationem Latinam S. Hieronymi, quam ille ex Hebræo nobis edidit. MART.

— Unus Palatin, e nostris mss. vocem *mecum* ignorat.

[2] Sic legit canon Hebr. ver. et mss. alter codex S. Germani a Pratis n. 3. Porro in editis alius est omnino sensus, ac ordo verborum; quia in iis generale præceptum est de quolibet homine, qui filiam suam vendiderit : hic autem sensus est de servo, cujus filiam in famulam vendit domiuus servi. Conferat qui voluerit, hanc editionem nostram cum antea vulgatis exemplaribus. MART.

— Urbinas ms. *servus usque in sæculum*. Tum cum Palatino, Memmiano, atque editis, *Si quis vendiderit filiam suam in famulam*.

[3] Hunc locum restituimus ad fidem *Speculi* sancti Augustini, in quo legimus ut in Hebræo, *et mortuus fuerit*, etc. Alii omnes libri legunt in plurali, *et mortui fuerint*. MART.

— Idem mss. editique libri, *et mortui fuerint*. Impressam lectionem ex Augustini *Speculo* Martian. accepit.

et percusserit quis mulierem prægnantem, et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit : subjacebit damno quantum expetierit maritus mulieris, et arbitri judicarint. [C. L.] Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. [C. LI,] Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit servo vel ancillæ suæ, similiter eos dimittet liber. [C. LII.] Si bos cornu petierit [*Vulg.* percusserit] virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur : et non comedentur carnes ejus, dominusque bovis innocens erit. Quod si bos cornupeta fuerit ab heri et nudiustertius, et contestati sunt dominum ejus, nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem : bos lapidibus obruetur, et dominus illius occident. Quod si pretium ei fuerit impositum, dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus. Filium quoque et filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subjacebit. Si servum ancillamque invaserit, triginta siclos argenti dabit domino, bos vero lapidibus opprimetur. [C. LIII.] Si quis aperuit cisternam, et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium jumentorum : quod autem mortuum est, ipsius erit. [C. LIV.] Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus fuerit : vendent bovem vivum, et dividentpretium, cadaver autem mortui inter se dispertient. Si autem sciebat quod bos cornupeta esset ab heri et nudiustertius, et non custodivit eum dominus suus ; reddet bovem pro bove, et cadaver integrum accipiet.

[C. LV, *Cap.* XXII.] Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, et occiderit vel vendiderit : quinque boves pro uno boves restituet, et quatuor oves pro uno ove. [C. LVI.] Si effringens fur domum, sive suoffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere, mortuus fuerit ; percussor non erit reus sanguinis. Quod si, orto sole, hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, [*Vulg. add.* ipse] venumdabitur. Si inventum fuerit apud eum quod furatus est, vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis : duplum restituet. [C. LVII.] Si læserit quispiam agrum vel vineam : et dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena : quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet, [C. LVIII.] Si egressus ignis invenerit spinas [1], et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit. [C. LIX.] Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in custodiam, et ab eo qui susceperat, furto ablata fuerint : si invenitur fur, duplum reddet. Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, et jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui, ad perpetrandam fraudem, tam in bove, quam in asino, et ove ac vestimento ; et quidquid damni inferre potest : ad eos utriusque causa perveniet, et si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo. [C. LX.] Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, et omne jumentum, ad custodiam, et mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit : jusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui : suscipietque dominus juramentum, et ille reddere non cogetur. Quod si furto, abblatum fuerit, restituet damnum domino. Si comestum a bestia, proferat ad eum quod occisum est, et non restituet [2]. [C. LXI.] Qui a proximo suo quidquam horum mutuo postulaverit, et debilitatum aut mortuum fuerit, domino non præsente, reddere compelletur. Quod si in præsentiarum fuerit dominus, non restituet, maxime si conductum venerat pro mercede operis sui. [C. LXII.] Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea : dotabit eam, et habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt. [C. LXIII.] Maleficos non patieris vivere. [C. LXIV.] Qui coierit cum jumento, morte moriatur. [C. LXIV.] Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli. [C. LXVI] Advenam non contristabis, nequeaffliges eum : advenæ

[1] Proclivi librariorum lapsu *spicas* hoc loco legimus in omnibus codicibus mss. uno excepto canone Hebr. veritatis, qui veram lectionem, id est, *spinas*, retinet. Errorem vero exscriptorm nostri sequuntur in *Speculo* sancti Augustini, non quidem imperitia, sed religione ducti propter unanimem consensum mss. codicum quos inspexerunt. MART.

— Ita et Vulgatæ exemplar et Canon Hebraicæ veritatis apud Martian, rectissime habent. Plerique alii Latini libri, nostrique mss. *spicas*.

[2] Diversa est interpunctio hujus loci in Hebræo hodierno, et in Samaritano textu ; nam Hebraico hoc modo legitur : *adducet eum testem : raptum non reddet*. At in Samaritanorum volumine ita scriptum est, יביא עד המרפה ולא ישלם, *iabi ed natterepha, velo tessalem*, id est, *adducet testem raptus, et non reddet*. Nec solum inerpuncto differunt hic quo textus, sed vocibus etiam nonnihil discrepant. Hebræus legit cum affixo pronomine יבאהו, *iebiehu, adducet eum* ; Samaritanus absque ullo pronomine יביא, *iabi*, id est, *adducet*. Idem habet ולא, *velo* cum particula connexiva, Hebræus nullum habet connexivam conjunctionem cum negatione לא, *lo*. Cæterum in Hebraico textu nonnulla fuisse permutata, Massoretharum interpunctis nulli dubium esse debet, cum Hieronymus hic in suo exemplari Hebræo legerit, ut nunc legunt Samaritani. MART.

— In Urbinate ms. *deferet*, Palatin *deferat*. Porro haud scio quam vere ait Martianæus, legisse Hieronymum in suo exemplari Hebræo, ut nunc legunt Samaritani. Nam et iis verbis *ad eum*, indicat se, quod in Hebraico, est, non item in Samaritano, pronomen novisse, et in sequentibus, *quod occisum est*, videtur pro Samaritano עד *testem*, legisse את articulum, hoc fere modo ובאהו את המרפה iabiehu eth attrephah.

enim et ipsi fuistis in terra Ægypti. [C. LXVII·] Viduæ et pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli.[C. LVIII.] Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat; si clamaverit [h. et erit, si clamaverit] ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. [C. LXIX.] Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. [C. LXX.] Decimas tuas et primitias tuas non tardabis offerre. [C. LXXI.] Primogenitam filiorum tuorum dabis mihi. De bobus quoque et ovibus similiter facies: septem diebus sit cum matre sua, die octava reddes illum mihi. [C. LXXII.] Viri sancti eritis mihi. Carnem, quæ a bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed projicietis canibus.

[C. LXXIII, *Cap.* XXIII.] Non suspicies vocem mendacii. [C. LXXIV.] Nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium. [C. LXXV.] Non sequeris turbam ad faciendum malum. [C. LXXVI.] Nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies. [C. LXXII.] Pauperis quoque non misereberis in negotio [1]. [C. LXXVIII.] Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. [C. LXXIX.] Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. [C. LXXX.] Non declinabis in judicio pauperis [2]. [C. LXXXI.] Mendacium fugies. [C. LXXXII.] Insontem et justum non occides: quia aversor impium. [C. LXXXIII.] Nec accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum. [C, LXXXIV.] Peregrino molestus non eris: scitis enim advenarum animas, quia et ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. [B. XII.] Sex annis seminabis terram tuam, et congregabis fruges ejus. Anno autem septimo dimittes eam, et requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui, et quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri: ita facies in vinea et in oliveto tuo. [C. LXXXV.] Sex diebus operaberis: septima die cessabis, ut requiescat bos et asinus tuus, et refrigeretur filius ancillæ tuæ, et advena. (C. LXXXXVI.) Omnia quæ dixi vobis, custodite. Et per nomen æternorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro (C. LXXXVII.) Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. (B. LXXXVIII.) Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi, tempore mensis novorum quando egressus es de Ægypto. (C. LXXXIX.) Non apparebis in conspectu meo vacuus. Et solemnitatem messis primitivorum operis tui, quæcunque seminaveris in agro. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. (C. XC.) Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo (*Vulg. add.* tuo.) Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps solemnitatis meæ usque mane. (C. XCI.) Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. (C. XCII.) Non coques hædum in lacte matris suæ. (C. XCIII.) Ecce ego mittam angelum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat ad locum quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveritis, et est nomen meum in illo. (C. XCIV.) Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te. Præcedetque te angelus meus, et introducet te ad Amorrhæum, et Hetthæum, et Pherezæum, Chananæumque, et Hevæum, et Jebusæum, quos ego conteram. (C. VCV.) Non adorabis deos eorum, nec coles eos: non facies opera eorum, sed destrues eos, et confringes statuas eorum. Servietisque Domino Deo vestro, ut benedicam pani tuo et aquis, et auferam infirmitatem de medio tui. Non erit infecunda nec sterilis in terra tua: numerum dierum tuorum implebo. (C. XCVI.) Terrorem meum mittam in præcursum tuum, et occidam omnem populum, ad quem ingredieris, cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam, emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, et Chananæum, et Hetthæum, antequam introeas. Non ejiciam eos a facie tua anno uno, ne terra in solitudinem redigatur, et crescant contra te bestiæ. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, et possideas terram. Ponam autem terminos tuos a mari Rubro usque ad mare Philistinorum [3], et a deserto usque ad fluvium: tradam in manibus

[1] Huic canonis lectioni consentiunt veteres Bibliorum codices mss. ac Speculum S. Aug. in codice ms. Carnutensis Eclesiæ. In Hebræo scriptum est, בריבו *beribo*, quod interpretatur, *in causa sua*, *in lite ejus* vel *in negotio ejus*. MART.

— Palatin, etiam absque negandi particula, *pauperis quoque misereberis in judicio*. Urbinas ab impressa lectione abludit una vocula *quoque*, quam prætermittit.

[2] Sensus est: Non pervertes judicium cum apud te pauper litigabit. Porro ita legendum monuit nos *Speculum* S. Augustini: cæteri enim libri tum editi, tum manuscripti non bene legunt, *non declinabis in judicium pauperis*. Hebræus habet, *non declinabis*, sive, *non flectes judicium pauperis tui in lite ejus*, quæ sententia optime congruit cum nostro textu Latino. MART.

[3] Non *Palæstinorum*, ut habetur in editis ac mss. libris, sed *Philistinorum* legimus freti auctoritate ipsius Hieronymi, qui in Danielis caput undecimum ita disserit: *Notandum autem, quod cum* π *litteram Hebræus sermo non habeat, sed pro ipsa utatur* phe (פ) *cujus vim Græcum* φ *sonat, in isto tantum loco apud Hebræos scribatur quidem* phe, *sed legitur* p. Excepto itaque verbo *Apatho* in Daniele, semper פ legitur *ph* in vocibus Hebræis: quod sæpius etiam observavit canon Hebr. verit. ubi alii habent *p*, ut supra in nomine *Pulipharis*. etc. MART.

vestris habitatores terræ, et ejiciam eos de conspectu vestro. Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum. Non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, si servieris diis eorum: quod tibi certe erit in scandalum.

(C. XCVII, *Cap* XXIV.) Mosi quoque dixit: Ascende ad Dominum tu, et Aaron, Nadab, et Abiu, et septuaginta seniores ex Israel, et adorabitis procul. Solusque Moses ascendet ad Dominum, et illi non appropinquabunt: nec populus ascendet cum eo. (T. XIII, B. XIII.) Venit ergo Moses, et narravit plebi omnia verba Domini atque judicia; responditque cunctus populus una voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. (C. XCVIII.) Scripsit autem Moses universos sermones Domini, et mane consurgens ædificavit altare ad radices montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israel. Misitque juvenes de filiis Israel, et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaque Moses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, legit, audiente populo, qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. (C. XCIX.) Ascenderuntque Moses et Aaron, Nadab et Abin, et septuaginte de senibus Israel. (C. C.) Et viderunt Deum Israel, et sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cœlum, cum serenum est. Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israel, misit manum suam, videruntque Deum, et comederunt, ac biberunt. (C. CI. Dixit autem Dominus ad Mosen: Ascende ad me in montem, et esto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, et legem ac mandata, quæ scripsi, ut doceas eos. Surrexerunt Moses et Josue minister ejus; ascendensque Moses in montem Dei, senioribus ait: Exspectate hic donec revertamur ad vos. Habetis Aaron et Hur vobiscum; si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. Cumque ascendisset Moses, operuit nubes montem, et habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus. (C. CII.) Septimo autem die vocavit eum (*Vulg. add.* Dominus de medio caliginis. Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis, in conspectu filiorum Israel. Ingressusque Moses medium nebulæ ascendit in montem: et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus.

(C. CIII, *Cap.* XXV.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias [h. oblationes,] ab omni homine qui offeret ultroneus [1], acciepietis eas. [C. CIV.] Hæc sunt autem quæ accipere debetis: Aurum, et argentum, et æs, hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum, pilos caprarum, et pelles arietum rubricatas, pellesque ianthinas, et ligna settim, oleum ad luminaria concinnanda [h. non habet, concinnanda;] aromata in unguentum, et thymiamata boni odoris; lapides onychinos et gemmas ad ornandum Ephod ac Rationale. Facientque mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum; juxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi, et omnium vasorum in cultum ejus: sicque facietis illud: [C. CV.] Arcam de lignis settim compingite, cujus longitudo habeat duos semis cubitos: latitudo cubitum et dimidium; altitudo cubitum similiter ac semissem. Et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris: faciesque supra coronam auream per circuitum, et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos; duo circuli sint in latere uno, et duo in altero. Facies quoque vectes de lignis settim, et operies eos auro. Inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis. qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis. Ponesque in arca testificationem quam dabo tibi. Facies et propitiatorium de auro mundissimo, duos cubitos et dimidium tenebit longitudo ejus: semissem et cubitum latitudo. Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies, ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno [2], et alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas et operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca, in qua pones testimonium quod dabo tibi. Inde præcipiam, et loquar ad te super propitiatorio scilicet, ac medio [3] duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israel. Facies et mensam de lignis settim, habentem duos cubitos longitudinis, et in latitudine cubitum, et in altitudine cubitum ac semissem. Et inaurabis eam auro purissimo, faciesque illi labium aureum per circuitum, et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis, et super *illam, alteram coronam* [h. non habet hæc [4]] aureolam. Quatuor quoque circulos aureos præparabis, et pones eos in quatuor angulis ejusdem mensæ per singulos pedes. Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, et possit mensa portari. Ipsos quoque vectes facis de lignis settim,

— Unus Palat. *Palæstinorum*: cætera notum maluisse Hieronymum, *Philistinorum*.

[1] Manuscripti codices, nullo excepto, legunt, *qui offert*: editorum nihilominus lectio præferenda videtur, quia ad sensum Scripturæ, et ad veritatem Hebraicam propius accedit. MART.

[2] In uno ms. Corbeiensis monasterii codice, atque in canone Hebr. veritatis additum est hoc loco verbum, *oraculi*, sic enim habent; *Cherub unus sit oraculi in latere uno*. MART.

[3] Apud Vulg. *supra propitiatorium ac de medio*, etc.

[4] Nota isthæc marginalis minime vera comprobatur, aut suo loco neutiquam apposita dicenda est: nam dictiones asterisco natatas, quas in Hebræo abesse dicit invenimus in omnibus libris Hebræorum. Quid ergo sibi velit hoc scholion, scire non possumus. MART.

et circumdabis auro ad subvehendam mensam. Et parabis acetabula, ac phialas, thuribula, et ciathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo. Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile ejus, et calamos, scyphos, et sphærulas, ac lilia, ipso procedentia. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, et tres ex altero. Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulaque simul et lilium, et tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulaque simul et lilium. Hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili: in ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos, et lilia. Sphærula sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt, procedentes de hastili uno. Et sphærulæ igitur et calami ex ipso erunt, universa ductilia de auro purissimo. Facies et luternas septem, et pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso. Emunctoria quoque, et ubi quæ emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo. Omne pondus candelabri cum universis vasis suis habebit talentum auri mundissimi. Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.

[*Cap.* XXVI.] Tabernaculum vero ita facies[1]: Decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, varias opere plumario facies, Longitudo cortinæ unius habebit viginti octo cubitos: latitudo, quatuor cubitorum erit. Unius mensuræ fient universa tentoria. Quinque cortinæ sibi jungentur mutuo, et aliæ quinque nexu simili cohærebunt. Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari. Quinquagenas ansulas cortina habebit in utraque parte, ita insertas, ut ansæ contra ansas veniant, et altera alteri possit aptari. Facies et quinquaginta circulos aureos quibus cortinarum vela jungenda sunt, ut unum tabernaculum fiat. Facies et saga cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi. Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos, et latitudo, quatuor: æqua erit mensura sagorum omnium. E quibus quinque junges seorsum et sex sibi mutuo copulabis, ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices. Facies et quinquaginta ansas in ora sagi unius, ut conjungi cum altero queat, et quinquaginta ansas in ora sagi alterius, ut cum altero copuletur. Facies[2] et quinquaginta fibulas æneas, quibus juganturansæ, ut unum ex omnibus operimentum fiat. Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto, id est, unum sagum quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi. Et cubitus ex una parte pendebit, et alter ex altera, qui plus est sagorum longitudine, utrumque latus tabernaculi protegens. Facies et operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis, et super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus. Facies et tabulas stantes tabernaculi de lignis settim, quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, et in latitudine singulos ac semissem. In lateribus tabulæ duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur, atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur. Quarum viginti erunt in latere meridiano, quod vergit ad Austrum. Quibus quadraginta bases argenteas fundes, ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur. In latere quoque secundo tabernaculi, quod vergit ad Aquilonem, viginti tabulæ erunt, quadraginta habentes bases argenteas. Binæ bases singulis tabulis supponentur. Ad occidentalem vero plagam tabernaculi facies sex tabulas, et rursum alias duas quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi. Eruntque conjunctæ a deorsum usque sursum, et una omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis quæ in angulis ponendæ sunt, similis junctura servabitur. Et erunt simul tabulæ octo, bases earum argenteæ sedecim, duabus basibus per unam tabulam supputatis. Facies et vectes de lignis settim, quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi, et quinque alios in altero. et ejusdem numeri ad occidentalem plagam, qui mittentur per medias tabulas a summo usque ad summum. Ipsasque tabulas deaurabis, et fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis. Et eriges tabernaculum juxta exemplum quod tibi in monte monstratum est. Facies et velum de hyacintho, et purpura coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario et pulchra varietate contextum, quod appendes ante quatuor columnas de lignis settim quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, et habebunt capita aurea, sed bases argenteas. Inseretur autem velum per circulos, intra quod pones arcam testimonii, et quo Sanctuarium, et sanctuari Sanctuaria dividentur. Pones et propitiatorium super arcam testimonii in Sancto sanctorum: mensamque extra velum, et contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano; mensa enim stabit in parte Aquilonis. Facies et tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario. Et quinque columnas deaurabis lignorum settim, ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita aurea, et bases æneæ.

[*Cap.* XXXVII.] Facies et altare de lignis settim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, id est quadrum, et tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quatuor angulos ex

[1] Pro, *ita facies*, canon et aliquot mss. habent, *ita fit*. MART.

[2] Hæc cum superioribus conjungit canon ac mss. omnes codices. Quare in nullo eorum legas, *facies et*; sed post *copuletur*, immediate scriptum est, *quinquaginta fibulas*. etc. Nos morem Hieronymianum secuti, mutare nolumus librorum editorum lectiones, ubi nullum est damnum in sensibus. MART.

ipso erunt, ot oderies illud ære. Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, et forcipes atque fuscinulas et ignium receptacula. Omnia vasa ex ære fabricabis. Craticalamque in modum retis æneam : per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ærei [*Vulg.* ænei], quos pones subter arulam altaris. Eritque craticula usque ad altaris medium. Facies et vectes altaris [*Vulg. tac.* altaris] de lignis settim duos, quos operies laminis æneis, et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum. Non solidum, sed inane et cavum intrinsecus facies illud, sicut tibi in monte monstratum est. Facies et atrium tabernoculi, in cujus plaga australi contra meridiem erunt tentoria de bysso retorta : centum cubitos unum latus tenebit in longitudine. Et columnas viginti cum basibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea. Similiter in latere Aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, et bases æneæ ejusdem numeri, et capita earum cum cælaturis suis argentea. In latitudine vero atrii, quod respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, et columnæ decem basesque totidem. In ea quoque atrii latitudine, quæ respicit ad Orientem, quinquaginta cubiti erunt. In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnæque tres et bases totidem, et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, et bases totidem. In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumarii : columnas habebit quatuor cum basibus totidem. Omnes columnæ atrii per circuitum vestitæ erunt argenti laminis, capitibus argenteis, et basibus æneis. In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta [*Vulg.* quadraginta], altitudo quinque cubitorum erit. Fietque de bysso retorta, et habebit bases æneas. Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus et cæremonias, tam paxillos ejus quam atrii, ex ære facies. [C. CVI.] Præcipe filiis Israel ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum, ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii, extra velum quod oppansum est testimonio. Et collocabunt eam Aaron et filii ejus, ut usque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum a filiis Israel.

[C. CVII, *Cap.* XXVIII.] Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi : Aaron, Nadab, et Abiu, Eleazar, et Ithamar. [C. CVIII.] Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem. Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi. [C. CIX.] Hæc autem erunt vestimenta quæ facient Rationale, et superhumerale, tunicam et lineam strictam, cidarim et balteum. Facient vestimenta sancta Aaron fratri tuo et filiis ejus, ut sacerdotio fungantur mihi. Accipientque aurum, et hyacinthum, et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum. Facient autem superhumerale de auro et hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere polymito. Duas oras junctas habebit in utroque latere summitatum, ut in unum redeant. Ipsaque textura et cuncta operis varietas erit ex auro, et hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta. Sumesque duos lapides onychinos, et sculpes in eis nomina filiorum Israel : sex nomina in lapide uno, et sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum. Opere sculptoris et cælatura gemmarii sculpes eos nominibus filiorum Israel, inclusos auro atque circumdatos : et pones in utroque latere superhumeralis, Memoriale filiis Israel. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum, ob recordationem. Facies et uncinos ex auro, et duas catenulas auri purissimi sibi invicem cohærentes, quas inseres, uncinis. Rationale quoque judicii facies opere polymito juxta texturam superhumeralis, ex auro, hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta. Quadrangulum erit et duplex : mensuram palmi habebit tam in longitudine quam in latitudine. Ponesque in eo quatuor ordines lapidum [1] : in primo versu erit lapis sardius, et topazius, et smaradgus : in secundo carbunculus, sapphirus, et jaspis ; in tertio ligurius, achates, et amethystus ; in quarto chrysolithus, onychinus, et beryllus. Inclusi auro erunt per ordines suos. Habebuntque nomina filiorum Israel : duodecim nominibus cælabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus. Facies in rationali catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo : et duos annulos aureos, quos pones in utraque rationalis summitate ; catenasque aureas junges annulis, qui sunt in marginibus ejus, et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere superhumeralis quod rationale respicit. Facies et duos annulos aureos, quos pones in summitatibus rationalis, in oris, quæ e regione sunt superhumeralis, et posteriora ejus aspiciunt. Nec non et alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in utroque latere superhumeralis deorsum, quod respicit contra faciem junctura inferioris, ut aptari possit cum superhumerali, et stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina, ut maneat junctura fabrefacta, et a se invicem rationale et superhumerale nequeant separari. Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in rationali judici super pectus suum quando ingre-

[1] De quatuor lapidum ordinibus, sive versibus in rationali Aaron sæpe meminit S. Hieronymus, ut lib. xv Comment. in cap. LIV Isaiæ. *Hi* inquit, *duodecim lapides scribuntur per ordinem in Exodo, et in Ezechiele, id est,* ἐν τῷ λογείῳ *pontificis, et in corona atque diademate principis Tyrii*, etc. Sed et de veste sacerdotoli tractatum edidit in epistola *ad Fabiolam*, cujus initium est : *Usque hodie*, etc. MART.

dietur sanctuarium, memoriale coram Domino in aternum. Pones autem in rationali judicii doctrinam et veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: et gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper. Facies et tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, in cujus medio supra erit capitium, et ora per gyrum ejus textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facile rumpatur. Deorsum vero, ad pedes ejusdem tunicæ, per circuitum, quasi mala punica facies, ex hyacintho, et purpura, et cocco bis tincto, mistis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum et malum punicum, rursumque tintinnabulum aliud aureum et malum punicum. Et vestietur ea Aaron in officio ministerii, ut audiatur sonitus quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur. Facies et laminam de auro purissimo: in qua sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino. Ligabisque eam vitta hyacinthina, et erit super tiaram, imminens fronti pontificis. Portabitque Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt et sanctificaverunt filii Israel, in cunctis muneribus et donariis suis. Erit autem lamina semper in fronte ejus, ut placatus eis sit Dominus. Stringesque tunicam bysso, et tiaram byssinam facies, et balteum opere plumarii. Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis, et balteos ac tiaras, in gloriam et decorem : vestique his omnibus Aaron fratrem tuum et filios ejus cum eo. Et cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos, ut sacerdotio fungantur mihi. Facies et feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ, a renibus usque ad femina: et utentur eis Aaron et filii ejus quando ingredientur tabernaculum testimonii, vel quando appropinquant ad altare ut ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitum sempiternum erit Aaron, et semini ejus post eum.

[B. XVII, C. CX, *Cap.* XXIX] Sed et hoc facies, ut mihi in sacerdotium consecrentur. Tolle vitulum de armento, et arietes duos immaculatos, panesque azymos, et crustula absque fermento, quæ conspersa sint oleo, langana quoque azyma oleo lita : de simila triticea cuncta facies. Et posita in canistro offeres : vitulum autem et duos arietes, et Aaron ac filios ejus applicabis ad hostium tabernaculi testimonii. Cumque laveris patrem cum filiis [*Vulg. add.* suis] aqua, indues Aaron vestimentis suis, id est, linea et tunica, et superhumerali et rationali, quod constringes balteo. Et pones tiaram, in capite ejus, et laminam sanctam super tiaram, et oleum unctionis fundes super caput ejus : atque hoc ritu consecrabitur. Filios quoque illius applicabis, et indues tunicis lineis, cingesque balteo. Aaron scilicet et liberos ejus, et impones eis mitras : eruntque sacerdotes mihi religione perpetua [1]. [L. CXI]. Postquam intiaveris manus eorum, applicabis et vitulum coram tabernaculo testimonii. Imponentque Aaron et filii ejus manus super caput illius, et mactabis eum in conspectu Domini, juxta ostium tabernaculi testimonii, sumptunque de sanguine vituli pones super cornua altaris digito tuo, reliquum autem sanguinem fundes juxta basim ejus. Sumes et adipem totum qui operit intestina, et reticulum jecoris ? ac duos renes, et adipem qui super eos est et offeres incensum super altare: carnes vero vituli et corium et fimum combures foris extra castra, eo quod pro peccato [*Vulg.* peccatis] sit. Unum quoque arietem sumes, super cujus caput ponent Aaron et filii ejus manus. Quem cum mactaveris, tolles de sanguine ejus, et fundes circa altare. Ipsum autem arietem secabis in frusta, lotaque intestina ejus ac pedes pones super concisas carnes, et super caput illius. Et offeres totum arietem in cinsum super altare. [C. CXII.] Oblatio est Domino odor suavissimus victimæ Domini. Tolles quoque arietem alterum, super cujus caput Aaron et filii ejus ponent manus. Quem cum immolaveris, sumes de sanguine ipsius, et pones super extremum dextræ auriculæ Aaron et filiorum ejus, et super pollices manus eorum et pedis dextri, fundesque sanguinem super altare per circuitum. Cumque tuleris de sanguine qui est super altare, et de oleo unctionis, asperges Aaron et vestes ejus, filios et vestimenta eorum. Consecratisque et ipsis, et vestibus, tolles adipem de ariete, et caudam et arvinam, quæ operit vitalia ac reticulum jecoris, et duos renes, atque adipem, qui super eos est, armumque dextrum eo quod sit aries consecrationum, tortamquam panis unius, crustulum conspersum oleo, laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu Domini : ponesque omnia super manus Aaron, et filiorum ejus, et sanctificabis eos elevans coram Domino. Suscipiesque universa de manibus, eorum : et incendes super altare in holocaustum. odorem suavissimum in conspectu Domini, quia oblatio ejus est. Sumes quoque pectusculum de ariete quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud elevatum coram Domino, et cedet in partem tuam. Sanctificabisque et pectusculum consecratum, et armum quem de ariete separasti, quo initiatus est Aaron et filii ejus, cedentque in partem Aaron et

[1] Ita habetur in canone Hebr. verit, in codicibus mss. antiquoribus. MART.

— Palatinus, et quibus usus est Martian. mss. *sacerdotes mei.*

[2] Hebraice est יתרת. *jothereth* Bochartus autem cum nihil retiforme velit esse in jecore, hanc ipsam emendandam lectionem putat, et pro *reticulum*, legi *resticulum* quo quidem vocabulo, quod a *resti*, et *resticula* deducitur, usus est S. Doctor etiam I Reg. VII, 23. Sed præterquam quod alia ibi vox Hebræa est, non hoc tantum et Bocharti sententia, *resticulum*, oporteat rescribere, sed et alibi sæpius in Levitic. III, 4, 10, 15 ; et IV, 9 ; et VII, 4 ; et VIII, 16, 25 ; et IX, 10, quibus locis omnibus eadem et vox Hebraica est יתרת, et Latina explicatio *reticulum* in vulgatis æque ac mss. libris. Lectione autem nihil immutata, pingues jecoris fibras denotari, par magis est credere.

filiorum ejus jure perpetuo a filiis Israel: quia [h. oblatio] primitiva sunt et initia de victimis eorum pacifimis quæ offerunt Domino. Vestem autem sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, et consecrentur manus eorum. Septem diebus utetur illa qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis ejus qui ingredietur tabernaculum testimonii ut ministret in sanctuario. Arietem autem consecrationis tolles, et coquens carnes ejus in loco sancto, quibus vescetur Aaron et filii ejus. Panes quoque, qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonii comedent, ut sit placabile sacrificium, et sanctificentur offerentium manus. Alienigena non vescetur ex iis, quia sancti sunt. Quod si remanserit de carnibus consecratis, sive de panibus usque mane, combures reliquias igni: non comedentur, quia sanctificata sunt. Omnia quæ præcepi tibi, facies super Aaron et filiis ejus. Septem diebus consecrabis manus eorum, et vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum. Mundabisque altare cum immolaveris expiationis hostiam, et unges illud in sanctificationem. Septem diebus expiabis altare et sanctificabis, et erit Sanctum sanctorum. Omnis qui tetigerit illud, sanctificabitur. Hoc est quod facies in altari: agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, unum agnum mane, et alterum vespere, decimam partem similæ conspersæ oleo tunso, quod habeat mensuram quartam partem hin, et vinum ad libandum ejusdem mensuræ in agno uno. Alterum vero agnum offeres ad vesperam juxta ritum matutinæ oblationis, et juxta ea quæ diximus in odorem suavitatis: sacrificium Domino, oblatione perpetua in generationes vestras, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ubi constituam ut loquar ad te. Ibique præcipiam filiis Israel, et sanctificabitur altare in gloria mea. Sanctificabo et tabernaculum testimonii cum altari, et Aaron cum filiis suis ut sacerdotio fungantur mihi. Et habitabo in medio filiorum Israel, eroque eis Deus, et scient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, ut manerem inter illos, ego Dominus Deus ipsorum.

[*Cap.* XXX.] Facies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis settim, hadens cubitum longitudinis, et alterum latitudinis, id est, qnadrangulum, et duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipso procedent. Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam ejus, quam parietes per circuitum, et cornua. Facies quoque ei coronam aureolam per gyrum, et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, et altare portetur. Ipsos quoque vectes facies de lignis settim, et inaurabis. Ponesque altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonii coram propritiatorio, quo tegitur testimonium, ubi loquar tibi. Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragans, mane. Quando componet lucernas, incendet illud: et quando collocat [*Vulg.* collocabit] eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras. Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem, et victimam, nec liba libabitis. Et deprecabitur Aaron super cornua ejus semel per annum, in sanguine quod oblatum est pro peccato, et placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum sanctorum erit Domino, [T. XIV.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino. et non erit plaga in eis cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit [h.] ad numerum, dimidium sicli juxta mensuram templi. Siclus viginti habet obolos. Media pars sicli offeretur Domino. Qui habetur in numero, a viginti annis et supra, dabit pretium, Dives non addet ad medium sicli, et pauper nihil minuet. Susceptamque pecuniam, quæ coliata est a filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii, ut sit monimentum eorum coram Domino, et propitietur animabus eorum. [D. CXIII.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Facies et labrum æneum cum basi sua ad lavandum: ponesque illud inter tabernaculum testimonii et altare. Et missa aqua, lavabunt in eo [*Vulg.* ea] Aaron et filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii et quando accessuri ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur; legitimum sempiternum erit ipsi, et semini ejus per successiones. [C. CXIV.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Sume tibi aromata [h. aromata prima smyrrhæ electæ], primæ myrrhæ electæ quingentos siclos, et cinnamomi medium, id est, ducentos quinquaginta, calami similiter ducentos quinquaginta, casiæ autem quingentos siclos, in pondere sanctuarii, olei de olivetis mensuram hin: faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii, et unges ex eo tabernaculum testimonii, et arcam testamenti, mensamque cum vasis suis, candelabrum, et utensilia ejus, altaria thymiamatis, et holocausti, et universam supellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet. Sanctificabisque omnia, et erunt Sancta sanctorum: qui tetigerit ea, sanctificabitur. Aaron et filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi. Filiis quoque Israel dices: Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras. Caro hominis non ungetur ex eo, et juxta compositionem ejus non facietis aliud, quia sanctificatum est, et sanctum erit vobis. Homo quicunque tale composuerit, et

[1] Non *myrrhæ*, sed *smyrnæ* legunt omnes codices mss. juxta Græcam vocem σμύρνης LXX interpretum. Poteramus et nos veterum exempla sequi, nisi usus scribendi *myrrham* non *smyrnam*, prævaleret. MART.

— Urbinas mss. *myrrhæ* et *electæ*: Palatin. cum iis quos præsto habuit Martianæus *smyrnæ electæ*, juxta Græc. σμύρνης.

dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo. Dixitque Dominus ad Mosen : Sume tibi aromata, stacten et onycha, galbanum beni odoris, et thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia : faciesque thymiama [1] compositum opere unguentarii mistum diligenter, et purum, et sanctificatione dignissimum. Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram testimonio tabernaculi [*Vulg.* tabernaculo testimonii], in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama. Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino. Homo quicunque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.

[C. CXV. *Cap.* XXXI.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Ecce, vocavi ex nomine Beseleel filium Uri filii Hur de tribu Juda, et implevi eum spiritu Dei, sapientia, et intelligentia, et scientia in omni opere, ad excogitandum fabre quiquid fieri potest ex auro, et argento et ære, marmore [h. non habet, marmore], et gemnis, et diversitate lignorum. Dedique ei socium Ooliab filium [h.] Ahisamach de tribu Dan, Et in corde omnis erediti posui sapientiam, ut faciant cuncta quæ prærepi tibi, tabernaculum fœderis, et arcam testimonii, et propitiatorium, quod super eum est, et cuncta vasa tabernaculi, mensamque et vasa ejus, candelabrum purissimum cum vasis suis, et altaria thymiamatis, et holocausti, et omnia vasa eorum, labrum cum basi sua vestes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti et filiis ejus, ut fungantur officio suo in sacris: oleum unctionis, et thymiama aromatum in sanctuario, omnia quæ præcepi tibi, facient. [C. CXVI.] Et locutus est Dominus [h. Et dixit Dominus] ad Mosen, dicens : Loquere filiis Israel. et dices ad eos : Videte ut Sabbatum meum custiodiatis, quia signum est inter me et vos in generationibus vestris, ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos. Custodite Sabbatum [*Vulg. add.* meum], sanctum est enim vobis : qui polluerit illud, morte morietur : qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui. Sex diebus facietis opus : in die septimo Sabbatum est, requies sancta Domino. Omnis qui fecerit opus in hac die, morietur. Custodiant filii Israel Sabbatum, et celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum inter me et filios Israel, signumque perpetuum. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et in septimo ab opere cessavit. [T. XV, B. XIX, *Cap.* CXXVII.] Deditque Dominus Mosi, completis hujuscemodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei.

[C. CXVIII, *Cap.* XXXII.] Videns autem populus quod moram faceret descendendi de monte Moses, congregatus adversus Aaron, ait : Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant : Mosi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit. Dixitque ad eos Aaron : Tollite inaures aureas de uxorum filiorumque et filiarum vestrarum auribus, afferte ad me. Fecitque populus quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio, et fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixeruntque : Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Quod cum vidisset Aaron, ædificavit altare coram eo [2] [h. coram monte], et præconis voce clamavit dicens: Cras solemnitas Domini est. Surgentesque mane obtulerunt holocausta, et hostias pacificas, et sedit populus comedere, et bibere, et surrexerunt ludere. [C. CXIX.] Locutus est autem Dominus ad Mosen: Vade, descende : peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti. Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis : feceruntque sibi vitulum conflatilem, et adoraverunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt : Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Rursumque ait Dominus ad Mosen : Cerno quod populus iste dura cervicis sit : dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos et deleam eos, faciamque te in gentem magnam. [C. CXX.] Moses autem orabat Dominum Deum suum, dicens : Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna, et in manu robusta ? Ne quæso, dicant Ægyptii : Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, et deleret e terra: quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, et Israel, servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen

[1] Verbum istud Hebraicum hoc modo punctatum reperitur in margine interiori canonis Hebraicæ veritatis, e regione dictionis, *thymiama*. Verum manu recentiori, ac temere fuisse positum multa suadent. Primum est, quod Hebraicis characteribus sit exscriptum, cum verba Hebræa in scholiis ejusdem canonis, litteris ubique Latinis reperiantur expressa, ut in cæteris Hieronymi lucubrationibus. Deinde eodem atramento adnotationes marginales semper scribuntur in canone, quo et textus ipse : at in hoc verbo *Cetoreth* minus atrum apparet degenerans in flavum colorem. Nullo denique signo lectorem monet, sicut cætera scholia, quid sibi respondeat in corpore, vel ad quam ambiguitatem dissolvendam sit appositum. Quiquid sit de illo verbo, certum exstat non esse Hieronymi, qui puncta Massoretharum vocalia nusquam agnovit. MART

—Expunximus a libri ora verbum Hebraicum קטורת quod in margine interiori Canonis Hebraicæ veritatis e regione dictionis *thymiama*, Martianæus repetit ; quodque non diffitetur, et a sequiori manu, et a sciolo scholiaste appositum. Verum Hieronymus epist. 106, *ad Sunniam et Fretelam*, ad spal. LXV, *Catoreth* legit, et *incensum* interpretatur. Vide quæ nos ibi adnotamus.

[2] Hebraicæ habet לפניו, *lephanau*, id est, *ad facies ejus*. Docet itaque nota isthæc marginalis, quod juxta sensum Hebraicæ Scripturæ Aaron ædificarit altare coram monte, non coram vitulo conflatili. Sed contrarium volunt critici sacri hujus temporis, qui ad hæc verba, *coram eo*, monent subaudiri, *vitulo* : quorum sententiam nos quoque ut veriorem amplectimur : nec par est credere hujusmodi scholion ab Hieronymo fuisse profectum.

vestrum sicut stellas cœli, et universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. Placatusque est Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum. [C. CXXI.] Et reversus est Moses de monte, portans duas tabulas testimonii in manu sua, scriptas ex utraque parte, [1], et factas opere Dei scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis. Audiens autem Josue tumultum populi vociferantis, dixit ad Mosen : Ululatus pugnæ audîtur in castris. Qui respondit : Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, et choros, iratusque valde projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis : arripiensque vitulum quem fecerant, combussit, et contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israel. [C. CXXII.] Dixitque ad Aaron : Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum ? Cui ille respondit : Ne indignetur dominus meus : tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum : dixerunt mihi : Fac nobis deos, qui præcedant nos : huic : enim Mosi qui eduxit nos terra Ægypti, nescimus quid acciderit. Quibus ego dixi : Quis vestrum habet aurum ? Tulerunt, et dederunt mihi : et projeci illud in ignem, egresusque est hic vitulus. Videns ergo Moyses populum quod esset nudatus (spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis et inter hostes nudum constituerat), [C. CXXIII] et stans in porta castrorum ait : Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi : quibus ait : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ponat vir gladium super femur suum : ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum, suum. Feceruntque filii Levi juxta sermonem Mosi, ceciderunt que in die illa quasi tria millia hominum [2]. Et ait Moses : Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, et fratre suo, ut detur vobis benedictio. [C. CXXIV.] Facto autem die altero, locutus est Moses ad populum : Peccastis peccatum maximum : ascendam ad Dominum, si quomodo eum quivero deprecari pro scelere vestro. Reversusque ad Dominum, ait : Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Cui respondit Dominus : Qui peccaverit mihi, delebo cum de libro meo : tu autem vade, et duc populum istum quo locutus sum tibi ; angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum. Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecit Aaron.

[C. CXXV, *Cap.* XXXIII.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Vade, ascende de loco isto, tu et populus tuus [h. non habet, tuus] quem eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens : Semini tuo dabo eam : et mittam præcursorem tui angelum, ut ejiciam Chananæum, et Amorrhæum, et Hetthæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, et intres in terram fluentem lacte et melle. Non enim ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es : ne forte disqerdam te in via. Audiensque populus sermonem hunc pessimum, luxit ; et nullus ex more indutus est cultu suo. [C. CXXVI.] Dixitque Dominus ad Mosen : Loquere filiis Israel Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui, et delebo te. Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi. Deposuerunt ergo filii Israel : ornatum suum a monte Horeb. [T. XVI.] Moses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus, Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis, extra castra. Cumque egrederetur Moses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, et stabat unusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Mosi, donec ingrederetur tentorium. Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis et stabat ad ostium, loquebaturque cum Mose. Cernentibus universis quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabantque ipsi, et adorabant per fores tabernaculorum suorum [C. CXXVII.] Loquebatur autem Dominus ad Mosen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Cumque ille reverteretur in castra, minister ejus Josue filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo. Dixit autem Moses ad Dominum : Præcipis ut educam populum istum : et non indicas mihi quem missurus sis mecum, præsertim cum dixeris : Novi te ex nomine [h. Notescam tibi in nomine], et invenisti gratiam coram me. [C. CXXVIII.] Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi viam tuam [3], ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos :

[1] Canon Hebr. verit. cum duobus aliis ms. codicibus, uno Colbertinæ bibliothecæ, num. 74, et altero S. Germani, num. 3, legit hic, *Portans duas tabulas testimonii manu Dei scriptas ex utraque parte*; sed manifestus est error librariorum, qui ad suum sensum omnia sæpius refundunt. MART.

— Urbinas ms. *Portans duas tabulas in manu scriptas ex utraque parte*. Palatinus ab impressa lectione abludit una vocula *sua*, quam prætermittit: alii mss. *manu Dei* præferunt. Hebræus ad verbum: *Et duæ tabulæ testimonii in manu ejus, tabulæ scriptæ duobus lateribus suis, et hinc illæ scriptæ.*

[2] In editis ac mss. quamplurimis libris, *Quasi viginti tria millia hominum*, legimus. Quod ad canonis fidem, atque ad tres alios codices mss. emendavimus, auctoritatem etiam Hebræorum voluminum secuti. MART.

— Palatin, cum editis aliisque apud Martian. mss. libris *viginti tria millia*, etc., qui numerus in Latinos codices irrepsisse videtur occasione ejus testimonii I ad Corinth. x, 8 : *Ceciderunt una die viginti tria millia.*

[3] Editi cum aliquot mss. legunt, *faciem tuam*. In Hebræo scriptum est דרכך, *deracheca*, sive, ut Hie-

respice populum tuum gentum hanc. Dixit Dominus: Facies mea præcedet te, et requiem dabo tibi. Et ait Moses: Si non tu ipse præcedes, ne educas nos de loco isto. In quo enim scire poterimus ego et populus tuus, invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, ut glorificemur ab omnibus populis qui habitant super terram? Dixit autem Dominus ad Mosen: Et verbum istud, quod locutus es, faciam: invenisti enim gratiam coram me, et teipsum novi ex nomine [h. notescam tibi in nomine]. Qui ait: Ostende mihi gloriam tuam. Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, et vocabo in nomine Domini coram te; et miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit [h. hoc est, ostendam tibi quomodo me debeas deprecari, et ad misericordiam flectere]. Rursumque ait: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, et vivet. et iterum: Ecce, inquit, est locus apud me, et stabis supra petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam dextera mea, donec transeam: tollamque manum meam, et videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.

[B. XX, C. CXXIX, *Cap.* XXXIV.] Ac deinceps: Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti. Esto paratus mane, ut ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis. Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem: oves quoque et boves non pascantur e contra. Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales ante fuerant: et de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, sicut ei præceperat Dominus, portans secum tabulas. Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit ibidem cum eo [1] [id est, cum Mose, sic habet in h.], invocans in nomine Domini. Et transiens Dominus coram eo, ait: Dominator Domine Deus[2], misericors et clemens, patiens et multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem, et scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam et quartam progeniem. Festinusque Moses curvatus est pronus in terram, et adorans ait: Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum (populus enim duræ cervicis est), et auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas. Respondit Dominus: Ego inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam quæ nunquam sunt visa super terram, nec in ullis gentibus: ut cernat populus, in cujus es medio, opus Domini terribile quod facturus sum. Observa cuncta quæ hodie mandavi [*Vulg.* mando] tibi: ego ipse ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum, et Chananæum, et Hetthæum, Pherezæum [quoque, et Hevæum, et Jebusæum. Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ tibi sint in ruinam: sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide: noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes nomen ejus, Deus est æmulator. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne, cum fornicati fuerint cum diis suis, et adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam, et (*Vulg.* ut) comedas de immolatis. Nec uxorem de filiabus eorum accipias filiis tuis: ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant et filios tuos in deos suos. Deos conflatiles non facies tibi. Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus vesceris azymis, sicut præcepi tibi, in tempore mensis novorum: mense enim verni temporis egressus es de Ægypto. [C CXXX.] Omne quod aperit vulvam generis masculini, meum erit, de cunctis animantibus, tam de bobus, quam de ovibus, meum erit. Primogenitum asini redimes ove: sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conspectu meo vacuus. Sex diebus operaberis, die septimo cessabis arare et metere. Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ.

ronymus alibi legit, *darchach*, id est, *viam tuam*. In textu Hebræo-Samaritano legimus pluraliter דרכיך *darchecha*, *vias tuas*. LXX interpretati sunt, *ostende mihi teipsum*: Chaldæus denique, *ostende mihi viam bonitatis tuæ*. Inter has variantes lectiones, canonem Hebr. veritatis e suo fonte hic pure fluentem secuti sumus. MART.

[1] Urbinas ms., *stetit Moyses cum eo*, juxta Vulgatam.

[2] Hactenus insignem hunc locum ita Latini intellexerunt, ut Moses steterit cum Deo invocans nomen Domini et clamans transeunte Domino, *Dominator Domine Deus*, etc. Sed ex Hebræo, seu ex canone Hebraicæ veritatis, manifestum est omnia quæ sequuntur, esse Dei verba, non Mosis: ut enim supra dixerat, *cum transiero, vocabo in nomine Domini*, sic nunc vocans in nomine illo, id est, nomen suum magnificum יהוה *Adonai* exprimens ait: *Dominator Domine Deus, misericors*, etc. Notandum tamen Vulgatam Latinam editionem suæ lectionis habere astipulatorem Tnargum Hierosol. quod ita legit: *Et cum transiret gloria majestatis Domini coram eo, oravit Moses et dixit: Domine, Domine Deus misericors*, etc. Quæ propterea post eruditum virum adnotamus, ne temere quis Vulgatam nostram damnare præsumat, si quando a veritate Hebraica nobis discrepare videtur; habet enim optimos auctores quos secuta est, et dignos Deo ubique sensus promit. MART.

— Cum Vulgatæ lectione faciunt nostri mss. *quo transeunte coram eo ait: Dominator*, etc., ut Mosis hæc sint, Dominum ante os speluncæ pertranseuntem compellantis verba. E contrario habet impressa lectio, quam ex Canone, ut vocat, Hebraicæ veritatis Martianæus reposuit, et cui quidem et Hebræus textus suffragatur, ut ea significet esse Dei verba, qui coram Moyse pertransiens, dotes illi suas relevat. Sed ut nihil hic de alterutrius lectionis præstantia, quæ non levis est quæstio, disputem: multum sane vereor, ne correctoris Hebræi verba ex libri albo in textum pridem intrusa in uno Memmiano codice, pro Hieronymi interpretatione perperam Martianæus obtrudat. Equidem præferre malim reliquorum omnium librorum fidem. Videsis tamen Martianæi Prolegomenon III versus finem, ubi de hac Scholiastæ emendatione loquitur.

et solemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel. Cum enim tulero gentes a facie tua,et dilatavero terminos tuos,nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, et apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno. Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ : neque residebit mane de victima solemnitatis Phase. Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. Non coques hædum in lacte matris suæ. [T. XVII, C. CXXXI.] Dixitque Dominus ad Mosen : Scribe tibi verba hæc, quibus et tecum et cum Israel pepigi fœdus. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes panem non comedit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba fœderis decem. [C. CXXXII.] Cumque descenderet Moses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, et ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Dei. Videntes autem Aaron et filii Israel cornutam Mosi faciem, timuerunt prope accedere. Vocatique ab eo, reversi sunt tam Aaron quam principes Synagogæ. Et postquam locutus est,venerunt ad eum etiam omnes filii Israel : quibus præcepit cuncta quæ audierat a Domino in monte Sinai ; impletisque sermonibus, posuit velamen super faciem suam. Quod ingressus ad Dominum, et loquens cum eo, auferebat donec exiret, et tunc loquebatur ad filios Israel omnia quæ sibi fuerant imperata. Qui videbant faciem egredientis Mosi esse cornutam, sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos.

[C. CXXXIII, *Cap.* XXXV.] Igitur congregata omni turba filiorum Israel, Dixit ad eos : Hæc sunt quæ jussit Dominus fieri. Sex diebus facietis opus ; septimus dies erit vobis sanctus, Sabbatum, et requies Domini : qui fecerit opus in eo, occidetur. Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem Sabbati. [C. CXXXIV.] Et ait Moses ad omnem catervam filiorum Israel : Iste est sermo quem præcepit Dominus, dicens : Separate apud vos primitias [h. oblationes] Domino : omnis voluntarius et prompto [*Vulg.* prono] animo offerat eas Domino : aurum, argentum, et æs, hyacinthum et purpuram,coccumque bis tinctum, et byssum,pilos caprarum, et pelles arietum rubricatas, et ianthinas, ligna settim, et oleum ad luminaria concinnanda, et ut conficiatur unguentum, et thymiama suavissimum, lapides onychinos,et gemmas ad ornatum superhumeralis [1] et rationalis. Quisquis vestrum est sapiens, veniat et faciat quod Dominus imperavit. Tabernaculum scilicet et tectum ejus, atque operimentum,annulos, et tabulata cum vectibus, paxillos et bases : arcam et vectes, propitiatorium, et velum quod ante illud oppanditur. Mensam cum vectibus et vasis,et propositionis panibus: candelabrum ad luminaria sustentanda, vasa illius et lucernas, et oleum ad nutrimenta ignium : altare thymiamatis, et vectes, oleum unctionis et thymiama ex aromatibus : tentorium ad ostium tabernaculi : altare holocausti, et craticulam ejus æneam cum vectibus et vasis suis : labrum et basim ejus : cortinas atrii cum columnis et basibus, tentorium in foribus vestibuli, paxillos tabernaculi et atrii cum funiculis suis : vestimenta, quorum usus est in ministerio sanctuarii, vestes Aaron pontificis ac filiorum ejus, ut sacerdotio fungantur mihi. Egressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Mosi, obtulit [*Vulg.* obtulerunt] mente promptissima atque devota primitias [h. oblationes] Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonii. Quidquid in cultum et ad vestes sanctas necessarium erat,viri cum mulieribus præbuerunt armillas et inaures, annulos et dextraria : omne vas aureum in donaria Domini separatum est. Si quis habuit [*Vulg.* habebat] hyacinthum, et purpuram, coccumque bis tinctum, byssum et pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, et ianthinas, argenti et æris metalla, obtulerunt Domino, lignaque settim in varios usus. Sed et mulieres doctæ dederunt quæ neverant, hyacinthum, purpuram, et vermiculum, ac byssum, et pilos caprarum, sponte propria cuncta tribuentes. Principes vero obtulerunt lapides onychinos, et gemmas ad superhumerale et rationale, aromataque et oleum ad luminaria concinnanda, et ad præparandum unguentum, et thymiama odoris suavissimi componendum. Omnes viri et mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ jusserat Dominus per manum Mosi.Cuncti filii Israel voluntaria Domino dedicaverunt. [C. CXXXV.] Dixitque Moses ad filios Israel : Ecce, vocavit Dominus ex nomine Beseleel filium Uri filii Hur de tribu Juda. Implevitque eum spiritu Dei, sapientia, et intelligentia, et scientia, et omni doctrina, ad excogitandum, et faciendum opus in auro et argento, et ære, sculpendisque lapidibus,et opere carpentario, quidquid fabre adinveniri potest, dedit in corde ejus : Ooliab quoque filium Ahisamach de tribu Dan: ambos erudivit sapientia,ut faciant opera abietarii polymitarii, ac plumarii, de hyacintho,et purpura, coccoque bis tincto, et bysso, et texant omnia, ac nova quæque reperiant.

[*Cap.* XXXVI.] Fecit ergo Beseleel, et Ooliab, et omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam et intellectum (*a*), ut scirent fabre operari quæ in usus sanctuarii necessaria sunt, et quæ præce-

[1] Ubicunque in Exodo, sive in Levitico *superhumerale* legitur, sciamus apud Hebræos *ephod* appellari. Hoc autem esse pontificis vestimentum, et solis conveniens pontificibus omnis Scriptura testatur. Hæc S. Hieronymus ad Fabiolam scribens de vestitu sacerdotum. MART.

[2] *Et omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam et scientiam ;* hoc modo legunt nonnulli codices mss. et can. Hebr. verit. post LXX Interpretes. Alii habent, *intelligentiam*, sive *intellectum* juxta quod scriptum est in Hebræo, nam תבונה, *thebunæ* in eo legitur. MART.

pit Dominus. Cumque vocasset eos Moses, et omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, et qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus, tradidit eis universa donaria filiorum Israel. Qui cum instarent operi, quotidie mane vota populus offerebat. Unde artifices venire compulsi, dixerunt Mosi : Plus offert populis quam necessarium est. Jussit ergo Moses præconis voce cantari : Nec vir nec mulier quidquam ultra offerat in opere sanctuarii. Sicque cessatum est a muneribus offerendis, eo quod oblata sufficerent, et superabundarent. Feceruntque omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem, de bysso retorta, et hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, opere vario et arte polymita : quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos, et in latitudine quatuor, una mensura erat omnium cortinarum. Conjunxitque cortinas quinque, alteram alteri, et alias quinque sibi invicem copulavit. Fecit et ansas hyacinthinas in ora cortinæ unius ex utroque latere, et in ora cortinæ alterius similiter, ut contra se invicem venirent ansæ, et mutuo jungerentur. Unde et quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, et fieret unum tabernaculum. Fecit et saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi : unum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, et in latitudine cubitos quatuor : unius mensuræ erant omnia saga, quorum quinque junxit seorsum, et sex alia separatim. Fecitque ansas quinquaginta in ora sagi unius, et quinquaginta in ora sagi alterius, ut sibi invicem jungerentur. Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus sagis fieret. Fecit et opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis : aliudque desuper velamentum de pellibus iantinis. Fecit et tabulas tabernaculi de lignis settim stantes. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius, et unum ac semis cubitum latitudo retinebat: binæ incastraturæ erant per singulas tabulas, ut altera alteri jungeretur. Sic fecit in omnibus tabulis tabernaculi. E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra Austrum, cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub una tabula ponebantur ex utraque angulorum parte, ubi incastraturæ laterum in angulis terminantur. Ad plagam quoque tabernaculi, quæ respicit ad Aquilonem, fecit viginti tabulas, cum quadraginta basibus argenteis, duas bases per singulas tabulas. Contra Occidentem vero, id est, ad eam partem tabernaculi, quæ mare respicit, fecit sex tabulas, et duas alias per singulos angulos tabernaculi retro: quæ junctæ erant a deorsum usque sursum, et unam compagem pariter ferebantur. Ita ferit ex utraque parte per angulos ; ut octo essent simul tabulæ, et haberentes bases argenteas sedecim, binas scilicet bases sub singulis tabulis. Fecit et vectes de lignis settim, quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi, et quinque alios ad alterius lateris tabulas coaptandas, et extra hos, quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare. Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perveniret. Ipsa autem tabulata deauravit et circulos eorum [1], fecit aureos, per quos vectes induci possent; quos et ipsos laminis aureis operuit. Fecit et velum de hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta, opere polymitario, varium atque distinctum, et quatuor columnas de lignis settim, quas cum capitibus deauravit, fusis basibus earum argenteis. Fecit et tentorium in introitu tabernaculi, ex hyacintho, purpura, vermiculo, byssoque retorta, opere plumarii, et columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.

[C. CXXXVI, *Cap.* XXXVII.] Fecit autem Beseleel et arcam de lignis settim, habentem duos semis cubitos in longitudine, et cubitum ac semissem in latitudine : altitudo quoque unius cubiti fuit et dimidii, vestivitque eam auro purissimo intus ac foris. Et fecit illi coronam auream per gyrum, conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos ejus : duos annulos in latere uno, et duos in altero. Vectes quoque fecit de lignis settim, quos vestivit auro, et quos misit in annulos, qui erant in lateribus arcæ ad portandum eam. Fecit et propitiatorium, id est, oraculum, de auro mundissimo, duorum cubitorum et dimidii in longitudine, et cubiti ac semis in latitudine. Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos posuit ex utraque parte propitiatorii: Cherub unum in summitate unius partis, et Cherub alterum in summitate partis alterius ; duos Cherubim in singulis summitatibus propitiatorii extendentes alas, et tegentes propitiatorium, seque mutuo et illud respectantes. Fecit et mensam de lignis settim in longitudime duorum cubitorum, et in latitudine unius cubiti, quæ habebat in altitudine [*Vulg.* latitudine] cubitum ac semissem. Circumdeditque eam auro mundissimo, et fecit illi labium aureum per gyrum, ipsique labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum, et super eamdem, alteram coronam auream. Fudit et quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor angulis per singulos pedes mensæ contra coronam: misitque in eos vectes, ut possit mensa portari. Ipsos quoque vectes fecit de lignis settim, et circundedit eos auro. Et vasa ad diversos usus mensæ, acetabula, phialas, cyathos, et thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina. Fecit et candelabrum

[1] In editis et in omnibus mss. libris adduntur *ista, fusis basibus earum argenteis ;* quæ canon Hebr. verit. erasit, docens hoc signa *h.* marginali non esse in Hebræo. MART.

— Addunt et nostri mss. *fusis basibus earum argenteis*, ut et in suis Martian. invenit, et vulgati libri retinent, verba ex tertio ab hoc versiculo repetita. Canon Hæbraicæ viritatis erasit juxta archetypum.

ductile de auro mundissimo. De cujus vecte calami, scyphi, sphærulæ ac lilia procedebant : sex in utroque latere, tres calami ex parte una, et tres ex altera ; tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul et lilia et tres scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæque simul et lilia. Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri. In ipso autem vecte erant quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos simul et lilia. Et sphærulæ sub duobus calamis per loca tria, qui simul sex fiunt calami procedentes de vecte uno. Et sphærulæ igitur, et calami ex ipso erant, universa ductilia ex auro purissimo. Fecit et lucernas septem cum emunctoriis suis, et vasa, ubi quæ emuncta sunt exstinguantur, de auro mundissimo : talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis. Fecit et altare thymiamatis de lignis settim, habens per quadram singulos cubitos, et in altitudine [*Vulg.* latitudine] duos : e cujus angulis procedebant cornua. Vestivitque illud auro purissimo, cum craticula ac parietibus et cornibus. Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, et possit altare portari. Ipsos autem vectes fecit de lignis settim, et operuit laminis aureis. Composuit et oleum ad sanctificationis unguentum, et thymiama de aromatibus mundissimis, opere pigmentarii.

[*Vap.* XXXVIII.] Fecit et altare holocausti de lignis settim, quinque cubitorum per quadrum, et trium in altitudine cujus cornua de angulis procedebant : operuitque illud æneis laminis. Et in usus ejus paravit ex ære vasa diversa, lebetes, forcipes, fuscinulas, uncinos et ignium receptacula. Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, et subter eam in altaris medio arulam, fusis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates, ad immittendos vectes ad portandum : quos et ipsos fecit de lignis settim, et operuit laminis æneis : induxitque in circulos, qui in altaris lateribus eminebant. Ipsum autem altare non erat solidum, sed cavum ex tabulatis, et intus vacuum. Fecit et labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. Fecit et atrium, in cujus australi plaga erant tentoria de bysso retorta, cubitorum centum, columnæ æneæ viginti cum basibus suis, capita columnarum, et tota operis cælatura, argentea. Æque ad septentrionalem plagam, tentoria, columnæ, basesque et capita columnarum, ejusdem mensuræ, et operis, ac metalli erant. In ea vero plaga, quæ Occidentem respicit, fuere tentoria cubitorum quinquaginta, columnæ decem cum basibus suis æneæ, et capita columnarum, et tota operis cælatura, argentea [1]. Porro contra Orientem, quinquaginta cubitorum paravit tentoria, e quibus quindecim cubitos columnarum trium cum basibus suis, unum tenebat latus, et in parte altera quia utraque introitum tabernaculi facit [2]) quindecim æque cubitorum erant tentoria, columnæ tres, et bases totidem. Cuncta atrii tentoria byssus retorta texuerat. Bases columnarum fuere æneæ, capita autem earum cum [*Vulg. add.* cunctis] cælaturis suis argentea ; sed et ipsas columnas atrii vestivit argento. Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine ; altitudo vero quinque cubitorum erat, juxta mensuram, quam cuncta atrii habebant tentoria. Columnæ autem in ingressu fuere quatuor cum basibus æneis, capitaque earum et cælaturæ argenteæ. Paxillos quoque tabernaculi et atrii per gyrum fecit æneos. Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonii, quæ numerata sunt juxta præceptum Mosi in cæremoniis Levitarum per manum Ithamar filii Aaron sacerdotis : quæ Beseleel filius Uri filii Hur de tribu Juda, Domino per Mosen jubente, compleverat, juncto sibi socio Ooliab filio Ahisamach de tribu Dan : qui et ipse artifex lignorum egregius fuit, et polymitarius atque plumarius ex hyacintho, et purpura vermiculo et bysso. Omne aurum quod expensum est in opere sanctuarii, et quod oblatum est in donariis, viginti novem talentorum fuit, et septingentorum triginta siclorum, ad mensuram sanctuarii. Numerus autem argenti de donariis populi centum talentorum et mille septingentorum septuaginta quinque siclorum ad mensuram sanctuarii medium siclum per capita singulorum. Oblatum est autem ab his qui transierunt ad numerum a viginti annis et supra, de sexcentis tribus millibus et quingentis quinquaginta armatorum. Fuerunt præterea centum talenta argenti, e quibus conflatæ sunt bases sanctuarii, et introitus ubi velum pendet. Centum bases factæ sunt de talentis

[1] Libri mss. plures hic legunt, *Et capita columnarum cælatea argentea ;* sed longe præstat editorum et aliorum mss. lectio, ut videre est ex isto capite XXXVIII, vers. 10 et 17, ubi eadem verba scripta reperiuntur. MART.

— Verba *et tota operis cælatura.* Urbinas ms. ignorat, proque his habet Palat. *cælat* duntaxat. Hebræus ad terram, *capitella vero columnarum , et cincturæ earum erant ex argento.*

[2] Ita canon Hebraicæ veritatis et codd. mss. castigatiores. Sensus est quod inter utrumque latus columnarum, et pendentium cortinarum ingressus erat in tabernaculum. MART.

— Vulgati, *Quia inter utraque introitum tabernaculi fecit.*

[3] Integrum hoc loco restituimus versiculum ad fidem canonis Hebr. verit. et alterius manuscripti codicis S. Germani a Pratis, num. 3. Porro quod sequitur immediate, *oblatum est autem*, etc., non refertur ad aurum, sed ad argentum, cum numerandus quilibet Israelita solveret dimidium siclum. Hinc apparet nonnihil Scripturæ deesse in editis, ac sensum non unquam esse disturbatum et confusum. Quod planum erit contendenti hanc editionem cum vulgatis exemplaribus Bibliorum, ubi insuper vers. 8 *argentum* pro *auro* ponitur, et de columnis dicuntur, quæ proprie pertinent ad earum capitella. MART.

centum, singulis talentis per bases singulas supputatis. De mille autem septingentis et septuaginta quinque siclis [*Vulg. tac.* siclis], fecit capita columnarum, quæ et ipsa vestivit [h.] auro. Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, et quadringenti supra sicli, ex quibus fusæ sunt bases in introitu tabernaculi testimonii, et altare æneum cum craticula sua, omniaque vasa, quæ ad usum ejus pertinent, et bases atrii tam in circuitu quam in ingressu ejus et paxilli tabernaculi atque atrii per gyrum.

(*Cap.* XXXIX.) De hyacintho vero et purpura, vermiculo ac bysso, fecit vestes ad ministrandum in sanctuario [1], et vestes sanctas, quibus indueretur Aaron (quando ministrabat in sanctis), sicut præcepit Dominus Mosi. Fecit igitur superhumerale de auro, hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere polymitario : inciditque bracteas aureas, et extenuavit in fila, ut possent torqueri cum priorum colorum subtegmine, duasque oras sibi invicem copulatas in utroque latere summitatum, et balteum ex iisdem coloribus, sicut præceperat Dominus Mosi. Paravit et duos lapides onychinos, astrictos et inclusos auro, et sculptos arte gemmaria nominibus filiorum Israel : posuitque eos in lateribus superhumeralis, in monimentum filiorum Israel, sicut præceperat Dominus Mosi. Fecit et rationale opere polymito juxta opus superhumelaris, ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, quadrangulum, duplex, mensuræ palmi. Et posuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo versu erat sardius, topazius, smaragdus. In secundo, carbunculus, sapphirus, jaspis. In tertio, ligurius, achates, amethystus. In quarto, chrysolithus, onychinus, beryllus, circumdati et inclusi auro per ordines suos. Ipsique lapides duodecim, sculpti erant nominibus duodecim tribuum Israel, singuli per nomina singulorum. Fecerunt in rationali et catenulas sibi invicem cohærentes, de auro purissimo, et duos uncinos, totidemque annulos aureos. Porro annulos posuerunt in utroque latere rationalis, e quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inseruerunt unicis, qui superhumeralis angulis eminebant Hæc et ante et retro ita conveniebant sibi, ut superhumerale et rationale mutuo necterentur, stricta ad balteum, et annulis A fortius copulata, quos jungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent, et a se invicem moverentur, sicut præcepit Dominus Mosi. Fecerunt quoque tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, et capitium in superiori parte contra medium, oramque per gyrum capitii textilem ; deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta, et tintinnabula de auro mundissimo, quæ posuerunt inter malogranata, in extrema parte tunicæ per gyrum : tintinnabulum autem aureum, et malum punicum, quibus ornatus incedebat pontifex quando ministerio fungebatur, sicut præceperat Dominus Mosi. Fecerunt et tunicas byssinas opere textili Aaron et filiis ejus, et mitras cum coronulis suis ex bysso : feminalia quoque linea, byssina ; B cingulum vero de bysso retortat, hyacintho, purpura, ac vermiculo bis tincto [2], arte plumaria, sicut præceperat Dominus Mosi. Fecerunt et laminam sacræ venerationis de auro purissimo, scripseruntque in ea opere gemmario, Sanctum Domini, et strinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina, sicut præceperat Dominus Mosi. Perfectum est igitur omne opus tabernaculi, et tecti testimonii : feceruntque filii Israel cuncta quæ præceperat Dominus Mosi. Et obtulerunt tabernaculum, et tectum, et universam supellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas ac bases, opertorium de pellibus arietum rubricatis, et aliud operimentum de ianthinis pellibus, velum, arcam, vectes, propitiatorium, mensam cum vasis suis et propositionis panibus : candelabrum, lucernas, et utensilia earum cum oleo, altare aureum, et C unguentum, thymama ex aromatibus, et tentorium in introitu tabernaculi, altare æneum, retiaculum, vectes, et vasa ejus omnia : labrum cum basi sua : tentoria atrii, et columnas cum basibus suis, tentorium in introitu atrii, funiculosque illius et paxillos. Nihil ex vasis defuit, quæ in ministerium tabernaculi, et in tectum fœderis jussa sunt fieri. Vestes quoque ad ministrandum in sanctuario, et vestes sanctas quibus sacerdotes utuntur, Aaron [*Vulg.* quibus sacerdotes utuntur in sanctuario Aaron] scilicet et filii ejus, obtulerunt filii Israel, sicut præceperat Dominus. Quæ postquam Moses cuncta vidit expleta, benedixit eis.

[C. GXXXVII, *Cap.* XL.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Mense primo, die prima

— Versiculum hunc integrum, quem Martian. antea restituit, nostri quoque mss. asserunt : parque est opinari ob ejusdem vocis *Sanctuarii* recursum, fuisse solemni lapsu a Latinis amanuensibus prætermissum ; quæ enim post eam vocem in fine versiculi subsequuntur, *medium siclum per capita singulorum*, neque Urbinas, neque Palatin. mss. habent.

[1] Iidem manuscripti codices istum locum emendant, leguntque ut nos posuimus. Verum quod sequitur, *quando ministrabat in sanctis*, superfluum est, quia totus contextus Hebræorum fontium absque his verbis sufficienter expressus invenitur ; ideo et nos quæ superflua videbantur lineolis ive uncinis claudimus, id tantum lectorem monuisse contenti, nihil amplius in delendo quæ D scripta sunt, calamo nostro permittentes. MART.

— Verba isthæc, *ad ministrandum in sanctuario, et vestes sanctas*. Urbinas et Palatin. mss. ignorant, quemadmodum et vulgati. Quæ subsequuntur, *quando ministrabat in sanctis*, uncinis inclusit Martian, utpote superflua.

[2] Canon cum omnibus mss. codicibus legit, *ac vermiculo distinctum*, nempe *cingulum* Aaron et filiorum ejus : quod non incongruum reddit sensum; etsi Hebraice legamus ut in edito, שני תולעת *Vetholuath sani*, id est, *et vermiculi cocci*, sive bis *tincto*. MART.

— Nostri, et quos Martian, consuluit, mss. *Vermiculo distinctum arte*, etc.

mensis, eriges tabernaculum testimonii, et pones in eo arcam, demittesque ante illam velum, et illata mensa, pones super eam quæ rite præcepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis, et altare aureum in quo adolebitur incensum, coram arca testimonii. Tentorium in introitu tabernaculi pones, et ante illud altare holocausti : labrum inter altare et tabernaculum, quod implebis aqua. Circumdabisque atrium tentoriis, et ingressum ejus. Et assumpto unctionis oleo, unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur : altare holocausti et omnia vasa ejus : labrum cum basi sua : omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorum. Applicabisque Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, et lotos aqua indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, et unctio eorum in sacerdotium proficiat sempiternum. Fecitque Moses omnia, quæ præceperat Dominus. (T. XVIII, C. CXXXVIII.) Igitur mense primo anni secundi, in prima die mensis, collocatum est tabernaculum. Erexitque illud Moses, et posuit tabulas ac bases et vectes, statuitque columnas, et expandit tectum super tabernaculum, imposito desuper operimento, sicut Dominus imperaverat. Posuit et testimonium in arca, subditis infra vectibus, et oraculum desuper. Cumque intulisset arcam in tabernaculum, appendit ante eam velum, ut expleret Domini jussionem. Posuit et mensam in tabernaculo testimonii ad plagam septentrionalem extra velum, ordinatis coram propositionis panibus, sicut præceperat Dominus Mosi. Posuit et candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensæ in parte australi, locatis per ordinem lucernis, juxta præceptum Domini. Posuit et altare aureum sub tecto testimonii contra velum, et adolevit super eo incensum aromatum, sicut jusserat Dominus Mosi. Posuit et tentorium in introitu tabernaculi [*Vulg. add.* testimonii), et altare holocausti in vestibulo testimonii, offerens in eo holocaustum, et sacrificia, ut Dominus imperarat. Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonii et altare, implens illud aqua. Laveruntque Moses, et Aaron, ac filii ejus manus suas et pedes, cum ingrederentur tectum fœderis, et accederent ad altare, sicut præceperat Dominus Mosi. Erexit et atrium per gyrum tabernaculi et altaris, ducto in introitum ejus tentorio [C. CXXXIX.] Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud. Nec poterat Moses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, ut majestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat. Si quando nubes tabernaculum deserebat, proficiscebantur filii Israel per turmas suas : si pendebat desuper, manebant in eodem loco. Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, et ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas.

Explicit liber Elle Smoth, id est Exodus.

TITULI LIBRI VAIECRA, ID EST LEVITICI.

I. Ubi lex holocaustorum de immundis animalibus vel avibus Domini promulgatur.

II. Sacrificium pro peccato per ignorantiam admisso. Jubetur de ignorantia pontificis pro errore populi, pro actu immundi, et recordatione peccati, et temere curantibus.

III. De sacrificio eorum qui per errorem sanctificata comedunt, et de negante et pejerante, et libamentis.

IV. De oblationibus sacerdotum, quas pro se offerre debeant, vel quid de oblationibus consequantur, de adipe et sanguine.

V. Quomodo initiandi sunt sacerdotes, vel quibus vestibus induendi. De unctione tabernaculi et vasorum ejus. Ubi Moyses sicut pontifex accipit portionem Aaron sacerdotis : filii Aaron illicite ignem offerentes percussi sunt.

VI. Sacerdotibus præcipitur vinum non bibere, cum templum ingrediuntur. De mundis et immundis animalibus et avibus comedendis.

VII. De muliere pariente, et immunda. De lepræ contaminatione vel discrimine. De lepra vestimentorum. De mundatione lepræ. De divitis et pauperis lepra, et mundatione domorum.

VIII. De viro fluxum seminis sustinente, vel de iis, quæ per somnum contingere solent. De menstruis mulierunt, vel profluvio.

IX. De duobus hircis, et de duobus vitulis pro *populo* et pontifice immolandis.

X. Præcipitur, ut omnis victima, quæ in agro mactatur, ut primitiæ ex eadem Domino offerantur, et ne sanguinem quis comedat, vel morticinum, vel captum a bestia.

XI. Timor Dei imperatur : timendum patrem : idola non facienda, et cætera, quæ ad legem et justificationes pertinent.

XII. Præcipitur nullum ex Israel et sancti seminis idolo consecrandum. De mœchis et adultera : quæ sunt personæ, quibus liceat conjugio sociari.

XIII. Præcipitur sacerdos neminem lugere, neque viduam, aut repudiatam uxorem accipere : et corporalibus vitiis maculatum sacrificium non offerre : nullum alienigenam Sancta sanctorum attingere.

XIV. De victimis pacificorum, quæ sint Domino consecranda. De solemnitate azymorum, et consecratione spicarum in Pentecoste.

XV. De mense septimo, jejunio, et feriis tabernacu-

lorum. Oleum ad luminaria offerendum. Et de panibus duodecim super altare jugiter imponendis
XVI. De blasphemo legis lapidato : et ingressi qualiter terram promissionis obtineant. De attenuato Hebræo vendente possessionem suam. De ædibus Levitarum : de venditione ingenuorum : de adventis. Benedictiones servantium legem, et maledictiones contemptoribus legis Dei. De votis, et sacrificiis, et æstimatione sacerdotis.

BREVES LIBRI LEVITICI.

I. De decem generibus oblationum absque fermento, et melle solo, admiscendis sale.
II. De aliis decem generibus oblationum pro ignorantia, vel oblivione, vel immunditia, et errore atque contemptu.
III. De ritu sacerdotalium hostiarum, et cæterorum sacrificiorum, et de sanguine non edendo.
IV. De consecratione Aaron et filiorum ejus, omniumque vasorum, et de hostiis immolatis.
V. De præsentia gloriæ Domini super tabernaculum, et holocaustis divino igne consumptis, ubi Nadab et Abiu ignis occidit.
VI. De mundis et immundis animantibus, et de mulieris purificatione post partum.
VII. De diversitate lepræ, ejusque mundatione.
VIII. De passionibus vel immunditia tam viri, quam feminæ.
IX. De observatione introeuntis in sancta pontificis: etde duobus hircis sorte discretis : et de die afflictionis, et sanguine non edendo.
X. De turpitudinibus et sacrilegiis gentium exsecrandis et de constitutione præceptorum.
XI. De magis, et adulteris, et de turpitudinibus. De pythonibus non sequendis, et de sacerdotibus, atque omni clero, ut in toto vitiis careant, et sanctum immundi non comedant..
XII. De sacrificiis absque macula offerendis, et de alienigenarum oblationibus reprobandis.
XIII. De quinque solemnitatibus anni celebrioribus, et de oleo lucernarum, et de panibus propositionis.
XIV. De filio mulieris Israelitidis, qui blasphemavit nomen, et oculum pro oculo, et ut terra anno septimo sabbatizet, et de remissionibus anni jubilæi, et Dominus ad Judæos : Terra inquit, mea est et vos advenæ et coloni.
XV. De prosperitatibus quas Dominus pollicetur, si fiat quod præcepit, et de vindicta ob transgressionem septemplici.
XVI. De diversis votorum pretio redimendorum statutis.

CAPITULA LIBRI VAIECRA, ID EST LEVITICI.

I. Locutus est Dominus ad Mosen de tabernaculo testimonii, et de sacrificiis.
II. Quid offeratur pro delicto ignorantiæ a sacerdote, vel populo, dicit Deus Mosi.
III. Quid pro negligentia offerendum sit.
IV. De commendato et invento : si mentiatur aut juret injuste.
V. De holocausto.
VI De sacerdote uncto, quid offerat.
VII. Hostiam pro delicto.
VIII. Adipem et sanguinem, et a fera comestum non mandacundum.
IX. De sacrificio salutari.
X. Lavit Moses Aaron et filios ejus, et induit eum vestem sacerdotalem.
XI. Unxit Aaron et filios ejus, et vestivit, et obtulerunt holocausta et sacrificia, et descendit ignis consumens omnia.
XII. Nadab et Abiu offerentes ignem alienum, igne cœlesti consumpti sunt.
XIII. Jubet sacerdotes, cum accedunt ad Deum [1], vinum non bibere.
XIV. De sacrificio quod remanserit, sacerdotes cum suis [2] præcepit manducare.
XV. De pecoribus manducandis.
XVI. De viscibus qui manducentur.
XVII. De volatilibus non manducandis.
XVIII. De pecoribus non manducandis.
XIX. De reptilibus non manducandis.
XX. De muliere quæ masculum pepererit.
XXI. De ea, quæ puellam pepererit.
XXII. De tactu lepræ.
XXIII. Mundatum a lepra ostendi sacerdoti, et sic intrare in castra.
XXIV. De macula lepræ in domo.
XXV. De viro, cui fuerit fluxus ex corpore.
XXVI. De muliere, quæ fuerit in fluxu sanguinis.
XXVII. Non debere Aaron assidue ingredi interius in Sancta.

[1] In Palatin. mss., *ad altare*.

[2] Idem, *cum suis sacerdotibus*.

XXVIII. Septimo mense, decimo die mensis jejunandum.
XXIX. Sacrificia per Dei sacerdotes offerenda.
XXX. Sanguinem, et per se mortuum non manducandum.
XXXI. Morticinum et a fera captum non comedendum.
XXXII. Cum omni domestica generis non dormiendum.
XXXIII. Non adulterandum.
XXXIV. Sanctos esse debere, qui ad Deum accedunt [1], et parentes diligere.
XXXV. Reliquias messis pauperibus dimittendas.
XXXVI. Non furandum nec mentiendum, nec perjurandum, neque delaturam faciendam.
XXXVII. Proximum non lædendum.
XXXVIII. Mercedem mercenarii non detinendam.
XXXIX. Non maledices surdo.
XL. Ante cœcum non pones offendiculum.
XLI. Dominum Deum tuum timebis.
XLII. Non judicabis injuste.
XLIII. Personas non accipies.
XLIV. Non ambulabis dolose.
XLV. Non insistes in sanguinem proximi tui.
XLVI. Non oderis [2] fratrem tuum, nec vindicabis te ipsum.
XLVII. Diliges proximum tuum tanquam te.
XLVIII. Jumenta tua non sines coire diverso generi.
XLIX. Veste, quæ ex discoloribus est, non indueris.
L. Si quis dormierit cum ancilla desponsata viro.
LI. Non augurandum vel auspicandum.
LII. Non profanabis filiam tuam in mœchiam.
LIII. Ventriloquos et incantatores non audiendos.
LIV Seniores et presbyteros honorandos.
LV. Advenam diligendam.
LVI. Pondera et mensuras æque habendas.
LVII. Quicunque dederit filiam suam principi Moloch, morte moriatur.
LVIII. Quicunque secutus fuerit ventriloquos aut præcantatores, pereat de populo.
LIX. Qui maledixerit patri aut matri, moriatur.
LX. Adulteri pariter moriantur.
LXI. Cum uxore patris qui dormierit, ambo moriantur.

A LXII. Si quis manserit cum nuru sua, ambo moriantur.
LXIII. Quicunque manserit cum masculo coitu femineo, ambo moriantur.
LXIV. Quicunque acceperit mulierem et matrem ejus, igni cremabuntur.
LXV. Quicunque dederit concubitum in quadrupedem, moriatur, et quadrupedem occidetis.
LXVI. Quæcunque mulier ad aliquod pecus accesserit causa coitus, occidatur [3].
LXVII. Quicunque acceperit uxorem sororem suam [4], exstirpabuntur de populo.
LXVIII. Si quis cum menstruata coierit, vel cum uxore patris, vel avunculi, vel fratris sui, morte moriatur.
B LXIV. Ventriloquam et incantatorem lapidandos.
LXX. Sacerdotes in nullo inquinari, sed esse sanctos.
LXXI. Filia viri sacerdotis, si prostituatur ad fornicandum, igne cremabitur.
LXXII. Homo in quo fuerit macula, non accedet offerre dona Deo.
LXXIII. Sacerdotem, in quo fuerit immunditia, et sic accesserit ad sancta, exterminari a Deo, et de sanctis extraneus non manducet.
LXXIV. Maculosa et vitiosa non offerenda.
LXXV. De sacrificio orationis.
LXXVI. De Sabbato observando.
LXXVII. De Pascha et Azymis.
LXXVIII. De primitiis messis offerendis.
LXXIX. De mense septimo.
C LXXX. Ad lumen lucernæ oleum inferendum.
LXXXI. Eum qui blasphemaverit, lapidandum.
LXXXII. Eum qui occiderit, occidendum, et de Jubilæo.
LXXXIII. De fratre paupere.
LXXXIV. De fratre venumdato et comparato.
LXXXV. Idola non facienda.
LXXXVI. Sabbata observanda.
LXXXVII. Bellum abfuturum, si mandata custodiantur.
LXXXVIII. In tribulationibus, et fame, et plagis malis castigandos, si præcepta non servantur.
LXXXIX. Votum masculi vel feminæ pretio offerendum, in pecudibus vero non mutandum.

[1] Ms. Palatin., *qui ad Deum pertineant.*
[2] Idem mss., non *occideris*, pro *oderis.*
[3] Integrum hocce capitulum 66 Palatin. ms. nescit.
[4] Sufferimus ex palat. ms. *uxorem*, quod nomen deerat.

INCIPIT

LIBER VAIECRA

QUI GRÆCE DICITUR

LEVITICUS.

(T. I, B. I, C. I, *Cap.* I.) Vocavit autem Mosen, et locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii, dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est de bobus et ovibus offerens victimas, si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum, ponetque manum super caput hostiæ, et acceptabilis erit atque in expiationem ejus proficiens. Immolabitque vitulum coram Domino: offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi: detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident, et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita, et membra, quæ cæsa sunt, desuper ordinantes, caput videlicet, et cuncta quæ adhærent jecori, intestinis et pedibus lotis aqua: adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum et suavem odorem Domino. Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus, sive de capris holocaustum, masculum [1], absque macula offeret: immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad Aquilonem, coram Domino: sanguinem vero illius fundent super altare filii Aaron per circuitum, dividentque membra, caput et omnia quæ adhærent jecori, et imponent super ligna, quibus subjiciendus est ignis: intestina vero et pedes lavabunt aqua. Et oblata omnia adolebit sacerdos super altare, in holocaustum et odorem suavissimum Domino. Si autem de avibus, holocausta oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ, offerat eam sacerdos ad altare, et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris vesticulam vero gutturis, et plumas projiciet propter altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent, confringetque ascellas ejus, et non secabit, nec ferro dividet eam, et adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est et oblatio suavissimi odoris Domino.

(*Cap.* II.) Anima cum obtulerit oblationem (h. munera) sacrificiis Domino, simila erit ejus oblatio, fundetque super eam oleum, et ponet thus, ac deferet ad filios Aaron sacerdotes, quorum unus tollet pugillum plenum similæ et olei, ac totum thus, et ponet memoriale super altare, in odorem suavissimum Domino: quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum ejus, sanctum sanctorum de oblationibus Domini. Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano, de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, et lagana azyma oleo lita: si oblatio tua fuerit de sartagine, similæ conspersæ oleo et absque fermento, divides eam minutatim, et fundes super eam oleum. Sin autem de craticula fuerit sacrificium: æque simila oleo conspergetur, quam offeres Domino, tradens manibus sacerdotis. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, et adolebit super altare, in odorem suavitatis Domino; quidquid autem reliquum est, erit Aaron et filiorum ejus, sanctum sanctorum de oblationibus Domini. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificium Domino. Primitias tantum eorum offeretis ac munera: super altare vero non ponentur in odorem suavitatis. Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione (*Vulg. add.* tua) offeres sal. Sin autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis eas (*Vulg. tac.* eas) igni, et confringes in morem farris, et sic offeres primitias tuas

[1] Undecim mss. codices, quos in hoc opere admussim contulimus, duobus modis legunt hic loci. Canon Hebr. verit., Bibliorum codex Regius, n. 563, et alii quatuor S. Germani, vel Corbeiensis monasterii, sic habent: *Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus, sive de capris holocaustum, masculum et absque macula offeret.* Colbertinæ autem bibliothecæ mss. tres, nempe 74, 157, et 181, cum uno Corb. n. 1, et altero S. Germ. num. 7. ad præcedentium lectionem addunt, *Agnum*, id est, legunt hoc modo, *agnum anniculum et absque macula offeret.* Ad Hebræus nec *agnum* habet, nec *anniculum*, ibi enim legimus ut in editis, זכר תמים יקריבנו *Zachar thamim iacribennu*, quod significat: *masculum immaculatum adducet*, sive, *offeret illum.* Huic lectioni consentiunt LXX interpretes, et textus Samaritanus; sed diversa consequenter addiderunt, textus quidem Sam. ista, *ad ostium tabernaculi adducet eum*, etc. Septuaginta vero, καὶ ἐπιθήσει τὴν χεῖρα ἐπὶ τὴν κτφαλὴν αὐτοῦ, hoc est, *et imponet manum super caput ejus.* Cæterum error manifestus est in omnibus Latinis codicibus mss. ubi exscriptores *agnum* et *anniculum* posuerunt pro *masculo* sive *masculum.* MART.

— Nostri mss. et quibus usus est Martian. fere omnes legunt *holocaustum, anniculum et absque macula*: alii *agnum anniculum*, etc. Hebræus ad litteram *masculum immaculatum offeret illum.*

Domino, fundens supra oleum, et thus imponens, quia oblatio Domini est : de qua adolebit sacerdos in memoriam muneris, partem farris fracti, et olei, ac totum thus.

(*Cap.* III.) Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, et de bobus voluerit offerre, marem sive feminam, immaculata offeret coram Domino. Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonii, fundentque filii Aaron sacerdotes sanguinem per circuitum altaris. Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino, adipem qui operit vitalia, et quiquid pinguedinis intrinsecus est: duos renes cum adipe qua teguntur ilia, et reticulum jecoris cum renunculis : adolebuntque ea super altare in holocaustum. lignis igne supposito, in oblationem suavissimi odoris Domino. Si vero de ovibus fuerit ejus oblatio, et pacificorum hostia, sive masculum, sive feminam obtulerit, immaculata erunt Si agnum obtulerit coram Domino, ponet manum suam super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonii, fundentque filii Aaron sanguinem ejus per altaris circuitum. Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino: adipem et caudam totam cum renibus, et pinguedinem quæ operit ventrem atque universa vitalia, et utrumque renunculum cum adipe qui est juxta ilia, reticulumque jecoris cum renunculis: et adolebit ea sacerdos super altare, in pabulum ignis et oblationis Domini. Si capra fuerit ejus oblatio, et obtulerit eam Domino, ponet manum suam super caput ejus: immolabitque eam in introitu tabernaculi testimonii. Et fundent filii Aaron sanguinem ejus per altaris circuitum. Tollentque ex ea in pastum ignis Dominici, adipem qui operit ventrem, et qui tegit universa vitalia, duos renunculos, cum reticulo quod est super eos juxta illia, et arvinam jecoris cum renunculits, adolebitque ea sacerdos super altare, in alimoniam ignis et suavissimi odoris. Omnis adeps, Domini erit jure perpetuo in generationibus et cunctis habitaculis vestris, nec adipem, nec sanguinem omnino comedetis.

(T. II, B. II, C. II, *Cap.* IV.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Loquere filiis Israel : Anima, cum (*Vulg.* quæ] peccaverit per ignorantiam et de universis mandatis Domini, quæ præcepit, ut non fierent, quidpiam fecerit: si sacerdos, qui est unctus, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino, et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino : ponetque manum super caput ejus, et immolabit eum Domino. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii. Cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum sanctuarii: ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonii; omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi. Et adipem vituli auferet [h. et omnem adipem vituli peccati auferet] pro peccato, tam eum qui operit vitalia, quam omnia quæ intrinsecus sunt: duos renunculos, et reticulum, quod est super eos juxta ilia, et adipem jecoris cum renunculis, sicut auferur de vitulo hostiæ pacificorum, et adolebit ea super altare holocausti. Pellem vero, et omnes carnes cum capite et pedibus et intestinis a limo, et reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent: incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur. Quod si omnis turba Israel ignoraverit, et per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est, et postea intellexerit peccatum suum, offeret vitulum pro peccato [*Vulg. add.* suo], adducetque eum ad ostium tabernaculi. Et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino. Immolatoque vitulo in conspectu Domini, inferet sacerdos, qui unctus est, de sanguine ejus in tabernaculum testimonii, tincto digito aspergens septies contra velum. Ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonii ; reliquum autem sanguinem fundet juxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonii. Omnemque ejus adipem tollet, et adolebit super altare : sic faciens et de hoc vitulo quomodo fecit et prius, et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus. Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet, sicut et priorem vitulum, quia pro peccato est multitudinis. Si peccaverit princeps, et fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini (h. quod Domini Dei sui lege) lege prohibetur, et postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum. Ponetque manum suam super caput ejus cumque immolaverit eum in loco, ubi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est, tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, et reliquum (*Vulg. add.* sanguinem) fundens ad basim ejus. Adipem vero adolebit supra, sicut in victimis pacificorum fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus, ac dimittetur ei. Quod si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ, ut faciat quidquam ex iis quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, et cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam. Ponetque manum super caput hostiæ, quæ pro peccato est et immolabit eam in loco holocausti. Tolletque sacerdos de sanguine in digito suo, tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus. Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino, rogabitque pro eo, et dimittetur ei. Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem scilicet immaculatam, ponet manum

super caput ejus, et immolabit eam in loco ubi solent holocaustorum cædi hostiæ. Sumetque sacerdos de sanguine ejus digito suo, et tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet, ad basim ejus. Omnem quoque auferens adipem, sicut auferri solet adeps arietis qui immolatur pro pacificis, cremabit super altare in incensum Domini, rogabitque pro eo et pro peccato ejus, et dimittetur ei.

[C. III, *Cap.* V.] Si peccaverit anima, et audierit vocem adjurantis, testisque fuerit quod aut ipse vidit aut conscius est: nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam. Anima quæ tetigerit aliquid immundum, sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum, vel quodlibet aliud reptile, et oblita fuerit [h. anima quæ tetigerit aliquid immundum, aut cadaver bestiæ immundæ vel cujuslibet quadrupedis vel reptilis animantis immundi, et oblita fuerit] immunditiæ suæ, rea est, et deliquit: etsi tetigerit quidnam de immunditia hominis juxta omnem impuritatem qua pollui solet, oblitaque cognoverit postea, subjacebit delicto. Anima quæ juraverit et protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret vel bene, et idipsum juramento et sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, et offeret agnam de gregibus, sive capram, orabitque pro ea sacerdos et pro peccato ejus: sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato, et alterum in holocaustum, dabitque eos sacerdoti, qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput ejus ad pinnulas [h. cervicem], ita ut collo hæreat, et non penitus abrumpatur. Et asperget de sanguine ejus parietem altaris: quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum ejus, quia pro peccato est. Alterum vero adolebit holocaustum, ut fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos et pro peccato ejus [h. expiabit super eum sacerdos pro peccato ejus], et dimittetur ei. Quod si non quiverit manus ejus offerre duos turtures, vel duos pullos columbæ, offeret pro peccato similam, partem epha decimam, non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est; tradetque eam sacerdoti, qui plenum ex ea pugillum hauriens [1], cremabit super altare in monumentum ejus, qui obtulit, rogans pro illo, et expians, reliquam vero partem ipse habebit in munere. [T. III]. Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Anima si prævaricans cæremonias, per errorem [h. per ignorantiam], in his quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit, offeret pro dilecto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis juxta pondus sanctuarii: ipsumque quod tulit *damn* [h. non habet] restituet, et quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, et dimittetur ei. Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex iis quæ Domini lege prohibentur, et peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti juxta mensuram æstimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit, et dimittetur ei quia per errorem deliquit in Dominum.

[C. IV, *Cap.* VI.] Locutus est Dominus ad Mosen, dicens: Anima quæ peccaverit, et comtemplo Domino, negaverit depositum proximo suo, quod fidei ejus creditum fuerat [h. aut id quod fidei ejus creditum fuerat], vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, sive rem perditam invenerit, et inficians insuper pejeraverit, et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus peccare solent homines, convicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra, et quintam insuper partem domino, cui damnum intulerat. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, et dabit eum sacerdoti, juxta æstimationem mensuramque delicti, qui rogabit pro eo coram Domino, et dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccavit. [B. III, C. V.] Locutus est Dominus ad Mosen, dicens: Præcipe Aaron et filiis ejus: Hæc est lex holocausti: Crematabitur in altari tota nocte usque mane: ignis ex eodem altari erit. Vestietur sacerdos tunica et feminalibus lineis: tolletque cineres quos vorans ignis excussit, et ponens juxta altare, spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis, efferet eos extra castra et in loco mundissimo [h. non habet, usque ad favillam consumi faciet] usque ad favillam consumi faciet. Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, et imposito holaucausto, desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis est ipse perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Hæc est lex sacrificii et libamentorum, quæ offerent filii Aaron coram Domino, et coram altari [h. coram Domino in altari]. Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, et totum thus, quod super similam positum est: adolebitque illud in altari, in monumentum odoris suavissimi Domino: reliquam autem partem similæ comedat Aaron cum filiis suis, absque fermento, et comedet in loco sancto atrii tabernaculi. Ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domino offertur incensum. Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto. Mares tantum stirpis Aaron comedent illud. Legitimum ac sempiternum est [*Vulg.* erit] in generationibus vestris de sacrificiis Domini. Omnis qui tetigerit illa, sanctificabitur. [T. IV, C. VI.] Et locutus est Dominus ad Mosen, dicens: Hæc est oblatio Aaron et filiorum ejus, quam offere debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem epha offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium ejus mane, et medium ejus

[1] Aliter codex Regius ms. Bibliorum, unus Corb. et canon Hebr. verit. qui legunt, *plenum ex toto pugillum*. Sed melius ut in editis juxta Hebræum, *plenum ex ea pugillum*. MART.

— Palatin. et Urbinas mss., *plenum ex eo pugillum*: alii penes Martian., *ex toto* legunt pro *ex eo*.

vespere : quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offerat autem eam calidam, in odorem suavissimum Domino, sacerdos qui patri jure successerit : et tota cremabitur in altari. Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo. [C. VII.] Locutus est autem Dominus ad Mosen, dicens : Loquere ad Aaron et ad filios ejus : Ista est lex hostiæ pro peccato : In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. Sanctum sanctorum est. Sacerdos, qui offeret [*Vulg.* offert.], comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi. Quiquid [h. quiquis] tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto. Vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur : quod si vas æneum fuerit, defricabitur, et lavabitur aqua. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur carnibus ejus, quia sanctum sanctorum est. Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cujus sanguinis infertur in tabernaculum testimonii ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.

[*Cap.* VII.] Hæc quoque est lex hostiæ pro delicto, sancta sanctorum est : idcirco ubi immolabitur holocaustum, mactabitur et victima pro delicto : sanguis ejus per gyrum fundetur altaris. Offerent ex ea caudam et adipem, qui operit vitalia. Duos renunculos, et pinguedinem quæ juxta ilia est, reticulumque jecoris cum renunculis. Et adolebit ea sacerdos super altare : incensum est Domini pro delicto. Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus, quia sancta[*Vulg.* sanctum] sanctorum est. Sicut pro peccato offertur hostia, ita et pro delicto : utriusque hostiæ lex una erit ; ad sacerdotem, quia eam obtulerit, pertinebit. Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus. Et omne sacrificium similæ, quod coquitur in clibano, quidquid et in craticula vel in sartagine præparatur, ejus erit sacerdotis a quo offertur : (h. et) sive oleo conspersa, sive arida fuerit, cunctis filiis Aaron mensura æqua per singulos dividetur. Hæc est lex hostiæ pacificorum quæ offertur Domino. Si pro gratiarum actione fuerit oblatio, offerent panes absque fermento conspersos oleo, et lagana azyma uncta oleo, coctamque similam, et collyridas olei admistione conspersas : panes quoque fermentatos, cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis : ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, et erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem. Cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane. Si voto vel sponte quisquam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die : sed et si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est : quidquid autem tertius invenerit dies, ignis absumet. (C. VIII.) Et si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti : quin potius quæcunque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit. Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni : qui fuerit mundus, vescetur ea. Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel jumenti, sive omnis rei quæ polluere potest, et comederit de hujuscemodi carnibus, interibit de populis suis. Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere filiis Israel : Adipem ovis, et bovis, et capræ, non comedetis Adipem cadaveris morticini, et ejus animalis quod a bestia captum est, habebitis in usus varios. Si quis adipem, qui offerri debet in incensum (h. Si quis adipem animalium quæ *offerri debent* in sacrificium) Domini, comederit, peribit de populo suo. Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus (h. non sumetis *in cibo, in cunctis habitaculis vestris*). Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis. (C. IX) Locutusque est Dominus an Mosen, dicens : Loquere filiis Israel (*Vulg add.* dicens) : Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul et sacrificium, id est, et libamenta ejus. Tenebit manibus adipem hostiæ, et pectusculum : cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet sacerdoti, qui adolebit adipem super altare, pectusculum autem erit Aaron et filiorum ejus. Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias sacerdotis. Qui obtulerit sanguinem et adipem, filiorum Aaron, ipse habebit armum dextrum in portione sua. Pectusculum enim elevationis et armum separationis tuli a filiis Israel de hostiis eorum pacificis, et dedi Aaron sacerdoti ac filiis ejus, lege perpetua, ab omni populo Israel. (T. V, B. IV.) Hæc est unctio Aron et filiorum ejus in cæremoniis Domini, die qua obtulit eos Moses, ut sacerdotio fungerentur, et quæ præcepit dari eis Dominus a filiis Israel religione perpetua in generationibus suis. Ista lex holocausti et sacrificii pro peccato atque delicto, et pro consecratione et pacificorum victimis ; quas (*Vulg.* quam) constituit Dominus Mosi in monte Sinai, quando mandavit filiis Israel ut offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai.

(C. X, *Cap.* VIII.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Tolle Aaron cum filiis suis vestes eorum, et unctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, et canistrum cum azymis, et congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi. (C. XI.) Fecit Moses ut Dominus imperaverat. Congregataque omni turba ante fores tabernaculi, ait : Iste est sermo, quem jussit Dominus fieri. Statimque obtulit Aaron et filios ejus. Cumque lavisset eos, vestivit pontificem subucula linea, accingens eum balteo, et induens (*Vulg. add.* eum) tunica hyacinthyna, et desuper humerale imposuit, quod astringens cingulo, aptavit rationali, in quo erat Doctrina et Veritas. Cidari quoque texit caput : et super eam contra frontem, posuit laminam auream consecratam in sanctificatione, sicut præceperat ei Dominus. Tulit et unctionis oleum, quo linivit tabernaculum

cum omni supellectili sua. Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, unxit illud, et omnia vasa ejus, labrumque cum basi (h. fistula) sua sanctificavit oleo. Quod fundens super caput Aaron, unxit eum et consecravit; filios quoque ejus oblatos vestivit tunicis lineis, et cinxit balteo (*Vulg.* balteis), imposuitque mitras, ut jusserat Dominus. Obtulit et vitulum pro peccato. Cumque super caput ejus imposuisset Aaron, et filii ejus manus suas, immolavit eum, hauriens sanguinem, et tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum. Quo expiato et sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta ejus. Adipem autem qui erat super vitalia, et reticum jecoris, duosque renunculos cum arvinulis suis, adolevit super altare: vitulum cum pelle, carnibus, et fimo, cremans extra castra, sicut præceperat Dominus. Obtulit et arietem in holocaustum, super cujus caput cum imposuissent Aaron et filii ejus manus suas, immolavit eum, et fudit sanguinem ejus super altare per circuitum (*Vulg.* per circuitum altaris). Ipsumque arietem in frusta concidens, caput ejus, et artus, et adipem adolevit igni, lotis prius intestinis et pedibus, totumque simul arietem incendit super altare, eo quod esset holocaustum suavissimi odoris Domino, sicut præceperat ei. Obtulit et arietem secundum, in consecratione sacerdotum, possueruntque super caput illius Aaron et filii ejus manus suas. Quem cum immolasset Moses, sumens de sanguine, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, et pollicem manus ejus dextræ, similiter et pedis. Obtulit et filios Aaron. Cumque de sanguine arietis immolati teligisset extremum auriculæ singulorum dextræ, et pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit super altare per circuitum: adipem vero, et caudam, omnemque pinguedinem quæ operit intestina reticulumque jecoris, et duos renes cum adipibus suis et armo dextro separavit. Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento, et collyridam conspersam oleo, laganumque posuit super adipes et armum dextrum, tradens simul omnia Aaron et filiis ejus. Qui postquam levaverunt ea coram Domino [1], rursum suscepta de manibus eorum, adolevit super altare holocausti, eo quod consecrationis esset oblatio, in odorem suavitatis sacrificii Domino. Tulit et pectusculum, elevans illud coram Domino, de ariete consecrationis in partem suam (h. in partem suam Moses), sicut præceperat ei Dominus. Assumensque unguentum et sanguinem qui erat super altare (*Vulg.* altari), aspersit super Aaron et vestimenta ejus, et super filios illius ac vestes eorum. Cumque sanctificasset eos in vestitu suo (h. Cumque sanctificassset eos et vestes eorum), præcepit eis, dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi (h. tabernaculi testimonii), et ibi comedetis eas. Panes quoque consecrationis edite qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus, dicens: Aaron et filii ejus comedent eos: quidquid autem reliquum fuerit de carne et panibus, ignis absumet. De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ. Septem enim diebus finitur consecratio: sicut et impræsentiarum factum est, ut ritus sacrificii compleatur (*Vulg.* compleretur). Die ac nocte manebitis in tabernaculo observantes custodias Domini, ne moriamini: sic enim mihi præceptum est. Feceruntque Aaron et filii ejus cuncta quæ locutus est Dominus per manum Mosi.

(*Cap.* IX.) Facto autem octavo die, vocavit Moses Aaron et filios ejus, ac majores natu Israel, dixitque ad Aaron: Tolle de armento vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum, utrumque immaculatum, et offer illos coram Domino. Et ad filios Israel loqueris: Tollite hircum pro peccato, et vitulum atque agnum anniculos, et sine macula, in holocaustum, bovem et arietem pro pacificis; et immolate eos coram Domino, in sacrificio singulorum similam oleo conspersam offerentes. Hodie enim Dominus apparebit vobis. Tulerunt ergo cuncta quæ jusserat Moses ad ostium tabernaculi, ubi cum omnis astaret multitudo, ait Moses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: facite, et apparebit vobis gloria ejus. Dixitque ad Aaron: Accede ad altare, et immola pro peccato tuo: offer holocaustum, et deprecare pro te et pro populo. Cumque mactaveris hostiam populi, ora pro eo, sicut præcepit Dominus. Statimque Aaron accedens ad altare, immmolavit vitulum pro peccato suo; cujus sanguinem obtulerunt ei filii sui; in quo tingens digitum, tetigit cornua altaris, et fudit residuum ad basim ejus. Adipemque et renunculos ac reticulum jecoris, quæ sunt pro peccato, adolevit super altare, sicut præceperat Dominus Mosi; carnes vero et pellem ejus extra castra combussit igni. Immolavit et holocausti victimam, obtuleruntque ei filii sui sanguinem ejus, quem fudit per altaris circuitum. Ipsam etiam hostiam in frusta concisam, cum capite et membris singulis obtulerunt. Quæ omnia super altare *cremavit igni* (h. non habet), lotis prius aqua intestinis et pedibus. Et pro peccato populi offerens mactavit hircum: expiatoque altari (h. quo loto atque oblato), fecit holocaustum, addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, et adolens ea super altare, absque cæremoniis holocausti matutini. Immolavit et bovem atque arietem, hostias pacificas populi; obtuleruntque ei filii sui sanguinem, quem fudit

[1] Non incongruo sensu habent hic canon, et S. Germani ms. codex, num. 3, *postquam libaverunt ea coram Domino*, MART.

— Quidam pones Martian. ms., *libaverunt*, pro *levaverunt*, satis absurde, quidquid ipsi videatur, neque enim degustare Hebræis licebat quæ offerrent. Latinorum is est librariorum solemnis error, qui litteras I pro E, et B pro V, ex vulgi pronuntiatione substitunt.

super altare in circuitu. Adipes autem bovis, et caudam arietis (h. Adipem autem bovis et arietis, et caudam arietis) renunculosque cum adipibus suis, et reticulum jecoris posuerunt super pectora. Cumque cremati essent adipes in altari, pectora eorum, et armos dextros separavit Aaron, elevans coram Domino, sicut præceperat Moses. Et tendens manum contra populum [1], benedixit ei. Sicque completis hostiis pro peccato, et holocaustis, et pacificis, descendit. Ingressi autem et Moses et Aaron tabernaculum testimonii, et deinceps egressi, benedixerunt populo. (B. V.) Apparuitque gloria Domini omni multitudini, et ecce egressus ignis a Domino, devoravit holocaustum, et adipes qui erant super altare. Quod cum vidissent turbæ, laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas.

(C. XII. *Cap.* X.) Arreptisque Nadab et Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, et mortui sunt coram Domino. Dixit Moses ad Aaron: Hoc est quod locutus estDominus :Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron. Vocatis autem Moses Misaele et Elsaphan, filii Oziel, patrui Aaron, ait ad eos: Ite et tollite fratres vestros de conspectu sanctuarii, et asportate extra castra. Confestimque pergentes, tulerunt eos sicut jacebant, vestitos lineis tunicis, et ejecerunt foras (h. confestimque pergentes tulerunt eos in tunicis suis, et ejecerunt foras), ut sibi fuerat imperatum. Et dixit Moses ad Aaron et ad Eleazar, atque Ithamar, filios ejus, Capita vestra nolite nudare, et vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini, et super omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres quoque vestri, omnis domus Israel, plangant incendium quod Dominus suscitavit: vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis: oleum quippe sanctæ unctionis est super vos. Qui fecerunt omnia juxta præceptum Mosi. (T. VI. C. XIII.) Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intretis in tabernaculum testimonii, ne morianimi; *quia* (h. non habet) præceptum sempiternum est in generationes vestras. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea quæ locutus est Dominus ad eos per manum Mosi. (C. XIV.) Locutusque est Moses ad Aaron, et ad Eleazar, et Ithamar filios ejus qui residui erant: Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, et comedite illud absque fermento juxta altare, quia sanctum sanctorum est. Comedetis autem in loco sancto, quod datum est tibi et filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi. Pectusculum quoque quod oblatum est, et armum qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu et filii tui, ac filiæ tuæ tecum. Tibi enim ac liberis tuis reposita sunt de hostiis salutaribus filiorum Israel: eo quod armum et pectus, et adipes qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino, et pertineant ad te, et ad filios tuos, lege perpetua, sicut præcepit Dominus. Inter hæc hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moses, exustum reperit, iratusque contra Eleazar et Ithamar, filios Aaron, qui remanserant, ait: Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ sancta sanctorum est, et data vobis ut portetis iniquitatem multitudinis, et rogetis pro ea in conspectu Domini, præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta, et comedere eam debueritus in sanctuario, sicut præceptum est mihi? Respondit Aaron: Oblata est hodie victima pro peccato, et holocaustum coram Domino: mihi autem accidit, quod vides. Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis, mente lugubri? Quod cum audisset Moses, recepit satisfactionem.

(B. VI, C. XV, *Cap.* XI.) Locutus est Dominus ad Mosen et Aaron dicens: Dicite filiis Israel: Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus (h. quadrupedibus) terræ: Omne quod habet divisam ungulam, et ruminat in pecoribus, comedetis. Quidquid autem ruminat quidem, et habet ungulam, sed non dividit eam, sicut camelus et cætera, non comedetis illud, et inter immunda reputabitis. Chœrogryllius qui ruminat, ungulamque non dividit, immundus est: lepus quoque, nam et ipse ruminat, sed ungulam non dividit. Et sus, qui cum ungulam dividat, non ruminat. Horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis, quia immunda vobis. (C. XVI.) Hæc sunt etiam quæ gignuntur in aquis, et vesci licitum est. Omne quod habet pinnulas et squamas, tam in mari quam in fluminibus et stagnis (h. non habet, et stagnis), comedetis. Quidquid autem pinnulas et squamas non habet eorum, quæ in aquis moventur et vivunt, abominabile vobis et exsecrandum erit, carnes eorum non comedetis, et morticina vitabitis. Cuncta quæ non habent pinnulas et squamas in aquis, polluta erunt. (C. XVII.) Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis, et vitanda sunt vobis: aquilam et gryphem, et haliæetum, milvum ac vulturem juxta genus suum, et omne corvini generis in similitudinem suam, strutionem, [et noctuam, et larum, et accipitrem juxta genus suum: bubonem, et mergulum, et ibin, cygnum, et onocrotalum, et porphyrionem, herodionem et charadrion juxta

[1] Diversæ occurrunt voculæ hoc loco in Hebræo et Samaritano textu. Hebræus legit אל העם, *el haam*, id est *ad populum*: Samaritanus על חעם, *al haam*, *super* vel *contra populum*. MART. — Urbinas et Palatin. mss.. *extendens*: tum ille paulo pressius Hebræo, *ad populum*, אל העם, et *benedixit ei*, pro *eis*.

[2] Nostri ms., *Et omnis*, etc.

genus suum, upupam quoque, et vespertilionem. (C. XVIII.) Omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis. Quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quæ salit superterram, comedere debetis, ut est bruchus in genere suo, et attacus atque ophiomachus, ac locusta, singula juxta genus suum. Quidquid autem ex volucribus quatuor tantum habet pedes, exsecrabile erit vobis, et quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, et erit immundus usque ad vesperum, et si necesse fuerit ut portet quippiam horum (h. et qui portaverit quippiam horum) mortuum, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad occasum solis. Omne animal quod habet quidem ungulam, sed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit, et qui tetigerit illud, contaminabitur. Quod ambulat super manus, ex cunctis animantibus, quæ incendunt quadrupedia, immundum erit: qui tetigerit morticina eorum, polluetur usque ad vesperum. Et qui portaverit hujuscemodi cadavera, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum, quia omnia hæc immunda sunt vobis. Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his quæ moventur in terra, mustela et mus et crocoditus, singula juxta genus suum, mygale, et chamælcon, et stellio, et lacerta, et talpa, omnia hæc immunda sunt; qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad vesperum, et super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur, tam vas ligneum et vestimentum, quam pelles et cilicia, et in quocunque fit opus intingentur aqua, et polluta erunt usque ad vesperum, et sic postea mundabuntur. Vas autem fictile, in quod horum quidquam intro ceciderit, polluetur, et idcirco frangendum est. Omnis cibus quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit: et omne liquens quod bibitur de universo vaso, immundum erit. Et quidquid de morticinis istiusmodi ceciderit super illud, immundum erit, sive clibani, sive chytropodes, destruentur et immundi erunt. Fontes vero et cisternæ, et omnis aquarum congregatio munda erit. Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur. Si ceciderint super sementem, non polluent eam. Si autem quispiam aqua sementem perfuderit, et postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur. Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit usque ad vesperum, et qui comederit ex eo quidpiam, sive portaverit, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum. (C. XIX.) Omne quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum. Quidquid super pectus quadrupes graditur, et multos habet pedes, sive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est. Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis. Ego enim sum Dominus Deus vester: sancti estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili, quod movetur super teram. Ego enim sum Dominus qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Ista est lex animantium ac volucrum, et omnis animæ viventis, quæ movetur in aqua, et reptat in terra, ut differentias noveritis mundi et immundi, et sciatis quid comedere et quid respuere debeatis.

(B. VII, C. XX, *Cap.* XII.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Mulier, si suscepto semine (h. fuso semine) pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ. Et die octavo circumcidetur infantulus: ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis ejus (C. XXI). Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menstrui, et sexaginta ac sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Cumque expleti fuerint dies purificationis ejus, pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ, sive turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, et rogabit pro ea, et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum aut feminam. Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbæ, unum in holocaustum, et alterum pro peccato. Orabitque pro ea sacerdos, et sic mundabitur.

(B. VII, C. XXII, *Cap.* XIII.) Locutusque est Dominus ad Mosen et Aaron, dicens: Homo, in cujus cute et carne ortus fuerit diversus color sive pustula, aut quasi lucens quidpiam, id est plaga, lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus. Qui cum viderit lepram in cute, et pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute et carne reliqua, plaga lepræ est, ad arbitrium ejus separabitur. Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, et pili coloris pristini, recludet eum sacerdos septem diebus, et considerabit die septimo: et siquidem lepra ultra non creverit, nec transierint in cute priores terminos, rursum includet (*Vulg.* reclaudet) eum septem diebus aliis. Et die septimo contemplabitur; si obscurior fuerit lepra, et non creverit mundabit eum, mundabit quia scabies est; lavabitque homo vestimenta sua, et mundus erit. Quod si postquam a sacerdote visus est, et redditus munditiæ, iterum lepra creverit, adducetur ad eum, et immunditiæ condemnabitur. Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem, et videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, et capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit: lepra vetustissima judicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos, et non recludet, quia perspicuæ immun-

ditiæ est [1]. Si autem efflorverit discurrens lepra in cute, et operuerit omnem cutem a capite usque ad pedes : quidquid sub aspectum oculorum cadit, considerabit eum sacerdos (h. sub aspectu oculorum sacerdotis), et teneri lepra mundissima judicabit : eo quod omnis in candorem versa sit, et idcirco homo mundus erit. Quando vero caro vivens in eo apparuerit, tunc sacerdotis judicio polluetur, et inter immudos reputabitur. Caro enim viva si lepra aspergatur, immunda est. Quod si rursum versa fuerit in alborem, et totum hominem operuerit, considerabit eum sacerdos, et mundum esse decernet. Caro et cutis, in qua ulcus natum est et sanatum, et in loco ulceris cicatrix apparuerit alba, sive subrufa, adducetur homo ad sacerdotem : qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, et pilos versos in candorem, contaminabit eum, plaga enim lepræ orta est in ulcere. Quod si pitus coloris est pristini, et cicatrix subobscura, et vicina carne non est humilior, recludet eum septem diebus. Et siquidem creverit, adjudicabit eum lepræ. Sin autem steterit in loco suo, ulceris est cicatrix, et homo mundus erit. Caro et cutis, quam ignis exusserit, et sanata albam sive rufam habuerit cicatricem, considerabit eam sacerdos, et ecce versa est in alborem (h. et ecce pilus versus est in alborem), et locus ejus reliqua cute humilior : contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est. Quod si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, et ipsa lepræ species fuerit subobscura, recludet eum septem diebus, et die septimo contemplabitur : si creverit in cute lepra, contaminabit eum. Sin autem in loco suo candor steterit non satis clarus, plaga combustionis est, et idcirco mundabitur, quia cicatrix est combusturæ. Vir, sive mulier, in cujus capite, vel barba germinaverit lepra, videbit eos sacerdos. Et siquidem humilio fuerit locus carne reliqua, et capillus flavus solitoque subtilior, contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ est. Sin autem viderit locum maculæ aqualem vicinæ carni, et capillum nigrum, recludet eum septem diebus, et die septimo intuebitur. Si non creverit macula, et capillus sui coloris est, et locus plagæ carni reliquæ æqualis, radetur homo absque loco maculæ, et includetur septem diebus aliis. Si die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum, lotisque vestibus suis, mundus erit. Sin autem post emundationem rursus creverit macula in cute, non quæret amplius utrum capillus in flavum colorem sit commutatus, quia aperte immundus est. Porro si steterit macula, et capilli nigri fuerint, noverit hominem esse sanatum, et confidenter eum pronuntiet mundum. Vir, sive mulier, in cujus cute candor apparuerit, intuebitur eos sacerdos. Si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute, sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, et hominem mundum. Vir, de cujus capite capilli fluunt, calvus ac mundus est ; et si a fronte ceciderunt pili, recalvaster et mundus est. Si autem in calvitio sive in recalvatione albus vel rufus color fuerit exortus, et hoc sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubie lepræ, quæ orta est in calvitio. Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, et separatus ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta dissuta (h. scissa), caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit (h. contaminatum ac sordidum eum clamabit). Omni tempore quo leprosus est immundus, solus habitabit extra castra. Vestis lanea, sive linea, quæ lepram habuerit in stamine atque subtegmine, aut certe pellis, vel quidquid ex pelle confectum est, si alba vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, ostendeturque sacerdoti. Qui consideratam recludet septem diebus, et die septimo rursus aspiciens si crevisse deprehenderit, lepra perseverans est : pollutum judicabit vestimentum, et omne in quo fuerit inventa : et idcirco comburetur flammis. Quod si eam viderit non crevisse, præcipiet, et lavabunt id in quo lepra est, recludetque illud septem diebus aliis. Et cum viderit faciem quidem pristinam non reversam, nec tamen crevisse lepram, immundum judicabit, et igne comburet, eo quod infusa sit in superficie vestimenti, vel per totum, lepra. Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, postquam vestis est lota, abrumpet eum, et a solido dividet. Quod si ultra apparuerit in his locis quæ prius immaculata erant, lepra volatilis et vaga, debet igne comburi. Si cessaverit, lavabit ea quæ [1] pura sunt, secundo, et munda erunt. Ista est lex lepræ vestimenti lanei et linei staminis, atque subtegminis, omnisque supellectilis, pelliciæ quomodo mundari debeat vel contaminari.

(C. XXIII, *Cap.* XIV). Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Hic est ritus leprosi, quando mundandus est : Adducetur ad sacerdotem, qui egressus extra castra, cum invenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificatur, ut offerat pro se duos passeres vivos, quibus vesci licitum est, et lignum cedrinum, vermiculumque et hyssopum. Et unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes : alium autem vivum cum ligno cedrino, et cocco et hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum, qui mundandus est, septies, ut jure purgetur, et dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet. Cumque laverit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, et lavabitur aqua : purificatusque ingredietur castra, ita duntaxat ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus, et in die septimo radat capil-

[1] Legi etiam hic potest, ut in canone et aliquot mss. libris, *quia perspicue immunditia est*. Mart. Unus Palatin. *codemnabit* : et paulo post cum Urbinate, atque aliis apud Martian., *Quia perspicue immunditiæ est.*

[1] Videtur ex vocibus *ea quæ* nonnemo scripsisse *aqua*, ex quo factum, ut utrumque simul præferant vulgati libri.

los capitis, barbamque et supercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus et corpore, die octavo assumet duos agnos immaculatos, et ovem anniculam absque macula, et tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, et seorsum olei sextarium. Cumque sacerdos purificans hominem, statuerit eum et hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonii, tollet agnum, offeret eum pro delicto, oleique sextarium. Et oblatis ante Dominum omnibus, immolabit agnum, ubi immolari solet hostia pro peccato, et holocaustum, id est, in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita et pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia : sancta sanctorum est. Assumensque sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ ejus, qui mundatur, et super pollices manus dextræ et pedis, et de olei sextario mittet in manum suam sinistram, tingetque digitum dextrum in eo, et asperget septies contra Dominum [*Vulg.* coram Domino]. Quod autem reliquum est olei in læva manu, fundet super extremum auriculæ dextræ ejus, qui mundatur, et super pollices manus ac pedis dextri, et super sanguinem qui fusus est pro delicto, et super caput ejus. Rogabitque pro eo coram Domino, et faciet sacrificium pro peccato. Tunc immolabit holocaustum, et ponet illud in altari cum libamentis suis, et homo rite mundabitur. Quod si pauper est, et non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt, sumet agnum pro delicto ad oblationem ut roget pro eo sacerdos, decimamque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium, et olei sextarium, duosque turtures, sive duos pullos columbæ, quorum sit unus pro peccato, et alter in holocaustum : offeretque ea die octavo purificationis suæ sacerdoti, ad ostium tabernaculi testimonii coram domino. Qui suscipiens agnum pro delicto et sextarium olei, lavabit simul ; immolatoque agno, de sanguine ejus ponet super extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, et super pollices manus ejus ac pedis dextri : olei vero partem mittet in manum suam sinistram, in quo tingens digitum dextræ manus asperget septies coram Domino : tangetque extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur, et pollices manus ac pedis dextri, in loco sanguinis qui effusus est pro delicto : reliquam autem partem olei, quæ est in sinistra manu, mittet super caput purificati, ut placet pro eo Dominum : et turturem sive pullum columbæ offeret, unum pro delicto, et alterum in holocaustum cum libamentis suis. Hoc est sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem sui [C. XXIV.] Locutusque est Dominus ad Mosen et Aaron, dicens : Cum ingressi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cujus est domus, nuntians sacerdoti, et dicet : Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea. At ille præcipiet, ut efferant universa de domo, priusquam ingrediatur eam, et videat utrum lepra [*Vulg.* leprosa] sit, ne immunda fiant omnia quæ in domo sunt. Intrabitque postea, ut consideret domus lepram : et cum viderit in parietibus illius quasi valliculas pallore sive rubore deformes, et humiliores superficie reliqua, egredietur ostium domus, et statim claudet eam septem diebus. Reversusque die septimo, considerabit eam. Si invenerit crevisse lepram, jubebit erui lapides in quibus lepra est, et projici eos extra civitatem in locum immundum : domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, et spargi pulverem rasuræ extra urbem in locum immundum, lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerint, et luto alio liniri domum. Sin autem postquam eruti sunt lapides, et pulvis erasus, et alia terra lita, ingressus sacerdos viderit reversam lepram, et parietes aspersos [*Vulg.* respersos] maculis, lepra est perseverans, et immunda domus : quam statim destruent, et lapides ejus ac ligna, atque universum pulverem projicient extra oppidum in locum immundum. Qui intraverit domum quando clausa est, immundus erit usque ad vesperum : et qui dormierit in ea, et comederit quippiam, lavabit vestimenta sua. Quod si introierit sacerdos, et viderit lepram non crevisse in domo, postquam denuo lita fuerit, purificabit eam, reddita sanitate, et in purificationem ejus sumet duos passeres, lignumque cedrinum, et vermiculum atque hyssopum, et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas, tollet lignum cedrinum, et hyssopum, et coccum, et passerem vivum, et tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, et asperget domum septies, purificabitque eam in sanguine passeris quam in aquis viventibus, et in passere vivo, lignoque cedrino et hyssopo atque vermiculo. Cumque dimiserit passerem avolare in agrum libere, orabit pro domo, et jure mundabitur. Ista est lex omnis lepræ et percussuræ, lepræ vestium, et domorum, cicatricis et erumpentium papularum, lucentis maculæ, et in varias species coloribus immutatis, ut possit sciri quo tempore mundum quid vel immundum sit.

[T. VIII, B. VIII, C. XXV, *Cap.* XV.] Locutusque est Dominus ad Mosen et Aaron, dicens : Loquimini filiis Israel, et dicite eis : Vir, qui patitur fluxum seminis, immundus erit. Et tunc judicabitur huic vitio subjacere, cum per momenta singula adhæserit carni illius, atque concreverit fœdus humor. Omne stratum, in quo dormierit, immundum erit, et ubicunque sederit. Et si quis hominum tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. Si sederit ubi ille sederat, et ipse lavabit vestimenta sua, et lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. Qui tetigerit carnem ejus lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua immundus erit usque ad vesperum. Si salivam hujuscemodi homo jecerit super eum, qui mundus est, lavabit vestimenta sua, et lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. Sagma super quod sederit, immundum

erit, et quidquid sub eo fuerit qui fluxum seminis patitur, pollutum erit usque ad vesperum. Qui portaverit horum aliquid, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. Omnis quem tetigerit qui talis est, non lotis ante manibus, lavabit vestimenta sua, et lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. Vas fictile quod tetigerit, confringetur [h. fluxum seminis patiens, confringetur]: vas autem lignum lavacitur aqua. Si sanatus fuerit qui hujuscemodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui, et lotis vestibus ac toto corpore in aquis viventibus; erit mundus. Die autem octavo sumet duos tortures, aut duos pullos columbæ, et veniet in conspectum Domini ad ostium tabernaculi testimonii, dabitque eos sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, et alterum in holocaustum : rogabitquo pro eo coram Domino, ut emundetur a fluxu seminis sui. Vir, de quo egreditur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum : et immundus erit usque ad vesperum. Vestem et pellem, quam habuerit, lavabit aqua, et immunda erit usque ad vesperum. Mulier cum qua coierit lavabitur aqua, et immunda erit usque ad vesperum. [C. XXVI.] Mulier quæ, redeunte mense, patitur fluxum sanguinis [h. Mulier quæ patitur fluxum sanguinis], septem diebus separabitur, Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperum : et in quo dormierit, vel sederit diebus separationis suæ, polluetur. Qui tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua : et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. Omne vas, super quod illa sederit, quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua: et [*Vulg. add.* ipse] lotus aqua, pollutus erit usque ad vesperum. Si coierit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus : et omne stratum, in quo dormierit, polluetur. Mulier, quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quandiu huic subjacet passioni, immunda erit quasi sit in tempore menstruo. Omne stratum in quo dormierit, et vas in quo sederit, pollutum erit. Quicunque tetigerit ea, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. Si steterit sanguis, et fluere cessaverit, numerabit septem dies purificationis suæ ; et octavo die offeret pro se sacerdoti duos turtures vel duos pullos columbæ ad ostium tabernaculi testimonii : qui unum faciet pro peccato, et alterum in holocaustum, rogabitque pro ea coram Domino, et pro fluxu immunditiæ ejus. Docebitis ergo filios Israel, ut caveant immunditiam, et non moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum, quod est inter eos. Ista est lex ejus, qui patitur fluxum seminis, et qui polluitur coitu, et quæ menstruis temporibus separatur, vel quæ jugi fluit sanguine, et hominis qui dormierit cum ea.

[T. IX, B. IX, C. XXXVII, *Cap.* XVI.] Locutusque est Dominus ad Mosen post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti sunt, et præcepit ei, dicens : Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est in velum coram propitiatorio, quo tegitur arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum), nisi hæc ante fecerit. Vitulum offeret pro peccato, et arietem in holocaustum. Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit : accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti : hæc enim vestimenta sunt sancta : quibus : cunctis, cum lotus fuerit, induetur. Suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se et pro domo sua, duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii[1] : mittens super utrumque sortes ; sortem unam Domino, et alteram [h. et alteram crudeli Dei] capro emissario[2], cujus sors exierit Domino, offeret illum pro peccato : cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eum, et emittat illum in solitudinem [h. Lazazel in solitudinem]. His rite celebratis, offeret vitulum, et rogans pro se et pro domo sua, immolabit eum. Assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, et hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in sancta : ut positis[3] super ignem aromatibus coram Domino, nebula eorum et vapor operiat [*ms.* operiet] oraculum, quod est super testimonium, et non moriatur. Tollet quoque de sanguine vituli, et asperget digito septies[4] [h. Tollet

[1] Vetustissimæ quædam membranæ, quæ ex deperdito Veronensi ms. superant, quibuscum hoc et subsequens capitulum, tum alia inferius nonnulla contulimus, hic præferant *in ostia*.

[2] Nomen hic expositum posuit Scholiastes, cum in Hebræo sit לעזאזל, Iaazael, id est *azazeli* : Azazel autem infra, v. 26, ab eodem Scholiaste nostro interpretatur iterum *crudelis Dei*, quir putat *azazel* esse vocem compositam ex אזז, *azar* et אל, *el*, ut עזאזל *azazel* legatur pro עזאזל, *azazel*, quod proprie sonat, *asperum*, *sævum*, sive *crudelem Dei*. Idem sensisse videtur Syrus interpres, qui hic habet רעזזאיל, *lazozoiel*, id est *fortissimo Deo*, vel *crudeli Dei* juxta adnotationem marginalem. Hanc vocis, *azazel*, originationem probat similiter R. Saadias Gaon; sed eam alii doctores Hebræorum rejiciunt, qui litterarum ordine servato, verbum עזאזל, *azazel* conflatum esse dicunt ex עז, *ez caper*, et אזל. *azal*, *abiit* : quo sensu hanc vocem accipiunt tum Græci, tum Latini, quotquot volunt *azazel* fuisse nomen hirci in desertum emissi. At de *hirco emissario* vide plura apud eruditum Bochartum lib. II de Animal. Scripturæ cap. 54. MART.

— Palatin. atque Urbinas mss., *super utrumque sortem unam*, etc. Quod pro *capro emissario* Scholiaste vertit *crudeli Dei*. Hebrææ vocis לעזאזל *laazazel* expositio est. Adito hujus loci interpretes.

[3] Veronenses membranæ, *et positis*. Mox in codic. Urbin. verba *coram domino desiderantur*.

[4] Palat. ms. hic quoque interserit *coram Domino*.

quoque de sanguine vituli, et asperget super propitiatorium ad Orientem, et coram propitiatorio asperget septies) contra propitiatorium ad Orientem. Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferret sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat e regione oraculi (h. ut aspergat eo super propitiatorium et coram propitiatorio), et expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, et prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. Juxta hunc ritum faciet tabernaculo [1] testimonii, quod fixum est inter eos in medio sordium habitationis eorum. Nullus hominum sit in tabernaculo testimonii [2], quando pontifex ingreditur in sanctuarium, ut roget pro se et pro domo sua, et pro universo cœtu Israel, donec egrediatur. Cum autem exierit ad altare, quod coram Domino est, oret pro se [3], et sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua ejus per gyrum : aspergatque digito septies, et purificet et sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel. Postquam emundaverit sanctuarium, et tabernaculum, et altare, tunc offerat hircum viventem, et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum, in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, et dimissus fuerit in deserto, revertetur Aaron in tabernaculum testimonii, et depositis vestibus quibus prius indutus erat cum intraret sanctuarium, relictisque ibi lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestimenti suis. Et postquam egressus obtulerit holocaustum uum ac plebis, rogabit tam pro se quam pro populo: et adipem, qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare. Ille vero qui dimiserit caprum emissarium (in Latino habet, emissarius: in Hebræo habet, ad Azazel quod interpetatur crudelis), lavabit vestimenta sua et corpus aqua, et sic ingredietur in castra. Vitulum autem et hircum, qui pro peccato fuerant immolati, et quorum sanguis illatus est, ut in sanctuario expiatio compleretur, asportabunt foras castra, et comburent igni tam pelles quam carnes eorum et fimum : et quicunque combusserit ea, lavabit vestimenta sua et carnem aqua, et sic ingredietur in castra. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum. (C. XXVIII. Mense septimo, decima die mensis, affligetis animas vestras nullumque facietis opus, sive indigena, sive advena, qui peregrinatur inter vos. In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris coram Domino [5] mundabimini. Sabbatum enim requietionis est, et affligetis animas vestras religione perpetua. Expiabit autem sacerdos, qui unctus fuerit, et cujus initiatæ manus, ut sacerdotio fungatur pro patre suo : indueturque stola linea et vestibus sanctis, et expiabit sanctuarium et tabernaculum testimonii atque altare, sacerdotes quoque et universum populum. Eritque hoc vobis legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israel, et pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur sicut præceperat Dominus Mosi.

(T. X, C. XXIX, *Cap.* XVII.) Et locutus est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere Aaron et filiis ejus, et cunctis filiis Israel, et dices ad eos: Iste est sermo, quem mandavit Dominus, dicens : Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bovem, aut ovem, sive capram, in castris, vel extra castra, et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit: quasi sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui. Ideo offerre debent sacerdoti filii Israel hostias suas, quas occidunt in agro, ut sanctificentur Domino [6] ante ostium tabernaculi testimonii, et immolent eas hostias pacificas Domino. Fundetque sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tabernaculi testimonii, et adolebit adipem in odorem suavitatis Domino: et nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt. Legitimum sempiternum erit illis et posteris eorum. Et ad ipsos dices : Homo de domo Israel et de advenis qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum sive victimam, et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo. (C. XXX.) Homo quilibet de domo Israel et de advenis qui peregrinantur inter vos [7], si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam eam de populo suo, quia anima carnis in sanguine est: et ergo dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animæ piaculo sit. Idcirco dixi filiis Israel:

[1] Urbinas ms., *in tabernaculo*, haud bene : sed mox temere magis Veronenses membranæ *sortium* pro *sordium*, contra sacri textus fidem obtrudunt.

[2] Vocem *testimonii* hic reticent nostri mss. vulgatique libri, quæ tamen in Hebræo est מועד.

[3] Illic quoque addit Palatin., *et pro domo sua*, contra Hebræi textus fidem. Tum. Veronenses membranæ, *et sumpto sanguine vituli*, etc., *aspergetque digito septies, et expiet, et sanctificat.* Palatin. ms. *aspergensque... expiet* et *sanctificetur*. Urbinas postremo hoc uno verbo abludit, *sanctificet.*

[4] Perperam Palatin. ms. *Sanguis oblatus est.* Vulgatus interpres, *illatus est in sanctuarium, ut expiatio compleretur*, etc.

[5] Tacet Urbinas ms. verba *coram Domino.*

[6] Codex ms. sancti Germani. num. 3, *ut sacrificent Domino*, etc. In Hebræo legimus והביאם. *vehebium, et adducant ea.* Sensus est, adducant filii Israel victimas suas ad ostium tabernaculi, ut ibi *sanctificentur Domino*, sive *offerantur* per manus sacerdotum. MART.

[7] Ita canon et ms. alter S. Germani : cæteri habent ut in editis, *inter eos.* Utraque lectio suos habet astipulatores: LXX, Chald. et Syr. legebant in suis exemplaribus Hebraicis בתוככם, *bethochechem in medio vestri.* Alii legunt hodie juxta exemplar Massoretharum בתוכם *bethocam, in medio eorum.* MART.

— Palatin. ms. pluresque alii apud Martian. *inter eos*, juxta Hebr. בתוכם *in medio eorum.*

Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem, nec ex advenis qui peregrinantur inter vos. Homo quicunque de filiis Israel et de advenis qui peregrinantur apud vos, si venatione atque aucupio ceperit feram vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, et operiat illum terra (h. pulvere). Anima enim omnis carnis in sanguine est: unde dixi filiis Israel: Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est: et quicunque comederit illum, interibit. (C.XXXI.) Anima quæ comederit morticinum, vel captum a bestia tam de indigenis, quam de advenis, lavabit vestimenta sua et semetipsum aqua et contaminatus erit usque ad vesperum: et hoc ordine mundus fiet. Quod si non laverit vestimenta sua, nec corpus portabit iniquitatem suam.

(B. X, C. XXXII, *Cap.* XVIII.) Locutus est Dominus ad Mosen, dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Ego Dominus Deus vester, juxta consuetudinem [h. opera) terræ Ægypti, in qua habitatis; non facietis et juxta morem (h. opera) regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. Facietis judicia mea, et præcepta mea servabitis, et ambulabitis in eis [h. ut ambuletis in his). Ego Dominus Deus vester. Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. Ego Dominus. Omnis homo ad proximam sanguinis sui (h. carnis suæ) non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est. Non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies: turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis. Turpitudinem filiæ filii tui vel neptis ex filia non revelabis: quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, et est soror tua (h. quam peperit patri tuo, non revelabis, soror tua est) non revelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies: quia caro (h. propinqua) est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eo quod caro (h. propinqua) sit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui (*Vulg. tac.* tui) non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conungitur (h. *Uxor patrui tui est.*) Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est, nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est. Turpitudinem uxoris tuæ et filiæ ejus (h. mulieris et filiæ ejus) non revelabis. Filiam filii ejus, et filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ingnominiam: ejus: quia caro (h. propinquæ) illius sunt, et talis coitus incestus est. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpidinem ejus, adhuc illa vivente. Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes, nec revelabis fœditatem ejus. Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commistione maculaberis. De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. [C. XXXIII.] Cum masculo non commisceberis coitu femineo, quia abominatio est. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei: quia scelus est. Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt *universæ* (h. non habet) gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum, et quibus pelluta est terra: cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos. Custodite legitima mea atque judicia, et non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena quam colonus, qui peregrinantur apud vos. Omnes enim exsecrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, et polluerunt eam. Cavete ergo ne et vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos. Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus istis quidpiam, peribit de medio populi sui. Custodite mandata mea. Nolite facere quæ fecerunt ii, qui fuerunt ante vos, et ne polluamini in eis. Ego Dominus Deus vester.

(T. XI, C. XXXV, *Cap.* XIX.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel, et dices ad eos: Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. Unusquisque matrem (*Vulg. ad* suam) et patrem suum timeat. Sabbata mea custodite. Ego Dominus Deus vester. Nolite converti ad idola, nec deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester. Si immolaveritis hostiam pacificorum Domino, ut sit placabilis, eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, et die altero (h. si immolaveritis hostiam pacificorum, voluntarie immolate, et eo die quo fuerit immolata vescetur et die altero); quidquid autem residuum fuerit in diem tertium, igne comburetis. Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit, et impietatis reus. Portabit iniquitatem suam, quia sanctum Domini polluit, et peribit anima illa de populo suo. (C. XXXV.) Cum messueris segetes terræ, non tondebis usque ad solum, superficiem terræ: nec remanentes spicas colliges (h. cum messueris segetes terræ tuæ, non metes totum agrum, sed partem relinques). Neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis, sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes. Ego [Dominus Deus vester. (C. XXX, Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiat[1] unusquisque proximum suum. Non perjurabis in nomine meo, nec pollues (h. violabis) nomen Dei tui. Ego Dominus. (C. XXXVII.)

[1] Canon cum aliquot mss., *Non pejerabis*, quod idem est. MART.

— Urbinas ms. *nec decipiet*. Mox fidejussor pro Hieronymiana translatione est Hesychius in hunc Levitici locum: *Non profanabitis nomen Domini Dei vestri, quod*, inquit, *Hieronymi translatio edidit. Non pollues Dei tui.*

Non facies calumniam proximo tuo, Nec vi (h. nec fraude) opprimes eum. (C. XXXVIII.) Non morabitur opus mercenarii (*Vulg. add.* tui) apud te usque mane. (C. XXXIX.) Non maledices surdo, (C. XL.) nec coram cæco pones offendiculum : (C. XLI.) sed timebis Deum tuum, *quia* (h. non habet) ego *sum* (h. non habet) Dominus. (C. XLII.) Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis (h. quod iniquum est in judicio). (C. XLIII.) Nec consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo. (C. XLIV.) Non eris criminator, nec susurro in populis. (C. XLV.) Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus. (C. XLVI.) Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæres ultionem, nec nemor eris injuriæ civium tuorum. (C. XLVII.) Diliges amicum (h. proximum) tuum sicut te ipsum. Ego Dominus. Leges meas (h. legitima mea). custodite. (C. XLVIII.] Jumenta tua non facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuum non seres diverso semine. Veste quæ ex duobus texta est, non indueris (C. XLIX, L.) Homo si dormierit cum muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nubilis (h. quæ sit ancilla et alligata viro), et tamen pretio non redempta, nec libertate donata : vapulabunt ambo, et non morientur, quia non fuit libera. Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonii arietem : orabitque pro eo sacerdos, et pro delicto ejus coram Domino, et repropitiabitur ei, dimittetur que peccatum. Quando ingressi fueritis terram, et plantaveritis in ea ligna pomifera. auferetis præputia eorum : poma quæ germinant, immunda erunt vobis (h. tribus annis), nec adetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructis eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt. Ego Dominus Deus vester. Non comedetis cum sanguine (h. super sanguinem). (C. LI.) Non augurabimini, nec observabitis somnia. Neque in rotundum attondebitis comam : nec radetis barbam. Et super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas et stigmata facietis vobis. Ego Dominus. (C. LII.) Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, et impleatur piaculo. Sabbata mea custodite et sanctuarium meum metuite. Ego Dominus. (C. LIII.) Ne declinetis ad magos (h. Pithones), nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester. (C. LIV). Coram cano capite consurge, et honora personam senis : et time Dominum Deum tuum Ego sum Dominus. (C. LV. Si habitaverit advena in terra vestra, *et moratus fuerit inter vos.* (h. non habet), ne exprobretis ei (h. ne circumveniatis eum) ; sed sit inter vos quasi indigena : et diligetis eum quasi vosmetipsos : fuistis enim et vos advenæ in terra Ægypti. Ego Deminus Deus vester. (C. LVI). Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula; in pondere, in mensura. Statera justa, et æqua *sint* (h. non habet) pondera, justus modius, æquusque sextarius (h. sunt vobis). Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. Custodite omnia præcepta mea, et universa judicia, et facite ea. Ego Dominus.

(T. XII, C. LVII, *Cap.* XX.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Hæc loqueris filiis Israel : Homo de filiis Israel, et de advenis qui habitant in Israel, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur : populus terræ lapidabit eum. Et ego ponam faciem meam contra illum : succidamque eum de medio populi sui, eo quod dederit de semine suo Moloch, et contaminaverit sanctarium meum, ac polluerit (h. violaverit) nomen sanctum meum. Quod si negligens populus terræ, et quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere : ponam faciem meam super hominem illum, et cognationem ejus, succidamque et ipsum, et omnes qui consenserunt ei ut fornicaretur cum Moloch, de medio populi sui. (B. XI, C. LVIII.) Anima, quæ declinaverit ad magos (h. Pythones) et ariolos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui. Sanctificamini et estote sancti. quia *et* (h. non habet) ego (sanctus sum) Dominus Deus vester [1]. Custodite præcepta mea, et facite ea : Ego Dominus qui sanctifico vos. (C. LIX.) Qui maledixerit patri suo, et matri, morte moriatur: patri matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum. (C. LX.) Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur mœchus et adultera. [C. LXI.) Qui dormierit cum noverca, sua, et revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo : sanguis eorum sit super eos. (C. LXII.) Si quis dormieret cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus operati sunt : sanguis eorum sit super eos. (C. LXIII.) Qui dormierit cum masculo, coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur : sit sanguis eorum super eos. (C. LXIV.) Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est : vivus ardebit cum eis (h. igni comburentur tam ipse quam illa), nec permanebit tantum nefas in medio vestri. (C. LXV.) Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur : pecus quoque occidite. (C. LXVI.) Mulier quæ succubuerit

[1] Septuaginta quos sequuntur Samaritanus, et Arabs, legunt hoc modo : *Et eritis sancti, quia sanctus ego Dominus Deus vester*, vel, *quia ego Dominus Deus vester sanctus sum.* In Hebræo absunt verba quæ scholion monet abesse, et in Vulgata Catina optime legimus, *Estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester*. Verum ne in aliquo offendamus, et meliorum obtentu fides nostra vacillet, res prout exstant suis locis exhibemus. MART.

— Verba unicis inclusa, *et sanctus sum.* Urbinas ms. cum Hebræo et Vulgata rectius ignorat.

cuilibet jumento, simul interficietur cum eo : sanguis eorum sit super eos. (C. LXVII.) Qui acceperit serorem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, et viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt : occidentur in conspectu populi sui, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint, et portabunt iniquitatem suam. (C. LXVIII.) Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui. Turpitudinem materteræ et amitæ tuæ non discooperies ; qui hoc fecerit, ignominiam carnis (h. propinquæ) suæ nudavit, portabunt ambo iniquitatem suam. Qui coierit cum uxore patrui, vel avunculi sui, et revelaverit ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum : absque liberis morientur (h. Qui coierit cum uxore patrui sui, et revelaverit ignominiam ejus, portabunt ambo peccatum suum, absque liberis morientur). Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit : absque liberis erunt. Custodite leges meas (h. legitima mea), atque judicia, et facite ea : ne et vos evomat terra quam intraturi estis et habitaturi. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, et abominatus sum eas. Vobis autem loquor : Possidete terram eorum, quam dabo vobis in hæreditatem, terram fluentem lacte et melle. Ego Dominus Deus vester, qui separavi vos a cæteris populis. Separate ergo et vos jumeutum mundum ab immundo, et avem mundam ab immunda : ne polluatis animas vestras in pecore, et in avibus, et cunctis quæ moventur in terra, et quæ vobis ostendi esse polluta. Et (*Vulg. tac.* Et) eritis mihi sancti, quia sanctus ego sum Dominus et separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei. (C. LXIX.) Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur. Lapidibus obruent eos : sanguis eorum sit super illos.

(T. XIII, C. LXX, *Cap.* XXI.) Dixit quoque Dominus ad Mosen : Loquere ad sacerdotes filios Aaron, et dies ad eos : Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum, nisi tantum in consanguineis ac propinquis, id est, super matre, et patre, et filio, ac filia, fratre quoque, et sorore virgine, quæ non est nupta viro : sed nec in principe populi sui contaminabitur. Non radent caput, nec barbam (h. non radent in capite *suo calvitium*, *nec* barbam tondent), neque in carnibus suis facient incisuras. Sancti erunt Deo suo, et non polluent (h. violabunt) nomen ejus : incensum enim Domini, *et* (h. non habet) panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt. Scortum et vile prostibulum non ducet (*Vulg.* docent, *et* consecrati sunt, *et* offerunt. Sint ergo sancti) uxorem, nec eam quæ repudiata est a marito : quia consecratus est Deo suo [1], et panes propositionis offert (h. sanctifica itaque eum, *quia* panes propositionis Dei tui offert). Sit ergo sanctus quia sanctus ego sum, Dominus, qui sanctifico vos *Vulg.* eos). (C. LXXI.) Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in strupro, et violaverit nomen patris sui, flammis exuretur. Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, et cujus manus in sacerdotium consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet : et ad omnem mortuum non ingredietur omnino. Super patre quoque suo et matre non contaminabitur. Nec egredietur de sanctis, ne polluat (h. violet) sanctuarium Dei sui, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui (h. quia corona olei unctionis Dei sui super eum est) super eum est (*Vulg.* Dominis, *et tac*, sui). Ego Dominus. Virginem ducet uxorem : viduam autem et repudiatam, et sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo : nec commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ (h. nec commisceat semen suum sicut vulgus gentis suæ) : quia ego Dominus qui sanctifico eum. (B. XII, C. LXXII.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere ad Aaron : Homo de semine tuo per familias suas qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus : si cæcus fuerit, si claudua, si vel parvo, vel grandi, vel torto, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo : vescetur tamen panibus, qui offeruntur in sanctuario : ita duntaxat, ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, et contaminare non debet sanctuarium meum. Ego Dominus qui sanctifico eos. Locutus est ergo Moses ad Aaron, et filios ejus, et ad omnem Israel, cuncta quæ fuerant sibi imperata.

(C. LXXIII, *Cap.* XXII.) Locutus quoque est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere ad Aaron et ad filios ejus, ut caveant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israel, et non contaminent nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt. Ego Dominus (h. ut non contaminet nomen sanctum meum in his quæ sanctificata sunt mihi. Ego Dominus). Dic ad eos et ad posteros eorum : Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum Dominus. Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum

[1] Hebræus, Sam, et LXX legunt in plurali, *ducent*, *accipient*, et quod immediate sequitur, *quia consecratus est Deo suo*, in singulari ; licet omnia hæc ad eumdem sacerdotem referantur. Melius itaque legitur in canone Heb. verit. ac in mss. omnibus Latinis *ducet*, *offert*, *consecratus est*, *sit sanctus*, etc. MART.

s··:inis, non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. Qui tetigerit immundum super mortuo (h. donec curetur. *Anima quæ* tetigerit immundum super mortuo), et ex quo egreditur semen quasi coitus, et qui tangit, reptile, et quodlibet immundum, cujus tactus est sordidus, immundus erit usque ad vesperum et non vescetur his quæ sanctificata sunt, sed cum laverit carnem suam aqua, et occubuerit sol, tunc mundatus vescetur de sanctificatis, quia cibus illius est. Morticinum et captum a bestia non comedent, nec polluentur in eis. Ego sum Dominus. Custodiant præcepta mea (h. observent custodias meas), ut non subjaceant peccato, et moriantur in sanctuario, cum polluerint (h. violaverint) illud. Ego Dominus qui sanctifico eos (*Vulg.* vos). Omnis alienigena non comedet de sanctificatis, inquilinus sacerdotis et mercenarius non vescentur ex eis. Quem autem sacerdos emerit et qui vernaculus domus ejus fuerit, hi comedent ex eis. Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ sanctificata sunt, et de primitiis non vescetur : sin autem vidua, et repudiata, et absque liberis reversa fuerit ad domum patris sui : sicut puella consueverat, aletur cibis patris sui. Omnis aliegina comedendi ex eis non habet potestatem. Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo quod comedit, et dabit sacerdoti in sanctuarium. Nec contaminabunt sanctificata filiorum Israel, quæ offerunt Domino : ne forte sustineant iniquitatem delicti sui, cum sanctificata comederint. Ego Dominus qui sanctifico eos. (T. XIV, C. LXXIV.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere ad Aaron et filios ejus, et ad omnes filios Israel, dicesque ad eos : Homo de domo Israel et de advenis qui habitant apud vos, qui obtulerint oblationem suam, vel vota solvens, vel sponte offerens, quidquid illud obtulerint in holocaustum Domini, ut offeratur per vos, masculus immaculatus erit ex bobus, et ex ovibus, et ex capris : si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile : homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens, tam de bobus quam de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit : omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, vel impetiginem, non offeretis ea Domino, neque adolebitis ex eis super altare Domini. Bovem et ovem aure et cauda amputatis, voluntarie offerre potes [h. bovem et ovem, quæ generaliter plus minusve habuerit, voluntarie offerre potes,] votum autem ex his solvi non potest. Omne animal quod vel contritis, vel tunsis, vel sectis ablatisque testiculis est, non offeretis Domino : et in terra vestra hoc omnino ne faciatis. De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, et quidquid aliud dare voluerit : quia corrupta maculata sunt omnia, non suscipietis ea (h. De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro de omnibus istis, quia corrupta et maculata sunt omnia ; non suscipietis ea]. Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Bos, ovis et capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ : die autem octavo, et deinceps offerri poterunt Domino. Sive illa bos, sive illa ovis, non immolabuntur una die cum fetibus suis. (C. LXXXV.) Si immolaveritis hostiam pro gratiarum actione Domino, ut possit esse placabilis, eodem die comedetis eam (h. eodem die comedetur), non remanebit (h. non remanebit ex ea quidquam in mane) quidquam in mane alterius diei. Ego Dominus : Custodite mandata mea, et facite ea. Ego Dominus. Ne polluatis nomen meum sanctum, ut sanctificer in medio filiorum Israel. Ego Dominus qui sanctifico vos, et eduxi de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Ego Dominus.

(B. XIII, C. LXXVI: *Cap.* XXIII.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sancta : Sex diebus facietis opus : dies septimus, quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus. Omne opus non facietis in eo : Sabbatum Domini, est in cunctis habitationibus vestris. (C. LXXVII.) Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis. Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperum Phase Domini est, et quinta decima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque : omne opus servile non facietis *in eo* (h. non habet), sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus. (C. LXXVIII.) Dies autem septimus erit celebrior et sanctior, nullumque servile opus facietis (*Vulg. add.* in eo). Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem : qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis, altero die Sabbati, et sanctificabit illum. Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus, anniculus in holocaustum Domini. Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum : liba quoque vini, quarta pars hin. Panem, et polentam, et pultes (h. *spicam teneram*) non comedetis ex segete, usque ad diem, qua offeretis ex ea Deo vestro. Præceptum et sempiternum in generationibus, cunctisque habitaculis vestris. Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies, et sic offeretis sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos (h. ex habitaculis vestris offeretis panes primitiarum duos) de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coque-

tis in primitias Domini. Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, et vitulum de armento unum, et arietes duos, et erunt in holocaustum cum libamentis suis, in odorem suavissimum Domino. Facietis et hircum (h. caprarum) pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum.Cumque elevaverit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus (h. *sanctitas erunt Domino ad* sacerdotem), Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum : omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, et generationibus vestris. Postquam autem messueritis segetem (h. *Et cum messueritis* segetem) terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum : nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus et peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester. (T. XV, C. LXXIX.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Loquere filiis Israel : Mense septimo, prima die mensis, erit vobis Sabbatum memoriale, clangentibus tubis, et vocabitur sanctum: omne opus servile non facietis in *eo*(h. non habet), et offeretis holocaustum Domino. Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationum erit celeberrimus, et vocabitur sanctus : affligetisque animas vestras in eo, et offeretis holocaustum Domino. Omne opus (*Vulg, add.*) servile) non facietis in tempore diei hujus : quia dies propitiationis est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit in die hoc, peribit de populis suis, et quæ operis quidpiam fecerit, delebo eam de populo suo. Nihil ergo operis facietis *in eo* (h. non habet): legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus et habitationibus vestris. Sabbatum requietionis est, et afligetis animas vestras die nono mensis a vespera usque (h. affligetis animas *vestras* die nona *mensis* ad vesperam, a vespera *usque*) ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra. Et locutus est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere filiis Israel : A quinto decimo die mensis hujus septimi erunt feriæ taberaculorum septem diebus Domino. Dies primus vocabtur celeberrimus atque sanctissimus: omne opus servile non facietis *in eo* (h. non habet). Et septem diebus offeretis holocausta Domino ; dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus, et offeretis holocaustum Domino : est enim cœtus atque collectæ : omne opus servile non facietis in *eo* (h. non habet). Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas, offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta et libamenta juxta ritum uniuscujusque diei : exceptsis Sabbati Domini, donisque vestris, et quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino. A quinto decimo ergo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus. Die primo et de octavo erit Sabbatum, id est, requies. Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætamini coram Domino Deo vestro. Celebrabitisque solemnitatem ejus septem diebus per annum. Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis, et habitabitis in umbraculis (h. tabernaculis) septem diebus. Omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis ut discant posteri vestri quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel cum educerem eos de terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. Locutusque est Moses super solemnitatibus Domini ad filios Israel.

(C. LXXX, *Cap.* XXIV). Et locutus est Dominus ad Mosen, dicens : Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter, extra velum testimonii in tabernaculo fœderis (h. testimonii). Ponet eas Aaron a vespere usque in mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus vestris super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini. Accipies quoque similam, et coques ex ea duodecim panes (h. *placentas*), qui singuli habebunt duas decimas : quorum senos altrinsecus super mensam purrissimam coram Domino statues, et pones super eos thus lucidissimum, ut sit (h.) pani in monimentum oblationis Domini. Per singula Sabbata mutabuntur (h. præparabuntur) coram Domino susceptі a filiis Israel fœdere sempiterno : eruntque Aaron et filiorum ejus ut comedant eos in loco sancto : quia Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo. (T. XVI, B. XIV, C. LXXXI.) Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis, quem peperat de viro Ægyptio inter filios Israel, jurgatus est in castris cum viro Israelita. Cumque blasphemasset nomen Dei, et maledixisset ei (h. *Non habet Dei nec ei*), adductus est ad Mosen (vocabatur autem mater ejus Solomith), filia Dibri de tribu Dan. Miseruntque eum in carcerem, donec nossent quid juberet Dominus. Qui locutus est ad Mosen, dicens: Educ blasphemum extra castra, et ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput ejus, et lapidet eum populus universus. Et ad filios Israel loqueris : Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur : lapidimus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini(h. non habet, Domini], morte moriatur. (C. LXXXII.) Qui percusserit, et occiderit hominem, morte moriatur. Qui percusserit animal, reddat vicarium, id est, animam pro anima. Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum : sicut fecit, sic fiat ei : fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet, qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. Qui percusserit jumentum, reddet aliud. Qui percusserit hominem, punietur. Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus

sive civis peccaverit [h. fuerit]: quia ego sum Dominus Deus vester. Locutusque est Moses ad filios Israel, et eduxerunt eum, qui blasphemaverat, extra castra, ac lapidibus oppresserunt. Feceruntque filii Israel sicut præceperat Dominus Mosi.

(*Cap.* XXV.) Locutusque est Dominus ad Mosen in monte Sinai, dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, sabbatizet sabbatum [h. terra] Domino[1]. Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus: septimo autem anno sabbatum erit terræ, requietionis Domini: agrum non seres, et vineam non putabis. Quæ sponte gignet humus, non metes, et uvas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam (h. et uvas quas vinea *sponte* attulerit *non colliges* vindemiam): annus enim requietionis terræ est: sed erunt vobis in cibum, tibi et servo tuo, ancillæ tuæ et mercenario tuo, et advenæ qui peregrinantur apud te; jumentis tuis et pecoribus, omnia quæ nascuntur, præbebunt cibum. Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septem septies, quæ simul faciunt annos quadraginta novem; et clanges buccina mense septimo, decima die mensis propitiationis tempore in universa terra vestra. Sanctificabisque annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque redietad familiam pristinam, quia jubilæus est et quinquagesimus annus. Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, et primitias vindemiæ non colligetis, ob sanctificationem jubilæi, sed statim oblata comedetis (h. et vineam *non vindemiabitis*, sed in agro *statim* comedetis). Anno jubilæi redient omnes ad possessiones suas. Quando vendes quidpiam civi tuo vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed juxta numerum annorum jubilæi emes ab eo, et juxta supputationem frugum vendet tibi. Quanto plures anni remanserint post jubilæum, tanto crescet et pretium: et quanto minus temporis numeraveris, tanto minoris et emptio constabit. Tempus enim frugum vendet tibi Nolito affligere contribules vestros, sed timeat unusquisque Deum suum, quia ego Dominus Deus vester. Facite præcepta mea, et judicia custodite, et implete ea, ut habitare possitis in terra absque ullo pavore, et gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini usque ad saturitatem, nullius impetum formidantes. Quod si dixeritis: Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum, seretisque anno octavo, et comedetis veteres fruges usque ad nonum annum: donec nova nascantur, edetis vetera. Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea est, et vos advenæ et coloni mei estis (h. et coloni apud me) Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. (C. LXXXIII.) Si attenuatus fratertuus vendiderit possessiunculam suam, et voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat. Sin autem non habuerit proximum, et ipse pretium ad redimendum potuerit invenire: computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit, et quod reliquum, est, reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam. Quod si non invenerit manus ejus, ut reddat pretium, habebit emptor quod emerat, usque ad annum jubilæum. In ipso enim omnis venditio redit (*Vulg.* redibit) ad dominum et ad possessorem pristinum. Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus. Si non redemerit, et anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, et posteri ejus in perpetuum, et redimi non poterit etiam in jubilæo. Sin autem in villa fuerit domus, quæs muros non habet, agrorum jure vendetur. Si ante redempta non fuerit, in jubilæo revertetur ad dominum. Ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi, si redemptæ non fuerint, in jubilæo revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel. Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est. Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam peregrinum, et vixerit tecum, ne accipias ab eo usuram, nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Chanam, et essem vester Deus. (C. LXXXIV.) Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum, sed quasi mercenarius et colonus erit (h. tecum), usque ad annum jubilæum operabitur apud te et postea egredietur cum liberis suis, et revertetur ad cognationem et ad possessionem patrum suorum; mei enim servi sunt, et ego eduxi eos de terra Ægypti Non veneant conditione servorum: ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum. Servus et ancilla sint vobis de nationibus, quæ in circuitu vestro sunt. Et de advenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos: et hæreditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum. Fratres autem vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam. Si invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini, et attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe

[1] Editi, *sabbatizes*. At ms. codices melioris notæ, *sabbatizet Sabbatum Domino*. Recentior unus S. Germani a Patris, num. 164, pure legit, ut in Hebræo, *sabbatizet terra Sabbatum Domino*. Quod sumptum videtur e marginali adnotatione canonis, prout in aliis sexcentis locis, ubi in corpore Bibliorum inveniuntur posita, quæ canon in margine monet esse in Hebræo. MART.

ejus : post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum, et patruus, et patruelis, et consanguineus, et affinis (h. unus ex fratribus suis redimet eum, aut patruus, aut patruelis, aut quilibet consanguineus cognationis suæ). Sin autem et ipse potuerit, redimet se, supputatis dumtaxat annis a tempore venditionis suæ usque ad annum jubilæum : et pecunia. qua venditus fuerat, juxta annorum numerum et rationem mercenarii supputata. Si plures fuerint anni qui remanent usque ad jubilæum, secundum hos reddet et pretium. Si pauci, ponet rationem cum eo juxta annorum numerum, et reddet emptori quod reliquum est annorum, quibus ante servivit mercedibus imputatis : non affliget eum violenter in conspectu tuo. Quod si per hæc redimi non potuerit, anno jubilæo egredietur cum liberis suis. Mei enim servi sunt filii Israel, quos eduxi de terra Ægypti.

(C. LXXXV, *Cap.* XXVI.) Ego Dominus Deus vester : Non facietis vobis (h. .....) idolum et sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum. (C. LXXXVI.) Ego enim sum Dominus Deus vester : custodite Sabbata mea, et pavete ad sanctuarium meum. Ego Dominus. (C. LXXXVII. B. XV.) Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis. et terra gignet germen sum et pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem : et comedetis panem vestrum in saturitate, et absque pavore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris, dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam, malas bestias : et gladius non transibit terminos vestros. Persequemini inimicos vestros, et corruent coram vobis : persequentur quinque de vestris centum alienos, et centum de vobis decem millia : cadent inimici vestri in conspectu vestro gladio. Respiciam vos, et crescere faciam : multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum. Et comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus projicietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri. et non abjiciet vos anima mea. (C. LXXXVIII.) Et ambulabo inter vos, ero vester Deus, vosque eritis populus meus. Ego Dominus Deus vester : qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne serviretis eis ; et qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti. Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia præcepta mea: si spreveritis leges meas (h. legitima mea). et judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea quæ a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum : ego quoque hæc faciam vobis. Visitabo vos velociter in egestate et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas vestras. Frusta seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos, et corruetis coram hostibus vestris, et subjiciemini his qui oderunt vos, fugietis, nemine persequente. Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, et conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboque cœlum vobis de super sicut ferrum et terram æneam. Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt. Si ambulaveritis ex adverso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras usque (*Vulg. tac.* usque) in septulum propter peccata vestra : emittamque in vos bestias agri, quæ consumant vos, et pecora vestra, et ad paucitatem cuncta redigant, desertæque fient viæ vestræ. Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi : ego quoque contra vos adversus incedam, et percutiam vos septies propter peccata vestra, inducamque super vos gladium ultorem fœderis mei. Cumque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medio vestri, et trademini in hostium manibus, potsquam confregero baculum panis vestri : ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, et reddant eos ad pondus (h. et vertetur panis vester ad pondus) : et comedetis, et non saturabimini. Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaveritis contra me : et ego incedam adversum vos in furore contrario, et corripiam vos *septem plagis* (h. septies) propter peccata vestra, ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum et filiarum vestrarum, destruam excelsa vestra, et simulacra vestra (*Vulg. tac.* vestra) confringam. Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, et abominabitur vos anima mea, in tantum ut urbes vestras redigam in solitudinem, et deserta faciam sanctuaria vestra, nec recipiam ultra odorem suavissimum. Disperdamque terram vestram, et stupebunt super eam inimici vestri, cum habitatores illius fuerint. Vos autem dispergam in gentes, et evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, et civitates vestræ dirutæ. Tunc placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ : quando fueritis in terra hostili, sabbatizabit, et requiescet in sabbatis solitudinis suæ, eo quod non requieverit in Sabbatis vestris quando habitabatis in ea. Et qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folii volantis et ita fugient quasi gladium : cadent, nullo persequente, et corruent singuli super fratres suos quasi bella fugientes, nemo vestrum inimicis audebit resistere. Peribitis inter gentes, et hostilis vos terra consumet Quod si et de iis aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, in terra inimicorum suorum et propter peccata patrum suorum et sua affligentur : donec confiteantur iniquitates suas, et majorum suorum, quibus prævaricati sunt in me, et ambulaverunt ex adverso mihi. Ambulabo igitur et ego contra eos, et inducam illos in terram hostilem, donec erubescat incircumcisa mens eorum : tunc orabunt pro impietatibus suis. Et recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Jacob, et Isaac et Abraham. Terræ quoque memor ero: quæ cum relicta fuerit ab eis, complacebit sibi in sabbatis suis, patiens solitu-

dinem propter illos. Ipsi vero rogabunt pro peccatis suis, eo quod abjecerint judicia mea et leges meas (h. legitima) despexerint. Et tamen etiam cum essent in terra hostili, non penitus abjeci eos, neque sic despexi ut consumerentur, et irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum, et recordabor fœderis mei pristini, quando eduxi eos de terra Ægypti in conspectu gentium, ut essem Deus eorum. Dominus. Hæc sunt præcepta atque judicia et leges, quas dedit Dominus inter se et inter filios Israel in monte Sinai per manum Mosi.

(B. XVI, C. LXXXVIII. *Cap.* XXVII.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere filiis Israel et dices ad eos : Homo qui votum fecerit, et spoponderit animam suam, sub æstimatione dabit pretium. Si fuerit masculus a vicesimo anno usque ad sexagesimum annum, dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram sanctuarii ; si mulier, tringinta. A quinto autem anno usque ad vicesimum, masculus dabit viginti siclos ; femina decem. Ab uno mense usque ad annum quintum, pro masculo dabuntur quinque sicli, pro femina tres. Sexagenarius et ultra masculus dabit quindecim siclos ; femina decem. si pauper fuerit, et æstimationem reddere non valebit, stabit coram sacerdote, et quantum ille æstimaverit, et viderit eum posse reddere, tantum dabit. Animal autem quod immolari, potest Domino, Si quis voverit Domino (*Vulg. tac.* Domino), sanctum erit, et mutari non poterit, id est, nec melius malo, nec pejus bono : quod si mutaverit et ipsum quod mutatum est, et illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino. Animal autem immundum, quod immolari Domino non potest, si quis voverit, adducetur ante sacerdotem. Qui judicans utrum bonum an malum sit, statuet pretium. Quod si dare (h. redimere) voluerit is quis offert, addet supra æstimatione quintam partem. Homo si voverit domum suam, et sanctificaverit Domino, considerabit eam sacerdos utrum bona an mala sit, et juxta pretium, quod ab eo fuerit constitutum, venumdabitur : sin autem ille qui voverat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra, et habebit domum. Quod si agrum possessionis suæ voverit et consecraverit Domino, juxta mensuram sementis æstimabitur pretium : si tringinta modiis hordei seritur terra, quinquaginta siclis vendetur argenti. Si statim ab anno incipientis (*Vulg.* accipientis) jubilæi voverit agrum, quando valere potest, tanto æstimabitur. Sin autem post aliquantulum temporis, suppatabit sacerdos pecuniam juxta annorum, qui reliqui sunt, numerum usque ad jubilæum, et detrahetur ex pretio. Quod si voluerit redimere agrum ille qui voverat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, et possidebit eum. Sin autem noluerit redimere, sed altari cuilibet fuerit venumdatus, ultra eum qui voverat, redimere non poterit : quia cum jubilæi venerit dies, sanctificatus erit Domino, et possessio consecrata ad jus pertinet sacerdotum. Si ager emptus est, et non de possessione majorum sanctificatus fuerit Domino, supputabit sacerdos juxta annorum numerum usque ad jubilæum pretium, et dabit ille qui voverat eum, Domino. In jubilæo autem revertetur ad priorem dominum qui vendiderat eum, et habuerat in sorte possessionis suæ. Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur. Siclus viginti obolos habet. Primogenita, quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit, et vovere, sive bos, sive ovis fuerit, Domini sunt. Quod si immundum est animal, redimet qui obtulit, juxta æstimationem tuam, et addet quintam partem pretii ; si redimere noluerit, vendetur alteri quantocunque a te fuerit æstimatum. Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum sanctorum erit Domino. Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur. Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, et illi sanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum. Omnium decimarum bovis et ovis *et capræ* (h. non habet), quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur : si quis mutaverit, et quod mutavit (*Vulg.* mutatum est), et pro quo mutatum est sanctificabitur Domino, et non redimetur. Hæc sunt præcepta, quæ mandavit Dominus Mosi ad filios Israel in monte Sinai.

Explicit Vajecra, id est Leviticus.

TITULI LIBRI NUMERI, QUI HEBRAICE DICITUR VAJEDABBER.

I. Præcepit Dominus Mosi, ut numerum totius populi a viginti annis et supra, omnium virorum, ac principum familiarum describat, excepta tribu Levi, et qualiter castra promoveantur, vel ponantur.

II. Descriptio tribus Leviticæ, et ut quis debeat in ministerio Domini ocfflio mancipari.

III. Ubi præcepit maculatos extra castra esse, d votis reorum, de aquis zelotypiæ inter uxorem et maritum.

IV. De consecratione Nazaræorum et oblationibus eorum : quomodo sacerdotes populum benedicant

V. De dedicatione tabernaculi, et altaris, et quid per duodecim dies singuli principes tribuum obtule-

rint. De consecratione Levitarum, et de lucernis contra Aquilonem ponendis, ut mensam panum propositionis respiciant.

VI. De primo Pascha in deserto, et secundo eorum, qui primum facere non potuerunt: et tubis argenteis ad congregandum populum faciendis.

VII. Ubi mota sunt castra, cognato suo Moses suadet, ut ad terram promissionis secum pergat. De murmuratione populi, et igne iracundiæ Dei vindicantis in eo. De desiderio populi quærentis carnes, cepas, et cucumeres, et cætera, et nolentium dulcissimum man. De Septuaginta presbyteris prophetantibus, et de coturnicibus ad comedendum eis irascente Deo adductis, et de sepulcris concupiscentiæ.

VIII. De murmuratione Aaron et Mariæ, et de lepra ejus. De exploratoribus ad terram promissionis considerandam missis. De fructuum indiciis allatis. De tentatione populi et pavore. De fide Josue et Chaleb. De iracundia Dei, ubi per seipsum jurat nullum ex eis terrram promissionis contingere.

IX. De spontaneis votis. De primitiis separandis. De anima quæ per ignorantiam, vel superbiam peccat. De homine ligna colligente; qua sententia debuit Deo imperante bercelli. De fimbriis in angulis palliorum.

X. De certamine Dathan, Core, et Abiron, et de interitu eorum. Populus contra Mosen et Aaron pro eis murmuratus est. Ubi ira exiit a Domino, et populum percutere cœpit, et Aaron thuribulum cum thymiamate offerens prohibuerit vastatorem. De virgis duodecim, et virga Aaron frondescente.

XI. De custodia tabernaculi, quod ad sacerdotem pertinet. De primogenitis redimendis, et de decimis decimandis.

XII. De vitula rufa, quæ extra castra mactatur. De expiatione. De aqua contradictionis et morte Mariæ.

XIII. Moses nuntios mittit ad Edom transitum potens, et prohibitus est. De morte Aaron in monte Hor, et Eleazaro successore filio ejus. De serpente æneo, et nuntiis ad Seon regem Amorrhæorum directis.

XIV. De Balaac rege, et Balam ariolo, ubi asina locuta est, et quomodo econtrario benedixerit populo Israel.

XV. Populus initiatus Belphegor. Jubet Dominus principes populi suspendi in patibulis. De scorto Madianitide, et vindicta Phinees. De bello Madianitis illato, et populo iterum numerato. De filiabus Salphaad hæreditatem quærentibus. De Mosi morte prædicta, et Josue ordinato successore ejus.

XVI. De ritu sacrificii matutini, et holocausti faciendi per singulos menses, qui sibi anno vertente succedunt. De oblatione in Pentecoste. De oblationibus mensis tubarum, et votis mulierum.

XVII. De interfectione Madianitarum, et præda eorum. De petitione Rubenitarum et Gaaditarum, ut in eadem terra animalium merito sortes suscipiant, et concessione Mosi.

XVIII. Hic profectionum loca commemorat, et in quibus locis fixerint tentoria.

XIX. Dominus præcepit qualiter terram repromissionis sorte devidant, et unaquæque tribus, cujus loci debeat fine concludi.

XX. Ubi jubetur urbes in fugitivorum præsidia separari, et qui sint qui debeant præsidio confoveri. Filii filiorum Joseph Mosen interpellant pro filiabus Salphaad, ne hæreditate donante in alia tribu, conjugia sortiantur, ne sortium confusio fiat, et aliorum possessio ad alteros transeat, et præceptæ sunt in tribu sua quibus voluissent conjugia sociari.

BREVES LIBRI NUMERI.

I. Recognitio duodecim tribuum facta a Mose et Aaron, et duodecim principibus, a viginti annis et supra, præter Levitas [1], DC. III. et DL.

II. Jubet Dominus tribum Levi non numerari : ut ipsi tabernaculo deserviant, et ministrent.

III. Jubet Dominus ut ordinate procedant per domus paternas, et per turmas suas.

IV. De progenie Mosis, et Aaron, et filiorum ejus, qui ad sacerdotium uncti sunt.

V. Levitas dicit Dominus adjungi Aaron, eo quod sibi acceperit eos pro omnibus primogenitis Israel.

VI. Levitæ dinumerantur a mense uno et supra, duo millia ducenti et septuaginta quatuor.

VII. Omnem primogenitum filiorum Israel a mense uno et supra jussit Dominus dinumerari.

VIII. Filios Cauth, jubet Dominus portare arcam et mensam, et altare, et ut non tangant sancta, ne moriantur.

IX. Filios Gerson jubet portare tabernaculum et lora.

X. Filios Merari capita tabernaculi, et seras et columnas, et bases, omnes portantes opus tabernaculi octo millia quingenti octoginta.

XI. Jubet Dominus ejici de castris omnem immundum.

XII. De muliere, quæ latenter fuerit adulterata.

XIII. De iis, qui votum voverint castitatis.

XIV. Quomodo benedicant populum sacerdotes.

XV. Ungit Moses tabernaculum, et principes munera offerunt.

[1] Unus Palatin ms., *Et duodecim Tribus principibus a triginta et supra, præter Levitas* DCIV, *et* DL.

XVI. Singuli per singulos dies duodecim principes munera sua Mosi offerunt.

XVII. De candelabro, et lucernis.

XVIII. De Levitis purificatis ad ministerium tabernaculi.

XIX. A viginti quinque annis Levitas accedere ad ministrandum, et a quinquaginta recedere.

XX. Anno secundo ex Ægypto in primo mense jubet Dominus celebrari Pascha.

XXI. Perfectum est tabernaculum, et nubes texit illud in die, et ignis in nocte.

XXII. Præcedente nube, ex præcepto Domini promovebant, et consistebant.

XXIII. De tubis argenteis ad promovenda castra.

XXIV. In secundo anno, secundo mense promovent omnes filii Israel castra.

XXV. Hobab cognatum [1] suum hortatur Moses venire secum.

XXVI. Promoverunt de monte Domini, et arca testamenti præcedebat eos.

XXVII. Murmuravit populus, et ignis consumit aliquos ex ipsis.

XXVIII. Flevit populus, petentes carnes : et dixit Moses ad Dominum : Non potero solus ferre populum istum.

XXIX. Dixit Dominus Mosi : Convoca ad me septuaginta viros seniores, et dabo eos tibi in auxilium.

XXX. Tulit Dominus ab spiritu Mosi, et posuit super seniores, et prophetaverunt.

XXXI. Misit Dominus gregem coturnicum in castra, et percussit ex populo viginti tria millia virorum.

XXXII. Aaron et Maria male locuti sunt de Mose, et Maria percussa [2] est lepra, et fuit extra castra septem diebus.

XXXIII. Mittit Moses speculatores duodecim, singulos de singulis tribubus, qui reversi miserunt terrorem in populo. Chaleb autem exhortabatur populum, ut ascenderent adversus eos.

XXXIV. Murmuravit populus dicens : Demus nobis Ducem [3], et revertamur in Ægyptum.

XXXV. Iratus est Dominus, et dixit percutere populum. et deprecatus est Moses Dominum et propitius factus est eis.

XXXVI. Jurat Dominus non introducere eos in terram promissionis pro eo quod murmuraverint.

XXXVII. De holocausto et sacrificio.

XXXVIII. Primitias panis terræ quam ingressi fuerint, jubet sibi offerri Dominus.

XXXIX. Eum qui colligit ligna in Sabbato, jubet Dominus lapidari.

XL. De fimbriis faciendis.

XLI. De Core, Dathan, et Abiron, et ducentis quinquaginta principibus.

XLII. Dixit Dominus delere omnem synagogam et deprecati sunt Moses et Aaron pro populo, et glutivit terra Dathan et Abiron [4], et consumpsit ignis ducentos quinquaginta ferentes incensum.

XLIII. Exiit ira a facie Domini, et fragor factus est, et mortui sunt ex populo quatuordecim millia septuaginti, pro eo quod murmuraverunt adversus Mosen et Aaron.

XLIV. De virga Aaron quæ floruit, et ut desinat populus murmurare, ne moriantur.

XLV. Tribum Levi jubet servire tabernaculo, et custodire, et ad vasa sancta ne accedant.

XLVI. Levitas jubet accipere decimas, et ex ipsis decimas offerre.

XLVII. Vaccam cremari in cineres ad aquam sparsionis.

XLVIII. Mortua est Maria in deserto : murmuravit populus pro aqua, et percussit Moses petram virga dicens . Numquid de petra hac producemus vobis aquam [5] ? et exiit aqua multa. Dominus dixit ad Mosen, et Aaron : Non inducetis vos populum istum in terram, quam dedi eis.

XLIX. Mittit Moses ad regem Edon, ut transirent per ipsum, et ille noluit.

L. Jubet Dominus Mosi, ut vestiat Eleazarum stolam patris sui Aaron in Or monte [6], et ut Aaron moriatur ibi.

LI. Rex Arad belligeravit adversus Israel, Domino prohibente, et subditi sunt ei.

LII. Murmuravit populus : et immisit eis Dominus colubros mortis.

LIII. Profecti ambulant per desertum, et misit Moses ad Seon, ut transirent per fines ejus, et noluit Seon, sed venit ad pugnam, et occidit eum Israel [7].

LIV. Exiit Og rex in obviam Israel ad pugnam, et fecit ei sicut fecit Seon regi Amorrhæorum.

LV. Balaac rex Moab misit ad Balaam, ut veniret, et malediceret Israel : et obviavit illi angelus evaginato gladio, et volebat occidere eum.

LVI. Fornicati sunt ex populo cum Madianitis, et occidit Phinees Zamri cum Madianite, et mortui sunt ex populo viginti quatuor millia.

LVII. Dicit Dominus ad Mosem ut percutiat Madianitas.

LVIII. Præcepit Dominus Mosi, a vicesimo anno [8] et supra considerari populum : et numerati sunt sexcenta millia, et mille septingenti triginta.

LIX. Filii Levi, ex quibus Amram, et uxor ejus

[1] Idem ms. *generum suum*, pro *cognatum*.
[2] In Palat. mss. *perfusa est*, pro *percussa*.
[3] Bis effert Palat. ms. verba, *Demus nobis duces, demus nobis duces*.
[4] Interserit Palat. ms., hic nomen, *Chore*.
[5] Quæ subsequuntur hujus capituli verba, ms. Palat ignorat.
[6] Hæc quoque, *In Or monte*, etc., nescit Palat. codex.
[7] Rursum hæc, *et occidit eum Israel* in Palat. ms. sicuti et tertio ab hoc capitulo postrema illa verba, *et volebat occidere eum*, desiderantur.
[8] Palat. ms., *a tricesimo anno*.

Jochabed (quæ peperit Aaron et Mosen et Mariam) qui considerati sunt ab uno mense, et supra viginti tria millia.

LX. Accepit Moses Jesum filium Nave, et imposuit super eum manus coram omni populo, sicut constituit illi Dominus.

LXI. Dicit Dominus Mosi, ut præcipiat populo de sacrificiis et hostiis offerendis.

LXII. Quæ in die Paschæ offerri debeant, ostendit.

LXIII. Quæ in Pentecoste.

LXIV. Quæ in mense septimo per dies septem.

LXV. Votum quod voverit quis non prætermittendum.

LXVI. Dicit Dominus Mosi, ut faciat vindictam in Madianitas, et commiserunt contra Madiam, et occiderunt omnem masculinum eorum

LXVII. Filii Ruben et Gad petierunt a Mose terram intra Jordanem [1], dicentes : Mulieres nostras et pecora nostra relinquemus hic, et nos præcedemus ante populum armati et ordinati.

LXVIII. Diverticula filiorum Israel ex quo profecti sunt ex Ægpto.

LXIX. Dicit Dominus ut disperdant omnes inhabitantes in Chanaan [2] : quod si residui fuerint, esse sudes in oculis eorum.

LXX. Novem tribubus et dimidiæ tribui Manasse terram Chanaan jubet Dominus dividi in sortem.

LXXI. Nomina hominum, qui dispertiant filiis Israel terram Chanaan.

LXXII. Civitates significat, quæ dantur Levitis, vel quæ sint in refugium.

LXXIII. In civitatibus refugiorum, quibus causis perpetrantes homicidia confugere debeant, ostendit.

LXXIV. De filiabus Salphaad jubetur, ut sint in tribu plebis patris sui.

[1] Idem ms., *trans Jordanem.*

[2] Pro Chanaan, præfert ms. Palat. Moab.

CAPITULA LIBRI NUMERI QUI HEBRAICE DICITUR VAJEDABBER.

I. De Levitis non numerandis.
II. De castris constituendis.
III. Progenies Aaron.
IV. Levitæ obsequio Aaron dati.
V. Levitas pro primogenitis Israel datos.
VI Numerus Levitarum.
VII. Consideratio primogenitorum.
VIII. Redemptio primogenitorum pro Levitis.
IX. De servitio filiorum Caath.
X. Levitas a triginta annis usque ad quinquagessimum ministrare.
XI. De servitio filiorum Gerson.
XII. De servitio filiorum Merari.
XIII. Ubi leprosi de castris ejiciantur.
XIV. De peccatis negligentiæ.
XV. Primitias sacerdotum esse.
XVI. De Zolotypis.
XVII. Qui votum vovit castitatis.
XVIII. Ubi Deus jubet quomodo benedicantur filii Israel.
XIX. Principes vehicula offerentes. Munera principum.
XX. Aræ dedicatio.
XXI. De candelabro.
XXII. De purificatione Levitarum.
XXIII. De primogenitis.
XXIV. De Levitarum ordinatione.
XXV. A quo tempore ætatis, et usque quo Levitæ in tabernaculo deserviunt.
XXVI. De Pascha.
XXVII. De immundis, qui Pascha celebrare non potuerunt.
XXVIII. Quomodo promoveantur.
XXIX. De tubis ad Moysen.
XXX. Profectio prima a monte Sina.
XXXI. Cognato suo Moyses proficisci secum suadet.
XXXII. Ubi murmurat populus, et igne percussus oburitur.
XXXIII. Desideria carnium, et peponum, et cepa-
C rum.
XXXIV. De manna.
XXXV. Moyses ad Deum pro carnibus.
XXXVI. De septuaginta senioribus, qui acceperunt de spiritu ejus.
XXXVII. Maria et Aaron adversum Moysen murmurant.
XXXVIII. Ubi misit Moyses considerare terram, et de botro, et malo.
XXXIX. Moses satisfacit pro populo.
XL. Ubi murmuravit synagoga adversus Deum, et vindictam sumpserunt. Comminatio quod eremo morituri essent a viginti annis et supra.
XLI. Ubi moriuntur, qui terræ detraxerunt exploratores
D XLII. Ubi populus montem ascendere prohibetur ab Amalec.
XLIII. Deprecatio sacrificiorum.
XLIV. De primitiis.
XLV. De Signagoga si nolens peccaverit.
XLVI. De peccato superbiæ.
XLVII. De eo qui lignum colligit Sabbato.
XLVIII. De Core, Dathan, Abiron, et cætera.
XLIX. De arulis et thuribulis.
L. De virga, quæ floruit.
LI. Dominus ad Aaron, de sacerdotio et Levitis.
LII. De portionibus sacerdotum, quæ sunt ex oblationibus populi.

LIII. De sacerdotibus et Levitis, nihil debere habere.
LIV. Pecunias debere dare Levitas ex decimis suis.
LV. De Purificatione aquæ sparsionis, et immundum tangentibus, et aqua.
LVI. Maria defuncta.
LVII. De aqua contradictionis.
LVIII. Ubi non est populus admissus transire per filios Edom.
LIX. Ubi Aaron moritur.
LX. Ubi populus Deo Chananæum devovit.
LXI. De serpente æneo.
LXII. Ubi Dominus aquam de puteo dedit filiis Israel, et de cantico, quod est dictum super eum.
LXIII. Populus Israel pugnat contra regem Moab, et Seon, et Og regem Basan, et expugnavit eos.
LXIV. De Balac, et Balaam.
LXV. De asina loquente.
LXVI. Ubi populus fornicatur.
LXVII. Phinees adulteros interficit.
LXVIII. Numerus Levitarum.
LXIX. Quibus terra dividi jubetur.
LXX. De numero filiorum Levi.
LXXI. Ubi filiæ Salphaad pro hæreditate Moysen interpellant.
LXXII. De successionibus hæreditatis.
LXXIII. Ubi Moyses in montem ascendere jubetur.
LXXIV. Ubi Jesus a Domino destinatur.
LXXV. De sacrificiis agnorum.
LXXVI. De sacrificio Sabbati.
LXXVII. Sacrificium Neomeniæ.
LXXVIII. Sacrificium Paschæ.
LXXIX. Sacrificium novorum in Pentecoste.
LXXX. Sacrificium mensis septimi.
LXXXI. Sacrificium jejunii septimi.
LXXXII. Sacrificium tabernaculorum in mense septimo.
LXXXIII. De voto complendo.
LXXXIV. De voto feminæ.
LXXXV. De vindicta in Madianitas.
LXXXVI. Ubi Moyses indignatur propter Madianitas.
LXXXVII. De divisionibus prædæ Madianitarum.
LXXXVIII. Ubi pars populi hæreditatem petit.
LXXXIX. Itinera populi.
XC. De idolis confringendis.
XCI. De sorte possessionis.
XCII. Nomina principum, qui partituri erant terram.
XCIII. Præcepta populi, ut Levitis dent civitates et suburbana.
XCIV. De civitatibus refugii.
XCV. De interfectis.
XCVI. Si fortuitu et absque odio quis percusserit proximum suum.
XCVII. De filiabus Salphaad, ut proximis nubant.

INCIPIT

LIBER VAJEDABBER

QUI APUD NOS DICITUR

NUMERI.

[T. I, B. I, *Cap.* I.] Locutusque est Dominus ad Mosen in deserto Sinai in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto, dicens : Tollite summam universæ congregationis filiorum Israel per cognationes et domos suas, et nomina singulorum, quidquid sexus est masculini a vicesimo anno supra, omnium virorum fortium ex Israel [h. omnes bellatores ex Israel], et numerabitis eos per turmas suas, tu et Aaron. Eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis, quorum ista sunt nomina. De Ruben, Elisur filius Sedeur. De Simeon, Selumiel filius Surisaddai. De Juda, Naasson filius Aminadab. De Issachar, Nathanael filius Suar. De Zabulon, Eliab filius Helon. Filiorum autem Joseph, de Ephraim, Elisama filius Ammiud. De Manasse, Gamaliel filius Phadassur. De Benjamin, Abidan filius Gedeoni. De Dan, Aiezer filius Amisaddai. De Aser, Phaganiel filius Achran. De Gad, Eliasaph filius Dehuel. De Nephtali, Ahira filius Henan. Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus et cognationes suas, et capita exercitus Israel : quos tulerunt Moses et Aaron cum omni vulgi multitudine, et congregaverunt primo die mensis secundi, recensentes eos per cognationes, et domos ac familias, et capita, et nomina singulorum [h. domosque familiarum, et nomina singulorum] a vicesimo anno et supra, sicut præceperat Dominus. Numeratique sunt in deserto Sinai. De Ruben primogenito Israelis per generationes et familias ac domos suas, et nomina capitum singulorum, omne quod sexus est masculini a vicesimo anno et supra, procedentium ad bellum, quadraginta sex millia quingenti. De filiis Simeon per generationes suas [*Vulg. tac.* suas *hic et infra*] ac familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina et capita singulorum, omne quod sexus est masculini a vicesimo anno et supra, procedentium ad bellum, quin-

quaginta novem millia trecenti. De filiis Gad, per generationes suas et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra, omnes qui ad bella procederent, quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta. De filiis Juda per generationes et familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vicesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, recensiti sunt septuaginta quatuor milia sexcenti. De filiis Issachar, per generationes et familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vicesimo anno et supra, omnes qui ad bella procederent, recensiti sunt quinquaginta quatuor millia quadringenti. De filiis Zabulon per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vicesimo anno et supra, omnes qui poterant ab bella procedere, quinquaginta septem millia quadringenti. De filiis Joseph, filiorum Ephraim per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vicesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, quadraginta millia quingenti. Porro filiorum Manasse per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, triginta duo millia ducenti. De filiis Benjamin per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vicesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, triginta quinque millia quadringenti. De filiis Dan, per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vicesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, sexaginta duo millia septingenti. De filiis Aser, per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vicesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, quadraginta millia et mille quingenti. De filiis Nephtali, per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vicesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, quinquaginta tria millia quadringenti. Hi sunt, quos numeraverunt Moses et Aaron, et duodecim principes Israel, singulos per domos cognationum suarum. Fueruntque omnis numerus filiorum Israel [1] per domos et familias suas [h. sen per, pro domos familiarium suarum, habet] A a vicesimo anno et supra, qui poterant ad bella procedere, sexcenta tria millia virorum [h. non habet virorum] quingenti quinquaginta. Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis. [B. II, C. I.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Tribum Levi noli numerare, nec ponam summam eorum cum filiis Israel : sed constitue eos super tabernaculum testimonii et cuncta vasa ejus, et quidquid ad cæremonias pertinet [h. et omnem supellectilem ejus]. Ipsi portabunt tabernaculum et omnia utensilia ejus, et erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum : cum castrametandum, erigent : quisquis externorum accesserit, occidetur. Metabuntur autem castra filii Israel unusquisque per B turmas et cuneos atque exercitum suum. [C. II.] Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figent [h. metabuntur] tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, et excubabunt in custodiis [h. custodia] tabernaculi testimonii. Fecerunt ergo filii Israel juxta omnia, quæ præceperat Dominus Mosi.

[B. III, *Cap.* II.] Locutusque est Dominus ad Mosen et Aaron, dicens : Singuli per turmas, signa, *atque vexilla* [h. non habet] et domos cognationum suarum, castrametabuntur filii Israel, per gyrum tabernaculi fœderis. Ad Orientem Judas figet tentoria per turmas exercitus : eritque princeps filiorum ejus Naasson filius Aminadab, et omnis de stirpe ejus summa pugnantium, septuaginta quatuor millia sexcenti. Juxta eum castrametati sunt de C tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanael filius Suar. Et omnis numerus pugnatorum ejus, quinquaginta quatuor millia quadringenti. In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon. Omnis de stirpe ejus exercitus pugnatorum quinquaginta septem millia quadringenti. Universi qui in castris Judæ annumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti, et per turmas suas primi egredientur. In castris filiorum Ruben ad meridianam plagam erit princeps Elisur filius Sedeur, et cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingenti. Juxta eum castrametati sunt de tribu Simeon : quorum princeps fuit Selumiel [*Vulg.* Salamiel] filius Surisaddai. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui D numerati sunt, quinquaginta novem millia trecenti. In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Duel [2] [h. Rahuel], et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta quinque millia sex-

[1] In mss. legimus, *Fueruntque omnes filiorum Israel*, etc., aut, *Fueruntque simul omnes filiorum Israel*. In Aniciensis autem Ecclesiæ ms. codice, qui nunc est in bibliotheca Colbertina 157, prima manu scriptum fuisse videtur, *Fueruntque omnes supputati filiorum Israel*, etc. Quæ lectio optima esset : sed duo verba scalpro deleta sunt, et supra positum est, *simul*, ut hoc modo legatur : *Fueruntque simul filiorum Israel*, etc. MART.

— Urbinas ms. *Fueruntque omnes filii Israel*. Alias variantes lectiones Martian. affert.

[2] Hoc nomen Samaritani et Arabes legunt cum *daleth* דעואל, *Dauel* et *Dauail;* quod Vulgatus noster similiter legit. Hebræus autem hodiernus, LXX, Chald. et Syr. habent *resch* ab initio רעואל, *Rahuel*, vel *Raguel*. At S. Hieronymus juxta Samaritanorum codices, in libro nominum Hebraicorum legit iterum cum *daleth*, et ipsum nomen citans ex Numeris interpretatur, *agnoscant Deum : Deuel*, inquit, *agnoscant Deum ;* nempe a radice ידע, *jada*, quæ significat, *agnovit*. Non ideo tamen de marginali adnotatione incidat statim aliquo suspicio, quasi

centi quinquaginta. Omnes, qui rescensiti sunt in castris Ruben, centum quinquaginta millia et mille quadringinti quinquaginta per turmas suas: in secundo loco proficiscentur. Levabitur autem tabernaculum testimonii per officia Levitarum et turmas eorum. Quomodo erigetur, ita et deponetur. Singuli per loca et ordines suos [h. Levabitur autem tabernaculu mtestimonii per officia Levitarum in medio castrorum. Quomodo metabuntur, ita *proficiscentur* singuli et *ordines suos*] proficiscentur. Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, quadraginta millia quingenti. Et cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadassur. Cunctas exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, triginta duo millia ducenti. In tribu filiorum Benjamin princeps fuit Abidan filius Gedeonis. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui recensiti sunt tringinta quinque millia quadringenti. Omnes qui numerati sunt in castris Ephraim, centum octo millia, centum per turmas suas: tertii proficiscentur. Ad Aquilonis partem castrametati sunt [h. castramebuntur] filii Dan quorum princeps fuit Ahiezer filius Amisaddai. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, sexaginta duo millia septingenti. Juxta eum fixere tentoria [h. castrametabuntur] de tribu Aser: quorum princeps fuit Phagahiel filius Achran [*Vulg.* Ochran.] Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt quadraginta millia et mille quingenti. De tribus filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Henan. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, quinquaginta tria millia quadringenti. Omnes qui numerati sunt in castris Dan, fuerunt centum quinquaginta septem millia sexcenti, et novissimi proficiscentur. Hic numerus filiorum Israel, per domos cognationum suarum et turmas divisi exercitus, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. Levitæ autem non sunt numerati inter filios Israel; sic enim præcepit [*Vulg.* præceperat] Dominus Mosi. Fecerunt filii Israel juxta omnia, quæ præceperat Domini Mosi. Castrametati sunt per turmas suas, et profecti per familias suas [*Vulg. tac.* suas] ac domos patrum suorum.

[T. II, B. IV, C. III, *Cap.* III.] Hæc sunt generationes Aaron et Mosi, in die qua locutus est Dominus ad Mosen in monte Sinai. Et hæc nomina filiorum Aaron: primogenitus ejus Nadab, *deinde* [h. non habet] Abiu et Eleazar, et Ithamar. Hæc nomina filiorum Aaron sacerdotum qui uncti sunt, et quorum repletæ et consecratæ manus ut sacerdotio fungerentur. Mortui sunt autem Nadab et Abiu, cum offerrent ignem alienum in conspectu Domini in deserto Sinai, absque liberis: functique sunt sacerdotio Eleazar et Ithamar coram Aaron patre suo. [B. V, C. IV.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei, et excubent, et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii, et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus. Dabisque dono Levitas Aaron, et filiis ejus, quibus traditi sunt a filiis Israel. Aaron autem et filios ejus constitues super cultum sacerdotii. Externus, qui *ad ministrandum* [h. non habet] accesserit morietur. Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel. eruntque Levitæ mei. Meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti: sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israel ab homine usque ad pecus: mei sunt. Ego Dominus. [B. VI, C. VI.] Locutusque est Dominus ad Mosen in deserto Sinai, dicens: Numera filios Levi per domos patrum suorum et familias, omnem masculum ab uno mense et supra. Numeravit Moses, ut præceperat Dominus, et inventi sunt filii Levi per nomina sua, Gerson et Caath et Merari. Filii Gerson: Lebni et Semei. Filii Caath: Amram et Jessaar, Hebron et Oziel. Filii Merari: Muhali et Musi. De Gerson fuere familiæ duæ, Lebnitica, et Semeitica: quarum numeratus est populus sexus masculini ab uno mense et supra, septem millia quingenti. Hi post tabernaculum metabuntur ad Occidentem, sub principe Eliasaph filio Lael. Et habebunt excubias in tabernaculo fœderis, ipsum tabernaculum et operimentum ejus, tentorium, quod trahitur ante fores tecti fœderis, et cortinas atrii: tentorium quoque quod appenditur in introitu atrii tabernaculi, et quidquid ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi et omnia utensilia ejus. Cognatio Caath habebit populus Amramitas et Jessaaritas, et Hebronitas et Ozielitas. Hæ sunt familiæ Caathitharum recensitæ per nomina sua: omnes generis masculini ab uno mense, et supra, octo millia sexcenti habebunt excubias sanctuarii, et castrametabuntur ad meridianam plagam. Princepsque eorum erit Elisaphan filius Oziel: et custo-

non sit Hieronymi, qui in suo exemplari Hebraico legebat דעואל, *denel*; quia frequenter ipse nos docet eadem nomina diverso modo, ac diversis litteris scribi fuisse solita: ut est nomen *Dibon*, de quo hæc observari voluit lib. VI Comment. in cap. XV (vers. 2) Isaiæ: *Ne quis*, ait, *scriptoris vitium putet, et errorem, emendare dum vult, faciat: una urbs et per* m, *et per* b *litteram scribitur: e quibus* Dimon silentium *interpretatur*, Dibon, fluens: *indito utroque nomine propter latices, qui tacite fluunt. Usque hodie indifferenter et* Dimon *et* Dibon *hoc oppidum dicitur*. Verum qui necesse fuit in exem-

plum *Dibon* sumere, cum ipsissimum nomen de quo nunc sermo nobis est, infra, cap. VII, 42, 47, scribatur et in Hæbræo, et in Chaldaico דעואל, *Duel*, et non *Rauel*? MART.

— Verissime adnotatum Hebræo Scholiastæ, in Hebraico esse *Rahuel*, רעואל. Sed idem hoc nomen est quod superiore Capitulo v. 14, in ipso Hebraico *Dahuel*, דעואל scribitur, sicque inferiur bis cap. VII, 42 et 47. Constatque totam diversitatis causam esse ex scribarum properantia nimiaque similitudine litterarum ד et ר repetendam.

dient arcam, mensanique et candelabrum, altaria et vasa sanctuarii in quibus ministratur, et velum, cunctaque hujuscemodi supellectilem. Princeps autem principum Levitarum Eleazar filius Aaron sacerdotis, erit super excubitores custodiæ sanctuarii. At vero de Merari erunt populi Mahalitæ et Musitæ recesiti per nomina sua : omnes generis masculini ab uno mense et supra, sex millia ducenti. Princeps autem [*Vulg. tac.* autem] eorum Suriel filius Abiajil ; in plaga septentrionali castrametabuntur. Erunt sub custodia eorum tabulæ tabernaculi et vectes, et columnæ ac bases earum, et omnia quæ ad cultum hujuscemodi pertinent : columnæque atrii per circuitum cum basibus suis, et paxilli cum funibus. Castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id est, ad orientalem plagam, Moses et Aaron [h. Moses et Aaron et filii ejus, id est, Aaron], cum filiis suis, habentes custodiam sanctuarii in medio filiorum Israel. Quisquis alienus accesserit, morietur. Omnes Levitæ, quos numeraverunt Moses et Aaron juxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino a mense uno et supra fuerunt viginti duo millia. [B. VII, C. VII.] Et ait Dominus ad Mosen : Numera primogenitos sexus masculini de filiis Israel a mense uno et supra, et habebis summam eorum. Tollesque Levitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel : ego sum [h. non habet, sum] Dominus : et pecora eorum pro universis primogenitis pecoris [*Vulg.* pecorum] filiorum Israel. Recensuit Moses, sicut præceperat Dominus, primogenitos filiorum Israel. Et fuerunt masculi per nomina sua, a mense uno et supra, viginti duo millia ducenti septuaginta tres. [C. VIII.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israel, et pecora Levitarum pro pecoribus eorum, eruntque Levitæ mei. Ego sum [h. non habet sum] Dominus. In pretio autem ducentorum septuaginta trium, qui excedunt numerum Levitarum de primogenitis filiorum Israel, accepies quinque siclos per singula capita ad mensuram sanctuarii. Siclus habet obolos viginti. Dabisque pecuniam Aaron et filiis ejus pretium eorum qui supra sunt. Tulit igitur Moses pecuniam eorum, qui fuerant amplius, et quos redemerant a Levitis pro primogenitis filiorum Israel, mille trecentorum sexaginta quinque siclorum juxta pondus sanctuarii, et dedit eam Aaron et filiis ejus juxta verbum quod preceperat sibi Dominus.

[C. IX, *Cap.* IV.] Locutusque est Dominus ad Mosen et Aaron, dicens : Tolle summam filiorum Caath de medio Levitarum per domos et filias suas, a tricesimo anno et supra, usque ad quinquagesimum annum, omnium qui ingrediuntur, ut stent, et ministrent in tabernaculo fœderis. Hic est cultus filiorum Caath : tabernaculum fœderis, et Sanctum sanctorum [h. Hic est cultus filiorum Caath in tabernaculo testimonii. Sancta sanctorum] ingredientur Aaron et filii ejus, quando movenda sunt castra, et deponent velum, quod pendet ante fores, involventque eo arcam testimonii, et operient rursum velamine janthinarum pellium, extendentque desuper pallium totum hyacinthinum, et inducent vectes. Mensam quoque propositionis involvent hyacinthino pallio, et ponent cum ea thuribula et mortariola, cyathos et crateras ad liba fundenda : panes semper in ea erunt ; extendentque desuper pallium coccineum, quod rursum operient velamento janthinarum pellium, et inducent vectes. Sument et pallium hyacinthinum [*Vulg.* et], quo operient candelabrum cum lucernis et forcipibus suis et emunctoris et cunctis vasis olei, quæ ad concinnandas lucernas necessaria sunt : et super omnia ponent operimentum janthinarum pellium, et inducent vectes. Nec non altare aureum involvent hyacinthino vestimento, et extendent desuper operimentum janthinarum pellium, inducentque vectes. Omnia vasa, quibus ministratur in sanctuario, involvent hyacinthino pallio, et extendent desuper operimentum janthinarum pellium, inducentque vectes. Sed et altare mundabunt cinere, et involvent illud purpureo vestimento, ponentque cum eo omnia vasa, quibus in ministerio ejus utuntur, id est, ignium receptacula, fuscinulas ac tridentes, uncinos et batilla. Cuncta vasa altaris operient simul velamine janthinarum pellium, et inducent vectes. [B. VIII.] Cumque involverint Aaron et filii ejus sanctuarium, et omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta : et non tangent vasa sanctuarii, ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis : super quos erit Eleazar filius Aaron sacerdotis, ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas [h. erit autem Eleazar filius Aaron sacerdotis super oleum ad concinnandas lucernas], et compositionis incensum, et sacrificium, quod semper offertur, et oleum unctionis, et quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniumque vasorum, quæ in sanctuario sunt. Locutusque est Dominus ad Mosen et Aaron, dicens : Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum ; sed hoc facite eis, ut vivant, et non moriantur, si tetigerint Sancta sanctorum [h. cum accesserint ad portanda Sancta sanctorum]. Aaron et filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, et dividet quid portare quis debeat. Alii nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario, priusquam involvantur, alioquin morientur. [B. IX, C. X.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Tolle summam etiam filiorum Gerson per domos ac familias et cognationes suas [h. per domos familiarum suarum], a triginta annis et supro, usque ad annos quinquaginta. Numera omnes, qui ingrediuntur, et ministrant in tabernaculo fœderis [h. testimonii]. Hoc est officium familiæ Gersonitarum, ut portent cortinas tabernaculi, et tectum fœderis, operimentum aliud et super omnia velamen janthinum tantoriumque, quod pendet in introitu tabernaculi fœderis, cortinas atrii, et velum in introitu,

quod est ante tabernaculum. Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos, et vasa ministerii, jubente Aaron et filiis ejus, portabunt filii Gerson : et scient singuli cui debeant onera mancipari. Hic est cultus familiæ Gersonitarum in tabernaculo fœderis, eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. [B. X.] Filios quoque Merari per familias et domos patrum suorum recensebis, a triginta annis et supra, usque ad annos quinquaginta, omnes qui ingrediuntur ad officium ministerii sui et cultum fœderis testimonii. Hæc sunt onera eorum : Portabunt tabulas tabernaculi et vectes ejus, columnas ac bases earum, columnas quoque atrii per circuitum cum basibus et paxillis et funibus suis. Omnia vasa et supellectilem ad numerum accipient, sicque portabunt. Hoc est officium familiæ Meraritarum, et ministerium in tabernaculo fœderis : eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. Recensuerunt igitur Moses et Aaron et principes Synagogæ filios Caath per cognationes et domos patrum suorum, a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad ministerium tabernaculi fœderis : et inventi sunt duo millia septingenti quinquaginta. Hic est numerus populi Caath, qui intrant tabernaculum fœderis : hos numeravit Moses et Aaron juxta sermonem Domini per manum Mosi. [C. XI.] Numerati sunt et filii Gerson per cognationes et domos patrum suorum, a triginta annis et supra, usque ad quinquagesimum annum, omnes qui ingrediuntur, ut ministrent in tabernaculo fœderis ; et inventi sunt duo millia sexcenti triginta. Hic est polus Gersonitarum, quos numeraverunt Moses et Aaron juxta verbum Domini. [C. XII.] Numerati sunt et filii Merari per cognationes et domos patrum suorum, a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad expleados ritus tabernaculi fœderis : et inventi sunt tria millia ducenti. Hic est numerus filiorum Merari, quos recensuerunt Moses et Aaron juxta imperium Domini per manum Mosi. Omnes qui recensisti sunt de Levitiis, et quos recenseri[1] fecit ad nomen Moses, et Aaron [h. quos numeraverunt Moses et Aaron, et principes Israel, per cognationes, et domos patrum suorum, a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, ingredientes ad ministerium tabernaculi, et onera portanda, fuerunt simul octo millia quingenti octoginta. Juxta verbum Domini recensuit eos Moses, unumquemque juxta officium et onera sua, sicut præceperat ei Dominus.

A

B

C

D

[T. III, B. XI, C. XIII, *Cap.* V.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : præcipe filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit pollutusque est super mortuo [h. pollutusque est *super anima*] : tam masculum quam feminam ejicite de castris, ne contaminent ea cum habitaverint[2] vobiscum [h. in quorum medio ego habito]. Feceruntque ita filii Israel, et ejecerunt eos extra castra sicut locutus est Dominus Mosi. [C. XIV.] Locutusque est Dominus Mosen, dicens : Loquere ad filios Israel : Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum, et reddent ispum caput, quintamque partem desuper, ei in quem peccaverint. Sin autem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino, et erit sacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, ut sit placabilis hostia. [C. XV.] Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent : et quidquid in sanctuarium offertur a singulis, et traditur manibus sacerdotis, ipsius erit. [B. XII, C. XVI.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere ad filios Israel, et dices ad eos : vir cujus uxor erraverit, maritumque contemnens dormierit cum altero viro, et hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, et testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro : si spiritus [h. et spiritus] zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur, adducet eam ad sacerdotem, et offeret oblationem pro illa, decimam partem sati [h. Epha] farinæ hordeacæ : non fundet super eam oleum, nec imponet thus : quia sacrificium zelotypiæ est et oblatio investigans adulterium [h. et oblatio recordationis investigans *iniquitatem*]. Offeret igitur eam sacerdos, et statuet coram Domino : assumetque aquam sanctam in vase fictili, et pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput ejus, et ponet super manus illius sacrificium recordationis, et oblationem zelotypiæ : ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum exsecratione maledicta congessit Abjurabitque eam, et dicet : Si non dormivit vir alienus tecum, et si non polluta es, deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi. Sin autem declinasti a viro tuo atque polluta es, et

[1] Verbum *recenseri* abest in omnibus mss. notris, quodque magis miramur, abest et in textu canonis Hebraicæ veritatis, quamvis e regione appositum sit scholion quo sufficienter docetur lector, nullum esse sensum hujus loci, nisi adsit in contextu supradictum verbum. Ad fidem igitur editionis Vulgatæ ea supplevimus, quæ notariorum antiquorum incuria fuerant prætermissa. MART.

— Verbum *recenseri*, quod ab omnibus Martianæi mss. aberat, supplet, asseritque nostris Urbinas codex. Palatinus nedum illud, sed et voces *ad nomen* prætermittit.

[2] Ita mss. omnes ad unum ; sed melius quod legitur in Vulgata nostra, scilicet, *habitaverim*, in prima persona singulari, ut scire licet e marginali scholio canonis Heb. ver. MART.

— Palatin. prima manu, *quia habito vobiscum*. Certe et Hebræus in prima persona iisdem prope verbis legit : אשר אני שכן חוגם.

concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subjacebis : Det te Dominus in maledictionem exemplumque cunctorum in populo suo : putrescere faciat femur tuum et tumens uterus tuus disrumpatur. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, et utero tumescente, putrescat femur [h. Cadere faciat *femur tuum*, et uterus tuus *intumescat*. Ingrediantur aquæ maledictæ in viscera *tua*, *ut* disrumpatur *uterus* femoris]. Et respondebit mulier, Amen, amen. Scribetque sacerdos in libello ista maledicta, et delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congessit, et dabit ei bibere. Quas cum exhauserit, tollet sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ, et elevabit illud coram Domino, imponetque super altare : ita duntaxat ut prius pugillum sacrificii tollat de eo quod offertur, et incendat super altare : et sic potum det mulieri aquas amarissimas. Quas cum biberit, si polluta est, et contemplo viro, adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, et inflato ventre, computrescet femur [h. disrupto utero cadet femur ejus] : eritque mulier in maledictionem, et in exemplum omni populo [h. in maledictionem in medio populi sui]. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, et faciet liberos. Ista est lex zelotypiæ. Si declinaverit mulier a viro suo, et si polluta fuerit, maritusque zelotypiæ spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu Domini, et fecerit ei sacerdos juxta omnia quæ scripta sunt maritus absque culpa erit, et illa recipiet iniquitatem suam [h. mulier recipiet iniquitatem suam].

[T. IV, B. XIII, C. XVII, *Cap.* VI.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere ad filios Israel, et dices ad eos : Vir, sive mulier, cum fecerint votum, ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare : vino et omni quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, et ex qualibet alia potione, et quidquid de uva exprimitur, non bibent : uvas recentes siccasque non comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur : quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum non comedent. Omni tempore separationis suæ[1] novacula non transibit super caput ejus, usque ad completum diem, quo Domino consecratur. Sanctus erit crescente cæsarie capitis ejus. Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur, nec super patris quidem et matris et fratris sororisque funere contaminabitur, quia consecratio Dei super caput ejus est. Omnes dies [h. Omnibus diebus] separationis suæ sanctus erit Domino[1]. Sin autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo [h. super eum], polluetur caput consecrationis ejus : quod radet illico in eadem die purgationis suæ, et rursum septima. In octava autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ sacerdoti in introitu fœderis testimonii. Facietque sacerdos unum pro peccato, et alterum in holocaustum, et deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo [h. super anima] sanctificabitque caput ejus in die illo : et consecrabit Domino dies separationis illius [h. sanctificabitque caput suum in die illa et consecrabit Domino dies separationis suæ]. offerens agnum anniculum pro peccato : ita tamen ut dies priores irriti fiant ; quoniam polluta est sanctificatio ejus. Ista est lex consecrationis. Cum dies, quos ex voto decreverat, complebuntur, adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis, et offeret oblationem ejus Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, et ovem anniculam immaculatam pro peccato, et arietem immaculatum, hostiam pacificorum, canistrum quoque panum azymorum, qui conspersi sint oleo, et lagana absque fermento uncta oleo, ac libamina singulorum : quæ offeret sacerdos coram Domino, et faciet tam pro peccato, quam in holocaustum. Arietem vero immolabit hostiam pacificorum Domino, offerens simul canistrum azymorum, et libamenta quæ ex more debentur. Tunc radet Nazaræi [*Vulg.* radetur Nazaræus] ante ostium tabernaculi fœderis cæsariem consecrationis ejus, tolletque capillos ejus, et ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum. Et armum coctum arietis, tortamque absque fermento unam de canistro, et laganum azymum unum, et tradet in manu Nazaræi, postquam rasum fuerit caput ejus. Susceptaque rursum ab eo, elevabit in conspectu Domini : et sanctificata sacerdotis erunt, sicut pectusculum, quod separari jussum est, et femur. Post hæc potest bibere Nazaræus vinum. Ista est lex Nazaræi, cum voverit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ, exceptis iis quæ invenerit manus ejus. Juxta quod mente devoverat, ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ. [B. XIV, C. XVIII.] Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere Aaron et filiis ejus : Benedicetis filiis Israel, et dicetis eis : Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui [h. illuminet Dominus faciem suam super te, et misereatur tui], Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Invocabuntque nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.

[T. V, B. XV, *Cap.* VII.] Factum est autem in die, qua complevit Moses tabernaculum, et erexit

[1] Manuscripti libri hunc versiculum duobus vel tribus modis legunt : plures sic habent, *Omnes dies separationis suæ sanctus erit Domino.* Alii vero, *Omni dies separationis suæ*, etc. Regius denique, de quo supra dictum est, legit cum Vulgata Latina, *Omnibus diebus separationis suæ*, etc. Variantes autem hujusmodi lectiones complectitur canon Heb. verit, docens quid juxta Hebræum legere debeas. MART.

— Frustra Martianæus reposuit *omnis*, perinde atque aliud sonet ac *omnes*, cum idem sit tamen, nec nisi veteris pronuntiationis, quæ I et E litteras promiscue mutat, ratione distent. Codex Urbinas clarius habet *omnibus diebus*, etc.

unxitque,et sanctificavit, cum omnibus vasis suis, altare similiter et omnia vasa ejus : obtulerunt principes Israel et capita familiarum,qui erant per singulas tribus, præfecti eorum, qui numerati fuerant, munera coram Domino, sex plaustra tecta cum duodecim bobus : unum plaustrum obtulere duo duces, et unum bovem singuli, obtuleruntque ea in conspectu tabernaculi. Ait autem Dominus ad Mosen: Suscipe ab eis ut serviant in ministerio tabernaculi testimonii (*Vulg. tac.* testimonii), et trades ea Levitis jauxta ordinem ministerii sui. Itaque cum suscepisset Moses plaustra et boves, tradidit eos Levitis. Duo plaustra et quatuor boves dedit filiis Gerson, juxta id quod habebant necessarium. Quatuor alia plaustra et octo boves dedit filiis Merari, secundum officia et cultum suum,sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. Filiis autem Caath non dedit *plaustra et boves* (h.non habet]:quia in sanctuario serviunt et onera propriis portant humeris. C B. XVII.) Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris, die qua unctum est, oblationem suam ante altare. (C. XIX.) Dixitque Dominus ad Mosen: Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris. Primo die obtulit oblationem suam Naasson filius Aminadab de tribu Juda : fueruntque in ea acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos, juxta pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: mortariolum ex decem *siclis* (h. non habet) aureis, plenum incenso : bovem (*Vulg. add.* de armento), et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato : et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc est oblatio Naasson filii Aminadab. Secundo die obtulit Nathanael filius Suar, dux *de tribu* [h. non habet] Issachar,acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, juxta pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium : mortariolum aureum habens decem siclos [h. aureos], plenum incenso ; bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato; et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque,agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Nathanael filii Suar. Tertio die princeps filiorum Zabulon, Eliab filius Helon, obtulit acetabulum argenteum,appendens centum trigenta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; mortariolum aureum appendens decem siclos [h. aureos], plenum incenso; bovem de armento,et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato, et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque,agnos anniculos quinque. Hæc est oblatio Eliab filii Helon. Die quarto princeps filiorum Duben, Elisur filius Sedeur, obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium ; mortariolum aureum appendens decem siclos [h. aureos], plenum incenso; bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato,et in hostias [h.sacrificium] pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Elisur filii Sedeur. Die quinto princeps filiorum Simeon, Selumiel [*Vulg.* Salamiel] filius Surisaddai, obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium ; mortariolum aureum appendens decem siclos [h. aureos], plenum incenso ; bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum; hircumque pro peccato et in hostias (h.sacrificium) pacificoorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Selumiel (*Vulg.* Salamiel) filii Surisaddai. Die sexto princeps filiorum Gad,Eliasaph filius Dehuel,obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; mortariolum aureum appendens decem siclos (h. semper habet, decem aureos), plenum incenso; bovem de armento et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, hircum pro peccato ; et in hostiam [h. semper habet, in sacrificium] pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Eliasaph filii Debuel. Die septimo princeps filiorum Ephraim, Elisama filius Ammiud, obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium ; mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso ; bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato ; et in hostias pacificorum, boves duos, arietes quinque, hircos quinque , agnos anniculos quinque . Hæc fuit oblatio Elisama filii Ammiud. Die octavo princeps filiorum Manasse, Gamaliel filius Phadassur,obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium, mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso; bovem de armento, et arietem,et agnum anniculum in holocaustum ; hircumque pro peccato, et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque,hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Gamaliel filii Phadassur. Die nono princeps filiorum Benjamin, Abidam filius Gedeonis, obtulit

A [illegible] Haec a delicatis [illegible] Israelitis [illegible] argentea duodecim, [illegible] argentea duodecim, [illegible] habuerat [illegible] ex argento [illegible] sacrificii. [illegible] Deinde [illegible] sacrificii, id est, sicut [illegible] argento [illegible] Exodum, agni [illegible] Deinde [illegible] Pag. [illegible] sacrificii. [illegible] agni sacrificii [illegible] Moses [illegible] Deinde [illegible] Moses [illegible] Deinde [illegible] Moses [illegible] Deinde

omni multitudine filiorum Israel. Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas super eos. Et offeret [h. elevabit] Aaron Levitas, munus in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum, e quibus unum facies pro peccato, et alterum in holocaustum Domini, ut depreceris pro eis. Statuesque Levitas in conspectu Aaron et filiorum ejus, et consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei. Et postea ingredientur tabernaculum fœderis [1] [h. semper habet tabernaculum placiti] ut serviant mihi. Sicque purificabis et consecrabis eos in oblationem Domini [h. non habet Domini], quoniam dono donati sunt mihi a filiis Israel. [C. XXII.] Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vulvam in Israel, accepi eos. Mea sunt omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus quam ex jumentis. Ex die quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificavi eos mihi, et tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel; tradidique eos dono Aaron et filiis ejus de medio filiorum Israel [2], ut serviant mihi pro filiis Israel in tabernaculo fœderis et orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad sanctarium [h. et orent pro filiis Israel, ne sit in filiis Israel plaga, cum accesserint filii Israel ad sanctuarium]. Feceruntque Moses et Aaron et omnis multitudo filiorum Israel super Levitis quæ præceperat Dominus Mosi: purificatique sunt, et laverunt vestimenta sua. Elevavitque eos Aaron in conspectu Domini, et oravit pro eis ut purificati ingrederentur ad officia sua (h. ut purificarentur. Et post hæc ingressi sunt Levitæ ad officia sua] in tabernaculum fœderis coram Aaron et filiis ejus. Sicut præceperat Dominus Mosi de Levitis, ita factum est. [B. XIX, C. XXIII.] Locutusque Dominus ad Mosen, dicens: Hæc est lex Levitarum: A viginti quinque annis et supra ingredientur, ut ministrent in tabernaculo fœderis. Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt: eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis ut custodiant quæ sibi fuerint commendata, opera autem *ipsæ* (h. non habet) non faciant. Sic dispones Levitis in custodiis suis.

(T. VI, B. XX, C. XIX, *Cap.* IX.) Locutus est Dominus ad Mosen in deserto Sinai, anno secundo postquam egressi sunt de terra Ægypti, mense primo, dicens: Faciant filii Israel Phase in tempore suo quarta decima die mensis hujus ad vesperam, juxta omnes cæremonias et justificationes ejus. Præcepitque Moses filiis Israel, ut facerent Phase. Qui fecerunt tempore suo: quarta decima die mensis ad vesperam, in monte Sinai (h. in deserto Sinai). Juxta omnia quæ mandaverat Dominus Mosi, fecerunt filii Israel. (C. XXV.) Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere Phase in die illo, accedentes ad Mosen et Aaron dixerunt eis: Immundi sumus super anima hominis. Quare fraudamur ut non valeamus offerre oblationem Domino in tempore suo inter filios Israel? Quibus respondit Moses: State ut consulam quid præcipiat Dominus de vobis. (C. XXVI.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Loquere filiis Israel: Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domini [3] mense secundo, quarta decima die mensis ad vesperam, cum azymis et lactucis *agrestibus* (h. non habet) comedent illud: non relinquent ex eo quidpiam usque mane, et os ejus non confringent, omnem ritum Phase observabunt. Si quis autem et mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo: peccatum suum ipse portabit. Peregrinus quoque et advena [4] si fuerit apud vos (h. advena quoque qui peregrinabitur apud vos), faciet Phase Domino juxta cæremonias et justificationes ejus. Præceptum idem erit apud vos tam advenæ quam indigenæ. (B. XXI.) Igitur die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis usque mane. Sic fiebat jugiter: per diem operiebat illud nubes, et per noctem quasi species ignis. (B. XXVI, C. XXVII.) Cumque ablata fuisset nubes quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israel, et in loco ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur. Ad imperium Domini proficiscebantur, et ad imperium illius figebant tabernaculum (h. castrametabantur). Cunctis diebus, quibus stabat nubes super tabernaculum, manebant in eodem loco; et si evenisset ut multo tempore maneret super illud, erant filii Israel in excubiis Domini, et non proficiscebantur quot quot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria (h. proficisce-

[1] Monet hic scholion marginale, textum Hebraicum, pro *tabernaculo fœderis*, semper habere *tabernaculum placiti*. In Hebræo quidem legimus semper אהל מועד, *ohel moed*: מועד *moed* vero ab Hieronymo *placitum* interpretatur lib. I Regum cap. xx, 35, et alibi: unde non improbabile sumitur argumentum, scholis marginalia canonis Hebr. verit. auctorem habuisse eumdem Hieronymum. MART.

— Idem mss., *ingrediantur*. Quod adnotat Scholiastes semper in Hebræo haberi *tabernaculum placiti*, id est מועד. Hieronymus plerumque *testimonii*, aut *fœderis* vertit, rarius *placiti*. Et potuit tamen ex hoc ipso putare Martianæus auctorem scholiorum Hieronymum.

[2] In Vulgatis, *De medio populi, ut serviant mihi pro Israel*.

[3] Mss. et canon *faciet phase Domini*; quod perinde est, quia יהוה. *Ladonai* potest interpretari, et *Domino* et *Domini* ut norunt linguæ Hebraicæ periti. MART.

[4] Urbinas ms., *Peregrinus vero et advena* mox cum aliis, *Faciet Phase Domini*, pro Domino.

bantur, et ad imperium Domini castrametabantur), et ad imperium illius deponebant. Si fuisset nubes a vespere usque mane, et statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur : et si post diem et noctem recessisset, dissipabant tentoria (h. proficiscebantur). Si biduo aut uno mense vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filii Israel in eodem loco, et non proficiscebantur statim autem ut recessisset, movebant *castra* (h. non habet). Per verbum Domini figebant tentoria (h. castrametabantur), et per verbum illius proficiscebantur ; erantque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Mosi.

(B. XXIII, C. XXVIII, *Cap.* X.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Fac tibi duas tubas (h. tibias) argenteas ductilis, quibus convocare possis multitudinem quando movenda sunt castra. Cumque increpueris (h. increpuerint) tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis. Si semel clangueris, venient ad te principes, et capita multitudinis Israel. Sin autem prolixior atque concisus clangor increpuerit (h. Si una illarum clanguerint, venient ad te principes, capita multitudinis Israel : sin autem concisus clangor increpuerit), movebunt castra primi qui sunt ad orientalem plagam. In secundo autem sonitum et pari ululatu tubæ levabunt tentoria (h. castra) qui habitant ad meridiem, et juxta hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem. Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, et non concise ululabunt. Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis : eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Si quando habebitis epulum, et dies festos, et Kalendas, canetis tubis super holocaustis et pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri. (h. in recordationem in conspectu Dei vestri. Ego Dominus). Deus vester. (T. VII, B. XXIV, C. XXIX.) Anno secundo, mense secundo, vicesima die mensis, elevata est nubes de tabernaculo fœderis (h. testimonii) : profectique sunt filii Israel per turmas suas de deserto Sinai, et recubuit nubes in solitudine Pharan : moveruntque castra primi juxta imperium Domini in manu Mosi. Filii Juda per turmas suas : quorum princeps erat Naasson filius Aminadab. In tribu filiorum Issachar fuit princeps Nathanael filius Suar. In tribus Zabulon erat princeps Eliab filius Helon. Depositumque est tabernaculum, quod portantes egressi sunt filii Gerson et Merari. Profectique sunt et filii Ruben, per turmas et ordinem suum : quorum princeps erat Elisur filius Sedeur. In tribu autem filiorum Simeon, princeps fuit Selumiel filius Surisaddai. Porro in tribu Gad erat princeps Eliasaph filius Dehuel. Profectique sunt et Caathitæ portantes sanctuarium (h. Et erigebant tabernaculum donec venirent, id est, erigebant tabernaculum filii Gerson et Merari, donec venirent Caathitæ). Tandiu tabernaculum portabatur donec venirent ad erectionis locum. Moverunt castra et filii Ephraim per turmas suas, in quorum exercitu princeps erat Elisama filius Ammiud. In tribu autem filiorum Manasse princeps fuit Gamaliel filius Phadassur. Et in tribu Benjamin dux [*Vulg. add.* erat] Abidan filius Gedeoni. Novissimi castrorum omnium profecti sunt filii Dan per turmas suas, in quorum exercitu princeps fuit Ahiezer filius Amisaddai. In tribu autem filiorum Aser erat princeps Phagahiel filius Achran. Et in tribu filiorm Nephthali princeps Ahira filius Henan. Hæc sunt castra [h. Hæ sunt profectiones], et profectiones filiorum Israel per turmas suas, quando egredicbantur. [B. XXV, C. XXX.] Dixitque Moses Hobab filio Raguel Madianiti, cognato suo : Proficiscimur ad locum quem Dominus daturus est nobis : veni nobiscum, ut benefaciamus tibi : quia Dominus bona promisit Israel. Cui ille respondit : Non vadam tecum, sed revertar in terram meam, in qua natus sum. Et ille : Noli, inquit, nos relinquere : tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster [h. Tu enim nosti quomodo in deserto castrametati sumus, et eris nobis ut oculi]. Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis daturus [*Vulg.* traditurus] est Dominus, dabimus tibi. [B. XXVI.] Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres providens castrorum locum. Nubes quoque Domini super erat per diem, cum incederent. Cumque elevaretur arca, dicebat Moses : Surge Dnmine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te, a facie tua. Cum autem deponeretur, aiebat : Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel.

(B. XXVII, C. XXXI, *Cap.* XI.) Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem. Cumque clamasset populus ad Mosen, oravit Moses ad Dominum, et absorptus est ignis. Vocavitque nomen loci illius, Incensio : eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini. (B. XXVII, C. XXXII.) Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio [1], sedens et flens, junctis sibi pa-

[1] Nonnulli codices mss. legunt cum canone Hebr. veritatis, *desiderio carnium* : sed illud *carnium* merum est additamentum marginale, exponens quo desiderio vulgus flagraverit. Translatum est autem in sacrum contextum librariorum imperitia, uti scire licet e ms. Bibliorum Regio codice

riter filiis Israel, et ait : Quis dabit nobis ad vescendum carnes ? Recordamur piscium, quos comendebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique et cepæ. et allia. (h. Nunc autem anima nostra arida est), Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man. (C. XXXIII). Erat autem man quasi semen coriandri, coloris bdellii. Circumibatque populus, et colligens illud, frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, et faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati. Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter et man. Audivit ergo Moses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratusque est furor Domini valde : sed et Mosi intoleranda res visa est. Et ait ad Dominum : Cur afflixisti servum tuum ? quare non invenio gratiam coram te ? et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me ? Nunquid ego concepi omnem hanc multudinem, vel genui eam, ut dicas mihi : Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram, pro qua jurasti patribus eorum ? Unde mihi carnes, ut dem tantæ multitudini [2] fient contra me, dicentes : Da nobis carnes, ut comedamus. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis mihi est. Sin aliter tibi videtur, obsecro (h. Si sic mihi facturus es, obsecro), ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. (B. XXIX.) Et dixit Dominus ad Mosen : Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri : et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis (h. ad tabernaculum fœderis), faciesque ibi stare tecum, ut descendam, et loquar tibi : et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris. Populo quoque dices : Sanctificamini cras, et comedetis carnes. Ego enim audivi vos dicere : Quis dabit nobis escas carnium ? bene nobis erat in Ægypto. Ut det vobis Dominus carnes, et comedatis (h. Dabit quoque Dominus vobis carnes, et comedetis) : non uno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem, sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, et vertatur in nauseam, eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, et fleveritis coram eo dicentes : Quare egressi sumus ex Ægypto ? [C. XXXIV.] Et ait Moses : Sexcenta milia peditum hujus populi sunt. Et tu dicis : Dabo eis esum carnium mense integro ? Nunquid ovium et boum multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum ? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient ? Cui respondit Dominus

A Nunquid manus Domini invalida est ? Jam nunc videbis utrum meus sermo opere compleatur. (B, XXX, C. XXXV.] Venit igitur Moses, et narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus populi [*Vulg.* Israel], quos stare fecit circa tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem, et locutus est ad eum auferens de spiritu, qui erat in Mose, et dans septuaginta viris. Cumque requievisset in eis spiritus: prophetaverunt, nec ultra cessaverunt (h. et non cessaverunt). Remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, et alter Medad, super quos requievit spiritus. Nam et ipsi descripti fuerant, et non exierant ad tabernaculum. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, et nuntiavit Mosi, dicens; B Eldad et Medad prophetant in castris. Statim Josue filius Nun, minister Mosi, electus e pluribus, ait : Domine mi Mose, prohibe eos [h. reclude eos [2]]. At ille : Quid, inquid, æmularis pro me ? quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum ? [B. XXXI,] Reversusque est Moses et Majores natu Israel in castra. Ventus autem egrediens a Domino, arreptas trans mare coturnices detulit, et demisit in castra itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram [h. ex omni parte castrorum per circuitum, et duorum cubitorum altitudine super faciem terræ). Surgens ergo populus toto die illo, et nocte, ac die altero, congregavit coturnicum, qui parum, decem coros (h. qui narum decem aggeres. qui Hebraice dicuntur hamarim), et C siccaverunt eas per gyrum castrorum. Adhuc carnes erant in dentibus (h. inter dentes) eorum, nec defecerat hujusmodi cibus : et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus. Sepulcra concupiscentiæ ibi enim spelierunt populum qui desideraverat. [T. VIII.] Egressi autem de Sepulcris concupiscentiæ venerunt in Asaroth. et manserunt ibi.

(B. XXXII. C. XXXVI. *Cap.* XII) Locutaque est Maria et Aaron contra Mosen propter uxorem ejus Æthiopissam. et dixerunt Nun per solum Mosen locutus est Dominus ? nonne et nobis similiter est locutus ? Quod cum audisset Dominus (erat enim D Moses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra), statim locutus est ad eum et ad Aaron et ad Mariam : Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. Cumque fuissent, egressi, descendit Dominus in columna nubis, et stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron et Mariam. Qui cum issent, dixit ad eos :Audite sermo-

n. 2563, in quo vox *carnium* scripta erat in margine præcedentibus duobus punctis, quæ ibidem adhuc supersunt, quamvis nomen *carnium* expunctum sit omnino ut alienum a textu. MART.

[1] Addit Urbinas mss. *carnium*, quam vocem et in suis codd. Mart æneus invenit.

[2] Hebraice כלואם, *kelaem*, sive *chelaem* ; quod Chaldæus vertit אסרנך, *esarinum*, id est, *mitte eos in carcerem*, sive *reclude eos* juxta scholion. Porro verbum כלא, *chala* vel *cala*, Hieronymus sæpissime interpretatur *prohibere*, aut *claudere*, et כלוא *calu*, apud eum in Prophetis significat clausuram seu carcerem, Nihil igitur obstat, quin scholion istud vere sit Hieronymianum. MART.

nes meos : Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est : ore enim ad os loquor ei,et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt [h, et figuram Domini aspexit]. Quare ergo non timuisti detrahere servo meo Mosi? Iratusque contra eos, abiit : nubes quoque recessit, quæ erat super tabernacutum : et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. Cumque respexisset eam Aaron, et vidisset perfusam lepra, ait ad Mosen : Obsecro, domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte commisimus, ne fiat hæc quasi mortua, et ut aborvitum quod projicitur de vulva matris suæ.

Ecce jam medium carnis ejus devoratum est a epra [h. medietate carnis ejus jam codsumpta). Clamavitque Moses ad Dominum, dicens : Deus, obsecro, sana eam. Cui respondit Dominus : Si pater ejus expuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem dierum rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, et postea revocabitur [h. colligetur], Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus : et populus non est motus de loco illo, donec revocata [h. collecta] est Maria.

[C. XXXIII, *Cap.* XIII.] Profectusque est populus de Aseroth,fixis tentoriis [h.castrametati sunt] in deserto Pharan. Ibique locutus est Dominus ad Mosen, dicens : Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus, ex principibus [h.patrum suorum]. Fecit Moses quod Dominus imperaverat, de deserto Pharan mittens principes viros, quorum ista sunt nomina. De tribu Ruben, Sammua filium Zecchur. De tribu Simeon, Saphat filium Huri. De tribu Juda, Chaleb filium Jephonnne. De tribu Issachar, Igal filium Joseph. De tribu Ephraim, Osee filium Nun. De tribu Benjamin, Phalti filium Raphu. De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi. De tribu Joseph, ex tribu (*Vulg.* sceptri) Manasse, Gaddi filium Susi. De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli. De tribu Aser, Sathur (*Vulg.* Sthur) filium Michael. De tribu Nephtali, Naabi filium Vaphsi. De tribu Gad, Guel filium Machi. (C. XXXVIII). Hæc sunt nomina virorum, quos misit Moses ad considerandam terram : vocavitque Osee filium Nun, Josue. Misit ergo eos Moses ad considerandam terram Chanaan, et dixit ad eos : Ascendite per meridianam plagam. Cumque veneritis ad montes (h. montem, id est, Jerusalem), considerate terram, qualis sit, et populum qui habitator est ejus, utrum fortis sit an infirmus : pauci numero an plures ; ipsa terra bona, an mala ; urbes quales, muratæ an absque muris : humus, pinguis an sterilis, nemorosa an absque arboribus. Confortamini, et afferte nobis de fructibus terræ. Erat autem tempus quando jam præcoces uvæ vesci possunt. Cumque ascendissent, exploraverunt terram a deserto Sin, usque Roob intrantibus Emath. Ascenderuntque ad meridiem, et venerunt in Hebron, ubi erant Ahimam et Sesai et Tholmai filii Enac. Nam Hebron septem annis ante Thanim urbem Ægypti condita est. Pergentesque usque ad torrentem Botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis et de ficis loci illius tulerunt : qui appellatus est Nehel-Eschol, id est, torrens Botri, eo quod botrum inde portassent filii Israel. Reversique exploratores terræ post quadraginta dies, *omni regione circuita* (h· non habet) venerunt ad Mosen et Aaron et ad omnem cœtum filiorum Israel in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutique eis et omni multitudini ostenderunt fructus terræ, et narraverunt, dicentes: Venimus in terram, ad quam misisti nos quæ revera fluit lacte et melle, ut ex his fructibus cognosci potes : sed cultores fortissimos habet, et urbes grandes nimis (*Vulg. tac.* nimis) atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi. Amalec habitat in meridie, Hethæus et Jebusæus et Amorrhæus in montanis : Chananæus vero moratur juxta mare et circa fluenta Jordanis. Inter hæc Chaleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Mosen, ait : Ascendamus, et possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. Alii vero, qui fuerant cum eo, dicebant : Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. Detraxeruntque terræ, quam inspexerant, apud filios Israel, dicentes : Terra quam lustravimus devorat habitatores suos : populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo : quibus comparati, quasi locustæ videbamur.

(B. XXXIV. *Cap.* XIV.) Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa, et murmurati sunt contra Mosen et Aaron cuncti filii Israel, dicentes : Utinam mortui essemus in Ægypto : et in hac vasta solitudine utinam pereamus[1], et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, (h. Utinam mortui essemus in Ægypto, aut in hac vasta solitudine. Quare Dominus inducit nos in terram istam, ut cadamus gladio?), et uxores ac liberi nostri ducantur captivi. Nonne melius est revertun Ægyptum? Dixeruntque alter ad alterum : Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum. Quo audito Moses et Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum

[1] Cum negatione hunc locum legunt omnes mss. veteres, *Et non in hac vasta solitudine utinam pereamus.* At manifestus ibi est error librariorum, qui sensum Scripturæ nequaquam assequuntur. Consule adnotationem canonis. MART .

— Nostri et quos Martian, consuluit, mss. libri cum negandi particula, *Et non inhac vasta solitudine.* Ita et vulgati ante correctionem Sixti Quinti præferunt.

Israel. At vero Josue filius Nun et Chaleb filius Jephonne, qui et ipsi lustraverant terram, scinderunt vestimenta sua, et ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt : Terra quam circuivimus, valde bona est. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manantem. Nolite rebelles esse contra Dominum : neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem ita eos possumus devorare. Recessit ab illis omne præsidium : Dominus nobiscum est, nolite metuere. Cumque clamaret omnis multitudo, et lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis [h. in tabernaculo fœderis] cunctis filiis Israel. [B. XXXV.] Et dixit Dominus ad Mosen : Usquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi, in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam : te autem faciam principem super gentem magnam, et fortiorem, quam hæc est [h. Te autem faciam in gentem magnam et fortiorem, quam hæc est]. [C. XXVIII.] Et ait Moses ad Dominum : Ut audiant Ægyptii, de quorum medio eduxisti populum istum, et habitatores terræ hujus, qui audierunt quod tu, Domine, in populo isto sis, et facie videaris ad faciem. Et nubes tua protegat illos, et in columna nubis præcedas eos per diem, et in columna ignis per noctem : quod occideris tantam multitudinem quasi unum hominem, et dicant : Non poterat introducere populum in terram, pro qua juraverat : idcirco occidit eos in solitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut jurasti dicens [h. sicut locutus es, dicens] : Dominus patiens et multæ misericordiæ, auferens iniquitatem et scelera nullumque innoxium derelinquens [1], qui visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem. Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum. [B. XXXVI.] Dixitque Dominus : Dimisi juxta verbum tuum. Vivo ego, et implebitur gloria Domini universa terra. Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, et signa, quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. Sed [*Vulg. tac.* Sed] servum meum Chaleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuivit, et semen ejus possidebit eam. Quoniam Amalecites et Chananæus habitant in vallibus. Cras movete castra, et revertimini in solitudinem per viam maris Rubri. [C. XXXIX]. Locutusque est Dominus ad Mosen et Aaron, dicens : Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum A Israel audivi. Dic ergo eis : Vivo ego, ait Dominus sicut locuti estis, audiente me, sic faciam vobis. In solitudinem hanc jacebunt cadavera vestra. Omnes qui numerati estis a viginti annis et supra et murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam levavi manum meam ut habitare vos facerem [h. in ea], præter Chaleb filium Jephonne, et Josue filium Nun. Parvulos autem vestros, de quibus dixistis, quod prædæ hostibus forent, introducam, ut videant terram, quæ vobis displicuit. Vestra cadavera jacebunt in solitudine [h. in solitudine ista]. Filii vestri erunt vagi [h. pastores] in deserto anni quadraginta, et portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera [h. vestra] patrum in deserto, juxta numerum quadraginta
B dierum, quibus considerastis terram : annus pro die imputabitur. *Et* [h. non habet] quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, et scietis ultionem meam : quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit adversum me : in solitudine hac deficiet et morietur. [C. XL.] Igitur omnes viri, quos miserat Moses ad contemplandam terram, et qui reversi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ quod esset mala, mortui sunt atque percussi in conspectu Domini. Josue autem filius Nun, et Chaleb filius Jephonne, vixerunt ex omnibus, qui perrexerant ad considerandam terram. Locutusque est Moses universa verba hæc ad omnes filios Israel, et luxit populus nimis. Et ecce mane primo surgentes ascenderunt
C verticem montis, atque dixerunt : Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est, quia peccavimus. Quibus Moses : Cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum? [C. XLI]. Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum (h. in medio vestrum), ne corruatis coram inimicis vestris. Amalecites et Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino, nec erit Dominus vobiscum. At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem testamenti Domini et Moses non recesserunt de castris. Descenditque Amalecites et Chananæus, qui habitabat in monte, et percutiens eos, atque concidens, persecutus est eos usque Horma.

D [T. IX, B XXXVII, C. XLII, *Cap.* XV]. Locutus est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere ad filios Israel, et dices ad eos : Cum ingressi fueritis terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis, et feceritis oblationem Domino in holocaustum, aut victimam, vota solventes, vel sponte offerentes munera, aut in solemnitatibus vestris adolentes odorem suavitatis Domino, de bobus, sive de ovibus : offeret quicunque immolaverit victimam, sacrificium similæ decimam partem *ephi* [h. non

[1] Hebræus נוקה לא ינקה : quæ ad verbum reddi possunt, *Et purificando non purificabis*. Eadem illa verba Hieronymus supra ad Exod. xxxiv, 7, interpretatus est, *Nullus apud te per se innocens est*. Exponit vero in Dialogo contra Pelagianos, atque alibi.

habet] conspersam oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin, et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ dabit in holocaustum, sive in victimam. Per agnos singulos et [h. et per singulos] arietes [1] erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin : et vinum ad libamentum tertiæ partis hin [*Vulg. tac.* hin] ejusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis Domino. Quando vero de bobus feceris holocaustum aut hostiam, ut impleas votum, vel pacificas victimas, dabis per singulos boves similæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin, et vinum ad iba fundenda ejusdem mensuræ in oblationem suavissimi odoris Domino. Sic facies per singulos boves et arietes et agnos et hædos. Tam indigenæ, quam peregrini eodem ritu offerent sacrificia. Unum præceptum erit atque judicium [h. legitimum *unum et judicium unum*] tam vobis quam advenis terræ [B. XXXVIII, C. XLIII]. Locutus est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Cum veneritis in terram, quam dabo vobis, et comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino de cibis vestris. Sicut de areis primitias separatis, ita et de pulmentis [h. de farina conspersa] dabitis primitiva Domino [h. a generatione et generationibus vestris]. [C. XLIV.] Quod si per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus ad Mosen, et mandavit per eum ad vos, a die, qua cœpit jubere et ultra, oblitaque fuerit facere multitudo : offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, et sacrificium ejus ac liba, ut cæremoniæ postulant, hircumque pro peccato, et rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel, et dimittetur eis, quoniam non sponte peccaverunt, nihilominus offerentes incensum Domino pro se et pro peccato atque errore suo : et dimittetur universæ plebi filiorum Israel, et advenis, qui peregrinantur inter vos [*Vulg.* eos] : quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam. Quod si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo, et deprecabitur pro ea sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino : impetrabitque ei veniam, et dimittetur illi. Tam indigenis quam advenis una lex erit omnium qui peccaverint ignorantes. [C. XLV.] Anima vero, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus (quoniam adversus Dominum rebellis fuit), peribit de populo suo : verbum enim Domini contempsit, et præceptum illius fecit irritum : idcirco delebitur, et portabit iniquitatem suam. [B. XXXIX, C. XLVI]. Factum est autem cum essent filii Israel in solitudine, et invenissent homi-

A nem colligentem ligna in die Sabbati, obtulerunt eum Mosi et Aaron et universæ multitudini. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Mosen : Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. Cumque eduxissent eum foras, obruerunt [*Vulg. add.* eum] lapidibus, et mortuus est sicut præceperat Dominus. [B. XL, C. XLVII.] Dixit quoque Dominus ad Mosen : Loquere filiis Israel, et dices ad eos ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes [h. per generationes suas, ponentes, etc.] In eis vitas hyacinthinas : quas cum viderint, recordabuntur [*Vulg.* recordentur] omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, et oculos per res varias B fornicantes : sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo. Ego Dominus Deus vester qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vester Deus [h. Ego Dominus Deus vester].

[T. X, B. XLI, *Cap.* XVI.] Ecce autem Core filius Isaac, filii Caath, filii Levi, et Dathan atque Abiram filii Eliab, On quoque filius Pheleth de filiis Ruben, surrexerunt contra Mosen, aliique filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, et qui tempore concilii per nomina vocabantur. Cunque stetissent adversum Mosen et Aaron, dixerunt : Sufficiat vobis : quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus [h. in medio eorum Dominus] : Cur elevamini super populum Domini? Quod cum audisset Moses, cecidit pronus in faciem [h. cecidit super facies], locutusque est C ad Core et ad omnem multitudinem : Mane, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi : et quos elegerit, appropinquabunt ei. Hoc igitur facite : Tollat unusquisque thuribula sua, tu Core, et omne concilium tuum : et hausto cras igne, ponite desuper thymiama coram Domino : et quemcunque elegerit, ipse erit sanctus : multum erigimini, filii Levi. Dixitque rursum ad Core : Audite, filii Levi : Num parum vobis est, quod separavit vos Deus Israel ab omni populo, et junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, et ut staretis coram frequentia populi, et ministraretis ei [h. ei, id est, populo]? Idcirco ad se fecit accedere te et omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vindicetis, et omnis D globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron ut murmuretis contra eum? Misit ergo Moses ut vocaret Dathan et Abiram filios Eliab. Qui reponderunt : Non venimus. Numquid parum est *tibi* [h. non habet] quod eduxisti nos de terra, quæ lacte et melle manabat, ut occideres nos in deserto, nisi et dominatus fueris nostri? Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis et mellis, et

[1] Hebræus hodiernus non habet, *Per singulos arietes*, etsi scholion moneat. Syrus tamen eodem modo legit, id est, *pro ariete uno*, quod significat *per singulos arietes*. MART.

— Hic τελείαν στίγμην apponit Urbinas ms. superioribus nectens verba *per agnos singulos*. Legitque : *Et arietis erit sacrificium simile* : quæ licet temeritatem critici antiquarii redoleant, minime pigeat novisse.

dedisti nobis possessiones agrorum et vinearum, an et oculos nostros vis eruere? Non venimus [h. non enim induxisti nos in terram quæ fluit rivis lactis et mellis, nec dedisti nobis possessiones agrorum, et vinearum. Etiamsi oculi virorum illorum eruerentur, non veniemus]. Iratusque Moses valde, ait ad Dominum : Ne respicias sacrificia eorum : tu scis quod ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum : dixitque ad Core : Tu et omnis congregatio tua state seorsum coram Domino, et Aaron die crastino separatim. Tollite singuli thuribula vestra, et ponite super ea incensum, afferentes Domino ducenta quinquaginta thuribula : Aaron quoque teneat thuribulum suum. Quod cum fecissent, stantibus Mose et Aaron, et coacervassent adversum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini. (B. XLII.) Locutusque Dominus ad Mosen et Aaron, ait : Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt : Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet (h. contra omnes indignaberis)? Et ait Dominus ad Mosen : Præcipe universo populo ut separetur a tabernaculis Core, Dathan et Abiram : Surrexitque Moses, et abiit ad Dathan et Abiram : et sequentibus eum senioribus Israel, dixit ad turbam : Recedite a tabernaculis hominum impiorum (h. istorum), et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan et Abiram egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus et liberis, omnique frequentia. Et ait Moses : In hoc scietis, quod Dominus miserit me ut facerem universa quæ cernitis, et non ex proprio corde ea protulerim. Si consueta hominum moarte interierint, et visitaverit eos plaga, qua et cæteri visitari solent, non misit me Dominus : sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos et omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis, quod blasphemaverint Dominum. Confestim igitur ut cessavit loqui, disrupta est terra sub pedibus eorum : et aperiens os suum, devoravit (h. deglutivit) illos cum tabernaculis suis et universa substantia (*Vulg. add.* eorum), descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicentes : Ne forte et nos terra deglutiat. Sed et ignis egressus a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. Locutusque est Dominus ad Mosen dicens : Præcipe (h. dic) Eleazaro filio Aaron sacerdoti ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, et ignem huc illucque dispergat : quoniam sanctificata sunt in mortibus peccatorum, producatque ea in laminas (h. Et eamdem thuribula peccatorum producat in laminas), et affigat altari eo quod oblatum sit in eis incensum Domino, et sanctificata sint, ut cernant ea pro signo et monimento filii Israel. Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi quos incendium devoravit, et produxit ea in laminas, affigens altari, ut haberent postea filii Israel, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, et qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core, et omnis congregatio ejus, loquente Domino ad Mosen. Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Mosen et Aaron, dicens : Vos interfecistis populum Domini. Cumque oriretur seditio [1], et tumultus incresceret, Moses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod postquam [2] ingressi sunt, operuit nubes tabernaculum (*Vulg. tac.* tabernaculum), et apparuit gloria Domini. Dixitque Dominus ad Mosen [3] : Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos. (B. XLIII, C. XLVIII). Cumque jaceret in terra, dixit Moses et Aaron : Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum ut roges pro eis : jam enim egressa est ira (h. indignatio) a Domino, et plaga desævit. Quod cum fecisset Aaron, et cucurisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, abstulit thymiama : et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga (h. incendium [4]) cessavit. Fuerunt autem qui percussi sunt, quatuordecim milia hominum, et septingenti absque his qui perierant in seditione Core. Rever-

[1] H. Cumque congregaretur multitudo populi adversus Mosen et Aaron, aspexerunt ad tabernaculum fœderis, et ecce operuit illud nubes, et apparuit gloria Domini. Quod postquam ingressi sunt Moses et Aaron, locutus est Dominus ad Mosen dicens : Recedite de medio hujus multitudinis, repente devorabo eos. Ceciderunt Moses et Aaron proni in terram. MART.

— Hebr. Scholion ita habet : « Cumque congregaretur multitudo populi adversus Mosen et Aaron, aspexerunt ad tabernaculum fœderis, et ecce operuit illud nubes, et apparuit gloria Domini. Quod postquam ingressi sunt Moses et Aaron, locutus est Dominus ad Mosen dicens : Recedite de medio hujus multitudinis, repente devorabo eos. Ceciderunt Moses et Aaron proni in terram. » Martianæus quoque ad hunc locum, *incendium* pro *plaga* dici ex historiæ contextu magis probat hic atque inferius.

[2] Urbinas ms., *quia postquam*, etc.

[3] De suo addit idem ms., *et Aaron*.

[4] Monet nos marginalis isthæc adnotatio, pro *plaga* in Hebræo haberi *incendium*. Id vero certum esse comprobatur, si scripturæ præsentis sensum attendamus, non verba ; nam verbum hebraicum est מגפה, *maggepha*, quod significat *plagam* ac *percussionem* quamlibet, pro qualitate autem hujus loci determinatur ad significandum incendium, quo vastabatur multitudo filiorum Israel, ut dicitur versu superiori. MART.

— Codices omnes, quod ad hunc locum consuluimus, *absque* habent pro *cum*. Notatum et Hebræo scholiastæ ita sua tempore prætulisse Latinos codices, quos nostros vocat.

susque est Aaron ad Mosen ad ostium tabernaculi fœderis postquam quievit interitus,

(B. XLIV, C. XLIX, *Cap.* XVII.) Et locutus est Dominus ad Mosen, dicens : Loquere ad filios Israel, et accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, a cunctis principibus tribuum, virgas duodecim (h. et sint virgæ duodecim), et uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ. Nomen autem Aaron erit in tribu (h. in virga) Levi, et una virga cunctas eorum (*Vulg.* seorsum) familias continebit, ponesque eas in tabernaculo fœderis, coram testimonio, ubi loquar ad te. Quem ex his elegero, germinabit virga ejus, et cohibebo a me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant. Locutusque est Moses ad filios Israel : et dederunt, ei omnes principes virgas per singulas tribus : fueruntque virgo duodecim cum (h. cum. Nostri, absque) virga Aaron [1]. Quas cum posuisset Moses coram Domino in tabernaculo testimonii, sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi, et turgentibus gemmis, eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt (h. qui in amygdalas deformati sunt). Protulit ergo Moses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel : videruntque, et receperunt singuli virgas suas. Dixitque Dominus ad Mosen : Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum (*Vulg. add.* Israel), et quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur. Fecitque Moses sicut præceperat Dominus. Dixerunt autem filii Israel ad Mosen : Ecce defecimus (*Vulg.* consumpti sumus), omnes perivimus. Quicunque accedit ad tabernaculum Domini, morietur (*Vulg.* moritur). Num usque ad internecionem cuncti delendi sumus ?

(T. XI. B. XLV, C. L, *Cap.* XVIII.) Dixitque Dominus ad Aaron : Tu, et filii tui, et domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem sanctuarii : et tu et filii tui simul, sustinebitis peccata sacerdotii vestri. Sed et fratres tuos de tribu Levi, sceptrum patris tui sume tecum, præstoque sint et ministrent tibi, tu autem et filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii. Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua, et ad cuncta opera tabernaculi, ita duntaxat, ut ad vasa sanctuarii et ad altare non accedant, ne et illi moriantur, et vos pereatis simul. Sint autem tecum, et excubent in custodiis tabernaculi, et in omnibus cæremoniis ejus. Alienigena non miscebitur vobis. Excubate in custodia sanctuarii, et in ministerio altaris, ne oriatur indignatio super filios Israel. Ego dedi vobis fratres vestros Levitas de medio filiorum Israel, et tradidi domum [2] Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus. Tu autem et filii tui, A custodite sacerdotium vestrum ; et omnia quæ ad cultum altaris pertinent, et intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur. Si qui externus accesserit, occidetur (h. morietur), (B. XLVI, C. LI), Locutusque est Dominus ad Aaron : Ecce ego dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur a filiis Israel, tibi tradidi et filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna. Hæc ergo accipies (h. Hæc ergo erunt tibi) de his quæ sanctificantur, et oblata sunt Domino. Omnis oblatio, et sacrificium, et quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, et cedit in Sancta sanctorum, tuum erit, et filiorum tuorum. In sanctuario comedes illud (h. In Sanctis sanctorum comedes illud) mares tantum edent ex eo, quia consecratum est tibi. Primitias autem, quas voverint et obtulerint filii B Israel, tibi dedi, et filiis, ac filiabus tuis, jure perpetuo : qui mundus est in domo tua, vescetur eis. Omnem medullam (h. pinguedinem) olei, et vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi. Universæ frugum primitiæ, quas gignit humus, et Domino deportantur, cedent in usus tuos : qui mundus est in domo tua, vescetur eis. Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit (h. omne quod consecratur a filiis Israel tuum erit. Quidquid primum erumpit e vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit : ita duntaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias, et omne animal quod immundum est, redimi facies, cujus redemptio erit post unum men- C sem, siclis argenti quinque (h. cujus redemptio *erit* post unum mensem, ad æstimationem *tuam* siclis argenti quinque), pondere sanctuarii. Siclus viginti obolos habet. Primogenitum autem bovis et ovis et capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino ; sanguinem tantum eorum tundes super altare, et adipes adolebis in suavissimum odorem Domino. Carnes vero in usum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, et armus dexter, tua erunt. Omnes primitias sanctuarii, quas offerunt filii Israel Domino, tibi dedi, et filiis ac filiabus tuis, jure perpetuo. Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis (C. LII.) Dixitque Dominus ad Aaron : In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos : ego pars et D hæreditas tua in medio filiorum Israel. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio qua serviunt mihi in tabernaculo fœderis : ut non accedant ultra filii Israel ad tabernaculum (h. fœderis), nec committant peccatum mortiferum, solis filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus et portantibus peccata populi. Legitimum sempiternum erit in generatio-

[1] Ex hoc loco observandum venit, scholiasten nostrum, more Hieronymiano, codices Latinorum *nostros* vocare. Hebræus, inquit, habet *cum ; nostri* id est, codices Latini habent, *absque*. Vide similem stylum lib. II Comment. in cap. III, Epist. ad Galatas. MART.

[2] Legendum *donum*, ex Hebr. מנחה et Vulgata, quæ præterea addit *vobis*.

nibus vestris. Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi (C. LIII.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Præcipe Levitis, atque denuntia : Cum acceperitis a filiis Israel decimas, quas dedi vobis (h. quas dedi vobis in hæreditatem), primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ, ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis quam de torcularibus : et universis quorum accipitis (h. et reputabitur vobis : quasi de area et torculari dederitis primitias), offerte Domino, et date Aaron sacerdoti. Omnia quæ offeretis ex decimis, et in donaria Domini separabitis, optima et electa erunt. Dicesque ad eos : Si (h. Cum) præclara et meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area et torculari dederitis primitias : et comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quam familiæ vestræ : quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonii. Et non peccabitis super hoc, egregia vobis et pinguia reservantes, ne polluatis oblationes filiorum Israel, et moriamini.

(T. XII, B. XLVII, *Cap.* XIX.) Locutusque est Dominus ad Mosen et Aaron, dicens : Ista religio victimæ (h. religio legis) quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israel, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum : tradetisque eam Eleazaro sacerdoti. Qui eductam extra castra, immolabit in conspectu omnium : et tingens digitum in sanguine ejus (h. et tollens de sanguine ejus in digito suo), asperget contra fores tabernaculi septem vicibus, comburet eam cunctis videntibus, tam pelle et carnibus ejus quam sanguine et fimo flammæ traditis. Lignum quoque cedrinum. et hyssopum, coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat. Et tunc demum, lotis vestibus et corpore suo, ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum. Sed et ille qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua et corpus, et immundus erit usque ad vesperum. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, et effundet eos (h. et ponet eos) extra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam, et in aquam aspersionis : quia peccato (h. quia pro peccato sunt) vacca combusta est. Cumque laverit, qui vaccæ portaverit cineres, vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc filii Israel et advenæ, qui habitant inter eos, sanctum jure perpetuo [1] (h. legitimum sempiternum). Qui tetigerit cadaver hominis et propter hoc septem diebus fuerit immundus : aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, et aspersus hac commistione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, et peribit ex Israel : quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, et manebit spurcitia ejus super eum. Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo : Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, et universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus. Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus. (C. LIV.) Tollentque de cineribus combustionis atque peccati (h. combustionis peccati), et mittent aquas vivas super eos in vas. In quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, et cunctam supellectilem, et homines hujuscemodi contagione pollutos : atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio et septimo die. Expiatusque die septimo, lavabit et se et vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperam. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ : quia sanctuarium Domini polluit, et non est aqua lustrationis aspersus. Erit (h. Non est aqua lustrationis aspersus, immundus erit) hoc præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis immundus erit usque ad vesperum. Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet : et anima quæ horum quidpiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperam.

(B. XLVIII, C. LV, *Cap.* XX.) Veneruntque filii Israel, et omnis multitudo in desertum Sin, mense primo, et mansit populus in Cades. Mortuaque est ibi Maria, et sepulta in eodem loco. Cumque indigeret aqua populus, coierunt adversus Mosen et Aaron : et versi in seditionem, dixerunt : Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino, Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, ut et nos et nostra jumenta moriantur (*Vulg.* moriamur) ? Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, et adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec mala granata, insuper et aquam non habet ad bibendum Ingressusque Moses et Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram [2] (C. LVI.) Et apparuit gloria Domini (h. Et apparuit

[1] In Hebræo est חקת עולם, *lehhuccath olam*, quod infra v. 21, ab ipso Hieronymo transfertur, *legitimum sempiternum*, juxta præsentem hanc adnotationem marginalem Canonis Hebraicæ veritatis. Confer etiam scholion, *Et reputabitur*, etc., cum versu 50, immediate sequenti MART.

[2] Editi ac mss. fere omnes libri hunc locum ita legunt, *Corruerunt proni in terram, clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt : Domine Deus, audi clamorem hujus populi, et aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ, ut satiati cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini supec eos.* Hæc autem verba expungit Canon Hebr. verit. a verbo *Clamaveruntque*, inclusive, usque ad illud, *murmuratio eorum*. Addita credi possunt ab aliquo interprete Latinorum, apud quos, ut testantur Hierony-

illis gloria Domini super eos. Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Tolle virgam, et congrega populum, tu et Aaron frater tuus, et loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo et jumenta ejus. Tulit igitur Moses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixitque eis : Audite, rebelles et increduli [h. non habet, increduli]. Num de petra hac vobis aquam poterimus [h. potero] ejicere [1] ? Cumque elevasset Moses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet et jumenta. Dixitque Dominus ad Mosen et Aaron : Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis. Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel contra Dominum, et sanctificatus est in eis. (T. XIII, B. XLIX.) Misit interea nuntios Moses de Cades ad regem Edom, qui dicerent : Hæc mandat [h. dicit] frater tuus Israel. Nosti omnem laborem qui apprehendit [h. invenit nos, quomodo descenderint patres nostri in Ægyptum, et habitaverimus ibi multo tempore, afflixerintque nos Ægyptii, et patres nostros, et quomodo clamaverimus ad Dominum, et exaudierit nos, miseritque angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. Et ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis positi obsecramus, ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dexteram nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos. (C. LVII.) Cui respondit Edom : Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi. Dixeruntque filii Israel : Per tritam gradiemur viam, et si biberimus aquas tuas nos et pecora nostra, dabimus quod justum est : nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus. At ille respondit : Non transibis. Statimque regressus est obvius, cum infinita multitudine, et manu forti, nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum per fines suos quamobrem divertit ab eo Israel. Cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom. (C. LVIII.) Ubi locutus est Dominus ad Mosen : Pergat, inquit, Aaron ad populos suos : non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit (h. eo quod increduli fueritis) ori meo, ad Aquas contradictionis. Tolle Aaron, et filium ejus cum eo, et duces eos in montem Hor. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus, et Aaron colligetur, et morietur ibi. Fecit Moses ut præceperat Dominus, et ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus. Illo mortuo in mentis supercilio, descendit cum Eleazaro. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

(B. LI, C. LIX, *Cap.* XXI.) Quod cum audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnavit contra illum, et victor existens duxit ex eo prædam. A Israel voto se Domino obligans ait : Si tradideris populum istum in manu mea, delebo (h. anathematizabo) urbes ejus. Exaudivitque Dominus preces Israel, et tradidit Chananæum, quem ille interfecit, subversis urbibus ejus, et vocavit nomen loci illius Horma, id est, anathema. Profecti sunt autem et de monte Hor per viam, quæ ducit ad mare Rubrum, ut circumirent terram Edom. Et tædere cœpit populum itineris ac laboris (B. LII.) Locutusque contra Deum et Mosen, ait : Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine ? Deest panis, non sunt aquæ : anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas (h. morsus), et mortes plurimorum, venerunt ad Mosen, atque dixerunt : Peccavimus quia locuti sumus contra Dominum et te : oro ut tollat a nobis serpentem. Oravitque Moses pro populo. (C. LX.) et locutus est Dominus ad eum : Fac serpentem [2], et pone eum

mus et Augustinus, tot erant exemplaria diversa, quot codices. Sunt qui putant hoc additamentum sumptum fuisse ex aliqua paraphrasi Chaldaica quarum olim major numerus erat, quam sit hodie Quidquid vero dicatur, certum est verba hæc superabundare in exemplaribus Bibliorum, quia non exstant in textu Hebræo, vel Samaritano ; non in translatione LXX Seniorum, neque apud alios interpretes, Chaldæum puta, Syrum, et Arabem. Denique supersunt adhuc Latini Bibliorum sacrorum codices optimæ notæ, in quibus absunt quæ in editis abundare videntur. Hujus rei fidem facit Biblorum exemplar Corbeinse ante octingentos annos descriptum, in quo nihil invenias præter ea, quæ in Hebraico textu leguntur : et si posterius omendatur vitiosus aliquis, totum additamentum suppleverit ad oram marginalem volumins, cum signo posito in textu, quasi hæc verba ibi desiderarentur. MART.

— Insigne illud additamentum, quod subjungunt hic loci Latini omnes vulgati Bibliorum codices, in uno Urbinate ms. invenimus : scilicet, *Clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt : Domine Deus, audi clamorom hujus populi, et aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vitæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum.* Quæ minime novit Palatin. ms., et in Memmiano quoque exemplari dicuntur expuncta. Notum vero neque in Hebræo, Chaldæo, aut Septuaginta, sive in expressis ad eos textus versionibus haberi.

[1] Ad solum Mosen loquentem hoc verbum refert Scholiastes noster ; sed in Hebræo vox est pluralis numeri, *ejiciemus*, vel, *educemus*. MART.

— Notatum et Martianæo contra Scholiastis sen tentiam, in Hebræo archelypo dici plurium numero נוציא *exprimemus*.

[2] Addunt Vulgati libri *æneum*, pro quo malim *igneum* : Hebræus enim *serpentem* hic non habet, sed tantum שרף, quod est, *urentem*.

pro signo ; qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moses serpentem æneum, et posuit eum pro signo ; quem cum percussi aspicerent, sanabantur. Profectique filii Israel castrametati sunt in Oboth. Unde egressi fixere tentoria in Hiebarim, in solitudine, quæ respicit Moab contra orientalem plagam. Et inde moventes, venerunt ad torrentem Zared. (B. LIII.) Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, et proeminet in finibus Amorrhæi. Siquidem Arnon terminus est in Moab, dividens Moabitas et Amorrhæos. Unde dicitur in libro Bellorum Domini : Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar [1], et recumberent in finibus Moabitarum. (C, LXI.) Et ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Mosen : Congrega populum, et dabo et aquam. Tunc cecinit Israel carmen istud [2] : Ascendat puteus. Concinebant : Puteus, quem foderunt principes, et paravernnt duces multitudinis in datore legis (h. in doctore legis), et in baculis suis. De solitudine, Matthana : et de Matthana Nahaliel [3] : de Nahaliel in Bamoth. De Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum. Misit autem Israel nuntios ad Seon regem Amorrhæorum, dicens : Obsecro ut transire mihi liceat per terram tuam, non declinabimus in agros et in vineas, non bibemus aquas [4] ex puteis, via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos. Qui concedere noluit, ut transiret Israel per fines suos : quin potius, exercitu congregato, egressus est obviam in desertum, et venit in Jasa, pugnavitque contra eum. A quo percussus est in ore gladii, et possessa est terra ejus ab Arnon usque Jebboc, et filios Ammon : quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum. (C. LXII.) Tulit ergo Israel omnes civitates ejus, et habitavit in urbibus Amorrhæi, in Esebon scilicet, et viculis ejus. Urbs Esebon fuit Seon regis Amorrhæi, qui pugnavit contra regem Moab [5] : et tulit omnem [h. contra regem Moab priorem 6] terram, quæ ditionis illius fuerat, usque Arnon. Idcirco dicitur in Proverbio : Venite in Esebon, ædificetur et construatur civitas Seon. Ignis egressus est de Esebon, flamma de oppido Seon, et devoravit Ar Moabitarum, et habitatores excelsorum Arnon. Væ tibi, Moab ! peristi, populc Chamos ! Dedit filios ejus in fugam, et filias in captivitatem regi Amorrhæorum, Seon. Jugum ipsorum disperiit ab Esebon usque Dibon : lassi pervenerunt in Nophe, et usque [7] [h. quæ contra] Medaba (B. LIV.) Habitaxit itaque Israel in terra Amorrhæi. Misitque Moses qui explorarent Jazer : cujus cepe- B runt viculos, et possederunt habitatores. Verteruntque se, et ascenderunt per viam Basan, et occurrit eis Og rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai. Dixitque Dominus ad Mosen: Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, et omnem populum ac terram ejus, faciesque illi sicut fecisti Seon regi Amorrhæorum habitabori Esebon. Percusserunt igitur et hunc cum filiis suis, universumque populum ejus usque ad internecionem, et possederunt terram illius.

(B. LV. *Cap.* XXII.) Profectique castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans Jordanem Jericho sita est. (T. XIV, C. LXIII). Videns autem Balac filius Sephor omnia, quæ fecerat Israel Amorrhæo, et quod pertimuissent eum Moabitæ, et impetum ejus ferre non possent, dixit ad majores C natu Madian : ita delebit hic populus omnes qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab. Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor hariolum, qui habitabat super flumen vertice Phasga, qui prospicit contra desertum. *Hæc loca in finibus Amerrhæorum quidam interpretantes, putant non mansiones esse, sed transitus.* etc. Prudente studiosumque lectorem rogatum velim, ut sciat Hieronymum hoc loco vertere quædam nomina Hebraica juxta proprias significationes, licet in sacro textu ea posuerit ut leguntur in Hebræo. MART.

[1] Pro *Ar,* Canon et alii fere omnes mss. codices legunt, *Arnon* ; sed error hic est librariorum, qui ex immediate præcedenti *Arnon* decepti sunt, non intelligentes apud Hieronymum libro *de Locis Hebraicis, Arnon* esse rupem quamdam in sublime projectam in finibus Amorrhæorum, inter Moab et quod a Septuaginta interpretibus per extensam vocalem *Er* dicitur. De nomine *Ar* idem Hieronymus lib. VI Comment. in cap. XV (vers. 1) Isaiæ hæc a nobis observari voluit : *Pro Ar*, inquit, *quod solus Theodotio ita posuit ut legitur in Hebræo, Aquila et Symmachus urbem interpretati sunt, non considerantes quod inter* AIN *et* RES *elementa Hebraica,* JOD *litteram non haberet : quæ si esset, recte civitas diceretur.* MART.

[2] Totum carmen illud recitat S. Hieronymus epistola *ad Fabiolam* de 42 Mansionibus Israelitarum in deserto : quod cum insignes habeat a nostro textu variantes lectiones, non abs re visum est huc ipsa Hieronymi verba transtulisse. Sic igitur legas in mansione 39 : *Post hæc venerunt ad puteum, ubi cecinit Israel carmen hoc :* Ascende, putee, quem foderunt principes, et aperuerunt duces populorum in datore legum, et in baculo ejus et de solitudine in Matthana, et de Mathana ad torrentem Dei, et de torrente Dei ad excelsa, et de excelsis ad vallem quæ est in regione Moab in D vertice Phasga, qui prospicit contra desertum.

[3] Codex Urbinas plus, atque aliter habet : *Profectique solitudine in Matthana : de Matthana in Nahaliel.* etc., forme rectius Confer. si libet epist. 78, de Mansionibus, *ad Fabiol.*, mans. 39, ubi totum hoc carmen aliis sæpe verbis recitat S. Pater.

[4] Vocem *aquas* Urbinas ms. ignorat ; habet tamen Hebræum archetypum, aliique libri.

[5] Equidem et in Hebræo additur ראשון *primum.*

[6] Bene monet scholiastes, quod Seon rex Amorrhæorum expugnavit regem Moab priorem ; significat enim Scriptura hujus loci expugnatum fuisse a Seone regem Moabitarum primum, vel eum qui regnaverat ante Balac. MART.

[7] Olim pro עד *ad*, quod scribitur in Hebræo hodierno, legebant hic על, *al*, ut liquet e textu Samaritano, ac ex præsenti canonis adnotatione marginali. MART.

— Legerit scholiastes, quemadmodum Samaritanus interpres, על pro עד, quod et Martian. putat

terræ filiorum Ammon [1] (h. Misit ergo nuntios ad Balaam filium Behor, *qui habitabat* in Phetho *super* flumen *terræ filiorum populi* sui), ut vocarent eum, et dicerent : Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ, sedens contra me. Veni igitur, et maledic populo huic, quia fortior me est : si quo modo possim percutere eum, et ejicere de terra mea (h. non habet, mea) : novi enim quod benedictus sit, cui benedixeris, et maledictus, in quem maledicta congesseris. Perrexeruntque seniores Moab, et majores natu Madian, habentes divinationis pretium in manibus. Cumque venissent ad Balaam, et narrassent ei omnia verba Balac, ille respondit : Manete hic nocte, et respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus autem illis apud Balaam, venit Deus, et ait ad eum : Quid sibi volunt homines isti apud te ? (h. qui sunt omnes isti qui sunt apud te ?) Respondit : Balac, filius Sepphor, rex Moabitarum, misit ad me, dicens : Ecce populus qui egressus est de Ægypto, operuit superficiem terræ veni et maledic, ei si quo modo possim pugnans abigere eum. Dixitque Deus ad Balaam : Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus est. Qui mane consurgens dixit ad principes : Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum. Reversi principes dixerunt ad Balac : Noluit Balaam venire nobiscum. Rursum ille multo plures et nobiliores quam ante miserat, misit. Qui cum venissent ad Balaam, dixerunt : Sic dicit (h. Hæc dicit) Balac filius Sepphor : Ne cuncteris venire ad me ; Paratus sum honorare te, et quidquid volueris dabo (h. faciam. *Vulg add.* tibi) : veni, et maledic populo isti. Respondit Balaam : Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar. Obsecro, ut hic maneatis etiam hac nocte, et scire queam quid mihi rursum respondeat Dominus. Venit ergo Deus ad Balaam nocte, et ait ei : Si vocare te venerunt homines isti, surge, et vade cum eis : ita duntaxat, ut quod tibi præcepero, facias. Surrexit Balaam mane, et strata asina sua, profectus est cum eis. Et iratus est Deus (h. Et iratus est Deus eo quod pergeret). Stetitque angelus Domini in via contra Balaam, qui sedebat asinæ, et duos pueros habebat secum. Cernens asina angelum (h.) Domini stantem in via, evaginato gladio, avertit se de itinere, et ibat per A agrum. Quam cum verberaret Balaam, et vellet ad semitam reducere, stetit angelus (h.) Domini in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur. Quem videns asina, junxit se parieti, et attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam, et nihilominus angelus (h.) Domini ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit. Cumque vidisset asina stantem angelum (h.) Domini, cecidit sub pedibus sedentis, qui iratus, vehementius cædebat fuste (h. baculo) latera ejus. (C, LXIV.) Aperuitque Dominus os asinæ, et locuta est : Quid feci tibi ? cur percutis me ecce jam tertio ? Respondit Balaam : Quia commeruisti, et illusisti mihi (h. Quia illusisti mihi) : utinam haberem gladium, B ut te percuterem (h. Si haberem gladium in manu mea, utique interficerem te). Dixit asina : Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem ? dic quid simile unquam fecerim tibi. At ille ait : Nunquam. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum (h.) Domini stantem in via, evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram (h. non habet, in terram). Cui angelus (h.) Domini : Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam ? Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria, et nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, et illa viveret. Dixit Balaam : Peccavi, nesciens quod tu stares contra me, et nunc si displicet tibi ut vadam, revertar. Ait angelus (h.) Domini : Vade cum istis, et cave ne aliud quam præcepero tibi loquaris. Ivit igitur cum principibus. C Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum ejus, in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon. Dixitque ad Balaam : Misi nuntios ut vocarem te : cur non statim venisti ad me ? an quia mercedem adventui tuo reddere nequeo ? Cui ille respondit : Ecce adsum : nunquid potero loqui aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo ? Perrexerunt ergo simul, et venerunt in urbem quæ in extremis (Husoth, quæ vertitur in Latinum, extrema) regni ejus finibus erat [2] (h. non habet, quæ in extremis finibus regni ejus erat. Sic habet : Et venerunt in urbem). Cumque occidisset Balac boves et oves, misit ad Balaam et principes qui cum eo erant munera. Mane autem facto, duxit D eum ad excelsa Baal, et intuitus est extremam partem populi.

[1] Omnium optime interpretatur Hebræus scholiastes, *In Phetor super flumen terræ filiorum populi sui, filiorum Ammon.* Nam fluvius, qui terram Ammonitarum perlueret, penitus ignoratur. S. Hieronymus acceperit vocem פתורה, juxta etymologiam, quia *Ariolus* significatur, pro loci nomine, id est, *Phator*, Græce φαθουρά : legeritque præterea עמון, *Ammon*, pro עמו, *Ammo*, quod est *populi sui.*

[2] Samaritæ legunt חיזות, *hhizoth*, id est, *visionum*, ut habetur in Latina versione textus Hebræo-Samaritani. MART.

— Pro verbis *quæ in extremis regni finibus erat*, unum est, in Hebræo הצוֹת *Chuzoth*, quod nisi velis pro nomine proprio accipere : recte interpretari licet, *platearum* : ut sensus sit venisse illos in urbem *platearum*, id est, *frequentissimam.* Concinunt et LXX qui ἐπαυλέων interpretati sunt, quod est, *tabernaculorum* aut *diversoriorum*, atque his similium. Noster cum Onkeloso legerit מחוזוהי, *in finibus imperii sui.* Sunt autem et qui sentiant, mendose haberi in Hebræo חצות pro הרצה, quam urbem Arcopolim putant : quibus ego nunquam assentiar.

[*Cap.* XXIII.] Dixitque Balaam ad Balac : Ædifica mihi hic septem aras,et para totidem vitulos,ejusdemque numeri arietes. Cunque fecisset juxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum et arietem super aram. Dixitque Balaam ad Balac : Sta paulisper [h. non habet paulisper] juxta holocaustum tuum,donec vadam,si forte occurrat mihi Dominus, et quodcunque imperaverit, loquar tibi. Cumque abiisset velociter, occurrit ei Deus. Locutusque est ad eum Balaam : Septem, inquit aras erexi,et imposui vitulum et arietem desuper. Dominus autem posuit verbum in ore ejus, et ait: Revertere ad Balac, et hæc loqueris. Reversus invenit stantem Balac juxta holocaustum suum, et omnes principes Moabitarum : assumptaque parabola sua, dixit : De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis : Veni, inquit, et maledic Jacob : propera, et detestare Israel. Quomodo maledicam,cui non maledixit Deus ? Qua ratione detester quem Dominus non detestatur ? De summis silicibus videbo [h. video, et considero] cum, et de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. Dixitque Balac ad Balaam : Quid est hoc quod agis? ut malediceres inimicis meis vocavi te [h.tuli te] : et tu e contrario benedicis eis. Cui ille respondit : Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus ? Dixit ergo Balac : Veni mecum in alterum locum unde partem Israelis videas,et totum videre non possis : inde maledicito ei. Cumque duxisset eum in locum sublimem, super verticem montis [h. non habet, montis] Phasga, ædificavit Balaam septem aras, et impositis desuper vitulis atque arietibus [*Vulg.* vitulo et ariete], dixit ad Balac : Sta hic juxta holocaustum tuum,donec ego pergam obvius.Cui cum Dominus occurrisset, posuissetque verbum in ore ejus, ait : Revertere ad Balac, et hæc loqueris [*Vulg. add.* ei]. Reversus invenit eum stantem juxta holocaustum suum, et principes Moabitarum cum eo.Ad quem Balac : Quid,inquit, locutus est Dominus ? Et ille assumpta parabola sua, ait : Sta,Balac, et ausculta ; audi,fili Sepphor [h. Sta, Balac, et audi, ausculta, fili Sepphor, eloquia mea] : Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet ? locutus est, et non implebit ? Ad benedicendum adductus sum [1], benedictionem prohibere non valeo [h. Ecce benedictiones accepi, a quibus prohiberi non valeo]. Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriæ regis in illo. Deus eduxit eum de Ægypto, cujus fortitudo similis est Rhinocerotis. Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Jacob et Israeli quid operatus sit Deus [h. quid operatur Deus]. Ecce populus ut lucæna consurget, et quasi leo erigetur : non accubabit,donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat. Dixitque Balac ad Balaam : Nec maledicas ei [*Vulg. tac.* ei], nec benedicas. Et ille ait : Nonne dixi tibi, quod quidquid mihi Dominus [*Vulg.* Deus] imperaret, hoc facerem ? Et ait Balac ad eum : Veni et ducam te ad alium locum, si forte placeat Deo ut inde maledicas ei. Cumque duxisset eum super verticem montis Phohor, qui respicit solitudinem, dixit ei Balaam : Ædifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes. Fecit Balac ut Balaam dixerat : imposuitque vitulos et arietes per singulas aras.

[*Cap.* XXIV.] Cumque vidisset Balaam quod placeret Domino, ut benediceret Israeli, nequaquam abiit ut ante perrexerat, ut augurium quæreret : sed dirigens contra desertum vultum suum, et elevans oculos vidit Israel in tentoriis commorantem per tribus suas, et irruente in se Spiritu Dei, assumpta parabola, ait : Dixit Balaam filius Beor ; dixit homo,cujus obturatus est oculus ; dixit auditor sermonum Dei,qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus. Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel ! ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri propter aquas. Fluet aqua de situla ejus et semen illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag, rex ejus, et auferetur regnum illius. Deus eduxit eum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis.Devorabunt gentes hostes illius,ossaque eorum confringent, et perforabunt sagittis. Accubans dormivit ut leo, et quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. [h. Quis suscitabit eum?] Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus : qui maledixerit tibi [*Vulg. tac.* tibi], in maledictionem reputabitur. Iratusque Balac contra Balaam, complosis manibus, ait : Ad maledicendum inimicis meis vocavi te,quibus e contrario tertio benedixisti: revertere [h. fuge] ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te, sed Dominus privavit te honore disposito. Respondit Balaam ad Balac : Nonne nuntiis tuis, quos misisti ad me, dixi : Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero præterire sermonem

[1] Variant hoc loco textus Hebræus ac Samaritanus : legit Hebræus הנה ברך לקחתי וברך, *hinne barech lacahhthi uberech*, hoc est, *Ecce benedicere accepi, et benedixit.* Samaritanus autem ita habet, דרבא יתהקר דרבל זה, *hen lebarech lacahhi* ; *abacha*, quod Latine vertunt : *Ecce ad benedicendum assumptus sum, benedicam.* MART.

— Urbinas ms. *inductus sum ;* quæ tantula lectionis diversitas, multi facienda est hic loci,ubi originales inter se textus discrepant, nec satis intelligitur, quo sensu nunc se dicat Balaam venisse ad benedicendum, cum ad maledicendum venisset.

Domini Dei mei [h. non habet Dei mei],ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo : sed quidquid Dominus dixerit,hoc loquar ? Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus huic populo faciat extremo tempore. Sumpta igitur parabola, rursum ait : Dixit Balaam filius Beor, dixit homo, cujus obturatus est oculus; dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi et visiones Omnipotentis videt,qui cadens apertos habet oculos.Videbo eum, sed non modo : intuebor illum, sed non prope [h. Video eum, sed non modo ; considero illum, sed non prope].Orietur stella ex Jacob, et consurget virga ex Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio ejus : hæreditas Seir cedet inimicis suis : Israel vero fortiter aget. De Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis. Cumque vidisset Amalec, assumens parabolam ait : Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur. Vidit quoque Cinæum : et assumpta parabola ait : Robustum est quidem habitaculum tuum ; sed si in petra posueris nidum tuum,et fueris electus de stirpe Cinæi [Librariorum errore vitium inolevit, ut pro Cinæo hic Cain scribatur], quandiu poteris permanere ? Assur enim capiet te. Assumptaque parabola iterum locutus est : Heu, qui victurus est, quando ista faciet Deus ? Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, et ad extremum etiam ipsi peribunt. Surrexitque Balaam, et reversus est in locum suum : Balac quoque via,qua venerat, rediit.

[T. XV, B. LVI, C. LXV, *Cap.* XXV.] Morabatur autem eo tempore Israel in Setthim, et fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua [h. ad sacrificia deorum suorum].At illi comederunt et adoraverunt deos earum. Initiatusque est Israel Beel-Phehor, et iratus Dominus Israel [h. Adjunctusque est Israel. *Vulg. tac.* Israel], ait ad Mosen : Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis : ut avertatur furor meus ab Israel. Dixitque Moses ad judices Israel : Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati [h. adjuncti] sunt Beel-Phehor. Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitin, videnteMose, et omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi [C. LXVI]. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazar filii Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, et arrepto pugione,ingressus est post virum Israeliten in lupanar, et perfodit ambos simul, virum scilicet et mulierem, in locis genitalibus. Cessavitque plaga a filiis Israel, et occisi sunt viginti quatuor millia hominum. Dixitque Dominus ad Mosen : Phinees filius Eleazar filii Aaron sacerdotis avertit iram meam a filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum [h. non habet, ad eum] : Ecce do ei pacem fœderis mei, et erit tam ipsi quam semini illius pactum sacerdotii sempiternum,quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israel. Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Selu, dux de cognatione et tribu Simeonis. Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Chozbi, filia Sur, principis nobilissimi Madianitarum [B. LVII]. Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Hostes vos sentiant Madianitæ, et percutite eos : quia et ipsi hostiliter egerunt contra vos, et decepere insidiis per idolum Phehor, et Chozbi filiam ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phehor.

(B. LVIII, C. LXVII, *Cap.* XXVI.) Postquam noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Mosen, et Eleazarum filium Aaronis sacerdotem : Numerate omnem summam filiorum Israel a viginti annis et supra, per domos [h. per domos patrum suorum], et cognationes suas, cunctos qui possunt ad bella procedere. Locuti sunt itaque Moses et Eleazar [h. Numeraverunt itaque Moses et Eleazar] sacerdos in campestribus Moab super Jordanem contra Jericho, ad eos qui erant a viginti annis et supra, sicut Dominus imperarat, quorum iste est numerus : Ruben primogenitus Israel. Hujus filius, Enoc, a quo familia Enochitarum : et Phallu, a quo familia Phallnitarum, et Esron, a quo familia Esronitarum, et Charmi, a quo familia Charmitarum. Hæ sunt familiæ de stirpe Ruben ; quarum numerus inventus est, quadraginta tria millia et septingenti triginta. Filius Phallu, Eliab. Hujus filii,Namuel et Dathan,et Abiram.Isti sunt Dathan et Abiram principes populi,qui surrexerunt contra Mosen et Aaron in seditione Core, quando contra Dominum rebellarunt, et aperiens terra os suum devoravit Core [g. deglutivit eos et Core], morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros,factum est grande miraculum, ut, Core pereunte, filii illius non perirent [h. filii quoque Core non perierunt].Fifii Simeon per cognationes suas.Namuel,ab hoc familia Namuelitarum : Jamin, ab hoc familia Jaminitarum : Jachin, ab hoc familia Jachinitarum ; Zare, ab hoc familia Zareitarum ; Saul, ab hoc familia Saulitarum. Hæ sunt familiæ de stirpe Simeon, quarum omnis numerus fuit, viginti duo millia ducenti. Filii Gad per cognationes suas : Sephon, ab hoc familia Sephonitarum ; Aggi, ab hoc familia Aggitarum ; Suni, ab hoc familia Sunitarum ; Ozni, ab hoc familia Oznitarum ; Heri,ab hoc familia Heritarum ; Arod, ab hoc familia Aroditarum ; Areli, ab hoc familia Arelitarum. Istæ sunt familiæ,Gad,quarum omnis numerus fuit,quadraginta millia quingenti. Filii Juda, Her et Onan, qui ambo mortui sunt in terra Chanaan. Fueruntque filii Juda, per cognationes suas : Sela, a quo familia Selanitarum : Phares, a quo familia Pharesitarum ; Zare, a quo familia Zareitarum. Porro filii Phares : Esron, a

quo familia Esronitarum ; et Amul, a quo familia Amulitarum. Istæ sunt familiæ Judæ, quarum omnis numerus fuit, septuaginta sex millia quingenti. Filii Issachar, per cognationes suas : Thola, a quo familia Tholaitarum; Phua, a quo famila Phuaitarum; Jasub, a quo familia Jasubitarum; Semron, a quo familia Semronitarum. Hæ sunt cognationes, Issachar, quarum numerus fuit sexaginta quatuor millia trecenti. Filii Zabulon per cognationes suas : Sared, a quo familia Sareditarum ; Elon, a quo familia Elonitarum : Jalel, a quo familia Jalelitarum. Hæ sunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit sexaginta millia quingenti. Filii Joseph per cognationes suas. Manasse et Ephraim. De Manasse ortus est Machir, a quo familia Machiritarum. Machir genuit Galaad a quo familia Galaaditarum. Galaad habuit filios : Hiezer, a quo familia Hiezeritarum ; et Helec, a quo familia Helecitarum, et Asriel, a quo familia Asrielitarum ; et Sechem, a quo familia Sechemitarum ; et Semida, a quo familia Semidaitarum ; et Epher, a quo familia Epheritarum. Fuit autem Epher pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantum filias, quarum ista sunt nomina, Maala, et Noa, et Egla, et Melcha, et Thersa. Hæ sunt familiæ Manasse, et numerus earum quinquagenta duo millia septingenti. Filii autem Ephraim per cognationes suas fuerunt hi : Suthala, a quo familia Suthalaitarum ; Becher, a quo familia Becheritarum ; Thahan, a quo familia Thahanitarum. Porro filius Suthala fuit Heran, a quo familia Heranitarum. Hæ sunt cognationes filiorum Ephraim, quorum numerus fuit triginta duo millia quingenti. Isti sunt filii Joseph per familias suas. Filii Benjamin in cognationibus suis : Bale, a quo familia Baleitarum ; Asbel, a quo familia Asbelitarum : Ahiram, a quo familia Ahiramitarum ; Sephupham, a quo familia Sephuphamitarum [1] ; Hupham, a quo familia Huphamitarum. Filii Bale, Ard, et Naaman. De Ard familia Arditarum : Naaman de familia Naamitarum. Hi sunt filii Benjamin per cognationes suas, quorum numerus quadraginta quinque millia sexcenti. Filii Dan per cognationes suas. Suham, a quo familia Suhamitarum. Hæ cognationes Dan per familias suas. Omnes fuere Suhamitæ, quorum numerus erat sexaginta quatuor millia quadringenti. Filii Azer per cognationes suas : Jemma, a quo familia Jemnaitarum ; Jesui, a quo familia Jesuitarum ; Bria, a quo familia Briaitarum. Filii Bria, Heber, a quo familia Heberitarum, et Melchiel, a quo familia Melchielitarum. Nomen autem filiæ Aser fuit Sarah. Hæ cognationes filiorum Aser, et numerus eorum quinquagenta tria millia quadringenti. Filii Nephthali per cognationes suas : Jasel, a quo familia Jaselitarum : Guni, a quo familia Gunitarum; Jezer, a quo familia Jezeritarum : Sellem, a quo familia Sellemitarum. Hæ sunt cognationes filiorum Nepthali per familias suas : quorum numerus quadraginta quinque millia quadringenti. Istaestsumma filiorum Israel, qui recensiti sunt, sexcenta millia et mille septingenti triginta. Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum in possessiones suas. Pluribusmajorem partem dabis, et paucioribus minorem : singulis, sicut nunc recensiti sunt, traditur possessio : ita duntaxat ut sors terram tribubus dividat et familiis. Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipient, vel pauciores. [B. LIX, C. LXIX.] Hic quoque est numerus filiorum (h. non habet filiorum) Levi per familias suas : Gerson, a quo familia Gersonitarum : Caath, a quo familia Caathitarum ; Merari, a quo familia Meraritarum. Hæ sunt familiæ Levi : familia Lobui, familia Hebroni, familia Maholi, familia Musi, familia Cori. At vero Caath genuit Amram, qui habuit uxorem Jochebed filiam Levi, quæ nata est ei in Ægypto. Hæc genuit Amram viro suo filios Aaron et Mosen, et Mariam sororem eorum. De Aaron nati sunt Nadab et Abiu, et Eleazar et Ithamar [2] · quorum Nadab et Abiu mortui sunt, cum obtulissent ignem alienum coram Domino. Fueruntque *omnes* (h. non habet) qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini, ab uno mense et supra : quia non sunt recensiti inter filios Israel, nec eis cum cæteris est data possessio. Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt a Mose et Eleazaro sacerdote, in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho. Inter quos nullus fuit eorum qui ante numerati sunt a Mose et Aaron in deserto Sinai. Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in solitudine. Nullusque remansit ex eis, nisi Chaleb filius Jephone, et Josue filius Nun.

(C. LXX, *Cap.* XXVII.) Accesserunt autem filiæ Salphaad, filii Epher, filii Galaad, filii Machir, filii Manasse, qui fuit filius Joseph : quarum sunt nomina, Maala, et Noa, et Egla, et Melca, et Thersa. Steterunt que coram Mose et Eleazaro sacerdote, et cunctis principibus populi ad ostium tabernaculi fœderis, atque dixerunt : Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ concitata est contra Dominum sub Core, sed in peccato suo mortuus est : hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habuit filium? Date nobis possessionem inter cognatos (h. fratres) patris nostri. Retulitque Moses causam earum ad judicium Domini (h. Retulitque causam earum coram Domino). Qui dixit ad eum : Justam rem postulant filiæ Salphaad; da deis possessionem inter

[1] Excidit hic loci in Hebræo unum ה *phe*, unde legimus *Suphamitarum*, pro *Sephuphamitarum* juxta Canonem Heb. veritatis. MART.

— Cum vulgatis libris Urbinas ms. *Supham*, et *Suphamitarum*, Hebr. *Sephupham* quidem habet, non autem *Sephuphamitarum*, sed tantum *Suphamitarum* : unde alterum *phe* ex Hebræo archetypo excidisse Martianæms pronuntiat.

[2] De Ithamar. EDIT.

cognatos (h. fratres) patris sui, et ei in hæreditatem succedant. (C. LXXI.) Ad filios autem Israel loqueris hæc (h. non habet, hæc) : Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. Quod si et fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his qui ei proximi sunt eritque hoc filiis Israel sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Mosi (h. Eritque hoc filiis Israel legitimum judicii, sicut præcepit Dominus Mosi). (C. LXXII.) Dixit quoque Dominus ad Mosen : Ascende in montem istum Abarim, et contemplare inde terram quam daturus sum filiis Israel. Cumque videris eam, ibis et tu ad (h. colligeris) populum tuum, sicut ivit (h. collectus est) frater tuus Aaron : quia offendistis me in deserto. Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram eis super aquas. (B. LX.) Hæ sunt aquæ Contradictionis in Cades in deserto Sin. Cui respondit Moses (h. Et loculus est Moses coram domino, dicens) ; Provideat Dominus Deus spiritum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc ; et possit exire, et intrare ante eos, et educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini sicut oves absque pastore. (C. LXXIII.) Dixit Dominus ad eum : Tolle Josue filium Nun, virum in quo est Spiritus, et pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote et omni multitudine ; et dabis ei præcepta cunctis videntibus et partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum (h. Coram Eleazaro sacerdote stabit, ut consulat eum in judicio doctrinæ coram Domino). Ad verbum ejus egredietur, et ingredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo, et cætera multitudo. Fecit Moses ut præceperat Dominus. Cumque tulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote et omni frequentia populi. Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit, quæ mandaverat Dominus.

(T. XVI, B. LXI, C. LXXIV, *Cap* XXVIII) Dixit quoque Dominus ad Mosen : Præcipe filiis Israel, et dices ad eos : Oblationem meam et panes (h. Oblationem panis mei), et incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua. Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis : Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum ; unum offeretis mane, et alterum ad vesperam ; decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, et habeat quartam partem hin. Holocaustum juge est quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini. Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in sanctuario Domini. Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam, juxta omnem ritum sacrificii matutini et libamentorum ejus, oblationem suavissimi odoris Domino. (C. LXXV.) Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, et duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, et liba quæ rite funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum. (C. LXXVI.) In Kalendis autem (id est, in mensium exordiis) offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos, et tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos : et duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes : et decimam decimæ [1] similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos (h. et singulas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per agnos). Holocaustum suavissimi odoris atque incensi est Domino. Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt : media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum. Hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis. (B. LXII, C. LXXVII.) Mense autem primo, quarta decima die mensis, Phase Domini erit (h. non habet, erit), et quinta decima die solemnitas : septem diebus vescentur azymis. Quarum dies prima venerabilis et sancta erit : omne opus servile non facietis in ea (h. non habet, in ea). Offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem : et sacrificia singulorum ex simila, quæ conspersa si oleo, tres decimas per singulos vitulos, et duas decimas per arietem, et (h. similiter hic) decimam decimæ per agnos singulos : id est, per septem agnos. Et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis, præter holocaustum matutinum quod semper offeretis. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, et in odorem suavissimum Domino, qui surget de holocausto, et de libationibus singulorum. Dies quoque septimus celeberrimus et sanctus erit vobis : omne opus servile non facietis in eo (h. non habet, in eo). (B. LXXIII, C. LXXVIII.) Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis et sancta erit : omne opus servile non facietis in ea (h. non habet in ea). Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento duos, arietum unum, et agnos anniculos immaculatos septem : atque in sacrificiis eorum simila oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas, per agnos (h. Hic ut supra) decimam decimæ, qui simul sunt agni septem (hircum quoque unum (*Vulg. tac.* unum). Qui mactatur (h. qui mactatur, non habet) pro expiatione : præter holocaustum sempiternum et liba ejus. Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

(B. LXIV, C. LXXIX, *Cap.* XXIX.) mensis etiam

[1] Docet scholion legendum esse hoc loco ut supra ad versum 13, *Et singulas decimas*, etc. MART.

septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis. Omne opus servile non facietis in ea, quia (h. non habet, in ea quia) dies clangoris est (h. dies clangoris erit vobis) et tubarum. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem, et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem : et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi, præter holocaustum kalendarum cum sacrificiis suis, et holocaustum sempiternum cum libationibus solitis. Eisdem cæremoniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino (C. LXXX.) Decima quoque dies mensis hujus septimi erit vobis sancta atque venerabilis, et affligetis animas vestras: omne opus servile non facietis in ea (h. non habet in ea). Offeretisque holocaustum Domino in odorem suavissimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem, et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, decimam decimæ per agnos singulos (h. singulas decimas per singulos agnos), qui sunt simul septem agni : et hircum pro peccato, absque his quæ offerri pro delicto solent in expiationem, et holocaustum sempiternum, cum sacrificio et libaminibus eorum. Quinta decima vero die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque venerabilis, omne opus servile non facietis in ea (h. non habet in ea), sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus. (C. LXXXI.) Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos : et in libamentis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, qui sunt simul vituli tredecim : et duas decimas arieti uno, id est simul arietibus duobus, et (h. ut supra) decimam decimæ agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim : et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, et sacrificio, et libamine ejus. In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim : sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis : et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque et libamine ejus. De tertio offeretis vitulos undecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim : sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebratis : et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque et libamine ejus. Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim : sacrificiaque eorum (*Vulg. tac.* eorum), et libamina singulorum per vitulos et agnos rite celebrabitis : et hircum pro peccato absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. Die quinto offeretis vitulos novem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim : sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis : et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim : sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis : et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. Die septimo offeretis vitulos septem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim : sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis : et hircum pro peccato absque holocausto sempiterno. sacrificioque ejus et libamine. Die octavo, qui est celeberrimus, omne opus servile non facietis, offerentes holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem : sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos arietes et agnos rite celebrabitis : et hircum pro peccato absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris : præter vota et oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, et in hostiis pacificis.

(B. LXV, C. LXXXII, *Cap.* XXX.) Narravitque Moses filiis Israel omnia quæ ei Dominus imperarat et locutus est ad principes tribuum filiorum Israel : Iste est sermo quem præcepit Dominus : Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento : non fecit irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit. C. LXXXIII.) Mulier si quippiam voverit, et se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, et in ætate adhuc puellari : si cognoverit pater votum, quod pollicita est, et juramentum, quo obligavit animam suam, et tacuerit, voti rea erit : quid [1] pollicita est, et juravit, opere complebit. Sin autem statim ut audierit, contradixerit pater, et vota et juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater (h. Dominus quod propitiabitur ei, eo quod contradixerit pater). Si maritum habuerit, et voverit aliquid, et semel verbum de ore ejus egrediens animam illius obligaverit juramento : quo die audierit vir, et non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcunque promiserat. Sin autem audiens statim contradixerit, et irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque quibus obstrinxerat animam suam: propitius ei erit Dominus. Vidua et repudiata quidquid voverint, reddent. Uxor in domo viri cum se voto con-

[1] Martian ponit *quidquid*, et subdit ad calcem paginæ : « *Quia juravit, opere complebit.* Sic legitur in Canone, et altero veteri ms. cod. S. Germani a Pratis. »

strinxerit et juramento : et audierit vir et tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcunque promiserat ; sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea : quia maritus contradixit, et Dominus ei propitius erit. Si voverit, et juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam : in arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat. Quod si audiens vir tacuerit, et in alteram diem distulerit sententiam : quidquid voverat atque promiserat, reddet : quia statim ut audivit, tacuit. Sin autem contradixerit postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus. Istæ sunt leges (h. legitima). quas constituit Dominus Mosi, inter virum et uxorem, inter patrem et filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in parentis domo (h. in patris domo).

(T. XVII, B. LXVI, C. LXXXIV, *Cap.* XXXI.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Ulciscere prius (h. non habet prius) filios Israel de Madianitis, et sic colligeris ad populum tuum. Statimque Moses : Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis. Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel qui mittantur ad bellum. Dederuntque [1] millenos de cunctis tribubus, id est, duodecim mille expeditorum ad pugnam, quos misit Moses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vasa quoque sancta, et tubas (h. tibias) ad clangendum tradidit ei. Cumque pugnassent contra Madianitas atque vicissent [2], omnes mares occiderunt, et reges eorum, Evi, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe, quinque principes gentis (h. quinque reges Madian) : Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. Ceperuntque mulieres eorum, et parvulos, omniaque pecora, et cunctam supellectilem : quidquid habere poterant depopulati sunt : tam urbes quam viculos et castella flamma consumpsit. Et tulerunt prædam [3], et universa quæ ceperant tam ex hominibus quam ex jumentis, et adduxerunt ad Mosen, et Eleazarum sacerdotem, et ad omnem multitudinem filiorum Israel. Reliqua autem utensilia portaverunt ad castra in campestribus Moab juxta Jordanem contra Jericho (Et tulerunt prædam, et universa quæ ceperant tam ex hominibus, quam ex jumentis, et reliqua utensilia, et adduxerunt ad Mosen, et ad Eleazarum sacerdotem, et ad omnem multitudinem filiorum Israel ad castra in campestribus Moab juxta Jordanem contra Jericho). Egressi sunt autem Moses et Eleazar sacerdos, et omnes principes synagogæ, in occursum eorum extra castra. (C. LXXXV.) Iratusque Moses principibus exercitus, tribunis, et centurionibus qui venerant de bello, ait : Cur feminas reservastis ? Nonne istæ sunt, quæ A deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, et prævaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phohor, unde et percussus est populus ? Ergo cunctos interficite quidquid est generis masculini, etiam in parvulis, et mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate : puellas autem et omnes feminas virgines reservate vobis, et manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur dei tertio et septimo. (h. Qui vero hominem occiderit, vel occisum tetigerit, maneat extra castra septem diebus lustrabiturque die tertio et septimo). Et de omni præda, sive vestimentum fuerit, sive vas, et aliquid in utensilia præparatum, de caprarum pellibus, et pilis, et ligno expiabitur (h. lustrabitur). Eleazar quoque sacerdos, ad viros exercitus qui pugnaverant, sic B locutus est : Hoc est præceptum legis, quod mandavit Dominus Mosi : Aurum, et argentum, et æs, et ferrum, et stannum, et plumbum, et omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur (h. igne purgabitur, et aqua expiationis lustrabitur). Quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur : et lavabitis vestimenta vestra die septimo et purificati postea castra intrabitis. (C. LXXXVI.) Dixitque Dominus ad Mosen : Tollite summam eorum quæ capta sunt, ab homine usque ad pecus, tu et Eleazar sacerdos et principes vulgi : dividesque ex æquo prædam, inter eos qui pugnaverunt et egressi sunt ad bellum, et inter omnem reliquam multitudinem, et separabis (*Vulg.* separabitis) partem Domino ab his qui pugnaverunt et fue- C runt in bello, unam animam de quingentis, tam ex hominibus quam ex bobus et asinis, et ovibus, et dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt. Ex media quoque parte filiorum Israel accipies quinquagesimum caput hominum, et boum, et asinorum, et ovium, cunctorumque animantium, et dabis ea Levitis, qui excubant in custodiis tabernaculi Domini. Feceruntque Moses et Eleazar (h. sacerdos), sicut præceperat Dominus, fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ovium sexcenta septuaginta quinque millia, boum septuaginta duo millia, asinorum sexaginta millia mille : animæ hominum sexus feminei, quæ non cognoverant viros, triginta duo millia. Dataque est media pars his qui in prælio fuerant, ovium trecenta triginta septem D millia quingentæ : e quibus in partem Domini supputatæ sunt oves sexcentæ septuaginta quinque. Et de bobus triginta sex millibus boves septuaginta et duo : de asinis triginta millibus quingentis, asini sexaginta unus : de animabus hominum sedecim milibus, cesserunt in partem Domini triginta duæ animæ. Tradiditque Moses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat et impe-

[1] Interserit Urbinas ms. pronomen *ei*.

[2] Idem ms. *venissent*, quod vitiosum esse non inficior ; verum ipse ab Hebræo longius abludit Latinæ hujus interpretationis contextus, quod nec ipsi quidem scholiastæ notatum est. Hic ex. Gr. pro verbis *atque vicissent*, Hebræus habet, *sicut præceperat Dominus Mosi*.

[3] Sensus liquidus est in scholio, in textu nonnihil obscurus, etsi oridnem verborum pressius sequatur Latinus interpres. MART.

ratum, ex media parte filiorum Israel, quam separaverat his qui in prælio fuerant. De media vero parte quæ contigerat reliquæ multitudini, id est, de ovibus trecentis triginta et septem millibus quingentis, et de bobus triginta sex millibus, et de asinis triginta millibus quingentis, et de hominibus sedecim millibus, tulit Moses quinquagesimum caput, et dedit Levitis, qui excubant (*Vulg.* excubabant) in tabernaculo Domini, sicut præceperat Dominus. Cumque accessissent principes exercitus ad Mosen, et tribuni, centurionesque, dixerunt: Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra, et ne unus quidem defuit. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini singuli quod in præda auri potuimus invenire, periscelides et armillas, annulos et dextralia, ac murænulas, ut depreceris pro nobis Dominum. Susceperuntque Moses et Eleasar sacerdos omne aurum in diversis speciebus *pondo* [1] (h. non habet) sedecim millia, septingentos quinquaginta siclos a tribunis et centurionibus. Unusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat. Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonii, in monumentum filiorum Isruel coram Domino.

(B. LXVII, C. LXXXVII, *Cap.* XXXII.) Filii autem Ruben et Gad habebant pecora multa, et erat illis in jumentis infinita substantia. Cumque vidissent Jazer et Galaad aptas alendis animalibus terras, venerunt ad Mosen, et ad Eleazarum sacerdotem, et principes multitudinis, atque dixerunt: Ataroth, et Dibon, et Jazer, et Nemra, Esebon, et Eleale, et Saban, et Nebo, et Beon, terra quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel (h. multitudinis), regio uberrima est ad pastum animalium, et nos servi tui habemus jumenta plurima (h. non habet plurima): precamurque si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem. Quibus respondit Moses: Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, et vos hic sedebitis? Cur subvertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus? nonne ita egerunt patres vestri, quando misi de Cades-Barne ad explorandam terram? Cumque venissent usque ad Vallem Botri, lustrata omni regione, subverterunt cor filiorum Israel, ut non intrarent fines (h. terram), quos eis Dominus dedit. Qui iratus juravit, dicens: Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto, a viginti annis et supra, terram, quam sub juramento pollicitus sum Abraham, Isaac et Jacob: et (h. quia) noluerunt sequi me, præter Chaleb filium Jephone Cenezæum, et Josue filium Nun: isti impleverunt voluntatem meam. Iratusque Dominus adversum Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur universa generatio, quæ fecerat malum in conspectu ejus. Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa et alumni hominum peccatorum, ut augeretis furorem Domini contra Israel. Quod si nolueritis sequi eum [2], in solitudine populum derelinquet, et vos causa eritis necis omnium. At illi prope accedentes dixerunt: Caulas ovium fabricabimus, et stabula jumentorum, parvulis quoque nostris urbes munitas: nos autem ipsi armati et accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Parvuli nostri et quidquid habere possumus, erunt in urbibus muratis, propter habitatorum insidias. Non revertemur in domos nostras [3] (h. ad parvulos nostros), usque dum possideant filii Israel hæreditatem suam: nec quidquam quæremus trans Jordanem, quia jam habemus nostram possessionem in orientali ejus plaga. Quibus Moses ait: Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram (h. si feceritis quod promittitis, expediti ut pergatis coram) Domino ad pugnam, et omnis vir bellator armatus Jordanem transeat, donec subvertat Dominus inimicos suos et subjiciatur ei omnis terra (h. Et postea revertimini): tunc eritis inculpabiles apud Dominum et apud Israel, et obtinebitis regiones, quas vultis, coram Domino: sin autem quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est quin peccetis in Dominum: et scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos. Ædificate ergo urbes parvulis vestris, et caulas et stabula ovibus ac jumentis, et quod polliciti estis, implete. Dixeruntque filii Gad et Ruben ad Mosen: Servi tui sumus, faciemus quod jubet dominus noster (h. Servi tui facient quod jubet Dominus noster). Parvulos nostros, et mulieres, et pecora, ac jumenta relinquemus in urbibus Galaad: nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu, domine, loqueris. Præcepit ergo Moses Eleazaro sacerdoti, et Josue filio Nun, et principibus familiarum per tribus Israel, et dixit ad eos: si transierint filii Gad et filii Ruben vobiscum Jordanem, omnes armati ad bellum coram Domino, et vobis fuerit terra subjecta: date eis Galaad [4] (h. date eis terram Galaad) in possessionem. Sin autem noluerint transire armati [5] vobis-

[1] Nostri mss. aliique penes Martian. *pondere sanctuarii*: verum non hæc tantum verba ab Hebræo absunt; sed et præcedentia proxime, *in diversis speciebus*.

[2] Omnes mss. Bibliorum codices cum Canone Heb. verit. legunt hoc modo, *Qui si nolueritis sequi eum*. Parum autem refert ut *qui*, vel *quod* legatur, quia nullum est damnum in sensibus. MART.

— Ed. nostri, et Martianæi mss. omnes, *qui*.

[3] Legebat, scholiastes in suo exemplari Hebraico אר בתינ *el banenu*, id est, *ad filios*, sive *parvulos nostros*: nisi forte sensum attenderit, non verba. Hodie ubique legimus אל בנינו, *el battenu, ad domos nostras*. MART.

[4] Manuscriptus codex Bibliorum, num. 1, in nostra Bibliotheca sancti Germani, legit ut in Hebraico, *dat eis terram* Galaad. Quod fluxit, ni fallor, ab scholio Canonis Heb. veritatis. MART.

[5] Urbinas ms. vocem *armati* prætermittit.

cum in terram Chanaan, inter vos habitandi ascipiunt loca. Responderuntque filii Gad, et filii Ruben: Sicut locutus est dominus servis suis, ita faciemus: ipsi armati pergemus coram Domino in terram Chanaan, et possessionem jam suscepisse nos confitemus cis Jordanem [1]. Dedit itaque Moses filiis Gad et Ruben, et dimidiæ tribui Manasse filii Joseph regnum Seon regis Amorrhæi, et regnum Og regis Basan, terram eorum cum urbibus suis per circuitum. Igitur exstruxerunt filii Gad, Dibon, et Ataroth, et Aroer, et Atroth, Sophan, et Jazer, et Jegbaa, et Reth-Nemra, et Beth-Aran, urbes munitas, et caulas pecoribus suis, (h. non habet, suis). Filii vero Ruben ædificaverunt Esebon, et Eleale, et Cariathaim, et Nabo, et Baal-Meon, versis nominibus. Sabama quoque: imponentes vocabula urbibus quas exstruxerant (h. Et Bal-Meon, et Musaboth Sem, et Sibama. Imponentes vocabula urbibus quas exstruxerant). Porro filii Machir, filii Manasse, perrexerunt in Galaad, et vastaverunt eam interfecto Amorrhæo habitatore ejus. Dedit ergo Moses terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitavit in ea. Jair autem filius Manasse abiit, et occupavit vicos ejus, quos appellavit Avoth-Jair, *id est. Villas Jair* (h. non habet). Noba quoque perrexit, et apprehendit Canath eum viculis suis: vocavitque eam ex nomine suo poba.

(B. LXVIII, *Cap.* XXXIII.) Hæ sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Mosi et Aaron quas descripsit Moses juxta castrorum loca, quæ Domini jussione mutabant. (T. XVIII, C. LXXXVIII.) Profecti igitur de Ramesses mense primo, quinta decima die mensis primi, altera die Phase, filii Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptiis, et sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus (nam et in diis eorum exercuerat ultionem), castrametati sunt in Socchoth. Et de Socchoth venerunt in Etham, quæ est in extremis *finibus* (h. non habet) solitudinis. Inde egressi venerunt contra Phi-Ahiroth, quæ respicit Beel-Sephon, et castrametati sunt ante Magdalum. Profectique de Phi-Ahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem, et ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati sunt in Mara. Profectique de Mara venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, et palmæ septuaginta: ibique castrametati sunt. Sed et inde ingressi, A fixere tentoria super mare Rubrum. Profectique de mari Rubro, castrametati sunt in deserto Sin. Unde egressi venerunt in Dephaca. Profectique de Dephaca, castrametati sunt in Alus. Egressique de Alus, in Raphadim fixere tentoria (notandum quod in Hebræo non habetur, fixerunt tentoria, sed castrametati sunt), ubi aqua populo defuit ad bibendum. Profectique de Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai. Sed et de solitudine Sinai egressi, venerunt ad sepulcra concupiscentiæ. Profectique de sepulcris concupiscentiæ, castrametati sunt in Aseroth. Et de Aseroth venerunt in Bethma. Profectique de Rethma, castrametati sunt in Remmon-Phares. Unde egressi, venerunt in Lebna. Et de Lebna, castrametati sunt in Ressa. Egressique B de Ressa, venerunt in Ceelatha. Unde profecti, castrametati sunt in monte Sepher. Egressi de monte Sepher, venerunt in Arada. Inde proficiscentes, castrametati sunt in Maceloth. Profectique de Maceloth, venerunt in Taath. De Thaath, castrametati sunt in Thare. Unde egressi, fixere tentoria in Methea. Et de Methea, castrametati sunt in Esmona. Profectique de Esmona, venerunt in Moseroth. et de Moseroth, castrametati sunt in Benejacan. Profectique de Benejacan, venerunt in montem Gadgad. Unde profecti, castrametati sunt in Jetabatha. Et de Jetabatha, venerunt in Hebrona. Egressique de Hebrona, castrametati sunt in Asion-Gaber. Inde profecti venerunt in desertum Sin, hæc est Cades. Egressique de Cades, castrametati sunt in monte Hor, in extremis C finibus (h. non habet finibus) terræ Edom. Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor, jubente Domino, et mortuus est ibi anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis, cum esset annorum centum viginti trium. Audivitque Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem in terra Chanaan, venisse filios Israel, Et profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona. Unde egressi venerunt in Phinon. Profectique de Phinon, castrametati sunt in Oboth. Et de Oboth, venerunt in Hieabarim, quæ est (h. non habet, quæ est) in finibus Moabitarum. Profectique de Hieabarim [2] (h. de Hiim, hic habet: supra, Hieabarim), fixere tentoria in Dibon-Gad. Unde egressi, castrametati sunt in D Helmon-Deblathaim. Egressique de Helmon-Deblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo.

[1] Ita ms. Bibliorum codex Regius num. 3563; Corb. alter. num. 10, et unus S. Germani, num. 7. Alii cum editis legunt, *trans Jordanem*, sed incongruo sensu. MART.

— Idem ms., *confitebimur* tum juncto Palatino, atque editis libris, *trans Jordanem;* Hebræus, *citra.*

[2] Eamdem legimus annotationem apud Hieronymum, epistola jam laudata de 42 Mansionibus Israelitarum in deserto. Ibi igitur ista observat Hieronymus, *Et profecti*, inquit, *de Hieabarim, sive ut in ecundo loco apud Hebræos habetur*, HIIM, *castrametati sunt in Dibon-Gad*, etc. MART.

— Ms. Urbinas *Jeabarim quæ est*, puta *Hiim*. Sanctus ipse Interpres in epist. 78, ad Fabiol. mans. 39: *Profecti*, inquit, *de Jeabarim, sive*, ut *in secundo loco apud Hebræos habetur, Hiim*, etc. Mihi idem utroque in loco nomen עיים in Hebræo scribi persuasum est, quod enim primum absque finali, ם scribitur עי, in causa est regimen, quod grammatici vocant, subsequentis vocis העברים *Habarim*. Ipsi autem terra videtur esse, quæ *Gai*, aut *Hai* dicitur Jeremiæ XLIX.

(B. LXIX.) Profectique de montibus Abarim, transierunt ad campestria Moab, super Jordanem contra Jericho. Ibique castrametati sunt de Beth-Isimoth usque ad Abelsattim in planioribus locis Moabitarum (h. in planitie Moabitarum), ubi locutus est Dominus ad Mosen : (C. LXXXIX.) Præcipe filiis Israel, et dic ad eos : Quando transieritis Jordanem, intrantes terram Chanaan, disperdite cunctos habitatores regionis illius : confringite titulos, et statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, mundantes terram, et habitantes in ea. Ego enim dedi vobis illam in possessionem, quam dividetis vobis sorte. Pluribus dabitis latiorem, et paucis angustiorem. Singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. Per tribus et familias possessio dividetur (h. Per tribus familia*rum vestrarum hæreditatem capietis*.). Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ (h. a facie vestra) : qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus, et adversabuntur vobis in terra habitationis vestræ, et quiquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.

(T. XIX, B. LXX, *Cap.* XXXIV.) Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : Præcipe filiis Israel, et dices ad eos : Cum ingressi fueritis terram Chanaan, et in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur. Pars meridiana incipiet a solitudine Sin, quæ est juxta Edom, et habebit terminos contra orientem mare salsissimum. Qui circumibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Sinna, et perveniant a Meridie usque ad Cades-Barne [1] unde egredientur confinia ad villam *nomine* (h. non habet) Adar, et tendent usque ad Esemona. Ibitque per gyrum terminus ab Esemona usque ad torrentem Ægypti, et maris Magni littore finietur. Plaga autem occidentalis a mari Magno incipiet, et ipso fine claudetur. Porro ad septentrionalem plagam a mari Magno termini incipient pervenientes usque ad montem altissimum (h. montium) a quo venient in Emath usque ad terminos Sedada : ibuntque confinia usque ad Zephrona, et villam Enan. Hi erant termini in parte aquilonis. Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan usque Sephama, et de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem Daphim [2] (h. ad orientem) : inde pervenient contra Orientem a mare Chenereth, et tendent usque ad Jordanem, et ad ultimam salsissimo claudentur mari. Hanc habebitis terram per fines suos in circuitu. (C. XC.) Præcepitque Moses filiis Israel, dicens : Hæc est (*Vulg.* erit) terra,, quam possidebitis sorte, et quam jussit Dominus dari novem tribubus, et dimidiæ tribui. Tribus enim filiorum Ruben per familias et et tribus filiorum Gad juxta cognitionum numerum, media quoque tribus Danasse, id est, duæ semis tribus, acceperunt partem suam trans Jordanem contra ad Jericho orientalem plagam. Et ait Dominus ad Mosen : (B. LXXI, C. XCI.) Hæc sunt nomina virorum qui terram vobis dividunt, Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, et singuli principes de tribubus singulis, quorum ista sunt vocabula : de tribu Juda, Chaleb filius Jephonne. De tribu Simeon, Samuel filius Amiud. De tribu Benjamin, Elidad filius Chiselon. De tribu filiorum Dan, Bocci filius Jogli (h. dux Bocci. Sic ab hinc per singulas tribus). Filiorum Joseph de tribu Manasse, Hanniel filius Ephod. De tribu Ephraim, Camuel filius Sephthan. De tribu Zabulon Elisapham filium Pharnach. De tribu Issachar, dux Phaltiel filius Azan. De tribu Azer, Ahiud filius Salomi. De tribu Nephthali, Phedael filius Ammiud. Hi sunt, quibus præcepit Dominus ut dividerent filiis Israel terram Chanaan.

(C. XCII, *Cap.* XXXV.) Hæc quoque locutus est Dominus ad Mosen (h. Et locutus est Dominus ad Mosen) in campestribus Moab super Jordanem, contra Jericho : Præcipe filiis Israel ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, et suburbana earum per circuitum : ut ipsi in oppidis maneant, et suburbana sint pecoribus ac jumentis : quæ a muris civitatum forinsecus, per circuitum, mille passuum spatio tendentur. Contra orientem duo millia erunt cubiti, et contra meridiem similiter duo millia : ad mare quoque, quod respicit Occidentem, eadem mensura erit, et septentrionalis plaga æquali termino finietur. Eruntque urbes in medio, et foris suburbana. (B. LXXIII.) De ipsis autem oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem : et exceptis his, alia quadraginta duo oppida, id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis. Ipsæque urbes, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israel, ab his qui plus habent, plures auferentur : et qui minus, pauciores. Singuli juxta mensuram hæreditatis suæ dabunt oppida Levitis. (T. XX, B. XCIII.) Ait Dominus ad Mosen : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Quando transgressi fueritis Jordanem in terram Chanaan, decernite quæ urbes esse debeant in præsidia fugitivorum qui nolentes sanguinem fude-

[1] Hoc modo legitur ex Hebræo textu hodierno : mss. autem omnes post Septuaginta sic legunt : *et perveniant in Meridiem usque ad Cades-Barne*. MART.

— Palatin. ms. : *In Senna et perveniant in Meridiem usque*, etc. Urbinas, *In Semnam, et perveniant ad meridianam, usque*, etc.

[2] Hebræus non habet vocem *Daphim*, et in veteri ms. codice Latino additum illud verbum reperi. Frustra etiam illud requisivimus in libris Nominum et Locorum Hebraicorum. MART.

— Malim ad Urbinatis codicis fidem expungi nomen *Daphim*, aut *Daphnin*, quod præferunt vulgati libri. Nempe neque in Hebræo est, neque quis fuerit locus iste, definiri potest. Et qui post Targumin de fonte Daphni non procul ab Antiochia dici interpretantur, nemini facile persuadeant.

rint: in quibus cum fuerit profugus, cognatus occisi eum non poterit occidere, donec stet in conspectu multitudinis, et causa illius judicetur (h. ad judicium). De ipsis autem urbibus, quæ ad fugitivorum subsidia separantur, tres erunt trans Jordanem et tres erunt in terra Chanaan, tam filiis Israel quam advenis atque peregrinis, ut confugiat ad eas qui nolens sanguinem fuderit. Si quis ferro (h. Si quis vase ferri) percusserit et mortuus fuerit qui percussus est : reus erit homicidii, et ipse morietur. Si lapidem jecerit, et ictus occubuerit : similiter punietur. (h. Si lapidem incusserit et mortuus fuerit qui percussus est lapisque... magnitudinis... ejus mag... interierit, percussor morte morietur... serit quod tantæ.. nis ut ad æstima... ejus magnitud. erit, percussor h. morietur). Si ligno percussus interierit : percussoris sanguine vindicabitur. (C. XCIV.) Propinquus occisi homicidam interficiet : statim ut apprehenderit eum interficiet. Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias : aut cum esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit ; percussor, homicidii reus erit. Cognatus occisi statim ut invenerit eum jugulabit. (C. XCV.) Quod si fortuitu, absque odio et inimicitiis, quidquam horum fecerit, et hoc, audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem et propinquum sanguinis quæstio ventilata : liberabitur innocens de ultoris manu, et reducetur per sententiam in urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur. Si interfector extra fines urbium, quæ exsulibus deputatæ sunt, fuerit inventus, et percussus ab eo, qui ultor est sanguinis : absque noxa erit qui eum occiderit. Debuerat enim profugus usque ad mortem pontificis in urbe residere. Postquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam. Hæc sempiterna erunt, et legitima in cunctis habitationibus (h. habet, in cunctis generationibus et habitationibus) vestris. Homicida sub testibus punietur : ad unius testimonium nullus condemnabitur. Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis, statim et ipse morietur. Exsules A et profugi ante mortem pontificis nullo modo in urbes suas reverti potuerunt : (h. quia *morietur. Non* accipietis pre*tium ab exsulibus* et profugis, ut ante mortem *pontificis* in urbes revertantur. Ne) polluatis terram habitationis vestræ, quæ insontium cruore, maculatur nec aliter expiari potest, nisi per ejus sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit. Atque ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum. Ego enim sum Dominus, qui habito inter filios Israel.

(C. LXXIV. C. XCVI, *Cap.* XXXVI.) Accesserunt autem principes familiarum Galaad filii Macchir, filii Manasse de stirpe filiorum (h. Principes familiarum cognatione filiorum) Joseph : locutique sunt Mosi coram principibus Israel, atque dixerunt : Tibi domino nostro præcepit Dominus, ut terram B sorte divideres filiis Israel, et ut filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri : quas si alierius tribus homines uxores acceperint, sequetur possessio sua, et translata ad aliam tribum, de nostra hæreditate minuetur. Atque ita fiet, ut cum jubilæus, id est, quinquagesimus annus remissionis advenerit, confundatur sortium distributio, et aliorum possessio ad alios transeat. Respondit Moses filiis Israel, et Domino præcipiente, ait : Recte tribus filiorum Joseph locuta est. Et hæc lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est : Nubant quibus volunt, tantum ut suæ tribus hominibus : ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum, Omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione sua : et cunctæ feminæ maC ritos de eadem tribu accipient, ut hæreditas permaneat in familiis : nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, ut a Domino separatæ sunt. Feceruntque filiæ Salphaad, ut fuerat imperatum : et nupserunt, Maala, et Thersa, et Egla, et Melcha, et Noha, filiis patrui sui de familia Manasse, qui fuit filius Joseph : et possessio, quæ illis fuerat attributa, mansit in tribu et familia patris earum. Hæc sunt mandata atque judicia, quæ præcepit Dominus per manum Mosi ad filios Israel, in campestribus Moab super Jordanem contra Jericho.

Explicit liber Numerorum, qui Hebraice dicitur Vajedabber.

TITULI LIBRI DEUTERONOMII.

I. Trans Jordanem populo legem explanat, commemorat quemadmodum eos hortatus fuerit, ut prudentes eligerent viros quos judices constituerent ; quomodo ad terram promissionis miserit inspectores : et quod rebellis exstiterit cuncta populi multitudo : et quod propter delictum eorum etiam ipse Moyses terræ promissionis privaretur introitu Et ubi a Domino præcipitur ne de possessione filiorum Esau et Lot aliquid contingatur. D

II. Transitum memorat per urbem Har, quam Cappadoces possederunt, et quomodo nuntios direxit ad Seon et Og reges Amorrhæorum, qui cum sprevissent præcepta Domini, adversus ipsos initum est certamen : ipsis duabus semis tribubus possidenda eorum terra fuit tradita.

III. Hortatur populum, ut præcepta et judicia servet ac faciat ; nec cæremoniis gentium dediti Dominum offendant : et paterna charitate blanditur nullam

esse tam inclytam gentem, quæ Deo sit proxima. Quomodo ad montem accesserint, et vocem Dei de medio ignis audierint; ac decalogum in tabulis lapideis digito Dei fuisse conscriptum. Moriturum se dicit. Ne idola faciant commonet, et quia non est alius nisi unus Deus. Commemorat quæ sint civitates separatæ in præsidia fugitivorum, qui nolentes hominem occiderint.

V. Accito omni populo dixit se ipsum sequestrem fuisse vel medium, et inter Israelem et Deum, et quæ sint decem verba per ordinem digerit: hortatur custodiant, ne ut trangressores pereant.

V. Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est: et diliges Dominum Deum tuum. Hoc semper meditandum: hoc filiis et nepotibus commendandum; non eundum post deos alienos. Non tacendum quod servierunt Pharaoni, et septem gentes a Domino exstinguendas esse. Quorum vel filiabus non licet misceri connubio. Non formidandum hostes amplissimos, eo quod Dominus tradat eos. Nihil auri vel argenti de idolis concupiscendum; eo quod sit anathema. Commemorat itinera annorum quadraginta per desertum: præstitum man: vestimenta vel supellex cætera nulla vetustate consumpta, pro quibus semper Domini Dei memores esse debeant.

VI. Ubi dicit ingressurum populum terram quam promisit Dominus Deus, et admonet ne justitia sua sibi subjectam vel datam terram fuisse præsumant, maxime quia semper ad iracundiam provocaverunt Dominum, cum vitulum fabricassent, et ob hoc ipse tabulas confregisset, atque pro scelere deprecator accesserit. Deinde in sepulcris concupiscentiæ. De exploratoribus missis ac postea aliis tabulis factis. Arcam fabricatam dicit, et de morte Aaron in monte Hor.

VII. Commonet nihil aliud imperare homini Dominum nisi cuiturum suam, et præcepta custodienda: nec sequendum scelus transgressorum. Benedictiones, si obedieris; maledictiones, si neglexeris.

VIII. Ubi præcepit judicia, quæ in terra promissionis debeant fieri. Idola confringenda; decimas, et primogenita danda: holocausta offerenda, et sacerdotes non deserendos.

IX. De propheta falso et somniatore. De fratre, filio, amico, et uxore suadentibus ire post idola, lapidibus obruendos esse monet. De discretione animalium, avium, pisciumque mundorum et immundorum. Quid comedere liceat, quidve non liceat. Anno remissionis nihil repetendum ab egeno et paupere, nihil negandum. De Hebræo distracto: de primogenitis reddendis, et sanguis ne comedatur.

X. Faciendum pascha, et de ritu solemnitatis ejus. In judicio personam non accipiendam. Solis et lunæ adoratores lapidibus obruendos. Regem alterius gentis hominem non debere constitui: et Levitas ac sacerdotes decimis et oblationibus esse contentos.

XI. Levitam venientem ex civitate sua in aliam, jure inter fratres Domini debere fungi ministerio. Maleficos auferendos. Prophetam ex eadem gente magnum surgere: falsum autem exstingui debere. Et de legibus quas debeant observare.

XII. De progressu bellatorum, quomodo progredi debeant, et exstinctis hostibus quomodo exercitui dividatur præda. De cadavere hominis juxta urbem reperti: de muliere pulchra et captiva: de duabus uxoribus et filiis earum. De filio contumace. De peccato gravi: de inventione reddenda: de veste viri et mulieris, et diversis legibus.

XIII. De his quæ per somnium contingere solent, et aliæ leges pro justificationibus promulgatæ.

XIV. De ingressu terræ promissionis, et quomodo coram sacerdotibus obtinuisse profiteantur.

XV. Præcepta custodienda, et maledictiones negligentibus, benedictiones custodientibus, et responsum populi dicentis amen.

XVI. Verba fœderis replicat, et hortatur ne derelicto Domino idola sequantur, vel cœremonias gentium, quarum terram accepturi sunt possidendam.

XVII. Centum viginti se dicit annorum: vocat Josue, verbisque corroborat suis, ac prædicit quod terram ipse sorte dividat; legem scripsit, ac sacerdotibus tradidit, eamque congregato populo legit.

XVIII. Dominus dicit ad Mosen; Prope sunt dies mortis tuæ, voca Josue ad ostium tabernaculi, et præcipiam ei: apparuitque eis Dominus in columna nubis, et pronuntiat populum idola secuturum. Moyses scribit canticum, et docet filios Israel, ac Levitis præcipit in arcæ latere pro testimonio legem reponendam. Invocat contra eos testes cœlum et terras, quod pereant cum mala patrarint, et cantat præsagum conticum futurorum, in quo ex persona Domini eis improperat dicens: Ubi sunt dii tui, Israel, in quibus confidebas? et cætera mirabiliter tremiscenda.

XIX. Potsquam Moyses omnia carminis verba complevit loquitur ei Dominus eadem die: Ascende in montem Nebo, et morere, et jungere populis tuis, Et antequam ascenderet, universum Israel per singulas tribus benedixit, ascensoque vertice montis, universam terram promissionis aspexit, ad quam pro contradictione et exacerbatione aquarum contradictionis intrare non potuit: ibique describitur mortuus, et incognitum esse ejus sepulcrum, ac talem ultra in Israel non surrexisse prophetam.

BREVES LIBRI DEUTERONOMII.

I. De Judicibus,
II. Commemoratio explorationis terræ.
III. Commemoratio filiorum Esau.
IV. Commemoratia Moabitarum.
V. Commemoratio pugnæ Israel adversus Seon et Og reges.
VI De lecto ferreo Og.
VII. De Josue.
VIII. Moyses de se loquitur.
IX. De justitia, et judicio servando.
X. De filiis legem docendis.
XI. Nullum similitudinem faciendam.
XII. Solem et lunam et stellas non adorandum.
XIII. Ubi dicit Moyses quod merito populi ei Dominus indignatus sit.
XIV. Comminatio ad filios Israel.
XV. Exhortatio post comminationem.
XVI. Commemoratio virtutum.
XVII. Civitates refugii cum omnibus suis.
XVIII. Decalogi commemoratio.
XIX. Quis dabit eis cor sic esse ut timeant me.
XX. De præceptis observandis.
XXI. Dominum non contemnendum.
XXII. Filius instruendos esse.
XXIII. De gentibus Chananæorum perdentis, et testamentum cum eis non disponendum.
XXIV. Filias gentium non accipiendas.
XXV. Aras confringendas.
XXVI. Non propter multum elegisse Deum Israel.
XXVII. Promissio bonorum, si obedierint filii Israel Domino.
XXVIII. De vespis.
XXIX. Non semel gentes perire propter bestias.
XXX. Aurum et argentum idolorum gentium non concupiscendum.
XXXI. Redditio causæ, quare populus diu tentatus sit.
XXXII. Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.
XXXIII. De vestibus non tritis.
XXXIV. Ne ditatus deserat Dominum Deum suum.
XXXV. Deus ignis devorans.
XXXVI. Populum non propter justitiam accepisse commemorat. Jejunium Mosi XL dierum.
XXXVII. Commemoratio vituli.
XXXVIII. Commemoratio iræ Domini adversus populum et Aaron, propter vitulum, et item secundi jejunii quadraginta dierum.
XXXIX. Commemoratio tabularum secundarum.
XL. Quid Dominus Deus tuus exquirit a te, Israel.
XLI. Cœlum cœli et omnia Domini Dei tui sint.
XLII. Duritiam cordis circumcidendam.
XLIII. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.
XLIV. Dathan et Abiron commemoratio.
XLV. Definitio terræ, vel laudatio.
XLVI. Si auditu audieris Dominum, dabit pluviam tempore suo.
XLVII. Ne cum repleti fuerint, deserant Dominum, et contineat cœlum, et non sit pluvia.
XLVIII. Filios semper docendos.
XLIX. De fortitudine Dei supra gentes terrendas.
L. De benedictione et maledictione.
LI. Item de idolo confringendo.
LII. In uno loco sacrificandum.
LIII. Sacrificia et omnia vota non nisi ubi templum fuerit, celebranda.
LIV. Levitas non deseri in votis, et sanguinem non manducandum.
LV. De propheta si surrexerit, et suadentibus ad idola.
LVI. Supra mortuum non decalvandum.
LVII. De pecoribus mundis, et non comedendis.
LVIII. Decimas in templum offerendas.
LIX. In voti solutione Levitam non prætermittendum.
LX. Remissionis præceptum.
LXI. Si aure audieritis nomen Dei vestri.
LXII. De gentibus proximis.
LXIII. De servo Hebræo.
LXIV. De primitiis pecorum.
LXV. Quare pascha et azyma manducetur.
LXVI. De Pentecoste.
LXVII. Festa Tabernaculorum.
LXVIII. Non apparebis in conspectu Domini tui vacuus.
LXIX. Judices constituendi, ut judicent justa.
LXX. Immaculata offerenda hostia.
LXXI. Non parcendum idola ac sidera colentibus
LXXII. In duobus vel tribus testibus constare omnia.
LXXIII. Si verbum judicis defecerit, et ambiguum aliquid fuerit.
LXXIV. De sacerdote et judice audiendo.
LXXV. De præponendis principibus.
LXXVI. De partibus præstandis sacerdotibus ex sacrificiis
LXXVII, Devita si de commoratione sua in Jerusalem venire voluerit.
LXXVIII. De auguriis et incantatoribus et maleficis.
LXXIX. Prophetam suscitari in populo.
LXXX. Quomodo verbum agnoscitur an Domini sit.
LXXXI. De civitatibus refugii.
LXXXII. Non transferendos terminos.
LXXXIII. De teste iniquo : in ore duorum vel trium stabit omne verbum.
LXXXIV. Oculum pro oculo.

LXXXV. Exhortatio in pugna.
LXXXVI. De ligno fructifero non excidendo in obsidione civitatis.
LXXXVII. De occiso a latrone.
LXXXVIII. De muliere captiva, si uxor fuerit facta.
LXXXIX. De duabus uxoribus.
XC. De filiis non dicto audientibus.
XCI. De crucifixo.
XCII. De pecore proximi.
XCIII. De veste viri, et mulieris.
XCIV. De nido.
XCV. De balteo domus.
XCVI. De vinea non seminanda.
XCVII. De asina et vitulo.
XCVIII. De lino et lana et opertorio.
XCIX. De projicienda uxore, si virgo inventa non fuerit.
C. De adulterio, vel virgine sponsata.
CI. De virgine vim passa in agro.
CII. De nuditate uxoris patris non nudanda.
CIII. De abciso et fornicario.
CIV. De polluto fluente semine.
CV. De servo non tradendo.
CVI. Non fornicari filios Israel.
CVII. De pretio fornicariæ, et canis non offerendo.
CVIII. Usuræ non dandum.
CIX. Vota cito reddenda.
CX. De segete et vinea vicini.
CXI. De libello repudii.
CXII. De novis nuptis, non alienari uno anno de domo.
CXIII. De non pignoranda mola.
CXIV. De vendito fratre ; si pretium acceperit interficiatur venditor.
CXV. De tactu lepræ.
CXVI. De Maria.
CXVII. De pignore reddendo.
CXVIII. De mercede mercenarii.
CXIX. Non mori patres pro filiis.
CXX. De judicio pupilli et viduæ.
CXXI. De messe.
CXXII. De oliva et vindemia.
CXXIII. De plagis peccatori quadraginta imponendis.
CXXIV. De bove triturante.
CXXV. De suscitando defuncti semine.
CXXVI. De uxore rixantis.
CXXVII. De pondere.
CXXVIII. De Amalec.
CXXIX. De primitiis terræ.
CXXX. Quod Israel Dominum Deum elegerit.
CXXXI. De lapidibus scribendis et statuendis.
CXXXII. Ubi dicit, maledictus qui dormierit cum uxore patris sui, vel qui fecerit sculptile, *etc.*
CXXXIII. Item benedictio.
CXXXIV. Et erit vita tua pendens ante oculos tuos.
CXXXV. Commemoratio præstitorum, quæ neque cor, neque oculos, neque aures habuerint, ut cognoscerent, et de vestibus et calceamentis quadraginta annis.
CXXXVI. Quæ absconsa sunt Deo, quæ manifesta sunt vobis.
CXXXVII. De vita et morte ante te.
CXXXVIII. Testatio.
CXXXIX. Jesu destinavit Moyses.
CXL. Canticum Moysi.
CXLI. Loquitur Moyses ad populum, et ascendit ad montem.
CXLII. Benedictio Moysis super populum.

CAPITULA LIBRI ELLE ADDABARIM QUI GRÆCE DICITUR DEUTERONOMIUM.

I. Verba quæ locutus est Moyses omni Israel quadragesimo anno in eremo post occisionem Seon et Og regum, per omnia quæ præcepit illi Deus in Horeb.

II. Dixit Moyses ad populum in tempore illo : Non potero solus sufferre vos, et ordinavi vobis viros sapientes, qui præessent vobis.

III. Tollentes se de Horeb, ambulaverunt per omnem eremum.

IV. Accessistis ad me, et dixistis : Mittamus viros ante nos, et feci secundum hoc verbum.

V. Et noluistis ascendere, neque credidistis verbo Domini.

VI. Et dixi vobis : Dominus Deus præcedet vos, et non credidistis.

VII. Murmurastis et exacerbatus est Dominus, et juravit non intraturos vos in terram illam bonam, nisi Chaleb et filios ejus.

VIII. Et mihi iratus est Dominus causa vestri dicens : Nec tu intrabis ibi, sed Jesus filius Nave intrabit ibi, et filii eorum, quos dixerunt captivos futuros.

IX. Et contra mandatum ascendistis in montem, et exivit Amorrhæus, et persecutus est vos.

X. Similiter decurrit per singula, et dinumerat universa magnalia Dei, et virtutes quibus præibat eos Deus, et quomodo aluit eos in deserto per quadraginta annos, et quæ fecit Deus duobus regibus Seon et Og.

XI. Et precatus sum Dominum in tempore illo, et despexit me causa vestri.

XII. Hic iterum astringit ne discedant a mandatis.

XIII. Videte ne faciatis vobis sculptile, similitudinem omnis hominis, aut pecoris, aut alicujus rei, quæ sunt super terram, aut in cœlo, aut in mari.

XIV. Dominus iratus est mihi propter vos, et non

intrabo vobiscum, sed morior in hac terra. Attendite ne obliviscamini testamentum Domini Dei vestri: quoniam si exacerbaveritis Deum, testor vobis hodie cœlum et terram, quia peribitis de terra illa.

XV. Interrogate si a quo creavit Deus hominem, auditum est hoc, si est gens sub cœlo cui locutus sit Dominus de medio ignis.

XVI. Tunc disposuit Moyses civitates ad refugium homicidarum.

XVII. Hæc est lex, quam locutus est Moyses convocans ad se omnem Israel.

XVIII. Hæc verba locutus est Dominus ad omnem synagogam Israel, et dixistis mihi ut audirem a Deo, et locutus essem vobis, et nunc facite quæcunque præcepit vobis Dominus, non declinantes ad dextram, neque ad sinistram.

XIX. Audi, Israel, Dominus Deus noster Deus unus est, et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota virtute tua.

XX. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.

XXI. Non ibitis post deos alienos, ne eradicemini.

XXII. Non tentabis Dominum Deum tuum, sed facies quæ præcepit tibi, et filio tuo dices quemadmodum eduxerit te Dominus de Ægypto.

XXIII. Quod si introduxerit te Dominus in terram, quam possessurus es, disperdes omnes gentes, ipsas, et aras earum, et titulos et sculptilia combures igni.

XXIV. Si observaveritis præcepta et justitias istas, servabit et vobis Dominus testamentum, quod juravit patribus vestris, et benedicet vos, et expellet omnem languorem a vobis.

XXV. Non parces gentibus, quas Dominus subjiciet tibi, nec dices, Magna gens hæc, quomodo potero adversus eam? et non concupisces aurum vel argentum de sculptilibus eorum, sed anathematizabis ea.

XXVI. Omnia mandata quæ trado vobis hodie, observabitis, ut vivatis, et in mente habete omnia quæ experti estis in desertis, et esuristis et dedit vobis Dominus manna: ut sciretis quia non in pane tantum vivit homo, sed in omni verbo Dei.

XXVII. Attende tibi, ne obliviscaris beneficia Domini Dei tui.

XXVIII. Non dicas in corde tuo, Virtus mea fecit hæc omnia.

XXIX. Audi, Israel, tu transies hodie Jordanem, et possidebis gentes magnas, et civitates munitas, et scies quia Dominus Deus tuus præcedet te.

XXX. Non dicas in corde tuo, propter justitias meas introduxit me Dominus in terram istam.

XXXI. In mente habete quoties exacerbaveritis Dominum in desertis.

XXXII. Et in Horeb exacerbastis Dominum, quando fecistis conflatile.

XXXIII. Et dixit Dominus ad me, sine me, et deleam illos.

XXXIV. Et descendi de monte, et vidi quia peccastis, et projeci tabulas de manibus meis, et confregi illas.

XXXV. Et deprecatus sum Dominum iterum sicut prius, quadraginta diebus, et quadraginta noctibus panem non edi, et aquam non bibi.

XXXVI. Et in Aaron iratus est valde Dominus pro eo quod fecistis vitulum.

XXXVII. Et sumpsi, et combussi illum.

XXXVIII. Et in tentatione exacerbastis Dominum.

XXXIX. Et quando misit vos Dominus a Cades-Barne.

XL. Et precatus sum ante Dominum quadraginta diebus, et quadraginta noctibus.

XLI. In illo tempore dixit mihi Dominus: Præcide tibi duas tabulas lapideas sicut priores, et ascende ad me in montem.

XLII. Et feci arcam et ascendi in montem.

XLIII. Et descendi, et misi tabulas in arcam.

XLIV. In illo tempore separavit Dominus tribum Levi, ut portarent arcam.

XLV. Et nunc, Israel, quid Dominus postulat a te aliud, quam ut timeas Dominum Deum tuum, et diligas eum, et servias ei?

XLVI. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.

XLVII. Cum septuaginta animabus [1] descenderunt patres tui in Ægyptum, et fecit te Deus sicut stellas cœli in multitudinem.

XLVIII. Et amabis Dominum, et scies quomodo te eduxit Dominus de Ægypto, et quæ fecerit Dathan et Abyron filiis Eliab.

XLIX. Quod si audieritis præcepta illius, dabit pluviam terræ vestræ, et satietatem in agris vestris.

L. Et si obaudieritis omne præceptum istud, ejiciet Dominus omnes gentes a facie vestra.

LI. Ecce do vobis hodie benedictionem et maledictionem.

LII. Ista præcepta sunt et judicia, quæ observabitis.

LIII. Non facietis voluntatem vestram.

LIV. In loco quem elegerit Dominus, offeretis omnia quæ ego mando vobis.

LV. Omnes primitias tuas in conspectu Domini tui manducabis.

LVI. Attendite ne manducetis sanguinem.

LVII. Custodi, et fac omnia verba, quæ ego mando tibi.

LVIII. Omne verbum quod ego mando tibi, custodi et fac, et prophetam qui dixerit tibi: eamus et serviamus diis, non audies.

LIX. Post Dominum Deum vestrum ibitis, et ipsum timebitis.

LX. Si autem frater tuus, aut filius, aut conjux, aut amicus dixerit tibi: Eamus, serviamus diis, non parces ei, sed deferes eum, et lapidabitur.

[1] In Palatin. ms., *cum 75 animabus*.

LXI. Si autem audieris in una ex civitatibus tuis esse homines peccatores, qui recedere fecerunt omnes inhabitantes in ea, si vere factum est, interficies omnes.

LXII. Non facietis decalvationem super mortuum.

LXIII. Hæc peccora, quæ manducabitis.

LXIV. Hæc manducabitis ab his, quæ sunt in aquis.

LXV. Omnem avem mundam manducabitis.

LXVI. Decimas agri tui offeres in loco, quem elegerit Dominus.

LXVII. Cum autem longe fuerit a te, vendes ea et illic redimes.

LXVIII. Post septem annos facies remissionem.

LXIX. Si audieris vocem Domini Dei tui, princeps eris gentium multarum.

LXX. Si factus fuerit in te egens de fratribus tuis.

LXXI. Si emeris puerum Hebræum, sex annos serviet tibi.

LXXII. Omne primitivum sanctificabis Domino.

LXXIII. Custodi mensem novorum, et facies pascha Domino Deo tuo.

LXXIV. Judices et scribas constitues, ut judicent juste.

LXXV. Non plantabis tibi lucum.

LXXVI. Si inventus fuerit in te serviens diis, in duobus vel tribus morietur.

LXXVII. Si latuerit te verbum, vade ad sacerdotem.

LXXVIII. Qui non audierit sacerdotem, moriatur.

LXXIX. Alienigenam non facies principem super te.

LXXX. Hoc judicium sacerdotum.

LXXXI. Non invenietur in te lustrans filium suum aut filiam.

LXXXII. Prophetam suscitabo eis ex fratribus eorum.

LXXXIII. Propheta si locutus fuerit verbum, et non contigerit, interficiatur.

LXXXIV. Hoc præceptum homicidæ.

LXXXV. Non transferes terminos quos posuerant patres tui.

LXXXVI. Non accipies testimonium unius adversus hominem.

LXXXVII. Anima pro anima oculum pro oculo, dentem pro dente.

LXXXVIII. Si exieris ad bellum, noli timere.

LXXXIX. Si accesseris expugnare civitatem.

XC. Si obsederis civitatem.

XCI. Si inventus fuerit vulneratus in terra.

XCII. Si tradiderit ibi Deus inimicos tuos.

XCIII Si fuerint homini duæ uxores, dilecta et odibilis.

XCIV. Si fuerit alicui filius inobediens [1].

XCV. Si fuerit in aliquo peccatum ad mortem.

XCVI. Si videris animal fratris tui errans, vel cadens.

XCVII. Non induet mulier vestem virilem.

XCVIII. Si inveneris nidum avium.

XCIX. Si domum novam ædificaveris.

C. Non arabis in vitulo et asino.

CI. Si quis acceperit uxorem, et oderit eam.

CII .Si inventus fuerit adulter cum adultera.

CIII. Si dormierit aliquis cum puella desponsata.

CIV. Si in campo invenerit quis puellam desponsatam, et vim fecerit ei.

CV. Si invenerit quis puellam virginem, et dormierit cum ea.

CVI. Non accipiet homo uxorem patris sui.

CVII. Non intrabit abscisus in Ecclesiam Domini.

CVIII. Non intrabit fornicaria, nec Ammonites et Moabites in Ecclesiam Domini.

CIX. Non abominabis Idumæum, neque Ægyptium.

CX. Si fuerit homo immundus, exibit extra castra.

CXI. Non trades servum domino suo.

CXII. Non erit Israelites fornicaria.

CXIII. Non iferes mercedem fornicariæ.

CXIV. Non exiges a fratre tuo usuram [2].

CXV. Si voveris votum Domino, non tardes reddere illud.

CXVI. Si intraveris in vineam proximi tui.

CXVII. Si intraveris in segetem proximi tui.

CXVIII. Si quis acceperit uxorem, et invenerit inea rem turpem.

CXIX. Si quis acceperit uxorem in recenti, non exiet ad bellum.

CXX Non pignorabis molam.

CXXI. Si capitus fuerit fur.

CXXII. In mente habe quæ fecerit Dominus Mariæ.

CXXIII. Debitorem non pignorabis per vim.

CXXIV. In pignore pauperis non dormies, et mercedem laboranti ne tarde reddideris.

CXXV. Non morientur patres pro filiis.

CXXVI. Non declinabis judicium advenæ, et orphani, et viduæ.

CXXVII. Non pignorabis viduam.

CXXVIII. Si secaveris segetem.

CXXIX. Si collegeris olivam.

CXXX. Si vindemiabis vineam.

CXXXI. Si judicaveris impium, dabis ei quadraginta flagella.

CXXXII. Non infrænabis bovem triturantem.

CXXXIII. Si mortuus fuerit quis habens uxorem sine filiis, accipiet eam frater ejus.

CXXXIV. Si noluerit homo accipere uxorem fratris sui.

CXXXV. Si rixaverint duo homines in se.

CXXXVI, Non erit tibi pondus iniquum, et mensuræ duplices.

CXXXVII In mente habe quanta tibi fecerit Amalec.

CXXXVIII. Cum introiretis in terram, quam Dominus Deus dabit vobis.

CXXXIX. Et dixit Moyses ad populum, tacete, et audite.

CXL. Hi stabunt benedicere plebem, et hi maledicere.

[1] Totum hoc capitulum Palat. ms. ignorat.
[2] Hoc quoque capitulum in eodem ms. desideratur.

CXLI. Maledictus omnis qui fecerit hæc.
CXLII. Si custodieritis præcepta Domini, venient super vos benedictiones istæ.
CXLIII. Si non audieritis, venient in vos maledictiones istæ.
CXLIV. Vocavit Moyses omnes filios Israel, et dixit ad eos: Scitis quanta fecerit Dominus Pharaoni propter vos.
CXLV. Quæ sunt absconsa Deo, quæ autem palam nobis.
CXLVI. Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo.
CXLVII. Ecce dedi ante oculos tuos vitam et mortem.
CXLVIII. Et consummavit Moses omnia verba ista.
CXLIX. Et vocavit Moyses Jesum, et dixit ei: Viriliter age, et convalesce.
CL. Dixit Dominus ad Mosen: Tu dormies cum patribus tuis, et fornicabitur plebs hæc post deos alienos.
CLI. Sripsit Moyses canticum hoc.
CLII. Dixit Dominus ad Moysen: Ascende in montem Abarim, et morere ibi.
CLIII. Benedixit Moyses homo Dei filios Israel.
CLIV. Mortuus est Moyses in terra Moab
CLV. Et non fuit propheta in Israel sicut fuit Moyses.

INCIPIT

LIBER ELLE ADDABARIM

QUI GRÆCE DICITUR

DEUTERONOMIUM.

[T. I. C. I, *Cap.* I.] Hæc sunt verba, quæ locutus est Moses ad omnem Israel trans Jordanem [1] [h. in transitu Jordanis] in solitudine campestri [h. in campestri], contra mare Rubrum inter Pharan et Thophel et Laban et Aseroth, ubi auri (h. et abundantia auri) est plurimum: undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque Cades-Barne (h. undecim dierum iter de Horeb ad montem Seir usque Cades-Barne). Quadragesimo anno (Et factum est quadragesimo anno), undecimo mense, prima die mensis, locutus est Moses ad filios Israel omnia, quæ præceperat illi Dominus, ut diceret eis: postquam percussit Seon regem Amorrhæorum, qui habitavit in Esebon, et Og regem Basan, qui mansit in Astaroth, et in Edrai, trans Jordanem (h. in transitu Jordanis) in terra Moab. Cœpitque Moses explanare legem (h. legem hanc), et dicere: Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb dicens: Sufficit vobis quod in hoc monte mansistis: revertimini, et venite (h. respicite, et

[1] Hoc loco abutuntur Judeaster Aben-Ezra, ac Christianorum feces Hobbesius, Spinosa, et alii ejusdem audaciæ scriptores, qui præfracte negant Mosen totius Pentateuhi auctorem exstitisse. In quam sententiam abiere similiter Le Clerc, et Richardus Simon, qui cum in multis insensissime dissideant, in hoc tandem consentiunt, ut antiquissimam in Ecclesiam Dei traditionem, atque omnium animis persuasionem receptam convellant. Sed hujusmodi novatores profligat doctissimus scholiastes noster, apposite observans ex Hebræo legendum esse: *Hæc sunt verba quæ locutus est Moses ad omnem Israel in transitu Jordanis.* Quod et in consequentibus tam admirabili diligentia annotavit ad tollendam ambiguitatem dictionis, *trans*, ut diceres non alia mente hæc ab eo fuisse scripta, quam ut doceremur singula Deuteronomii verba Mosen ipsissimum auctorem habuisse. Conferat lector curiosus caput istud primum, v. 1 et 5, cum iis quæ leguntur infra, capite tertio, v. 8 et 25: pervidebit statim particulam, *trans*, scholiis illustratam, ubi ad Mosem loquentem non potuit referri: intactam vero ac sine scholiis manentem, cum Mosi sermocinanti convenit. Precatur, verbi gratia. Dominum Moses his verbis cap. III, vers. 25: *Transibo igitur, et videbo terram hanc optimam trans Jordanem*, id est, terram Chanaan, quæ respectu Mosis loquentis erat trans Jordanem: quare nullum ibi appositum est scholion, uti factum conspicitur v. 8 ejusdem capitis; quia reges Amorrhæi de quibus sermonem habuit Moses, erant non trans, sed eis Jordanem respectu ejusdem. Quis credidisset aliquando profligatum iri Canone veritatis Hebraicæ audaculos nostri temporis scriptores, palmariumque quod putabant argumentum, veterum doctorum sententiis penitus fore dissolvendum? non est emitendum auctorem supposititii operis *De decem tentationibus in deserto, quod* inter Hieronymianas cripta editum est, multa fuisse mutuatum e scholiis Cononis Heb veritatis. MART.

— Sic eninvero habet Hebræus ad litteram, quemadmodum et Scholiastæ annotatum est בעבר הירדן, *in transitu Jordanis*. Quod *trans Jordanem* retinuisse videtur ex veteri Latina interpretatione Hieronymusmi, nus equidem conveniat Moysi, qui nunquam eum amnem pertransiit. Proinde alii ex Hebrææ linguæ ingenio illud accipiunt pro *cis*, alii pro *ad latus*, sive *e regione*. Nec defuerunt qui e contrario ex ea particula contenderent, hunc textum ab altero post Mosem fuisse substitutum: quos inter Richardum Simonium haud plane merito Martianæus recenset et castigat. Nullum vero cavillationi locum Hebræum exemplar relinquit.

venite] ad montem Amorrhæorum, et ad cætera quæ ei proxima sunt campestria atque montana, et ad humiliora loca contra meridiem, et juxta littus maris, terram Chananæorum, et Libani usque ad flumen magnum Euphraten. En, inquit, tradidi vobis : ingredimini et possidete eam ; super qua juravit Dominus patribus vestris, Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret illam eis, et semini eorum post eos. [B. I, C. II.] Dixique vobis illo in tempore : Non possum solus sustinere vos : quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellæ cœli, plurimi. (Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, et benedicat vobis sicut locutus est.) Non valeo solus negotia vestra sustinere, pondus ac jurgia. Date e vobis viros sapientes et gnaros, et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes. Tunc respondistis mihi : Bona res est, quam vis facere. Tulique de tribubus vestris viros sapientes, et nobiles, et constitui eos principes, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula. Præcepique eis, dicens : Audite illos, et quod justum est, judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum : nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quod si difficile vobis aliquid visum fuerit, referte ad me, et ego audiam. Præcepique omnia quæ facere deberetis. [C III]. Profecti autem de Horeb, transivimus per eremum terribilem et maximam, quam vidistis per viam montis Amorrhæi, sicut præceperat Dominus Deus noster nobis. Cumque venissemus in Cades-Barne, dixi vobis : Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est nobis. Vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi ; ascende, et posside eam, sicut locutus est tibi Dominus Deus patrum tuorum [1] : noli metuere, nec quidquam paveas. [C. IV.] Et accessistis ad me omnes, atque dixistis : Mittamus viros, qui considerent terram [h. ante conspectum nostrum], et renuntient per quod iter debeamus ascendere, et ad quas pergere civitates. (B. II.) Cumque mihi sermo placuisset, misi e vobis duodecim viros singulos de tribubus suis. Qui cum perrexissent, et ascendissent in montana, venerunt usque ad vallem Botri (h. usque ad torrentem Botri), et considerata terra, sumentes de fructibus ejus, ut ostenderent ubertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt : Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. [C. V.] Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri murmurati estis in tabernaculis vestris, atque dixistis : Odit nos Dominus, et idcirco eduxit nos de terra Ægypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. Quo (h. fratres nostri) ascendemus ? nuntii terruerunt cor nostrum dicentes : Maxima multitudo est, et nobis statura procerior : urbes magnæ, et ad cœlum usque munitæ, filios Enacim vidimus ibi. Et dixi vobis : Nolite metuere, nec timeatis eos : (C. VI.) Dominus Deus, qui ductor est vester [2], pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto, videntibus cunctis. Et in solitudine (ipse vidisti [3]) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum [h. non habet, parvulum] filium suum, in omni via, per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro, qui præcessit vos in via, et metatus est locum in quo tentoria (h. castra) figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem et die per columnam nubis. (C. VII.) Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus juravit, et ait : Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimæ terram bonam, quam sub juramento pollicitus sum patribus vestris, præter Chaleb filium Jephonne. Ipse enim videbit eam, et ipsi dabo terram, quam calcavit, et filius ejus, quia secutus est Dominum. Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit : (C. VIII.) Nec tu ingredieris illuc, sed Josue, filius Nun, minister tuus, ipse introibit pro te. Hunc exhortare et robora, et ipse terram sorte dividet Israeli. Parvuli vestri, de quibus dixistis, quod captivi ducerentur, et filii qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur, et ipsis dabo terram, et possidebunt eam. Vos autem revertimini et abite in solitudinem per viam maris Rubri. Et respondistis mihi : Peccavimus Domino : (C. IX.) Ascendemus atque pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. Cumque instructi armis pergeretis in montem, ait mihi Dominus : Dic ad eos : Nolite ascendere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum : ne cadatis coram inimicis vestris. Locutus sum, et non audistis, sed adversantes imperio Domini, et tumentes superbia, ascendistis in montem. Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus (h. in monte et obviam) veniens persecutus est

[1] In editis legimus, *Sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis*, quod plures mss. codices sequuntur paucis omissis, vel mutatis : aliquot enim habent, *patribus nostris* alii omittunt, *noster*, legunt que *Dominus Deus patribus tuis*. Canon pure legit juxta Hebræum. MART.

— Cum Vulgatis Urbinas ms. *sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis* : a quo Palatin. hoc uno abludit., quod *noster*, pronomen prætermittit.

[2] Idem Palatin. *noster*. Paulo post, juncto Urbinate, plurium numero habet, *ipsi vidistis*.

[3] Pluraliter expressa est hæc parenthesis in Canone ac plurimis aliis antiquissimis mss., scilicet, *ipsi vidistis* ; sed in hujusmodi lectionibus nulla contentio est : unde sanctus Hieronymus similem variantem lectionem psalmi LXXXIII exponens in epistola ad Sunniam et Fretelam, hæc habet : *Et quæso vos*, inquit, *ut hujusmodi ineptias, et superfluas contentiones, ubi nulla est sensus immutatio, declinetis.* Quæ propterea lectorem semel admonuisse visum est, ut sciat multa similia a nobis fuisse prætermissa. MART.

vos, sicut solent apes persequi, et cecidit de Seir usque Horma. Cumque reversi ploraretis coram Domino,non audivit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere. Sedistis ergo in Cades-Barne multo tempore. [C. X, *Cap.*II.] Profectique inde venimus in solitudinem,quæ ducit ad mare Rubrum,sicut mihi dixerat Dominus, et circumivimus montem Seir longo tempore. [B. III.] Dixitque Dominus ad me : Sufficit vobis circumire montem istum : ite contra aquilonem,et populo præcipe,dicens: Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau qui habitant in Seir, et timebunt vos. Videte ergo diligenter, ne moveamini contra eos. Neque enim dabo vobis de terra eorum quantum potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir. Cibos [h. Cibum] emetis ab eis pecunia, et comedetis : aquam emptam haurietis, et bibetis. Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum : novit iter tuum, quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, et nihil tibi defuit. Cumque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elath, et de Asion-Gaber, venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab. Dixitque Dominus ad me : Non pugnes contra Moabitas, nec incas adversus eos prælium : non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Lot tradidi Ar in possessionem. Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus, et validus, et tam excelsus, ut de Enacim stirpe, quasi gigantes,crederentur,et essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim. In Seir autem prius habitaverunt Horim : quibus expulsis atque deletis, habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israel in terra possessionis suæ, quam dedit ei Dominus. Surgentes ergo ut transiremus torrentem Zared, venimus ad eum. Tempus autem, quo ambulavimus de Cades-Barne usque ad transitum torrentis Zared, triginta et octo annorum fuit : donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut juraverat Dominus : cujus manus fuit adversum eos, ut interirent de castrorum medio. [B. IV.] Postquam autem universi ceciderunt pugnatores. [T. II.] locutus est Dominus ad me, dicens : Tu transibis hodie terminos Moab, urbem nomine Ar, et accedens in vicina filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos, ne movearis ad prælium : non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Lot dedi eam in possessionem. Terra gigantum reputata est: et in ipsa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommin, populus magnus, et multus, et proceræ longitudinis, sicut Enacim, quos delevit Dominus a facie eorum, et fecit illos habitare pro eis, sicut fecerat filiis Esau, qui habitant in Seir, delens Horræos, et terram eorum illis tradens, quam possident usque in præsens. Evæos quoque, qui habitabant in Aserim usque Gazam, A Cappadoces expulerunt : qui egressi de Cappadocia deleverunt eos, et habitaverunt pro illis. [h. Evæos quoque, qui habitabant in Aserim usque Gazam, Cappadoces qui habitabant in Cappadocia, deleverunt, et habitaverunt pro illis.] [B. V.] Surgite,et transite torrentem Arnon : ecce tradidi in manu tua Seon regem Esebon Amorrhæum, et terram ejus incipe possidere, et committe adversus eum prælium. Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo, ut audito nomine tuo [h. ut audita fama tua],paveant, et in morem parturientium contremiscant, et dolore teneantur [h. contremiscant in conspectu tuo]. Misi ergo nuntios de solitudine Cademoth ad Seon regem Esebon verbis pacificis, B dicens : [h.] Transibo per terram tuam, publica gradiar via : non declinabo neque ad dexteram, neque ad sinistram. Alimenta pretio vende mihi, ut vescar : aquam pecunia tribue, et sic bibam. Tantum est, ut mihi concedas transitum, sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir, et Moabitæ, qui morantur in Ar : donec veniam ad Jordanem, et transeam in terram quam Dominus Deus noster daturus est nobis. Noluitque Seon rex Esebon dare nobis transitum : quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus, et obtirmaverat cor illius, ut traderetur in manus tuas, sicut nunc vides. Dixitque Dominus ad me : Ecce cœpi tradere tibi Seon, et terram ejus, incipe possidere eam. Egressusque est Seon obviam nobis cum omni populo suo ad prælium in Jesa. Et tradidit eum Dominus C Deus noster nobis : percussimusque eum cum filiis suis et omni populo suo. Cunctasque urbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus et parvulis. Non reliquimus in eis quidquam, absque jumentis, quæ in partem venere prædantium, et spoliis urbium quas cepimus ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, et oppido quod in valle situm est, usque Galaad. Non fuit vicus et civitas, quæ nostras effugeret manus : omnes tradidit Dominus Deus noster nobis, absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus, et cunctis quæ adjacent torrenti Jebboc, et urbibus montanis, universisque locis a quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.

D [*Cap.* III.] Itaque conversi ascendimus per iter Basan : egressusque est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo. [h. cum omni populo suo] ad bellandum in Edrai. Dixitque Dominus ad me : Ne timeas eum : quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua : faciesque ei sicut fecisti Seon regi Amorrhæorum, qui habitavit in Esebon. Tradidit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan, et universum populum ejus : percussimusque eos usque ad internecionem, vastantes cunctas civitates illius uno tempore [h.in illo tempore]. Non fuit oppidum, quod nos effugeret : sexaginta urbes, omnem re-

gionem Argob regni Og in Basan. Cunctæ urbes erant munitæ muris altissimis, portisque et vectibus, absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros. Et delevimus eos, sicut feceramus Seon regi Esebon, disperdentes omnem civitatem, virosque ac mulieres et parvulos; jumenta autem et spolia urbium diripuimus. Tulimusque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem [h. qui erant, in transitu Jordanis] : a torrente Arnon usque ad montem Hermon, quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhæi Sanir : omnes civitates, quæ sitæ sunt in planitie, et universam terram Galaad et Basan usque Selcha et Edrai civitates regni Og in Basan. Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum.

[B VI.] Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath [h. ecce lectus ejus, ferreus est in Rabbath] filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus [h. ad cubitum viri]. Terramque possedimus [h. Hanc quoque terram, quam possedimus] in tempore illo ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, usque ad mediam partem montis Galaad, et civitates illius dedi Ruben, et Gad. Reliquam autem partem Galaad, et omnem Basan regni Og. tradidi dimidiæ tribui Manasse, omnem regionem Argob : cuncta Basan vocatur terra Gigantum. Jair filius Manasse possedit omnem regionem Argob usque ad terminos Gesuri et Machathi.Nocavitque ex nomine suo Basan, Avoth Jair, id est, Villas Jair [h. non habet, id est, villas Jair], usque in præsentem diem. Machir quoque dedi Galaad. Et tribubus Ruben et Gad dedi de terra [h. non habet, terra] Galaad usque ad torrentem Arnon medium torrentis, et confinium [1] usque ad torrentem Jebboc, qui est terminus filiorum Ammon,et planitiem solitudinis, atque Jordanem, et terminos Chenereth [h. et solitudinem atque Jordanem,et terminum de Chenereth] usque ad mare deserti,quod est salsissimum, ad radices montis Phasga contra orientem. Præcepique vobis in tempore illo dicens : Dominus Deus vester dat vobis terram hanc in hæreditatem, expediti præcedite fratres vestros filios Israel omnes viri robusti, absque uxoribus, et parvulis, ac jumentis. Novi enim quod plura habeatis pecora, et in urbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis, donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit,et possideant etiam ipsi terram, quam daturus est eis trans Jordanem : tunc revertetur unusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis. [B. VII.] Josue quoque in tempore illo præcepi, dicens : Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus : sic faciet omnibus regnis, ad quæ transiturus es. Ne timeas [h. Ne timeatis] eos. Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis. Precatusque sum Dominum in tempore illo, dicens : Domine Deus [h. Domine, Domine], tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam. Neque enim est alius Deus, vel in cœlo, vel in terra, qui possit facere opera tua, et comparari fortitudini tuæ. Transibo [h. Transeam, obsecro] igitur, et videbo terram hanc optimam trans Jordanem, et montem istum egregium, et Libanum. Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudivit me, sed dixit mihi : Sufficit tibi : nequaquam ultra loquaris de hac re ad me. Ascende cacumen Phasgæ, oculos tuos circumfer ad occidentem, et aquilonem, austrumque et orientem, et aspice : nec enim transibis Jordanem istum. Præcipe Josue, et corrobora eum,atque conforta : quia ipse præcedet populum istum, et dividet eis terram quam visurus es. Mansimusque in valle contra fanum Phohor.

[T. III, B. IX, C. XII, *Cap.* IV.] Et nunc, Israel, audi præcepta et judicia, quæ ego doceo te : ut faciens ea, vivas, et ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis. Non addetis ad verbum quod vobis loquor [h. quod ego præcipio vobis], neque auferetis ex eo : custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis. Oculi vestri viderunt omnia, quæ fecit Dominus contra Beel Phegor, quomodo contriverit omnes cultores ejus de medio vestri. Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in præsentem diem. Scitis quod docuerim vos præcepta atque justitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra, quam possessuri estis : et observabitis et implebitis opere [h. atque judicia, sic ut præcedit mihi Dominus Deus meus, ut faciatis ea in terra quam possessuri estis, et observetis et impleatis opere] hæc est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant : En populus sapiens et intelligens, gens magna [h. gens magna hæc]. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Dominus [*Vulg. tac.* Dominus] Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia,et universam legem [h. juxta universam legem],quam ego proponam hodie ante oculos vestros [h. ante conspectum vestrum]? [B. X.] Custodi igitur temetipsum, et animam tuam sollicite. Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos: diem [*Vulg.* a die] in quo steti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus est mihi, dicens : Congrega ad me

[1] Non *confinium*, sed *finium* habetur in Canone et aliis mss. antiquioribus, qui legunt sic, *medium torrentis et finium* : id vero in eumdem sensum reddit. Mart.

— Ms. Urbinas, *dedit terram Galaad*. Mox Palat. aliique penes Martian. mss., *finium* pro *confinium* habent.

populum, ut audiant sermones meos,et discant timere me omni tempore quo vivunt in terra, doceantque filios suos.Et accessistis [h. Et accessistis et stetistis] ad radices montis,qui ardebat usque ad cœlum : erantque in eo tenebræ, nubes, et caligo. Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis. Et ostendit [h. Et annuntiavit] vobis pactum suum, quod præcepit, ut faceretis, et [h. non habet, et] decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis.Mihique mandavit in illo tempore, ut docerem vos cæremonias et judicia, quæ facere deberetis in terra quam possessuri estis. Custodite igitur sollicite animas vestras. [B. XI, C. XIII.] Non vidistis aliquam similitudinem, in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ [h. sculptam similitudinem idoli, imaginem masculi, vel feminæ[, similitudinem omnium jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cœlo volantium, atque reptilium quæ moventur in terra, sive piscium, qui sub terra morantur in aquis. [B. XII.] Ne forte [h. Et ne forte) elevatis oculis ad cœlum, videas solem et lunam,et omnia astra cœli,et errore deceptus adores ea, et colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus,quæ sub cœlo sunt [h.quæ divisit *Dominus Deus* tuus cunctis gen*tibus quæ* sub cœlo sunt].Vos autem tulit Dominus, et eduxit de fornace ferrea Ægypti, ut haberet populum hæreditarium, sicut est in præsenti die. [B. XIII, C. XIV] Iratusque est Dominus contra me propter sermones vestros,et juravit ut non transirem Jordanem, nec ingrederer terram optimam, quam daturus est vobis [h, vobis in hæreditatem]. Ecce morior in hac humo, non transibo Jordanem: vos transibitis, et possidebitis terram egregiam. Cave nequando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum : et facias tibi sculptam similitudinem eorum quæ fieri Dominus prohibuit : quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. [B. XIV.] Si genueritis [h. Cum genueritis] filios ac nepotes, et morati fueritis in terra, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis : testes invoco hodie cœlum et terram, cito perituros vos esse de terra, quam, transito Jordane, possessuri estis. Non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus, atque disperget in omnes gentes, et remanebitis pauci numero [*Vulg. tac.* numero] in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus. Ibique servietis diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno et lapidi, qui non vident, non audiunt, non comedunt,non odorantur.[B.XV.] Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione [h. Si tamen toto *corde et animo* quæsieris *eum*... tribulatio h...[animæ tuæ. Postquam te invenerint omnia quæ prædicta sunt, novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum,et audies vocem ejus.Quia Deus misericors, Dominus Deus tuus est: non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti, in quo juravit [h. quod juravit] patribus tuis. [B. XVI, C. XV.[Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die quo creavit Deus hominem super terram,a summo cœli usque ad summum ejus, si facta est aliquando hujuscemodi res,aut unquam cognitum est,ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vixisti [h. et vixit] : si fecit Deus ut ingrederetur, et tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, et robustam manum, extentumque brachium, et horribiles visiones, juxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis : ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius præter unum [1] [h. præter eum]. De cœlo te fecit audire vocem suam, ut doceret te: et in terra ostendit tibi ignem suum maximum, et audisti verba illius de medio ignis, quia dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos. Eduxitque te præcedens in virtute sua magna ex Ægypto, ut deleret nationes maximas et fortiores te in introitu tuo : et introduceret te, daretque tibi terram earum in possessionem, sicut cernis in præsenti die. Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in cœlo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius. Custodi præcepta ejus atque mandata, quæ ego præcipio tibi : ut bene sit tibi [h. *præcipio tibi hodie*]. et filiis tuis post te, et permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

[B. XVII, C. XVI.[Tunc separavit Moses tres civitates trans Jordanem [h. in transitu Jordanis] ad Orientalem plagam, ut confugiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum,nec fuerit ei inimicus ante unum et alterum diem [h. nec fuerit ei inimicus ab heri et nudius tertius], et ad harum aliquam urbium possit evadere : Bosor in solitudine, quæ sita est in terra campestri de tribu Ruben:et Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad : et Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse. [C. XVII] Ista est lex, quam proposuit Moses coram filiis Israel, et hæc testimonia et cæremoniæ atque judicia quæ locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Ægypto, trans Jordanem [h. in transitu Jordanis] in valle contra fanum Phobor in terra Seon regis Amorrhæi, qui habitavit in Esebon,quem percussit Moses, filiique Israel [2] egressi ex Ægypto. Possederuntque terram ejus,et terram

[1] *Præter unum* habent exemplaria quædam mss.;in aliis legitur juxta scholion marginale Canonis. MART.

[2] Alius est sensus et interpunctio in editis atque in mss. codicibus. Solus Canon veritatis Hebraicæ,

Og regis Basan, duorum regum Amorrhæorum, qui A erant trans (h. in transitu) Jordanem ad solis ortum : ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, usque ad montem Sion, qui est et Hermon, omnem planitiem trans Jordanem ad orientalem plagam, usque ad mare solitudinis, et usque ad radices montis Phasga.

Vocavitque Moses omnem Israelem, et dixit ad eum (h. ad eos) : Audi, Israel, cæremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie : discite ea, et opere complete. Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. Non cum patribus nostris iniit pactum (h. pactum hoc), sed nobiscum qui impræsentiarum sumus, et vivimus. Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. Ego sequester et medius fui inter B Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus. Timuistis enim ignem, et non ascendistis in montem, et ait : (B. XVIII.) Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. (1 *Præc*) Non habebis deos alienos in conspectu meo. (2 *Præc.*) Non facies tibi sculptile, nec (h. non habet nec) similitudinem omnium, quæ in cœlo sunt desuper, et quæ in terra deorsum, et quæ versantur in aquis sub terra. Non adorabis ea, et non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus : Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me, et faciens misericordiam in multa (h. Non habet multa) millia diligentibus me, et custodientibus præcepta mea. C (3. *Præc.*) Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra (h. non assumes nomen Domini Dei tui in vanum) : quia non erit impunitus qui super re vana nomen ejus assumpserit. (4. *Præc.*) Observa diem sabbati, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui (h. Septimus dies Sabbati est Domini Dei tui). Non facies in eo quidquam operis tu, et filius tuus, et filia, servus et ancilla, et bos, et asinus, et omne jumentum tuum, et peregrinus qui est intra portas tuas, ut requiescat servus tuus, et ancilla tua, sicut et tu. Memento quod et ipse servieris in Ægypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, et brachio extento. Idcirco præcepit tibi (h. Id- D circo præcepit tibi Dominus Deus tuus), ut observares diem sabbati. (5. *Præc.*) Honora patrem tuum et matrem, sicut præcipit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. (6 *Præc.*) Non occides. (7. *P.*) Neque mœchaberis. (8 *P.*) Furtumque non facies. (9 *P.*) Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. (10 *P.*) Non concupisces uxorem proximi tui : non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum et universa quæ illius sunt. (C. XVIII.) Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in montem de medio ignis et nubis, et caliginis, voce magna, nihil addens amplius, et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi. Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, et montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum, et majores natu, atque dixistis : Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem et magnitudinem suam. Vocem ejus audivimus de medio ignis, et probavimus hodie quod, loquente Deo cum homine, vixerit homo. Cur ergo moriemur, et devorabit nos ignis hic maximus ? Si enim audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur. Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei (h. Quæ est omnis caro quæ audivit vocem Domini) viventis, qui de medio ignis loquitur sicut nos audivimus, et possit vivere ? Tu magis accede, et audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi : loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea. (C. XIX.) Quod cum audisset Dominus, ait ad me : Audivi vocem verborum populi hujus, quæ locuti sunt tibi : bene omnia sunt locuti. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore (h. cunctis diebus), ut bene sit eis, et filiis eorum in sempiternum ? Vade, et dic eis : Revertimini in tentoria vestra. Tu vero hic sta mecum, et loquar tib omnia mandata, et cæremonias atque judicia : quæ docebis eos, ut faciant ea in terra quam dabo illis in possessionem. Custodite igitur, et facite quæ præcepit Dominus Deus vobis : non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram : sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis. Ut vivatis, et bene sit vobis, et protelentur dies in terra possessionis vestræ.

(B. XX, *Cap.* VI.) Hæc sunt præcepta, et cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos, et faciatis ea in terra, ad quam transgredimini possidendam, ut timeas Dominum Deum tuum, et custodias omnia mandata et præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, et filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui. Audi, Israel, et observa ut facias [1]; et bene sit tibi, et multipliceris amplius (sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi [2] in

isto in loco, velut in aliis sexcentis, fontis sui sensum fideliter reddit. MART.

— Nostri mss. *Filii quoque Israel*, etc., cum Vulgatis.

[1] Editi, cum aliquot recentioribus mss. addunt hæc verba, *quæ præcepit tibi Dominus* : sensum quoque ejusdem versus aliter exprimunt : sed planior est ac dilucidior in Canone et aliis mss. optimæ notæ. Arabs Interpres favet lectioni nostræ ; habet enim, *in regione manante lacte et melle*. MART.

Iterum plus habent cum Vulgata lectione mss. nostri, *observa quæ præcepit tibi Dominus, et bene*, etc.

[2] Urbinas mss., *Deus patrum tuorum, dare tibi terram lacte et melle manantem*. Mox Palatin. :

terra lacte et melle manante. (T. V, C. XIX.) Audi, Israel : Dominus Deus noster, Deus unus [1] (h. Audi, Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus) est. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo : et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis [1], sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, et movebuntur inter oculos tuos (h. ut signum super manum tuam, eruntque phylacteria inter oculos tuos), scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ (h. super postes domus tuæ et in januis tuis). Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua juravit patribus tuis. Abraham, Isaac, et Jacob, et dederit tibi civitates magnas et optimas, quas non ædificasti, domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti (h. quas non implesti), cisternas quas non fodisti, vineta et oliveta, quæ non plantasti, et comederis, et saturatus fueris : cave diligenter ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis. (C. XX.) Dominum Deum tuum timebis, et ipsi servies [2], ac per nomen illius jurabis. (C. XXI.) Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium quæ in circuitu vestro sunt : quoniam Deus æmulator, Dominus Deus tuus in medio tui : nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, et auferat te de superficie terræ. (B. XXI, C. XXII.) Noo tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis (h. Non tentabitis Dominus Deum vestrum, sicut tentastis in tentationibus). Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia et cæremonias, quas præcepit tibi, et fac quod placitum est et bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi : et ingressus possideas terram optimam, de qua juravit Dominus patribus tuis, ut deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est. (B. XXII.) Cum interrogaverit te filius tuus cras, dicens : Quid sibi volunt testimonia hæc, et cæremoniæ, atque judicia, quæ præcepit Dominus Deus noster vobis ? dices ei : Servi eramus Pharaonis in Ægypto, et eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti : fecitque (h. deditque signa atque prodigia magna et pessima in Ægypto contra Pharaonem, et omnem domum illius, in conspectu nostro (h. ante oculos nostros), et eduxit nos inde, ut introductis daret terram, super qua juravit patribus nostris. Præcepitque nobis Dominus, ut faciemus omnia legitima hæc, et timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie. Eritque nostri misericors, si custodierimus, et fecerimus omnia præcepta ejus (h. hæc) coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis.

(B. XXIII, C. XXIII, *Cap.* VII.) Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, et deleverit gentes multas coram te, Hetthæum, et Gergezæum, et Amorrhæum, Chananæum, et Pherezæum, et Evæum, et Jebusæum, septem gentes multo majoris numeri quam tu es, et robustiores te : tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia. (B. XXIV.) Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo : quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis. Irasceturque furor Domini, et delebit te cito. (B. XXV.) Quin potius hæc facietis eis : Aras eorum subvertite, confringite statuas, lucosque succidite, et sculptilia comburite. Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. (B. XXVI.) Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus, et elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores : sed quia dilexit vos Dominus, et custodivit juramentum quod juravit patribus vestris : eduxitque vos in manu forti, et redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti. Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt præcepta ejus, in mille generationes, et reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur. (B. XXVII, C. XXIV.) Custodi ergo præcepta et cæremonias atque judicia, quæ ego mando tibi hodie ut facias. Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea, et feceris, custodiet et Dominus Deus tuus tibi pactum, et misericordiam quam juravit patribus tuis, et diliget te ac multiplicabit benedicetque (h. et diliget te, benedicet, ac multiplicabit), fructui ventris tui, et fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo et armentis gregibus ovium tuarum super terram, pro qua juravit patribus tuis, ut daret eam tibi. Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis, utriusque sexus, tam in hominibus quam in gregibus tuis. Auferet Dominus a te omnem languorem : et infirmitates Ægypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis. (C. XXV.) Devorabis omnes populos, quos Dominus Deus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tui. Si di-

Dominus unus est, pro *Deus*, etc., juxta scholiastæ annotationem.

[1] Omnes mss. Bibliorum codices ita legunt, uno excepto Corbeiensi, num. 1, qui legit. *Dominus unus est, juxta* annotationem marginalem Canonis, e quo in hunc cod. multa fluxisse nobis constat. MART.

[2] Vulgati libri addunt, *in eis*.

[3] Ita Canon et antiquiores mss. codices. Alii habent *ipsi soli servies*, juxta quod scriptum est Matth. IV, 10. MART.

xeris in corde tuo : Plures sunt gentes istæ quam ego quomodo potero delere (h. ejicere) eas ? noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, et cunctis Ægyptiis, plagas (h. tentationes) maximas, quas viderunt oculi tui, et signa atque portenta, manumque robustam, et extentum brachium, ut educeret te Dominus Deus tuus. Sic faciet cunctis populis, quos metuis. (B. XXVIII.) Insuper et crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes, atque disperdat qui te fugerint, et latere potuerint. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est. (B. XXIX.) Deus magnus et terribilis : ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris delere eas pariter : ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ (h. agri). Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, et interficiet illos donec penitus deleantur. Tradet reges eorum in manus tuas, et disperdes nomina eorum sub cœlo : nullus poterit resistere tibi (h. id conspectu *tuo*), donec conteras eos. Sculptilia eorum (h. Sculptilia *deorum*) igne combures (B. XXX.) Non concupisces argentum et aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quidpiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, qui anathema est.

(B. XXXI. C. XXVII, *Cap.* VIII.) Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter ut facias, ut possitis vivere, et multiplicemini, ingressique possideatis terram pro qua juravit Dominus patribus vestris. Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis (h. ecce quadraginta annis) per desertum, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent quæ in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non. (B. XXXII., Afflixit te penuria (h. Afflixit te et *esurire* te fecit), et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, et patres tui : ut ostenderet tibi quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur ex ore Domini[1]. (B. XXXIII.) Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, et pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est. Ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit homo filium suum, sic Dominus Deus tuus erudivit te, ut custodias mandata Domini Dei tui, et ambules in viis ejus, et timeas eum. Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum (h. torrentium) aquarumque et fontium : in cujus campis et montibus erumpunt flluviorum abyssi : terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, et mala grata, et oliveta nascuntur : terram olei ac mellis. Ubi absque ulla penuria (h. egestate) comedes panem tuum, et rerum omnium abundantia perfrueris ; cujus lapides ferrum sunt, et de montibus ejus æris metalla fodiuntur : ut cum comederis et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi. (B. XXXIV. C. XXXVII.) Observa et cave nequando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata ejus atque judicia et cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, ne postquam comederis et satiatus fueris domos pulchras ædificaveris, et habitaveris in eis, habuerisque armenta boum, et ovium greges, argenti et auri, cunctarumque rerum copiam, elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis, et ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, scorpio ac dipsas, et nullæ omnino aquæ : qui eduxit rivos (h. aquam) de petra durissima, et cibavit te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit ac probavit, ad extremum misertus est tui. (C. XXVIII.) Ne diceres in corde tuo : Fortitudo mea et robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt : sed recorderis Domini Dei, quod ipse tibi vires præbuerit, ut impleret pactum suum, super quo juravit patribus tuis, sicut præsens indicat dies. Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, coluerisque illos et adoraveris : ecce nunc prædico tibi quod omnino dispereas. Sicut gentes, quas delevit Dominus in introitu tuo, ita et vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

(T. VI, C. XXIX. *Cap.* IX.) Audi, Israel : Tu transgrederis (*Vulg.* transgredieris) hodie Jordanem, ut possideas nationes maximas et fortiores te, civitates ingentes et ingentes et ad usque muratas populum magnum atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti, et audisti, quibus nullus potest ex adverso resistere [h. *Quos tu* novisti et audisti. *Quis* stabit coram *filiis* Enac ?] [B. XXXV.] Scies ergo hodie quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans atque consumens [h. *non habet* atque consumens], qui conterat eos, et delcat atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi. [B. .XXXVI, C. XXX.] Ne dicas in corde tuo cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo [cum expulerit eos Dominus *Deus* tuus ante conspectum tuum] : Propter justitiam meam introduxit me Dominus ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. Neque enim propter justitias tuas, et æquitatem cordis tui, ingrederis ut possideas terras earum : sed quia illæ egerunt impie, intreunte te, deletæ sunt : et ut compleret verbum suum Dominus, quod sub juramento pollicitus est patribus tuis, Abraham, Isaac et Jacob. Scito igitur quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram

[1] Hic quoque legunt editi ac mss. aliquot libri juxta quod scriptum reperitur Matthæi quarto capite. Cæterum in Hebræo et Samaritano habet יהוה, *Adonai*, sive *Jehovah*, quod interpretatur *Domini*, non *Dei*. MART.

-- Ms. Urbinas *ex ore Dei* cum vulgatis.

hanc optimam in possessionem, cum durissimæ cervicis sis populus. [C. XXXI.] Memento, et ne obliviscaris, quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die, quo es egressus ex Ægypto usque ad locum istum, semper adversum Dominum contendisti. [C. XXXII.] Nam et in Horeb provocasti eum, et iratus delere te voluit, quando ascendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiscum Dominus, et perseveravi [h. sedi] in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens. Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, et continentes omnia verba, quæ vobis in monte locutus est de medio ignis, quando concio populi congregata est. [B. XXXVII.] Cumque transissent quadraginta dies, et totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis. [C. XXXIII.] Dixitque mihi: Surge, et descende hinc cito, quia populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, deseruerunt velociter viam quam demonstrasti [h. quam præcepisti] eis [1], feceruntque sibi conflatile. Rursumque ait Dominus ad me: Cerno quod populus iste duræ cervicis sit: dimitte me ut conteram eum, et deleam nomen ejus de sub cœlo, et constituam te super gentem [h. Et faciam te in gentem], quæ hac major et fortior sit [C. XXXIV.] Cumque de monte ardente descenderem, et duas tabulas fœderis utraque tenerem manu, vidissemque vos peccasse Domino Deo vestro, et fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam ejus, quam vobis ostenderat [h. præceperat]: projeci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro [h. ante oculos vestros]. [B. XXXVIII, C. XXXV.] Et procidi ante Dominum sicut prius quadraginta diebus et noctibus panem non comedens, et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocastis: timui enim indignationem, et iram illius, qua adversum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus etiam hac vice. [C. XXXVI.] Adversum Aaron quoque vehemente iratus, voluit eum conterere, et pro illo similiter deprecatus sum [h. deprecatus sum in tempore illo.] [XXXVII.] Peccatum autem vestrum quod feceratis id est vitulum, arripiens, igne combussi, et in frusta communuens, omninoque in pulverem redigens, projeci in torrentem, qui de monte descendit. (C. XXXVIII.) In incendio quoque et in tentatione, et in sepulcris concupiscentiæ provocastis Dominum. (C. XXXIX.) Et quando misit vos de Cades-Barne, dicens: Ascendite et possidete terram, quam dedi vobis, contempsistis imperium Domini Dei vestri, et non credidistis ei, neque vocem ejus audire voluistis, sed semper fuistis rebelles a die qua nosse vos cœpi. (C. XL.) Et jacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar ne deleret vos, ut fuerat comminatus; et orans dixi: Domine Deus (h. et orans ad Dominum dixi: Domine, Domine), ne disperdas populum tuum, et hæreditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti. Recordare servorum tuorum, Abraham, Isaac, et Jacob; ne aspicias duritiam populi hujus, et impietatem atque peccatum: ne forte dicant habitatores terræ, de qua eduxisti nos: Non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus est eis, et oderat illos: idcirco eduxit, ut interficeret eos in solitudine. Qui sunt populus tuus et hæreditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento.

(B. XXXIX, C. XLI. *Cap.* X.) In tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, et ascende ad me in montem: faciesque arcam ligneam, et scribam in tabulis verba, quæ fuerunt in his quas ante confregisti, ponesque eas in arca. Feci igitur arcam de lignis settim. (C. XLII.) Cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus. Scripsitque in tabulis, juxta id quod prius scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est; dedit eas mihi (h. in die congregationis, et dedit eas Dominus mihi. (C. XLII.) Reversusque de monte, descendi et posui tabulas in arcam quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus. Filii autem Israel moverunt castra ex Beroth filiorum Jacan in Mosera, ubi Aaron mortuus ac sepultus est, proquo sacerdotio functus est filius ejus Eleazar. Inde venerunt in Gadgad (h. in Gud-god.) de quo loco profecti, castrametati sunt in Jetabatha, in terra aquarum (h. in terra torrentium aquarum) atque torrentium. (C. XLIV.) Eo tempore separavit (h. separavit Dominus) tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, et staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius usque in præsentem diem Quam ob rem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus (*Vulg.* fructibus) suis; quia ipse Dominus possessio ejus est, sicut promisit ei Dominus (h. sicut locutus est ei Dominus) Deus tuus. Ego autem steti in monte, sicut prius, quadraginta diebus ac noctibus: exaudivitque me Dominus etiam hac vice, et te perdere noluit. Dixitque mihi: Vade et præcede populum, ut ingrediantur et possideant terram, quam juravi patribus eorum ut traderem eis. (T. VII, B. XL, C. XLV.) Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules

[1] Hebræus hodiernus habet verbum primæ personæ, si Massorethorum vocalibus punctis credamus, עויתם, *Isiuvithim*, id est, *præcepi eis*. At LXX interpretes, Chaldæus, Syrus, et Hieronymus noster, legebant עויחם, *siuvitham*, quod significat *præcepisti eis*. MART.

— Quod in Hebraico est verbum עויחם diversis punctis instructum, et *præcepi eis* et *præcepisti eis*, reddi potest, ut et Martianæus observat. Hieronymus post LXX hanc alteram prætulit lectionem, seu qua tunc obtinebat, retinuit.

in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua : custodiasque mandata Domini, et cæremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi? (B. XLI.) En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli, terra et omnia quæ in ea sunt : et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos, elegitque semen eorum post eos, id est vos, de cunctis gentibus : sicut hodie comprobatur. (B. XLII.) Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius : quia Dominus Deus vester ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium, Deus magnus et potens, et terribilis, qui personam non accipit, nec munera. Fecit judicium pupillo et viduæ, amat peregrinum, dat ei (h. ut det ei) victum atque vestitum. Et vos ergo amate peregrinos quia et ipsi fuistis advenæ (h. peregrini) in terra Ægypti. (B. XLIII, C. XLVI.) Dominum Deum tuum timebis, et ei (*Vulg. add*) soli) servies : ipsi adhærebis, jurabisque in nomine illius. Ipse est laus tua, et Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia et terribilia, quæ viderunt oculi tui. (C. XLVII.) In septuaginta animabus descenderunt patres tui Ægyptum : et ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli.

(C. XLVIII, *Cap.* XI). Ama itaque Dominum Deum tuum, et observa præcepta ejus et cæremonias, judicia atque mandata omni tempore. (B. XLIV.) Cognoscite hodie, quæ ignorant filii vestri, qui non viderunt (h. Cognoscite hodie quia non loquor hæc filiis vestris, qui non cognoverunt et non viderunt) disciplinam Domini Dei vestri, magnalia ejus *et* (h. non habet) robustam manum, extentumque brachium signa et opera, quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni regi, et universæ terræ ejus, omnique exercitui Ægyptiorum, et equis ac curribus : quomodo operuerint eos aquæ maris Rubri, cum vos persequerentur, et deleverit eos Dominus usque in præsentem diem : vobisque quæ fecerit in solitudine, donec veniretis ad hunc locum ; et Dathan atque Abiram filiis Eliab, qui fuit filius Ruben (h. Filiis Eliab, filii Ruben) : quos aperte ore suo terra absorbuit (h. deglutivit), cum domibus et tabernaculis, et universa substantia eorum, quam habebant in medio Israelis. Oculi vestri (h. Oculi autem vestri) viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit, ut custodiatis (h. custodite ergo) universa mandata illius, quæ ego hodie præcipio vobis, ut possitis introire et possidere terram, ad quam ingredimini, multoque in ea vivatis tempore : quam sub juramento pollicitus est Dominus patribus vestris, et semini eorum, lacte et melle manantem. (B. XLV.) Terra enim ad quam ingrederis *Vulg.* ingredieris) possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ : sed montuosa est et campestris, de cœlo exspectans pluvias. Quam Dominus Deus tuus semper invisit, et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus. (B. XLVI, C. XLIX) si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et serviatis ei in toto corde vestro, et in tota anima vestra : dabit pluviam terræ vestræ temporaneam et serotinam, ut colligatis frumentum, et vinum, et oleum, fenum ex agris ad pascenda jumenta, et ut ipsi comedatis ac saturemini. Cavete ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino, serviatisque diis alienis, et adoretis eos ; iratusque Dominus claudat cœlum, et pluviæ non descendant [h. non sint], nec terra det germen suum, pereatisque velociter de terra optima, quam Dominus daturus est vobis. [B. XLVII.] Ponite hæc verba mea in cordibus et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocate [h. et ligate ea pro signo super manum vestram, et erunt ut phylacteria inter oculos vestros. Phylacteria Græce, Hebraice Totaphoth]. [B. XLVIII.] Docete filios vestros ut illa meditentur, quando sederis in domo tua, et ambulaveris in via, et accubueris atque surrexeris. Scribes ea super postes et januas domus tuæ [h. super postes domus tuæ et in januis tuis] ; ut multiplicentur dies tui, et filiorum tuorum, in terra, quam juravit Dominus patribus tuis[1] ut daret eis quandiu cœlum imminet terræ [B. XLIX, C. L.] Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, et feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, adhærentes ei, disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciam vestram, et possidebitis eas quæ majores et fortiores vobis sunt. Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit, A deserto, et Libano, a flumine magno Euphrate [h. A flumine flumine Euphrate] usque ad mare occidentale erunt termini vestri. Nullus stabit contra vos : terrorem vestrum et formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram, quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis. (C. LI.) En (h. Vide, en ego), propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem : benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis ; maledictionem, si non audieritis mandata (*Vulg.* obedieritis mandatis) Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, et ambulaveritis post deos alienos, quos ignoratis. (B. L.) Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram ad quam pergis habitandam, ponens benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal : qui sunt trans Jordanem, post viam quæ vergit ad solis occubitum, in terra Chananæi, qui habitat in eam pestribus contra Galgalam, quæ est juxta vallem tendentem (h. quæ est juxta *quercum* apparentem)

[1] Septuaginta, πλησίον τῆς δρυὸς τῆς ὑψηλῆς, *prope quercum excelsam.* In Hebræo legimus אצר ארני מורה, *etsel elene more.* Hoc modo legunt etiam Samaritani, addentes tamen duo hæc verba

et intrantem procul. Vos enim transibitis Jordanem, ut possideatis terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, et habeatis et possideatis illam Videte ergo ut impleatis cæremonias atque judicia, quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.

(T. VIII, B. LI, C. LII, *Cap.* XII.) Hæc sunt præcepta atque judicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, et possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris. Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, et colles, et subter omne lignum frondosum. Dissipate aras earum, et confringite statuas, lucos igne comburite, et idola comminuite : disperdite nomina eorum de locis illis.(B. LII, C. LIII.) Non facietis ita Domino Deo vestro. (C. LIV.) Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, et habitet in eo, venietis et offeretis in loco illo holocausta et victimas vestras. (C.LV.) Decimas et primitias manuum vestrarum, et vota atque donaria, primogenita boum et ovium. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri : ac lætabimini in cunctis: ad quæ miseritis manum vos et domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester. Non facietis ibi quæ nos hic faciemus hodie, singuli quod sibi rectum videtur. Neque enim usque in præsens tempus venistis ad requiem etpossessionem quam Dominus Deus vester daturus est vobis. Transibitis Jordanem, et habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis a cunctis hostibus per circuitum : et absque ullo timore habitetis. Et in locum, quem elegerit Dominus [1] Deus vester, ut sit nomen ejus in eo,illuc omnia, quæ præcipio conferetis : holocausta, et hostia, ac decimas, et primitias, manuum vestrarum:et quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vovebitis Domino. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos et filii ac filiæ vestræ, famuli et famulæ, atque Levites qui in urbibus vestris commoratur (h. Qui intra portas *vestras* est). (B. LIII.) Neque enim habet aliam partem et possessionem inter vos. Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: sed in eo quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum offeres hostias, et facies quæcunque præcipio tibi. (C. LVI.) Sin autem comedere volueris et te esus carnium delectaverit, occide, et comede juxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in urbibus tuis : sive immundum fuerit, hoc est, maculatum et debile : sive mundum, hoc est, integrum et sine macula, quod offerri licet, sicut capream et cervum comedes [h. Benedictionem Domini, quam dedit tibi in omnibus *portis tuis*. Tam mundus quam *immundus* vescentur ex eis : *sicut caprea* et cervo absque, etc.], absque esu duntaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes. Non poteris[b. In hoc loco, sacrificium intelligitur] comedere in oppidis tuis decimam frumenti, et vini, et olei tui, primogenita armentorum, et pecorum, et omnia quæ voveris, et sponte offerre volueris, et primitias manuum tuarum : sed coram Domino Deo tuo comedes ea, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, tu et filius tuus ac filia tua, servus et famula, atque Levites, qui manet in urbibus tuis: et lætaberis et reficieris coram Domino Deo tuo, in cunctis, ad quæ extenderis manum tuam [B. LIV.] Cave ne derelinquas Levitem omni tempore quo versaris in terra. Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, et volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua : locus autem quem elegerit Dominus Deus tuus, ut sit nomen ejus ibi, si procul fuerit, occides de armentis et pecoribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, et comedes in oppidis tuis, ut tibi placet. Sicut comeditur caprea et cervus, ita vesceris eis : et mundus et immundus in commune vescentur. Hoc solum cave. ne sanguinem comedas. Sanguis enim eorum pro anima est: et idcirco non debes animam comedere cum carnibus : sed superterram fundes quasi aquam, ut sit tibi bene et filiis tuis post te, cum feceris quod placet in conspectu Domini. Quæ autem sanctificaveris, et voveris Domino, tolles et venies ad locum, quem elegerit Dominus : et offeres oblationes tuas carnem et sanguinem super altare Domini Dei tui : sanguinem hostiarum tuarum [*Vulg.* [*tac.* tuarum] fundes in altari : carnibus autem ipse vesceris. [C. LVII.] Observa et audi omnia verba [*Vulg. tac.* verba et ego]. quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi et filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris quod bonum est et placitum in conspectu Domini Dei tui. Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quod ingrederis (*Vulg.* ingredieris) possidendas, et possederis eas, atque habitaveris in terra earum : cave ne imiteris eas, postquam fuerint, te introeunte, subversæ,et requiras cæremonias earum dicens (h. deos earum, dicens): Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita et ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni. (C. LVIII.) Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino : nec addas quidquam, nec minuas.

(T. IX, B. LV, *Cap.* XIII.) Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum,et evenerit quod

מור שכם *mul Sichem*, id est, *versus Sichem*, מורה, *more* autem, sive מורא, *mora* diversas habet interpretationes : alii *elone more* velunt esse *planitiem*, vel *prata* More : Syrus, *quercus Mamre*, etc. MART. — Hebræus ad litteram tantum habet, *juxta quercus More*. Et eque hic idem locus, qui *Convallis illustris*, Genes, XII, 6, dicitur.

[1] Sensum hujus loci nonnihil diversum reperies in editis. Conferat qui voluerit. MART.

Nostri quoque mss. cum vulgatis libris præferunt, *Habitetis in loco, quem elegerit Dominus*, etc.

locutus est, et dixerit tibi : Eamus, et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis : non audies verba prophetæ illius aut somniatoris : quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum annon, in toto corde et in tota anima vestra, (C. LIX.) Dominum Deum vestrum sequimini et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus : ipsi servietis, et ipsi adhærebitis. Propheta autem ille, aut fictor somniorum (h. somniator) interficietur: quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, et redemit de domo servitutis : ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus : et auferes malum de medio tui, (C. LX.) Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis ut animam tuam, clam dicens : Eamus, et serviamus diis alienis quos ignoras tu, et patres tui, cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ, non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis, et occultes eum, sed statim interficies. Sit primum manus tua super eum, et postea omnis populus mittat manum [1]. Lapidibus obrutus necabitur : quia voluit te abstrahere a Domino Deo tuo, qui eduxit de terra Ægypti, de domo servitutis : ut omnis Israel audiens timeat, et nequaquam ultra faciet quidpiam hujus rei simile (h. Hujus rei simile in medio tui) (C. LXI.) Si audieris in una urbium tuarum quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos (h. Non habet, dicentes aliquos, sed tantum dicens): Egressi sunt filii Belial de medio tui, et averterunt habitatores urbis tuæ (h. suæ), atque dixerunt : Eamus, et serviamus diis alienis quos ignoratis : quære sollicite et diligenter rei veritate perspecta, si inveneris certum esse quod dicitur, et abominationem hanc opere perpetratam (h. perpetratam in medio tui), statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, et delebis eam, ac omnia quæ in illa sunt, usque ad pecora. Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, et cum ipsa civitate succendes ; ita ut universa consumas Domino Deo tuo, et sit tumulus sempiternus. Non ædificabitur amplius, et non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua : ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, et misereatur tui, multiplicetque te sicut juravit patribus tuis, quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

(B. LVI, C. LXII, *Cap.* XIV.) Filii estote Domini Dei vestri (h. Filii estis vos Domini Dei vestri) : non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo. Quoniam populus sanctus tu es Domino Deo tuo et te elegit, ut sis ei in populum peculiarem, de cunctis gentibus quæ sunt super terram. [B. LVII, C. LXIII.] Ne comedatis quæ immunda sunt [h. Non comedatis omne quod abominatum est]. Hoc est animal quod comedere debetis, bovem, et ovem, et capram, cervum, capream, bubalum, tragelaphum, pygargon, orygem, camelopardalum. Omne animal, quod in duas partes ungulam findit, et ruminat, comedetis. De his autem quæ ruminant, et ungulam non findunt, hæc [*Vulg*, *tac.* hæc] comedere non debetis ; [*Vulg. add.* ut] camelum, leporem, chœrogrillium : quia ruminant, et non dividunt ungulam, immunda erunt vobis. Sus quoque, quoniam dividit ungulam et non ruminat, immunda erit. Carnibus eorum non vescemini, et cadavera non tangetis. [C. LXIV.] Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis. Quæ habent pinnulas et squammas, comedite : quæ absque pinnulis et squammis sunt ne comedatis, quia immunda sunt. [C. LXV.] Omnes aves mundas comedite. Immundas ne comedatis : aquilam scilicet, et gryphem, et haliæetum, ixion, et vulturem ac milvum juxta genus suum : et omne corvini generis, strutbionem, ac noctuam, et larum, atque accipitrem juxta genus suum : herodium et cygnum et ibin, ac mergulum, porphyrionem, et nycticoracem, onocrotalum rt charadium, singula in genere suo, upupam quoque et vespertilionem. Et omne quod reptat et pennulas habet, immundum erit, nec comedetur. Omne quod mundum est, comedite. Quiquid autem morticinum est ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei [h. aut vende externo] : quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. Non coques hædum in lacte matris suæ. [B. LVIII, C. LXVI.] Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos, et comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur, decimam frumenti tui, et vini, et olei, et primogenita de armentis et ovibus tuis : ut discas timere Dominum Deum tuum omni tempore [C. LXVII] Cum autem longior fuerit via, et locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare, vendes omnia, et in pretium rediges, portabisque manu tua, et proficisceris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus : et emes ex eadem pecunia quiquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque et siceram, et omne quod desiderat anima tua : et comedes coram Domino Deo tuo, et epulaberis tu et domus tua ; et Levites qui intra portas tuas est : cave ne derelinquas eum, quia [*Vulg.* qui] non habet aliam partem in possessione tua. [B. LIX.] Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore [h. In fine anni tertii separabis omnem decimam fructuum tuorum ex omnibus quæ nascuntur tibi eo anno] : et repones intra januas tuas. Venietque Levites, qui aliam non habet

[1] Palatin., atque alii penes Martian. mss., *post te.*

partem nec possessionem tecum, et peregrinus et pupillus ac vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent et saturabuntur : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

[B. LX, C. LXVIII, *Cap.* XV.] Septimo anno facies remissionem, quæ hoc ordine celebrabitur: Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. A peregrino et advena exiges [h. Ab externo autem exiges] : civem et propinquum [h. civem et fratrem] repetendi non habebis potestatem [1]. Et omnino indigens et mendicus non erit inter vos : ut benedicat tibi Dominus in terra quam traditurus est tibi in possessionem. [B. LXI. C. LXIX.] Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris universa quæ jussit, et quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus est. Fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, et tui nemo dominabitur. [B. LXII, C. LXX.] Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit : non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis et avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare : ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum. Sed dabis ei : nec ages quidpiam callide in ejus necessitatibus sublevandis : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis ad quæ manum miseris. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ : idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versantur in terra. [B. LXIII, C. LXXI,] Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, et sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum. et quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris : sed dabis viaticum de gregibus, et de area, et torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi. Memento quod et ipse servieris in terra Ægypti, et liberaverit te Dominus Deus tuus : et idcirco ego nunc præcipio tibi. Sin autem dixerit : Nolo egredi : eo quod diligat te, et domum tuam, et bene sibi apud te esse sentiat : assumes subulam, et perforabis aurem ejus in janua domus tuæ, et serviet tibi usque in æternum. Ancillæ quoque similiter facies. Non avertes ab eis ocubos tuos, quando dimiseris eos liberos. quoniam juxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus, quæ agis. [B. LXIV, C. LXXII.] De primogenitis, quæ nascuntur in armentis, et ovibus tuis, quidquid sexus est masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium [h. tuarum]. In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos, in loco quem elegerit Dominus, tu et domus tua. Sin autem habuerit maculam, et vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo. Sed intra portas urbis tuæ comedes illud : tam mundus quam immundus similiter vescentur eis, quasi caprea et cervo. Hoc solum observabis ut sanguinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam.

[T. X, B. LXV, C. LXXIII, *Cap.* XVI,] Observa mensem novarum frugum, *et veni primum temporis* [h. non habet], ut facias Phase Domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte. Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, et de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. Non comedes in eo panem fermentatum : septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto : ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ. Non apparebit fermentum [2] in omnibus terminis tuis septem diebus, et non remanebit de carnibus ejus quod immolatum est vesperi, in die primo mane (*a*). Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi ; sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi, immolabis Phase vesperi ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto. Et coques, et comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, maneque consurgens vades in tabernacula tua. Sex diebus comedes azyma, et in die septimo, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus. [B. LXVI.] Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris. Et celebrabis *diem* [h. non habet] festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres juxta benedictionem Domini Dei tui, et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, et filius tuus, et filia tua, et servus tuus, et ancilla tua, et Levites qui est intra portas tuas, et advena, ac pupillus et vidua, qui morantur vobiscum : in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi, et recordaberis quoniam servus fueris in Ægypto : custodiesque ac facies quæ præcepta sunt. [B. LXVII.] Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area tua et torculari fruges tuas, et epulaberis in festivitate

[1] In instanti, legitur in Palatin. aliisque mss. penes Martian., *non habet.*

[2] Mss. Urbinas *fermentatum* pro *fermentum*. Tum paulo post, *in die primo usque mane*, cum Vulgatis ipsoque Hebræo ולמם.

Hebræus habet לבקר, *labboeer*, id est, *usque mane*, quod editi sequuntur : omnes autem mss. Latini nostri codices legunt cum Canone Heb. veritatis, *in die primo mane*. MART.

tua, tu et filius tuus, et filia, et servus tuus, et ancilla. Levites quoque et advena, et pupillus ac vidua, qui intra portas tuas sunt. Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem elegerit Dominus : benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, et in omni opere manuum tuarum, erisque in lætitia. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum[*Vulg. tac.* tuum] in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit : in solemnitate azymorum, et in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. [B. LXVIII.] Non apparebit ante Dominum vacuus. Sed offeret unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. [B. LXIX, C. LXXIV.] Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent [h. declines). Non accipies personam, nec munera : quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum. Juste quod justum est persequeris, ut vivas et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. [C. LXXV]. Non plantabis lucum, *et* [h. non habet] omnem arborem juxta altare Domini Dei tui. Nec facies tibi, atque [*Vulg.* neque] constitues statuam [h. non plantabis lucum, omnem arborem, juxta altare Domini tui, quod facturus es. Et non constitues tibi statuam] : quæ odit Dominus Deus tuus.

[B. LXX, *Cap.* XVII]. Non immolabis Domino Deo tuo bovem et ovem, in quo est macula, aut quidpiam vitii : quia abominatio est Domino Deo tuo. [B. LXXI, C. LXXVI.] Cum reperti fuerint apud te, intra unam portarum tuarum quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, et transgrediantur pactum illius, ut vadant et serviant diis alienis, et adorent eos, solem et lunam, et omnem militiam cœli [h. solem et lunam, aut omnem militiam cœli], quæ non præcepi, et hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque inquisieris diligenter, et verum esse repereris, et abominatio facta est in Israel: educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, et lapidibus obruentur. [B. LXXII.] In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium. Manus testium prima interficiet eum, et manus reliqui populi extrema mittetur, ut auferas malum de medio tui. [B. LXXII, C. LXXVII]. Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram [1] et judicium intra portas tuas videris verba variari : surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem qui fuerit in illo tempore : quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te. Juxta legem ejus sequeris sententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. [B. LXXIV, C. LXXVIII.] Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis [*h. judici*], morietur homo ille, et auferes malum de Israel : cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. [B. LXXV. C. LXXIX.] Cum ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris : Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes : eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero [h. de medio] fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. Cumque fuerit constitutus non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus, præsertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ illiciant animum ejus, neque argenti et auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias ejus, quæ lege præcepta sunt. Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet [h. a præcepto legis [2]] in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, et filii ejus, super Israel.

[B. LXXVI. *Cap.* XVIII.] Non habebunt sacerdotes *et* [h. non habet] Levitæ, et omnes qui de eadem tribu sunt, partem et hæreditatem cum *reliquo* [h. non habet] Israel, quia sacrificia Domini et oblationes ejus [h. hæreditatem ejus] comedent, et nihil aliud accipient de passione fratrum suorum : Dominus enim ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis. [C. LXXX.] Hoc erit judicium sacerdotum a populo et ab his qui offerunt victimas : sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum ac ventriculum [3] [h. armum, et

[1] Eumdem sensum, non eadem verba reperimus in mss. libris, ubi constanter legitur, *lepram, et non lepram*. MART.

Tum cum nostri, quos consuluit Martian. mss. libri, *lepram*, et *non lepram*, id est, utrum ea lepra sit, an non. Negandi tamen particulam originales textus non agnoscunt.

[2] Verbum *legis* non est in textu Hebraico : sed additum credi potest ab scholiaste Latino explicationis causa, ut factum conspicimus ab interprete Chaldaicæ paraphrasis, qui ad vocem *præceptum*, sive, *a præcepto* addidit nomen *Domini*. MART.

—Addit revera Hebr. textus, *a præcepto* המצוה-מן ; non item, quod Scholiastes notat, et *legis*.

[3] Verissime notatum Scoliastæ, in Hebræo *maxillas*, quam Sacerdoti partem tribuit, quæ ibi dicuntur, דהדהיים, Septuaginta καὶ σιαγόνα, Onkelos וריעא vocant. Ipse etiam Hieron. in suis scriptis et partem hanc agnoscit, et allegorias ex ea captat.

maxillam, ac ventriculum] : primitias frumenti, vini, et olei, et lanarum partem ex ovium tonsione : ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, ut stet, et ministret nomini Domini ipse, et filii ejus in sempiternum. [T. XI, B. LXXVII.] Si exierit Levites ex una urbium tuarum ex omni Israel in qua habitat, et voluerit venire, desiderans locum quem elegerit Dominus, ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ, qui stabunt eo tempore coram Domino. Partem ciborum eamdem accipiet, quam et cæteri : excepto eo, quod in urbe sua ex paterna ei successione debetur. [B. LXXVIII, C. LXXXI.] Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium. Nec inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem : aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, neque divinos [*Vulg.* divinus, aut], et quærat a mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Perfectus eris ; et absque macula cum Domino Deo tuo [h. Absque macula eris cum Domino Deo tuo]. Gentes istæ, quarum possidebis [*Vulg.* possidebitis] terram, augures et divinos audiunt : tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es. [C. LXXXII.] Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me [h. De medio tui, de fratribus tuis similem mei], suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies, ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti : Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi : Bene omnia sunt locuti. [B. LXXIX.] Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exsistam. [C. LXXXIII.] Propheta autem, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur [h. Propheta autem qui superbia locutus fuerit in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret aut ex nomine alienorum locutus fuerit, morietur. [B. LXXX.] Quod si tacita cogitatione responderis : Quo modo possum intelligere verbum, quod non est locutus Dominus? hoc habebis signum : Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit : hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit : et idcirco non timebis eum [h. non timebis de eo].

[B. LXXXI, *Cap.* XIX.] Cum disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, et possederis eam, habitaverisque in urbibus earum [*Vulg.* ejus] et in ædibus : tres civitates separabis tibi in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem, sternens diligenter viam [h. parans tibi viam], et in tres æqualiter partes totam terræ tuæ provinciam divides : ut habeat e vicino qui propter homicidium profugus est quo possit evadere. [C. LXXXIV.] Hæc erit lex homicidæ fugientis, cujus vita servanda est : Qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri et nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur : sed abiisse simpliciter cum eo in silvam ad ligna cædenda, et in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit et occiderit : hic ad unam supradictarum urbium confugiet, et vivet : ne forsitan proximus ejus, cujus effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur, et apprehendat eum, si longior via fuerit, et percutiat animam ejus, qui non est reus mortis : quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur. Idcirco præcipio tibi ut tres civitates æqualis inter se spatii dividas. Cum autem [h. Si autem] dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut juravit patribus tuis, et dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus est [si tamen custodieris mandata ejus, et feceris quæ hodie præcipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus omni tempore], addes tibi tres alias civitates, et supradictarum trium urbium numerum duplicabis, ut non effundatur sanguis innoxius in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus. Si quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus, mittent seniores civitatis illius, et arripient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, et morietur. Nec misereberis ejus, et auferes innoxium sanguinem de Israel, ut bene sit tibi. [B. LXXXII, C. LXXXIII.] Non assumes et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra, quam acceperis possidendam. [B. LXXXVI, C. LXXXVI.] Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit : sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et judicum qui fuerint in diebus illis. Cumque diligentissime perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium : reddent ei [h. facient ei] sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere. [B. LXXXIV, C. LXXXVIII.] Et non misereberis ejus sed anima pro anima, oculum pro oculo, dentem prodente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

[T. XII, C. LXXXVIII, *Cap.* XX.] Si exieris ad bel-

lum contra hostes tuos,et videris equitatum et currus,et majorem quam tu habes, adversarii exercitus multitudinem,non timebis eos:quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti. Appropinquante autem jam prælio,stabit sacerdos ante aciem, et sic loquetur ad populum : Audi, Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos : quia Dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit,ut eruat vos de periculo. Duces quoque per singulas turmas, audiente exercitu, proclamabunt : Quis est homo qui ædificavit domum novam, et non dedicavit eam? vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius dedicet illam. Quis est homo qui plantavit vineam, et necdum eam fecit esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo ejus fungatur officio. Quis est homo qui despondit uxorem, et non accepit eam? vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo accipiat eam. His dictis addent reliqua, et loquentur ad populum: Quis est homo formidolosus et corde pavido? Vadat et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. Cumque siluerint duces exercitus, et finem loquendi fecerit,unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit [h.Et finem loquendi fecerint, constituent *principes* exercituum *in capite* populi]. C. LXXXIX.] Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit et aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est,salvabitur,et serviet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerint, et receperint [h. fecerint] contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladii, absque mulieribus et infantibus, jumentis et cæteris quæ in civitate sunt. Omnem prædam exercitui divides, et comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Sic facies cunctis civitatibus, quæ a te procul valde sunt, et non sunt de his urbibus, quas in possessionem accepturus es. De his autem civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere, sed interficies in ore gladii, Hetthæum videlicet et Amorrhæum,et Chananæum,Pherezæum, et Evæum, et Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus : ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis, et peccetis in Dominum Deum vestrum. [B. LXXXVI, C. XC.] Quando obsederis civitatem multo tempore, et munitionibus circumdederis ut expugnes eam, non succides arbores de quibus vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare regionem : quoniam lignum est, et non homo,nec potest bellantium contra te augere numerum.Si qua autem ligna non sunt pomifera,sed agrestia, et in cæteros apta usus, succide [h. nec potest se *ostendere* ante faciem *tuam*. Ligna autem *quæ non sunt* pomifera, succide], instrue machinas, donec capias civitatem, quæ contra te dimicat.

[B. LXXXVIII, C. XCI, *Cap.* XXI.] Quando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadaver occisi,et ignorabitur cædis reus, egredientur majores natu, et judices tui,et metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum, et quam viciniorem cæteris esse perspexerint, seniores civitatis ejus tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum,nec terram scidit vomere [h. nec in ea *aliquando* operatum *fuit*], et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam [h. *non habet*, atque saxosam], quæ nunquam arata est, nec sementem recepit, et cædent in ea cervices [1] vitulæ [h. et præcipitabunt in torrente] : accedentque sacerdotes filii Levi (quos elegit [*Vulg.* elegerit] Dominus Deus tuus ut ministrent ei et benedicant in nomine ejus, et ad verbum eorum, omne negotium, et quidquid mundum, vel immundum est, judicetur). Et omnes majores [2] natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntque manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est [h. quæ præcipitata est], et dicent : Manus nostræ non effuderunt hunc sanguinem, nec oculi viderunt. Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti, Domine, et non reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis : tu autem alienus eris ab innocentis cruore qui fusus est, cum feceris quod præcepit Dominus [h. quod rectum est in oculis Domini]. [B. LXXXVIII, C. XCII.] Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos,et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua,captivosque duxeris, et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem introduces eam in domum tuam : quæ radet cæsariem, et circumcidet ungues, et deponet vestem,in qua capta est : sedensque in

[1] In textu Hebraico legimus וְעָפְדוּ, *vearephu*, quod interpretatur *et auferent cervicem*, sive *et excervicabunt*. Scholiastes hic et infra v. 6, verbum עֹרֶף, *araph*, sumit eodem sensu, quo sumitur בלע, *balaa* apud Heronymum, qui *balaa* Latine reddit sæpius, *præcipitare et destruere* : ut est illud II Samuelis, cap. xx, vers. 19 : *Quare præcipitas hæreditatem Domini?* Et Isai. cap. xx, vers. 7 et 8. *Præcipitabit faciem vinculi. Præcipitabit mortem in sempiternum*, etc. *Mactore* igitur, *destruere et præcipitare* pro eodem accipiuntur apud Hieronymum. MART.

— Minori numero Urbinas ms., *cervicem*. Hebræus, quemadmodum et Aquila, habent uno verbo, *excervicabunt*.

[2] Vulgati libri, *et venient majores* natu : dissentiente Hebræo textu וְגָרְ זְקֵנֵי, *et omnes seniores*, absque *venient*.

domo tua, flebit patrem et matrem suam uno mense, et postea intrabis ad eam,dormiesque cum illa, et erit uxor tua. Si autem postea non sederit in animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec opprimere per potentiam : quia humiliasti eam [h. quia affixisti eam].[B. LXXXIX, C. XCIII.] Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosæ primogenitus, voluerituque substantiam inter filios suos dividere : non poterit filium dilectæ facere primogenitum, et præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit, cuncta duplicia : iste est enim principium liberorum ejus, et huic debentur primogenita. [B. XC, C. XCIV.] Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris ac matris imperium, et coercitus obedire contempserit : apprehendent eum,et educent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii [h. et ad portam loci], dicentque ad eos : Filius noster iste protervus et contumax, est, monita nostra audire contemnit,comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis : lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat. [B. XCI, C. XCV.] Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo : non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia meledictus a Deo est qui pendet in ligno [1], et nequaquam contaminabis terram tuam,quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.

[B. XCII, C. XCVI, *Cap.* XXIII.] Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et præteribis: sed reduces fratri tuo,etiam si non est propinquus tuus, frater, nec nosti eum : duces in domum tuam, et erunt apud te quandiu quærat ea frater tuus, et recipiat. Similiter facies de asino, et de vestimento, et de omni re fratris tui, quæ perierit : si inveneris eam, ne negligas quasi alienam. [B. XCIII, C. XCVII.] Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo. Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea : abominabiles enim apud Deum est qui facit hæc. [B. XCIV, C. XCVIII.] Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum avis inveneris, et matrem pullis vel ovis desuper incubantem,non tenebis eam cum filiis : sed abire patieris, captos tenens filios, ut bene sit tibi et longo vivas tempore. [B XCV, C. XCIX.] Cum ædificaveris domum novam,facies murum tecti per circuitum : ne effundatur sanguis in domo tua, et sis reus labente alio et in præceps ruente. [B. XCVI.] Non seres vineam tuam altero semine : ne et sementis quam sevisti, et quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur. [B. XCVII, C C.] Non arabis in bove simul et asino. [B. XCVIII.] Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est. [B. XCIX, C. CI.] Funiculos in fimbriis facies [h.fimbrias facies] per quatuor angulos pallii tui, quo operieris. Si duxerit vir uxorem, et postea eam odio habuerit, quæsieritque occasiones quibus dimittat eam,objiciens ei nomen pessimum, et dixerit : Uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni virginem : tollent eam pater et mater ejus, et ferent secum signa virginitatis [*Vulg.* in porta] ejus ad seniores urbis qui intra portas sunt : et dicet pater : Filiam meam dedi huic uxorem:quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicat : Non inveni filiam tuam virginem, et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis : apprehendentque senes urbis illius virum, et verberabunt illum, condemnantes eum insuper centum siclis argenti [h. centum argenteis],quos dabit patri puellæ:quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel : habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere eam omni tempore vitæ suæ. Quod si verum est quod objicit, et non est in puella inventa virginitas : ejicient eam extra fores domus patris sui,et lapidibus obruent viri civitatis ejus, et morietur : quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui : et auferes malum de medio tui. [B. C. C. CII.] Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, adulter et adultera, et auferes malum de Israel. C. CIII.] Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate et concubuerit cum illa, educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur : puella, quia non clamavit, cum esset in civitate : vir, quia humiliavit [h. afflixit] uxorem proximi sui. Et auferes malum de medio tui. [C. CIV.] Sin autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est; et apprehendens concubuerit cum illa, ipse morietur

[1] Ad illustrandam hanc sententiam multa congessit doctissimus Hieronymus lib. II Comment. in Epist. ad Galatas cap. III. Sed non est præsentis loci universa hæc replicare : id tantum monere sufficiat, in Hebræo scriptum olim fuisse ut et nunc, אלהים תלוי קדות-כיב, quod Hieronymus ipse ita legit, *chi calalath Eloim thalui :* Ebion vero hæresiarches ac semichristianus interpretatur, ὅτι ὕβρις θεοῦ ὁ κρεμάμενος, id est *quia injuria Dei est suspensus.* Dicebat Hieronymo Hebræus qui eum in Scripturis aliqua ex parte instituit, quod possit et ita legi, *Quia contumeliose Deus suspensus est.* Denique magis æstimandum est, si eidem Hieronymo fides habeatur, post passionem Christi, et in Hebræis et in nostris codicibus ab aliquo Dei nomen appositum,ut infamiam nobis inureret, qui in Christum maledictum a Deo credimus. Cætera videstis loco citato. MART.

— Recole, quod et Martian. monet, S. Doctoris Commentarios in Epist. ad Galatas cap. III. Cave autem putes cum eo editore, nomen אלהים, sive *Dei*, post passionem Christi in Hebraicis et nostris codicibus appositum fuisse ab aliquo, ut infamiam nobis inureret.

solus : puella nihil patietur, nec est rea mortis : quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus : ita et puella perpessa est. Sola erat in agro : clamavit, et nullus adfuit qui liberaret eam. [B. CI, C. CV.] Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum ea,et res ad judicium venerit : dabit qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta siclos argenti [h. argenteos], et habebit eam uxorem, quia humiliavit [h. afflixit] illam : non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. [B. CII. C. CV.] Non accipiet homo uxorem patris sui.nec revelabit operimentum ejus [h. ejus, id est patris].

B. CIII, C. CVII, *Cap.*XXIII.] Non intrabit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis, et abscisso veretro, ecclesiam Domini. [C. CVIII.] Non ingredietur mamzer, hoc est, de scorto natus [h. non habet de scorto natus], in ecclesiam Domini,usque ad decimam generationem.Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini in æternum : quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via quando egressi estis de Ægypto, quia conduxerunt contra te Balaam filium Behor de Mesopotamia Syriæ [h. filium Behor de Phetor, quæ est in Mesopotamia Syriæ],ut malediceret tibi : et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eo quod diligeret te. Non facies cum eis pacem, nec quæres eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum. [C. CIX.] Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est: nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in ecclesiam Domini.Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. [T. XIII, B. CIV, C. CX.] Si fuerit inter vos homo,qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, et non revertetur, priusquam ad vesperum lavetur aqua, et post solis occasum regredietur in castra. Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ,gerens paxillum in balteo. Cumque sederis, fodies per circuitum, et egesta humo operies, quo revelotus es [Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum tuorum [*Vulg. tac.* tuorum],ut eruat te,et tradat tibi inimicos tuos], ut [*Vulg.* et] sint castra tua sancta, et nihil in eis appareat fœditatis, nec [*Vulg.* ne] derelinquat te. [B. CV, C. XI.] Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit. Habitabit tecum in loco qui ei placuerit, et in una urbium tuarum requiescet: nec [*Vulg.*ne] constristes eum. [B. CVI, XII.] Non erit meretrix de filiabus Israel,neque scortator de filiis Israel. [B.CVII, C. CXIII.) Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis, in domum Domini Dei tui,quidquid illud est quod voveris : quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum, (B. CVIII, C. CXIV.) Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem ; sed alieno. Fratri autem tuo absque usura,id quod indiget, commodabis : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra.quam ingrederis (*Vulg.* ad quam ingredieris) possidendam. (B. CIX, C. CXV.) Cum voveris votum Domino Deo tuo,non retardabis reddere : quia requiret illud Dominus Deus tuus (h. Dominus Deus tuus a te). Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.Si nolueris polliceri, absque peccato eris.Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es. (C. CXVI.) Ingressus vineam proximi tui,comede uvas quantum tibi placuerit : foras autem ne efferas tecum. (B. CX, C. CXVII.) Si intraveris in segetem amici tui,franges spicas, et manu conteres : falce autem non metes.

(B. CXI, C. CXVIII, *Cap.* XXIV.) Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem : scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit,non poterit prior maritus recipere eam in uxorem : quia polluta est et abominabilis facta est coram Domino : ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tibi tradiderit possidendam.(B.CXII, C. XIX). Cum acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quidpiam necessitatis injungetur publicæ, sed vacabit absque culpa domi suæ [1], ut uno anno lætetur cum uxore sua. (B. CXIII, C. CXX.) Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam ; quia animam suam apposuit (*Vulg.* posuit) tibi. (B. CXIV, C. CXXI.) Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, et vendito eo, acceperit pretium, interficietur, et auferes malum de medio tui. (B. CXV.) Observa diligenter ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcunque docuerint te sacerdotes Levitici generis, juxta id quod præcepi eis, et imple sollicite. (B. CXVI, C. CXXII.) Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ in via cum egrederemini de Ægypto. (B. CXVII, C. CXXIII.) Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus ut pignus auferas ; sed stabis foris,

[1] Omnes mss. codices legunt hoc modo cum Canone, *sed vacabit absque culpa domui suæ* Eumdem quoque sensum expressit interpres Arabs. In Hebræo est לביתו, *Lebetho*, quod *suæ* optime respondet. Verum non maximi refert quocunque modo legamus, ubi verborum sensus in idem recidit. MART.

— Urbinas ms. cum aliis penes Martian. *domui suæ*, quod et magis Hebræo לביתו adhæret ; Palat. habet *domus suæ*.

et ille tibi proferet quod habuerit. (C. CXXIV). Si autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus (h. pignus ejus), sed statim reddes ei ante solis occasum; ut dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo. (B. CXVIII.) Non negabis (h. Non calumnieris) mercedem indigentis, et pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est; sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentant animam suam; ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. (B. CXIX, C. CXXV.) Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur. (B. CXX, C. CXXVI.) Non pervertes judicium advenæ et pupilli. Nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. (C. CXXVII.) Memento quod servieris in Ægypto, et eruerit te Dominus Deus tuus inde.(C.CXXVIII.) Idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.(B.CXXI.) Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum; sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris,ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. (B. CXXII, C. CXXIX.) Si fruges colliges olivarum, quidquid remanserit in arboribus,non reverteris ut colligas; sed relinques advenæ,pupillo,ac viduæ.(C. CXXX.) Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ,pupilli, ac viduæ. Memento quod et tu servieris in Ægypto, et idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.

(B. CXXIII, C. CXXXI, *Cap.* XXV.) Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices: quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis. Sin autem cum qui peccavit dignum viderint plagis, prosternent et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus; ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant: ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus (h. ante oculos tuos sit fratea tuus). (B. CXXIV, C, CXXXII.) Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas. (B. CXXV, C. CXXXIII.) Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui; et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit,ut non deleatur nomen ejus Israel. (C. CXXXIV.) Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, et interpellabit majores natu, dicetque: Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel: nec me in conjugem sumere. Statimque accersiri eum facient, et interrogabunt. Si responderit: Nolo eam uxorem accipere: accedet mulier (h. cognata ejus) ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, et dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalceati (B. CXXVI, C. CXXXV.) Si habuerint inter se jurgium viri (*Vulg. add.* duo), et unus contra alterum rixari cœperit, voleneque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris (h. percutientis), miseritque manum, et apprehenderit verenda ejus: abscides manum illius,nec flecteris super eam ulla misericordia. (B. CXXVII, C. CXXXVI.) Non habebis in sacculo diversa pondera,majus et minus: nec erit in domo tua modius major et minor.Pondus habebis justum et verum,et modius æqualis et verus erit tibi; ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Abominatur enim Dominus eum (h. Dominus Deus tuus eum) qui facit hæc,et aversatur omnem injustitiam. (B. CXXVIII, C. CXLVII.) Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto: quomodo occurrerit tibi; et extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame et labore confectus, et non timuerit Deum. (T. XIV.) Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, et subjecerit cunctas per circuitum nationes, in terra, quam tibi pollicitus est: delebis nomen (h. memoriam) ejus sub cœlo. Cave ne obliviscaris.

(B. CXXIX, C. CXXXVIII, *Cap.* XXVI.) Cumque intraveris terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, et obtineris eam, atque habitaveris in illa: tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et panes in cartallo, pergesque ad locam, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus: accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis,et dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sim terram, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis. Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui; et loqueris in conspectu Domini Dei tui: Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum,et ibi peregrinatus est in paucissimo numero: crevitque in gentem magnam et robustam et infinitæ multitudinis. Afflixeruntque nos Ægyptii, et persecuti sunt imponentes onera gravissima, et clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum: qui exaudivit nos,et respexit humilitatem nostram, et laborem, atque angustiam; et eduxit nos de Ægypto in manu forti, et brachio extento, in ingenti pavore, in signis atque portentis; et introduxit ad locum istum et tradidit nobis terram hanc lacte et melle manantem. Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ,quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui; et adorato Domino Deo tuo, epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi, et domui tuæ, tu et Levites, et advena qui tecum est. Quando compleveris decimam cunctarum frugum

tuarum, anno decimarum tertio, dabis Levitæ, et advenæ, et pupillo et viduæ, ut comedant intra portas tuas, et saturentur : loquerisque in conspectu Domini Dei tui : Abstuli quod sanctificatum est de domo mea, et dedi illud Levitæ et advenæ, pupillo ac viduæ, sicut jussisti mihi ; non præterivi mandata tua, nec sum oblitus imperii [*Vulg. add.* tui]. Non comedi ex his in luctu meo, nec separavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei, et feci omnia sicut præcepisti mihi. Respice de sanctuario tuo, et de excelso cœlorum habitaculo, et benedic populo tuo Israel, et terræ quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris, terræ lacte et melle mananti. Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, ut facias mandata hæc atque judicia; et custodias et impleas ex toto corde tuo, et ex tota anima tua. [B. CXXX.] Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias cæremonias illius, et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio. Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta ejus ; et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit in laudem, et nomen, et gloriam *suam* [h. non habet] ; et ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est. Præcepit autem Moses et seniores Israel populo, dicentes : Custodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie.

[T. XV, B. CXXXI, *Cap.* XXVII.] Cumque transieritis Jordanem in terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, et calce lævigabis eos, ut possis in eis scibere omnia verba legis hujus [h. et scribes super eos omnia verba legis hujus], Jordane transmisso : ut introcas terram, quam Dominus Deus tuus dabit, tibi terram lacte et melle manantem, sicut juravit patribus tuis. Quando ergo transieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis, in monte Hebal, et lævigabis eos calce, et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo, de lapidibus quos ferrum non tetigit, et de saxis informibus et impolitis, et offeres super eo holocausta Domino Deo tuo, et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, et epulaberis coram Domino Deo tuo. Et scribes super lapides omnia verba legis hujus plane et lucide. [C. CXXXIX.] Dixeruntque Moses et sacerdotes Levitici generis ad omnem Israelem: Attende, et audi, Israel : hodie factus es populus Domini Dei tui : audies vocem ejus et facies mandata atque justitias, quas ego præcipio tibi hodie [*Vulg. tac.* hodie]. [C. CXL.] Præcepitque Moses populo in die illo, dicens : Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim, Jordane transmisso : Simeon, Levi, Judas, Issachar, Joseph, et Benjamin. Et e regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal : Ruben, Gad, et Aser, Zabulon, Dan, et Nephtali. [C. CXLI.] Et pronuntiabunt Levitæ, dicentque ad omnes viros Israel excelsa voce : [B. CXXXII.] Maledictus homo qui facit sculptile et conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito. Et respondebit omnis populus, et dicet : Amen. Maledictus qui non honorificat patrem suum, et matrem. Et dicet omnis populus : Amen. Maledictus qui transfert terminos proximi sui. Et dicet omnis populus: Amen. Maledictus qui errare facit cæcum in itinere. Et dicet omnis populus : Amen. Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli et viduæ. Et dicet omnis populus : Amen. Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, et revelat operimentum lectuli ejus. Et dicet omnis populus : Amen. Maledictus qui dormit cum omni jumento. Et dicet omnis populus : Amen. Maledictus qui dormit eum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ. Et dicet omnis populus : Amen. Maledictus qui dormit cum socru sua [h. cum socru, *hoc est*, cognata sua]. Et dicet omnis populus: Amen. Maledictus qui clam percusserit proximum suum. Et dicet omnis populus : Amen. Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis. Et dicet omnis populus : Amen. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit. Et dicet omnis populus : Amen [1].

[B. CXXXIII, C. CXLII, *Cap.* XXVIII.] Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra. Venientque super te universæ benedictiones istæ, et apprehendent te: si tamen præcepta ejus audieris. Benedictus tu in civitate, benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, et caulæ ovium tuarum. Benedicta horrea tua, et benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris et ingrediens et egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo: per unam viam venient contra te, et per septem fugient a facie tua. Emitte Dominus benedictionem super cellaria tua, et super omnia opera manuum tuarum [*h.* et super omnia ad quæ manum miseris] : benedicetque tibi in terra quam acceperis. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut juravit tibi : si custodieris mandata Domini Dei tui, et ambulaveris in viis ejus. Videbuntque omnes terrarum populi quod nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, et fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret tibi.

[1] De variantibus hujus versiculi lectionibus apud Hebræos, Samaritanos, ac Græcos fuse disputat S. Hieronymus lib. II Comment. in Epist. ad Gal. cap. III ; illuc se a nobis amandari patietur lector curiosus. MART.

— Recolendus denuo est S. Pater Comment. in Epist. ad Galat. cap. III, quod et Martian. jubet,

Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo : et benedicet cunctis operibus manuum tuarum. Fenerabis gentibus multis, et ipse a nullo fenus accipies. Constituet te Dominus in caput, et non in caudam, et eris semper supra, et non subter ; si audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, et custodieris et feceris, ac non declinaveris ab eis, nec ad dexteram, nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos [h. et non declines a præceptis quæ ego præcipio tibi hodie, ad dextram nec ad sinistram ieris, secutus deos alienos, neque colas eos]. [C. CXCIII.] Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, et facias omnia mandata ejus et cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum. Maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens. Mittet Dominus super te famem et esurien), et increpationem in omnia opera tua, quæ facies : donec conterat te, et perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas in quibus reliquisti me. Adjungat Dominus tibi pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingrederis [*Vulg.* ingredieris] possidendam. Percuciat te Dominus egestate, febri et frigore, ardore et æstu, et aere corrupto ac rubigine et persequatur donec pereas. Sit cœlum, quod supra te est, æneum : et terra, quam calcas, ferrea. Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, et de cœlo descendat super te cinis, donec conteraris [h. pulverem et cinerem de cœlo : descendant super te, donec conteraris]. Tradet te Dominus coruentem ante hostes tuos. Per unam viam egrediaris contra eos, et per septem fugias, et dispergaris per omnia regna terræ. Sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cœli, et bestiis terræ, et non sit qui abigat. Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, et partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque et prurigine : ita ut curari nequeas. Percutiat te Dominus amentia et cæcitate ac furore mentis, et palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, et non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam sustineas, et opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te. Uxorem accipias, et alius dormiat cum ea. Domum ædifices, et non habites in ea. Plantes vineam, et non vindemies eam. Bos tuus immoletur coram te, et non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, et non reddatur tibi. Oves tuæ dentur inimicis tuis, et non sit qui te adjuvet. Filii tui et filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, et deficientibus ad conspectum eorum tota die, et non sit fortitudo in manu tua. Fructus terræ tuæ, et omnes labores tuos, comedat populus quem ignoras; et sis semper calumniam sustinens, et oppressus cunctis diebus, et stupens ad terrorem eorum, quæ videbunt oculi tui. Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus et in suris, sanarique non possis a planta pedis usque ad verticem tuum. Ducet te Dominus, et regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras tu et patres : et servies ibi diis alienis, ligno et lapidi. Et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus. Sementem multam jacies in terram, et modicum congregabis : quia locustæ omnia devorabunt. Vineam plantabis et fodies, et vinum non bibes, nec colliges ex ea quidpiam : quoniam vastabitur vermibus. Olivas habebis in omnibus terminis tuis, et non ungeris oleo : quia defluent, et peribunt. Filios generabis et filias, et non frueris eis : quoniam ducentur in captivitatem. Omnes arbores tuas et fruges terræ tuæ rubigo consumet. Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior : tu autem descendes et eris inferior. Ipse fenerabit tibi, et tu non fenerabis ei. Ipse erit in caput, et tu eris in caudam. Et venient super te omnes maledictiones istæ [*Vulg. tac.* istæ], et persequentes apprehendent te, donec intereas : quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servasti mandata ejus et cæremonias, quas præcepit tibi. Et erunt in te signa atque prodigia, et in semine tuo usque in sempiternum : eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia, propter rerum omnium abundantiam : servies inimico tuo, quem immittet Dominus tibi, in fame, et siti, et nuditate, et omnium penuria : et imponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, *et* (h. non habet) de extremis terræ finibus, et in similitudinem aquilæ volantis cum impetu : cujus linguam intelligere non possis, gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli, et devoret fructum jumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ : donec intereas, et non relinquat tibi triticum, vinum et oleum, armenta boum et greges ovium : donec te disperdat et conterat in cunctis urbibus tuis, et destruantur muri tui firmi (h. Obsideberis *in omnibus portis tuis* donec de*struantur* muri tui) atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas in omni terra (*Vulg. add.* tua), quam dabit tibi Dominus Deus tuus, et comedes fructum ventris tui *et* (h. non habet) carnes filiorum (*Vulg. add.* tuorum) *et filiarum tuarum*, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia et vastitate, qua opprimet te hostis tuus. Homo delicatus in te, et luxuriosus (h. *et tener*) valde, invidebit fratri suo, et uxori, quæ cubat in sinu suo, ne det eis de carnibus filiorum suorum (*Vulg. tac.* suorum), quas comedet, eo quod nihil habeat aliud in obsidione et penuria, qua vastaverint te inimici tui intra omnes portas tuas. Tenera mulier et delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis

vestigium figere, propter mollitiem et teneritudinem nimiam, invidebit viro suo, qui cubat in sinu ejus, super filii et filiæ carnibus, et illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum ejus, et super liberis, qui eadem hora nati sunt. Comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione et vastitate, quo opprimet te inimicus tuus intra portas tuas. Nisi custodieris et feceris omnia verba legis hujus, quæ scripta sunt in hoc volumine, et tenueris nomen ejus gloriosum et terribile, hoc est, Dominum Deum tuum : augebit Dominus plagas tuas, et plagas seminis tui, plagas magnas et perseveranles (h. fideles) infirmitates pessimas et perpetuas (h. fideles). Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, et adhærebunt tibi. Insuper et universos languores, et plagas, quæ no nsunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat, et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sic ut astra cœli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui. Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de terra, ad quam ingrederis (*Vulg.* ingredieris) possidendam. Disperget te Dominus in omnes populos a summitate terræ usque ad terminos ejus, et servies ibi diis alienis, quos et tu ignoras et patres tui, lignis et lapidibus. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam mœrore consumptam. (B. CXXXIV.) Et erit vita tua quasi pendens ante oculos tuos [1] (h. ante te). Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ. Mane dices : Quis mihi det vesperum ? et vespere : Quis mihi det mane ? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, et propter ea quæ tuis videbis oculis. Reducet te Dominus classibus in Ægyptum, per viam de qua dixit tibi, ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos et ancillas, et non erit qui emat.

(T. XVI, *Cap.* XXIX.) Hæc sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Mosi ut feriret cum filiis Israel in terra Moab : præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Horeb. (C. CXLIV.) Vocavitque Moses omnem Israel, et dixit ad eos : Vos vidistis universa, quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni, omnibus servis ejus, universæque terræ illius, tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa portentaque ingentia. (B. CXXXV.) Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures quæ possint audire, usque in præsentem diem. Adduxit vos quadraginta annis per desertum : non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum tuorum [2] vetustate consumpta sunt. Panem non comedisti, vinum et siceram non bibistis: ut scires, quia ego sum Dominus Deus vester. Et venistis ad locum hunc : egressusque est Seon rex Esebon, et Og rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percussimus eos, et tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam Ruben et Gad, et dimidiæ tribui Manasse. Custodite ergo verba pacti hujus et implete ea, ut intelligatis universa quæ facitis. Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro principes vestri, ac tribus, et majores natu, atque doctores, omnis populus Israel, liberi et uxores vestræ, et advena qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, et his qui comportant aquas (h. lignorumque cæsores, et hi qui comportant aquas), ut transeas in fœdere Domini Dei tui, et in jurejurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum, ut suscitet te sibi in populum, et ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi, et sicut juravit patribus tuis, Abraham, Isaac et Jacob. Nec vobis solis ergo hoc fœdus ferio, et hæc juramenta confirmo, sed cunctis præsentibus et absentibus. Vos enim nostis quomodo habitaverimus in terra Ægypti, et quomodo transierimus per medium nationum, quas transeuntes, vidistis abominationes et sordes, id est, idola eorum, lignum et lapidem, argentum et aurum, quæ colebant. Ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie a Domino Deo nostro, ut vadat et serviat diis illarum gentium, et sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem. Cumque audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo, dicens. Pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei, et assumat ebria sitientem [3]. et Dominus non ignoscat ei : sed tunc quam maxime furor ejus sumet, et zelus contra hominem illum, et sedeant (h. et recumbant) super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine, et deleat Dominus nomen ejus sub cœlo,

[1] Primum e Septuaginta Interpretibus mutuati sunt Latini, *ante oculos tuos*, quod scriptum reperitur in Canone et paucis aliis antiquioribus mss. codicibus : successu vero temporum e Canonis marginali scholio luxisse videtur in plures Latinos codices, *ante te*, nam cum editis ita maxima pars librorum mss. MART.

[2] Unus Canon. Hebraicæ veritatis veram hic retinet e suo fonte lectionem : cæteri tum editi, tum mss. habent *pedum vestorum*. MART.

— Hic quoque nostri mss. et plerique alii apud Martianæum cum Vulgatis *vestrorum* legunt pro *tuorum*. Hebr. ad litteram, *calciamentum tuum in pede tuo*, etc.

[3] Ita Canon Heb. verit. ac manuscripti omnes, quibus concinunt Syr. Chaldr. et Arabs cum versione Samaritana. Sensus obscurior est in editis ex mutatione unius litterulæ, *s* nempe in *b*, *absumat*, MART.

— Urbinas ms., *assumat ebrius sitientem*. Haud autem scio, num rectius Vulgati habeant *absumat*, quod Sixtus V reponi jussit in Latinis Bibliis, et commode potest ab תדן Hebræo derivari. Certe obscurus suopte ingenio locus minime fit, ut putat Martianæus, hac lectione obscurior, quia planior doctissimis Interpretibus visus est.

et consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israel,juxta maledictiones quæ in libro legis hujus ac fœderis continentur. Dicetque sequens generatio, et filii qui nascentur deinceps, et peregrini, qui de longe venerint, videntes plagas terræ illius, et infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus, sulphure et salis ardore comburens, ita ut fultra non seratur, nec virens quidpiam germinet, in exemplum subversionis Sodomæ et Gomorrhæ, Adamæ et Seboim, quas subvertit Dominus in ira et furore suo. Et dicent omnes gentes : Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est ira furoris ejus immensa? Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terra Ægypti, et servierunt diis alienis, et adoraverunt eos, quos nesciebant, et quibus non fuerant attributi : idcirco iratus est furor Domini contra terram istam, ut induceret super eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine scripta sunt, et ejecit eos de terra sua in ira, et in furore et in indignatione maxima. (B. CXXXVI, C. CXLV.) Projecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur. Abscondita Domino Deo nostro : quæ manifesta sunt nobis et filiis nostris usque in æternum, ut faciamus universa verba legis hujus.

(*Cap.* XXX.) Cum ergo venerint super te omnes sermonss isti,benedictio sive maledictio,quam proposui in conspectu tuo, ut ductus pœnitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, et reversus fuerit ad eum, et obedieris ejus imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, et in tota anima tua:reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui,et rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit. Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, et assumet, atque introducet in terram, quam possederunt patres tui, et obtinebis eam, et benedicens tibi, majoris numeri te esse faciet quam fuerunt patres tui. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et possis vivere. Omnes autem maledictiones has convertet super inimicos tuos, et eos qui oderunt, te, et persequuntur. Tu autem reverteris, et audies vocem Domini Dei tui : faciesque universa mandata quæ ego præcipio tibi hodie, et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum,in sobole uteri tui (h. in fructu ventris tui), et in fructu jumentorum tuorum, in ubertate terræ tuæ, et in rerum omnium largitate. Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis , si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris præcepta ejus et cæremonias, quæ in hac lege conscriptæ sunt, et revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua. (C. CXLVI.) Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere. Quis nostrum ad cœlum valet conscendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare positum, ut causeris, et dicas : Quis e nobis transfretare poterit mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum. (B. CXXXVII, C. CXLVII.) Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius et cæremonias atque judicia, et vivas, ac multiplicet te, benedicatque tibi in terra, ad quam ingrederis possidendam. Sin autem aversum fuerit cor tuum, et audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris deos alienos, et servieris eis : prædico tibi hodie quod pereas, et parvo tempore moreris in terra, ad quam Jordane transmisso,ingrederis possidendam.(B. CXXXVIII.) Tesotes invico hodie cœlum et terram, quod preposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum, et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhæreas (ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum), ut habites in terra, pro qua juravit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret eam illis.

(T. XVII, C. CXLVIII, *Cap.* XXXI.) Abiit itaque Moses, et locutus est omnia verba hæc ad uuiversum Israel, et dixit ad eos: Centum viginti annorum sum hodie, non possum ultra egredi et ingredi, præsertium cum et Dominus dixerit mihi : Non transibis Jordanem istum. Dominus ergo Deus tuus transibit ante te, ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, et possidebis eas, et Josue ipse transibit ante te, sicut locutus est Dominus. Facietque Dominus eis sicut fecit Seon et Og regibus. Amorrhæorum, et terræ eorum, delebitque eos. Cum ergo et hos tradiderit vobis, similiter facietis eis sicut præcepi vobis. Viriliter agite, et confortamini : nolite timere, nec paveatis a conspectu eorum, quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus,et non dimittet, nec derelinquet te. (C. CXLIX.) Vocavitque Moses Josue, et dixit ei coram omni Israel : Confortare et esto robustus : tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se juravit patribus eorum Dominus, et tu eam forte divides. Et Dominus qui conductor vester est, ipse erit tecum : non dimittet, nec derelinquet te : noli timere, nec paveas. Scripsit itaque Moses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israel. Præcepitque eis, dicens : Post septem annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus,leges verba legis hujus coram omni

Israel, audientibus eis, et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis et advenis, qui sunt intra portas tuas : ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus. Filii quoque eorum qui nunc ignorant, ut audire possint, et timeant [h. audiant et discant, ut timeant] Dominum Deum vestrum cunctis diebus quibus versantur in terra, ad quam vos, Jordane transmisso, pergitis obtinendam. [T. XVIII, B. CXXXIX.] Et ait Dominus ad Mosen : Ecce prope sunt dies mortis tuæ:voca Josue, et state in tabernaculo testimonii, ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moses et Josue, et steterunt in tabernaculo testimonii : apparuitque Dominus ibi in columna nubis; quæ stetit in introitu tabernaculi. [C. CL.] Dixit B Dominus ad Mosen : Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra, ad quam ingreditur, *et habitabit in ea; ibi* [h. non habet hoc] derelinquet me, et irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. Et irascetur furor meus contra eum in die illo, et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem : invenient eum omnia mala [h. mala multa] et afflictiones, ita ut dicat in illo die : Vere quia non est Deus mecum [h. Deus meus in medio mei], invenerunt me hæc mala. Ego autem abscondam, et celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala quæ fecit, quia secutus est deos alienos. Nunc itaque scribite vobis canticum istud, et docete filios Israel, ut memoriter teneant, et ore decantent, et sit mihi carmen istud pro testi- C monio inter filios Israel. Introducam enim eum in terram, pro qua juravi patribus ejus, lacte et melle manantem. Cumque comederint, et saturati crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, et servient eis, et detrahent mihi, et irritum facient pactum meum. Postquam invenerint eum mala multa et afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis sui. Scio enim [h.] cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum. [C. CLI.] Scripsit ergo Moses canticum [h. Canticum *hoc in* die illo], et docuit filios Israel. Præcepitque Josue filio Nun, et ait : Confortare, et esto robustus : tu enim introduces filios Israel in terram, quam pollicitus sum, et ego D ero tecum. Postquam ergo scripsit Moses verba legis hujus in volumine, atque complevit : præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens : Tollite librum istum [1] [h. librum legis *hunc*], et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri : ut sit ibi contra te in testimonium. Ego enim scio contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me et ingrediente [h. non habet et ingrediente] vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum : quando magis cum mortuus fuero! Congregate ad me omnes mares natu per tribus vestras, atque doctores, et loquar audientibus eis sermones istos, et invocabo [h. testes *ivocabo*] contra eos cœlum et terram. Novi enim quod post mortem meam inique agetis, et declinabitis cito de via, quam præcepi vobis : et occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum. [B. CXL.] Locutus est ergo Moses, audiente universo cœtu Israel, verba carminis hujus, et ad finem usque complevit :

[*Cap.* XXXII.] Audite, cœli, quæ loquor :
audiat terra verba oris mei.
Concrescat ut pluvia doctrina mea :
fluat ut ros eloquium meum :
Quasi imber supra herbam,
et quasi stillæ super gramina :
quia nomen Domini invocabo.
Date magnificentiam Deo nostro :
Dei perfecta sunt opera;
et omnes viæ ejus judicia.
Deus fidelis, et absque ulla iniquitate,
justus et rectus :
peccaverunt ei, non filiis ejus in sordibus :
Generatio prava atque perversa :
hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens?
Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te,
et fecit, et creavit te?
Memento dierum antiquorum,
cogita generationes singulas :
Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi :
majores tuos, et dicent tibi :
Quando dividebat Altissimus gentes :
quando separabat filios Adam,
Constituit terminos populorum
juxta numerum filiorum Israel.
Pars autem Domini, populus ejus :
Jacob funiculus hæreditatis ejus.
Invenit eum in terra deserta.
in loco horroris et vastæ solitudinis.
Circumduxit eum, et docuit :
et custodivit quasi pupillam oculi sui.
Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos,
et super eos volitans.
Expandit alas suas, et assumpsit eum [1].
atque portavit in humeris suis.
Dominus solus dux ejus fuit;
et non erat cum eo Deus alienus.
Constituit eum super excelsam terram :

[1] Samaritanus textus bene legit hoc loco לקחו, *lichhu*, id est, *tollite*, seu *capite*. Hodiernus autem Hebræus non habet litteram *vau* servilem in fine, sed tres tantummodo radicales לקח, *lacoahh*, quod significat, *capiendo*, sive, *tollendo*, hoc est, *tollendo librum legis istum, ponite*, etc. Hinc liquet nonnulla excidisse e textu Hebræo hodierno : quod etsi plurimis exemplis jam probaverimus, adhuc tamen in consequentibus idipsum observare non pigebit. MART.

[1] Palatin. ms. *et assumpsit eos.*

ut comederet fructus agrorum,
Et sugeret mel de petra,
oleumque de saxo durissimo.
Butyrum de armento, et lac de ovibus
cum adipe agnorum et arietum, filiorum Basan:
Et hircos cum medulla tritici,
et sanguinem uvæ biberet meracissimum.
Incrassatus est dilectus [h. rectus], et recalcitravit
incrassatus, impinguatus, dilatatus.
Dereliquit Deum factorem suum,
et recessit a Deo salutari suo,
Provocaverunt eum in diis alienis,
et in abominationibus [1] ad iracundiam concitaverunt.
Immolaverunt dæmoniis et non Deo,
diis quos ignorabant,
Novi recentesque venerunt [2],
quos non coluerunt patres eorum.
Deum qui te genuit, dereliquisti,
et oblitus es Domini creatoris tui.
Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est,
quia provocaverunt eum filii sui et filiæ.
Et ait : Abscondam faciem meam ab eis,
et considerabo novissima eorum :
Generatio enim perversa est,
et infideles filii.
Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus,
et irritaverunt in vanitatibus suis :
Et ego provocabo eos in eo qui non est populus,
et in gente stulta irritabo illos.
Ignis succensus est in furore meo,
et ardebit usque ad inferni novissima :
Devorabitque terram cum germine suo [3],
et montium fundamenta comburet,
Congregabo super eos mala,
et sagittas meas complebo in eis.
Consumentur fame,
et devorabunt eos aves morsu amarissimo.
Dentes bestiarum immittam in eos,
cum furore trahentium super terram atque serpentium.
Foris vastabit eos gladius, et intus pavor :
juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.
Dixi : Ubinam sunt?
cessare faciam [h. *Exter*minabo eos in furore *meo*
et cessare faciam] ex hominibus memoriam eorum.
Sed propter iram inimicorum distuli :
ne forte superbirent hostes eorum,
Et dicerent : Manus nostra excelsa,
et non Dominus, fecit hæc omnia.
Gens absque consilio est, et sine prudentia.
Utinam saperent, et intelligerent,
A ac novissima providerent.
Quo modo persequatur [4] unus mille,
et duo fugarent decem millia?
Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos,
et Dominus concluserit illos?
Non enim est Deus noster ut Deus [*Vulg.* dii] eorum
et inimici nostri sunt judices.
De vinea Sodomorum, vinea eorum,
et de suburbanis Gomorrhæ.
Uva eorum uva fellis,
et botri amarissimi,
Fel draconum vinum eorum,
et venenum aspidum insanabile.
Vonne hæc condita sunt apud me,
et signata in thesauris meis?
B Mea est ultio, et ego retribuam in tempore,
ut labatur pes eorum :
Juxta est dies perditionis [h. perditionis eorum],
et adesse festinant tempora.
Judicabit Dominus populum suum,
et in servis suis miserebitur.
Videbit quod infirmata sit manus,
et clausi quoque defecerunt,
residuique consumpti sunt.
Et dicent : Ubi sunt dii eorum,
in quibus habebant fiduciam?
De quorum victimis comedebant adipes,
et bibebant vinum libaminum.
Surgant, et opitulentur vobis,
et in necessitate vos protegant.
C Videte quod ego [h. ego, ego] sim solus,
et non sit alius Deus præter me :
Ego occidam, et ego vivere faciam :
percutiam, et ego sanabo,
et non est qui de manu mea possit eruere.
Levabo ad cœlum manum meam,
et dicam : Vivo ego in æternum.
Si acuero ut fulgur gladium meum,
et arripuerit judicium manus mea :
Reddam ultionem hostibus meis :
et his qui oderunt me, retribuam :
Inebriabo sagittas meas sanguine,
et gladius meus devorabit carnes,
De cruore occisorum,
et de captivitate nudati inimicorum capitis.
Laudate, gentes, populum ejus,
D quia sanguinem servorum suorum ulciscetur.
Et vindictam retribuet in hostes eorum,
et propitius erit [5] terræ populi sui.

[B. CXLI.] Venit ergo Moses, et locutus est omnia verba Cantici hujus in auribus populi, ipse et Josue [6] [h. Osee] filius Nun. Complevitque omnes sermones istos, loquens ad universum Israel. Et

[1] Interserunt alii libri, *suis*.
[2] Hic quoque addunt alii libri, *ad eos*.
[3] Rabbanus legit, *Comedis terram et nascentia ejus*.
[4] Ms. Palat., *persequetur* ; alii libri, *persequitur*, et mox *fugant* pro *fugarent*.
[5] Interserunt veteres libri hic *Dominus*.
[6] Hebræus et Chaldæus legunt הושע, id est, *Hosea*, vel *Osee* more antiquorum : Samaritanus autem, LXX et Syrus habent *Jod* ab initio, יהושע, *Jehosea*, vel *Josue*. MART.

dixit ad eos : Ponite corda vestra in omnia verba, A quæ ego testificor vobis hodie : ut mandetis ea filiis vestris custodire et facere, et implere [h. non habet et implere] universa, quæ scripta sunt legis hujus : quia non incassum præcepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent : quæ facientes longo perseveretis tempore in terra, ad quam, Jordane transmisso, ingredimini possidendam [T. XIX, C. CLII]. Locutusque est Dominus ad Mosen in eadem die, dicens : Ascende in montem istum Abarim, id est, transitum, in montem Nebo [h. istum Abarim, montem Nebo], qui est in terra Moab contra Jericho : et vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israel obtinendam, et morere in monte. Quem conscendens jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, et B appositus populis suis : qui prævaricati estis contra me, in medio filiorum Israel, ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin ; et non sanctificastis me inter filios Israel. E contra [h. Propterea e contra] videbis terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel.

[B. CXCII, C. CLIII, *Cap.* XXXIII]. Hæc est benedictio, qua benedixit Moses, homo Dei [3] [h. vir Dei], filiis Israel ante mortem suam, et ait : Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis. Apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex. Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt : et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. Legem præcepit nobis Moses, hæreditatem multitudinis Jacob. Erit apud rectissimum rex, congre- C gatis principibus populi cum tribubus Israel.

Vivat Ruben, et non moriatur, et sit parvus in numero.

Hæc est Judæ benedictio : Audi, Domine, vocem Judæ, et ad populum suum introduc eum : manus ejus pugnabunt pro eo, et adjutor illius contra adversarios ejus erit.

Levi quoque ait ; Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, et judicasti ad aquas contradictionis. Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos ; et fratribus suis : Ignoro vos [4] : et nescierunt [h. nescivit] filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel [h. illuminent judicia tua in Jacob, et le- D gem tuam in Israel] : ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum. Benedic, Domine, fortitudini ejus, et opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum ejus, et qui oderunt eum, non consurgant.

Et Benjamin ait : Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet.

Joseph quoque ait : De benedictione Domini terra ejus ; de pomis cœli, et rore, atque abysso subjacente. De pomis fructuum solis ac lunæ. De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum : et de frugibus terræ, et plenitudine ejus. Benedictio illius [h. voluntas illius] qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem Nazaræi inter fratres suos. Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius : in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ. Hæ sunt multitudines Ephraim : et hæc millia Manasse.

Et Zabulon ait : Lætare, Zabulon, in exitu tuo, et Issachar in tabernaculis tuis. Populos ad montem vocabunt : ibi immolabunt victimas justitiæ. Qui innundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum.

Et Gad ait : Benedictus in latitudine Gad : quasi leo requievit, cepitque brachium et verticem. Et vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus : qui fuit cum principibus populi, et fecit justitias Domini, et judicium suum cum Israel.

Dan quoque ait : Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan.

Et Nephthali dicit : Nephthali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictionibus Domini : mare et meridiem possidebit.

Aser quoque ait : Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, et tingat in oleo pedem suum. Ferrum et æs calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua. Non est Deus alius ut Deus rectissimi, ascensor cœli auxiliator tuus. Magnificentia ejus [h. et judicia ejus] discurrunt [h. non habet, discurrunt] nubes [h. et in magnificentia ejus nubes], habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna : ejiciet a facie tua inimicum, dicetque : Conterere.

Habitabit Israel confidenter, et solus. Oculus Jacob [h. fons Jacob] in terra frumenti et vini, cœlique [h. cœlique ejus] caligabunt rore. Beatus tu, Israel : quis similis tui, populo, qui salvaris in Domino ? scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ : negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis.

[*Cap.* XXXIV]. Ascendit ergo Moses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasgha contra Jericho : ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan [3]. Et universum

[1] Hieronymus in epistola *ad Cyprianum* scholion istud manifeste probat : ibi enim psalmi LXXXIX explanationem aggressus, hæc ait : « Primum sciendum, quod psalmi istius juxta Hebraicorum titulus sit, *Oratio Mosi viri Dei :* juxta Septuaginta, *Oratio Moysi hominis Dei.* » In Hebræo מושה אלהים, *is haelohim* legimus, quod apud LXX etiam hoc loco interpretatur, ἄνθρωπος τοῦ θεοῦ *homo Dei* : apud Chaldæum vero, *prophetu Dei.* In versione Syriaca *servus Dei*, et in Arabica *apostolus Dei* dicitur Moses. MART.

[2] Undecim mss. nostri codices legunt, *ignoro illos :* editorum nihilominus lectio præferenda est, quia textui Hebraico consonat. MART.

[3] Canon habet, *de Galaad usque Dan*, quod satis accommodatum Scripturæ reddit sensum. MART.

Nephthali, terramque Ephraim et Manasse,et omnem terram Juda usque ad mare novissimum, et australem partem, et latitudinem campi Jericho civitatis palmarum usque Segor.Dixitque Dominus ad eum : Hæc est terra, pro qua juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens : Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam. (C. CLIV). Mortuusque est ibi Moses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino, et sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phohor, et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem.Moses centum et viginti annorum erat quando mortuus est; non caligavit oculus ejus,nec dentes illius moti sunt (h. nec genæ illius rugatæ sunt). A Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus ; et completi sunt dies planctus lugentium Mosen. Josue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ,quia Moses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israel, feceruntque sicut præcepit Dominus Mosi. (C. CLV). Et non surrexit propheta ultra in Israel sicut Moses,quem nosset Dominus facie ad faciem,in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terra Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moses coram universo Israel.

Explicit liber Deuteronomii.

— Minus recte ad Hebræum textum, quidquid Martianæo videatur, habet Canon Hebræus, *de Galaad* ; neque enim גלעד scriptum est, sed את-חולעזם.

S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

DIVINÆ BIBLIOTHECÆ

PARS PRIMA.

ORDO SECUNDUS, PROPHETARUM.

PRÆFATIO HIERONYMI IN LIBRUM JOSUE BEN NUN [1].

Tandem finito Pentateucho Mosi, velut grandi fenore liberati, ad Jesum filium Nave manum mittimus, quem Hebræi JOSUE BEN NUN בן נון, id est, Josue filium Nun, vocant, et ad Judicium librum, B quem SOPHTIM שמטים appellant,ad RUTH רות quoque et ESTHER אסתר [2],quos iisdem nominibus efferunt. Monemusque lectorem, ut silvam Hebraicorum nominum [3], et distinctiones per membra divisas dili-

[1] Plures mss. legunt, *Præfatio S. Hieronymi in librum Josue et Judicum.* Et revera nullus exstat peculiaris Hieronymi prologus in librum *Judicum*: horum itaque duorum librorum communis censenda est ista Præfatio. MART.

— Addunt nonnulli mss. *et Judicum*, ut et Martianæus in suis reperit. Sed et Ruth, qui parvus libellus olim in Hebræo canone quasi appendix libri Judicum sub ejus unica notatione nominis censebatur, Præfatio hæc una comprehendit.

[2] Hic autem liber in nulla quod sciam recensione hic habetur loci aut in prophetarum ordine. Quin ipse idem Hieronymus eum ponit in Hagiographis tum in hac ipsa Scripturæ interpretatione ex Hebræo, cum in Prologo Galeato, ubi singulos juxta C suam quemque classem enumerat.

[3] Intellige cola versuum et commata, uti liquet ex præfatione in librum Paralipomenon, in qua profitetur Hieronymus versionis ex Hebræo curam in se suscepisse : *Ut inextricabiles moras, et silvam nominum, quæ scriptorum confusa erant vitio, sensuumque barbariem, apertius et per versuum cola digereret.* Hic in Hugonem Cardinalem propter multas ejus allucinationes acerbe invehitur Erasmus Hieronymi scholiastes ; sed acerbius adhuc Marianus in reprehensorem Erasmum, quia nec ipse sensum Hieronymi assecutus est supra, cum de libris Ruth et Esther loqueretur. MART.

— Urbinas ms. jacentem virgulam hic interponit ad hunc modum, *divisas diligens scriptor*, etc., quæ porro sit isthæc versuum distinctio, cum alibi diximus, tum ex inferius proponendo exemplo liquet.

gans scriptor conservet, ne et noster labor et illius studium pereat. Et ut in primis, quod sæpe testatus sum, sciat me non in reprehensionem veterum nova cudere, sicut amici mei criminantur [1]: sed pro virili parte afferre linguæ meæ [2] hominibus (quos tamen nostra delectant), ut pro Græcorum ἑξαπλοῖς, quæ et sumptu et labore maximo indigent, editionem nostram habeant. Et sicubi in antiquorum voluminum lectione dubitarint, hæc illis conferentes, inveniant quod requirunt : maxime cum apud Latinos tot sint exemplaria, quot codices ; et unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit quod ei visum est : utique non possit verum esse quod dissonat. Unde cesset arcuato vulnere contra nos insurgere scorpius, et sanctum opus venenata carpere lingua desistat, vel suscipiens, si placet, vel contemnens, si displicet : memineritque illorum versuum (*Psal.* XLIX, 19 *seq.*) :

Os tuum abundavit nequitia,
et lingua tua concinnabat dolos.
Sedens adversus fratrem tuum loquebaris.
et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum :
hæc fecisti et tacui.
Existimasti, inique, quod ero tui similis :
arguam te, et statuam contra faciem tuam [3]

Quæ enim audientis vel legentis utilitas est, nos laborando sudare, et alios detrahendo laborare ? dolere Judæos quod calumniandi eis et irridendi Christianos sit ablata occasio, et Ecclesiæ homines id despicere, imo lacerare, unde adversarii torqueantur ? Quod si vetus eis tantum interpretatio placet, quæ et mihi non displicet, et nihil extra recipiendum putant : cur ea quæ sub asteriscis et obelis, vel addita sunt, vel amputata, legunt, et negligunt [4] ? Quare Danielem juxta Theodotionis translationem, Ecclesiæ susceperunt ? Cur Origenem mirantur, et Eusebium Pamphili, cunctas editiones similiter disserentes ? Aut quæ fuit stultitia, postquam vera dixerint, proferre quæ falsa sunt ? Unde autem in novo Testamento probare poterunt assumpta testimonia, quæ in libris veteribus non habentur ? Hæc dicimus, ne omnino calumniantibus tacere videamur. Cæterum post sanctæ Paulæ dormitionem, cujus vita virtutis exemplum est, et hos libros, quos Eustochio virgini Christi negare non potui, decrevimus, dum spiritus hos regit artus, Prophetarum explanationi incumbere, et omissum jamdiu opus, quodam postliminio repetere : præsertim cum et admirabilis sanctesque vir Pammachius hocidem litteris flagitet, et nos ad patriam festinantes, mortiferos Sirenarum cantus surda debeamus aure transire.

[1] Rufinum intelligit ac socios ejus, qui ad calumniam Hieronymi conspirabant. Id manifestum apparet e libro secundo *Apologiæ* S. Doctoris adversus Rufinum, ubi hæc ab eo scripta leguntur : « Ergo ille, qui epistolam sub nomine meo pœnitentiæ finxerat, quod male Hebræa volumina transtulissem, objicere dicitur me in Septuaginta codemnationem Scripturas sanctas interpretatum. « Et in fine ejusdem libri : *Pro me,* inquit, *respondere compulsus sum, exspectans tria amici volumina, et ad congeriem criminum ejus tota mente suspensus.* MART.

— Perspicum est Rufinum ejusque asseclas κατὰ ἀντίφρασιν ita appellari, quibus et alibi ait, in more positum arcuato scorpii morsu lædere.

[2] Bene monet hic Marianus. Hieronymum linguæ suæ homines. Latinos vocare, non Dalmatas, ut falso aliqui putant. MART.

— Latinis scilicet, quos passim hoc vocabulo compellat, et nemo non intelligit.

[3] Palatin. ms. hic interserit *illa.*

[4] Locum hunc nequaquam assecutus Valesius ita corrigi vult epistola ad Usserium de LXX interpretibus, *legunt nec negligunt.* At vero alius Hieronymi sensus est, qui id sibi unum vult, ut eos dicat, quæ sub asteriscis addita sunt, *legere,* quæ obelis sunt prænotata, *negligere.* Paulo post vitiose erat penes Martiam. *Danielis* pro *Danielem.*

TITULI LIBRI JOSUE.

I. Post mortem Mosi, Josue Dominus loquitur, et hortatur, ut surgens, Jordane tramsmisso, ad terram quam promiserat pergeret obtinendam. Tecum ero, ait, confortare et esto robustus. Volumen legis de corde tuo non recedat, et cætera. Ubi Josue præcepit populo in crastinum, ut, cibariis præparatis, Jordanem pergerent transituri. Duos absconditos viros exploratores ad Jericho dirigit civitatem, qui meretricis Rahab domum ingressi, atque a rege quæsiti absconditi sunt, pactoque inito per murum demissi montana conscendunt, ad Josue veniunt, et quæ sibi contigerant pandunt.

II. Motis castris, Josue venit ad Jordanem, populum triduo sanctificat Dominus, et Josue dicit : Hodie incipiam exaltare coram filiis Israel, dic Levitis, cum ingressi fuerint aquas Jordanis, ut stent : ac deinde descendentibus sacerdotibus in aquam supervenientes aquæ instar montium intumescente in una consistebant mole, inferiores vero desiccatæ sunt ; super siccam humum omnis populus pertransivit. Bis duodenos pro testimonio lapides de ejus medio apportarunt.

III. Castrametantur in Galgalis : Dominus ad Josue dicit ut lapideos faciat cultros, et causam secundæ circumcisionis ostendit. Ibi Pascha celebrant : comederunt de frugibus terræ promissionis azyma nova, et non est ultra eis datum manna. Ibi Josue, elevatis oculis, militiæ cœlestis gladium tenentem principem cernit, et audit : Solve calceamentem de pedibus tuis, et cætera. Et iterum : Tradidi Jericho et regem ejus in manu tua : sit omnis anathema. sic et sic clamabitis, et supradictæ sequitur interitus civitatis. Rahab educitur ac servatur. Filii Israel prævaricati sunt, id est, Achan filius Charmi. Ad Hai exercitum dirigit, qui terga

hostibus dedit ipse, scissis vestibus, Dominum deprecatur, et Dominus dicit quod peccaverit populus. Inquisitus qui hoc fecerit, deprehensus et a populo lapidatus.

IV. Præcepit Dominus, ut ad supradictam pergeret civitatem, atque, clypeo, elevato, sciret sibi eam fuisse contraditam : qui pergens cepit, occidit, delevit : jumenta autem et prædam civitatis populus invicem sibi distribuit, et ædificato altari sacrificium obtulit. Deuteronomium scripsit, verba benedictionis et maledictionis omni populo legit. Ubi reges Chanaan turbantur, Gabaonitæ legatos callide mittunt, fœdus ineunt, et in servitium deputantur.

V. Ubi quinque reges Amorrhæorum congregantur adversus Israel, et Josue eos persequitur, et dicit : Stet sol in Gabaon, et cætera, cæsoque exercitu, quinque reges in speluncam fugiunt, atque apprehensi occiduntur : eadem die percutit Mageda et Lemna, deinde Lachis et Gaser, omnesque montanas et plano positas civitates, Domino tradente, possedit.

XI. Ubi Enacim interfectos reges enumerat singulos, id est, triginta unum, quibus exstinctis provincias eorum possedit,

VII. Dixit Dominus ad Josue : Senuisti et longævus es, divide terram filiis Israel, atque sedens cum Eleazaro sacerdote universam terram dividit. Chaleb ad eum loquitur ut Cariath-Sepher civitatem ei sorte contraderet, sicut jusserat Dominus. Et sequitur quæ sors unicuique tribui sit tradita.

VIII. In Silo fixerunt tabernanulum testimonii, et inde ad reliquam, quæ necdum subjecta fuerat, terram dirigit inspectores.

IX. Præcepit Dominus Josue, ut urbes in præsidia fugitivorum separentur, sicut locutus est ad Mosen, et legem dat, qui illarum civitatum debeat intrare præsidia. Levitis et sacerdotibus civitates et suburbana distribuuntur.

X. Josue vocavit Rubenitas, et Gaditas, et mediam partem tribus Manasse, et dixit eis : Implestis imperium Domini, ite in tabernacula vestra : et pergentes ad tumulos Jordanis ædificaverunt altare infinitæ magnitudinis, quod Josue et Israel putaverunt esse sacrilegum, et nutios dirigunt, qui ratione accepta leniti sunt.

XI Josue vocavit omnem Israelem, et admonet ut serviant Domino. Enumerat seriem generationis antiquæ, et quomodo de Ægypto sint liberati : quomodo Amorrhæi, Chananæi et cæteri sint traditi in manus eorum. Josue lapidem posuit in testimonium, post hæc mortuus est ac sepultus in Thamnathsare. Ossa Joseph sepeliuntur in Sichem et Eleazar sacerdos mortuus est.

BREVES LIBRI JOSUE [1].

I. Promittit Deus Josue dicens : Sicut fuit cum Moyse, ero et tecum.

II. Præparare cibaria jubetur populo, ut transeat Jordanem.

III. Destinantur exploratores a Josue in Jericho.

IV. Promittit Dominus Josue dicens : Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel, ut sciant quia sicut fui cum Moyse, ita et tecum sum.

V. Jubente Domino, siccatur alveus Jordanis transeunte Israel.

VI. Duodecim lapides electi de Jordanis alveo ob commemorationem futuri temporis.

VII. Introeum Israel terram Chanaam, territi sunt cuncti reges.

VIII. Hæc autem causa est secundæ circumcisionis.

IX. Hucusque comederunt manna.

X. Ostendit se angelus Domini Josue, qui dixit : Princeps exercitus Domini sum.

XI. De obsidione vel subversione urbis Jericho.

XII. Imprecatio Josue.

XIII, Prævaricatio Josue populi.

XIV. Confortat Dominus Josue ad præliandum.

XV. Perturbatio regnum.

XVI. Simulatio Gabaonitarum.

XVII. Conglobati quinque reges contra Josue ascenderunt. Tunc imperavit soli, et stetit spatio diei unius.

XVIII. Juvante Domino, exstincti sunt reges cum exercitu suo.

XIX. Ruben, Gad et dimidia tribus Manasse terram sibi dari postulant a Moyse.

XX. Hi sunt reges terræ quos percussit Josue et filii Israel.

XXI. Dividere terras populis hostatur Dominus Josue.

XXII. Promissum repetit Chaleb montem, in quo Hebron : hic legis Adam situm.

XXIII. Sors Judæ.

XXIV. Sors filiorum Joseph, Ephraim, et Manasse,

XXV. Filii Joseph petunt sibi augmentari funiculum a Josue, quibus ait : Ascendite in montem, et succidite silvam, et mundate vobis ad habitandum spatia.

XXVI. Congregatique sunt omnes filii Israel in Silo.

[1] In codice, Palatin, *capitula* nuncupantur.

XXVII. Destinantur viri ad describendam terram, reversique descriptionem tradunt Josue, qui misit sortes coram Domino in Silo, divisitque terram filiis Israel in septem partes.
XXVIII. Urbes fugitivorum.
XXIX. Urbes Levitarum.
XXX. Post bellorum turbines data est requies a Domino.
XXXI. Inconsulta re factum a tribu Ruben altare immensæ magnitudinis.
XXXII. Replicat a principio Josue cuncta Israeli cum testatione, ne discedant a præceptis Domini, appropinquante die obitus sui.
XXXIII. Unde natus sit Abraham, vel ubi perductus. Item congregatis cum pacto obtestationis, alloquitur eos Josue.

CAPITULA LIBRI JESU NAVE.

I. Transite per media castra.
II. Exploratores missi de Settim.
III. Exploratores Rahab testatur.
IV. Hic populo dicit : Purificate.
V. Ubi Dominus dicit ad Jesum : Incipiam te exaltare.
VI. Jordanis siccatus.
VII. Parate duodecim viros ad lapides tollendos.
VIII. Lapides sublati.
IX. De instructione filiorum.
X. Jesus exaltatus.
XI. Sacerdotes de Jordane excesserunt.
XII. Item filii instruendi.
XIII. Gentium reges territi.
XIV. De cultellis petrinis.
XV. Circumcisio.
XVI. Maledictum ablatum.
XVII. Pascha.
XVIII. Manna deficit.
XIX. Angelus visus.
XX. Jericho circumdari jubetur.
XXI. Jesus dicit populo : Nec clamaveritis.
XXII. De anathemate.
XXIII. Muri Jericho ceciderunt.
XXIV. De Rahab servanda.
XXV. Maledictus qui ædificaverit civitatem Jericho.
XXVI. De anathemate, qui concupivit.
XXVII. Populus fugatus.
XXVIII. Peccavit plebs.
XXIX. Jesus de anathemate scrutatur.
XXX. Achar de anathemate confusus.
XXXI. Prima pugna Jesus, Ahi civitatem per insidiam capit.
XXXII. Gentes adversum Jesum collectæ.
XXXIII. Jesus altare ædificat, et ibi Deuteronomium scribit.
XXXIV. Jesus legem benedictionum et maledictionum omni populo legit.
XXXV. Gabaonitæ audientes famam Josue.
XXXVI. Ubi acceperunt Gabaonitæ pacem, et Deum non invocaverunt.
XXXVII. Gabaonitæ ligni cæsores facti.
XXXVIII. Rex Jerusalem adversus Gabaonitas cum aliis regibus pugnat.
XXXIX. Gabaonitæ auxilium petunt a Jesu.
XL. Lapidibus cœli reges gentium interfecti.
XLI. Sol stat in Gabaon, et luna in valle Aialon.
XLII. Reges in spelunca.
XLIII. Reges de spelunca producti atque interfecti.
XLIV. Sedes super cervices regum.
XLV. Regiones quas accepit Jesus cum suis regibus, Macedam et omnes habitatores ejus.
XLVI. De Lebna in Lachis.
XLVII. Hiram auxiliator Lachis.
XLVIII. Eglon expugnatur.
XLIX. Hebron capta.
L. Dabiram cepit atque vastavit.
LI. Terram montuosam percussit.
LII. Jabin congregat omnes reges adversus Jesum.
LIII. Equi gentium subnervati.
LIV. Civitates muratas non succendit.
LV. Dominus dedit in his agendum, ut bellarent, nec haberent misericordiam.
LVI. Enacim exterminati.
LVII. Nomina regum interfectorum a Moyse.
LVIII. Reges quos Jesus interfecit.
LIX. Terra expugnata, et in hæreditatem divisa.
LX. Divisio terræ quam Moyses duabus et dimidiæ tribui Manasse trans Jordanem divisit.
LXI. Sors tribus Ruben.
LXII. Sors filiorum Gad.
LXIII. Sors dimidiæ tribus Manasse.
LXIV. Hic Eleazar et principes terram novem tribubus partiuntur.
LXV. Chaleb ad Jesum.
LXVI. Nomen Hebron quæ prius vocabatur Cariatharbe.
LXVII. Sors tribus Judæ.
LXVIII. Chaleb pars inter filios Judæ.
LXIX. Chaleb propter civitatem litterarum, Axam filiam suam dedit Othoniel.
LXX. Filia Chaleb partem agri a patre postulat.
LXXI. Nomina civitatum Juda.
LXXII. Nomina civitatum quæ sunt in campestribus.
LXXIII. Jebusæum Juda expugnare non potuit.
LXXIV. Sors filiorum Joseph.
LXXV. Termini Ephraim.
LXXVI. Quem Ephraim non expugnavit.
LXXVII. Sors filiorum Manasse.

LXXVIII. Filiæ Salphaad.
LXXIX. Terminus filiorum Manasse.
LXXX. Quem Manasse expugnare non potuit.
LXXXI. Congregatio filiorum Israel in Silo.
LXXXII. Jesus septem tribubus semel terram partitur, et mittit viros ad terminandum.
LXXXIII. Sortes missæ in Silo, sors prima tribus Benjamin.
LXXXIV. Nomina civitatum Benjamin.
LXXXV. Sors secunda filiorum Simeon.
LXXXVI. Sors tertia filiorum Zabulon.
LXXXVII. Sors quarta filiorum Issachar.
LXXXVIII. Sors quinta filiorum Aser.
LXXXIX. Sors sexta filiorum Nephthali.
XC. Sors septima filiorum Dan.
XCI. Filii Dan pugnaverunt contra Lesem, et ceperunt eam.
XCII. Civitas quam filii Israel Jesu dederunt.
XCIII. Præceptum civitatum refugii.
XCIV. Nomina civitatum refugii.
XCV. Filii Levi propter civitates interpellaverunt et acceperunt.
XCVI. Sors populi Caath.
XCVII. Sors filiorum Gerson.
XCVIII. Sors filiorum Merari.
XCIX. Hebron civitas refugii filiis Aaron data.
C. Civitas refugii filiorum Gerson.
CI. Civitas refugii filiorum Merari.
CII. Dominus sicut promisit, implevit.
CIII. Ruben et Gad Jesus reverti jubet in terram suam.
CIV. De ara quam duæ tribus et dimidia ædificaverunt.
CV. Jesus populum novissime contestatur.
CVI. Jesus dicit : Ecce ego decurro viam.
CVII. De crabronibus quos misit Dominus.
CVIII. Liberum arbitrium.
CIX. Non potestis Domino servire, quia Deus sanctus est.
CX. De lapide testamenti.

INCIPIT

LIBER JOSUE BEN NUN.

[T. I, B. I, *Cap.* I.] Et factum est post mortem Mosi, servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Mosi, et diceret ei : Moses servus meus mortuus est : surge, et transi Jordanem istum, tu, et omnis populus tecum in terram, quam ego dabo filiis Israel. Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Mosi. A deserto et Libano usque ad flumen magnum Euphratem, omnis terra Hetthæorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester. Nullus poterit vobis [h. tibi] resistere cunctis diebus vitæ tuæ : sicut fui cum Mose [*Vulg. addit* ita], ero et tecum : non dimittam, nec derelinquam te. Confortare, et esto robustus : tu enim sorte dividis populo huic terram, pro qua juravi patribus tuis [h. eorum], ut traderem eam illis. Confortare igitur, et esto robustus valde, ut custodias et facias omnem legem quæ præcepit tibi Moses servus meus : ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen legis hujus de ore tuo : sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo : tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. Ecce præcipio tibi, confortare et esto robustus. Noli metuere, et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcunque perrexeris. [B. II, C. I.] Præcepitque Josue principibus populi, dicens : Transite per medium castrorum, et imperate populo, ac dicite : Præparate vobis cibaria : quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis. Rubenitis quoque et Gadditis et dimidiæ tribui Manasse ait : Mementote sermonis, quem præcepit vobis Moses famulus Domini, dicens : Dominus Deus vester dedit vobis requiem et omnem terram [h. et terram istam]. Uxores vestræ, et filli, ac jumenta manebunt in terra, quam dedit vobis Moses trans Jordanem : vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu[1], et pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut et vobis dedit : et possideant ipsi quoque terram, quam Dominus Deus vester daturus est eis, et sic revertemini in terram possessionis vestræ, et habitabitis in ea, quam vobis dedit Moses famulus Domini trans Jordanem contra solis ortum. Responderuntque ad Josue, atque dixerunt : Omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus, et quocunque miseris, ibimus. Sicut obedivimus in cunctis Mosi, ita obediemus et tibi : tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Mose. Qui contra-

[1] LXX legunt in singulari, *omnis fortis manu* : quod Canon Hebr. verit., ms. Bibliorum codex Regius, et unus Corbeiensis imitantur : etsi in mss. *omnis*, et *fortis* facile scribi potuit pro *omnes*, et *fortes* ; quia veteres *i* pro *e* scribebant sæpius. MART.

dixerit ori tuo, et non obedierit cunctis sermonibus tuis [*Vulg. tacet* tuis] quos præceperis ei, moriatur. Tu tantum confortare et viriliter age.

[B. III, C. II, *Cap.* II.] Misit ergo Josue filius Nun de Settim duos viros exploratores abscondite, et dixit eis : Ite, et considerate terram, urbemque Jericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, et quieverunt apud eam. Nuntiatumque est regi Jericho, et dictum : Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israel, ut explorarent terram. Misitque rex Jericho ad Rahab, dicens : Educ viros, qui venerunt ad te, et ingressi sunt domum tuam ; exploratores quippe sunt, et omnem terram [h. explorare enim venerunt omnem terram] considerare venerunt. Tollensque mulier viros, abscondit, et ait : Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent ; cumque porta clauderetur in tenebris, et illi parierexierunt, nescio quo abierint, persequimini cito,et comprehendetis eos. Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ h. non habet, domus suæ], operuitque eos lini stipula, quæ ibi erat. Ii autem qui missi fuerant, secuti sunt eos per viam quæ ducit ad vadum Jordanis : illisque egressis statim porta clausa est. Necdum obdormierant qui latebant, et ecce mulier ascendit ad illos, et ait [h. ad illos in solarium et ait] : Novi quod Dominus tradiderit vobis terram : etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terræ [h. a facie vestra]. Audivimus quod siccaverit Dominus aquas maris Rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto, et quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Jordanem, Seon et Og, quos interfecistis. Et hæc audientes *pertimuimus, et* [h. non habet] elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum. Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in cœlo sursum, et in terra deorsum. [C. III. Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego feci vobiscum misericordiam, ita et vos faciatis cum domo patris mei : detisque mihi signum verum, ut salvetis [h. et vivificetis, etc., et est sensus, Recipite eos in cultum fidei vestræ] patrem meum et matrem meam, fratres ac sorores meas, et omnia quæ eorum sunt,et eruatis animas nostras de morte. Qui responderunt et : Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos. Cumque tradiderit nobis Dominus terram,faciemus in te misericordiam et veritatem. Demisit ergo eos per funem de fenestra : domus enim ejus hærebat muro. Dixitque ad eos : Ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes [h. persequentes] : ibique latete tribus diebus, donec redeant, et sic ibitis per viam vestram. Qui dixerunt ad eam. Innoxii erimus a juramento hoc, quo adjurasti nos, si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestra, per quam nos demisisti : patrem tuum ac matrem, fratresque et omnem cognationem tuam, congregaveris in domum tuam. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus,et nos erimus [1] innoxii. Cunctorum autem sanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit.Quod si nos prodere volueris, et sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento, quo adjurasti nos. Et illa respondit : Sicut locuti estis, ita fiat. Dimittensque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra. Illi vero ambulantes pervenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant persecuti : quærentes enim per [*Vulg. add.* omnem] viam, non repererunt eos. *Quibus urbem ingressis* [h. non habet hoc], reversi sunt et descenderunt exploratores de monte, et, Jordane transmisso, venerunt ad Josue filium Nun, narraveruntque ei omnia quæ acciderant sibi, atque dixerunt : Tradidit Dominus in manus nostras omnem terram hanc, et timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus [h. ante faciem nostram].

[T. II, *Cap.* III.] Igitur Josue de nocte consurgens movit castra, egredientesque de Settim, venerunt ad Jordanem ipse et omnes filii Israel,et morati sunt ibi tres dies. Quibus evolutis transierunt præcones per castrorum medium, et clamare cœperunt : Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, et sacerdotes stirpis Leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite [h. de locis vestris], et sequimini præcedentes : sitque inter vos et arcam spatium cubitorum duum millium, ut procul videre possitis, et nosse per quam viam ingrediamini, quia prius non ambulastis per eam : et cavete ne appropinquetis ad arcam [h, duum millium ad mensuram, et cavete ne appropinquetis ad arcam, ut cognoscatis viam per quam ingrediamini, quia non ambulastis per eam ab heri et nudius tertius]. [C. IV.] Dixitque Josue ad populum : Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. Et ait ad sacerdotes : Tollite arcam fœderis, et præcedite populum. Qui jussa complentes, tulerunt et ambulaverunt ante eos.[B. IV, C. V.] Dixitque Dominus ad Josue : Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel : ut sciant, quod sicut cum Mose fui, ita et tecum sim. Tu autem præcipe sacerdotibus,qui portant arcam fœderis, et dic eis. Cum ingressi fueritis partem aquæ

[1] Ita solus Canon Hebr. verit. juxta id quod supra scriptum est v. 17. Alii cum manuscripti, tum editi libri legunt, *et nos erimus alieni* : quorum verborum sensus non videtur satis expeditus ad intelligentiam popularem. Advertat lector versuum numeros hic et alibi in adnotationibus nostris esse citatos, prout divisi reperiuntur in Vulgata Latina, quamvis numericæ versiculorum notæ minime appareant in textu nostro propter rationem in Prolegomenis allatam. Videsis quæ ibi dicuntur. MART.

— Cum Urbinate ms. plerique alii cum editi libri, tum mss., *alieni* legunt pro *innoxii*. Palatin., illa expuncta voce,hanc posteriori manu substituit.

Jordanis, state in ea. Dixitque Josue ad filios Israel ! Accedite huc, et audite verba Domini Dei vestri. Et rursum : In hoc, inquit, scietis quod [h.] Deus vivens in medio vestri est, et disperdet in conspectu vestro Chananæum, et Hetthæum, et Evæum, et Pherezæum, Gergesæum quoque et Amorrhæum, et Jebusæum. Ecce, arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem. Parate duodecim viros de tribubus Israel, singulos per singulas tribus. [C. VI.] Et cum posuerint vestigia pedum suorum, sacerdotes qui portant arcam [h.] fœderis [2] Domini Dei universæ terræ, in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient : quæ autem desuper veniunt, in una mole consistent. [B. V.] Igitur egressus est populus de tabernaculis suis [*Vulg. tac.* suis], ut transirent Jordanem : et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. Ingressisque eis Jordanem, et pedibus eorum tinctis in parte aquæ (Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat), steterunt aquæ descendentes in uno loco, et ad instar montis intumescentes apparebant procul, ab urbe quæ vocatur Adom usque ad locum Sarthan : quæ autem inferiores erant, in mare Solitudinis (quod nunc vocatur Mortuum), descenderunt, usquequo omnino deficerent. Populus autem incedebat contra Jericho : et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti, omnisque populus per arentem alveum transibat.

[B. VI, C. VII, *Cap.* IV.] Quibus transgressis, dixit Dominus ad Josue : Elige duodecim viros singulos per singulas tribus : et præcipe eis, ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotum pedes, duodecim durissimos [h. non habet, durissimos] lapides, quos ponetis in loco castrorum ubi fixeritis hac nocte tentoria. [C. VIII.] Vocavitque Josue duodecim viros, quos elegerat de filiis Israel, singulos de tribubus singulis, et ait ad eos : Ite ante arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, et portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israel, ut sit signum inter vos. [C. IX.] Et quando interrogaverint vos filii vestri cras dicentes : Quid sibi volunt isti lapides? respondebitis eis : Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini, cum transiret eum : idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel usque in æternum. Fecerunt ergo filii Israel sicut eis præcepit Josue, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut ei Dominus imperarat, juxta numerum filiorum Israel, usque ad locum, in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos. Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes, qui portabant arcam fœderis : et sunt ibi usque in præsentem diem. Sacerdotes autem, qui portabant arcam, stabant in Jordanis medio, donec omnia complerentur, quæ Josue, ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus, et dixerat ei Moses. Festinavitque populus et transiit. Cumque transissent omnes, transivit et arca Domini, sacerdotesque pergebant ante populum. Filii quoque Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse, armati præcedebant fratres suos filios Israel, sicut eis præceperat Moses [h. præcedebant filios Israel, sicut *locutus est ad eos Moses*. Quadraginta millia pugnatorum incedebant coram Domino]. [C. X.] Et quadraginta pugnatorum millia per turmas et cuneos incedebant per plana atque campestria urbis Jericho. In die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israel, ut timerent eum, sicut timuerant Mosen, dum adviveret. [C. XI.] Dixitque ad eum : Præcipe sacerdotibus, qui portabant arcam fœderis [h. Testamenti], ut ascendant de Jordane. Qui præcepit eis, dicens : Ascendite de Jordane. Cumque ascendissent portantes arcam fœderis Domini, et siccam humum calcare cœpissent, reversæ sunt aquæ in alveum suum, et fluebant sicut ante consueverant. Populus autem ascendit de Jordane, decima die primi mensis, et castrametati sunt in Galgalis contra orientalem plagam urbis Jericho. Duodecim quoque lapides, quos de Jordanis alveo sumpserant, posuit Josue in Galgalis, et dixit ad filios Israel : [C. XII.] Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, et dixerint eis : Quid sibi volunt isti lapides? docebitis eos, atque dicetis : Per arentem alveum transivit Israel Jordanem istum, siccante Domino Deo vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis : sicut fecerat prius in mari Rubro, quod siccavit donec transiremus : ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, et ut vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore.

(B. VII, C. XIII, *Cap.* V.) Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam, et cuncti reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Jordanis coram filiis Israel donec transirent, dissolutum est cor eorum, et non remansit in eis spiritus timentium introitum filiorum Israel. (T, III, B. VIII, C. XIV.) Eo tempore ait Dominus ad Josue : Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel. (C. XV.) Fecit quod jusserat Dominus, et

[2] Septuaginta, Canon et interpres Arabs habent verbum *fœderis* : quod tamen abest in Hebræo hodierno et in Samaritano. MART.

— Nulli e nostris mss. vocem *fœderis* hic habent, quam nec Hebræus ipse textus agnoscit. Palatin. præterea *portabunt* in futuro legit pro *portant*.

[3] Hanc lectionem mutare noluimus, etsi mss. codices undecim legant omnes *contra Jordanem* ; in Hebræis enim exemplaribus et in Græcis nomen *Jericho*, non *Jordanis* invenimus. Sensus quoque obscurior fieret in Scriptura, si Latinos codices sequeremur. MART.

— Refragantur mss. omnes cum nostri, tum quos Martian. consuluit, qui pari consensu habent *contra Jordanem* : quod tamen scribarum oscitantiæ tribuas.

circumcidit filios Israel in colle præputiorum. Hæc autem causa est secundæ circumcisionis : Omnis populus, qui egressus est ex Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus, qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto, per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit, donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, et quibus ante juraverat, ut non ostenderet eis terram [1] lacte et melle manantem. Horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt a Josue : quia sicut nati fuerant, in præputio erant [h. *quia præputiati erant*], nec eos in via aliquis circumciderat. Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur. [C. XVI.] Dixitque Dominus ad Josue : Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis. Vocatumque est nomen loci illius Galgala [h. Gilgal], usque in præsentem diem. [C. XVII.] Manseruntque filii Israel in Galgalis, et fecerunt phase, quartadecima die mensis ad vesperum, in campestribus Jericho : et comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, et polentam ejusdem anni. [B. IX, C. XVIII.] Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terræ, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan. [B. X, C. XIX.] Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, et evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait : Noster es, an adversariorum? Qui respondit : Nequaquam : sed eum princeps exercitus Domini, et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, et adorans ait : Quid dominus meus loquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, sanctus est. Fecitque Josue ut sibi fuerat imperatum.

[B. XI, *Cap.* VI.] Jericho autem clausa erat atque munita, timore filiorum Israel, et nullus egredi audebat aut ingredi : [C. XX.] Dixitque Dominus ad Josue : Ecce dedi in manu tua Jericho, et regem ejus, omnesque fortes viros. Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem : sic facietis sex diebus. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas [h. *Sic facietis sex* diebus, et septem sacerdotes tollent septem buccinas, quarum *usus est in jubilæo*, et præcedant arcam. *Et in* septima die septies circuibitis *civitatem*, et sacerdotes clangent], quarum usus est in jubilæo, et præcedant arcam fœderis : septiesque circuibitis civitatem, et sacerdotes clangent buccinis. Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, et in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint. Vocavit ergo Josue filius Nun sacerdotes, et dixit ad eos : Tollite arcam fœderis, et septem alii sacerdotes tollant septem jubilæorum buccinas, et incedant ante arcam Domini. Ad populum quoque ait : Ite, et circumite civitatem, armati præcedentes arcam Domini. Cumque Josue verba finisset, et septem sacerdotes septem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini, omnisque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam sequebatur, ac buccinis omnia concrepabant [C. XXI.] Præceperat autem Josue populo, dicens: Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur, donec veniat dies in quo dicam vobis : Clamate et vociferamini. Circumvit ergo arca Domini civitatem semel per diem, et reversa in castra, mansit ibi. Igitur Josue de nocte consurgente, tulerunt sacerdotes arcam Domini, et septem ex eis septem buccinas, quarum in jubilæis [*Vulg.* jubilæo] usus est: præcedebantque arcam Domini ambulantes atque clangentes : et armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum sequebatur arcam, et buccinis personabat. Circumieruntque civitatem secundo die semel, et reversi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus. Die autem septimo, diluculo consurgentes, circumierunt urbem, sicut dispositum erat, septies. Cumque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Josue ad omnem [h. ad populum] Israel : Vociferamini : tradidit enim vobis Dominus civitatem. [C. XXII.] Sitque civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt, Domino. Sola Rahab meretrix vivat cum universis qui cum ea in domo sunt : abscondit enim nuntios quos direximus. Vos autem cavete, ne de his, quæ præcepta sunt, quidpiam contingatis, et sitis prævaricationis rei, et omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur. Quidquid autem auri et argenti fuerit, et vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus. [C. XXIII]. Igitur vociferante omni populo, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt : et ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat, ceperuntque civitatem, et interfecerunt omnia quæ erant in ea, a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque et oves et asinos

[1] Quædam hinc exciderunt sacri textus verba. Latinorum, ut arbitror, scribarum solemni lapsu ob ejusdem vocis *terram* recursum. Ad hunc nempe modum S. Pater fuerit interpretatus, *ostenderet eis terram, quam juraverat Dominus patribus eorum dare, terram*, etc. Latinus autem antiquarius, ut diximus, quæ post *terram*, priore loco sunt verba, recurrente oculo ad eam vocem, ubi secundo habetur, temere prætermisit. Nam et Hebræum exemplar repetit, את-הארץ אשר נשבע יהוה לאבתם לתת לנו ארץ et Græcum pari consensu, τὴν γῆν ἣν ὤμοσε Κύριος τοῖς πατράσιν αὐτῶν δοῦναι, γῆν ῥέουσαν, etc. Erat hoc certe pretium operæ animadvertisse.

in ore gladii percusserunt. [C. XXIV.] Duobus autem viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Josue : Ingredimini domum mulieris meretricis, et producite eam, et omnia quæ illius sunt, sicut illi juramento firmastis. Ingressique juvenes, eduxerunt Rahab, et parentes ejus, fratres quoque, et cunctam supellectilem ac cognationem illius, et extra castra Israel manere fecerunt. Urbem autem, et omnia quæ in ea erant, succenderunt, absque auro et argento, et vasis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini consecrarunt. Rahab vero meretricem, et domum patris ejus, atque omnia quæ habebat, fecit Josue vivere, et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem : eo quod absconderit nuntios, quos miserat ut explorarent Jericho. [B. XII, C. XXV.] In tempore illo imprecatus est Josue, dicens. Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho! In primogenito suo fundamenta illius jaciat; et in novissimo liberorum ponat portas ejus. Fuit ergo Dominus cum Josue, et nomen ejus in omni terra vulgatum est.

[B. XIII, C. XXVI, *Cap.* VII.] Filii autem Israel prævaricati sunt mandatum, et usurpaverunt de anathemate. Nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda, tulit aliquid de anathemate : iratusque est Dominus contra filios Israel. Cumque mitteret Josue de Jericho viros contra Ai, quæ est juxta Beth-Aven, ad orientalem plagam oppidi Beth-El, dixit eis : Ascendite, et explorate terram. Qui præcepta complentes exploraverunt Ai. Et reversi dixerunt ei : Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant, et deleant civitatem : quare omnis populus frustra vexatur [*Vulg.* vexabitur] contra hostes paucissimos? [C. XXVII.] Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum [h. virorum]. Qui statim terga vertentes, percussi sunt a viris urbis Ai, et corruerunt ex eis triginta et sex homines : persecutique sunt eos adversarii de porta usque Sabarim, et cecideruntper prona fugientes : pertimuitque cor populi, et instar aquæ liquefactum est. Josue vero scidit vestimenta sua, et cecedit pronus in terram coram arca Domini usque ad vesperum, tam ipse quam omnes senes Israel : miseruntque pulverem super capita sua, et dixit Josue : Heu, Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium [h. non habet fluvium], ut traderes nos in manus Amorrhæi, et perderes? utinam ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem. Mi Domine *Deus* [h. non habet], quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem? Audient Chananæ et omnes habitatores terræ, ac pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra : et quid facies magno nomini tuo? [C. XXVIII.] Dixitque Dominus ad Josue : Surge, cur jaces pronus in terra? Peccavit Israel, et prævaricatus est pactum meum, tuleruntque de anathemate, et furati sunt atque mentiti, et absconderunt inter vasa sua. Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet : quia pollutus est anathemate [h. factus est anathema]. Non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est. Surge, sanctifica populum, et dices eis : Sanctificamini in crastinum; hæc enim dicit Dominus Deus Israel; Anathema in medio tui est, Israel; non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere. Accedetisque mane singulis per tribus vestras : et quamcunque tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, et cognatio per domos, domusque per viros. Et quicunque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua : quoniam prævaricatus est pactum Domini, et fecit nefas in Israel. [C. XXIX.] Surgens itaque Josue mane, applicavit Israel per tribus suas, et inventa est tribus Juda. Quæ cum juxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zarai. Illam quoque per viros offerens [1], reperit Zabdi : cujus domum in singulos dividens viros, invenit Achan [2] filium Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda. Et ait ad Achan : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confiteare, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. [C. XXX.] Responditque Achan Josue, et dixit ei : Vere ego peccavi Domino Deo Israel, et sic feci. Vidi enim inter spolia coccineum valde bonum [h. pallium de Senaar unum bonum], et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum : et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui. Misit ergo Josue ministros : qui currentes ad tabernaculum illius repererunt cuncta abscondita in eodem loco, et argentum simul. Auferentesque de tentorio tulerunt ea ad Josue et ad omnes filios Israel, projeceruntque ante Dominum. Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque et pallium, et auream regulam, filiosque ejus, et filias, boves et asinos, et oves, ipsumque tabernaculum, et cunctam suppellectilem [et omnis Israel cum eo]; duxerunt eos ad vallem Achor [2]; ubi dixit Josue : Quia [*Vulg.* qui turbasti nos, exturbet te Dominus in

[1] Vulgati, *per domos*, dissentiente Hebræo לגברים.

[2] Nomen istud in Græcis ac Latinis quibusdam exemplaribus mutatum est in *Achar et Achor*. Manuscriptus tamen Alexandrinus optime legit cum Hebræo, *Achan*; quod ita legendum docet etiam Hieronymus lib. *de Locis Hebraicis* : « Emec Achor, inquit, quod interpretatur *vallis Achor*, id est, *tumultus* atque *turbarum*, ubi Achan lapidibus oppressus est. . . . . est locus juxta Jericho, haud procul a Galgalis. Male ergo quidam putant vallem Achor a nomine ejus qui lapidatus est, nuncupatam : cum ille Achan dictus sit, et non Achor, sive Achar. MART.

— Palat. ms., *Achar*. Urbinas *Achor* legit. Recole, si lubet, S. interpretem, libro *de Locis Hebraicis*, ad vocem *Emac Achor*, et quæ nos ad eum locum observamus.

die hac. Lapidavitque eum omnis Israel : et cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt. Congregaverunt quoque super eum acervum magnum lapidum, qui permanet usque in præsentem diem. Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius, Vallis Achor, usque hodie.

(T. IV, B. XIV, C. XXXI, *Cap.* VIII). Dixit autem Dominus ad Josue : Ne timeas, neque formides ; tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, et consurgens ascende in oppidum Ai. Ecce tradidi in manu tua regem ejus, et populum urbemque et terram. Faciesque urbi Ai et regi ejus, sicut fecisti Jericho et regi illius : prædam vero et omnia animantia diripietis vobis ; pone insidias urbi post eam. Surrexitque Josue, et omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Ai : et electa triginta millia virorum fortium misit nocte, præcepitque eis, dicens : Ponite insidias post civitatem, nec longius recedatis, et eritis omnes parati. Ego autem, et reliqua multitudo quæ mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cumque exierint contra nos, sicut ante fecimus (h. *non habet* fecimus), fugiemus et terga vertemus : donec persequentes ab urbe longius protrahantur (*Vulg.* protrahamur) ; putabunt enim fugere nos sicut prius. Nobis ergo fugientibus, et illis sequentibus, consurgetis in insidiis, et vastabitis civitatem : tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras. Cumque ceperitis urbem (*Vulg. tacet* urbem), succendite eam, et sic omnia facietis, ut jussi (h. juxta verbum Domini facite. Videte quia ego præcipio vobis). Dimisitque eos et perrexerunt ad insidiarum locum, sederuntque inter Beth-El et Ai, ad occidentalem plagam urbis Ai : Josue autem in nocte illa in medio mansit populi, surgensque diluculo recensuit socios, et ascendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum. Cumque venissent et ascendissent ex adverso civitatis, steterunt ad septentrionalem urbis plagam, inter quam et eos vallis media erat. Quinque millia autem viros elegerat, et posuerat in insidiis inter Beth-El et Ai, ex occidentali parte ejusdem civitatis : omnis vero reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi multitudinis (*Vulg. addit* illius) occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Josue nocte illa, et stetit in vallis medio (C. XXXII). Quod cum vidisset rex Ai, festinavit mane, et egressus est cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra desertum, ignorans quod post tergum laterent insidiæ. Josue vero et omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, et fugientes per viam solitudinis. At illi vociferantes pariter, et se mutuo cohortantes, persecuti sunt eos. Cumque recessissent a civitate, et ne unus quidem in urbe Ai et Beth-El remansisset qui non persequeretur Israel (sicut eruperant aperta porta (*Vulg. tacce* porta) oppida relinquentes), dixit Dominus ad Josue : Leva clypeum qui in manu tua est, contra urbem Ai, quoniam tibi tradam eam. Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim : et pergentes ad civitatem, ceperunt et succenderunt eam. Viri autem civitatis, qui persequebantur Josue, respicientes et videntes fumum urbis ad cœlum usque conscendere, non potuerunt ultra huc illucque diffugere : præsertim cum hi qui simulaverant fugam, et tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissime restitissent. Vidensque Josue et omnis Israel quod capta esset civitas, et fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Ai. Siquidem et illi qui ceperant et succenderant civitatem, egressi ex urbe contra suos, medios hostium ferire cœperunt. Cumque ergo ex utraque parte adversarii cæderentur, ita ut nullus de tanta multitudine salvaretur, regem quoque urbis Ai apprehenderunt viventem, et obtulerunt Josue. Igitur omnibus interfectis, qui Israelem ad deserta tendentem fuerant persecuti, et in eodem loco gladio corruentibus reversi filii Israel percusserunt civitatem. Erant autem qui eo die considerant a viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Ai. Josue vero non contraxit manum quam in sublime porrexerat, tenens clypeum donec interficerentur omnes habitatores Ai. Jumenta autem et prædam civitatis diviserunt sibi filii Israel, sicut præceperat Dominus Josue. Qui succendit urbem, et fecit eam tumulum sempiternum : regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vesperam. Et solis occasu præcepit Josue, et deposuerunt cadaver ejus de cruce ; projeceruntque in ipso introitu civitatis, congesto super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in præsentem diem (XXXIII). Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israel in monte Hebal, sicut præceperat Moses famulus Domini filiis Israel, et scriptum est in volumine legis Mosi : Altare de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit ; et obtulit super, eo holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas. Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Mosi, quod ille digesserat coram filiis Israel. Omnis autem populus (h. et omnis Israel) et majores natu, ducesque ac judices stabant ex utraque parte areæ, in conspectu sacerdotum (h. sacerdotum Levitarum), qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena ita et indigena. Media pars eorum juxta montem Garizim, et media juxta montem Hebal sicut præceperat Moses famulus Domini. Et primum quidem benedixit populos Israel (C. XXXIV). Post hæc legit omnia verba benedictionis et maledictionis, *et cuncta* (h. non habet) quæ scripta erant in legis volumine. Nihil ex his quæ Moses jusserat, reliquit intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine Israel, mulieribus ac parvulis et advenis, qui inter eos morabantur.

(B. XV, *Cap.* IX). Quibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis et campestribus, in maritimis ac littore maris magni,

hi quoque qui habitabaut juxta Libanum, Hetthæus et Amorrhæus, et Chananæus, Pherezeæus, et Evæus, et Jebusæus, congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue et Israel uno animo, *eademque sententia* [h.non habet]. [B. XVI, C. XXXV.] At hi qui habitant in Gabaon, audientes cunctaquæ fecerat Josue Jericho et Ai : et callide cogitantes, tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, et utres vinarios scissos atque consutos, calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis : panes quoque quos portabant ob viaticum, duri erant, et in frusta comminuti : perrexeruntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgalæ, et dixerunt ei, atque omni simul Israeli : De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque viri Israel ad eos [h. ad Evæum], atque dixerunt : Ne forsan in terra, quæ nobis forte debetur, habitetis, et non possimus fœdus inire vobiscum. At illi ad Josue : Servi, inquiunt, tui sumus. Quibus Josue : Quinam, ait, estis vos ? et unde venistis ? Responderunt : De terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto, et duobus Amorrhæorum regibus, qui fuerunt trans Jordanem, Seon regi Esebon, et Og regi Basan, qui erant in Astaroth : dixeruntque nobis seniores, et omnes habitatores terræ nostræ : Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, et occurrite eis, ac dicite : Servi vestri sumus, fœdus inite nobiscum. En, panes quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc sicci facti sunt, et vetustate nimia comminuti. Utres vini novos implevimus, nunc rupti sunt et soluti. Vestes et calceamenta quibus induimur, et quæ habemus in pedibus, ob longitudinem largioris [*Vulg.* longioris] viæ trita sunt, et pene consumpta [C. XXXVI]. Susceperunt igitur de cibariis eorum, et os Domini non interrogaverunt. Fecitque Josue cum eis pacem, et inito fœdere pollicitus est quod non occiderentur : principes quoque multitudini juraverunt eis. Post dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, et inter eos futuri essent. Moveruntque castra filii Israel, et venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula sunt, Gabaon, et Caphira, et Beroth, et Cariath-Iarim. Et non percusserunt eos, eo quod jurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israel [h. in Domino Deo Israel]. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes. [C. XXXVII]. Qui responderunt eis : Juravimus illis in nomine Domini Dei Israel [h. in Domino Deo Israel], et idcirco non possumus eos contingere. Sed hoc faciemus eis. Reserventur quidem, ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus : sed sic vivant, ut in usus universæ multitudisin ligna cædant, aquasque comportent. Quibus hæc loquentibus, vocavit Gabaonitas Josue, et dixit eis : Cur nos decipere fraude voluistis [h. quare decepistis nos], ut diceretis : Procul valde habitamus a vobis, cum in medio nostri sitis ? Itaque sub maledictione eritis, et non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei. Qui responderunt : Nuntiatum est nobis [h. non habet nobis] servis tuis, quia promisisset Dominus Deus tuus Mosi servo suo, ut traderet vobis omnem terram, et disperderet cunctos habitatores ejus [h. a facie vestra]. Timuimus igitur valde, et providimus animabus nostris vestro terrore compulsi, et hoc consilium inivimus. Nunc autem in manu tua sumus : quod tibi bonum et rectum videtur, fac nobis. Fecit ergo Josue ut dixerat, et liberavit eos de manu filiorum Israel, ut non occiderentur. Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi, et altaris Domini, cædentes ligna, et aquas comportantes, usque in præsens tempus, in loco quem Dominus elegisset.

[B. XVII, C. XXXVIII, *Cap.* X]. Quæ cum audisset Adonisedec, rex Jerusalem, quod scilicet cepisset Josue Ai, et subvertisset eam (sicut enim fecerat Jericho et regi ejus, sic fecit Ai et regi illius), et quod transfugissent [h. pacem inissent] Gabaonitæ ad Israel, et essent fœderati eorum, timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, et una regalium civitatum, et major oppido Ai, omnesque bellatores ejus fortissimi. Misit ergo Adonisedec rex Jerusalem ad Oham regem Hebron, et ad Phiram regem Jarimuth, ad Japhie quoque regem Lachis, et ad Dabir regem Eglon, dicens : Ascendite ad me, et ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit (h. pacem inierit) ad Josue et ad filios Israel. [T.V.]. Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum, rex Jerusalem, rex Hebron, rex Jarimuth, rex Lachis, rex Eglon, simul cum exercitibus suis, et castrametati sunt circa Gabaon, oppugnantes eam. [C. XXXIX]. Habitatores autem Gabaon *urbis obsessæ* [h. non habet] miserunt ad Josue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, et dixerunt ei : Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum : ascende cito, et libera nos, ferque præsidium : convenerunt enim adversum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis. Ascenditque Josue de Galgalis, et omnis exercitus bellatorum cum eo, virique fortissimi. [B. XVIII]. Dixitque Dominus ad Josue : Ne timeas eos : in manus enim tuas tradidi illos : nullus tibi ex eis resistere poterit. Irruit itaque Josue super eos repente, tota nocte ascendens de Galgalis. Et conturbavit eos Dominus a facie Israel : contrivitque plaga magna in Gabaon, ac persecutus est [*Vulg. addit* eos] per viam ascensus Beth-Horon, et percussit usque Azeca et Maceda. [C. XL.]. Cumque fugerent filios Israel [h. a facie Israel], et essent in descensu Beth-Horon, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo usque ad Azoca : et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis,

quam quos gladio percusserant filii Israel. Tunc locutus est Josue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol, contra Gabaon ne movearis, et luna, contra vallem Aialon. [C. XLI.] Steteruntque sol et luna, donec ulciscretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro Justorum [1] [h. recti, id est Dei] ? Stetit itaque sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit ante et [*Vulg.* nec] postea tam longa dies [h. talis dies], obediente Domino voci hominis, pugnante pro Israel. Reversusque est Josue cum omni Israel in castra Galgalæ. [C. XLII.] Fugerunt enim quinque reges, et se absconderunt in spelunca urbis Maceda. Nuntiatumque est Josue, quod inventi essent quinque reges latentes in spelunca [*Vulg. addit* urbis] Maceda. Qui præcepit sociis, et ait: Volvite saxa ingentia ad os speluncæ, et ponite viros industrios, qui clausos custodiant: vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, et extremos quosque fugientium cædite: ne dimittatis eos urbium suarum intrare præsidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras. Cæsis igitur adversariis plaga magna, et usque ad internectionem pene consumptis, hi qui Israel effugere potuerunt, ingressi sunt civitates munitas. Reversusque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani et integro numero: nullusque contra filios Israel mutire ausus est. [C. XLIII.] Præcepitque Josue, dicens: Aperite os speluncæ, et producite ad me quinque reges qui in ea latitant. Feceruntque ministri ut sibi fuerat imperatum, et eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, regem Jerusalem, regem Hebron, regem Jarimuth, regem Lachis, regem Eglon. [C. XLIV.] Cumque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israel, et ait ad principes exercitus qui secum erant: Ite et ponite pedes super colla regum istorum. Qui cum perrexissent, et subjectorum pedibus colla calcarent, rursum ait ad eos: Nolite timere, nec paveatis, confortamini et estote robusti: sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis. Percussitque Josue, et interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites: fueruntque suspensi usque ad vesperum. Cumque occumberet sol, præcepit sociis, ut deponerent eos de patibulis. Qui depositos projecerunt in speluncam, in qua latuerant, et posuerunt super os ejus saxa ingentia, quæ permanent usque in præsens. [C. XLV.] Eodem die Macedam quoque cepit Josue, et percussit in ore gladii, regemque illius interfecit et omnes habitatores ejus: non dimisit in ea saltem parvas reliquis. Fecitque regi Maceda, sicut fecerat regi Jericho. Transivitque cum omni Israel de Maceda in Libna, et pugnabat contra eam: quam tradidit Dominus cum rege suo in manu Israel, percusseruntque urbem in ore gradii, et omnes habitatores ejus. Non dimiserunt in ea ullas reliquias. Feceruntque regi Libna, sicut fecerant regi Jericho. [C. XLVI.] De Libna transivit in Lachis cum omni Israel: et exercitu per gyrum disposito oppugnabat eam. Tradiditque Dominus Lachis in manu Israel, et cepit eam die altero, atque percussit in ore gladii, omnemque animam quæ fuerat in ea, sicut fecerat Libna. [C. XLVII.] Eo tempore ascendit Horam, rex Gezer, ut auxiliaretur Lachis, quem percussit Josue cum omni populo ejus usque ad internetionem. [C. XLVIII.] Transivitque de Lachis in Eglon, et circumdedit atque expugnavit eam eadem die: percussitque in ore gladii omnes animas quæ erant in ea, juxta omnia quæ fecerat Lachis. [C. XLIX.] Ascendit quoque cum omni Israel de Eglon in Hebron, et pugnavit contra eam, cepitque, et percussit in ore gladii, regem quoque ejus, et omnia oppida regionis illius, universasque animas quæ in ea fuerant commoratæ: non reliquit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Eglon, sic fecit et Hebron, cuncta quæ in ea reperit consumens gladio. [C. L.] Inde reversus in Dabiram, cepit eam atque vastavit: regem quoque ejus, et omnia per circuitum oppida, percussit in ore gladii: non dimisit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Hebron et Libna et regibus eorum, sicut fecit Dabir et regi illius. [C. LI.] Percussit itaque Josue omnem terram montanam et meridianam atque campestrem, et Asedoth, cum regibus suis; non

[1] Indefinata nimis apparet hæc de *libro Justorum*. sive, *recti* intelligentia: nullum est enim e canonicis Scripturis volumen, quod non sit, ac recte dicatur *liber Dei*. Melius itaque sanctus Hieronymus, lib. XII Comment. in Isa. cap. XLIV, ubi conceptis verbis librum Geneseos, *librum justorum* appellari definivit: « Alio nomine, inquit, Israelem vocat, ISURUN (ישרון) enim verbum Hebraicum, cæteri, εὐθύτατον, sive, εὐθὺν, id est, rectissimum et rectum interpretati sunt: soli LXX, *dilectissimum*, jugentes de suo, Israel. Proprie enim juxta Hebræos et litterarum fidem, Israel, rectus Dei dicitur: Vir autem videns Deum, non in elementis, sed in sono vocis est· Unde et liber Geneseos appellatur, εὐθίων, id est *justorum*, Abraham, Isaac, et Israel. » Eadem affert lib. VI Comment. in Ezech., cap. XVIII, recitans illa verba Balaam: *Moriatur anima mea in animabus justorum* (*Num.* XXIII, 10): « Si Balaam..... *vanum populum* sonat, perspicuum est, inquit, quod vanus prius gentium populus desideret habere consortium cum animabus justorum, Abraham, Isaac et Jacob, qui εὐθεῖς, id est *recti* et *justi* nuncupantur. Unde et Geneseos liber ex eorum vocabulo nomen accepit. » Hæc e Commentariis Hieronymi adnotavimus, ut videant nunc critici recentiores quam longe sint a vero, qui putant commentum esse auctorum Gemaroth, librum Geneseos appellari librum Justorum. Certe si commentum est, antiquius demonstratur omnibus Thalmudicis, nec solum apud Hebræos, sed apud veteres scriptores etiam ecclesiasticos olim acceptum. Plura adhuc de *libro Justorum*, cum ad secundum Samuelis librum ventum erit. MART.

— Vide quæ nobis in Commentariis in Isaiæ cap. XLIV et Ezechielis XVIII, hac super re sunt animadversa.

dimisit in eis ullas reliquias, sed omne quod spirare poterat, interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israel, a Cades-Barne usque ad Gazam [h. Aza]. Omnem terram Gosen usque Gabaon, universos reges et regiones eorum, uno cepit impetu, atque vastavit ; Dominus enim Deus Israel pugnabat pro eo, reversusque est cum omni Israel ad locum castorum in Galgala,

[C. LII, *Cap.* XI.] Quæ cum audisset Jabin rex Asor, misit ad Jobab regem Madon, et ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph : ad reges quoque Aquilonis qui habitabant in montanis et in planitie contra meridiem Chineroth, in campestribus quoque et in regionibus Dor juxta mare ; Chananæumque ab oriente et occidente, et Amorrhæum atque Hetthæum ac Pherezæum et Jebusæum in montanis : Evæum quoque qui habitabat ad radices Hermon, in terra Mispha. Egressique sunt omnes cum turmis suis populus multus nimis sicut arena, quæ est in littore maris, equi quoque et currus immensæ multitudinis. Conveneruntque omnes reges isti in unum ad aquas Merom, ut pugnarent contra Israel. Dixitque Dominus ad Josue : Ne timeas eos : cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos [h. vulneratos] in conspectu Israel : equos eorum subnervabis, et currus igne comgures. [C. LIII.] Venitque Josue, et omnis exercitus cum eo adversum illos ad aquas Merom subito, et irruerunt super eos tradiditque illos Dominus in manu Israel. Qui percusserunt eos, et persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, et aquas Miserephoth [h. Miserephoth, in Latinum, Aquas Calidas], campumque Misphe, qui est ad orientalem illius partem Ita percussit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias : fecitque sicut præceperat ei Dominus, equos eorum subnervavit, currusque igne combussit. Reversusque statim cepit Asor, et regem ejus percussit gladio. Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. Percussitque omnes animas quæ ibidem morabantur. non dimisit in ea ullas reliquias, sed usque ad internecionem universa vastavit, ipsamque urbem combussit incendio. [C. LIV.] Et omnes per circuitum civitates, regesque earum cepit, percussit atque delevit, sicut præceperat ei Moses famulus Domini. Absque urbibus, quæ erant in collibus et in tumulis sitæ, cæteras succendit Israel : unam tantum Asor munitissimam flamma consumpsit [h. Verumtamen urbes quæ erant in tumulis sitæ non succendit Israel. Unam tantum Asor muniissimam Josue flamma consumpsit]. Omnemque prædam istarum urbium ac jumenta diviserunt sibi filii Israel, cunctis hominibus interfectis. Sicut præceperat Dominus Mosi servo suo, ita præcepit Moses Josue, et ille universa complevit : non præteriit de universis mandatis nec unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Mosi. Cepit itaque Josue omnem terram montanam, et meridianam, terramque Gosen, et planitiem, et occidentalem plagam, montemque Israel, et campestria ejus : et partem montis quæ ascendit Seir usque ad Baal-Gad, per planitiem Libani subter montem Hermon : omnes reges eorum cepit, percussit et occidit. Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos. Non fuit civitas quæ se traderet filiis Israel, præter Evæum, qui habitabat in Gabaon : omnes bellando cepit. [C. LV.] Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Mosi. [T. VI, C. LVI.] In tempore illo venit Josue, et interfecit Enacim de montanis, de [*Vulg. tacet* de] Hebron, et Debir, et Anab, et de omni monte Juda, et Israel, urbesque eorum delevit. Non reliquit ullum de stirpe Enacim, in terra filiorum Israel : absque in civitatibus [h. *non habet* in civitatibus] Gaza, et Geth, et Azata, in quibus solis relicti sunt. Cepit ergo Josue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Mosen, et tradidit eam in possessionem filiis Israel, secundum partes et tribus suas. Quievitque terra a præliis.

[*Cap.* XII.] Hi sunt reges quos percusserunt filii Israel, et possederunt terram eorum trans Jordanem ad solis ortum [1], a torrente Arnon usque ad montem Hermon, et omnem orientalem plagam quæ respicit solitudinem. [C. LVII.] Seon rex Amorrhæorum, qui habitavit in Esebon, dominatus est ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, et mediæ partis in valle, dimidiique Galaad, usque ad torrentem Jaboc, qui est terminus filiorum Ammon. Et a solitudine usque ad mare Cheneroth contra orientem, et usque ad mare deserti, quod est mare salsissimum, ad orientalem plagam per viam quæ ducit Beth-Iisimoth : et ab australi parte, quæ subjacet Asedoth-Phisga. [B. XIX.) Terminus Og regis Basan, de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Astaroth, et in Edrai, et dominatus est in monte Hermon, et Salacha, atque in universa Basan, usque ad terminum Gesuri, et Machati et dimidiæ partis Galaad : terminum Seon regis Esebon. Moses famutus Domini, et filii Israel percusserunt eos, tradiditque terram eorum Moses in possessionem Rubenitis, et Gadditis et dimidiæ tribui Manasse. (B. XX, C. LVIII.) Hi sunt reges terræ, quos percussit Josue, et filii Israel, trans Jordanem ad occidentalem plagam, a Baal-Gad in campo Libani, usque ad montem cujus pars ascendit in Seir : tradiditque eam Josue in possessionem tribubus Israel, singulis partes suas, tam in montanis quam in planis atque campestribus. In Asedoth, et solitudine, ac meridie Hetthæus fuit et Amorrhæus Chananæus, et Pherezæus, Evæus et

[1] In Canone legitur, *a solis ortu*. Id vero fluxit e LXX Interpretibus, qui legebant מזרח *mizzerach* sine ה locali in fine. Hodie in Hebræo est מזרחה *mizrehhah*, id est *ad ortum*. MART.

Jebusæus Rex Jericho unus : rex Ai, quæ est ex latere Bethel, unus, rex Jerusalem unus, rex Hebron unus, rex Jarimuth unus, rex Lachis unus, rex Eglon unus, rex Gezer unus, rex Debir unus, rex Geder unus, rex Harma unus, rex Harab unus, rex Libna unus, rex Adulam unus, rex Maceda unus, rex Beth-El unus, rex Tapphua unus, rex Epher unus, rex Aphec unus, rex Lassaron unus, rex Madon unus, rex Asor unus, rex Simeron Maron unus, rex Achsaph unus, rex Thanac unus, rex Mageddo unus, rex Cedes unus, rex Jacanaam Charmeli unus, rex Dor, et provinciæ (h. de provincia) Dor unus, rex Gentium Galgal unus, rex Thirsa unus : omnes reges triginta et unus.

(T. VII, C. LIX, *Cap.* XIII.) Josue senex provectæque ætatis erat, et dixit Dominus ad eum : Senuisti, et longævus es, terraque latissima derelicta est, quæ necdum est sorte divisa : omnis videlicet Galilæa, Philisthim, et universa Gesuri. A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum, usque ad terminos Accaron contra aquilonem : terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philistim dividitur, Gazæos, et Azotios Ascalonitas, Gethæos, et Accaronitas. Ad meridiem vero sunt (h. Ad austrum sunt Evæi,) omnis terra Chanaan, et Maara Sidoniorum, usque Apheca et terminos Amorrhæi, ejusque confinia (h...) Libani quoque regio contra orientem (h...), a Baal Gad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath. Omnium qui habitant in monte, a Libano usque ad aquas Miserephoth, universique Sidonii. (B. XXI) Ego sum qui delebo (h. ejiciam) eos a facie filiorum Israel. Veniat ergo in partem hæreditatis Israel, sicut præcepi tibi. (C. LX.) Et nunc divide terram in possessionem novem tribubus, et dimidiæ tribui Manasse, cum qua Ruben et Gad possederunt terram quam tradidit eis Moses famulus Domini trans fluenta Jordanis ad orientalem plagam. Ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in vallis medio, universaque campestria Medaba, usque Dibon, et cunctas civitates Seon regis Amorrhæi, qui regnavit in Esebon usque ad terminos filiorum Ammon, et Galaad, se terminum Gesuri et Machati, et omnem montem Hermon, et universam Basan, usque Salecha, omne regnum Og in Basan, qui regnavit in Astaroth at Edrai, ipse fuit de reliquiis Raphaim : percussitque eos Moses, atque delevit. Noluerunt- D que disperdere filii Israel Gesuri et Maachati : et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem. Tribui autem Levi non dedit possessionem ; sed sacrificia et victimæ (h. et victimæ, non habet) Domini Dei Israel, ipsa est ejus hæreditas, sicut locutus est illi. (C. LXI.) Dedit ergo Moses possessionem tribui filiorum Ruben juxta cognationes suas. Fuitque terminus eorum ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in valle ejusdem torrentis media : universam planitiem (h. et urbem quæ est in medio ejusdem torrentis, et universam planitiem) quæ ducit Medaba, Esebon, cunctosque A viculos ejus (*Vulg.* earum), qui sunt in campestribus : Dibon quoque, et Bamoth-Baal, et oppidum Baal-Maon, Jasa, et Cedemoth, et Mephaath, et Ciriathaim, et Sibama, et Sereth-Assahar in monte convallis. Beth-Phohor et Asedoth-Phisga, et Beth-Jisimoth ; omnes urbes campestres, universaque regna Seon regis Amorrhæi, qui regnavit in Esebon, quem percussit Moses cum principibus Madian : Evi et Recem, et Sur, et Hur, et Reba, duces (*Vulg. tac.* duces) Seon habitatores terræ. Et Balaam filium Beor hariolum occiderunt filii Israel gladio cum cæteris interfectis. Factusque est terminus filiorum Ruben Jordanis fluvius. Hæc est possessio Rubenitarum per cognationes suas urbium et viculorum. (C. LXII.) Deditque Moses tribui Gad et filiis ejus per cognationes suas possessionem, cujus B hæc divisio est (h. cujus iste est terminus). Terminus Jaser, et omnes civitates Galaad, dimidiamque partem terræ filiorum Ammon, usque ad Aroer, quæ est contra Rabba. Et ab Esebon usque Ramath, Misphe et Batonim : et a Manaim usque ad h...) terminum Dabir. In valle quoque Beth Aram. et Beth-Nemra, et Soccoth, et Saphon reliquam partem regni Seon regis Esebon : hujus quoque Jordanis finis est usque ad extremam partem maris Chenereth trans Jordanem ad orientalem plagam, Hæc est possessio filiorum Gad per familias suas, civitates et villæ earum. (C. LXIII.) Dedit et dimidiæ tribui Manasse, filiisque ejus juxta cognationes suas possessionem, cujus hoc principium est : a Manaim universam Basan, et cuncta regna Og regis C Basan, omnesque vicos Jair, qui sunt in Basan, sexaginta oppida. Et dimidiam partem Galaad, Astaroth, et Edrai, urbes regni Og in Basan : filiis Machir, filii Manasse, dimidiæ parti filiorum Machir juxta cognationes suas. Hanc possessionem divisit Moses in campestribus Moab trans Jordanem contra Jericho ad orientalem plagam. Tribui autem Levi non dedit possessionem quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus, ut locutus est illi.

(C. LXIV, *Cap.* XIV.) Hoc est quod possederunt filii Israel in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos et Josue filius Nun, et principes familiarum per tribus Israel : sorte omnia dividentes, sicut præceperat Dominus in manu Mosi, novem D tribubus et dimidiæ tribui. Duabus enim tribubus et dimidiæ dederat Moses trans Jordanem possessionem : absque Levitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres suos : *sed in eorum successerunt locum* (h. *non habet ea, sed sic* : Quoniam filii Joseph in duas fuere divisi tribus) filii Joseph in duas divisi tribus, Manasse et Ephraim : nec acceperunt. Levitæ aliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta et pecora sua. Sicut præceperat Dominus Mosi, ita fecerunt filii Israel, et diviserunt terram. (B. XXII, C. LXV.) Accesserunt itaque filii Juda a Josue in Galgala, locutusque est ad eum Chaleb filius Je-

phonne Cenezæus : Nosti quid locutus sit Dominus ad Mosen hominem Dei de me et te in Cades-Barne. Quadraginta annorum eram quando me misit Moses famulus Domini de Cades-Barne, ut considerarem terram, nuntiavique ei quod mihi verum videbatur. Fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi : et nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum. Juravitque Moses in die illo, dicens : Terra quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, et filiorum tuorum in æternum : quia secutus es Dominum Deum meum. Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est in præsentem diem. Quadraginta et quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Mosen, quando ambulabat Israel per solitudinem : hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, ut eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum, illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum quam ad gradiendum. Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt et urbes [h. quem pollicitus est Dominus in die illa, quia tu quoque audisti, quod Enacim sunt ibi et urbes] magnæ atque munitæ, si forte sit Dominus mecum, et potero delere eos, sicut promisit mihi. [C. LXVI.] Benedixitque ei Josue, et tradidit [*Vulg. add.* ei] Hebron in possessionem. Atque ex eo fuit Hebron Chaleb filio Jephonne Cenezæo usque in præsentem diem : quia secutus est Dominum Deum Israel. Nomen Hebron ante vocabatur Cariat-Arbe : Adam maximus ibi inter Enacim situs est : et terra oessavit a præliis.

[B. XXIII, C. LXVII, *Cap.* XV.] Igitur sors filiorum Judæ per cognationes suas ista fuit, a termino Edom, desertum Sin contra meridiem, et usque ad extremam partem australis plagæ. Initium ejus a summitate maris salsissimi, et a lingua ejus, quæ respicit meridiem. Egrediturque contra ascensum Scorpionis, et pertransit in Sina : ascenditque in Cades-Barne, et pervenit in Esron, ascendens Addara, et circumiens Carcaa, atque inde pertransiens in Asemona, et perveniens ad torrentem Ægypti : eruntque termini ejus mare Magnum [h. non habet magnum]. Hic erit finis meridianæ plagæ. Ab oriente vero erit initium, mare salsissimum usque ad extrema Jordanis, et ea quæ respiciunt ad aquilonem, a lingua maris usque ad eumdem Jordanem fluvium. Ascenditque terminus in Beth-Agla, et transit ab aquilone in Beth-Araba : ascendens ad lapidem Boen filii Ruben, et tendens usque ad terminos Debera de Valle Achor, contra aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex adverso ascensionis Adommim, ab australi parte torrentis : transitque aquas, quæ vocantur Fons solis, et erunt exitus ejus ad fontem Rogel. Ascenditque per convallem filii Ennom ex latere Jebusæi ad meridiem, hæc est Jerusalem, et inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Ge-Ennom ad occidentem in summitate vallis Raphaim contra aquilonem. Pertransitque a vertice montis usque ad fontem aquæ Nephthoa, et pervenit usque ad vicos montis Ephron : inclinaturque in Baala, quæ est Cariath-Iarim, *id est, urbs silvarum* [h. non habet]. Et circumit de Baala contra occidentem, usque ad montem Seir : transitque juxta latus montis Jarim ad aquilonem in Cheslon, et descendit in Beth-Sames, transitque in Thamna. Et pervenit contra aquilonem partis Accaron ex latere : inclinaturque Sechrona, et transit montem Baala : pervenitque in Jebneel, et maris Magni contra occidentem fine concluditur. Hi sunt termini filiorum Juda per circuitum in cognationibus suis. [C. LXVIII.] Chaleb vero filio Jephonne dedit partem in medio filiorum Juda, sicut præceperat ei Dominus : Cariath-Arbe patris Enac, ipsa est Hebron. Delevitque ex ea Chaleb tres filios Enac, Sesai et Ahiman et Tholmai de stirpe Enac. Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath-Sepher, *id est, civitas litterarum* [h. non habet]. [C. LXIX.] Dixitque Chaleb : Qui percusserit Cariath-Cepher, et ceperit eam, dabo Illi Axam filiam meam uxorem. Cepitque eam Othoniel, filius Genez, frater Chaleb junior : deditque ei Axam filiam suam uxorem. Quæ cum pergerent simul, suasa est a viro suo ut peteret a patre suo agrum [1]. [C. LXX.] Suspiravitque ut

[1] Contrarius est in Hebræo sensus hujus loci, neque vero ibi dicitur, Axam suasam fuisse a viro suo Othoniele, ut peteret agrum a patre suo Chaleb : sed quod ipsamet Axa impulerit maritum ad petendum agrum hujusmodi. ותסיתהו לשאל *vattesithehu lischol*, id est, *et illa excitavit eum* (maritum scilicet) *ad petendum*. Quod constanter legitur etiam infra, Judicum I, 14, ubi de Axa sive Achsa eadem narrantur. Veritati Hebraicæ consentit Corbeiensis unus ms. codex Bibliorum in nostra bibliotheca S. Germani a Pratis num. 1. Prima enim manu sic habet Josue XV, 18 : *Quæ, cum pergerent simul, suasit viro ut peteret a patre suo agrum.* Hanc lectionem prope erat ut amplecteremur, nisi unanimis aliorum mss. codicum consensus tam hic quam Judicum capite primo, aliud suasisset : et lectori haud sane probarentur in una Scripturarum narratione diversæ ac dissidentes ejusdem contextus interpretationes. Cæterum hoc loco Hieronymus consuetudini LXX Seniorum, ut et alibi sæpius, se coaptavit, docetque in Epitaphio Paulæ, Othonielem, filium Jephonne, pro australi terra et arida, aquas superiores et inferiores suscepisse possidendas. Unde non improbabilis omnino exsistit conjectura, Hieronymum de Axa ab Othoniele persuasa, idem sensisse quod LXX translatores. Liberum tamen circa hæc lectoris esto judicium. MART.

— De Hebræi textus sensu disputatum eruditis viris in utramque partem : videtur enim econtrario pronuntiare, qnod ipsamet Axa virum suum ad petendum agrum excitarit : quemadmodum et parallelus textus capitis primi, tum veteres versiones Syriaca atque Arabica, multi denique interpretes ex iis etiam, qui adhærent Hebræo pressius, Vulgatam sententiam, lectionemque codicum Latinorum probant. Et refert quidem Martian. in uno Corbeiensi scriptum invenisse prima manu, *suasit*

sedebat in asino. Cui Chaleb : Quid habes ? inquit. At illa respondit : Da mihi benedictionem : terram australem *et arentem* [h. non habet] dedisti mihi, junge et irriguam. Dedit itaque ei Chaleb irriguum superius et inferius. Hæc est possessio tribus filiorum Juda per cognationes suas. Erantque civitates ab extremis partibus filiorum Juda [h.] terminum Edom a meridie : Cabsael et Eder et Jagur, et Cina et Dimona, Adeda, et Cedes et Asor [1], et Jethnam, Ziph et Telem, Baloth et Asor nova [h. Asor nova ideo dicitur quia altera Asor vetus] et Carioth, Esron hæc est Asor. Amam, Same, et Molada, et Aser-Gadda et Asemon, Beth-Phelet, et Aser-Sual et Ber-Sabee et Baziothia, Bala et Hiim, Esem et Eltholad, et Xiil et Harma, Siceleg et Medemena et Sensenna, Lebaoth et Silim et Aen et Remmon. Omnes civitates viginti novem [2] et villæ earum. [C. LXXII.] In campestribus vero : Estaol et Saraa et Asena, et Zanoe et Aen-Gannim, Taphphua et Enaim, et Jarimuth, Adulam, Soccho et Azeca et Sarim, Adithaim et Gedera et Giderothaim : et urbes quatuordecim, et villæ earum. Sanan et Adessa et Magdal-Gad, Delean et Mespha et Jecthel, Lachis et Bescat, et Aglon, Chebbon et Leemas et Cethlis Gideroth, Bet-Dagon et Neema et Maceda : civitates sedecim, et villæ earum. Labana et Ether et Asan, Jephtha et Esna et Nesib, et Ceila et Achzib et Maresa : civitates novem et villæ earum. Accaron cum vicis et villulis suis. Ab Accaron usque ad mare : omnia quæ vergunt ad Azotum et viculos ejus. Azotus cum vicis et villulis suis. Gaza cum viculis [*Vulg.* vicis] et villulis suis, usque ad torrentem Ægypti, mare Magnum et terminum ejus. Et in monte : Samir et Jathir et Soccho, et Danna et Cariath-Senna, hæc est Dabir ; Anab et Isthemo, et Anim, Gosen et Olon et Gilo : civitates undecim et villæ earum. Arab et Ruma [3] et Esaan, et Janum et Beth-Thaphphua et Apheca, Amata [4] et Cariath-Arbe, hæc est Hebron et Sior : civitates novem, et villæ earum. Maon et Chermel et Ziph, et Jota, et Jezrael et Jacadaam et Zanoe, Accain, Gebaa, et Thamma : civitates decem, et villæ earum. Alud, et Beth-Sur, et Gedor, Mareth, et Beth-Anot, et Elthecon : civitates sex villæ earum. Cariath-Baal, hæc est Cariath-Iarim, *urbs silvarum* [h. non habet], et Arebba : civitates duæ et villæ earum. In deserto Beth-Araba, Middin, et Schacha, Anebsam, et civitas Salis, et En-Gaddi : civitates sex, et villæ earum. [C. LXXIII.] Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere : habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem.

[B. XXIV, *Cap.* XVI.] Cecidit quoque sors filiorum Joseph, ab Jordane contra Jericho et aquas ejus ab oriente : solitudo quæ ascendit de Jericho ad montana [*Vulg.* montem] Beth-El : et egreditur de Beth-El, Luzam : transitque terminum Archi-Ataroth. Et descendit ad occidentem juxta terminum Jephleti, usque ad [h.] terminum Beth-Horon inferioris, et Gazer : finiunturque regiones ejus mari Magno. [C. LXXVI.] Possederuntque filii Joseph Manasse et Ephraim. Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas : et possessio eorum contra orientem, Ataroth-Addar usque Beth-Horon superiorem. Egrediunturque confinia in mare : Mechmethath vero aquilonem respicit, et circumit [h.] terminum contra orientem in Tanath-Selo : et pertransit ab oriente Janoe. Descenditque de Janoe in Ataroth et Naratha : et pervenit in Jericho, et egreditur ad Jordanem. De Taphphua pertransit contra mare in vallem Arundineti, suntque egressus ejus in mare salsissimum [h. *non habet* salsissimum]. [C. LXXV.] Hæc est possessio tribus filiorum Ephraim per familias suas. Urbesque separatæ sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, et villæ earum. [C. LXXVI.] Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer :

---

vivo, quod postea mutatum est. Verum præterquam quod adulteras manus perpessi codicis eo ipso in loco fluxa est fides, contrarium sensum præferunt alii omnes, qui in verbis tantum ab se invicem abludunt. E nostris Urbinas habet, *Qui cum pergerent simul.* etc. Palatin. *Cumque pergerent simul, suasit ei ut peteret*, etc. Quæ tamen lectio pro vetere, quæ non apparet, sequiori manu videtur substituta.

[1] Utriusque Asor meminit sanctus Hieronymus libro de locis Hebraicis ; ac juxta præsentem adnotationem Canonis, istam Asor novam in Scriptura appellatam fuisse dicit, ad distinctionem veteris Asor, quæ fuit civitas regni Jabin. MART.

— Urbinas ms., *Capsel*, et mox *Addada*, et *Aziph*, et *Celem*, denique *et Asor et Naba nova*, quod nomen *Naba* pro *Nova* repetitum temere est. Plures autem cognomines Asor urbes S. Pater lib. de Nominibus recenset.

[2] Idem ms., *civitates triginta novem*, etc. Equidem si descriptarum urbium numerum supputes, sedum viginti novem, quod præfert impressa lectio sed triginta quinque reperias, quibus si addas Hebron, Dabit et Cariath Sepher, jam erunt triginta octo.

[3] Pro *Ruma*, Hebræus et Chaldæus legunt *Duma*, propter similitudinem *Resch*, et *Daleth*, quæ parvo apice distinguuntur. Contra, Isaiæ cap. XXI, quidam Hebræorum pro *Duma*, *Roma* legunt : volentes prophetiam contra Romanum regnum dirigi, frivola persuasione, qua semper in Idumææ nomine Romanos existimant demonstrari. Vide lib. v Comment. sancti Hieronymi in Isaiam. MART.

— Nostri ms. *Roma* legunt pari consensu : Hebræus habet *Duma*. Confer. commentar. in Isaiæ cap. XXI.

[4] Editi cum aliquot mss. legunt *Athmatha* : alii *Atmatha*, vel *Admatha*. Canon autem *Umata* nunc habet pro *Humata*, sive *Hhumta* hodierno Massoretharum. Illud tamen *Umata* derivari potuit ex Εὐμὰ LXX interpretum. Primitus scriptum fuit in Canone *Amata* : quod Hieronymus legit in libris locorum et nominum Hebraicorum : nusquam vero *Humata* vel *Umata*. Porro in nominibus emendandis, quæ in Græcis et Latinis codicibus, præter pauca, omnia corrupta Hieronymus repererat, nos quoque ita sudavimus, ut millies tæderet cœpti laboris ac hujusce restitutionis. MART.

— Palatin. mss., *Atma* : Urbinas, *Amatha*. Hebraice est חמטה

habitavitque Chananæus in medio Ephraim usque in diem hanc tributarius.

[C. LXXVII, *Cap.* XVII.] Cecidit autem sors tribui Manasse (ipse est enim primogenitus Joseph): Machir primogenito Manasse patri Galaad, qui fuit vir [*Vulg. tac.* vir] pugnator, habuitque possessionem Galaad et Basan: et reliquiis filiorum Manasse juxta familias suas, filiis Abiezer, et filiis Helech, et filiis Esriel, et filiis Sechem, et filiis Epher, et filiis Semida. Isti sunt filii Manasse, filii Joseph, mares, per cognationes suas [C. LXXVIII.] Salphaad vero filio Epher, filii Galaad, filii Machir, filii Manasse, non erant filii, sed solæ filiæ: quarum ista sunt nomina: Maala et Noa et Egla et Melcha et Thersa. Veneruntque in conspectu Eleazari sacerdotis, et Josue, filii Nun, et principum, dicentes: Dominus præcepit per manum Mosi, ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum. Deditque eis juxta imperium Domini possessionem, in medio fratrum patris earum. Et ceciderunt funiculi Manasse decem, absque terra Galaad et Basan trans Jordanem. Filiæ enim Manasse possederunt hæreditatem in medio filiorum ejus. [C. LXXIX.] Terra autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse qui reliqui erant, Fuitque terminus Manasse ab Aser, Machmathah, quæ respicit Sichem, et egreditur ad dextram juxta habitatores fontis Taphphuæ. Etenim in sortem Manasse ceciderat terra Taphphuæ, quæ est juxta terminos Manasse filiorum Ephraim. Descenditque terminus vallis Arundineti in meridiem torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio sunt urbium Manasse: terminus Manasse ab aquilone torrentis, et exitus ejus pergit ad mare: ita ut ab austro sit possessio Ephraim, et ab aquilone Manasse, et utramque claudat mare, et conjungatur sibi in tribu Aser ab aquilone, et in tribu Issachar ab oriente. Fuitque hæreditas Manasse in Issachar et in Aser Beth-San et viculi ejus, et Jeblaam cum viculis suis, et habitatores Dor cum oppidis suis, habitatores quoque En-Dor cum viculis suis, similiterque habitatores Thanach cum villis [*Vulg.* viculis] suis, et habitatores Mageddo cum viculis suis, et tertia pars urbis Napheth. [C. LXXX.] Nec potuerunt filii Manasse has civitates subvertere, sed cœpit Chananæus habitare in terra ista (*Vulg.* sua). Postquam autem convaluerunt filii Israel, subjecerunt Chananæos, et fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos. (B. XXV.) Locutique sunt filii Joseph ad Josue, atque dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis funiculi unius, cum sim tantæ multitudinis, et benedixerit mihi Dominus? Ad quos Josue ait: Si populus multus es, ascende in silvam, et succide tibi spatia in terra Pherezæi et Raphaim: quia angusta est tibi possessio montis Ephraim. Cui responderunt filii Joseph: Non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi, qui habitant in terra campestri, in qua sitæ sunt Beth-San cum viculis suis, et Jezrael mediam possidens vallem. Dixitque Josue ad domum Joseph, Ephraim et Manasse: Populus multus es, et magnæ fortitudinis, et non habebis sortem unam; sed transibis ad montem, et succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia: et poteris ultra procedere cum subverteris Chanaæum, quem dicis ferreos habere currus, et esse fortissimum.

(T. VIII, B. XXVI, C. LXXXI, *Cap.* XVIII. Congregatique sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonii, et fuit eis terra subjecta. (C. LXXXII.) Remanserant autem filiorum Israel septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas. Ad quos Josue ait: Usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad possidendam terram quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis? Eligite de singulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, et pergant atque circumeant terram, et describant eam juxta numerum uniuscujusque multitudinis: referantque ad me quod descripserint. Dividite vobis terram in septem partes: Judas sit in terminis suis ab australi plaga, et domus Joseph ab aquilone. Mediam inter hos terram in septem partes describite (h. Vos vero terram in septem partes describite): et huc venietis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam vobis hic sortem, quia non est inter vos pars Levitarum, sed sacerdotium Domini est eorum hæreditas. Gad autem et Ruben, et dimidia tribus Manasse, jam acceperunt possessiones suas trans Jordanem ad orientalem plagam: quas dedit eis Moses famulus Domini. (B. XXVII.) Cumque surrexissent viri, ut pergerent ad describendam terram, præcepit eis Josue, dicens: Circuite terram et describite eam, ac revertimi ad me, ut hic coram Domino[1], in Silo, mittam vobis sortem. Itaque perrexerunt, et lustrantes eam, in septem partes diviserunt, scribentes in volumine. Reversique sunt ad Josue in castra Silo. (C. LXXXIII.) Qui misit sortes coram Domino in Silo, dividitque terram filiis Israel in septem partes (h. juxta divisiones earum). Et ascendit sors prima filiorum Benjamin per familias suas, ut possiderent terram (*Vulg. tac.* terram) inter filios Juda et filios Joseph. Fuitque terminus eorum contra aquilonem ab Jordane: pergens juxta latus Jericho septentrionalis plagæ, et inde contra occidentem ad montana conscendens, et perveniens in solitudinem Beth-Aven, atque pertransiens juxta Luzam ad meridiem, ipsa est Beth-El: descenditque in Ataroth-Addar, in montem qui est ad meridiem Beth-

[1] Mss. *coram Domino Deo*; sed Hebræus non habet vocem *Deo*. Nomina autem *Dei* et *Domini* addita sæpissime reperiuntur in Græcis ac Latinis exemplaribus; quæ tanquam superflua radenda monet S. Hieronymus. MART.

— Addunt iidem mss. *Deo:* sed Urbinas præterea *vestro*.

Horon inferioris. Et inclinatur circumiens contra mare ad meridiem montis qui respicit Beth-Horon contra Africum: suntque exitus ejus in Cariath-Baal, quæ vocatur et Cariath-larim, urbem filiorum Juda. Hæc est plaga contra mare, et [*Vulg.* ad] occidentem. A meridie autem ex parte Cariath-Iarim egreditur terminus contra mare, et pervenit usque ad fontem aquarum Nephthoa. Descenditque in partem montis qui respicit vallem filiorum Ennom : et est contra septentrionalem plagam in extrema parte vallis Raphaim. Descenditque in Ge-Ennon, *id est, Vallis Ennon* [h. non habet] juxta latus Jebusæi ad austrum : et pervenit ad fontem Rogel, transiens ad aquilonem, et egrediens ad En-Semes, *id est, fontem Solis* [h. non habet]. : et pertransit usque ad tumulos,qui sunt e regione ascensus, Adommin : descenditque ad Aben Boen, *id est, lapidem Boen*, [h. non habet] filii Ruben, et pertransit ex latere aquilonis ad campestria : descenditque in planitiem, et prætergreditur contra aquilonem Beth-Agla : suntque exitus ejus contra linguam maris salsissimi ab aquilone in fine Jordanis ad australem plagam, qui est terminus illius ab oriente. Hæc est possessio filiorum Benjamin per terminos suos in circuitu, et familias suas [1]. (C. LXXXIV.] Fueruntque civitates ejus, Jericho et Beth-Agla et Vallis Casis, Beth-Araba et Semaraim et Beth-El et Avim et Aphphara et Ophra, Villa Emona et Ophni et Gabee : civitates duodecim, et villæ earum. Gabaon et Rama et Beroth et Mesphe, Caphera et Ammosa et Recem, Jarephel et Tharala, et Sela, Eleph, et Jebus, quæ est Jerusalem, Gabaath, Cariath : civitates quatuordecim et villæ earum. Hæc est possessio filiorum Benjamin juxta familias suas.

[C. LXXXV. *Cap.* XIX.] Et egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas: fuitque hæreditas eorum in medio possessionis filiorum Juda : Ber-Sabee et Sabee et Molada et Aser-Sual, Bala et Asem et Eltholad Bethul et Arma et Siceleg et Beth-Marchaboth et Aser-Susa et Beth Lebaoth et Sareon : civitates tredecim et villæ earum. Ain, Remmon, et Athar, et Asan : civitates quatuor et villæ earum : omnes viculi per circuitum urbium istarum usque ad Balath-Beer Ramath contra australem plagam. Hæc est hæreditas filiorum Simeon juxta cognationes suas, in funiculo et possessione filiorum Juda, quæ major erat. Et idcirco possederunt filii Simeon in medio hæreditatis eorum. [C. LXXXVI.] Cecidit quoque sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas, et factus est terminus possessionis eorum usque Sarid. Ascenditque de mari et Marala, et pervenit in Debbaseth, usque ad torrentem qui est contra Jecennam. Et revertitur de Sarid contra orientem in fines Cheseleth-Thabor, et egredietur ad Dabrath, ascenditque contra Japhie. Et inde pertransit [*Vulg. add.* usque] ad orientalem plagam Getha-Epher, Itha-Casin, et egredietur in Remmon, Amthoar, Anea. Et circumit ad aquilonem Annathon : suntque egressus ejus vallis Jephta-El, et Cateth et Nealal et Semron et Jedala et Beth-Leem : civitates duodecim et villæ earum. Hæc est hæreditas tribus filiorum Zabulon per cognationes suas, urbes et viculi earum. (C. LXXXVII.) Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas. Fuitque ejus hæreditas (h. terminus), Jezrsela et Chasaloth et Sumen et Aphraim, Seon, et Anaarath et Labbith et Cesion, Abes, et Rameth, et En-Gannim, et En-Adda, et Beth-Pheses. Et pervenit terminus ejus usque Thabor et Seesima et Beth-Semes : eruntque exitus ejus Jordanis : civitates sedecim et villæ earum. Hæc est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes et viculi earum. [C. LXXXVIII.] Ceciditque sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas : fuitque terminus eorum Alcath et Olia et Beten et Axaph, Elmelech et Amaad et Messal, et pervenit usque ad Carmelum maris et Sior, Labanath. Ac revertitur contra orientem Beth Dagon, et pertransit usque Zabulon et Vallem Jephtha-El contra aquilonem in Beth-Emec et Nehiel. Egrediturque ad lævam Chabul, et Achran [2] (h. Hebron) et Roob et Ammon et Cane, usque ad Sidonem magnam. Revertiturque in Orma usque ad civitatem munitissimam Tirum, et usque Osa : eruntque exitus ejus in mare de funiculo Achziba, et Amma et Aphec et Roob : civitates viginti duæ et villæ earum. Hæc est possessio filiorum Aser per cognationes suas, urbesque et viculi earum (C. LXXXIX.) Filiorum Nephthali sexta sors cecidit per familias suas, et cœpit terminus de Heleph et Elon in Sananim, et Adami, quæ est Neceb, et Jebnael usque Leeum, egressus eorum usque ad Jordanem : revertiturque terminus contra occidentem in Aznot-Thabor, atque inde egreditur in Ucoca, et pertransit in Zabulon contra meridiem, et in Aser contra occidentem, et in Juda ad Jordanem contra ortum solis : et civitates munitissimæ, Aseddim, Ser et Ammath, et Reccath et Chenereth, et Edema et Arama. Asor, et Cedes et Edrai, et En-Asor, et Jeron et Magda-El, Harem et Beth-Anath et Beth-Semes : civitates decem et novem, et villæ earum. Hæc est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes suas, urbes et viculi earum. [C. XC.] Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima, et fuit terminus possessionis ejus Saraa et Esthaol, et Air-Semes, *id est, civitas Solis* [h. non habet]. Selebin et Aialon et Jethela, Elon et Themnatha et Achron, Elthece, et Gebbethon et Baalath, Iud et Bene-Barac et Geth-Remmon : Aquæ Jercon et Arecon, cum termino qui respicit Joppen, et ipso fine concluditur. [h. XCI] Ascen-

[1] Palat quoque nostri mss. *singulas* habet pro *suas*, eodem sensu.

[2] Ita mss. omnes : editi vero legunt *Abran*. MART

deruntque filii Dan, et pugnaverunt contra Lesem, ceperuntque eam, et percusserunt in ore gladii, ac possederunt, et habitaverunt in ea, vocantes nomen ejus Lesem-Dan [h.] vocantes Lessem-Dan], ex nomine Dan patris sui. Hæc est possessio tribus filiorum Dan, per cognationes suas, urbes et viculi earum.(C. XCII). Cumque complesset sorte dividere terram singulis per tribus suas, dederunt filii Israel possessionem Josue filio Nun in medio sui, juxta præceptum Domini, urbem quam postulavit, Thamnat-Seraa in monte Ephraim, et ædificavit civitatem, habitavitque in ea. Hæ sunt possessiones quas sorte diviserunt Eleazar sacerdos et Josue filius Nun, et principes familiarum ac tribuum Israel, in Silo, coram Domino ad ostium tabernaculi testimonii, partitique sunt terram.

(T. IX, B. XXVIII. C. XCIII, *Cap.* XX.) Et locutus est Dominus ad Josue, dicens: Loquere filiis Israel, et dic eis : Separate urbes fugitivorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Mosi, ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius, et possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis : cum ad unam harum confugerit civitatum, stabitque ante portam civitatis, et loquetur senioribus urbis illius, ea quæ se comprobent innocentem : sicque suscipient eum, et dabunt ei locum ad habitandum. Cumque ultor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus ejus : quia ignorans percussit proximum ejus, nec ante biduum, triduumve, ejus probatur inimicus. Et habitabit in civitate illa, donec stet ante judicium causam reddens facti sui, et moriatur sacerdos magnus qui fuerit in illo tempore : tunc revertetur homicida, et ingredietur civitatem et domum suam de qua fugerat. Decreveruntque (h. sanctificaverunt) Cedes in Galilæa montis Nephthali, et Sichem in monte Ephraim, et Cariath-Arbe, ipsa est Hebron, in monte Juda. (C. XCIV.) Et trans Jordanem contra orientalem plagam Jericho, statuerunt Bosor (h. Beser), quæ sita est in campestri solitudine, de tribu Ruben, et Ramoth in Galaad de tribu Gad, et Gaulon in Basan de tribu Manasse. Hæ civitates constituæ sunt cunctis filiis Israel et advenis qui habitabant inter eos, ut fugeret ad eas qui animam nescius percussisset, et non moreretur in manu proximi, effusum sanguinem vindicare cupientis, donec staret ante populum expositurus causam suam.

(C. XCIV, *Cap.* XXI.) Accesseruntque principes familiarum Levi ad Eleazar sacerdotem, et Josue filium Nun, et ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel : locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt : (B. XXIX.) Dominus præcepit per manum Mosi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta. Dederuntque filii Israel (h. Levitis) de possessionibus suis juxta imperium Domini, civitates et surbubana earum. (C. XCIV.) Egressaque est sors in familiam Caath filiorum Aaron sacerdotis, de tribubus Juda, et Simeon, et Benjamin, civitates tredecim : et reliquis filiorum Caath, id est Levitis qui superfuerant de tribubus Ephraim, et Dan, et dimidia tribu Manasse, civitates decem. (C. XCVII.) Porro filiis Gerson egressa est sors, ut acciperent de tribubus Issachar et Aser et Nephthali, dimidiaque tribu Manasse in Basan, civitates numero tredecim. (C. XCVIII.) Et filiis Merari per cognationes suas de tribubus Ruben et Gad et Zabulon, urbes duodecim. Dederuntque filii Israel Levitis civitates et surbubana earum, sicut præcepit Dominus per manum Mosi, singulis sorte tribuentes. De tribubus filiorum Juda et Simeon dedit (h. dederunt) Josue civitates : quarum ista sunt nomina, filiis Aaron per familias Caath Levitici generis (prima enim sors illis egressa est) (h. filiis Aaron per familias Caath Levitici generis prima sors egressa est) Cariath-Arbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Juda, et suburbana ejus per circuitum. Agros vero et villas ejus dederat [h. dederunt] Chaleb filio Jephonne ad possidendum. (C. XCIX.) Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis, Hebron confugii civitatem, ac suburbana ejus : et Lebnam cum suburbanis suis : Jether, et Isthimoa, et Polon, Dabir, et Ain et Juta, et Beth-semes, cum suburbanis suis : civitates novem, de tribubus, ut dictum est duabus. De tribu autem filorum Benjamin, Gabaon, et Gabae, et Anathoth, et Almon cum suburbanis suis : civitates quatuor. Omnes simul civitates filiorum Aaron sacerdotis, tredecim, cum suburbanis suis. Reliquis vero per familias filiorum Caath Levitici generis, hæc est data possessio. De tribu Ephraim urbes confugii, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, et Gazer et Cebsaim et Beth-Horon, cum suburbanis suis, civitates quatuor. De tribu quoque Dan, Ethece et Gebbethon, et Aialon et Geth-Remmon, cum suburbanis suis civitates quatuor. Porro de dimidia tribu Manasse, Tanach et Geth-Remmon, cum suburbanis suis, civitates duæ. Omnes civitates decem, et suburbana earum, datæ sunt filiis Caath inferioris gradus. (C. C.) Filiis quoque Gerson Levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse confugii civitatem (*Vulg.* civitates) Caulon in Basan, et Bosram [h. Bosthram), cum suburbanis suis, civitates duas. Porro de tribu Issachar, Cesion, et Dabrath, et Jarimuth, et En-Gannim, cum suburbanis suis civitates quatuor. De tribu autem Aser, Misal et Abdon et Eleath et Roob, cum suburbanis suis civitates quatuor. (C. CI.) De tribu quoque Nephthal civitatem *Vulg.* civitates) confugii : Cedes in Galilæa, et Ammoth Dor, et Carthan, cum suburbanis suis, civitates tres. Omnes urbes familiarum Gerson, tredecim cum suburbanis suis. Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias suas data est de tribu Zabulon, Jecenam et Chartha et Damna et Nalal, civitates quatuor cum suburbanis suis[1]. Et de tribu

[1] Post urbes Zabulonias addunt editi et mss. aliquot libri : *De tribu Ruben ultra Jordanem cas-*

Gad civitates confugii, Ramoth in Galaad et Manaim et Esebon et Jaser, civitates quatuor cum suburbanis suis. Omnes urbes filiorum Merari per familias et cognationes suas, duodecim. Itaque universæ civitates Levitarum in medio possessionis filiorum Israel, fuerunt quadraginta octo cum suburbanis suis, singulæ per familias distributæ. [C. CII.] Deditque Dominus (*Vulg. add.* Deus) Israeli omnem terram, quam traditurum se patri-

A bus eorum juraverat: et possederunt illam, atque habitaverunt in ea. (B. XXX.) Dataque est ab eo par in omnes per circuitum nationes: nullusque eis hostium resistere ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt. Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia.

(T. X, C. CIII, *Cap.* XXII.) Eodem tempore vocavit Josue Rubenitas, et Gadditas, et dimidiam

tra Jerichò civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor et Jaser, et Jethson et Mephaath, civitates quatuor cum suburbanis suis: quod e LXX Translatoribus fluxisse vix dubium esse potest: nam quæ leguntur in Hebræis voluminibus, aliis verbis, ut mox dicemus, concepta sunt. Ne quid vero diligentiæ aut fidei a nobis queat desiderari, ubi maxima videntur ad intelligentiam Scripturarum momenta: quæcunque versiculi istius absentiam, B variantesque spectant lectiones Hebræorum, Græcorum, ac Latinorum, non gravabimur dicere. Itaque sciendum primo in Græcis LXX Interpretum exemplaribus omnia esse consona, præter pauca levioris momenti, et unam variatem lectionem, quam Nobilius affert, dicens in aliquo libro esse, *Bosor in solitudine Misor*, pro his quæ in textu leguntur *Bosor in deserto*; *Miso, et suburbana ejus*, etc. Apud Latinos autem dissidia bene multa: abest enim integer ille versus 36 in mss. antiquioribus ac melioris notæ, puta in Regio ms. codice, num. 3563, Colbertino Aniciensi, num. 157, Corbeiensibus 1 et 10, et in uno S. Germani, unum, 157. Denique exscriptor Canonis Hebr. verit. ad fidem alterius exemplaris castigatioris suum emendans, universa verba hæc litura delevit, ut similia quædam additamenta. Tres tantummodo habemus recentiores mss. codices Bibliorum, qui legunt comma prædictum, prout exstat positum in Vul- C gata nostra Latina, non tumultuario ordines Bibliorum Roberti Stephani et theologorum Lovaniensium, ubi prius commemorantur urbes Galaaditarum Meraritis concessæ, quam Rubenitarum: in quo peccavit etiam Syrus interpres recentius urbes de tribu Ruben, ante eas quæ fuerunt e tribu Zabulonis. His ita observatis, manifestum apparet, exemplaria Hebraica Hieronymi aliqua ex parte fuisse mutila, nec versus omnes Bibliorum habuisse ascriptos: quia si fuisset in eis versiculus 36 hujus capitis XXI Josue, Latine illum Hieronymus reddidisset, et in antiquioribus editionis Latinæ S. Doctoris codicibus reperiretur, in quibus abesse supra dicebamus. Vera est igitur adnotatio Hebraicorum librorum, qua docemur in Hillelis et aliis vetustioribus libri Josue exemplaribus Hebræis abesse duos versus (nos unum dicimus) in quibus quatuor Rubenitarum urbes memorantur: cum enim Hieronymi ætate in ali- D quot libris desiderarentur, inficiari nullus potest et in quibusdam aliis fuisse omissos. Sed de Hebræis voluminibus hæc notanda supersunt, nempe in vetustis et optimis nonnullis mss. exemplaribus eo modo haberi: וממטה ראבן את-עיר מקלט הרצח את-בצר במדבר ואת-מגרשיה את-יהצה ואת-מגרשיה את-כדמות ואת-מגרשיה ואת-מיפעת ואת-מגרשיה ערים ארבע ; quod a nobis ita legitur: *Umimmatte reuben, eth-hir miclat harotseahh: eth-belser bammidbar, veeth-hir migrasclieha; eth-tahatsa, veeth-mi. graschcha. Eth cedemoth, veeth-migrascheha; veeth mephahat, veeth-migrascheha. arim arba.* Interpretatur autem: *Et de triba Ruben, civitatem refugii homicidæ, Bosor in deserto. et suburbana ejus, et Jæsa, et suburbana ejus. Cedemoth et suburbana ejus: et Mephaah et suburbana ejus, civi*

habitaverunt in ea. (B. XXX.) Dataque est ab eo par in omnes per circuitum nationes: nullusque eis hostium resistere ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt. Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia.

(T. X, C. CIII, *Cap.* XXII.) Eodem tempore vocavit Josue Rubenitas, et Gadditas, et dimidiam

tates quatuor. Porro hæc verba scripta reperiuntur in mss. Hebræo codice Regio n. 7. et in altero optimo exemplari ms. notato BB. 32 in bibliotheca domus Orationis Parisiensis in vico S. Honorati: in quo tamen ultimo codice secunda manus expunxit, non versus duos integros, ut perperam asserit Ricardus Simon lib. I Hist. Criticæ Vet. Test. cap 22, sed solummodo quatuor aut quinque verba, B quæ non leguntur in aliis exemplaribus Hebræorum, nec in impressis. Verba expuncta sunt isthæc, *eth hir miclat harotseahh... bammidbar*, id est, *urbem refugii homicidæ... in deserto*. Quatuor aut quinque his verbis exceptis, cætera scripta sunt in mss. exemplaribus Regiæ bibliothecæ, n. 5 et n. 6, in uno etiam ms. codice viri clarissimi Pauli Pelissonii, quem bibliothecæ nostræ S. Germani a Pratis nuper donavit, inque plurimis aliis, quos brevitatis ergo non recensemus. Exstant etiam nonnulli, sed recentiores, in quibus absunt duo versus prædicti, quemadmodum et in antiquis Latinis libris. Unde exploratum habemus, et antiqua, et recentiora, sive infimæ ætatis volumina quædam Hebræa, errore librariorum esse mutila: indeque fit ut loco Josue, imperfectam habeamus uno vel duobus versiculis versionem Latinam Hieronymi qui sæpius testatur se nihil mutasse de veritate Hebraica, sed puro ac fideli sermone suæ linguæ C hominibus editionem novam condidisse. Mutila diximus antigrapha quædam Hebræorum, atque imperfectam hic loci Hieronymianam versionem, quia nisi duobus his versibus ascriberentur quatuor urbes de Rubenitarum hæreditate, summa duodecim civitatum, quæ Meraritis attributæ dicuntur, nullatenus confici posset: quam tamen in Scriptura vers. 8 expresse subductam legimus. Supplendus igitur locus in versione Hieronymi ex LXX translatione Græca, vel potius e versibus 78 et 79 capitis VI lib. I Paralipomenon, ubi eadem verba, quæ hoc loco desiderantur, reperiuntur expressa tam in Hebræis, quam in Latinis exemplaribus. MART.

— Supplet Palatin. ms. ad oram libri pericopen, quam addunt Vulgati libri, *De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho, civitates refugii, Bosor in solitudine Misor et Jaser, et Jethson et Mephaath, civitates quatuor cum suburbanis suis*. Notum porro, D hunc versiculum et in Hebræis codicibus jamdiu olim desiderari, quod et Massora notat, et R. David Kimchi. Quin et Hieronymi ævo defuisse illum vulgo eruditi arbitrantur; quo enim modo haberi notamus in vulgatis libris, ex Græco τῶν LXX translatus ad verbum est. Disputant vero hac de re multi cum Martianæus in adnotatione, cum critici sacri atque interpretes. Quod factum spectat S. Patris, ferme persuasum est mihi, non potuisse illum a LXX accipere, nisi si antea animadvertisset in Hebræo versiculum istum deesse. Quod si observarit, tum vero vix credam, quod de Hebraici archetypi lacuna lectorem monere præterierit in præfatione, aut alibi occasione arrepta: quod autem supplere maluerit locum ex LXX, cum præstare id longe rectius posset ex Aquila et Symmacho, ne vix quidem.

tribum Manasse, dixitque ad eos: Fecistis omnia quæ vobis præcepit Moses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis, necreliquistis fratres vestros longo tempore, usque in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri. Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem ac pacem, sicut pollicitus est: revertimini, et ite in tabernacula vestra, et in terram possessionis, quam tradidit vobis Moses, famulus Domini, trans Jordanem: ita duntaxat, ut custodiatis attente, et opere compleatis mandatum et legem quam præcepit vobis Moses, servus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis in omni corde, et in omni anima vestra. Benedixitque eis Josue, et dimisit eos. Qui reversi sunt in tabernacula sua. Tribui autem Manasse mediæ possessionem Moses dederat in Basan: et idcirco mediæ quæ superfuit, dedit Josue sortem inter cæteros fratres suos trans Jordanem ad occidentalem plagam. Cumque dimitteret eos in tabernacula sua, et benedixisset illis dixit ad eos: In multa substantia atque divitiis revertimini ad sedes (h. ædes) vestras, cum argento et auro, ære ac ferro, et veste multiplici: dividite prædam hostium cum fratribus vestris. Reversique sunt, et abierunt filii Ruben, et filii Gad, et dimidia tribus Manasse, a filiis Israel de Silo, quæ sita est in Chanaan, ut intrarent Galaad terram possessionis suæ, quam obtinuerant juxta imperium Domini in manu Mosi. (B. XXXI, C. CIV.) Cumque venissent ad tumulos Jordanis in terra Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis. Quod cum audissent filii Israel, et ad eos certi nuntii detulissent, ædificasse filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, altare in terra Chanaan, super Jordanis tumulos, contra filios Israel (h. in transitu filiorum Israel): convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent et dimicarent contra eos. Et interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari sacerdotem, et decem principes cum eo, singulos de tribubus singulis. Qui venerunt ad filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, in terram Galaad: dixeruntque ad eos: Hæc mandat omnis populus Domini: Quæ est ista transgressio? Cur reliquistis Dominum Deum Israel ædificantes altare sacrilegum, et a cultu illius recedente? An parum vobis est quod peccastis in Beel-Phegor (h. Phohor), et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet? multique de populo corruerunt? Et vos hodie reliquistis Dominum, et eras in universum Israel ejus ira desæviet. Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad terram in qua tabernaculum Domini est, et habitate inter nos: tantum ut a Domino et a nostro consortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei nostri. Nonne Acham filius Zare præteriit mandatum Domini, et super omnem populum Israel ira ejus incubuit? Et ille erat unus homo: atque utinam solus periisset in scelere suo Responderuntque filii Ruben et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, principibus legationis Israel: Fortissimus Deus Dominus, fortissimus Deus Dominus, ipse novit, et Israel simul intelliget: si prævaricationis animo hoc altare construximus, non custodiat nos, sed puniat nos in præsenti: et si ea mente fecimus, ut holocausta et sacrificium et pacificas victimas super eo imponeremus, ipse quærat et judicet; et non ea magis cogitatione atque tractatu, ut diceremus: Cras dicent filii vestri filiis nostris: Quid vobis et Domino Deo Israel? terminum posuit Dominus inter nos et vos, o filii Ruben et filii Gad, Jordanem fluvium: et idcirco partem non habetis in Domino. Et per hanc occasionem avertent filii vestri filios nostros a timore Domini. Putavimus itaque melius, et diximus: Exstruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerenda, sed in testimonium inter nos et vos, et sobolem [nostram vestramque progeniem, ut serviamus Domino, et juris nostri sit offerre holocausta, et victimas, et pacificas hostias: et nequaquam dicant eras filii vestri filiis nostris: Non est vobis pars in Domino. Quod si voluerint dicere, respondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt patres nostri, non in holocausta, neque in sacrificium, sed in testimonium nostrum ac vestrum. Absit a nobis hoc scelus, ut recedamus a Domino, et ejus vestigia relinquamus, exstructo altari ad holocausta, et sacrificia, et victimas offerendas, præter altare Domini Dei nostri, quod extructum est ante tabernaculum ejus. Quibus auditis, Phinees sacerdos, et principes legationis Israel, qui erant cum eo, placati sunt: et verba filiorum Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, libentissime susceperunt. Dixitque Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos: Nunc scimus quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis a prævaricatione hac, et liberastis filios Israel de manu Domini. Reversusque est cum principibus a filiis Ruben et Gad, de terra Galaad, finium Chanaan, ad filios Israel, et retulit eis. Placuitque sermo cunctis audientibus. Et laudaverunt (h. benedixerunt) Deum filii Israel, et nequaquam ultra dixerunt, ut ascenderent contra eos, atque pugnarent, et delerent terram possessionis eorum. Vocaveruntque filii Ruben, et filii Gad, altare quod exstruxerant, Testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus.

(T. XI, B. XXXII, C. CV, *Cap.* XXIII.) Evoluto autem multo tempore, postquam pacem Dominus dederat Israeli, subjectis in gyro nationibus universis et Josue erat longævus, et persenilis ætatis: vocavit Josue omnem Israelem, majoresque natu, et principes ac duces, et magistros, dixitque ad eos: Ego senui, et progressioris ætatis sum, vosque cernitis omnia quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quo modo pro

vobis ipse pugnaverit ; et nunc quia vobis sorte divisit omnem terram, ab orientali parte Jordanis usque ad mare Magnum, multæque adhuc supersunt nationes : Dominus Deus vester disperdet eas et auferet a facie vestra, et possidebitis terram, sicut vobis pollicitus est. Tantum confortamini, et estote solliciti ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Mosi : et non declinetis ab eis nec ad dexteram nec ad sinistram : ne postquam intraveritis ad gentes quæ inter vos futuræ sunt, juretis in nomine deorum earum, et serviatis eis, et adoretis illos : sed adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis usque in diem hanc. Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas et robustissimas, et nullus vobis resistere poterit. Unus e vobis persequetur hostium mille viros : quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est. Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum. Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, et cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare : jam nunc scitote quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis. (C. CVI.) En ego hodie ingrediar viam universæ terræ, et toto corde[1] et toto animo cognoscetis, quod de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum. Sicut ergo implevit opere quod promisit, et prospera cuncta venerunt : sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis, eo quod præterieritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum, et servieritis diis alienis, et adoraveritis eos : cito atque velociter consurget in vos furor Domini, et auferemini de terra hac optima, quam tradidit vobis.

(B. XXXIII, *Cap.* XXIV.) Congregavitque Josue omnes tribus Israel in Sichem, et vocavit majores natu, ac principes, et judices, et magistros : steteruntque in conspectu Dei (*Vulg.* Domini), et ad populum sic locutus est : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio. Thare pater Abraham et Nabor : servieruntque diis alienis. Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus : et adduxi eum in terram Chanaan multiplicavique semen ejus, et dedi ei Isaac : illique rursum dedi Jacob et Esau. E quibus, Esau dedi montem Seir ad possidendum : Jacob vero et filii ejus descenderunt in Ægyptum. Misique Mosen et Aaron, et percussi Ægyptum multis signis atque portentis. Eduxique vos et patres vestros de Ægypto, et venistis ad mare, persecutique sunt Ægyptii patres vestros cum curribus et equitatu, usque ad mare Rubrum. Clamaverunt autem ad Dominum *filii Israel* [h. non habet] : qui posuit tenebras inter vos et Ægyptios, et adduxit super eos mare, et operuit illos. Viderunt oculi vestri cuncta quæ in Ægypto fecerim, et habitastis in solitudine multo tempore, et introduxi vos ad terram Amorrhæi, qui habitabat trans Jordanem. Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus vestras, et possedistis terram eorum, atque interfecistis illos. Surrexit autem Balac, filius Sepphor, rex Moab, et pugnavit contra Israelem. Misitque et vocavit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis : et ego nolui audire eum, sed econtrario per illum benedixi vobis, et liberavi vos de manu ejus. Transistisque Jordanem, et venistis ad Jericho. Pugnaveruntque contra vos viri civitatis ejus, Amorrhæus, et Pherezæus, et Chananæus, et Hetthæus, et Gergesæus, et Evæus, et Jebusæus, et tradidi illos in manus vestras. (C. CVII.) Misique ante vos crabrones : et ejeci (h. et ejecerunt) eos de locis suis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo. Deditque vobis terram in qua non laborastis, et urbes quas non ædificastis, ut habitaretis in eis : vineas et oliveta, quæ non plantastis [h. comeditis]. Nunc ergo timete Dominum, et servite ei perfecto corde atque verissimo : et auferte deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia et in Ægypto, ac servite Domino. Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, optio vobis datur : eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis : ego autem et domus mea serviemus Domino. Responditque populus, et ait : Absit a nobis ut relinquamus Dominum, et serviamus diis alienis ! Dominus [h. Quoniam Dominus] Deus noster ipse eduxit nos, et patres nostros, de terra Ægypti, de domo servitutis ; fecitque videntibus nobis signa ingentia, et custodivit nos in omni via per quam ambulavimus, et in cunctis populis per quos transivimus. Et ejecit universas gentes, et Amorrhæum habitatorem terræ, quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino, quia ipse est Deus noster. [C. CIX.] Dixitque Josue ad populum : Non poteritis servire Domino ; Deus enim sanctus, et fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis. Si dimiseritis Dominum, et servieritis diis alienis, convertet se, et affliget vos atque subvertet postquam vobis præstiterit bona. Dixitque populus ad Josue : Nequaquam ita ut loqueris erit, sed Domino serviemus. Et Josue ad populum : Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum ut serviatis ei. Responderuntque : Testes. Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio vestri, et incli-

[1] **Excciderunt librariorum oscitantia e Vulgatis libris hæc verba, *et toto corde*, quæ nedum Hebræus textus habet, et Græcus.**

nate corda vestra ad Dominum Deum Israel. Dixitque populus ad Josue : Domino Deo nostro serviemus,et obedientes erimus præceptis ejus.Percussit igitur Josue in die illo fœdus, et proposuit populo præcepta atque judicia in Sichem. [C. CX.] Scripsitque omnia verba hæc in volumine legis Domini: et tulit lapidem pergrandem,posuitque eum subter quercum,quæ erat in sanctuario Domini : et dixit ad omnem populum : En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba Domini quæ locutus est vobis : ne forte postea negare velitis, et mentiri Domino Deo vestro. Dimisitque populum, singulos in possessionem suam. Et post hæc mortuus est Josue, filius Nun, servus Domini, centum decem amorum : sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Thamnath Sare, quæ sita est in monte Ephraim, a septentrionali parte montis Gaas. Servitque Israel Domino cunctis diebus Josue, et seniorum qui longa vixerunt tempore post Josue, et qui noverant omnia opera Domini quæ fecerat in Israel. Ossa quoque Joseph, quæ tulerant filii Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem,in parte agri quem emerat Jacob a filiis Emor, patris Sichem, centum novellis ovibus, et fuit in possessionem filiorum Joseph. Eleazar quoque, filius Aaron, mortuus est : et sepelierunt eum in Gabaath Phinees filii ejus, quæ data est ei in montem Ephraim.

Explicit liber Josue ben Nun.

TITULI LIBRI JUDICUM.

I. Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum, quis esset dux belli; et Dominus:Judas. Adonibesech vex ab Israel comprehenditur;deinde Cariath-Arbe et cæteræ civitates. De Chaleb et Aza, filia ejus : de agro postulato, et de Gaza : de filiis Enac exstinctis : de Bethel, de Luza, et homine proditore ejus, quarum cum habitatores non delevissent, postea reversi oppresserunt Israelem : et angelus Domini venit, et improperat eis flentibus.

II. Ubi tanquam mox mortuum Josue commemorat, et senioribus timoratis mortuis novella ætas lasciva succrevit,quæ Deum omnino non coluit;et Baalim serviendo Dominum ad iracundiam provocavit;et tradidit eos in manibus hostium.De quinque satrapis Philistinorum relictis : de filiis Chananæorum sociatis : de Chuzan Rasathaim Mesopotomiæ et de Othoniel, rege Israel.

III. Peccaverunt filii Israel,et tradidit eos Dominus Eglon regit Moab; et clamaverunt ad Dominum, et suscitavit eis Aod, filium Gera, quæ occidit Eglon crassum, et Moabitas decem millia. De Samgari filio Anath, qui occidit sexcentos viros vomere.Iterum peccaverunt,et traditi sunt Jabin regi : Debbora et Barach, exercitu ducto, occiderunt Jabin. De Jabel, uxore Haber, quæ palo occidit Sisarum. Et canticum Debboræ et Barac.

IV. Peccantes iterum traditi sunt in manu Madian, et humiliati clamant ad Dominum; et mittit ad eos prophetam,improperans angelus Domini venit ad Gedeon frumenta terentem, et mala quæ sibi acciderant, enumerat, et audit Gedeon quod per se ipsum liberaturus esset Dominus Israelem.De sacrificio oblato et dixit Dominus ad eum nocte, ut destructa ara Baal, et luco exciso, de tauro septenario patris tui offerat sacrificium. De conventu, et Madianitis. Gedeon, vellere posito in area, quærit signum. Dominus dixit ad eum : Multus est tecum populus. Ad aquas probantur, et trecenti viri probi inveniuntur;et jussu Domini descendit in castra, et audit somnium referentem de proventu belli. De Salmana et Zebee. De Oreb. De viris Socchot, et de turre Phanuel, et CXX millia occisorum. De inauribus aureis a Gedeon de præda postulatis, et de morte quieta ejusdem Gedeon.

V. Iterum peccaverunt filii Israel, et Abimelech naturalis Gedeon conspirat cum Sichimitis.Conductis vagis occidit septuaginta viros, filios Gedeon, e quibus Jonatha minor absconditus,in posterum venit, et dicit super eos parabolam.De Gaal, filio Hebed, qui cum fratribus suis transit in Sichimam et Zebul, princeps civitatis, mittit ad Abimelech occulte. Committunt prælium. De turre Sichimorum,ubi fumo et igne mille homines pericrunt.De populo Thebes, et turre in medio ejus firmissima, ad quam accedens Abimelech, jecit mulier fragmentum molæ, et occidit eum.

VI. Post Abimelech surrexit Thola: post eum Jair. Iterum peccaverunt filii Israel Deo, et traditi sunt Philisthæis; et afflicti nimis clamaverunt ad Dominum dicentes : Peccavimus tibi. Similiter secundo, et misertus est illis.De Jephthe Galaadite constituto principe super Israel.Et legatos mittit ad Philisthiim. De voto ejus temerario. De victoria belli, et morte filiæ. De editione in Ephraim. Post Jephthe surrexit Abessan, deinde Ahialon et Abdon. Rursum de peccato Israel.

VII. De Menube, cui angelus apparuit.De nativitate Samson,qui adultus accepit mulierem de filiabus Philisthiim. De leone occiso et favo mellis. Et proponit parabolam, quam uxor publicat : qua dimissa alteri traditur. Iratus Samson vulpes capit, et colligatis, ignem supposuit, et segetes accendit. De maxilla asini mille viros occidit, et inde aqua ipsi sitienti processit. De muliere, et

portis in Gaza. De Dalila, quæ eum accepit. Productus e carcere ut luderet, templum super eos una secum dejecit.

VIII. De Micha et mille centum argenteis. De sculptili et conflatili. De alio adolescente Bethlehemita, qui factus est sacerdos in domo Micha. De filiis Dan euntibus Lachis auferentibus sacerdotem, et idola. De Jonathan, filio Gersan, filii Moysi, sacerdote idoli.

IX. De Levita accipiente uxorem de Bethlehem Juda, qua reversa in domum patris, vir ejus secutus A grate suscipitur. De lætitia eorum, et itinere. De hominibus Gabaa Benjamin iniquis, qui virum appetunt ac mulierem. De abusa muliere, et fatigata, et mortua. De cadavere ejus diviso in duodecim partes, et misso per duodecim tribus. Pro hoc facto omnis populus congregatur : adversus tribum Benjamin bellum indicunt : semel et iterum superantur; tertio victores exsistunt. Pœnitentia ducti flentes dolent unam periisse tribum, ex qua sexcentis viris remanentibus consilium ineunt qualiter tribus quæ cecidit reparetur.

BREVES [1] LIBRI JUDICUM.

I. Judas eligitur dux belli.

II. Increpat populum Dominus pro excessu idolorum.

III. Post obitum Josue fecerunt Israelitæ malum in conspectu Domini [2] : quos tradidit inimicis suis in prædam.

IV. Excitantur a Domino judices ad liberationem Israel ; etiam ipsos spreverunt : quibus reservavit gentes, ut in ipsis experiatur Israel.

V. Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit [3].

VI. Pro excessu idolorum captivati sunt a rege Chusan Mesopotamiæ.

VII. Item pro malis traduntur Eglon regi Moab : quem interfecit Aod in cœnaculo suo cum arte, interfectis etiam decem milibus Moabitarum, et quievit terra [4] octoginta annis.

VIII. Samgar qui occidit sexcentos viros vomere.

IX. Constantia mulieris Jahle, quæ clavum infixit B tempori Sisaræ. Sequitur canticum Barac et Deboræ.

X. Post excessus populi consuetos, apparuit angelus Domini Gedeon, confortans ad præliandum. Subvertit etiam Baal, et obtulit sacrificium Domino. Ipsius viri trecenti lamberunt aquas ut canes. Is postmodum excessit cum Israel.

XI. De regno Abimelech infirmo, qui moritur de fragmento petræ molæ [5].

XII. Regnum Jair.

XIII. Regnum Jephthe. Is occidit filiam suam, et fecit consuetudinem malam.

XIV. Judex Abessan.

XV. Judex Manue, cujus filius famosus Samson.

XVI. Excessus Michæ.

XVII. De adolescente Levita agnito apud Micham, et revocato a tribu Dan in sacerdotium idoli. C

XVIII. Vir Levites cui contigit nefas.

[1] Pal. *Capitula* de more vocat : unumque facit ex primo et secundo, sub unius numeri nota, et continenti serie, ubi et legit : *Increpat eos angelus Domini pro excessu*, etc.

[2] Reliquum textum verborum, *quos tradidit inimicis suis in prædam*, Palatin. ms. ignorat.

[3] Econtrario hic addit idem Palatin. ms. *ut erudiret eas in Israel.*

[4] In Pal. ms. *triginta annis*, duntaxat.

[5] Addit Palatin. ms. : *Is occidit filiam suam et fecit consuetudinem malam :* quæ mox referunt ad Jephthe ad quem pertinent.

CAPITULA LIBRI JUDICUM.

I. Adonibezech fugiens comprehensus est, cæsis D summitatibus manuum ejus ac pedum.

II. Habitatores Dabir, cujus nomen vetus erat Cariath-Sepher, id est, civitas litterarum.

III. Filii Cinæi cognati Moysi ascenderunt de civitate Palmarum cum filiis Juda.

IV. Jebusæum habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Benjamin.

V. Vocavitque urbem Luzam, quæ ita appellatur usque in præsentem diem.

VI. Aser non delevit habitatores Accho.

VII. Loquente angelo Domini ad filios Israel, elevaverunt vocem suam et fleverunt.

VIII. Dimisit Josue populum, et abierunt filii Israel unusquisque in possessionem suam.

IX. Iratus Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium.

X. Iratus est furor Domini in Israel, et ait : Quia irritum fecit gens ista pactum meum, non delebo gentes.

XI. Dimisit Dominus has nationes, et cito subvertere noluit.

XII. Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem.

XIII. Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananæorum.

XIV. Liberator populi Othoniel filius Cenez.
XV. Liberator populi Aod filius Gera, filii Gemini, qui utraque manu utebatur pro dextra.
XVI. Samgar, filius Anath, qui percussit de Philisthæis sexcentos viros.
XVII. Erat autem Debbora prophetis uxor Lapidoth, quæ judicabat populum.
XVIII. Surrexit itaque Debbora, et perrexit cum Balac in Vades.
XIX. Nuntiatum est Sisaræ, quod ascendisset Barac in montem Thabor.
XX. Egressa Jahel in occursum Sisaræ, dixit : Intra ad me, domine mi.
XXI. Canticum Debboræ quod cecinit cum Barac.
XXII. Filii Israel traditi sunt in manu Madian septem annis.
XXIII. Israel clamat ad Dominum auxilium postulans contra Madianitas.
XXIV. Angelus Domini sedit sub quercu, quæ erat in Ephra.
XXV. Signum Gedeon postulat in vellere.
XXVI. De trecentis viris ad aquas probatis.
XXVII. Gedeon oravit Dominum, narrante Madianita somnium proximo suo de pane subcinericio.
XXVIII. Trecenti viri hydrias confringentes, et tubis sonantes clamaverunt ; gladius Domini, et Gedeonis.
XXIX. Immisit Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se cæde trucidabant.
XXX. Ephraim persecutus est Madian, capita Oreb et Zeb portantes ad Gedeon.
XXXI. Nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer ?
XXXII. Interrogavit Gedeo Zebee et Salmana de fratribus suis, quos occiderunt in Thabor.
XXXIII. Fuit Abimelech filius Jerobaal in Sichem ad fratres matris suæ.
XXXIV. Locutus est Jonathan viris Sichem similitudinem de oliva, et vite, et rubo.
XXXV. Jonathan dicit viris Sichem, si recte et absque peccato constituistis super vos regem Abimelech ?
XXXVI. Post Abimelec surrexit dux in Israel Thola, filius Phua.
XXXVII. Jair Galaadites judicavit Isral per viginti et duos annos.
XXXVIII. Dicit Dominus filiis Israel ; Non addam ultra vos liberare.
XXXIX. Fuit illo tempore Jephthe Galaadites, vir fortissimus atque pugnator.
XL. Locutus est Jephthe omnes sermones coram Domino in Maspha.
XLI. Jephthe votum filia vovit pro filiis Ammon.
XLII. Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon vocare nos noluistis ?
XLIII. Judicavit Israel Abessan de Bethlehem, qui habuit triginta filios et totidem filias.
XLIV. Ahialon Zabulonites judicavit Israel decem annis, mortuusque est ac sepultus in Zabulon.
XLV. Judicavit Israel Abdon filius Helet Pharatonites.
XLVI. Erat vir quidam de Sara et de stirpe Dan.
XLVII. Samson natus.
XLVIII. Samson dixit patri : Hanc mulierem accipe mihi, quia placuit oculis meis.
XLIX. Spiritus Domini irruit in Samson, et dilaceravit leonem.
L. Samson sodalibus suis proposuit problema de favo mellis ab ore leonis sumpto.
LI. De vulpibus quas Samson cepit.
LII. De maxilla, id est mandibula, asini.
LIII. De portis quas Samson in vertice montis tulit cum postibus et sera.
LIV. De Dalida.
LV. Philisthæi lætantes per convivia, vocant Samson.
LVI. Michas matri suæ loquitur.
LVII. De filiis Dan.
LVIII. De Jonathan filio Gersan.
LIX. De Levita habitante in latere montis Ephraim.

INCIPIT

LIBER SOPHTIM

ID EST

JUDICUM.

(T. I, B. I, *Cap.* I.) Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes : Quis ascendet ante nos contra Chananæum, et erit dux belli ? Dixitque Dominus : Judas ascendet . ecce tradidi terram in manus ejus. Et ait Judas Simeoni fratri suo : Ascende mecum in sorte mea, et pugna contra Chananæum, ut et ego pergam tecum in sorte tua. Et abiit cum eo Simeon. Ascenditque Judas, et tradidit Dominus Chananæum ac Pherezæum in manus eorum : et percusserunt in Bezec decem millia viro-

rum. [C. I]. Inveneruntque Adoni Bezec in Bezec, et pugnaverunt contra eum, ac percusserunt Chananæum et Pherezæum. Fugit autem Adoni-Bezec : quem secuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum ejus ac pedum. Dixitque Adoni-Bezec : Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias : sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Jerusalem, et ibi mortuus est. Oppugnantes ergo filii Judæ Jerusalem, ceperunt eam, et percusserunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem. Et postea descendentes pugnaverunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, et ad meridiem, et in campestribus. Pergensque Judas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron, cujus nomen fuit antiquitus Cariath-Arbe, percussit Sisai, et Ahimam, et Tholmaid atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cujus nomen vetus erat Cariath-Sepher, id est, civitas litterarum. [C. II]. Dixitque Chaleb : Qui percusserit Cariath-Sepher, et vastaverit eum, dabo ei Axam filiam meam uxorem. Cumque cepisset eam Othoniel, filius Cenez, frater Chaleb minor, dedit ei Axam filiam suam conjugem, quam pergentem in itinere monuit vir [1] suus, ut peteret a patre, suo agrum. Quæ cum suspirasset sedens in asino, dixit ei Chaleb : Quid habes? At illa respondit : Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi, da et irriguam aquis. Dedit ergo ei Chaleb irriguum superius, et irriguum inferius. [C. III]. Filii autem Cinæi cognati Mosi, ascenderunt de civitate palmarum, cum filiis Juda, in desertum sortis ejus, quod est ad meridiem Arad, et habitaverunt cum eo. Abiit autem Judas cum Simeone, fratre suo, et percusserunt simul Chananæum qui habitabat in Sephath, et interfecerunt eum. Vocatumque est nomen urbis, Horma, id est, anathema. Cepitque Judas Gazam cum finibus suis, et Ascalonem, atque Accaron cum terminis suis. Fuitque Dominus cum Juda, et montana possedit; nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. Dederuntque Chaleb Hebron, sicut dixerat Moses, qui delevit ex ea tres filios Enac. [C. IV]. Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Benjamin; habitavitque Jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem, usque in præsentem diem. Domus quoque Joseph ascendit in Beth-El, fuitque Dominus cum eis. Nam cum obsiderent urbem, quæ prius Luza vocabatur, viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum: Ostende nobis introitum civitatis, et faciemus tecum misericordiam. Qui cum ostendisset eis, percusserunt urbem in ore gladii; hominem autem illum et omnem cognationem ejus dimiserunt. Qui dimissus, abiit in terram Ethim, et ædificavit ibi civitatem. [C. V.] Vocavitque eam Luzam : quæ ita appellatur usque in præsentem diem. Manasses quoque non delevit Beth-San, et Thanac cum viculis suis, et habitatores Dor, et Jeblaam, et Mageddo cum viculis suis, cœpitque Chananæus habitare cum eis. Postquam autem confortatus est Israel, fecit eos tributarios, et delere noluit. Ephraim etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo. Zabulon non delevit habitatores Cetron et Naalol, sed habitavit Chananæus in medio ejus, factusque est et tributarius. (C. VI). Aser quoque non delevit habitatores Accho, et Sidonis, et Aalab et Achazib, et Alba, et Aphec, et Roob; habitavitque in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum. Nephthali (*Vulg. add.* quoque) non delevit habitatores Beth-Semes et Beth-Anath; et habitavit inter Chananæum habitatorem terræ, fueruntque ei Betshamitæ et Bethanitæ tributarii. Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent : habitavitque in monte Hares, quod interpretatur testaceo, in Ailon et Salabim. Et aggravata est manus domus Joseph, factusque est ei tributarius. Fuit autem terminus Amorrhæi ab ascensu Scorpionis, petra, et superiora loca.

(B. II, *Cap.* II). Ascenditque angelus Domini de Galgal ad locum flentium, et ait : Eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris : et pollicitus sum ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum : ita duntaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus, et (*Vulg.* sed) aras eorum subverteretis : et noluistis audire vocem meam : cur hoc fecistis? Quam ob rem nolui delere eos a facie vestra : ut habeatis hostes, et dii eorum sint vobis in ruinam. (C. VII). Cumque loqueretur angelus Domini verba hæc ad omnes filios Israel, elevaverunt (*Vulg. add.* ipsi) vocem suam, et fleverunt. Et vocatum est nomen loci illius, Flentium (*Vulg. add.* Locus) sive lacrymarum : immolaveruntque ibi hostias Domino. (C. VIII). Dimisit ergo Josue populum, et abierunt filii Israel unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam : servieruntque Domino cunctis diebus ejus, et seniorum qui longo post eum vixerunt tempore, et noverant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israel. (T. II, B. III). Mortuus est autem Josue, filius Nun, famulus Domini, centum et decem annorum, et sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thamnath-Sare in monte Ephraim, a septentrionali plaga montis Gaas. Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos : et surrexerunt alii, qui non noverant Dominum, et opera quæ fecerat eum Israel. Feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini, et servierunt Baalim. Ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti : et secuti sunt deos alienos, deosque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, et adoraverunt eos, et ad iracundiam concitaverunt Dominum, di-

[1] Palatin. ms. *monuit eam vir.* Vide quæ de hujus loci sensu diximus paulo superius in caput Josue xv.

mittentes eum, et servientes Baal : et Astharoth. (C. IX). Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manibus diripientium,qui deceperunt eos,et vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum, nec potuerunt resistere adversariis suis ; sed quocunque pergere voluissent,manus Domini erat super eos sicut locutus est, ut juravit eis, et vehementer afflicti sunt (B.IV). Suscitavitque Dominus judices,qui liberarent eos de vastantium manibus ; sed nec illos audire voluerunt, fornicantes cum diis alienis, et anorantes eos. Cito deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum, et audientes mandata Domini,omnia fecere contraria. Cumque Dominus judices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, et audiebat afflictorum gemitus,et liberabat eos de cæde vastantium. Postquam autem mortuus esset judex, revertebantur, et multo majora [2] faciebant quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis, et adorantes illos. Non dimiserunt adinventiones suas,et viam durissimam,per quam ambulare consueverant. (C. X). Iratusque est furor Domini in Israel, et ait : Quia irritum fecit gens ista pactum meum,quod pepigeram cum patribus eorum,et vocem meam audire contempsit : et ego non delebo gentes, quas dimisit Josue, et mortuus est, ut in ipsis experiar Israel,utrum custodiant viam Domini, et ambulent in ea,sicut custodierunt patres eorum, an non. (B. V). Dimisit ergo Dominus omnes has nationes, et cito subvertere noluit, nec tradidit in manus Josue.

(C. XI, *Cap.* III). Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit,ut erudiret in eis Israelem, et omnes qui non noverant bella Chananæorum : ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus,et habere consuetudinem præliandi : quinque satrapas Philisthinorum, omnemque Chananæum, et Sidonium, atque Evæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon usque ad introitum Emath.Dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Mosi, an non. (B. VI, C. XII). Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananæi, et Hetthæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Evæi, et Jebusæi ; et duxerunt uxores filias eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, et servierunt diis eorum. Feceruntque malum in conspectu Domini,et obliti sunt Dei sui. servientes Baalim et Astharoth. Iratusque Dominus contra Israel,tradidit eos in manus Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, servieruntque ei octo annis. (C. XIII). Et clamaverunt ad Dominum : qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem Chaleb minorem ; fuitque in eo Spiritus Domini, et judicavit Israel. Egressusque est ad pugnam, et tradidit Dominus in manu ejus Chusan-Rasathaim, regem Syriæ, et pressit eum. Quievitque terra quadraginta annis,et mortuus est Othoniel filius Cenez. (T. III, C. VII). Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu Domini ; qui confortavit adversum eos Eglon, regem Moab, quia fecerunt malum in conspectu ejus. Et copulavit ei filios Ammon et Amalec, abiitque et percussit Israel atque possedit urbem Palmarum. Servieruntque filii Israel Eglon, regi Moab, decem et octo annis. (C. XIV). Et postea clamaverunt ad Dominum : qui suscitavit eis salvatorem vocabulo Aod [3], filium Gera, filii Jemini, qui utraque manu utebatur pro dextera. Miseruntque filii Israel per illum munera Eglon regi Moab. Qui fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, et accinctus est eo subter sagum in dextro femore. Obtulitque munera Eglon, regi Moab. Erat autem Eglon crassus nimis. Cumque obtulisset ei munera, prosecutus est socios, qui cum eo venerant. Et reversus de Galgalis,ubi erant idola,dixit ad regem : Verbum secretum habeo ad te, o rex. Et ille imperavit silentium ; egressisque omnibus qui circa eum erant, ingressus est Aod ad eum : sedebat autem in æstivo cœnaculo solus,dixitque : Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno. Extenditque Aod manum sinistram, et tulit sicam de dextro femore suo, infixitque eam in ventre ejus tam valide, ut capulus ferrum sequeretur in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita ut percusserat, reliquit in corpore : statimque per secreta naturæ alvi stercora proruperunt. Aod autem clausis diligentissime ostiis cœnaculi,et obfirmatis sera, per posticam egressus est. Servique regis ingressi viderunt clausas fores cœnaculi, atque dixerunt : Forsitan purgat alvum in æstivo cubiculo. Exspectantesque diu donec erubescerent, et videntes quod nullus aperiret, tulerunt clavem, et aperientes invenerunt dominum suum in terra jacentem mortuum. Aod autem,dum illi turbarentur, effugit, et pertransiit locum idolorum,unde reversus fuerat. Venitque in Seirath : et statim insonuit buccina in monte Ephraim, descenderuntque cum eo filii Israel,ipso in fronte gradiente.Qui dixit ad eos : Sequimini me,tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras. Descenderuntque post eum, et occupaverunt vada Jordanis quæ transmittunt in Moab ; et non dimi-

[1] Juxta Hebræum habent codd. nostri *Baal*, quanquam in Palatin. posterior manus rescripsit, *Baalim*.

[2] Sic mss. omnes ; editi. *multo pejora ;* sed unus est sensus, sive *majora*, sive *pejora* legamus. MART.

[3] Non solum *Aod*, sed *Aod inclytum filium Gera*, legunt mss. aliquot recentiores libri cum Canone Hebr. verit. Certum est autem illud, *inclytum*, nihil aliud esse præter interpretationem nominis *Aod*, quæ errore librariorum fluxit e margine in sacrum contextum. MART.

— Mss., *Aoth*, vel *Haoth*. Unus Palatin. nostris addit secunda manu *inclytum* ; quæ vox ipsius nominis *Aod* interpretatio est.

serunt transire quemquam; sed percusserunt Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robustos et fortes viros. Nullus eorum evadere potuit. Humiliatusque est Moab die illo sub manu Israel, et quievit terra, octoginta annis, [B. VII. C. XV.] Post hunc fuit Samgar, filius Anath, qui percussit de Philistim sexcentos viros vomere, et ipse quoque defendit Israel.

[B. IX, *Cap.* IV.] Addideruntque filii Israel facere malum in conspectu Domini post mortem Aod, et tradidit illos Dominus in manus Jalin, regis Chanaan, qui regnavit in Asor: habuitque ducem exercitus sui nomine Sisaram, ipse autem habitabat in Aroseth gentium. Clamaveruntque filii Israel ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, et per viginti annos vehementer oppresserat eos. [C. XVI.] Erat autem Debbora prophetis uxor Laphidoth, quæ judicabat populum in illo tempore. Et sedebat sub palma, quæ nomine illius ascendebantque ad eam filii Israel in omne judicium, Quæ misit et vocavit Barac filium Abionem de Cedes Nephthali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Israel, vade, et duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, et de filiis Zabulon: ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison, Sisaram principem exercitus Jabin et currus ejus, atque omnem multitudinem, et tradam eos in manu tua. Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: si nolueris venire, non pergam. Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, sed in hac vice tibi victoria non reputabitur, quia in manu mulieris tradetur Sisara. [C. XVII.] Surrexit itaque Debbora, et perrexit cum Barac in Cedes. Qui accitis Zabulon et Nephtholi, ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu suo. Aber autem Cinæus recesserat quondam a cæteris Cinæis fratribus suis, filiis Jobab, cognati Mosi, et tetenderat tabernacula usque ad vallem, quæ vocabatur Sennim, et erat juxta Cedes. [C. XVIII.] Nuntiatumque est Sisaraæ, quod ascendisset Barac filius, Abinoem in montem Thabor. Et congregavit nongentos falcatos currus, omnemque exercitum de Aroseth gentium ad torrentem Cison. Dixitque Debbora ad Barac: Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas: en ipse ductor est tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, et decem millia pugnatorum cum eo. Perterruitque Dominus Sisaram, et omnes currus ejus, universamque multitudinem, in ore gladii, ad conspectum Barac: in tantum, ut Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret, et Barac persequeretur fugientes currus et exercitum, usque ad Aroseth gentium, et omnis hostium Multitudo usque ad internecionem caderet. Sisara autem fugiens pervenit ad tentorium Jahel uxoris Aber Cinæi. [B. XIX.] Erat enim pax inter Jabin regem Azor, et domum Aber Cinæi. Egressa igitur Jahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me, domine mi: intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum ejus, et opertus ab ea pallio, dixit ad eam: Da mihi, obsecro, paululum aquæ, quia valde sitio. Quæ aperuit utrem lactis, et dedit ei bibere, et operuit illum. Dixitque Sisara ad eam. Sta ante ostium tabernaculi, et cum venerit aliquis interrogans te, et dicens: Nunquid hic est aliquis? respondebis: Nullus est. Tulit itaque Jahel, uxor Aber, clavum tabernaculi, assumens pariter et malleum: et ingressa abscondite et cum silentio, posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram: qui soporem morti socians defecit, et mortuus est. Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat: egressaque Jahel in occursum ejus dixit ei: Veni, et ostendam tibi virum quem quæris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram jacentem mortuum, et clavum infixum in tempore ejus. Humiliavit ergo Deus in die illo Jabin regem Chanaan coram filiis Israel: qui crescebant quotidie, et forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.

[C. XX, *Cap.* V.] Cecineruntque Debbora et Barac, filius Abinoem, in illo die, dicentes:

Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum,
benedicite Domino.
Audite, reges, percipite auribus, principes:
Ego sum, ego sum quæ Domino canam,
psallam Domino Deo Israel.
Domine, cum exires de Seir,
et transires per regiones Edom,
Terra mota est, cœlique ac nubes stillaverunt aquis. Montes fluxerunt a facie Domini,
et Sinai a facie Domini Dei Israel.
In diebus Samgar filii Anath,
in diedus Jahel, quieverunt semitæ:
et qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios.

Cessaverunt fortes in Israel, et quieverunt:
donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel.
Nova bella elegit Dominus,
et portas hostium ipse subvertit:
Clypeus et hasta si apparuerint
in quadraginta millibus Israel.
Cor meum diligit principes Israel,
qui propria voluntate obtulistis vos discrimini.
benedicite Domino.
Qui ascenditis super nitentes asinos,
et sedetis in judicio,
et ambulatis in via, loquimini.
Ubi collisi sunt currus, et hostium est suffocatus exercitus,
ibi narrentur justitiæ Domini
et clementia in fortes Israel.
Tunc descendit populus Domini ad portas,
et obtinuit principatum.

Surge, surge, Debbora,
surge, surge, et loquere canticum :
Surge, Barac,
et apprehende captivos tuos, filii Abinoem.
Salvatæ sunt reliquiæ populi,
Dominus in fortibus dimicavit.
Ex Ephraim delevit eos in Amalec,
et post eum ex Benjamin in populos tuos, o Amalec.
De Machir principes descenderunt,
et de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.
Duces Issachar fuere cum Debbora,
et Barac vestigia sunt secuti,
qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit.
Diviso contra se Ruben,
magnanimorum reperta contentio est.
Quare habitas inter duos terminos,
ut audias sibilos gregum ?
Diviso contra se Ruben,
magnanimorum reperta contentio est,
Galaad trans Jordanem quiescebat,
et Dan vacabat navibus :
Aser habitabat in littore maris,
in portubus morabatur.
Zabulon vero et Nephthali obtulerunt animas suas morti
in regione Merome.
Venerunt reges et pugnaverunt,
pugnaverunt reges Chanaan,
in Thanach juxta aquas Mageddo,
et tamen nihil tulere prædantes.
De cœlo dimicatum est contra eos :
stellæ manentes in ordine et cursu suo,
adversum Sisaram pugnaverunt.
Torrens Cison traxit cadavera eorum,
torrens Cadumin, torrens Cison :
conculca, anima mea, robustos
Ungulæ equorum ceciderunt,
fugientibus impetu,
Et per præceps ruentibus fortissimis hostium.
Maledicite terræ Meroz, dixit angelus Domini :
maledicite habitatoribus ejus,
quia non venerunt ad auxilium Domini,
in adjutorium fortissimorum ejus.
Benedicta inter mulieres Jahel uxor Aber Cinæi,
benedicatur in tabernaculo suo.
Aquam petenti lac dedit,
et in phiala principum obtulit butyrum.
Sinistram manum misit ad clavum,
et dexteram ad fabrorum malleos,
Percussitque Sisaram quærens in capite vulneri locum,
et tempus valide perforans.
Inter pedes ejus ruit :
defecit, et mortuus est.
Ante pedes illius volvebatur,
et jacebat exanimis et miserabilis.
Per fenestram prospiciens ululabat mater ejus :
et de cœnaculo loquebatur.
Cur moratur regredi currus ejus ?
quare tardaverunt pedes quadrigarum illius ?
Una sapientior cæteris uxoribus ejus
hæc socrui verba respondit :
Forsitan nunc dividit spolia,
et pulcherrima feminarum eligitur ei :
Vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam,
et supellex varia ad ornanda colla congeritur.
Sic pereant omnes inimici tui, Domine :
qui autem diligunt te,
sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.

(C. XXI) Quievitque terra per quadraginta annos.

(T. IV, B. X, *Cap.* VI.) Fecerunt autem filii Israel malum in conspectu Domini : qui tradidit eos in manu Madian septem annis, et oppressi sunt valde ab eis. Feceruntque sibi antra speluncas in montibus, et munitissima ad repugnandum loca. Cumque sævisset Israel, ascendebat Madian et Amalec, cæterique orientalium nationum, et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis, cuncta vastabant usque ad introitum Gazæ : nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos. Ipsi enim et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, et instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum et camelorum quidquid tetigerant, devastantes. Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian. (C. XXII.) Et clamavit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas. Qui misit ad eos virum prophetam, et locutus est : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego vos feci conscendere de Ægypto, et eduxi de domo servitutis, et liberavi de manu Ægyptiorum et omnium inimicorum,qui affligebant vos : ejecique eos introitum vestrum,et tradidi vobis terram eorum. Et dixi : Ego Dominus Deus vester, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluistis audire vocem meam. Venit autem angelus Domini, et sedit sub quercu, quæ erat in Ephra et pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, apparuit ei angelus Domini, et ait : Dominus tecum, virorum fortissime. Dixitque ei Gedeon : Obsecro, domine mi, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia ? ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri atque dixerunt : De Ægypto eduxit nos Dominus ? Nunc autem dereliquit nos (*Vulg. addit* Domini), et tradidit in manu Madian. Respexitque ad eum Dominus, et ait : Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian : scito quod miserim te. Qui respondens ait : Obsecro, domine mi, in quo liberabo Israel ? ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus

in domo patris mei. Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum, et percuties Madian quasi unum virum. Et ille : Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum, quod tu sis qui loqueris ad me. Ne recedas hinc, donec revertar ad te, portans sacrificium, et offerens tibi. Qui respondit : Ego præstolabor adventum tuum. Ingressus est itaque Gedeon et coxit hædum et de farinæ modio azymos panes : carnesque ponens in canistro, et jus carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, et obtulit ei. Cui dixit angelus Domini : Tolle carnes et panes azymos, et pone supra petram illam, et jus desuper funde. Cumque fecisset ita, extendit angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebant in manu, et tetigit carnes et azymos panes, ascenditque ignis de petra, et carnes azymosque panes consumpsit ; angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus. Vidensque Gedeon, quod esset angelus Domini, ait : Heu mihi, Domine Deus, quia vidi angelum Domini facie ad faciem. Dixitque ei Dominus : Pax tecum: ne timeas, non morieris. Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax, usque in præsentem diem. Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri, nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, et alterum taurum annorum septem, destruesque aram Baal, quæ est patris tui, et nemus, quod circa aram est, succide : et ædificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ hujus, super quam sacrificium ante posuisti : Tollesque taurum secundum, et offeres holocaustum super lignorum struem, quæ de nemore succideris. Assumptis igitur Gedeon decem viris de servis suis, fecit sicut præceperat [*Vulg. addit* ei] Dominus. Timens autem domum patris sui, et homines illius civitatis, per diem facere noluit, sed omnia nocte complevit. Cumque surrexissent viri oppidi ejus mane, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, et taurum alterum impositum super altare, quod tunc ædificatum erat. Dixeruntque ad invicem : Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum est : Gedeon, filius Joas, fecit hæc omnia. Et dixerunt ad Joas : Produc filium tuum, ut moriatur : quia destruxit aram Baal, et succidit nemus. Quibus ille respondit : Nunquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo? qui adversarius est ejus, moriatur antequam lux crastina veniat: si deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram ejus. Et illo die vocatus est Gedeon, Jerobaal eo quod dixisset Joas : Ulciscatur se Baal de eo, qui suffodit altare ejus. Igitur omnis Madian, et Amalec, et orientales populi congregati sunt simul, et transeuntes Jordanem, castrametati sunt in valle Jezrael. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut se sequeretur. Misitque nuntios in universum Manassen, qui et ipse secutus est eum, et alios nuntios in Aser et Zabulon et Nephtali, qui occurrerunt ei. [C. XXIV.] Dixit Gedeon ad Deum : Si salvum facias per manum meam Israel, sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in arca : si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore complevit. Dixitque rursus ad Deum : Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro, ut solum vellus siccum sit, et omnia terra rore madens. Fecitque Deus nocte illa ut postulaverat, et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra.

[*Cap.* VII.] Igitur Jerobaal, qui et Gedeon, de nocte consurgens, et omnis populus cum eo, venit ad fontem qui vocatur Harod. Erant autem castra Madian in valle ad septentrionalem plagam collis excelsi. Dixitque Dominus ad Gedeon : Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus, ne glorietur contra me Israel, et dicat : Meis viribus liberatus sum. Loquere ad populum, et cunctis audientibus prædica : Qui formidolosus et timidus est, revertatur. Recesseruntque de monte Galaad, et reversi sunt de populo viginti duo millia virorum, et tantum decem millia remanserunt. [C. XXV.] Dixitque Dominus ad Gedeon : Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, et ibi probabo illos, et de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipse pergat : quem ire prohibuero, ipse revertatur. Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon : Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum : qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt. Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os projiciente aquas lambuerant, trecenti viri : omnis autem reliqua multitudo flex poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon : In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, et tradam Madian in manu tua: omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum. Sumptis itaque pro numero cibariis et tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua, et ipse cum trecentis viris se certamini dedit. Castra autem Madian erant subter in valle. Eadem nocte dixit Dominus ad eum : Surge, et descende in castra : quia tradidi eos in manu tua. Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phura puer tuus. Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, et securior ad hostium castra descendes. Descendit ergo ipse et Phura puer ejus in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliæ. Madian autem et Amalec, et omnes orientales populi, fusi jacebant in valle, ut locustarum multitudo : cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena quæ jacet in littore maris. [C. XXVI.] Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo, et in hunc modum referebat quod viderat : Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et Madian castra descendere : cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, et

terræ funditus coæquavit. Respondit is, cui loquebatur : Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis, filii Joas, viri Israelitæ ; tradidit enim Deus [*Vulg.* Dominus],in manus ejus Madian et omnia castra ejus. Cumque audisset Gedeon somnium, et interpretationem ejus, adoravit, et reversus ad castra Israel, ait Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian. Divisitque trecentos viros in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampadas in medio lagenarum. Et dixit ad eos : Quod me facere videritis, hoc facite ; ingrediar partem castrorum, et quod fecero sectamini. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite et conclamate, Domino et Gedeoni. Ingressusque Gedeon, et trecenti viri qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ, et custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clangere, et complodere inter se lagenas. [C. XXVII.] Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampadas, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque : Gladius Domini et Gedeonis, stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostium [*Vulg.* hostilium.] Omnia itaque castra turbata sunt, et vociferantes, ululantesque fugerunt, et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes. [C. XXVIII.] Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se cæde truncabant, fugientes usque ad Beth-Seta, et crepidinem Abel-Meula in Tebbath. Conclamantes autem viri Israel de Nephthali, et Aser, et omni Manasse, persequebantur Madian. Misitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens : Descendite in occursum Madian, et occupate aquas usque Beth Bara atque Jordanem. Clamavitque omnis Ephraim, et præoccupavit aquas usque Beth Bara atque Jordanem. Apprehensosque duos viros Madian, Oreb et Zeb, interfecit Oreb in Petra Oreb, Zeb vero in Torcularí Zeb. [C. XXIX.] Et persecuti sunt Madian, capita Oreb et Zeb portantes ad Gedeon [1] de contra fluenta Jordanis.

[*Cap.* VIII.] Dixeruntque ad eum viri Ephraim : Quid est hoc quod facere voluisti, ut non nos vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? jurgante fortiter, et prope vim inferentes. [C. XXX.] Quibus ille respondit : Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? Nonne melior est racemus Ephraim, vindemiis Abiezer? In manus vestras tradedit Dominus principes Madian, Oreb et Zeb : quid tale facere potui, quale vos fecistis? Quod cum locutus esset, requievit spiritus eorum, quo tumebant contra eum. Cumque venisset Gedeon ad Jordanem, transivit cum eum trecentis viris secum erant, et præ lassitudine, fugientes persequi non poterant. Dixitque ad viros Soccoth : obsecro, panes populo, qui mecum est, quia defecerunt, ut possimus persequi Zebee et Salmana reges Madian. Responderunt principes Soccoth : Forsitan palmæ manuum Zebee et Salmana in manu tua sunt, et idcirco postulas ut demus exercitui tuo panes. Quibus ille ait : Cum ergo tradiderit Dominus Zebee et Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti. Et inde conscendens, venit in Phanuel : locutus est ad viros ejus loci similia. Cui illi responderunt sicut responderant viri Soccoth. Dixit itaque et ei : Cum reversus fuero victor in pace, destruam turrem hanc. Zebee autem et Salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim millibus remanserant ex omnibus turmis orientalium populorum, cæsis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium. Ascendensque Gedeon per viam eoram qui in tabernaculis morabantur ad orientalem partem Nobe et Jegbaa, percussit castra hostium, qui secuti erant, et nihil adversi suspicabantur. Fugeruntque Zebee et Salmana, quos persequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum. Revertensque de bello ante solis ortum, apprehendit puerum de viris Soccoth, et interrogavitque eum nomina principum et senum Soccoth, et descripsit septuaginta septem viros. Venitque ad Soccoth, et dixit eis : En Zebee et Salmana, super quibus exprobrastis mihi, dicentes : Forsitan manus Zebee et Salmana in manibus tuis sunt, et idcirco postulas ut demus viris, qui fessi sunt et defecerunt, panes. Tulit ergo seniores civitatis et spinas deserti ac tribulos, et contrivit in eis, atque comminuit viros Soccoth. Turrem quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis. [C. XXXI.] Dixitque ad Zebee et Salmana : Quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor? Qui respondérunt : Similes tui, et unus ex eis quasi filius regis. Quibus ille ait [*Vulg.* respondit] : Fratres mei fuerunt, filii matris meæ. Vivit Dominus, quia si servassetis eos, non vos occiderem. Dixitque ad Jether primogenito suo : Surge, et interfice eos. Qui non eduxit gladium : timebat enim, quia adhuc puer erat. Dixeruntque Zebee et Salmana : Tu surge, et irrue in nos, quia juxta ætatem robur hominis. Surrexit Gedeon, et interfecit Zebee et Salmana, tulit ornamenta ac bullas, quibus regalium camelorum decorari solent. Dixerunt omnes viri Israel ad Gedeon : Dominare nostri

[1] In Hebræo est כוּעבר לירדן, *meever Laiiardem*, quod Septuaginta ἀπὸ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, sive ut in ms. Alexandrino ἐκ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, id est, *de trans Jordanem*, transtulerunt. Canon, *contra fluenta Jordanis*. At Hieronymus particulam *de* supplendam monuit nos lib. *de locis Hebraicis : Meeber*, inquit, *pro quo Aquila transtulit*, ἀπὸ πέραν ; *Symmachus* ἐξεναντίας, *id est*, *trans*, vel *de co* Alii mss. Bibliorum legunt, *trans*. MART.

— Nostri mss., *ad Gedeon trans fluenta Jord* Illud *de contra* pressius hæret Hebræo כוּעבר, tur que ipse Hieronymus post Aquilam et Sym hum probasse lib. *de Locis*, ad vocem *Meeber*, et Martian. notat.

et filius tuus,et filius filii tui,quia liberasti nos de manu (*Vulg. tacet* manu) Madian. Quibus ille ait : Non dominabor vestri,nec dominabitur in vos filius meus,sed dominabitur Dominus. Dixitque ad eos : Unam petitionem postulo a vobis : date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim aureas Ismaelitæ habere consueverant. Qui responderunt : Libentissime dabimus. Expandentesque super terram pallium, projecerunt in eo inaures de præda, et fuit pondus postulatarum inaurium, mille septingenti auri sicli,absque ornamentis,et monilibus, et veste purpurea, quibus Madian reges uti soliti erant, et præter torques aureas camelorum. Fecitque ex eo Gedeon ephod,et posuit illud in civitate sua Ephra. Fornicatusque est omnis Israel in eo,et factum est Gedeoni et omni domui ejus in ruinam. Humiliatus est autem Madian coram filiis Israel, nec potuerunt ultra elevare cervices, sed quievit terra per quadraginta annos, quibus præfuit Gedeon : (B. XI). Abiit itaque Jerobaal, filius Joas, et habitavit in domo sua : habuitque septuaginta filios,qui egressi sunt de femore ejus, eo quod plures haberet uxores. Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech. Mortuusque est Gedeon filius Joas in senectute bona, et sepultus in sepulcro Joas patris sui in Ephra de familia Ezri. (T. V). Postquam autem mortuus est Gedeon,aversi sunt filii Israel,et fornicati sunt cum Baalim. Percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in deum, nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus omnium inimicorum suorum per circuitum,nec fecerunt misericordiam cum domo Jerobaal Gedeon,juxta omnia bona quæ fecerat Israeli.

(C. XXXII. *Cap.* IX). Abiit autem Abimelech filius Jerobaal in Sichem ad fratres matris suæ et locutus est ad eos, et ad omnem cognationem domus patris matris suæ, dicens : Loquimini ad omnes viros Sichem : Quid vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri omnes filii Jerobaal, an ut dominetur vobis unus vir? simulque considerate, quia os vestrum et caro vestra sum. Locutique sunt fratres matris ejus de eo ad omnes viros Sichem universos sermones istos, et inclinaverunt cor eorum post Abimelec, dicentes : Frater noster est. Dederuntque illi septuaginta pondo argenti de fano Baal-Berith. Qui conduxit sibi ex eo viros inopes et vagos, secutique sunt eum. Et venit in domum patris sui in Ephra,et occidit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros, super lapidem unum,remansitque Joatham filius Jerobaal minimus, et absconditus est. Congregati sunt autem omnes viri Sichem,et universæ familiæ urbis Mello : abieruntque et constituerunt regem Abimelech, juxta quercum quæ stabat in Sichem. (C. XXXIII). Quod eum nuntiatum esset Joatham, ivit et stetit in vertice montis Garizim, elevataque voce clamavit, et dixit : Audite me, viri Sichem, ita ut (*Vulg. tacet* ut) audiat vos Deus. Ierunt ligna, ut ungerent super se regem : dixeruntque olivæ : Impera nobis. Quæ respondit : Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum : Veni, et super nos regnum accipe. Quæ respondit eis : Nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, et ire ut inter cætera ligna promovear? Locutaque sunt ligna ad vitem : Veni, et impera nobis. Quæ respondit (*Vulg. addit* eis) : Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cætera promoveri (*Al.* commoveri)? Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum : Veni, et impera super nos. Quæ respondit ei : Si vere me regem vobis constituitis, venite et sub umbra mea requiescite. Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani. (C. XXXIV). Nunc igitur, si recte et absque peccato constituistis super vos regem Abimelech, et bene egistis cum Jerobaal, et cum domo ejus,et reddidistis vicem beneficiis ejus, qui pugnavit pro vobis, et animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian,qui nunc surrexistis contra domum patris mei, et interfecistis filios ejus septuaginta viros super unum lapidem, et constituistis regem Abimelech filium ancillæ ejus super habitatores Sichem, eo quod frater vester sit : si ergo recte et absque vitio egistis cum Jerobaal,et domo ejus, hodie lætemini in Abimelech, et ille lætetur in vobis. Sin autem perverse, egrediatur ignis ex eo, et consumat habitatores Sichem, et oppidum Mello, egrediaturque ignis de viris Sichem, et de Mello, et devoret Abimelech. Quæ cum dixisset, fugit et abiit in Bera : habitavitque ibi metu Abimelech fratris sui. Regnavit itaque Abimelech super Israel tribus annis. Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech et habitatores Sichem, qui cœperunt eum detestari, et scelus interfectionis septuaginta filiorum Jerobaal, et effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum, et in cæteros Sichimorum principes,qui eum adjuverant. Posueruntque insidias adversus eum in montium summitate, et dum illius præstolarentur adventum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus. Nuntiatumque est Abimelech. Venit autem Gaal filius Ebed cum fratribus suis, et transivit in Sichimam. Ad cujus adventum erecti habitatores Sichem, egressi sunt in agros, vastantes vineas, uvasque calcantes,et factis cantantium choris, ingressi sunt fanum dei sui, et inter epulas et pocula maledicebant Abimelech. Et dicit Gaal filius (*Vulg.* clamante Gaal filio) Ebed : Quis est Abimelech, et quæ est Sichem,ut serviamus ei? nunquid non est filius Jerobaal,et constituit principem Zebul servum suum super viros Emor patris Sichem? Cur igitur serviemus ei? utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech. Dictumque est Abimelech : Congrega exercitus mul-

titudinem, et veni. Zebul enim princeps civitatis, auditis sermonibus Gaal filii Obed, iratus est valde, et misit clam ad Abimelech nuntios, dicens : Ecce Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis, et oppugnat adversum te civitatem. Surge itaque nocte cum populo qui tecum est, et latita in agro, et primo mane, oriente sole, irrue super civitatem. Illo autem egrediente adversum te cum populo suo, fac ei quod potueris. Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo nocte, et tetendit insidias juxta Sichimam in quatuor locis. Egressusque est Gaal filius Obed,et stetit in introitu portæ civitatis.Surrexit autem Abimelech, et omnis exercitus cum eo de insidiarum loco. Cumque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul : Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit : Umbras montium vides quasi hominum capita, et hoc errore deciperis. Rursusque Gaal ait : Ecce populus de umbilico terræ descendit, et unus cuneus venit per viam quæ respicit quercum. Cui dixit Zebul: Ubi est nunc os tuum,quo loquebaris: Quis est Abimelech ut serviamus ei ? Nonne iste
8 st populus, quem despiciebas ? Egredere et pugna contra eum. Abiit ergo Gaal, spectante Sichimorum populo, et pugnavit contra Abimelech, qui persecutus est eum fugientem, et in urbem compulit ; cecideruntque ex parte ejus plurimi, usque ad portam civitatis : et Abimelech sedit in Ruma : Zebul autem, Gaal et socios ejus expulit de urbe, nec in ea passus est commorari. Sequenti ergo die egressus est populus in campum. Quod cum nuntiatum esset Abimelech, tulit exercitum suum, et divisit in tres turmas, tendens insidias in agris. Videnque quod egrederetur populus de civitate, surrexit et irruit in eos cum cuneo suo,oppugnans et obsidens civitatem : duæ autem turmæ palantes per campum adversarios persequebantur. Porro Abimelech omni illo die oppugnabat urbem,quam cepit, interfectis habitatoribus ejus, ipsaque destructa, ita ut sal in ea dispergeret. Quod cum audissent qui habitabant in turre Sichimorum, ingressi sunt fanum dei sui Berith, ubi fœdus cum eo pepigerant, et ex eo locus nomen acceperat, qui erat valde munitus. Abimelech quoque, audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, ascendit in montem Selmon cum omni populo suo, et, arrepta securi, præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios : Quod me vidistis (*Vulg.* videtis) facere, cito facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem. Qui circumdantes præcidium, succenderunt ; atque ita factum est, ut fumo et igne mille hominum necarentur, viri pariter ac mulieres, habitatorum turris Sichem. Abimelech autem,inde proficiscens, venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obsidebat exercitu. Erat autem turris excelsa in media civitate, ad quam confugerant viri simul ac mulieres,et omnes principes civitatis, clausa firmissime janua, et super turris tectum stantes per propugnacula. Accedensque Abimelech juxta turrim, pugnabat fortiter : et appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur. (C. XXXVI). Et ecce mulier una fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum ejus. Qui vocavit cito armigerum suum, et ait ad eum : Evagina gladium tuum, et percute me : ne forte dicatur quod a femina interfectus sim. Qui jussa perficiens, interfecit eum. Illoque mortuo, omnes qui cum eo erant de Israel, reversi sunt ad sedes suas : et reddidit Deus malum,quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis ; Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est, et venit super eos maledictio Joatham filii Jerobaal.

(T. VI, C. XXXVI, *Cap.* X). Post Abimelech surrexit dux in Israel Thola filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar, qui habitavit in Samir [1] montis Ephraim : et judicavit Israelem viginti et tribus annis, mortuusque ac sepultus est in Samir. (B. XII, C. XXXVII). Huic successit Jair Galaaditæ, qui judicavit Israel per viginti et duos annos, habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, et principes triginta civitatum, quæ ex nomine ejus appellatæ sunt Havoth-Jair, id est, oppida Jair, usque in præsentem diem, in terra Galaad. Mortuusque est Jair, ab sepultus in loco cui est vocabulum Camon. Filii autem Israel, peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conspectu Domini, et servierunt idolis, Baalim et Astharoth, et diis Syriæ ac Sidonis et Moab et filiorum Ammon et Philisthim : dimiseruntque Dominum, et non colebant eum. Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philisthim et filiorum Ammon. Afflictique sunt, et vehementer oppressi per annos decem et octo,omnes qui habitabant trans Jordanem in terra Amorrhæi, qui est in Galaad : in tantum, ut filii Ammon, Jordane transmisso, vastarent Judam et Benjamin et Ephraim: afflictusque est Israel nimis.Et clamantes ad Dominum, dixerunt : Peccavimus tibi,quia dereliquimus Deum nostrum (*Vulg. addit* Dominum) et servivimus Baalim.Quibus locutus est Dominus : Nunquid non Ægyptii et Amorrhæi, filiique Ammon et Philisthim, Sidonii quoque et Amalec et Chanaan, oppresserunt vos, et clamastis ad me, et erui vos de manu eorum ? Et tamen reliquistis me, et coluistis deos alienos. (C. XXXVIII). Idcirco non addam ut ultra vos liberem : Ite, et invocate

[1] Non *Samir*, sed *Sanir* legimus in Canone et aliis mss. codicibus. Id vitii forte inductum est a librariis, qui supra Deuteronomii cap. III, vers. 9, sub littera B, nomen *Sanir* legerant. Præterquam quod error inolevit apud exscriptores Latinos, ut *m* scribant pro *n*, et *n* pro *m*. Hieronymus libro nominum Hebraicorum habet *Samir*. MART.

— Mss. quoque nostri *Sanir* : in Hebræo autem est שניר, et Græce Σαμίρ.

deos quos elegistis : ipsi vos liberent in tempore augustiæ. Dixeruntque filii Israel ad Dominum : Peccavimus redde tu nobis quidquid tibi placet : tantum nunc libera nos. Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola projecerunt, et servierunt Domino (*Vulg. addit* Deo) : qui doluit super miseriis eorum. Itaque filii Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria : contra quos congregati filii Israel, in Maspha castrametati sunt. Dixeruntque principes Galaad singuli ad proximos suos : Qui primus *e nobis* (h. non habet) contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.

(B. XIII, C XXXIX, *Cap.* XI.) Fuit illo tempore Jephthe Galaadites, vir fortissimus atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus est de Galaad, B Habuit autem Galaad uxorem, de qua suscepit filios, qui postquam creverant, ejecerunt Jephthe, dicentes : Hæres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre generatus es. Quos ille fugiens atque devitans, habitavit in terra Tob: congregatique sunt ad eum viri inopes, et latrocinantes, et quasi principem sequebantur. In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Israel. Quibus acriter instantibus, perrexerunt majores natu Galaad, ut tollerent in auxilium sui Jephthe de terra Tob : dixeruntque ad eum : Veni, et esto princeps noster, et pugna contra filios Ammon. Quibus ille respondit : Nonne vos estis, qui odistis me, et ejecistis de domo patris mei, et nunc venistis ad me necessitate compulsi ? Dixeruntque principes Galaad ad Jephthe : Ob hanc igi- C tur causam nunc ad te venimus, ut proficiscaris nobiscum, et pugnes contra filios Ammon, sisque dux omnium qui habitant in Galaad. Jephthe quoque dixit eis : Si vere venistis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero princeps vester? Qui responderunt ei : Dominus, qui hæc audit, ipse mediator ac testis est, quod nostra promissa faciemus. Abiit itaque Jephthe cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem sui. (C. XL) Locutusque est Jephthe omnes sermones suos coram Domino in Maspha. Et misit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex persona sua dicerent : Quid mihi et tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam ? Quibus ille respondit : Quia tulit D Israel terram eam, quando ascendit de Ægypto, a finibus Arnon usque Jebboc atque Jordanem : nunc igitur cum pace redde mihi eam. Per quos rursum mandavit Jephthe : et imperavit eis, ut dicerent regi Ammon : Hæc dicit Jephthe : Non tulit A Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon : sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulavit per solitudinem usque ad mare Rubrum, et venit in Cades. Misitque nuntios ad regem Edom, dicens : Dimitte me, ut transeam per terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus ejus. Misit quoque et ad regem Moab, qui et ipse transitum præbere contempsit. Mansit itaque in Cade, et circumivit ex latere terram Edom et terram Moab : venitque contra orientalem plagam terræ Moab, et castrametatus est trans Arnon : nec voluit intrare terminos Moab : Arnon quippe confinium est terræ Moab. Misit itaque Israel nuntios ad Seon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Esebon, et dixerunt ei : Dimitte ut transeam per terram tuam usque ad fluvium. Qui et ipse Israel verba despiciens, non dimisit eum transire per terminos suos : sed infinita multitudine congregata, egressus est contra eum in Jessa, et fortiter resistebat. Tradiditque eum Dominus in manus Israel cum omni exercitu suo, qui[1] percussit eum, et possedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius, et universos fines ejus, de Arnon usque Jebboc, et de solitudine usque ad Jordanem. Dominus ego Deus Israel subvertit Amorrhæum pugnante contra illum populo suo Israel, et tu nunc vis possidere terram ejus ? Nonne ea, quæ possidet Chamos Deus tuus, tibi jure debentur ? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem : nisi forte melior es Balac filio Sepphor rege Moab : aut docere potes quod jurgatus sit contra Israel, et pugnaverit contra eum, quando habitavit in Esebon, et viculis ejus, et in Aroer, et villis illus, vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem, per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis ? Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non justa. Judicet Dominus arbiter hujus diei, inter Israel et inter filios Ammon. Noluitque acquiescere rex filiorum Ammon verbis Jephthe, quæ per nuntios mandaverat. Factus est ergo super Jephthe Spiritus Domini : et circumiens Galaad, et Manasse, Maspha quoque Galaad, et inde transiens ad filios Ammon, votum vovit Domino, dicens. [C. XLI.] Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egressus fores (*Al.* de foribus) domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino [1]. Transivitque Jephthe ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos : quos tradidit Dominus in ma-

[1] Totum hunc locum replicat Hieronymus libro primo adversus Jovinianum : *A plerisque Hebræorum*, inquit, *reprehenditur puter voti temerarii, qaia dixerit :* Si tradens tradideris filios Ammon in manibus meis, quicunque exierit de domo mea in occursum mihi, cum reverti cœpero in pace a filiis Ammon, erit Domino, et offeram illum holocaustum. *Si canis, inquiunt, si asinus occurrisset, quid faceres*, etc.? Advertat lector istam Hieronymi versionem ad Hebraica verba propius accedere, quam illa quæ in ipso contextu sacro legitur. MART.

— Locum hunc pressius ad Hebræum recitat S. Pater, lib. 1 *contra Jovinian.* num. 23, qui habet ex recensione nostra : *Si tradens tradideris filios Ammon in manibus meis, omnis quicunque exierit de domo mea in occursum mihi, cum reverti cœpero in pace a filiis Ammon, erit Domino, et offeram illum holocaustum.*

nus ejus. Percussitque ab Aroer usquo dum veniens in Mennith, viginti civitates, et usque ad Abel, quæ est vineis consita, plaga magna nimis. Humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israel. Revertenti autem Jephthe in Maspha domum suam occurrit unigenita filia cum tympanis et choris. Non enim habebat alios liberos. Qua visa, scidit vestimenta sua, et ait: Heu! [*Vulg. addit* me] filia mi, decepisti me, et ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero. Cui iila respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcunque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis. Dixitque ad patrem: Hoc solum mihi præsta, quod te deprecor: dimitte me,ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis. Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abiisset cum sociis ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus. Expletisque duobus mensibus, reversa est ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat, quæ ignorabat virum. Exinde mos increbuit in Israel, et consuetudo servata est, ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israel, et plangant filiam Jephthe Galaaditæ diebus quatuor.

[C. XLII, *Cap.* XII.] Ecce autem in Ephraim orta seditio est: nam transeuntes contra aquilonem dixerunt ad Jephthe: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos voluisti, ut pergeremus tecum? Igitur incendemus te et [*Vulg. tacet* te et] domum tuam. Quibus ille respondit: Disceptatio erat mihi et populo meo contra filios Ammon vehemens: vocavique vos, ut mihi præberetis auxilium, et facere noluistis. Quod cernens posui in manibus meis animam meam, transivitque ad filios Ammon, et tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, ut adversum me consurgatis in prælium? Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim: percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitivus est Galaad de Ephraim, et habitat in medio Ephraim et Manasse. Occupaveruntque Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reversurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim numero, fugiens, atque dixisset: Obsecro ut me transire permittatis: dicebant ei Galaaditæ: Nunquid Ephrathæus es? quo dicente: Non sum: interrogabant eum: Dic ergo Sibboleth [1] [Sibboleth per Sin, Zibboleth per Zamach], quod interpretatur Spica. Qui respondebat Zibboleth, eadem littera spicam exprimere non valens, statimque apprehensum jugulabant in ipso Jordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia. Judicavit itaque Jephthe Galaadites Israel sex annis, et mortuus est, ac sepultus in civitate sua Galaad, [B. XIV, C. XLIII.] Post hunc judicavit Israel Abesan de Beth-Leem: qui habuit triginta filios et totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, et ejusdem numeri filiis suis accepit uxores, introducens in domum suam. Qui septem annis judicavit Israel. Mortuusque est, ac sepultus in Beth-Leem. [C. XLIV.] Cui successit Elon Zabulonites: et judicavit Israel decem annis: mortuusque est, ac sepultus in Zabulon. [C. XLV.] Post hunc judicavit Israel Abdon, filius Hellel, Pharathonites, qui habuit quadraginta filios, et triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum, et judicavit Israel octo annis: mortuusque est, ac sepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte Amalec.

[*Cap.* XIII.] Rursumque filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manus

[1] Primum nomen istud apud Hebræos scribitur per *Shin*, שבולת *Schibboleth*: posterius autem habet *Samech* סבולת *Sibboleth*: idque monet scholiastes noster, qui Hebræum elementum ס, vocat *Zamac*; nisi notariorum librariorumque pronuntiatione vel imperitia *Zamech* illud fluxerit pro *Samech*. Non levis est apud criticos sacros controversia de sono *Sibboleth* per *Sin*, et de eodem per *Samech*. Quidam volunt litteram *Sin* ש fuisse prolatam ut *s* nostrum in principio dictionis: *Sammech* ס autem ut *s* inter duas vocales *m*, tamquam pronuntiaretur *Zibboleth* per *z*. Quæ profecto quadrant ad scholia Canonis Hebraicæ veritatis, uti perspicuum est, et ad lectionem insuper antiqui exemplaris ms. in nostra bibliotheca obtinentis numerum 1: nam in eo codice Corbeiensis monasterii scriptum legimus: *Dic ergo, Sebboleth, quod interpretatur spica. Qui respondebat Zebboleth*, etc. Sic etiam habebatur olim in ms.codice Colbertino Aniciensi n. 157, ubi ab aliquo emendatore de *Zebbolet* factum est *Tebolet;* quemadmodum superstitibus adhuc litterarum vestigiis planissime demonstratur, Alii autem docent Hebræorum ש pronuntiari ut *s* crassum, quod Ephrathæi proferre nequiverunt, sed loco ejus *s* acutum proferebant, id est, pro *Schibboleth*, dicebant *Sibboleth*. Huic opinioni suffragari potest codex noster S. Germani n. 3, quia utroque loco scribit *Sibboleth*, quasi discrimen ש et ס Hebræorum, nullum sit apud Latinos, præterquam in sono pronuntiantis. Notat denique R. David Kimhi eodem vitio Ephratæos laborasse, quo laborant Galli non valentes sonare litteram *Schim*, sed eam efferentes ac si esset *Thau* raphatum, quod verum esse nemo non dixerit, qui consulet mis. codices Biblicos, Regium 3563, Colbertinum 181, Corbeiensem 10, S. Germani 5 et 7, præcipue vera 164, in quo *Thau* raphatum reperitur, hoc est, *Thoboleth*, pro *Sibboleth*, *vel Zibboleth*. Cæteri legunt *Tebboleth*, *t* nempe pro Hebræo ס *Samech*. At de his elementis ac prolatione eorum audiendus est ipse Hieronymus, qui libro *Nominum Hebraicorum* litteram *s* non prætermisit intactam: « Hoc nunc quoque, inquit, in *s* littera sciendum est. Siquidem apud eos (Hebræos) tres *s* sunt littera: una quæ dicitur *Samech*, et simpliciter legitur, quasi per nostram litteram describatur. Alia *sin*, in qua stridor quidam non nostri sermonis interstrepit. Tertia *sade*, quam nostræ aures penitus reformidant.» Hinc liquet *Samech* Hebræorum simpliciter per *s* sive *z* fuisse pronuntiatum: *sin* autem quemdam habuisse stridorem alienum ac Latinis insuetum. MART.

— Præferunt nostri ms. pari consensu, *Sebboleth*. Martianæus de varia hujus vocis pronuntiatione et scriptura pluribus disserit.

Philisthinorum, quadraginta annis. (T. VII, B. XV, C. XLVI.) Erat autem quidam vir de Saraa, et de stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem sterilem. Cui apparuit angelus Domini, et dixit ad eam: Sterilis es et absque liberis : sed concipies et paries filium, cave ergo ne vinum bibas ac siceram, nec immundum quidquam comedas, qui concipies et paries filium, cujus non tanget caput novacula, erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua et ex matris utero : et ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum. Quæ cum venisset ad maritum suum dixit ei : Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem cum interrogassem, qui esset, et unde venisset, et quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere, sed hoc respondit: Ecce concipies et paries filium : cave ne vinum bibas, nec siceram, et ne aliquo vescaris immundo : erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua, et ex utero matris usque ad diem mortis suæ. Oravit itaque Manue Dominum, et ait ; Obsecro, Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum et doceat nos quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est. Exaudivitque Dominus precantem Manue, et apparuit rursum angelus Dei uxori ejus sedenti in agro. Manue autem maritus ejus non erat cum ea. Quæ cum vidisset angelum, festinavit et cucurrit ad virum suum : nuntiavitque ei, dicens : Ecce apparuit mihi vir, quem ante videram. Qui surrexit et secutus est uxorem suam : veniensque ad virum, dixit ei : Tu es qui locutus es mulieri? Et ille respondit : Ego sum. Cui Manue : Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer? aut a quo se observare debebit ? Dixitque angelus Domini ad Manue : Ab omnibus quæ locutus sum uxori tuæ, abstineat se, et quidquid e vinea nascitur, non comedat : vinum et siceram non bibat, nullo vescatur immundo, et quod ei præcepi, impleat atque custodiat Dixitque Manue ad angelum Domini : Obsecro te, ut aquiescas precibus meis, et faciamus tibi hædum de capris. Cui respondit angelus : Si me cogis, non comedam panes tuos ; sin autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue quod angelus Domini esset. Dixitque ad eum : Quod est tibi nomen, ut, si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te ? Cui ille respondit : Cur quæris nomen meum, quod est mirabile ? Tulit itaque Manue hædum de capris, et libamenta, et posuit super petram, offerens Domino, qui facit mirabilia : ipse autem et uxor ejus intuebantur. Cumque ascenderet flamma altaris in cœlum, angelus Domini in flamma pariter ascendit. Quod cum vidissent Manue et uxor ejus, proni ceciderunt in terram, et ultra eis non apparuit angelus Domini. Statimque intellexit Manue angelum esse Domini, et dixit ad uxorem suam : Morte moriemur, quia vidimus Deum. Cui respondit mulier : Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset : sed (*Vulg. tacet* sed) nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea quæ sunt ventura, dixisset. (C. XLVII.) Peperit itaque filium, et vocavit nomen ejus Samson. Crevitque puer, et benedixit ei Dominus. Cœpitque Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa et Esthaol.

(*Cap.* XIV.) Descendit ergo Samson in Thamnatha. Videnque ibi mulierem de filiabus Philisthim, ascendit et nuntiavit patri suo, et matri (*Vulg. addit* suæ), dicens : Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum ; quam quæso, ut mihi accipiatis uxorem. Cui dixerunt pater et mater sua: Nunquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, et in omni populo tuo [1], quia vis accipere uxorem de Philisthim, qui incircumcisi sunt ? (C. XLVIII.) Dixitque Samson ad patrem suum : Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. Parentes autem ejus occasionem quod res a Domino fieret, et quæreret occasionem contra Philisthim. Eo enim tempore Philisthim dominabantur Israeli. Descendit itaque Samson cum patre suo et matre in Thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sævus, rugiens, et occurrit ei. (C. XLIX.) Irruit autem Spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem, quasi hædum in frueta discerperet (*Vulg.* discerpens), nihil omnino habens in manu, et hoc patri et matri noluit indicare. Descendítque et locutus est mulieri, quæ placuerat oculis ejus. Et post aliquot dies revertens ut acciperet eam, declinavit ut videret cadaver leonis, et ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis. Quem cum sumpisset in manibus, comedebat in via : veniensque ad patrem suum et matrem, dedit eis partem, qui et ipsi comederunt, nec tamen eis voluit indicare quod mel de corpore leonis assumpserit. Descendit itaque pater ejus ad mulierem, et fecit filio suo Samson convivium. Sic enim juvenes facere consueverant. Dum igitur cives loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta, qui essent cum eo. Quibus locutus est Samson : Proponam vobis problema : quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones et totidem tunicas : sin autem non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones, et ejusdem numeri tunicas. (C. L.) Qui responderunt ei : Propone problema, ut audiamus. Dixitque eis : De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo. Nec potuerunt per tres dies propositionem solvere. Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson : Blandire viro tuo, et suade ei ut indicet tibi quid significet problema [2]. Quod si facere nolueris, incendemus te, et domum patris tui.

[1] Ita Canon et mss. quamplures Latini : idemque pronomen secundæ personæ retinet Syrus, et Arabs interpres. Editi legunt juxta Hebræum, *in omni populo meo*. MART. — Urbinas ms. cum Vulgatis *populo meo* legit pro *tuo* : idque rectius ad Hebræum.

[2] In hoc et in sequenti versiculo Canon Hebr, verit. nomen *problema* scriptum habet in textu litte-

An idcirco nos vocastis ad nuptias, ut spoliarctis? Quæ fundebat apud Samson lacrymas, et querebatur dicens: Odisti me, et non diligis: idcirco problema, quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille respondit: Patri meo et matri nolui dicere, et tibi indicare potero? Septem igitur diebus convivii flebat apud (*Vulg.* ante) eum: tandemque die septimo cum ei molesta esset, exposuit. Quæ statim indicavit civibus suis. Et illi dixerunt ei die septimo ante solis accubitum: Quid dulcius melle, et quid leone fortius? Qui ait ad eos: Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam. Irruit itaque in eum Spiritus Domini, descenditque Ascalonem, et percussit ibi triginta viros. Quorum ablatas vestes dedit iis qui problema solverant. Iratusque nimis ascendit in domum patris sui: uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis ejus et pronubis.

[*Cap.* XV.] Post aliquantum autem temporis, cum dies triticeæ messis instarent, venit Samson, invisere volens uxorem suam, et attulit ei hædum de capris. Cumque cubiculum ejus solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius dicens: Putavi quod odisses eam, et ideo tradidi illam amico tuo: sed habet sororem, quæ junior et pulchrior illa est, sit tibi pro ea uxor. Cui respondit Samson: Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthæos: faciam enim vobis mala. (C. LI.) Perrexitque, et cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, et faces ligavit in medio: quas igne succendens, dimisit, ut huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philisthinorum. Quibus succensis, et comportatæ jam fruges, et adhuc stantes in stipula, concrematæ sunt, in tantum, ut vineas quoque et oliveta flamma consumeret. Dixeruntque Philisthim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est: Samson gener Thamnathæi: quia tulit uxorem ejus, et alteri tradidit, hæc operatus est. Ascenderuntque Philisthim, et combusserunt tam mulierem quam patrem ejus. Quibus ait Samson: Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, et tunc quiescam. Percussitque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori, imponerent. Et descendens habitavit in spelunea petræ Etam. Igitur ascendentes Philisthim in terram Juda, castrametati sunt, in loco qui postea vocatus est Lehi, id est, maxilla, ubi eorum est fusus exercitus. Dixeruntque ad eos de tribu Juda: Cur ascendistis adversum nos? Qui responderunt: Ut ligemus Samson, venimus, et reddamus ei quæ in nos operatus est. Descenderunt ergo tria millia virorum de Juada ad specum silicis Etam, dixeruntque ad Samson: Nescis quod Philisthim imperent nobis? quare hoc facere voluisti? Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi, feci eis. Ligare, inquiunt, te venimus, et tradere in manus Philisthinorum. Quibus respondit Samson: Jurate, et spondete mihi quod non me occidatis. Dixerunt: Non te occidemus, sed vinctum trademus. Ligaveruntque eum duobus novis funibus, et tulerunt de petra Etam. Qui cum venisset ad locum Maxillæ, et Philisthim vociferantes occurrissent ei, irruit Spiritus Domini in eum: et sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula quibus ligatus erat, dissipata sunt et soluta. (C. LII.) Inventamque maxillam, id est, mandibulam asini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros, et ait: In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, delevi eos, et percussi mille viros. Cumque hæc verba canens complesset, projecit mandibulam de manu, et vocavit nomen loci illius Ramath-Lehi, quod interpretatur elevatio maxillæ, Sitiensque valde, clamavit ad Dominum, et ait: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam: et en siti morior, incidamque in manus incircumcisorum. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, et vires recepit. Idcirco appellatum est nomen loci illius, fons invocantis de maxilla, usque in præsentem diem. Judicavitque Israel in diebus Philisthim viginti annis.

(*Cap.* XVI.) Abiit quoque in Gazam, et vidit ibi meretricem mulierem, ingressusque est ad eam. Quod cum audissent Philisthim, et percrebuisset apud eos, intrasse urbem Sanson, circumdederunt eum, positis in porta civitatis custodibus: et ibi tota nocte cum silentio præstolantes, ut facto mane exeuntem occiderent. (C. LIII.) Dormivit autem Samson usque ad noctis medium: et inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis et sera, impositasque humeris (*Vulg. add.* suis) portavit ad verticem montis qui respicit Hebron. (C. LIV.) Post hæc amavit mulierem, quæ habitabat in valle Sorec, et vocabatur Dalila. Veneruntque ad eam principes Philisthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, et disce ab illo, in quo tantem habeat fortitudinem, in quo modo eum superare valeamus, et vinctum affligere. Quod si feceris, dabimus tibi singuli mille et centum argenteos. Locuta est ergo Dalila ad Samson: Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, et quid sit quo ligatus erumpere nequeas? Cui respondit Samson: Si septem nerviceis funibus, necdum siccis et adhuc humentibus, ligatus fuero, infirmus ero ut cæteri homines. Attuleruntque ad eam satrapæ Philistinorum septem funes, ut dixerat: quibus vinxit eum, latentibus apud se insidiis, et in cubiculo finem rei expectantibus; clamavitque ad eum: Philisthim super te, Samson. Qui rupit vincula, quo modo si rumpat quis filum de stupæ tortum putamine [1], cum odo-

ris Græcis, hoc modo ΠΡΟΒΛΗΜΑ. Eadem quoque vocem Græce scriptam ad marginem roperimus in ms. codice nostro num. 3. At parum refert quibus litteris, Græcis aut Latinis, exscribatur, cum mihi mutatur in nomine. MART.

[1] Exscriptor Canonis Hebraicæ veritatis codicem suum emendans ponit, *de stupæ, tortum stamine.* Manuscripti cæteri codices legunt, ut editi, *tortum*

rem ignis acceperit : et non est cognitum in quo esset fortitudo ejus. Dixitque ad eum Dalila : Ecce illusisti mihi, et falsum locutus es : saltem nunc indica mihi quo ligari debeas. Cui ille respondit : Si ligatus fuero novis funibus, qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero, et aliorum hominum similis. Quibus rursum Dalila vinxit eum, et clamavit : Philisthim super te, Samson, in cubiculo insidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quasi fila telarum. Dixitque Dalila rursum ad eum : Usquequo decipies me, et falsum loqueris? ostende quo vinciri debeas. Si, inquit [1], septem crines capitis mei cum licio plexueris, et clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. Quod cum fecisset Dalila, dixit ad eum : Philisthim super te, Samson. Qui consurgens de somno extraxit clavum cum crinibus et licio. Dixitque ad eum Dalila : Quomodo dicis quod ames me, cum animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, et noluisti dicere in quo sit tua maxima fortitudo. Cumque ei molesta esset, et per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, et ad mortem usque lassata est. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam : Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus [id est, consecratus Deo] sum de utero matris meæ : si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque ut cæteri homines. Vidensque illa quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philisthinorum atque mandavit : Ascendite adhuc semel, quia nunc mihi aperuit cor suum. Qui ascenderunt, assumpta pecunia quam promiserant. At illa dormire eum fecit super genua sua, et in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem, et rasis septem crinibus ejus, cœpit abigere eum, et a se repellere : statim enim ab eo fortitudo discessit, dixitque : Philisthim super te, Samson. Qui de somno consurgens, dixit in animo suo : Egrediar sicut et ante feci, et me excutiam, nesciens quod Dominus recessisset ab eo. Quem cum apprehendissent Philisthim, statim eruerunt oculos ejus, et duxerunt Gazam vinctum catenis, et clausum in carcere molere fecerunt. Jamque capilli ejus renasci cœperant, et principes Philisthinorum convenerunt in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo, et epularentur, dicentes : Tradidit deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras. Quod etiam populus videns laudabat deum suum, eademque dicebat : Tradidit deus noster in manus nostras adversarium [*Vulg. add.* nostrum], qui delevit terram nostram, et occidit plurimos. [C. LX.] Lætantesque per convivia, sumptis jam epulis, præceperunt ut vocaretur Samson, et ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter duas columnas. Qui dixit puero regenti gressus suos : Dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, et recliner super eas, et paululum requiescam. Domus autem erat plena virorum ac mulierum, et erant ibi omnes principes Philisthinorum, ac de tecto et solario circiter tria millia utriusque sexus spectabant ludentem Samson. At ille, invocato Domino, ait : Domine Deus, memento mei, et redde nunc mihi fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, et alteram læva tenens, ait : Moriatur anima mea cum Philisthim. Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes et cæteram multitudinem quæ ibi erat, multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat. Descendentes autem fratres ejus et universa cognatio tulerunt corpus ejus, et sepelierunt inter Saraa et Asthaol in sepulcro patris sui Manue; judicavitque Israel viginti annis.

[T. VIII, B. VI., C. XVI, *Cap.* XVII.] Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim, nomine Michas, qui dixit matri suæ : Mille centum argenteos, quos separaveras tibi, et super quibus, me audiente, juraveras, ecce ego habeo, et apud me sunt. Cui illa respondit : Benedictus filius meus Domino. Reddidit ergo eos matri suæ, quæ dixerat ei : consecravi et vovi argentum hoc Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, et faciat sculptile : atque conflatile : et nunc trado illud tibi. Reddidit igitur matri suæ, quæ tulit ducentos argenteos, et dedit eos argentario, ut faceret ex eis sculptile atque conflatile, quod fuit in domo Micha. Qui ædiculam quoque in ea Deo separavit, et fecit ephod, ac theraphim, id est, vestem sacerdotalem, et idola : implevitque unius filiorum suorum manum, et factus est ei sacerdos. In diebus illi non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. [B. XVIII.]

putamine. MART.

— Non incongrue habet Urbinas ms., *de stupa tortum sputamine*, quod est *sputo saliva*. Putamen vero proprie repurgamentum rei cujuslibet dicitur, ut stupæ quasi scoriam hic notet. Palatin. ms. habet : *filum stupæ tortum staminis putamine*; quæ lectio quoad sensum improbanda ipsa quoque non est. Miror magis, in tantula re quam longe abludat Latina ipsa interpretatio ab Hebræo textu ac propositi exempli serie. Comparat enim sacer textus soluta uno ictu a Samsone vincula, פתיל-הנערת cui-piam qui odorem ignis conceperit. Illud ad eo פתיל non *filum tortum putamine*, aut *de stupæ putamine*, sed ἁπλῶς, ut ego quidem sentio, ex ipsa nominis analogia, *floccum*, חנערת *stupæ* sonat : sicque optime comparatio instituitur, respondetque floccus stupæ, qui solo fere ignis odore in fumum evanescit, Samsonis in vinculis confringendis alacritati.

[1] Vulgati addunt : *Cui respondit Samson.* In Hebræo tantum est, ויאמר אליה, *Et dixit ad eam.*

Fuit quoque alter addolescens de Beth-Leem Juda[1], ex cognatione ejus oratque ipse [2] Levites, et habitabat ibi. Egressusque de civitate Beth-Leem, peregrinari voluit ubicunque sibi commodum reperisset. Cumque venisset in montem Ephraim, iter faciens, et declinasset parumper in domum Micha, interrogatus est ab eo unde venisset. Qui respondit : Levita sum de Beth-Leem-Juda, et vado ut habitem ubi potuero, et utile mihi esse perspexero, [*Vulg. add.* Dixitque Michas.] Mane, inquit, apud me, et esto mihi parens ac sacerdos : daboque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem duplicem, et quæ ad victum necessaria sunt. Acquievit et mansit apud hominem, fuitque illi quasi unus de filiis. Implevitque Micha manum ejus, et habuit apud se puerum sacerdotem. Nunc scio, dicens, quod bene mihi faciat Deus habenti Levitici generis sacerdotem.

[*Cap.* XVIII.] In diebus illis non erat rex in Israel, et [3] tribus Dan quærebat possessionem sibi, ut habitaret in ea : usque ad illum enim diem inter cæteras tribus sortem non acceperat. [C. LVII.] Miserunt ergo filii Dan, stirpis et familiæ suæ quinque viros fortissimos de Saraa et de Esthaol, ut explararent terram et diligenter inspicerent : dixeruntque eis : Ite, et considerate terram. Qui cum pergentes venissent in montem Ephraim, et intrassent domum Micha, requieverunt ibi : et agnoscentes vocem adolescentis Levitæ, utentesque illius diversorio, dixerunt ad eum : Quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob causam huc venire voluisti? Qui respondit eis : Hæc et hæc præstitit mihi Michas, et me mercede conduxit, ut sim ei sacerdos. Rogaveruntque eum, ut consuleret Dominum, ut scire possent an prospero itinere pergerent, et res haberet effectum. Qui respondit eis : Ite cum pace : Dominus respicit viam vestram, et iter quo pergitis. Euntes igitur quinque viri venerunt Lais : videruntque populum habitantem in ea absque ullo timore, juxta Sidoniorum consuetudinem, securum et quietum, nullo ei penitus resistente, magnarumque opum, et procul a Sidone atque a cunctis hominibus separatum. Reversique ad fratres suos in Saraa et Esthaol, et quid egissent sciscitantibus responderunt : Surgite, et ascendamus ad eos, vidimus enim terram valde opulentam et uberem : nolite negligere, nolite cessare. Eamus, et possideamus eam, nullus erit labor. Intrabimus ad securos in regionem latissimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei est penuria eorum quæ gignuntur in terra. Profecti igitur sunt de cognatione Dan, id est, de Soraa et Esthaol, sexcenti viri accincti armis bellicis, accendentesque manserunt in Cariath-Jarim Judæ : qui locus, eo tempore, Castrorum Dan nomen accepit, et est post tergum Cariath-Jarim. Et inde transierunt in montem Ephraim. Cumque venissent ad domum Micha, dixerunt quinque viri, qui prius missi fuerant ad considerandam terram Lais, cæteris fratribus suis : Nostis quod in domibus istis sit ephod, et theraphim, et sculptile, atque conflatile : videte quid vobis placeat. Et cum paululum declinassent, ingressi sunt domum adolescentis Levitæ, qui erat in domo Micha, salutaveruntque eum verbis pacificis. Sexcenti autem viri ita ut erant armati, stabant ante ostium. At illi qui ingressi fuerant domum javenis, sculptile, et ephod, et theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, et sacerdos stabat ante ostium sexcentis viris fortissimis haud procul exspectantibus. Tulerunt igitur qui intraverant, sculptile, ephod, et idola, atque conflatile. Quibus dixit sacerdos : Quid facitis? Cui responderunt : Tace et pone digitum super os tuum : venique nobiscum, ut habeamus te patrem ac sacerdotem. Quid tibi melius est, ut sis sacerdos in domo unius viri, an in una tribu et familia in Israel? Quod cum audisset, acquievit sermonibus eorum, et tulit ephod. et idola ac sculptile, et cum eis profectus est. Qui cum pergerent, et ante se ire fecissent parvulos ac jumenta, et omne quod erat pretiosum, jamque a domo Michæ essent procul, viri qui habitabant in ædibus Michæ conclamantes secuti sunt, et post tergum clamare cœperunt. Qui cum respexissent dixerunt ad Micham : Quid tibi vis ? cur clames? Qui respondit : Deos meos, quos mihi feci, tulistis, et sacerdotem, et omnia quæ habeo, et dicitis : Quid tibi est? Dixeruntque ei filii Dan : Cave ne ultra loquaris ad nos, et veniant ad te viri animo concitati, et ipse cum omni domo tua pereas. Et sic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quod fortiores se essent, reversus est in domum suam. Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem et quæ supra diximus : veneruntque in Lais ad populum quiescentem atque securum, et percusserunt eos in ore gladii : urbemque incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul habitarent a Sidona, et cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac negotii. Erat autem civitas sita in regione Roob : quam rursum exstruentes habitaverunt in ea, vocato nomine civitatis Dan, juxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israel, quæ prius Lais dicebatur. [C. LVIII.] Posueruntque sibi sculptile, et Jonathan filium Gersom filii Mosi, ac filios ejus sacerdotes in tribu Dan usque ad diem

[1] Jonathan filius Gerson filii Moysi. Vid. infra cap. XVIII.

[2] Palatin. ms., *et ipse*, paulo quoque post, *unde venis?* pro *unde venisset.*

[3] Repetit Hebræus, *In diebus illis :* Vulgati autem præterea omittunt verba, *Ad habitandum in ea.*

[4] Apud LXX, *Gerson* et *Gersom* legimus : in Latinis autem exemplaribus *Gersan* et *Gersam.* Canon Hebr. verit. capite præcedenti in scholio marginali, et hic in contextu sacro *Gerson* habet : sed manifestus est, ni fallor, exscriptoris lapsus, qui promiscue accipit nomina *Gorson* filii Levi, et *Gersom* filii Mosis. Porro Gersom iste in Hebræis ac Græ-

captivitatis suæ. Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex in Israel.

(T. IX, B. XVIII, C. LIX, *Cap.* XIX). Fuit quidam vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Beth-Leem Juda : quæ reliquit eum, et reversa est in domum patris sui Beth-Leem, mansitque apud eum quatuor mensibus. Secutusque est eam vir suus, volens ei reconciliari, atque blandiri, et secum reducere, habens in comitatu puerum et duos asinos : quæ suscepit eum, et introduxit in domum patris sui. Quod cum audisset socer ejus, cumque (*Vulg.* eumque) vidisset, occurrit ei lætus, et amplexatus est hominem. Mansitque gener in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo et bibens familiariter. Die autem quarto de nocte consurgens, proficisci voluit. Quem tenuit socer, et ait ad eum : Gusta prius pauxillum panis, et conforta stomachum, et sic proficisceris. Sederuntque simul, et comederunt ac biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum suum : Quæso te, ut hodie hic mancas, pariterque lætemur. At ille, consurgens, cœpit velle proficisci. Et nihilominus obnixe eum socer tenuit, et apud se fecit manere. Mane facto parabat Levites iter. Cui rursum socer : Oro te, inquit, ut paululum cibi capias, et assumptis viribus, donec increscat dies, postea proficiscaris. Comederunt ergo simul. Surrexitque adolescens, ut pergeret cum uxore sua et puero. Cui rursum locutus est socer : Considera quod dies ad occasum declivior sit, et propinquat ad vesperum : mane apud me etiam hodie, et duc lætum diem, et cras proficisceris, ut vadas in domum tuam. Noluit gener acquiescere sermonibus ejus : sed statim surrexit (*Vulg.* perrexit) et venit contra Jebus, quæ altero nomine vocabatur (*Vulg.* vocatur) Jerusalem, ducens secum duos asinos onustos, et concubinam. Jamque aderant juxta Jebus, et dies mutabatur in noctem : dixitque puer ad dominum suum : Veni, obsecro, declinemus ad urbem Jebusæorum et maneamus in ea. Cui respondit dominus : Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filiis Israel, sed transibo usque Gabaa : et cum illuc pervenero, manebimus in ea, aut certe in urbe Rama. Transierunt igitur Jebus, et cœptum carpebant iter, occubuitque eis sol juxta Gabaa, quæ est in tribu Benjamin : diverteruntque ad eam, ut manerent ibi. Quo cum intrassent, sedebant in platea civitatis, et nullus eos recipere volebat [*Vulg.* voluit] hospitio. Et ecce, apparuit homo senex, revertens de agro et de opere suo vespere, qui et ipse erat de monte Ephraim, et peregrinus habitabat in Gabaa. Homines autem regionis illius erant filii Jemini. Elevatisque oculis, vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea civitatis, et dixit ad eum : Unde venis ? et quo vadis ? Qui respondit ei : Profecti sumus de Beth-Leem Juda, et pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim, unde ieramus Beth-Leem, et nunc vadimus ad domum Dei, nullusque nos sub tectum suum vult recipere, habentes paleas et fenum in asinorum pabulum, et panem ac vinum in meos et ancillæ tuæ usus, et pueri qui mecum sunt : nulla re indigemus nisi hospitio. Cui respondit senex : Pax tecum sit, ego præbebo omnia quæ necessaria sunt : tantum, quæso, ne in platea maneas. Introduxitque eum in domum suam, et pabulum asinis præbuit : ac postquam laverunt pedes suos, recepit eos in convivium. Illis epulantibus, et post laborem itineris, cibo ac potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius, filii Belial (id est, absque jugo), et circumdantes domum scnis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes : Educ virum, qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo. Egressusque est ad eos senex, et ait : Nolite, fratres, nolite facere malum hoc, quia ingressus est homo hospitium

cis voluminibus constanter dicitur filius Manasse : cum tamen in omnibus Latinis codicibus mss. legatur esse filius Mosis. Id vero dissidii conciliare videtur Theodoretus, dum ait, *Jonatham filius Manasse, filii Gersam, filii Moysi.* Quod non tacuit scholiastes Græcus apud Nobilium ; quamvis in omnibus minime consentiat cum Theodoreto : sic enim habet, Ἰωνάθαν φησὶ, υἱὸν Μανασσῆ, υἱὸν Ῥηχάβ, υἱοῦ Μωσῆ ; id est, *Jonatham dicit, filium Manasse, filium Rhechab, filii Mosi.* Legendum forte υἱοῦ Ῥηχάβ, non υἱὸν. Hebræorum doctores aiunt hunc adolescentem fuisse quidem filium Gersom filii Mosis ; sed quia fecit opera Manassis, ejusdem quoque filium dici ob cultum idolorum. Ideo nomen *Manasse* in Hebræis voluminibus habet *Nun* pendulum hoc modo מנשה. Quod ita suspenderunt, ut significent Jonathan istum fuisse nepotem Mosi, et in honorem Mosis suspensum esse nun, ac si diceret, fecit opera quasi filius esset Manasse, et non Mosi. Hæc illi latissime prosequuntur in suis commentariis : quæ quantumvis futilia videbuntur multis, inde tamen manifeste colligimus veram esse lectionem Hieronymi, apud quem constanter legitur nomen Mosis in omnibus codicibus mss., non autem Manassis, ut apud Septuaginta. Denique auctor *Quæstionem Hebraicarum* in libros Paralipomenon, quæ vulgo Hieronymo tribuuntur, de eodem Jonathan hunc in modum disseruit non longe ante finem libri prioris : « Filii Gerson filii Moysi, Sebuel primus. Ipsum, inquit, ferunt esse qui in Judicum (libro) Jonathan scribitur, qui fuit sacerdos in tribu Dan, » etc. Sebuel itaque primogenitus Gersonis sive Gersami filii Mosis, creditus est apud veteres unus esse cum isto Jonathan : et hinc testatum exstat, ipsum inter Mosis nepotes annumerandum. MART.

— Mss. nostri, *Gersan* : vulgati *Gersam* legunt (*Judic.* XVIII, 30). Scitum porro Judæis id culpæ dari, quod hunc Gersonem Mosis, fecerint Manassis filium, nomini מישה inserto כ ad hunc modum מנשה, quasi eam litterulam in reliquarum seriem inferre non ausi, vellent tamen a nepotis degeneris probro Legislatorem suum liberare. Rem multis post sacros interpretes Martianæus prosequitur, estque revera hoc mirum, quando ipsi etiam LXX Manassis eum filium vocant ex Hebraico exemplari, Hieronymum antiquius, ut putatur, et verius *Mosis* nomen retinuisse.

meum, et cessate ab hac stultitia : habeo filiam virginem, et hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, ut humilietis eas,et vestram libidinem compleatis : tantum, obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum. Nolebant acquiescere sermonibus ejus.Quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam suam, et eis tradidit illudendam : qua cum tota nocte abusi essent,dimiserunt eam mane. At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domus, ubi manebat dominus suus, et ibi corruit. Mane facto, surrexit homo et aperuit ostium, ut cœptum expleret viam : et ecce concubina ejus jacebat ante ostium sparsis in limine manibus. Cui ille, putans eam quiescere, loquebatur : Surge, et ambulemus.Qua nihil respondente, intelligens quod erat mortua, tulit eam, et imposuit asino, reversusque est in domum suam. Quam cum esset ingressus, arripuit gladium, et cadaver uxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israel. Quod cum vidissent singuli,conclamabant: Nunquam res talis facta est in Israel, ex eo die quo ascenderunt patres nostri de Ægypto, usque in præsens tempus : ferte sententiam, et in commune decernite quid facto opus sit.

[*Cap.* XX]. Egressi sunt itaque omnes filii Israel, et pariter congregati, quasi vir unus, de Dan usque Ber-sabee, et terra Galaad, ad Dominum in Maspha : omnesque anguli populorum, et cunctæ tribus Israel in Ecclesiam populi Dei convenerunt, quadringenta millia [1] peditum pugnatorum. (Nec latuit filios Benjamin,quod ascendissent filii Israel in Maspha). Interrogatusque Levita, maritus mulieris interfectæ, quomodo tantum scelus perpetratum esset, respondit : Veni in Gabaa Benjamin cum uxore mea, illucque diverti, et ecce homines civitatis illius circumciderunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, et uxorem meam incredibili libidinis furore vexantes, denique mortua est. Quam arreptam, in frusta concidi, misique partes in omnes terminos possessionis vestræ : quia nunquam tantum nefas, et tam grande piaculum factum in Israel. Adestis omnes, filii Israel,decernite quid facere debeatis. Stansque omnis populus, et quasi unius hominis sermone respondens: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum : sed hoc contra Gabaa in commune faciemus. Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Israel, et centum de mille, et mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, et possimus pugnantes contra Gabaa Benjamin, reddere ei pro scelere, quod meretur. Convenitque universus Israel ad civitatem, quasi unus homo, eadem mente, unoque consilio. Et miserunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent : Cur tantum nefas in vobis repertum est? Tradite homines de Gabaa,qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, et auferatur malum de Israel. Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israel audire mandatum ; sed ex cunctis urbibus, quæ suæ sortis erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, et contra universum Israel populum dimicarent. Inventique sunt viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa, qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra ut dextra præliantes, et sic fundis ad certum jacientes lapides, ut capillum quoque possent percutere, et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. Virorum quoque Israel, absque filiis Benjamin, inventa sunt quadraginta millia educentium gladios, et paratorum ad pugnam. Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo : consulueruntque Deum [*Vulg.* Dominum], atque dixerunt : Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus : Judas sit dux vester. Statimque filii Israel surgentes mane, castrametati sunt juxta Gabaa,et inde procedentes ad pugnam contra Benjamin,urbem oppugnare cœperunt. Egressique filii Benjamin Gabaa, occiderunt de filiis Israel die illo viginti duo millia virorum. Rursum filii Israel et fortitudine et numero confidentes, in eodem loco. in quo prius certaverant, aciem direxerunt : ita tamen ut prius ascenderent et flerent coram Domino usque ad noctem ; consulerentque eum, et dicerent : Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit : Ascendite ad eum [*Vulg.* eos], et inite certamen. Cumque filii Israel altero die contra filios Benjamin ad prælium processissent, eruperunt filii Benjamin de portis Gabaa, et occurrentes eis, tanta in eos cæde bacchati sunt, ut decem et octo millia virorum educentium gladium prosternerent. Quamobrem omnes filii Israel venerunt in domum Dei, et sedentes flebant coram Domino : jejunaveruntque illo die usque ad vesperam,et obtulerunt ei holocausta, et pacificas victimas, et super statu suo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei [*Vulg.* Domini], et Phinees filius Eleazari filii Aaron præpositus domus. Consuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt : Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus : Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras. Posueruntque filii Israel insidias per circuitum urbis Gabaa,et tertia vice, sicut semel et bis, contra Benjamin exercitum produxerunt. Sed filii Benjamin audacter eruperunt de civitate, et fugientes adversarios longius persecuti sunt, ita ut vulnerarent ex eis sicut primo et secunda die,et cæderent per duas semitas

[1] Pro quadringentis millibus. Canon cum aliquot mss. habet, *quadraginta millia* : quod incuriæ et imperitiæ librariorum tribuendum est. MART. — Unus Palatin. atque aliter penes Martian. mss. *quadraginta* vitiose pro *quadringenta* habent.

terga vertentes, quarum una ferebatur in Beh-El, et altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros: putaverunt enim solito eos more cedere. Qui fugam arte simulantes, iniere consilium ut abstraherent eos de civitate, et quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent. Omnes itaque filii Israel, surgentes de sedibus suis, tetenderunt aciem in loco qui vocatur Baal Thamar. Insidiæ quoque, quæ circa urbem erant, paulatim se aperire cœperunt, et ab occidentali urbis parte procedere. Sed et alia decem milia virorum de universo Israel, habitatores urbis ad certamina provocabant. Ingravatumque est bellum contra filios Benjamin, et non intellexerunt quod ex omni parte illis instaret interitus. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel, et interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia et centum viros, omnes bellatores et educentes gladium. Filii autem Benjamin, cum se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere. Quod cernentes filii Israel, dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad præparatas insidias devenirent, quas juxta urbem posuerant. Qui cum repente de latibulis surrexissent, et Benjamin terga cædentibus daret, ingressi sunt civitatem, et percusserunt eam in ore gladii. Signum autem dederant filii Israel his, quos in insidiis collocaverant, ut postquam urbem cepissent, ignem accenderent, ut ascendente in altum fumo, captam urbem demonstrarent. Quod cum cernerent filii Israel in ipso certamine positi (putaverunt enim filii Benjamin eos fugere, et instantius persequebantur, cæsis de exercitu eorum triginta viris), et viderent quasi columnam fumi de civitate conscendere, Benjamin quoque retro aspiciens, cum captam cerneret civitatem, et flammam in sublime ferri: qui prius simulaverant fugam, versa facie, fortius resistebant. Quod cum vidissent filii Benjamin, in fugam versi sunt, et ad viam deserti ire cœperunt, illuc quoque eos adversariis persequentibus. Sed et hi qui urbem succenderant occurrerunt eis. Atque ita factum est, ut ex utraque parte ab hostibus cæderentur, nec erat ulla morientium requies. Ceciderunt que, atque prostrati sunt ad orientalem plagam urbis Gabaa. Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt, decem et octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatores. Quod cum vidissent qui remanserant de Benjamin, fugerunt in solitudinem : et pergebant ad petram cujus vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, et in diversa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cum ultra tenderent, persecuti sunt eos, et interfecerunt etiam alia duo millia. Et sic factum est ut omnes qui ceciderant de Benjamin in diversis locis, essent viginti quinque millia, pugnatores ad bella promptissimi. Remanserunt itaque de omni numero Benjamin. qui evadere potuerunt, et fugere in solitudinem, sexcenti viri: sederuntque in petra Remmon mensibus quatuor. Regressi autem filii Israel, omnes reliquias civitatis a viris usque ad jumenta, gladio percusserunt, cunctasque urbes et vicu los Benjamin vorax flamma consumpsit.

[*Cap.* XXI.] Juraverunt quoque filii Israel in Maspha, et dixerunt: Nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis uxorem. Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, et in conspectu ejus sedentes usque ad vesperam, levaverunt vocem, et magno ululatu cœperunt flere, dicentes: Quare, Domine Deus Israel, factum est hoc malum in popopulo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis? Altero autem die, diluculo consurgentes, exstruxerunt altare, obtuleruntque ibi holocausta, et pacificas victimas, et dixerunt: Quis non ascendit in exercitu Domini de universis tribubus Israel? Grandi enim se juramento constrinxerant, cum essent in Maspha, interfici eos qui defuissent. Ductique pœnitentia Israel super fratre suo [*Vulg.* fratres suos] Benjamin, cœperunt dicere: Ablata est una tribus de Israel: unde uxores accipient? omnes enim in commune juravimus, non daturos nos his filias nostras. Idcirco dixerunt : Quis est de universis tribubus Israel, qui non ascendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inventi sunt habitatores Jabes Gaad in illo exercitu non fuisse. (Eo quoque tempore cum essent in Silo, nullus ex eis ibi repertus est.) Miserunt itaque decem millia viros robustissimos, et præceperunt eis: Ite, et percutite habitatores Jabes Galaad in ore gladii, tam uxores quam parvulos eorum. Et hoc erit quod observare debebitis: omne generis masculini, et mulieres quæ cognoverunt viros, interficite. Inventæque sunt de Jabes Galaad quadringentæ virgines [1], quæ nescierunt viri torum, et adduxerunt eas ad castra in Silo, in terra Chanaan. Miseruntque nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmom, et præceperunt eis ut eos in pace susciperent. Veneruntque filii Benjamin in illo tempore, et datæ sunt eis uxores de filiabus Jabes Galaad: alias autem non repererunt, quas simili modo traderent. Universusque Israel valde doluit, et egit pœnitudinem super interfectione unius tribus ex Israel. Dixeruntque majores natu : Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt uxores? omnes in Benjamin feminæ conciderunt, et magna nobis cura, ingentique studio providendum est, ne una tribus deleatur ex Israel. Filias nostras eis dare non possumus, constricti juramento et maledictione, qua diximus : Maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem Benjamin. Ceperuntque consilium, atque dixerunt : Ecce solemnitas Do-

[1] Editi hoc loco retinent quoddam additamentum LXX Interpretum, id est, *virgines autem reservate*. Quæ verba absunt in Hebraico textu, in Canone, et in antiquioribus mss. Latinis. MART. — Quod habent Vulgati libri additamentum, *Virgines autem reservate*. Urbinas quoque e nostris mss. retinet, et Palatin. secunda manu.

mini est in Silo anniversaria, quæ sita est ad septentrionem urbis Beth-El, et ad orientalem plagam viæ, quæ de Beth-El tendit ad Sichimam, et ad meridiem oppidi Lebona. Præceperuntque filiis Benjamin, atque dixerunt : Ite, et latitate in vineis. Cumque videritis filias Silo ad ducendos, choros ex more procedere, exite repente de vineis, et rapite [*Vulg.* ex eis] eas singulis uxores singulas, et pergite in terram Benjamin. Cumque venerunt patres earum, ac fratres, et adversum vos queri cœperint, atque jurgari, dicemus eis: Miseremini eorum : non enim rapuerunt eas jure belA lantium atque victorum, sed rogantibus ut acciperent, non dedistis, et a vestra parte peccatum est. Feceruntque filii Benjamin, ut sibi fuerat imperatum, et juxta numerum suum, rapuerunt sibi de his quæ ducebant choros, uxores singulas: abieruntque in possessionem suam ædificantes urbes, et habitantes in eis. Filii quoque Israel reversi sunt per tribus et familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur hoc faciebat.

Explicit Liber Judicum.

CAPITULA LIBRI RUTH [1].

I. Facta fame in terra Judæ, Elimelech de Bethleem Juda abiit cum uxore sua Noemi, et duobus filiis, in terra Moabitide causa victualium, quo mortuo, filii ejus accipientes uxores et ipsi mortui sunt.

II. Noemi revertentem ad patriam, Ruth nurus deserere noluit, quæ perveniens in Bethleem Juda, perrexit in agrum Booz ad colligendas spicas.

III. Booz dat licentiam Ruth ut de agro ejus colligat spicas, et hora vescendi cum messoribus comedat, pro eo quod audierat eam bene egisse circa socrum suam.

IV. Inquirenti Noemi indicat Ruth., quale in agro Booz fecerit opus.

V. Commonita Ruth a socru sua, jungitur puellis Booz iterum ad operandum.

B VI. Reversa Ruth denuo ad socrum suam, monetur ab ea quemadmodum debeat Booz conjugio sociari

VII. Ruth instructa, collocavit se nocte ad pedes Booz, qui ab ejus coitu abstinuit.

VIII. Booz præsentibus decem viris in porta Bethleem, consuluit propinquiorem se de nuptiis.

IX. Solvit propinquus secundum morem calciamentum suum, et dedit Booz, cessitque jure propinquitatis, et Booz Ruth accepit uxorem, natusque illi est filius, quem Noemi socrus nutriendum suscepit.

X. Vocatum est nomen filii Obed, hic est pater Isai patris David, deinde sequntur generationes a Phares usque ad David.

C

[1] Isthæc capitula huc nos transtulimus ex Palat. mss. atque editione Josephi Mariæ Casi presbyteri, qui e tribus aliis mss. excepit. Nulla Martian. præposuit, quod in suis exemplaribus non inveniesset.

INCIPIT

LIBER RUTH.

[C. I, *Cap.* I.] In diebus unius judicis quando judices præerant, facta est fames in terra. Abiitque homo de Beth-Leem Juda, ut peregrinaretur in regione Moabitide, cum uxore sua ac duobus liberis. Et ipse vocabatur Elimelech, et uxor ejus D Noemi, et duo filii, alter Maalon, et alter Chilion, Ephrathæi de Beth-Leem Juda. Ingressique regionem Moabitidem, morabantur ibi. Et mortuus est Elimelech maritus Noemi [2] (h. Nahmi), remansitque ipsa cum filiis. Qui acceperunt uxores Moabiti-

[1] Liber Ruth nulla habet in fronte adscripta capitula; nullam in sacro contextu divisionem, vel numericas notas appositas ad marginem: sed uno tenore totus descriptus invenitur in Canone, et aliis mss antiquioribus ac melioris notæ. Id vero, ut putamus, quia apud Hebræos liber Ruth est veluti appendix libri Judicum : nam in eumdem brum. teste Hieronymo, utrumque volumen compingunt. Consule principium Scripturarum galeatum ejusdem Hieronymi, suo loco nunc a nobis repositum ante libros Samuelis et Malachim. MART.

[2] Scholiastes noster hic diversus abiit ab Hieronymo in lectione nominum *Noemi* et *Orphæ* : nam quod monet pro *Noemi* in Hebræo haberi *Nahmi* ; et pro *Orpha* legi *Harpa*, id ab ugu Hieronymi prorsus abhorrere dignoscitur: cum in Scriptura He-

das, quarum una vocabatur Orpha [h. Harpa], et altera Ruth. Manseruntque ibi decem annis, et ambo mortui sunt, Maalon videlicet et Chilion : remansitque mulier orbata duobus liberis ac marito. Et surrexit ut in patriam pergeret, cum utraque nuru sua, de regione Moabitide : audierat enim quod respexisset Dominus populum suum, et dedisset eis escas. Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ, cum utraque nuru, et jam in via posita revertendi in terram Juda, dixit ad eas : Ite in domum matris vestræ, faciat Dominus vobiscum misericordiam, sicut fecistis cum mortuis et mecum. Det vobis invenire requiem in domibus virorum, quos sortituræ estis. [C. II]. Et osculata est eas. Quæ elevata voce flere cœperunt, et dicere : Tecum pergemus ad populum tuum. Quibus illa respondit : Revertimini, filiæ mi [*Vulg.* meæ], cur venitis mecum ? num ultra habeo filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis ? Revertimini, filiæ mi, et abite : jam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo conjugali : etiam si possem hac nocte concipere, et parere filios, si eos exspectare velitis, donec crescant, et annos impleant pubertatis, ante eritis vetulæ quam nubatis. Nolite, quæso, filiæ mi : quia vestra angustia me magis premit, et egressa est manus Domini contra me. Elevata igitur voce, rursum flere cœperunt : Orpha osculata est socrum, ac reversa : Ruth adhæsit socrui suæ. Cui dixit Noemi : En reversa est cognata tua ad populum suum, et ad deos suos : vade cum ea. Quæ respondit : Ne adverseris mihi ut relinquam te et abeam : quocunque perrexeris, pergam : ubi morata fueris, et ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus. Quæ te morientem terra susceperit, in ea moriar : ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, et hæc addat, si non sola mors me et te separaverit. Videns ergo Noemi quod obstinato Ruth animo decrevisset secum pergere, adversari noluit, nec ad suos ultra reditum persuadere : profectæque sunt simul, et venerunt in Beth-Leem. Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebuit : dicebantque mulieres : Hæc est illa Noemi. Quibus ait : Ne vocetis me Noemi [id est pulchram], sed vocate me Mara (hoc est amaram), quia amaritudine me valde replevit Omnipotens. Egressa sum plena, et vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliavit, et afflixit Omnipotens ? Venit igitur Noemi cum Ruth Moabitide nuru sua, de terra peregrinationis suæ : ac reversa est in Beeth-Leem, quando primum hordea metebantur.

[*Cap.* II]. Erat autem viri Elimelech consanguineus homo potens, et magnarum opum, nomine Booz. Dixit Ruth [*Vulg. tac.* Ruth] Moabitis ad socrum suam : Si jubes, vadam in agrum et colligam spicas quæ metentium fugerint manus, ubicunque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam. Cui illa respondit : Vade, filia mi. Abiit itaque et eo ligebat spicas post terga metentium. Accidit autem ut ager ille haberet dominum Booz [*Vulg. add.* nomine], qui erat de cognatione Elimelech. Et ecce ipse veniebat de Beth-Leem, dixitque messoribus : Dominus vobiscum. [C. III]. Qui responderunt ei : Benedicat tibi Dominus. Dixitque Booz juveni, qui messoribus præerat : Cujus est hæc puella ? Cui respondit : Hæc est Moabitis, quæ venit cum Noemi, de regione Moabitide, et rogavit ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia, et de mane usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est. Et ait Booz ad Ruth : Audi, filia, ne vadas ad colligendum in alterum agrum, nec recedas ab hoc loco : sed jungere puellis meis, et ubi messuerint, sequere. Mandavi enim pueris meis, ut nemo tibi molestus sit : sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas, et bibe aquas, de quibus et pueri bibunt. Quæ cadens in faciem suam et adorans super terram, dixit ad eum : Unde mihi hoc, ut invenirem [*Vulg.* invenerim] gratiam ante oculos tuos, et nosse me dignareris peregrinam mulierem ? Cui ille respondit : Nuntiata sunt mihi omnia quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui, et quod dereliqueris parentes tuos, et terram in qua nata es, et veneris ad populum quem antea nesciebas. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas. Quæ ait : Inveni gratiam apud oculos tuos, domine mi, qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum. Dixitque ad eam Booz : Quando hora vescendi fuerit, veni huc, et comede panem, et intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, et congessit polentam sibi, comeditque et saturata est, et tulit reliquias. Atque inde surrexit ut spicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis, dicens : Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam, et de vestris quoque manipulis projicite de industria, et remanere permittite, ut absque rubore colligat, et colligentem nemo corripiat.

braica nomina isthæc habent litteram ע *Ain*, quam S. Hieronymus ideo vocalem appellat, quod per nudam ipse vocalem hoc elementum exprimeret, נעמי *Noemi*, ערפת *Orpha*. Et in libro *Nominum Hebraicorum de Gomorrha*, ait : *Sciendum quod G littera in Hebraico non habetur ; sed scribitur per vocalem* AIN. Præterea ex Hieronymo superius probatum exstat in adnotationibus nostris col. 88, sermonem Hebræum, P. litteram non agnoscere, male igitur scholiastes, aut exscriptor Canonis, legit *Harpa*, pro *Orpha* sive *Arpha*. MART.

— Fatetur demum et Martianæus, ab Hieronymi ingenio ac sententia scholiastem hic longius abludere, qui *Nahmi* pro *Noemi* et mox *Harpa* legi velit pro *Orpha*.

Collegit erge in agro usque ad vesperam, et quæ collegerat virga cædens et excutiens, invenit hordei quasi ephi [h. epha] mensuram, id est tres modios. Quos portans reversa est in civitatem, et ostendit socrui suæ : insuper protulit et dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat. [C. IV]. Dixitque ei socrus sua : Ubi hodie collegisti, et ub fecisti opus ? Sit benedictus qui misertus est tui Indicavitque ei apud quem fuisset operata, et nomen dixit viri, quod Booz vocaretur. Cui respondit Noemi : Benedictus sit a Domino : quoniam eamdem gratiam quam præbuerat vivis, servavit et mortuis. Rursumque : Propinquus, ait, noster est homo. Et Ruth : Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, ut tandiu messoribus ejus jungerer, donec omnes segetes meterentur. [C. V]. Cui dixit socrus : Melius est, filia mi, ut cum puellis ejus exeas ad metendum [*Vulg.* molendum], ne in alieno agro quispiam resistat tibi. Juncta est itaque puellis Booz, et tandiu cum eis messuit, donec hordea et triticum in horreis conderentur.

[C. VI, *Cap.* III]. Postquam autem reversa est ad socrum suam, audivit ab ea : Filia mi, quæram tibi requiem, et providebo ut bene sit tibi. Booz iste, cujus puellis in agro juncta es, propinquus est noster, et hac nocte aream hordei ventilat. Lava, reigitur et ungere, et induere cultioribus vestimentis ac descende in aream. Non te videat homo, donec esum potumque finierit. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat ; veniesque et discooperies pallium, quo operitur a parte pedum, et projicies te, et ibi jacebis : ipse autem dicet tibi quid agere debeas. Quæ respondit : Quidquid præceperis, faciam. Descenditque in aream, et fecit omnia quæ sibi imperaverat socrus. [C. VII]. Cumque comedisset Booz, et bibisset, et factus esset hilarior, issetque ad dormiendum juxta acervum manipulorum, venit abscondite, et discooperto a pedibus ejus pallio, se projecit. Et ecce, nocte jam media, expavit homo, et conturbatus est : viditque mulierem jacentem ad pedes suos, et ait illi : Quæ es ? Illaque respondit : Ego sum Ruth ancilla tua : expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es. Et ille, Benedicta, inquit, es a Domino filia, et priorem misericordiam posteriore superasti : quia non es secuta juvenes, pauperes sive divites. Noli ergo metuere, sed quidquid mihi dixeris, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis. Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior. Quiesce hac nocte, et facto mane, si te voluerit propinquitatis jure retinere, bene res acta est : sin autem ille noluerit, ego te absque ulla dubitatione suscipiam, vivit Dominus. Dormi usque mane. Dormivit itaque ad pedes ejus, usque ad noctis abscessum. Surrexitque antequam homines se cognoscerent mutuo, et dixit Booz : Cave ne quis noverit quod huc veneris. Et rursum, Expande, inquit, pallium tuum quo operiris, et tene utraque manu. Qua extendente, et tenente, mensus est sex modios hordei, et posuit super eam. Quæ portans ingressa est civitatem, et venit ad socrum suam. Quæ dixit ei : Quid egisti, filia ? Narravitque ei omnia, quæ sibi fecisset homo. Et ait : Ecce sex modios hordei dedit mihi, et ait : Nolo vacuam te reverti ad socrum tuam. Dixitque Noemi : Exspecta, filia, donec videamus quem res exitum habeat. Neque enim cessabit homo nisi compleverit quod locutus est.

[C. VIII, *Cap.* IV]. Ascendit ergo Booz ad portam, et sedit ibi. Cumque vidisset propinquum præterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum : Declina paulisper, et sede hic, vocans eum nomine suo. Qui divertit, et sedit. Tollens autem Booz decem viros de senioribus civitatis, dixit ad eos : Sedete hic. Quibus residentibus, locutus est ad propinquum : Partem agri fratris nostri Elimelech vendit Noemi, quæ reversa est de regione Moabitide : quod audire te volui, et tibi dicere coram cunctis sedentibus, et majoribus natu de populo meo. Si vis possidere jure propinquitatis, eme, et posside. Sin autem tibi displicet, hoc ipsum indica mihi, ut sciam quid facere debeam. Nullus enim est propinquus, excepto te, qui prior es, et me, qui secundus sum. At ille respondit : Ego agrum emam. Cui dixit Booz : Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ uxor defuncti fuit, debes accipere : ut suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua. [C. IX]. Qui respondit : Cedo jure propinquitatis : neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo. Tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor. Hic autem erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, ut si quando alter alteri suo jure cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum, et dabat proximo suo. Hoc erat testimonium cessionis in Israel. Dixit ergo propinquo [*Vulg. addit* suo] Booz : Tolle calceamentum tuum. Quod statim solvit de pede suo. At ille majoribus natu, et universo populo, Testes, inquit, vos estis hodie, quod possederim omnia quæ fuerunt Elimelech, et Chilion, et Maalon, tradente Noemi, et Ruth Moabitidem uxorem Maalon in conjugium sumpserim, ut suscitem nomen defuncti in hæreditate sua, ne vocabulum ejus de familia sua, ac fratribus, et populo deleatur. Vos, inquam, hujus rei testes estis. Respondit omnis populus, qui erat in porta, et majores natu : Nos testes sumus : faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel et Liam, quæ ædificaverunt domum Israel : ut sit exemplum virtutis in Ephrata, et habeat celebre nomen in Beth-Leem : fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Judæ, de semine quod dederit Dominus tibi ex hac puella. Tulit itaque Booz Ruth, et accepit uxorem : ingressusque est ad eam, et dedit illi Dominus ut conciperet, et pareret filium. Dixeruntque mulieres ad Noemi : Benedictus

Dominus, qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, et vocaretur nomen ejus in Israel. Et habeas qui consoletur animam tuam, et enutriat senectutem. De nuru enim tua natus est, quæ te diligit, et multo tibi melior est quam si septem haberes filios. Susceptumque Noemi puerum posuit in sinu suo, et nutricis ac gerulæ officio fungebatur. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, et dicentes : Natus est filius Noemi, vocaverunt nomen ejus Obed : hic est pater Isai, patris David. Hæc sunt generationes Phares : Phares genuit Esron, Esron genuit Ram, Ram genuit Aminadab, Aminadab genuit Naasson Naasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Isai, Isai genuit David.

Explicit liber Ruth.

PRÆFATIO HIERONYMI IN LIBROS SAMUEL ET MALACHIM [1].

Viginti et duas litteras esse apud Hebræos, Syrorum quoque et Chaldæorum lingua testatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis est : nam et ipsi viginti duo elementa habent eodem sono, sed diversis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Mosi totidem litteris scriptitant, figuris tantum et apicibus discrepantes. Certumque est Esdram [2] scribam, legisque doctorem, post captam Hierosolymam [3] et instaurationem templi sub Zorobabel, alias litteras reperisse, quibus nunc utimur : cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum et Hebræorum caracteres fuerint. In libro quoque Numerorum (*cap.* III, 39) hæc eadem supputatio, sub Levitarum ac sacerdotum censu, mystice ostenditur. Et [3] nomen

[1] Hæc est inscriptio prologi in Canone Hebraicæ veritatis et in aliquot aliis manuscriptis antiquioribus. Id vero sumptum videtur ab Hieronymo, qui ad finem ejusdem Præfatiunculæ. *Prologum Scripturarum* ipsam appellat. Cæteri libri tam editi, quam mss., ita inscribunt. *Præfatio Hieronymi in librum Regum*, vel *in libro Regum*. Verum hic prologus Scripturarum, cum omnibus libris quos ex Hebræo in Latinum vertit Hieronymus, possit convenire, merito incribitur, de omnibus libris Veteris Testamenti. MART.

— Hunc prologum, et quod rei caput est, universum librorum Samuelis et Regum textum post laudatos hactenus Urbinatem, et Palatinum, ad omnium antiquissimum Veronensis bibliothecæ ms. exigimus, litteris uncialibus exaratum, quem velim septimum facile sæculum antevertere : et omnium quot hactenus innotuerunt, in genuina Hieronymianæ versionis lectione proferenda, fidem ea diligentiam longo nimis intervallo superare. Cæterum quod priorem ejus pagellam ætas inviderit nobis, inscriptionem quam hic præterimus ejus munire auctoritate non licuit : accepimus tamen ex eodem codice, ubi *Recapitulationum* quas vocat, et mox subnectemus, titulum tribus locis præfigit. Antea obtinebat, quemadmodum in Urbinate et Palatino codd. *Præfatio Hieronymi in libros Regum :* quam omnium ferme librorum inscriptionem ex uno ms. Martianæus in hanc mutaverat, *Præfatio Hieronymi presbyteri de omnibus libris Veteris Testamenti*. Causam addit, quod omnibus libris, quos ex Hebræo in Latinum vertit Hieronymus, possit convenire. Atque id quidem ait infra 8. ipse Pater : *His prologus Scripturarum quasi galeatum principium omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest* ; at non adeo peculiaris in libros Regum Præfatio hæc ipsa non fuerit atque aliam quam in hosmet libros de nomine, inscriptionem ab ipso auctore sortita sit. Quæ ad eum quo a nobis restituta est modum, quam bene, post vetustissimi exemplaris indicium, cum reliquarum ingenio, et Hieronymi consuetudine quadret, manifestum est.

[2] Et nobis hoc certum est quam quod maxime : in eorum tamen gratiam, qui tantæ antiquitatis memoriam convellere student, ac minoris faciunt Christianorum veterum, Origenis, Eusebii atque aliorum hac de re testimonio, vernacula ejus præferamus linguæ exempla, ipsique Judæi veteres fidejussores accedant. Thalmud Rabylonicum tractatu Sanhedrin. sect. 2. fol. 21, Latine ita sonat : « Initio data est lex Israeli cum Scriptura Hebraica et lingua sancta. Deinde data est ipsis, in diebus Esdræ, cum scriptura Assyriaca et lingua Aramæa (sive Chaldaica). Elegerunt autem pro Israelitis scripturam Assyriacam et linguam sanctam : et reliquerunt idiotis scripturam Hebraicam et linguam Aramæam. » Quod cave ita intelligas, quasi legem hic dicat *Mar-Zutra*, conversam fuisse ab Esdra in Chaldaicam linguam : sed quod vulgus Judæorum cum in Babylonica captivitate, Hebræam fere didicisset, calleret vero magis Chaldæorum, quibus assueverat, dialectum, exemplaria legis hac lingua et litteris sibi descripsisse ; quæ Esdras abrogavit quoad linguam, permisit vero quoad caracteres, sive etiam auctoritate sua probavit, Hebræum textum litteris scribi Chaldaicis : e contrario reliquit *Idiotis* להדיוטות Cuthæis scilicet, sive Samaritanis, versiones Chaldaicas et Aramæas, sive Hebraicis illas, sive et Chaldaicis litteris scriptas. Hujus generis visa est doctis viris Pentateuchi Samaritana versio, quæ sane parum a Chaldaica dialecto abludit. Iterum vero in eodem tactatu Sanhedrin cap. 1, hoc tradit Rabbi Josue, ubi Esdram cum Mose comparans, « Quanquam, ait, data non fuerit lex per manum Esdræ, immutata est per manum ejus scriptura. » Rubditque, למה נקראת אשורית. *Quare* (Scriptura per Esdram mutata *vocata est Assyriaca ?* מאמרי שעלה עמהם, *Quia ascendit cum eis ex Assyria*. Paria his alibi apud Hebræos doctores, tametsi aliquando somniis ejus gentis interpolata, reperias.

[3] Luxatum manifeste reprehendet hunc locum quicunque seriem orationis attenderit : nam quid attinet ad characteres Samaritanorum, quod in libro Numerorum sub Levitarum ac sacerdotum censu, supputatio litterarum viginti duarum mytice ostenditur : quid etiam ad talem numerum, quod in quibusdam Græcis voluminibus nomen Dei tetragrammaton antiquis Hebræorum, id est Samaritanis, expressum litteris inveniretur ? Ergo ut omnia ad

Domini tetragrammaton in quibusdam Græcis voluminibus, usque hodie antiquis expressum litteris insensum sibi cohæreant, tota isthæc pericope : *Et nomen Domini tetragrammaton in quibusdam Græcis voluminibus, usque hodie antiquis expressum litteris invenimus*, legenda ac reponenda videtur immediate ante illa superiora verba, *in libro quoque Numerorum*, etc. Hanc restitutionem quantumvis necessariam, judicio nostro noluimus permittere, quia e triginta quatuor mss. codicibus, quos in hoc opere diligenter contulimus cum editis libris, nullus hic loci dissentiens invenitur ab alio, sed uno modo constanter universi legunt juxta seriem inversam. Itaque res hujusmodi lectorem curiosum monuisse satis. MART.

— Visa Martianæo est quæ hic subsequitur pericope. *Et nomen Domini tetragrammaton*, etc , usque *invenimus*, manifesta luxatione laborare, et præponenda proxime superiori : *In libro quoque Numerorum*, etc., usque *ostenditur* : quibus illico subnectit sequentem : *Sed et Psalmi tric.*, etc. Nam quid, inquit, attinet ad characteres Samaritanorum, quod in libro Numerorum sub Levitarum ac sacerdotum censu supputatio litterarum viginti duarum mystice ostenditur? quid etiam ad talem numerum, quod in quibusdam Græcis voluminibus nomen Dei tetragrammaton *antiquis* Hebræorum, id est *Samaritanis*, expressum titteris inveniretur? Probat vero semel atque iterum in *Quæstionibus Hieronymianis* hanc Benedictini editoris restitutionem Clericus, homo cætera in eum iniquior, et qui non alia, ut ait, de causa hic laudat, quod veritas undecunque veniat, sibi semper sit veritas. Nihilosecius falli utrumque et falere, mihi persuasum est, fraudi autem illis extitisse opinior præconceptam opinionem illam quæ vulgo obtinet S. Doctorem, cum antiquos characteres nominat, quibus nomen Dei scriptum erat in Græcis codicibus, Samaritanos intellexisse. Nam et conceptis verbis ita explicant, et manifestum est ex orationis serie, si isthæc pericope superiori illi præponatur, non alias quam Samaritanas litteras sub antiquarum vocabulo tunc denotari. Verum id minime omnium sensit S. Pater, aut in eam trahi potest sententiam : igitur neque illud comma juxta seriem quam constituunt contrario sibi sensu putandus est posuisse, et quam adeo dicunt, textus luxatio nulla est. Jam illud quod Chaldæas litteras, sive quas Esdras substituit, non Samaritanas, antiquarum nomine intelligi velit, probatum imus evidetissimis argumentis subsequenti adnotatione.

[1] Abrupte quidem hanc inferre sententiam Hieronymus videatur, nisi hoc ipsum de industria fecit ut errorem de Samariticis litteris lectori suo caveret, in quem diximus criticos magni nominis incurrisse. Sed ut certissimo scias, *Antiquas* litteras quibus nomen Dei tetragrammaton in Græcis codicibus scriptum inveniebatur Chaldaicas quibus nunc utimur, non Samariticas intellexisse, prodit ipsemet earum formam cum alibi, tum luculentissime in epist. 25 ad Marcellam, ubi postquam illud dixisset Hebraicis litteris scribi, *iod, he, vau, he*, id est יהוה, subdit *quod quidam non intelligentes propter elementorum similitudinem, cum in Græcis libris repererint,* ΠΠΠΙ *legere consueverunt*. Haud, puto, clarius appellasset de nomine Chaldæas litteras, quas propter elementorum similitudinem dixit a Græcis perinde legi ac ΠΠΠΙ : nisi enim antiquæ illæ litteræ hæ fuerint יהוה, quarum tanta cum ΠΠΠΙ conformitas est, ut statim in legentis oculos incurrat, nullæ jam erant, aut sunt modo ex toto Oriente, quæ ejus vocis scripturam utcunque referant ; Samaritanæ autem, vix dictu est, *quantum ab illarum* ligura abborrant. Nempe his *in Samaritano Dei nomen ineffabile* expressum est

A venimus [1]. Sed et Psalmi tricesimus sextus [2], et centesimus decimus, et centesimus undecimus, et

B

C

D

elementis, ⊟[⊐]⊟ m quæ si cui possunt videri similia illis ΠΠΠΙ, ipsi qui pro Samaritanis stant litteris, judicent. Et tamen ita Græcis nedum e vulgo, quos Hieronymus notat, sed et doctissimis usuvenerat legere illud Πιπι, ut capitulum sive scholion supereit etiamnum sub Evagrii nomine, quod et nos post Martianæum edidimus tom. III col. 694. hoc titulo εἰς τὸ ΠΙΠΙ. Sicque in ipsa expositione continuo scribitur, et constare tamen dicitur τούτοις τοῖς στοιχείοις, Ἰὼθ. Ἥπ, Οὐαὺ, Ἥπ. *hisce elementis, Iod, he. vau, he*, quarum nativam picturam יהוה, Græca ΠΙΠΙ repræsentant. Olim retulerint adhuc expressius, nam ut videre est in antiquis libris qui Hebraica elementa describunt, quemadmodum in aliquot Vaticanis ipsis animadvertimus, *he* ה superne clausa est omnino ad Græcæ π instar : vau ו autem et iod י tam parva differentia peritorum quoque oculos interdum fallit. Certum est igitur atque evidens, hic loci Hieronymum antiquas litteras Chaldæas appellasse, quibus jam ab Esdræ ætate super textus descriptus est : non priores Samaritanas, quæ fere exoleverant : unde et *antiquas* absolute, non *antiquas Hebraicas*, dixit. Atque adeo et illud manifestum est, quod superiori nota constituimus, nulla locum hunc luxatione laborare nullamque verborum aut sensus trajectionem esse quam somniant eruditi viri, S. Patris mentem non satis assecuti. Jam vero huc placet referri, ad fenerandum his quæ diximus lucem, Origenis locum, quem ex cod. Regio 2818 Montfauconius protulit, videturque ipse Hieronymus ob oculos habuisse. Loquitur Adamantius de hoc ipso tetragrammato nomine quod inquit, Κύριος παρ' Ἕλλησιν ἐκφωνεῖται, καὶ ἐν τρισὶ ἀκριβέσι τῶν ἀντιγράφων Ἑβραϊκοῖς ἀρχαίοις γράμμασι γέγραπται, ἀλλ' οὐχὶ τοῖς νῦν. Φασὶ γὰρ τὸν Ἔσδραν ἑτέροις χρήσασθαι μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν : *Dominus a Græcis effertur, atque in diligentioribus Hebræorum exemplaribus antiquis scribitur litteris, non hodiernis. Tradunt enim Esdram aliis usum esse post captivitatem.* Hic utique Samaritanæ litteræ ἀρχαίων vocabula designantur : neque enim aliæ in Hebræis codicibus veteres dicit possunt. At si quid video, Origenes æque ac Hieronymus nihil aliud quam originales, seu archetypi litteras eo nomine intellexerunt. Hinc vero novum sumimus in rem nostram argumentum : nam sicuti Hebræi codicis antiquas litteras Samaritanas esse, nemo diffitetur : ita ubi de Græco apographo, quod est a Chaldaico exemplari translatum, sermo est, antiquas, sive sui archetypi originales, non alias quam Chaldæas indicari, ex hoc ipso testimonio perspicuum est.

[2] Sanctus Hieronymus, in epistola cujus initium est. *Nudius tertius*, recenset tantum Psalmos quatuor, qui secundum ordinem litterarum alphabeti Hebraici compositi reperiuntur ; nec ibi meminit Psalmi tricesimi sexti, neque Orationis Jeremiæ : « Priusquam de singulis disseram, inquit ille ad Paulam Urbicam, scire debes, quatuor Psalmos secundum ordinem Hebræorum incipere elementorum, centensimum decimum, et centesimum undecimum, et hunc de quo nunc scribimus, et centesimum quadragesimum quartum. » Et post pauca subdit : « Sunt qui et alios hoc ordine putant incipere, sed falsa eorum opinio est. » Hæc facile conciliabuntur, si dixeris Hieronymum in Epistola ad Paulam Urbicam, spectasse ad capita versuum, quæ in Psalmis CI, CXI, CXVII et CXLIV, decurrunt juxta ordinem Hebræarum : litterarum : hic autem in prologo Scripturarum, de numero viginti et duorum elementorum disserere ut inde probet viginti duo volumina in Canone Hebræorum supputari. Qui plura de hoc genere Psalmorum desiderarit

centesimus octavus decimus [1], et centesimus qua dragesimus quartus, quanquam diverso scribantur metro, tamen ejusdem numeri texuntur alphabeto. Et Jeremiæ Lamentationes, et Oratio ejus [2] : Salomonis quoque in fine Proverbia, ab eo loco in quo ait, *Mulierem fortem quis inveniet (Cap. ult. v. 10 ad finem usque)?* iisdem alphabetis vel incisionibus supputantur. Porro quinque litteræ duplices sunt, CAPH, MEM, NUN, PHE, SADE : aliter enim per has scribunt principia medietatesque verborum, aliter fines. Unde et quinque a plerisque libri duplices æstimantur : Samuel, Malachim; Dabre Iamim, Ezras, Jeremias cum Cinoth, id est Lamentationibus suis. Quomodo igitur viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus Hebraice omne quod loquimur, et eorum initiis vox humana comprehenditur : ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi litteris et exordiis, in Dei doctrina, tenera adhuc et lactens viri justi eruditur infantia.

consulat prolegomena nostra. MART.

— Initium poterat a tricesimo tertio facere; cujus (ut et centesimi decimi et centesimi undecimi quos laudat) singuli versus a singulis juxta ordinem alphabeti litteris inchoantur, si vau ו excipias, quæ aut deest, aut una cum ה *he* versu 6 comprehenditur. Verum enim vero nedum istum, sed et quem hic laudat tricesimum sextum, visum est S. Patri in epist. 30 ad Paulam ab hac serie excludere, ubi quatuor duntaxat Psalmos *secundum ordinem Hebræorum incipere elementorum, centesimum decimum, et centesimum undecimum, centesimum decimum octavum, et centesimum quadragesimum quartum* pronuntiat : e contrario eorum, *qui alios hoc ordine putant incipere falsam opinionem* vocat. Bini autem versus in tricesimo sexto ab alphabeti litteris initium sumunt.

[1] Hujus octoni versus a singulis alphabeti litteris incipiunt ; unde et *Alphabetum magnum* Psalmus ipse appellatur. Notandum porro est de sequenti centesimo quadragesimo quarto, versiculum qui נ *nun* incipiat, in Hebraico exemplari jam non haberi. Et videri quidem excidisse ante Hieronymi ipsius ævum, siquidem et in ejus versione ex Hebræo illum melioris notæ mss. codices prætermittunt, et Græci interpretes, Aquila, Symmachus, Theodotio, atque alii tacent, quod et vetus scholiastes tradidit. Videsis tamen quæ ad eum locum Hieronymianæ interpretationis infra observamus.

[2] A primo Threnorum ac quartum usque caput : quanquam in secundo, tertio, et quarto, litteræ פ et ע transponuntur : quod librariorum oscitantiæ tribuere, haud sane ausim.

[3] Mss. quamplures legunt in singulari, *quem Numerum vocamus*; sed error est librariorum manifestus ex Hieronymo, qui de eodem, volumine aiebat supra *In libro quoque Numerorum*, etc. Origenes in Psalmum primum Canonicas Scripturas juxta Hebræos recensens, non *Vaiedabber* Numeros ab eis dicit appellari; sed ἀμμεσφεκωδεὶμ, *Ammesphecodim*, quod Hebraice scriptum המפקודים, id est *hammephecudim*, absque ullo *s* in medio vocis, significat *numeros*, vel potius *numeratos*. *Vaiedabber* itaque dicitur apud Hebræos liber Numerorum a prima voce ejusdem voluminis. *Hammephecudim* vero propter argumentum in eo pertractatum, quia ibi agitur de iis qui transierunt ad numerum. MART.

— Græci Οὐαλεσμὼθ aut Οὐελλεσμώθ ; et Οὐικρὰ pro *Vaiecra*. Numerorum vero librum non a primis verbis, sed ab ipso appellant argumento, Ἀμμεσφεκωωδεὶμ, ut Origenes atque Eusebius, vel

A Primus apud eos liber vocatur BRESITH (בראשית) quem nos Genesim dicimus. Secundus ELLE SMOTH (אלה שמות), qui Exodus appellatur. Tertius VAIECRA (ויקרא), id est Leviticus. Quartus VAIEDABBER (וידבר), quem Numeros vocamus [3]. Quintus, ELLE ADDABARIM (אלה הדברים), qui Deuteronomium prænotatur. Hi sunt quinque libri Mosi, quos proprie THORATH (תורת) [4], id est legem, appellant.

Secundum prophetarum ordinem faciunt; et incipiunt ab Jesu filio Nave, qui apud eos JOSUE BEN NUN (יהושע בן נון) dicitur [5]. Deinde subtexunt SOPHTIM (שופטים), id est Judicum librum ; et in eumdem compingunt RUTH (רות), quia in diebus judicum facta narratur historia. Tertius sequitur SAMUEL (שמואל), quem nos Regnorum primum et secun-
B dum dicimus. Quartus MALACHIM [6] (מלכים), id est Regum, qui tertio et quarto Regnorum volumine continetur. Meliusque multo est MALACHIM, id est Regum, quam MALACHOTH [7] (מלכות), id est, Regno-

Ἀμεσφεκκωδὶμ, ut Nicephorus. Hebraice absque *s* intermedio recte scribas המפקודים, quod est, *numeroti*.

[4] Triginta et quatuor mss. codices, quos habuimus ad collationem hujus Præfationis, legunt omnes *Thorath:* quasi nomen istud esset in regimine, ut cum dicitur תורת משה *Thorath Mose*, id est *lex Mosis*. Notandum est autem emendatorem Canonis S. Germani a Patris aspirationem *h* ab initio, et litteram *th* in fine, punctis supra infraque positis, expungendas indicasse, ac *Tora* juxta Hebræos, non *Thorath*, legendum : quod apposito etiam signo *h* in margine suo more significavit. MART.

— Hæc mss. omnium lectio est, quorum triginta
C quatuor Martianæus numerat : nos antiquissimum Veronensem pro cunctis laudamus. Equidem in statu constructo sic scribitur תורת בישח : non autem in absoluto, ut sumere hic videtur Hieronymus. Verum et alia id genus sunt nomina, quæ ex vulgari appellatione videtur magis quam ad orthographiæ regulas designare : ut est aliud paulo post, *Malachot* pro *Malachoth*, et *Masaloth* pro *Maschalim*, quæ tum ipse cum eo vetustiores interpretes retinuere.

[5] Diximus in observationibus nostris ad inscriptionem libri Geneseos, Hebræos, teste Hieronymo, solitos fuisse voluminibus sacris nomina imponere ex principiis eorum, ut, v. g.: *Bresith*, quod significat *In Principio* (*Gen.* I, 1) : *Elle smoth*, id est, *Hæc sunt nomina*, quæ priora sunt verba libri Genesis, et libri Exodi. Verum ex eodem Hieronymo nunc apparet id esse intelligendum de solis Mosaicæ legis quinque voluminibus : nam cæteri libri tum
D prophetales, tum hagiographi non sortiuntur nomina ex principiis suis, sed ab ipsis auctoribus, aut certe ex rebus personisve de quibus imbi multa scribuntur. Monemus tamen curiosum lectorem, libros I et II [*Vulg.* III et IV] Regnorum, qui ab Hebræis *Malachim* dicebantur juxta Hieronymum, hoc est *Reges*, apud Origenem ex principio eorum appellari *Vammelech David*, quod interpretatur *Et rex David* (I [*Vulg.* III Reg. I, 1). Unde satis compertum exstat libros sacros Hebræorum diversa a diversis habuisse nomina, ac varias appellationes. MART.

[6] Malunt hunc Græci librum a primis verbis inscribere Οὐαμμέλεχ Δαβὶδ. Sic Origenes vocat; et Josephus, vetus Christianus auctor in *Hypomnestico*, demum et Nicephorus, tametsi paulo vitiose. Hebræus habet מימלכות דוד. Porro Martianæus male ab hoc loco novum Prologi capitulum exordiebatur.

[7] Hoc nomen scribendum esset cum duplici mem

rum dicere. Non enim multarum gentibus regna describit; sed unius Israelitici populi, qui tribubus duodecim continetur. Quintus Isaias (ישעיה), sextus Ieremias (ירמיה), septimus Iezeciel (יחזקאל), octavus liber duodecim prophetarum, qui apud illos vocatur Thare asra [1] (תרי עסרא).

Tertius ordo Ἁγιόγραφα possidet; et primos liber incipit ab Job (איוב), secundus a David (דוד), quem quinque incisionibus, et uno Psalmorum volumine comprehendunt tertius est Salamon (שלמה); tres libros habens : Proverbia, quæ illi Parabolas, id est Masaloth [2] (משלות) appellant; Ecclesiasten, id est Coeleth [3] (קהלת); Canticum canticorum, quem titulo Sir assidim (שיר שירים) prænotant; sextus est Daniel (דניאר); septimus Dabre aiamim [4] (דברי הימים), id est Verba dierum, quod significantius Χρονικὸν totius divinæ historiæ possumus appellare : qui liber apud nos Παραλειπομένων primus et secundus inscribitur; octavus Ezras (עזרא) [*Al.* Elesdras], qui et ipse similiter apud

ab initio, id est ומימכלת *mamlachoth*, quod interpretatur *regna* : מלכות, *maluchoth* enim aim *mem* unico, non regna proprie, sed reginas significat. Ne quid tamen alienum induceremus, varia Hebraica Hieronymi totidem elementis ad marginem apponere visum est quot ille in textu exprimere voluit. Mart.

— Divimus superius *mamlachoth* rectius scribi debuisse : Veronensis ms. *Malochoth* rectius scribi quoque inferius *Hiezecihel* pro *Iezeciel*. ut et supra *Samuhel* pro *Samuel*, hisque similia aspirat.

[1] Canon Hebraicæ veritatis S. Germani a Pratis habet hic secunda manu, tre azra. Quod exscriptor in emendando suo exemplari mutuari potuit et ex aliis libris, uti nobis fidem facit codex Bibliorum S. Germani ante octingentos annos scriptus, in cujus ora marginali hæc varians lectio reperitur *Thare arsa, alii, tre azra*. Cum ipse nihilominus in textu legat, *Thare, asra*. Mart.

[2] Ita Canon uterque Hebr. verit. Carcassonensis scilicet et noster Sancti Germani a Pratis. Omnes alii mss. codd. legunt, *Masloth* : sed ms. num. 3, jam sæpe laudatus, in limbo *Massaloth* habet cum *s* duplici : in corpore autem *Maslot* litteris Græcis. Mart.

— Veronensis liber cum gemino *s*, *Massaloth*. Eusebius Μασλὼθ, Nicephorus Μασλῶθ appellant.

[3] In tribus antiquissimis mss. Corbeiensis monasterii nostri scriptum est Accoeleth, quasi Hebraice Hieronymus legerit הקהלת cum ה ab initio, quod grammatici vocant emphaticum, litteram sequentem congeminans. Canon S. Germani legebat similiter Accoeleth; sed manus emendatoris expunxit primam yllabam, *ac*, hodieque superest solum *Coheleth*. Apud Hebræos constanter legitur, קהלת *Coheleth* absque ullo *he* initiali : *Coeleth* quoque legebat Origenes in Psalmum I. Mart.

— Idem Veronensis ms. *Accoeleth*, quemadmodum et in Corbeiensibus tribus Martianæus invenit. Fortasse et verius, quod ita cum ה emphatico vocarent Hebræi olim הקהלת.

[4] Non Dabre aiamim, sed *debre aiomin*, legebatur olim in ms. codice Corbeiensi num. I. Exstat etiam prope eadem lectio ad oram marginalem manuscripti nostri num. 3, ubi positum invenimus *dibre aiomin*, Hiuc in Canonem S. Germani fluxisse videtur hodiernum *dibre aiamain* : nam ante emenda-

Græcos et Latinos in duos libros divisus est; nonus Esther (אשתר).

Atque ita fiunt pariter veteris legis libri viginti duo; id est, Mosi quinque, prophetarum octo, hagiographorum novem. Quanquam nonnulli Ruth (רות) et Cinoth (קינות) inter Ἁγιόγραφα scriptitent, et libros hos in suo putent numero supputandos [5]: ac per hoc esse priscæ legis libros viginti quatuor [6]: quos sub numero viginti quatuor seniorum Apocalypsis Joannis inducit adorantes Agnum, et coronas suas prostratis vultibus offerentes (*Apoc.* IV, 4, stantibus coram quatuor animalibus oculatis et retro et ante (*Ibid.* 6), id est, et in præteritum et in futurum respicientibus [7], et indefessa voce clamantibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est [8] (*Ibid.* 8).

Hic prologus Scripturarum, quasi galeatum principium omnibus libris quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest : ut scire valeamus quid-

tionem in eo scriptum erat *dabre iamim*. Exemplar Carcassonense Canonis Hebraicæ veritatis legit *dabre iamin* cum aliis triginta mss. libris. Apud Origenem legimus διδρὴ ἀϊαμὶμ, id est *dibre aiamim*, ut jam in Canone nostro. Verba Hebraica in sacris voluminibus sunt ista, דברי היומים. Nec refert juxta Hieronymus in epist. ad Evagrium de Melchisedec, utrum *dabse*, *dibre*, an *debre aiamim* pronuntietur; cum vocalibus in medio litteris perraro uterentur Hebræi veteres, et pro voluntate lectorum, atque varietate regionum, eadem verba diversis sonis atque accentibus proferrentur. Mart.

— Iterum Veronens ms. *Dabreiamin* sine intermedio ה quod regiminis vocant, quam lectionem probasse videtur et Nicephorus, qui habet δαδρὶ ἰαμὶν. Recte cæteri Scriptores Græci, Origenes, Eusebius, aliique διδρὴ ἀϊαμὶμ.

[5] Ex his Victorinum in Apocalypsin Martianæus laudat. Præferendus vero est Tertullianus libro IV *contra Marcionem*, quem hic tamen describere piget : cum hæc sit disputatio a sacris plerisque omnibus criticis copiose nimis atque erudite pertractata.

[6] Totidem libros enumerat Victorinus in Apocalypsi : « Sunt autem, inquit, viginti quatuor libri Veteris Testamenti : viginti duos in excerptis Theodori invenies, » etc. Quidam ad viginti duo volumina Canonis Hebræorum. Tobiam et Judith adjungebant, ut essent viginti quatuor. « Quibusdam autem, inquit Hilarius prologo in librum Psalmorum, visum est, additis Tobia et Judith, viginti quatuor libros secundum numerum Græcarum litterarum connumerare. » Ad alios non alludit Hieronymus, sed ad eos potius qui Ruth et Cinoth inter Hagiographa scriptitabant. Judæi hodierni Biblia sacra vocant, עשים ואיבע, *Esrim vearbaa*. id est *viginti quatuor* : et inter Hagiographa numerant librum Ruth et Jeremiæ Lamentationes. Videsis plura de hoc argumento in præloquis nostris. Mart.

[7] Verbum *respicientibus* Veronens. ms. non agnoscit : fortasse etiam elegantius Hieronymianus textus eo careat.

[8] *Et qui futurus est.* Ita legitur in Canone Carcass. et in ms. codice S. Germani num. 3, id quoque scriptum habebatur in Canone nostro antequam mendis expurgatus esset. Mart.

— Verius habet Veronens. ms. *qui futurus est*, quemadmodum et vetustiores tres, quos laudat e suis Martianæus.

quid extra nos est, inter ἀπόκρυφα esse ponendum[1], Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, et Jesu filii Sirach liber, et Judith, et Tobias[2] et Pastor[2], non sunt in Canone[3]. Machabæorum

[1] Idem ms. *seponendum*, uno verbo pro *esse ponendum*: concinnius.

[2] Nisi si notissimus Hermæ *Pastor* hic est, haud equidem intelligo, quis alius hoc nomine inter scripturas apocryphas liber sit rejiciendus. Quod si ille ipse est, jam non ab Hieronymo, qui Veteris Testamenti, non Novi, apocryphos libros hic memorat, sed a sciolo quopiam, qui S. Patris contextum ac mentem non satis attendit, temere omnino est intrusus: neque enim ad Veteris Testamenti sive ad Hebræorum Canonem spectare liber apostolicorum temporum potest, aut a S. Doctore ad eam seriem revocari. Rectissime adeo existimo Urbinatem codicem sane perquam emendatum carere eo prorsus nomine, ac vellem a cæteris quoque abesset, ac præcipue Veronensi antiquissimo, ut ad eorum posset fidem expungi. Nunc quando in reliquis est omnibus libris, sunt et docti viri, qui sub *Pastoris* appellatione tertium Machabæorum librum denotari volunt: satisque ingeniose Franciscus Junius Græcis verbis rescribit Πάστορα,, derivatque nomen ἀπὸ τῆς παστάδος, sive παστίδος,, hoc est ab atrio, in quo summus sacerdos cum fideli suo comitatu intercessit, ne rex veniret in sanctarium. Meibomius contrario lib. *de Fabrica triremium* pag. 45, legi debere contendit *Philopator*; eodem autem intellectu accipit librum tertium Machabæorum, qui ordine primus est, et tempora Machabaicis priora attingit. At qui priorem conjecturam multis impugnat exsufflatque doctiss. Lemoynius epist. ad Cuperum de Melanophoris, pag. 258, hanc quoque ruinus probabilem iisdem argumentis reddit: ut nihil interim dicam, lectionem *Philopator*, ab ea quæ omnium est codicum. *Pastor*, longe nimium abludere. Nocis aliquando visum est, commodo substitui posse *Esther*, sicque accipi dictum ab Hieronymo, ut posteriora sex libri ejus capita denotarit, quæ ex Græcis duntaxat τῶν LXX editionibus habentur: in Hebraico autem exemplari desiderantur, neque adeo sunt in eo Canone. Nam et ob hanc, ut videtur, causam a Melitone Asiano, Athanasio, et Gregorio Nazianzeno liber ipse a Divinorum albo expungitur: et videtur ipse Hieronymianæ orationis, librorumque δευτεροκανονικῶν series id postulare, ut de hac ejus libri interpolatione, sive ab Hebraico exemplari discrepantia hic diceret. Denique multa horum est nominum *Pastor*, atque *Esther* similitudo, maxime si ex dictantis ore excipiantur: nisi si et data opera potius quam temere substituit *Pastor* criticus nonnemo, qui paulo superius observarit, Esther, ut in Hebraico est, in Canonem recipi tertio ordine inter Ἀγιόγραφα nono loco putaritque non sibi constare Hieronymum, si hic loci expungeret. Verum tuo, lector, arbitrio quam probes conjecturam relinquimus. Videsis et Cotelerium hac super re Præfatione in Hermam.

[3] De Hebræorum, non Ecclesiæ Canone hæc intelligenda docet Mariana us Victor us in scholiis suis ad præsentem Prælationem Hieronymi. Asserit quoque Ricard s Simon Hist. Criticæ lib. 1, c. 9, Hieronymum non e sua, sed ex Judæorum sententia locutum ubi nonnullos libros in Ecclesia Canonicos (ut ipse R. S. ait) inter apocrypha volumina esse ponenda decernit. At si de sententia Hieronymi, eidem Hieronymo fides habeatur, dissimulare non possumus scriptores illos procul a vero recedere, propriamque, non Hieronymianam, obtrudere lectoribus opinionem. Id manifeste evincunt verba isthæc quæ leguntur in Præfatione Hieronymi in libros Salomonis: « Fertur et πανάρετος Jesu filii Sirach liber et alius ψευδεπίγραφος, qui Sapientiæ Salomonis inscribitur: quorum priorem Hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, ut apud Latinos sed Parabolas prænotatum: cui juncti erant Ecclesiastes, et Canticum canticorum, ut similitudinem Salomonis non solum numero librorum sed etiam materiarum genere coæquaret. Secundus apud Hebræos nusquam est: quin et ipse, stylus Græcam eloquentiam redolet, et nonnulli scriptorum veterum hunc esse Judæi Philonis affirmant, Sicut ergo Judith, et Tobiæ, et Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit: sic et hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. » Videant nunc Marianus, ac Simon. quo sensu Hieronymus dixerit: « Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, et Jesu filii Sirach liber, et Judith, et Tobias, et Pastor, non sunt in Canone. » Scimus quidem post decreta concilii Tridentini hos omnes libros pari cum cæteris veneratione ab omnibus vere piis et orthodoxis esse susciendos; sed nunc quæstio nobis et de tempore Hieronymi, quando, ut ex eodem constat, libros jam dictos legebat quidem Ecclesia ad ædificationem plebis. cum tamen ipsos non reciperet inter Scripturas Canonicas. MART.

— Hebræo scilicet, ut ex hoc toto Hieronymi contextu liquet, fertque hominum erudissimorum, Victorii, Morini, Simonii, aliorumque sententia. Martianæus, qui de Ecclesiæ Canone S. Doctorem locutum esse contendit, vulgatissimum illud laudat ipsiusmet Hieronymi testimonium in Præfatione in libros Salomonis, « Fertur, et πανάρετος Jesu filii Sirach liber, et alius ψευδεπίγραφος, qui Sapientia Salomonis inscribitur: quorum priorem Hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, ut apud Latinos, sed Parabolas prænotatum... Secundus apud Hebræos nusquam est, quin et ipse stylus Græcam eloquentiam redolet: et nonnuli Scriptorum veterum nunc esse Judæi Philonis affirmant, Sicut ergo Judith et Tobiæ, et Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit, sic et hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. » Quibus quidem verbis videtur S. Pater non quid Judæi facerent, sed quid Ecclesia de his libris sentiret, explicasse. Verum haud ita ex hoc loco colligendum de aliorum sensu, sed potius hunc ad reliquos emolliendum, rectissime Morinus constituit; et sane debet auctoris cujuscunque sententia ad plura expendi testimonia: et suorummet verborum interpretem ipsum esse qui scripsit, ea demum certa probatio est. Re autem ipsa multa occurrunt ipsiusmet S. Doctoris testimonia quibus de Hebræorum duntaxat catalogo locutum se esse pronuntiat, ita clara, ut nulla verborum contorsione eludi queant. Ac de Tobiæ quidem libro, sic in Præfatione ad Chromatium et Heliodorum habet: « Quem Hebræi de catalogo divinarum Scripturarum secantes, his quæ apocrypha memorant, manciparunt. Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio. Arguunt enim nos Hebræorum studia, et imputant nobis, contra suum Canonem Latinis auribus ista transferre. Sed melius esse judicans Pharisæorum displicere judicio, et episcoporum jussionibus inservire, institi ut potui. De Judith vero adhuc luculentius item in Præfatione: « Apud Hebræos liber Judith inter apocrypha legitur, cujus auctoritas, ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, etiam minus idonea judicatur. Chaldæo tamen sermone conscriptus inter Historias computatur. Sed quia hunc librum synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum dicitur computasse, aquievi postulationi vestræ, imo exactioni. » Porro idem dicendum est de Eccle-

primum librum, Hebraicum reperi [1]; secundus Græcus est: quod ex ipsa quoque φράσει [2] probari potest. Quæ cum ita se habeant, obsecro te, lector, ne laborem meum reprehensionem æstimes antiquorum. In tabernaculum Dei offert unusquisque quod potest: alii aurum et argentum et lapides pretiosos: alii byssum et purpuram et coccum offerunt et hyacinthum: nobiscum bene agetur, si obtulerimus pelles et caprarum pilos (*Exod.* xxv, 3-7). Et tamen Apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria judicat (*I Cor.* xii, 25). Unde et tota illa tabernaculi pulchritudo, et per singulas species, Ecclesiæ præsentis futuræque distinctio, pellibus tegitur et ciliciis, ardoremque solis et injuriam imbrium ea quæ viliora sunt prohibent. Lege ergo primum, Samuel, et Malachim meum: meum, inquam, meum. Quidquid enim crebrius vertendo, et emendando sollicitius et didicimus et tenemus, nostrum est. Et cum intellexeris quod antea nesciebas, vel interpretem me æstimato, si gratus es, vel παραφραστὴν, si ingratus. Quanquam [*ms.* quod] mihi omnino conscius non sim [*ms.* sum]. mutasse me quidpiam de Hebraica veritate. Certe si incredulus es, lege Græcos codices et Latinos et confer cum his opusculis [3]: et ubicunque inter se videris discrepare, interroga quemlibet Hebræorum, cum magis accommodare debeas fidem: et si nostra firmaverit, puto quod eum non estimes conjectorem, ut in eodem loco mecum similiter divinarit. Sed et vos famulas Christi (Paulam et Eustochium), rogo, quæ Domini discumbentis pretiosissimo fidei myro [4] ungitis caput, quæ nequaquam Salvatorem quæritis in sepulcro, quibus jam ad Patrem Christus ascendit, ut contra latrantes canes, qui adversus me rabido ore desæviunt, et circumeunt civitatem, atque in eo se doctos arbitrantur, si aliis detrahant, orationum vestrarum clypeos opponatis [5]. Ego sciens humilitatem meam, illius semper sententiæ recordabor:

Dixi, custodiam vias meas,
ut non delinquam in lingua mea.
Posui ori meo custodiam,
cum (*Vulg.* dum) consisteret peccator adversum me
Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis (Psal. xxxviii, 2 seq.).

siastico et Sapientia Solomonis, quos cum Tobia et Judith una serie eademque classe complectitur. Qui plura hac super re cupiet, criticos supra laudatos, et Morinum præsertim, adeat.

[1] Nullum hodie superest Hebraicum aut Syrum exemplar. Librum Assamonæorum laudat Josephus ben Gorion, qui auctor circa undecimum sæculum scripsit: neque est adeo incredibile ad eam usque ætatem Hebraicum archetypum superfuisse. Hieronymus nullum vertit ex his libris: vetustissima tamen est quæ obtinet versio.

[2] Veronens ms *ipsa quoque historia* pro φράσει: at, puto, mendose, et Latini antiquarii qui Græcas litteras ignoravit, culpa; nam et paulo inferius, *historiographum* rescribit pro Græco verbo παραφραστήν.

[3] Addunt hic editi, *quæ nuper emendavimus*. Hæc radenda sunt tanquam superflua, quoniam nihil eorum exstat in mss. vetustioribus ac melioris notæ. In recentioribus tantum quinque aut sex legitur, *quæ super enumeravimus*: quod que vitiosum est: non enim monet Hieronymus lectorem, ut Græcos Latinosque codices conferat cum omnibus opusculis quæ supra numeraverat, vel quæ nuper emendaverat; sed cum his tantum quæ ex Hebræo in Latinum verterat, id est, cum libris Samuel et Malachim. Mart.

[4] Sic legunt omnes mss. nostri, nisi quod plures pro *myro* scribunt *myrro* cum duplici *r*. Μύρον autem Græce unguentum dicitur: μύρρα vero herbam significat. Unde error editorum librorum manifeste deprehenditur, ubi legimus *pretiosissima fidei myrrha*. Neque vero caput Domini discumbentis unctum est *myrrha*, sed *myro*, id est *unguento pretiosissimo* mulieris peccatricis in Evangelica narratione, ad quam hic alludit sanctus Hieronymus. Mart.

Antiquam lectionem, *pretiosissima fidei myrrha*, revocandam esse contendit *Hieronymianarum Quæstionum* auctor, qui et vult, multo directius S. Doctorem respicere ad mulieres quæ myrrham tulerunt ad sepulcrum Christi (*Marc.* xvi), quam ad eam, aut eas quæ capiti ejus accumbentis unguentum effuderunt (*Matth.* xxvi, 7). Scilicet immane illud repugnandi studium tenebras ejus effudit oculis, ut quæ duo præcedunt proxime clarissima verba, *Domini discumbentis* nec legerit. Nihil itaque dubium est, *myro*, seu μύρῳ, id est *unguento*, scriptum ab Hieronymo, quod Salmasius pridem certis argumentis ostendit: Martianæus postmodum mss. ope in textu restituit. Nostri quoque codices repositam lectionem confirmant, in quorum uno tantum est paulo mendose cum duplici *r* scriptum *myrro*. Confirmant vero et aliorum Patrum loci, qui ea voce eodem plane sensu usi sunt; et cum primis S. Gaudentius Brixiensis serm. 13: *Maria pretioso myro unctos Christi tersit pedes* (*Luc.* vii, 37, 38). Et adhuc pressius serm. 20: *Alter* (id est S. Paulus) *pretiosum fidei myrum doctrina sua portat in populo*, etc. Mox Veronens, ms., *quia nequaquam Salvatorem* pro *quæ*, etc.: in uno Avenionensi *seductorem* satis vitiose scriptum Martian. invenit pro *salvatorem*.

[5] Veronensis ms., *subponotis* qui et *semper* adverbium, mox prætermittit: denique et prius verbum *Dixi* in subnexo Psalmi testimonio tacet.

TITULI LIBRI SAMUEL.

I. Ubi orat Anna corde, labiis immotis.
II. Nativitas Samuelis.
III. Ubi offertur Samuel templo.
IV. Canticum Annæ.
V. Ubi peccatum filiorum Heli ostenditur.
VI. Ubi alloquitur Heli filios suos de peccatis.
VII. Propheta sine nomine ab Heli destinatur.
VIII. Dormientem Dominus alloquitur Samuelem.
IX. Prima allocutio ad Samuelem.
X. Israel ab hostibus superatur.

XI. Ubi arca testamenti contra hostes defertur.
XII. Ubi populus cæditur, occisis filiis Heli, arca captivatur.
XIII. Heli sacerdos de sella cadens moritur.
XIV. Ubi arcam Philisthæi in templo ponunt.
XV. Ubi plaga Azotii describitur, cæterarumque civitatum.
XVI. Accaronitæ arcam Domini suscipiunt.
XVII. A sacerdotibus ordinatur cum quo munere arca sit emittenda.
XVIII. De susceptione arcæ Domini : sacrificium fit de vaccis, quæ eam adduxerunt.
XIX. Translatio arcæ in Gabaa in domo Abinabab.
XX. Ubi orat et sacrificat pro populo Samuel.
XXI. De judicio filiorum Samuel, et de regis petitione.
XXII. Ubi admonetur populus de jure regis et potestate.
XXIII. De unctione Saulis regis.
XXIV. Ubi a Samuele ungitur Saul, et osculo accipitur.
XXV. Saul incipit prophetare.
XXVI. Confirmatio regis Saul, et descriptio legis regni.
XXVII. Primum prælium Saul.
XXVIII. Ubi Samuel de temporibus suis alloquitur populum.
XXIX. Consummatio allocutionis Samuel, et de populi pœnitudine.
XXX. Samuel Saulem reprehendit in offerendo sacrificio.
XXXI. Solus Jonathas contra Philisthæos ingreditur.
XXXII. Jejunium indicitur a Saule.
XXXIII. Pecora non sua populus decisione mactata manducat.
XXXIV. Occisurum Jonatham Saul promittit, eo quod indictum jejunium non observaverit, petiitque pro eo populus.
XXXV. Præceptum Domini ad Saul de nece Amalec.
XXXVI. Dominus irascitur Saul pro Agag rege Amalec servato.
XXXVII. Quod melius sit obedientia quam sacrificium.
XXXVIII. Ubi Samuel Agag regem interficit.
XXXIX. Ubi mittitur Samuel ad ungendum David regem.
XL. Ubi singuli filii Isai offeruntur Samueli.
XLI. Ubi ungitur David a Samuele.
XLII. De arreptione Saulis et spiritu nequam.
XLIII. Ubi David ad Saul adducitur.
XLIV. Cœptum Goliæ.
XLV. Ubi David a Saul recedit.
XLVI. A patre post fratres mittitur David.
XLVII. Ubi se offert David contra Goliam.
XLVIII. Ubi David interficit Goliam.
XLIX. Jonathas in amore accipit David.
L. Ubi cantu virginum in odium David Saul motus est.

A LI. Ubi David a Saul Merob filia promittitur.
LII. Hic altari datur Merob, et Michol ei promittitur.
LIII. Ubi Michol uxorem David accipit.
LIV. Saul Davidem jubet occidi.
LV. Ubi David iterum pugnat contra Philisthæos.
LVI. Hic per uxorem Michol David liberatur.
LVII. Positus cum Samuele David, et ipse et qui ad eum missi fuerant, et Saul veniens, prophetare cœperunt.
LVIII. Saul Jonathæ irascitur ob excusationem David.
LIX. De signo sagittarum inter David et Jonatham.
LX. Ubi David panes propositionis comedit.
LXI. Ubi David apud Achis regem Geth dæmonem
B se finxit habere.
LXII. Ubi David profugos sibi collegit.
LXIII. Ubi sacerdotes Domini a Doeg occiduntur.
LXIV. Ex præcepto Domini, David cum suis ad Philisthæos pergit.
LXV. Hic accipit Ephod ab Abiathar sacerdote et orat David.
LXVI. Zyphæi David se tradituros Sauli promittunt.
LXVII. In spelunca positus David Sauli chlamydem præcedit.
LXVIII. Locutio David ad Saul, quod ei pepercerit.
LXIX. De pœnitudine Saul erga David.
LXX. Cœptum Nabal.
LXXI. Nabal negat David alimoniam.
LXXII. Moritur Nabal, et uxorem ejus accipit Da-
vid.
C LXXIII. David acceptam Michol filiam Saul, et Abigail, sed et Ahinoem habet uxorem.
LXXIV. Ubi Saul Michol alteri dedit uxorem.
LXXV. Dormiente omni exercitu, David a capite Saul hastam tulit.
LXXVI. Ubi expergefactus Saul alloquitur Davidem.
LXXVII. Ubi moritur Samuel.
LXXVIII. Ubi pythonissam consulit Saul.
LXXIX. Ubi prohibetur David in bellum iræ contra Israel.
LXXX. Insurgentes Amalecitæ a David superantur.
LXXXI. Ubi eruit David prædam.
LXXXII. Ubi superatur et occiditur Saul.
Ibi explicit liber primus Samuel.
D LXXXIII. Ubi occidit David nuntium qui nuntiaverat Saul mortuum.
LXXXIV. Post mortem Saul ungitur David, et regnat.
LXXXV. Ubi commemorat David se a populo Juda unctum esse.
LXXXVI. Ubi factum est bellum inter Isboseth et David.
LXXXVII. Ubi occidit Abner Asael fratrem Joab a parte David.
LXXXVIII. Nomina filiorum David sex, qui nati sunt ex diversis matribus.
LXXXIX. Ubi occiditur Abner a Joab principe militiæ David.

XC. Miphiboseth Jonathæ filius invenitur.
XCI. Hic occiditur Isboseth filius Saul.
XCII. Ubi interficit David occisores Isboseth.
XCIII. Ubi ab omni populo Israel rex ungitur et constituitur David..
XCIV. Ubi Hiram rex præbet ligna domui David.
XCV. Ubi nomina filiorum David de diversis matribus.
XCVI. Hic transfertur arca testamenti de domo Aminadab.
XCVII. Hic ostenditur Michol filia Saul sterilis.
XCVIII. Ubi admonetur David per prophetam, quod templum Domini ipse facturus non sit.
XCIX. Oratio David post allocutionem prophetæ.
C. Consummatio orationis David.
CI. Ubi ostenditur quod multa spolia et numera sanctificaverit Domino.
CII. Ubi refertur Scriptura ad Miphiboseth filium Jonathæ.
CIII. Ubi contrahitur bellum adversus Amnon filium Ammon.
CIV. Hic vidit David Bersabee uxorem Uriæ Hetthæi.
CV. Nathan propheta alloquitur David de uxore viri Hetthæi.
CVI. Ubi agnoscit peccatum David.
CVII. Filius David natus de Bersabee moritur.
CVIII. De Bersabee nascitur Salomon.
CIX. Hic Amnon sororem suam amare cœpit.
CX. Ubi Thamar pellitur ab Amnon, et suscipitur ab Absalom fratre suo.
CXI. Hic occiditur Ammon ab Absalom.
CXII. Ubi Joab immitit mulierem simulantem luctum pro Absalom.
CXIII. Hic David a muliere Thecuite placatur super Absalom.
CXIV. Ubi segetem Joab Absalom jubet incendi.
CXV. Hic Absalom mentitur votum sacrificii, ut iret in Hebron et se faceret regem.
CXVI. Ubi fugit David Absalom.
CXVII. Hic mittit David contra Absalom.
CXVIII. Ubi Semei conviciatur David.
CXIX. Consilium Achitophel datum, ut ingrediatur Absalom ad concubinas patris sui.
CXX. Ubi Achitophel se persecuturum David promittit, quod Chusai improbat.
CXXI. Ubi Achitophel laqueo se interfecit.
CXXII. Prodeunt Joab et Abisai adversus Absalom.
CXXIII. Hic Absalom invenitur quercu suspensus.
CXXIV. Ubi Absalom nuntiatur occisus.
CXXV. Joab princeps militiæ irascitur, eo quod lageret David Absalom.
CXXVI. Ubi optat populus revertere ad David.
CXXVII. Hic Semei dimitti sibi rogat pro irrogata injuria.
CXXVIII. Ubi tradit Berzellai filium suum Chamam David regi.
CXXIX. Siba populum Israel separavit a David.
CXXX. Ubi occiditur Amasias a Joab.
CXXXI. Mulier alloquitur Joab, quæ et caput Sibæ protulit.
CXXXII. Ubi Gabaonitæ septem ex semine Saul petunt in pœnam, quos et accipiunt.
CXXXIII. Ubi ossa Saul et Jonathæ colligit David.
CXXXIV. Hic Psalmus incipit XVII.
CXXXV. David aquam sibi dari jubet de cisterna, quæ est in Beth-Leem.
CXXXVI. Ubi jubet David numerari populum.
CXXXVII. Per Gad prophetam Dominus in tribus correctionibus loquitur David.

RECAPITULATIO DE LIBRO PRIMO MALACHIIM [1].

I. De Helcana et uxoribus ejus, et de Heli sacerdote, et de nativitate Samuelis.
II. De cantico Annæ, et de inquitatibus filiorum Heli.
III. De Samuele et imputatione divina ad Heli per eum directa, ubi de Christo prænuntiat [*Al.* pronuntiat].
IV. De Samuele, ubi eum Deus quarto vocat in visu, Et de Philistinorum bello et arca capta, et de Heli morte [*Al. add.* sacerdotis].
V. De Dei [*Al. tacet* Dei] idolo Dagon ad præsentiam arcæ confracto, et de plagis Philistinis illatis.
VI. De arcæ reditu in Bethsamis, et de plaga illic irrogata.
VII. De arcæ transmigratione in Cariat-Iarim in domum Aminadab, et de bello in quo Philisthiim percussi sunt. Et de gestis Samuel.
VIII. De filiis Samuelis, et ubi populus regem postulat. Et de Saul et asinarum inquisitione.
IX. De Saule uncto in regem, et inter prophetas prophetante, et quomodo in Maspha confirmatur ejus regnum.
X. De Naas rege Ammon, quomodo oppugnavit Jabis urbem, et de confirmatione regni Saul in Galgalis.
XI. De Samuelis præceptis ad populum, et de signis de cœlo ostensis.
XII. De Jonathan et Saule, quomodo Philistinos percusserint : et de Saule, ubi holocausta male præsumpsit offerre.
XIII. De Jonatha, ubi per eum Dominus Philistino-

[1] Excepimus e Veronensi antiquiss. ms. ad quem et libros ipsos Regnum exegimus. Martianæus nihil præter titulos his libris prætexit. Nos ipsas *Recapitulationes* cum editione ven. card. Thomasii contulimus, variantesque lectiones ad paginæ oram adnotamus.

rum castra percussit, et Saul voluit eum pro gusto mellis occidere.

XIV. De Saule, quomodo omnes humiliavit in circuitu nationes, et quos ipse habuerit filios, vel principes. Et de interitu Amalech in ultiones [*Al.* Amalecitæ ultionem] Hebræorum de Ægypto venientum [*Al.* rege provenientium], et de Agag rege.

XV. De Samuele, ubi Saulem deseruit, et David unxit, et de spiritu nequam qui Saulem vexabat.

XVI. De bello Philistinorum contra Saulem : ubi David Goliath interficit, et audit in decem millibus.

XVII. De Jonathæ et David amore, ei de odiis Saul in David, et [*Al. add.* ubi] in centum præputiis accepit Michol, quæ patris dolum prodens salvum fecit David.

XVIII. De transfugio David ad Samuel et delicto [*Al. tacet* delicto] qui missi prophetaverunt, ubi et Saul veniens prophetavit. Et de pacto et signo inter Jonathan et David.

XIX. De fuga David, et quæ de Achimelech sacerdote referuntur. Et quomodo David immutavit vultum suum coram Acis regem, et cum suis omnibus transivit ad regem Moab.

XX. De Gad propheta: ubi commonuit David fugere in terra Juda in saltu, et Doec prodente, occisus est Achimelech cum reliquis octoginta sacerdotibus, et quomodo David, percussis Philistinis, salvavit Ceilam.

XXI. De Saule, quomodo voluit David in Ceila capere, qui [*Al.* quin] eum fugit in deserto Ziph : ubi Jonathan ad eum venit, et ut de Saulis chlamyde David in speluncа oram excidit.

XXII. De Samuelis morte et sepulcro ejus in Rama; et quæ de Nabal Carmelio ac de Abigael referuntur.

XXIII. De David, ubi Abigael, et Achinoem uxores accepit, et ubi Saulis persequentis se scyphum et hastam abstulit.

XXIV. De transfugio David in Geth ad Achis regem Philisthiim, et quæ illic gesserit : et de Saule, et Pythonissa.

XXV. De Philistinis adversum Saul congregatis, et de David ubi, percusso Amalec, hominem [*Al.* omnem] captivitatem, et uxores suas reduxit in Seceleg.

XXVI. De bello Philistinorum, in quo Saul cum tribus filiis occisus est [*Al.* occubuit], et quomodo David planxerit Saul et Jonathan.

XXVII. De reditu David in Chebron, ubi secundo unctus est, et de Abner, et Miphiboseth et Joab, et de prælio ubi luserunt pueri, et Asael occubuit.

XXVIII. De filiis David in Chebron natis, et quomodo recepit Melchol, et de Abner a Joab interfecto, et de morte Isboseth filii Saul.

XXIX. De cunctis tribubus, ut se dediderunt David [*Al.* secuti David], et quomodo ingressus est in Sion, et de Chiram et de artificibus et lignis, et de uxoribus vel filiis qui nati sunt David [*Al.* ei *tantum*] in Jerusalem.

XXX. De Nathan propheta, ubi prohibet David ædificare templum, et prophetat de Christo : et quomodo David omnes in circuitu humiliaverit nationes.

XXXI. De Miphiboseth filio Jonathæ, et de Anon rege Ammon, quomodo inlusit pueris David, et de præliis ob vindictam insecutis.

XXXII. De Bethsabee Uriæ. [*Al. add.* uxore], et parabola per Nathan, et de morte pueri de stupro nati.

XXXIII. De urbe Rabbat a David capta et de nativitate Salomonis (et quæ de Ammon et Thamar memorantur [*Al. absunt uncinis inclusa*] et de Absalom quomodo interfecit Ammon.

XXXIV. De fuga Absalom ad Tolmai regem Syriæ in Gessur, et de muliere Thecuite, quæ pro eo David regi locuta est.

XXXV. De Absalom pulchritudine, et quos habuerit filios : et quomodo patrem regno expulit.

XXXVI. De consilio Achitophel, et Usai dato Absalom, et de Acimaas et Jonathan exploratoribus David.

XXXVII. De bello in quo Absalom periit, et quomodo eum David luxit.

XXXVIII. De reditu David in Jerusalem, et recuperatione regni.

XXXIX. De Seba qui cum parte populi rebellavit contra David : et de Amasa, quem interfecit Joab, et de fame, quæ accidit pro Gaboanitis : quos ultus est David in septem crucifixos de stirpe Saul.

XL. De prælio Philistinorum, in quo David potuit discrimini, et de reliquis bellis, et de cantico quod cantavit Domino [*Al. tacet*, quod cantavit Domino], et prophetia de Christo.

XLI. De viris qui fortissimi in præliis cum David fuerint ; et de eorum virtutibus.

XLII. De indignatione divina, cur David populum jusserit numerari, et de optione per Nathan [*Al.* pro Gad] tribus modis oblata, et de interfectione [*Al. add.* in] septuaginta millium per angelum illata, et de area Ornæ [*Al.* sacrificio oblato a David in area Arctina] Jebusæi.

INCIPIUNT.

LIBRI DUO SAMUELIS

QUI ALIAS DICUNTUR UNA

LIBER SAMUELIS

VEL

LIBER I MALACHIM

LIBER PRIMUS.

[T. I, *Cap.* I.] Fuit vir unus de Ramathaim-Sophim, A de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana, filius Jeroam, filii Eliu, filii Thou [1], filii Suph, Ephratæus, et habuit duas uxores, nomen uni Anna, et nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filii : Annæ autem non erant liberi [h. parvuli]. Et ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus, ut adoraret et sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni et Phinees, sacerdotes Domini. Venit ergo dies, et immolavit Elcana, deditque Phenennæ uxori suæ, et cunctis filiis ejus, et filiabus partes : Annæ autem dedit partem unam [h. partem unam duplicem] tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vulvam ejus. Affligebat quoque eam æmula ejus, et vehementer angebat, in tantum, ut exprobraret B quod conclusisset Dominus vulvam ejus : sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderunt templum Domini, et sic provocabat eam. Porro illa flebat, et non capiebat cibum. Dixit ergo ei Elcana vir suus : Anna, cur fles? et quare non comedis [2]? et quam ob rem affligitur cor tuum? Nunquid non ego melior sum tibi quam decem filii? Surrexit autem Anna postquam comederat in Silo, et biberat. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini, cumque esset amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, et votum vovit, dicens : Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino D omnibus diebus vitæ ejus, et novacula non a super caput ejus. Factum est ergo, cum illa plicaret preces coram Domino. ut Heli ob os ejus. Porro Anna loquebatur in cor tantumque labia illius movebantur, et vox non audiebatur. Æstimavit igitur eam Hel lentam, dixitque ei : Usquequo ebria eris ? paulisper vinum quo mades. Respondens Nequaquam, inquit, domine mi; nam mulie nimis ego sum, vinumque et omne quod in potest, non bibi ; sed effudi animam meam spectu Domini. Ne reputes ancillam tuan unam de filiabus Belial : quia ex multitudi ris et mœroris mei, locuta sum usque in p Tunc Heli ait ei : Vade in pace, et Deus Is tibi petitionem [*Vulg. addit* tuam], quam eum. Et illa dixit : Utinam inveniat ancilla t tiam in oculis tuis ! Et abiit mulier in vian et comedit vultusque illius non sunt amp diversa mutati. [T. II.] Et surrexerunt m adoraverunt coram Domino, reversique i venerunt in domum suam Ramatha. Cognovi Elcana Annam uxorem suam, et recordatus Dominus. Et factum est post circulum dieru cepit Anna, et peperit filium, vocavitque ejus Samuel, eo quod a Domino postulasse Ascendit autem vir ejus Elcana [3], et omnis ejus, ut immolaret Domino hostiam solem votum suum, et Anna non ascendit : dixi viro suo : Non vadam, donec ablactetur in ducam eum, et appareat ante conspectum I

[1] Editi nonnulli et mss. quamplures legunt, *Thau* ex Hebræo scilicet תחו. LXX in manuscripto Alexandrino retinent Θεοῦ ; quod etiam Chaldæus expressit cum cholem pleno, ut aiunt Grammatici, תחו *Thoou* vel *Thohu*. Canonem Hebr. verit. et alterum ms. codicem Corb. secuti sumus ; ambo namque *Shou* scribentes veram præferunt Hieronymi lectionem, ut compertum habemus e libro *Nominum Hebraicorum*, et iterum e libro primo *adversus Jovinianum*, ubi S. Doctor constanter legebat *Thou*, sive *Thoou* juxta Græcorum MART.

— Veronens, atque Urbinas mss. cum *Thau*, quod ex Hebræo תחו fecisse Hieron. quanquam in aliis libris legerit cum Græci

[2] Noster ms., *comedes*, in Hebræo quoqu futuro תאכלי.

[3] *Ejus*, neque Hebræus textus habet, ne nensis ms.

et maneat ibi jugiter. Et ait ei [*Vulg. tacet* ei] Elcana vir suus : Fac quod bonum tibi videtur, et mane donec ablactes eum : precorque ut impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, et lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte. [T. III.] Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus et tribus modiis farinæ [1], et amphora vini, et adduxit eum in domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus : et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli. Et ait [*Vulg. add.* Anna] : Obsecro, mi domine, vivit anima tua, domine : ego sum illa mulier quæ steti coram te hic orans Dominum. Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam quam postulavi eum. Idcirco et ego commodavi eum Domino, cunctis diebus quibus fuerit accommodatus Domino. Et adoraverunt ibi Dominum. Et oravit Anna, et dixit ;

[T. IV, *Cap.* II.] Exultavit cor meum in Domino,
et exaltatum est cornu meum in Deo meo [2].
Dilatatum est os meum super inimicos meos :
quia lætata sum in salutari tuo.
Non est sanctus, ut est Dominus :
neque enim est alius extra te,
et non est fortis sicut Deus noster.
Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes.
Recedant vetera de ore vestro :
quoniam Deus scientiarum Dominus est,
et ipsi præparantur cogitationes.
Arcus fortium superatus est,
et infirmi accincti sunt robore.

A Saturati prius pro pane [h. Saturati *pro pane*] se [locaverunt :
et famelici saturati sunt.
Donec sterilis perperit plurimos [h. septem] :
et quæ multos habebat filios, infirmata est.
Dominus mortificat et vivificat,
deducit ad infernum, et reducit.
Dominus pauperem facit et ditat,
humiliat et sublevat.
Suscitat de pulvere egenum,
et de stercore elevat pauperem [3] :
Ut sedeat cum principibus,
et solium gloriæ teneat.
Domini enim sunt cardines terræ [h. Domini enim [sunt afflicti terræ],
B et posuit super eos orbem.
Pedes sanctorum suorum servabit,
et impii in tenebris conticescent :
quia non in fortitudine roborabitur vir.
Dominum formidabunt adversarii ejus,
super ipsos in cœlis tonabit.
Dominus judicabit fines terræ,
et dabit imperium regi suo,
et sublimabit cornu Christi sui.

Et abiit Elcana Ramatha in domum suam : puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis. [T. V.] Porro filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum neque officium sacerdotum ad populum ; sed quicunque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in
C speciebus edisserens, hæc de *epha* Hebræorum scribebat : « Decima pars cori in his quæ modio mensurantur, appellatur epha, id est tres modii : et decima pars cori in speciebus liquidis, vocatur batus sive vadus : et ejusdem mensura sit epha et batus. » Unum igitur *epha* farinæ, tria sata, vel, quod idem est, tres farinæ modios capiebat : unus autem modius tres decimas habuit, quas in sacrificiis necesse erat offerri per singulos vitulos. Hinc colligimus falso ascriptum fuisse S. Doctori opus *Traditionum Hebraicarum* in libros Regum, in quo tam contrariæ verbis ipsius Hieronymi inveniuntur sententiæ. Fatemur tamen supposito auctori nostro exemplaria quædam scripta ac edita penitus esse consentanea : non enim legunt *et tribus modiis farinæ*; sed, ut jam dicebamus, *et uno modio farinæ*, Quin et Syrus interpres hoc ipsum exprimere voluit dicens, ומאתא חדא הכמחא *usatho hado decamhho*,
D id est, *et stato uno farinæ*. Cæterum conferat lector studiosus totum hunc locum cum iis quæ leguntur cap. XXXIX, (*vers.* 1-4). Numerorum, et cum marginalibus scholiis Canonis Hebr. verit. col. 183, ut non improbabile sumat argumentum de auctore eorumdem scholiorum, deque falso Hieronymo cujus verba jam recitamus. MART.

[1] Emendator Canonis Hebraicæ veritatis pro *tribus modiis farinæ*, substituit in nostro exemplari, *et modio farinæ*; in qua permutanda lectione habuit astipulatorem falsum Hieronymum, auctorem nempe *Quæstionum* seu *Traditionum Hebraicarum* in libros Regum. Is enim conceptis verbis asserit mendosos ac corruptos esse Latinorum codices, ubi lectum est, *et tribus modiis farinæ* : « In Hebræo, inquit, non tribus modiis farinæ, sed modio farinæ, legitur (I *Reg.* I, 24) : quem locum apud Latinos scriptorum vitio constat esse depravatum. Si enim cum vitulis tribus, et tribus modiis farinæ obtulit, contra præceptum legis fecit : in lege enim ita præcipitur : *Mensis septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis. Omne opus servile non facietis ; dies clangoris est et tubarum : offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem, et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, unam decimam per agnum* (*Num.* XXIX, 1-4). Hæc vero decima, decima pars erat ephi. Unde datur intelligi quod Eleana non obtulerit tres modios farinæ cum tribus vitulis, sed novem decimas ; quibus, secundum Hebraicam mensuram, unus efficitur ephi. » Ita vetus ille scriptor, nec indocte quidem, si meminisset Hebræorum איפה *epha*, tribus satis, sive tribus Romanis modiis æqualem fuisse mensuram. Hoc verus Hieronymus expresse docet cap. II lib. Ruth. *vers.* 17, ubi interpretatur : *Et quæ collegerat virga cædens et excutiens, invenit hordei quasi ephi mensuram, id est, tres modios.* Libro quoque decimo quarto Commentariorum in Ezechielem (*cap.* XLV, *vers.* 10), mensuras tam in aridis, quam in liquidis

[2] Veron. ms. *cor* pro *cornu*, quod ne lapsum Antiquarii putes, ita et in *Recapitulationibus* lectum ab eo animadvertimus. Ad hæc anquissimus alter Veronensis ms. qui Psalterium continet Græce et Latine, ubi et canticum hoc in fine subdit, *cor* præfert pro *cornu*. Repugnat vero textus, librique alii omnes.

[3] In aliis libris, *Suscitat a terra pauperem, et de stercore erigit inopem.*

manu sua, et mittebat eam lebetem, vel in cal- A dariam, aut in ollam, sive in cacabum : et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi. Sic faciebant universo Israeli venientium in Silo. Etiam antequam adolerant adipem, veniebat puer sacerdotis, et dicebat immolanti : Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti : non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam. Dicebatque illi immolans : Incendatur primum[1] juxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantumcunque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei : Nequaquam : nunc enim dabis, alioquin tollam vi. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino quia detrahebant [*Vulg.* retrahebant] homines sacrificio Domini Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo. [T. IV.] Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat B statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem. Et benedixit Heli Elcanæ et uxori ejus, dixitque [*Vulg. addit* ei] : Reddat Dominus tibi semen de muliere ac, pro fenore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum. Visitavit ergo Dominus Annam et concepit, et peperit tres filios, et duas filias, et magnificatus est puer Samuel apud Dominum. Heli autem erat senex valde, et audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israeli : et quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium tabernaculi, et dixit eis : Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio res pessimas, ab omni populo? Nolite, filii mei : non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. Si C peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus : si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui quia voluit Dominus occidere eos. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, et placebat tam Domino quam hominibus. [T. VII.] Venit autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum : Hæc dicit Dominus : Nunquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis? Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me, et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel. Quare calce abjicitis [*Vulg.* abjecistis] victimam meam, et munera mea quæ præcipi, ut offerrentur in tem- D plo, et magis honorastis filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel populi mei? Propterea ait Dominus Deus Israel : Loquens locutus sum, ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus : Absit hoc a me : sed quicunque glorificaverit me, glorificabo eum ; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. Et videbis æmulum tuum[2] in templo, in universis prosperis Israel, et non erit senex domo tua omnibus diebus. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo : sed [h. non habet] ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua, et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit. Hoc autem erit tibi signum quod venturum duobus filiis tuis, Ophni et Phinees : in die una morientur ambo. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciat, et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit [h. et ambulabo] coram christo meo cunctis diebus. Futurum est enim ut quicunque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo, et offerat nummum argenteum, et tortam panis [h. veniat ut adoret eum, et accipiat ab eo nummum argenteum, et tortam panis], dicatque : Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.

[*Cap.* III.] Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta Factum est ergo in die quadam Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei antequam exstingueretur [h. et antequam lucerna Dei exstingueretur]. Samuel autem dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. Et vocavit Dominus Samuel [T. VIII.] Qui respondens, ait : Ecce ego. Et cucurrit ad Heli, et dixit : Ecce ego : vocasti enim me. Qui dixit : Non vocavi, revertere, dormi. Et abiit, et dormivit. Et adjecit Dominus vocare rursum Samuelem. Consurgensque Samuel, abiit ad Heli, et dixit : Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit : Non vocavi te, fili mi : revertere dormi. Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini. Et adjecit Dominus, et vocavit *adhuc* [h. non habet] Samuelem tertio. Qui consurgens, abiit ad Heli, et ait : Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit igitur Heli quia Dominus vocaret puerum, et ait ad Samuelem : Vade, dormi, et si deinceps vocaverit te, dices : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuel, et dormivit in loco suo. [T. IX] Et venit Dominus, et stetit, et vocavit, sicut vocaverat secundo, Samuel, Samuel. Et ait Samuel : Loquere [*Vulg. add.* Domine]. quia audit servus tuus. Et dixit Dominus ad Samuelem : Ecce ego facio verbum in Israel : quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus. In die illo suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus : incipiam et complebo. Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuit [*Vulg.* corripuerit] eos. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas do-

[1] Cod. Veronensis *proximum* : in Hebræo neque hoc est, neque illud *primum*.

[2] Idem ms. : *Videbis Cristum æmulum tuum*, etc., quod videtur pii glossatoris additamentum.

mus ejus victimis et muneribus usque in æternum. Dormivit autem Samuel usque mane, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli. Vocavit ergo Heli Samuelem, et dixit : Samuel, fili mi. Qui respondens, ait : Præsto sum. Et interrogavit eum : Quis est sermo, quem locutus est ad te [*Vulg add.* Dominus] ? oro te, ne celaveris me. Hæc faciat tibi Deus, et hæc addat, si absconderis a me sermonem, ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi. Indicavit itaque ei Samuel universos sermones [1], et non abscondit ab eo. Et ille respondit : Dominus est : quod bonum est in oculis suis, faciat. Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. Et cognovit universus Israel a Dansque Ber-Sabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini. Et addidit Dominus, ut appareret in Silo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, juxta verbum Domini. Et evenit sermo Samuelis universo Israeli. [T. X, *Cap.* IV.] Et factum est in diebus illis, convenerunt Philisthim in pugnam [2] : egressus est namque Israel obviam Philisthim in prælium, et castrametatus est juxta lapidem Adjutorii. Porro Philisthim venerunt in Aphec, et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel Philisthæis, et cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum. Et reversus est populus ad castra : dixeruntque majores natu de Israel : Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthim ? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum [3]. Misit ergo populus in Silo, et tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super cherubim : erantque duo filii Heli cum arca fœderis Dei, Ophni et Phinees. Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, et personuit terra. [T. XI] Et audierunt Philisthim vocem clamoris, dixeruntque : Quædam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum ? Et cognoverunt quod arca Domini venisset in castra. Timueruntque Philisthim, dicentes : Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes : Væ nobis : non enim fuit tanta exsultatio heri et nudiustertius ; væ nobis, qui nos servabit de manu deorum sublimium istorum ? hi sunt dii, qui percusserunt Ægyptum omni plaga, in deserto. Confortamini, et estote viri, Philisthim : ne serviatis Hebræis, sicut illi servierunt vobis [4] : confortamini, et bellate. Pugnaverunt ergo Philisthim, et cæsus est Israel, et fugit unusquisque in tabernaculum suum. [T. XII.] Et facta est plaga magna nimis, et ceciderunt de Israel triginta millia peditum. Et arca Dei capta est : duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni et Phinees. Currens autem vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illo scissa veste, et conspersus pulvere caput. Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor ejus pavens pro arca Dei. Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiavit urbi, et ululavit omnis civitas. Et audivit Heli sonitum clamoris, dixitque : Quis est hic sonitus tumultus hujus ? At ille festinavit, et venit, et annuntiavit Heli. Heli autem erat nonaginta et octo annorum, et oculi ejus caligaverant, et videre non poterat, Et dixit ad Heli : Ego sum qui veni de prælio, et ego qui de acie fugi hodie, Cui ille ait : Quid actum est, fili mi ? Respondens autem qui nuntiabat : Fugit, inquit, Israel coram Philisthim, et ruina magna facta est in populo : insuper et duo filii tui mortui sunt, Ophni et Phinees, et arca Dei capta est. [T. XIII.] Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est. Senex enim erat vir et grandævus, et ipse judicavit Israel quadraginta annis, Nurus autem ejus, uxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui, et audito nuntio, quod capta esset arca Dei, et mortuus socer suus, et vir suus, incurvavit se, et peperit : irruerant enim in eam dolores subiti [h. sui,] In ipso autem momento mortis ejus, dixerunt ei quæ stabant circa eam : Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animadvertit. Et vocavit puerum, Ichabod [5], dicens : Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei, et pro socero suo et pro viro suo, et ait : Translata est gloriam ab Israel, eo quod capta esset arca Dei.

[T. XIV, *Cap.* V.] Pilisthim autem tulerunt arcam Dei, et asportaverunt eam a lapide Adjutorii in Azotum. Tuleruntque Philisthim arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon, et statuerunt eam juxta Dagon. Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini, et tulerunt Dagon, et restituerunt eum in loco suo. Rersumque mane die alio consurgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini : caput autem Dagon, et duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen : porro Dagon truncus solus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non

[1] Tacet Veronens. ms. *universos sermones*, quod tamen in Hebræo est, Græco atque aliis libris.

[2] Tota hæc periocpe, *Et factum est in diebus illis, convenerunt Philisthim in pugnam*, a Veronensi ms. abest, quodque rei caput est, in Hebræo quoque archetypo desideratur, ut hinc colligas, adamussim eo in codice Hieronymianam ex Hebræo versionem exhiberi, nec nisi ex Græco τῶν LXX in Latinos codices ea verba irrepsisse. Nam et Lucas Brugensis sex Latina exemplaria citat, quæ ea carent additione : quam tamen tum ipse ex antiquarum Versionum consensu probat, cum epanorthotes, sive correctorium, veterum exemplarium esse testatur.

[3] Ms. Veronens : *De medio inimicorum*, etc.

[4] Cum Græco ἡμῖν Veronens. ms. *nobis*.

[5] Obero in Veronensi codice priores duæ litteræ jugulantur, ut scias non Scabod, sed Cabad appellandum.

calcant sacerdotes Dagon, et omnes qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem. Aggravata est autem manus Domini super Azotios, et demolitus est eos, et percussit in secretiori parte natium Azotum, et fines ejus [1]. [T. XV.] Videntes autem viri Azotii hujuscemodi plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei Israel apud nos: quoniam dura est manus ejus super nos, et super Dagon deum nostrum. Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philistinorum ad se, et dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Israel? Responderuntque Getthæi: Circumducatur [h. In Geth circumducatur] arca Dei Israel. Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis [h. In civitate interfectionis magnæ nimis]: et percutiebat viros uniuscujusque urbis, a parvo [h. viros civitatis a parvo] usque ad majorem, et computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Getthæi consilium [2], et fecerunt sibi sedes pelliceas. Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. [T. XVI.] Cumque venisset arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ, dicentes: Adduxerunt ad A nos arcam Dei Israel, ut interficiat nos et populum nostrum. Miserunt itaque, et congregaverunt omnes satrapas Philistinorum, qui dixerunt: Dimittite [h. Mittite] arcam Dei Israel, et revertatur in locum suum, et non interficiat nos cum populo nostro. Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus [h. in tota civitate], et gravissima valde manus Dei. Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium, et ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis [h. ululatus *civitatis*] in cœlum.

[*Cap.* VI.] Fuit ergo arca Domini in regione Philistinorum septem mensibus [3]. Et vocaverunt Philisthim sacerdotes et divinos, dicentes: Quid faciemus de arca Domini? indicate nobis quomodo remittemus eam in locum suum. [T. XVII.] Qui B dixerunt: Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed *quod debetis* [h. non habet] reddite [h. reddetis] ei pro peccato, et tunc curabimini, et scietis quare non recedat manus ejus a vobis. Qui dixerunt: Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderunt illi: Juxta numerum provinciarum Philisthim, quinque anos

[1] Verba isthæc quæ in editis leguntur consequenter: *Et ebullierunt villæ et agri in medio regionis illius, et nati sunt mures, et facta est confusio mortis magna in civitate*, obelo prænotarunt R. Stephanus ac theologi Lovanienses; quia non exstant in textu Hebraico, nec in antiquioribus et castigatioribus mss. codicibus Latinis Hieronymianæ versionis. Mutuata sunt e LXX Interpretibus, sive ab illis Latinorum translationibus, quarum viguit usus ante Hieronymum. Sed cum innumera prope hujusmodi occurrant additamenta in libris C præcipue Regum, non abs re erit lectorem docuisse quomodo posita reperiantur in vetustissimis codicibus sacrorum Bibliorum editionis Hieronymi. Tria igitur supersunt adhuc genera librorum mss. Latinorum, quibus causas et origines prædictorum additamentorum possumus deprehendere. Primum in illis locum obtinent mss. codices qui propriam ac genuinam lectionem Hieronymi sine additamentis repræsentant: cujus generis sunt Colbertinus, Aniciensis, et Corbeiensis major num. 1; his etiam Canon Hebraicæ veritatis adjungendus est, utpote qui nihil spurium habeat post emendationem suam. Exstant alii vetustiores codices, in quibus equidem purus fluit Bibliorum contextus, sed integra retinent ad margines suas aliena et insititia verba cum signis quibusdam intra textum, ut hæc tanquam omissa sint a librariis, et ad sacrum contextum pertineant, significent. Tertium denique genus est recentiorum præsertim mss. codicum, in quorum D contextum varia illa Scripturarum additamenta errore et imperitia librariorum inducta conspiciuntur: ut nullo deinceps adhibito discrimine, quænam Hieronymo, aut quæ cæteris Latinis interpretibus propria fuerint, in illis minime possit agnosci. Nos vero in hac Canonis Hebraicæ veritatis editione et veritati studentes, et utilitati legentium consulentes, universa hæc loca, quæ alienis additamentis confusa sunt et vitiata in antea editis, obelis appositis in margine indicare curavimus. Ad signum igitur istud lectorem intentum volumus. MART.

— Vulgati addunt, *Et ebullierunt villæ et agri in medio regionis illius, et nati sunt mures, et facta est confusio mortis magna in civitate*, quæ neque in Hebræo sunt, neque in nostris allisque melioris *notæ Latinis* mss., et pridem critici jugularunt occurrunt vero sæpius in libris Regum loca quæ e textu Græco in Vulgatam translata sunt.

[2] Est hoc γνησιότητος Hieronymianæ interpretationis quam ms. Veronensis exhibet, sane perspicuum argumentum, quod hac careat additione, *Inieruntque Getthæi consilium, et fecerunt sibi sedes pelliceas*, quæ neque in Hebraico exemplari habetur, sed est omnino ex Græcis, καὶ ἐποίησαν οἱ Γεθαῖοι ἑαυτοῖς ἕδρας derivata, auctaque in Latino verbis, *inierunt consilium*, et *pelliceas*. Quanquam vero illum hinc amovere e textu non ausim: hoc tamen aio, minime eam videri ex Hieronymi calamo profectam, sed inter assumenta, quæ in ejus interpretationem ex Hebraico, sequior manus ex LXX aliisque Latinis versionibus importavit, enumerandam. Cæterum mirari etiam subit, non animadvertisse Hebræum scholiastem, aut Martianæum, hanc interpolati textus laciniam.

[3] Addit Veronens. ms. *Et ebullivit terra illorum mures*: quod quidem videatur assutum ex LXX. καὶ ἐξέζεσεν ἡ γῆ αὐτῶν μῦας: neque enim in Hebraico exemplari quid simile hic loci invenire est. At diximus paulo ante ad superioris capitis vers. 6. ejusmodi additamentum tametsi pluribus conceptum verbis, ab omnibus, cum Hebræo textu, tum melioris notæ mss., demum et criticis repudiari. Nihilosecius fatendum est, hanc oportere alicubi tandem indicatam fuisse murium ebullitionem e terra, siquidem paucis ab hinc versibus eam sacer textus significat prænotasse, ubi Philisthæos tradit, ut se a murium infestatione tuerentur, aureas eorum imagines ad latus utrumque arcæ reposuisse. Ut vero cum historiæ veritate æque bene aut illo, aut hoc loco congruat, hic tamen videtur et multo aptior ad facti memoriam recolendam, et ipsa dictati simplicitas tantum germanitatis præferre speciem, ut putare malim post Hieronymi tempora pericopem istam ex Hebræo archetypo decidisse, quam fuisse ab eo ex LXX interpretibus huc importatam. Et vero eam in Hebraico legit veterum quidam, sive Aquila is fuerit, sive Symmachus, sive quis alius Hexaplarium interpretum, qui ἐξέβρασεν vertit, quod proprie est *ebullivit*, pro ἐξάζεσεν LXX, quod est, *efferbuit*. Legerit pari pacto Hieronymus, qui et eum interpretem pressius secutus est.

aureos facietis, et quinque mures aureos: quia plaga una fuit omnibus vobis, et satrapis vestris. Facietisque similitudinem [1] anorum vestrorum, et similitudinem murium, qui demoliti sunt terram. Et dabitis Deo Israel gloriam, si forte relevet manum suam a vobis, et a diis vestris, et a terra vestra. Quare gratis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus, et Pharao corsuum? Nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos [h. Nonne quando illusit eis, tunc dimisit], illos et abierunt? Nunc ergo arripite, et facite plaustrum novum et unum, duas vaccas fetas, quibus non est impositum jugum, jungite in plaustro, et recludite vitulos earum domi. Tolletisque arcam Domini, et ponetis in plaustro, et vasa aurea, quæ exsolvistis [*ms.* exsolvetis] ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus ejus: et dimittite eam ut vadat. Et aspicietis, et siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Beth-Sames, ipse fecit nobis malum hoc grande: sin autem, minime: sciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit, Fecerunt ergo illi hoc modo, et tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi. Et posuerunt arcam Domini super plaustrum, et capsellam, quæ habebat mures aureos et similitudinem anorum. Ibant autem in directum vaccæ, per viam quæ ducit Beth-Sames, et itinere uno gradiebantur, pergentes et mugientes: et non declinabant [*ms.* declinaverunt] neque ad dexteram neque ad sinistram, sed et satrapæ Philisthim sequebantur usque ad terminos Beth-Sames. [T. XVIII.] Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle, et elevantes oculos, viderunt arcam, et gavisi sunt cum vidissent. Et plaustrum venit in agrum Josue Bethsamitæ et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, et conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino [h. vaccasque *imposuerunt* holocaustum *Domino*]. Levitæ autem deposuerunt arcam Dei [2], et capsellam quæ erat juxta eam, in qua erant vasa aurea, et posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holaucausta, et immolaverunt victimas in die illa Domino. Et quinque satrapæ Philistinorum viderunt, et reversi sunt in Accaron in die illo. Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthim pro delicto, Domino: Azotus unum, Gaza unum. Ascalon unum, Geth unum, Accaron unum, et mures aureos secundum numerum urbium Philisthim, quinque provinciarum, ab urbe murata usque ad villam, quæ erat absque muro. A et usque ad Abel magnum, super quem posuerunt arcam Domini, quæ erat usque in illum diem in agro Josue Bethsamitis. Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini, et percussit de populo septuaginta viros [h. septuaginta viros, et quinquaginta millia viros], et quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod percussisset Dominus plebem plaga magna [h. in populo plaga magna]. Et dixerunt vir Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus? et ad quem ascendet a nobis? Miseruntque nuntios ad habitatores Cariath-Iarim, dicentes: Reduxerunt Philisthim arcam Domini, descendite, et ducite [*Vulg.* reducite] eam ad vos.

[T. XIX, *Cap.* VIII.] Venerunt ergo viri Cariath-iarim, et duxerunt [*Vulg.* reduxerunt] arcam Domini et intulerunt eam in domum Abinadab [3] in Gabaa: Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini. Et factum est, ex qua die mansit arca [4] in Cariath-Iarim, multiplicati sunt dies (erat quippe jam annus vicesimus) et requievit omnis domus Israel post Dominum. Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens: Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestrum [*Vulg. add.* Baalim]. et Astaroth, et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philisthim. Abstulerunt ergo filii Israel Baalim et Astaroth, et servierunt Domino soli. Dixit autem Samuel: Congregate universum Israel in Maspha [5], ut orem pro vobis Dominum. Et convenerunt in Maspha: hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini, et jejunaverunt in die illa, et dixerunt ibi: Peccavimus Domino [6]. Judicavitque Samuel filios Israel in Maspha. Et audierunt Philisthim quod congregati essent filii Israel in Maspha, et ascenderunt satrapæ Philistimorum ad Israel. Quod cum audissent filii Israel, timuerunt a facie Philistinorum. Dixerunt ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum. [T. XX.] Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino, et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum Dominus. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philisthæi iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthim, et exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israel [7]. Egressique viri Israel de Maspha, persecuti sunt Philisthæos, et percusserunt eos,

[1] Plurium numero habet Veronens. ms. cum Vulgatis, *similitudines*: Hæbræus quoque צלמי.

[2] Veronens. ms., *Domini*: estque hic reipsa in Hebræo יהוה: tametsi hanc regulam non usque adeo constanter aut ms. aut vulgati servant: quod semel monuisse satis sit.

[3] Vocat ms. *Aminadab*, Hebræo אבנדב dissentiente.

[4] Addit idem ms. *Domini*, quod textus originales nomen hic tacent.

[5] Constanter noster ms. cum Vulgatis vocat *Masphat*, pressius Hebræo המצפתה.

[6] Ms.: *Dixerunt, Non peccavimus, Domine?* longius tamen ab Hebraica phrasi.

[7] Pro, *a facie Israel*, mss. codices legunt, *a filiis Israel*. Sed in Colbertino Aniciensi, et in altero S. Germani ms. codice prima manu scriptum erat, *a facie Israel*, quod imperitus emendator mutavit hoc modo, *a filiis Israel*. MART.

— Nostris ms. et quos magno numero Martianæus

usque ad locum qui erat subter Beth-Char. Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit eum inter Maspha et inter Sen [*ms.* Senei], et vocavit nomen ejus [*Vulg. add.* loci], lapis Adjutorii. Dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus. Et humiliati sunt Philisthim, nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuelis. Et redditæ sunt urbes, quas tulerant Philisthim ab Israel, Israeli, ab Accaron usque Geth, et terminos suos : liberavit Israel de manu Philistinorum, eratque pax inter Israel et Amorrhæum. Judicabat [*ms.* judicavit] quoque Samuel Israel cunctis diebus vitæ suæ, et ibat per singulos annos circumiens Beth-El et Galgala et Maspha, et judicabat Israelem in supradictis locis. Revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus, et ibi judicabat Israelem: ædificavit etiam ibi altare Domino.

[T. XXI, *Cap.* VIII. Factum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos judices Israel. Fuitque nomem filii ejus primogeniti Joel, et nomen secundi Abia, judicum in Cer-Sabee. Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus : sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium. Congregati ergo universi majores natu Israel, venerunt ad Samuelem in Ramatha. Dixeruntque ei : Ecce tu *Vulg.* nunc] senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis : constitue nobis regem, ut judicet nos, sicut et universæ habent nationes. Displicuitque sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent : Da nobis regem, ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum. Dixit autem Dominus ad Samuelem : Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi, non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. Juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die qua eduxi eos de Ægypto [1] usque ad diem istum : sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. Nunc ergo audi vocem eorum : verumtamen contestare eos, et prædic eis jus regis, qui regnaturus est super eos. (T. XXII.) Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se regem, et ait : Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis : Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et præcursores quadrigarum suarum, et constituet sibi tribunos, et centuriones, et aratores agrorum suorum, et messores segetum, et fabros armorum et curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi auguentarias, et focarias, et panificas. Agros quoque vestros, et vineas, et oliveta optima tollet et dabit servis suis. Sed et segetes vestras, et vinearum redditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis suis. Servos etiam vestros, et ancillas, et juvenes optimos, et asinos auferet, et ponet in opere suo. Greges vestros addecimabit, vosque eritis ei servi. Et clamabitis in die illa a facie regis vestri, quem elegistis vobis: et non exaudiet vos Dominus in die illa [2]. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam rex enim erit super nos, et erimus nos quoque sicut omnes gentes : et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis (h. non habet, pro nobis). Et audivit Samuel omnia verba populi, et locutus est ea in auribus Domini. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, et constitue super eos regem (h. illis regem). Et ait Samuel ad viros Israel: Vadat unusquisque in civitatem suam.

(*Cap.* IX.) Et erat vir de Benjamin nomine Cis, et filius Abiel, filii Seror [*ms.* Seor], filii Bechorat [*ms.* Beoreth], filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore. Erat ei filius vocabulo Saul, electus et bonus, et non erat vir de filiis Israel melior illo. Ab humero et sursum eminebat super omnem populum. Perierant autem asinæ Cis patris Saul: et dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum unum de pueris, et consurgens vade, et quære asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim, et per terram Salisa, et non invenissent, transierunt etiam per terram Salim, et non erat: sed et per terram Jemini, et minime repererunt. Cum autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum [3] qui erat cum eo : Veni, et revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas et sollicitus sit pro nobis. Qui ait ei : Ecce est vir Dei in civitate hac, vir nobilis : et omne quod loquitur, absque ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus. Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei [4]? panis defecit in sitarciis nostris: et sportulam non habemus, ut demus homini (h. viro Dei), nec quidquam aliud. Rursum puer respondit, Saul, et ait: Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei (h. viro Dei), ut indicet nobis viam nostram (Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum): Venite (*ms.* Veni), eamus ad Videntem (qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns) : et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in civitatem in qua erat vir Dei. Cumque ascenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, et dixerunt eis: Num hic est Videns? Quæ respondentes, dixerunt *illis* (h. non habet) : Hic est : ecce ante te, festina nunc : hodie enim venit in civita-

consuluit, *a filiis* legunt pro *a facie*: et est quidem in Hebræo perquam similis scriptio utriusque vocis ut sumi, et confundi invicem לבני possit pro לפני

[1] Veron. ms. *de terra Ægypti.*

[2] Addunt Vulgati libri: *Quia petistis vobis regem,* quæ mss. Hieronymiani ignorant, fueratque pridem ad Hebræi textus fidem obelo prænotata.

[3] Veronens, ms. addit *suum* juxta Hebræum לעזר

[4] Neque Veronens, ms. neque Hebræus textus addunt hic *Dei.*

tem, quia sacrificium est hodie populo in excelso. Ingredientes urbem, statim invenietis cum antequam ascendat in [*ms. et Vulg. tacent*] in excelsum ad vescendum. Neque enim comesurus est populus donec ille veniat: quia ipse benedicit [1] hostiæ [h. sacrificio], et deinceps comedunt qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum. Et ascenderunt in civitatem. [T. XXIII.] Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum, Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem quam veniret Saul, dicens: Hac ipsa, quæ nunc est, hora, eras mittam ad te virum de terra Benjamin, et unges eum ducem super populum meum Israel: et salvabit populum meum de manu Philistinorum: quia respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me. Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus ait ei: Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo. Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, et ait: Indica, oro, mihi, ubi est domus Videntis. Et respondit Samuel Sauli dicens: Ego sum Videns: ascende ante me in excelsum; ut comedatis mecum hodie, et dimittam [h. mittam] te mane et omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Et de asinis: quas perdidisti nudiustertius ne sollicitus sis, quia inventæ sunt [*ms. addit* asinæ]. Et cujus erunt optima quæque Israel? nonne tibi et omni domui patris tui? Respondit autem Saul, et ait: Nunquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Israel, et cognatio mea novissima inter omnes familias [2] de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum? Assumens itaque Samuel Saulem, et puerum ejus, introduxit eos in triclinium [h. in *cubiculum*]. et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati. Erant enim quasi triginta viri. Dixitque Samuel coco: Da partem quam dedi tibi, et præcepi, ut reponeres seorsum apud te. Levavit autem cocus armum, et posuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, et comede: quia de industrio servatum est tibi quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illo. Et descenderunt de excelso in oppidum, et locutus est cum Saule in solario [3]. Cumque mane surrexissent, et jam dilucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario dicens: Surge, ut dimittam [h. mittam] te. Et surrexit Saul: egressique sunt ambo, ipse videlicet et Samuel. Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero ut antecedat nos, et transeat; tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Dei.

(T. XXIV, *Cap.* X.) Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus, et deosculatus est eum, et ait: Ecce, unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem, et liberabis [4] populum ejus de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu sunt. Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem. Cum abieris hodie a me, invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel in finibus Benjamin, in meridie (h. in Zelza, *quod* interpretatur, in umbra dicentque tibi: Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas, et intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro vobis, et dicit: Quid faciam de filio meo? Cumque abieris inde, et ultra transieris, et veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Beth-El, unus portans tres hædos, et alius tres tortas panis, et alius portam lagenam, vini. Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, et accipies de manu eorum. Post hæc venies in collem Dei, ubi est statio Philistinorum et cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te Spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in virum alium. Quando ergo venerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est. Et descendes ante me in Galgala (ego quippe descendam ad te), ut offeras oblationem, et immoles victimas pacificas [h. ad offerendas et immolandas victimas pacificas]: septem diebus expectatis donec veniam ad te, et ostendam tibi quæ facias [T. XXV.] Itaque cum avertisset humerum suum, ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, et venerunt omnia signa hæc in die illa. Veneruntque ad prædictum collem, et ecce cuneus prophetarum obvius ei: insiluit super eum Spiritus Dei, et prophetavit in medio eorum. Videntes autem omnes qui noverunt eum ab heri et nudiustertius, quod esset cum prophetis, et prophetaret, dixerunt ad invicem: Quænam res accidit filio Cis? num et Saul inter prophetas? Responditque alter (*ms.* alius) ad alterum, dicens: Et quis

[1] Hebræo pressius idem ms. *Benedicet.*

[2] Antiquarii errore *filius* pro *familias* legit Veronens. ms. In alio Martianæus invenit *cognationes.*

[3] Vulgati addunt *stravitque Saul in solario et dormivit*, quæ nec Hebræus habet nec Latini melioris notæ codices.

[4] Alterum γνησιότητος Hieronymianæ versionis, quam refert Veronens. ms., argumentum hinc sumi velim, quod totam hanc, nec sane paucorum verborum pericopem. *Et liberabis populum ejus de manibus inimicorum ejus qui in circuitu sunt. Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem*, penitus ignorat. Nempe Hebræus quoque textus ea prorsus caret; et quanquam videri possit ab ipso olim archetypo ob ejusdem vocis לדנר recursum, solemni antiquariorum lapsu excidisse: hæc tamen ipsa Latinæ versionis cum exemplari Hebr. tanta conformitas evincit se ab eo fonte religiose derivari nihilque plus habere vel minus. Idque eos magis, quod in promptu erat, si fuisset is animus, propositumque S. Interpretis locum supplere ex Græco, in quo habetur, καὶ σὺ σώσεις αὐτὸν ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν αὐτοῦ κυκλόθεν, καὶ τοῦτό σοι τὸ σημεῖον ὅτι ἔχρισέ σε Κύριος ἐπὶ κληρονομίαν αὐτοῦ εἰς ἄρχοντα. Verissime autem præfatus est S. Pater, sibi conscium non esse quidpiam se de Hebraica veritate mutasse. Quamobrem et hic mirari subit nec Hebræum scholiastem, nec Martianæum hanc Latinorum codicum additionem animadvertisse.

pater eorum ? propterea versum est in proverbium: Num et Saul inter prophetas ? Cessavit autem prophetare, et venit ad excelsum. Dixitque patruus Saul ad eum, et ad puerum ejus : Quo abistis ? Qui responderunt : Quærere asinas quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem. Et dixit ei patruus suus : Indica mihi quid dixerit tibi Samuel. Et ait Saul ad patruum suum. Indicavit nobis quia inventæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicavit ei quem locutus illi fuerat Samuel. Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maspha et ait ad filios Israel : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego eduxi Israel de Ægypto, et erui vos de manu Ægyptiorum, et de manu omnium regum qui affligebant vos. Vos autem hodie projecistis deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris : et dixistis : Nequaquam : sed regem constitue super nos [h. et dixistis *ei quia regem* constitues super nos]. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, et per familias. Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, et cecidit sors tribus Benjamin. Et applicuit tribum Benjamin et cognationes ejus, et cecidit cognatio Metri, et pervenit usque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, et non est inventus. Et consuluerunt post hæc Dominum utrumnam venturus esset illuc [h. illuc vir), Responditque Dominus : Ecce absconditus est [h. inter vasa] domi. Concurrerunt itaque et tulerunt eum inde stetitque in medio populi, et altior fuit universo populo ab humero et sursum [T. XXVI]. Et ait Samuel ad omnem populum. Certe videtis quem elegerit Dominus, quoniam non sit similis ei in omni populo. Et clamavit omnis populus, et ait : Vivat rex ! Locutus est autem Samuel ad populum legem [h. judicium] regni, et scripsit in libro, et reposuit coram Domino et dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam. Sed et Saul abiit in domum suam in Galbaath, et abiit cum eo pars excercitus, quorum tetigerat Deus corda. Filli vero Belial dixerunt. Num salvare nos poterit iste ? Et despexerunt eum et non attulerunt ei munera; ille vero dissimulabat se audire

[*Cap.* XI.][1] Ascendit autem Naas Ammonites, et pugnare cœpit adversum Jabes Galaad (h. et castrametatus est super Jabes Galaad]. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas : Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi. Et respondit ad eos Naas Ammmonites : In hoc feriam [*ms* feriamus] vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel. Et dixerunt ad eum seniores Jabes : Concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios in universos terminos Israel: et si non fuerit qui defendat [h. salvet) nos, egrediemur ad te. Venerunt ergo nuntii in Gabaath Saulis et locuti sunt verba (*Vulg. addit* hæc], audiente populo : et levavit omnis populus vocem suam, et flevit. Et ecce Saul veniebat, sequens boves de agro, et ait : Quid habet populus quod plorat ? Et narraverunt ei verba virorum Jabes. Et insiluit Spiritus Dei in Saul, cum audisset verba hæc, et iratus est furor ejus nimis. Et assumens utrumque bovem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum, dicens Quicunque non exierit, secutusque fuerit Saul et Samuel, sic fiet bobus ejus. Invasit ergo timor [h. pavor] Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus. [T. XXVII.] Et recensuit eos in Bezec fueruntqte filiorum Israel trecenta millia : virorum autem Juda triginta millia. Et dixesunt Jabes Galaad. Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Venerunt ergo numtii, et annuntiaverunt viris Jabes, qui lætati sunt. Et dixerunt : Mane exibimus ad vos, et facietis nobis omne quod placuerit vobis. Et factum est, cum venisset dies crastinus, constituit Saul populum in tres partes et ingressus est media castra in vigilia matutina, et percussit Ammon usque dum incalesceret dies ; reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter. Et ait populus ad Samuelem Quis est iste qui dixit : Saul regnabit [2] super nos ? Date viros, et interficiemus eos. Et ait Saul : Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel. Dixit autem Samuel ad populum : Venite, et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, et immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, et cuncti viri Israel nimis.

(T. XXVIII. *Cap.* XII.] Dixit autem Samuel ad universum Israel : Ecce audivi vocem vestram, juxta omnia quæ locuti estis ad me, et constitui super vos regem. Et nunc rex graditur ante vos. Ego autem senui, et incanui : porro filii mei vobiscum sunt : itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usqne ad diem hanc, ecce præsto sum. Loquimini de me coram Domino et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, an asinum : si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, et de manu cujusquam munus accepi : et contemnam illud hodie, restitutuamque vobis. Et dixerunt : Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quidpiam. Dixitque ad eos : Testis est Dominus adversum vos, et testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quidpiam. Et dixerunt : Testis. Et ait Samuel ad populum : Dominus (h. Et dixit : Testis, *subauditur* Dominus), qui fecit Mosen et Aaron, et eduxit patres nostros

[1] Præponunt Vulgati, *Et factum est quasi post mensem* : quæ neque in Hebræo sunt, neque in Latinis emendatioribus libris.

[2] Negandi particulam præponit ms. Veronens. *non regnabit*, juxta Græcum, οὐ βασιλεύσει : quæ et commodior fortasse lectio est. Hebraicum tamen hodiernum exemplar לא particulam non habet. Vulgati *num* sub interrogandi præferunt nota.

de terra Ægypti. Nunc ergo state, et judicio contentiam [1] adversum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum et cum patribus vestris : quomodo ingressus est Jacob in Ægyptum, et clamaverunt patres vestri ad Dominum, et misit Dominus Mosen et Aaron, et eduxit patres vestros de Ægypto, et collocavit eos in loco hoc. Qui obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos [h. et vendidit eos] in manu Sisaræ magistri (h. principis) militiæ Asor, et in manu Philistinorum, et in manu regis Moab, et pugnaverunt adversum eos. Postea autem clamaverunt ad Dominum, et dixerunt : Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, et servivimus Baalim et Astaroth : nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, et serviemus tibi. Et misit Dominus Jeroboal, et Bedan, et Jephta, et Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter. Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi nequaquam, sed rex imperabit nobis, cum Dominus Deus vester regnaret in vobis. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis et petistis : ecce dedit vobis Dominus regem. Si timueritis Dominum, et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini : eritis et vos et rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermonem (h. os) Domini, erit manus Domini super vos, et super patres vestros. Sed et nunc, state, et videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Nunquid non messis tritici est hodie ? invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias : et scietis, et videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. (T. XXIX.) Et clamavit Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces et pluvias in illa die. Et timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem, et dixit universus populus ad Samuelem : Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur. Addidimus enim universis peccatis nostris [2] malum, ut peteremus nobis regem. Dixit autem Samuel ad populum : Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc : verumtamen nolite recedere a tergo Domini, et servite Domino in omni corde vestro : et nolite declinare post vana quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum, quia juravit Dominus facere vos sibi populum. Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis : et docebo vos viam bonam et rectam

A Igitur timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro. Vidistis enim magnifica quæ in vobis gesserit. Quod si perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis.

[*Cap.* XIII.] Filius unius anni Saul erat cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israel. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel, et erant cum Saul duo millia in Machmas, et in monte Beth El : mille autem cum Jonatha in Gabaath Benjamin. Porro cæterum populum remisit unumquemque in tabernacula sua. Et percussit Jonathan stationem Philistinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philisthim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens : Audiant Hebræi. Et universus Israel audivit hujuscemodi famam: Percussit Saul stationem Philistinorum : et erexit se B Israel adversum Philisthim. Clamavit [h. Exclamavit] autem populus post Saul in Galgala. Et Philisthim congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta millia curruum, et sex millia equitum, et reliquum vulgus, sicut arena quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad orientem Beth-Aven [*ms.* Bathaven]. Quod cum vidissent viri Israel se in arcto positos (afflictus erat enim populus), absconderunt se in speluncis, et in abditis, in petris quoque et in antris, et in cisternis. Hebræi autem transierunt Jordanem, terram Gad et Galaad. Cumque adhuc esset Saul in Galgala, universus populus perterritus est, qui sequebatur eum. Et exspectavit septem diebus juxta placitum Samuelis, et non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo. C Ait ergo Saul : Afferte mihi holocaustum, et pacifica. Et obtulit holocaustum. [T. XXX.] Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat ; et egressus est Saul obviam ei ut salutaret eum. Locutusque est ad eum Samuel : Quid fecisti ? Respondit Saul : Quia vidi quod dilaberetur populus a me, et tu non veneras juxta placitos dies, porro Philisthim congregati fuerant in Machmas, dixi : Nunc descendent ad me Philisthim in Galgala, et faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus, obtuli holocaustum. Dixitque Samuel ad Saul. Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui [*ms. tacet* Dei], quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum : D sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum : et præcepit ei Dominus ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quæ præcepit [*ms.* præceperit] Dominus. Surrexit autem Samuel et ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin. [2] Et recen-

[1] M. Veronens. *ut judicio contendam* pro *et*, etc. Hebr. ו *ve*, utramque recipit expositionem. Prætulit vero et Symmachus *ut*, ἵνα διακριθῶ.

[2] Multa quoque hoc loco addita reperimus in codicibus Latinis translationis Hieronymi, quæ, ut jam diximus, derivata sunt e LXX Interpretibus, ac in manuscriptis posita juxta modum notatum supra *col.* 619, *not.* 1). Hic tamen peculiare est optimo codici Corbeiensi num. 11, ante octingentos annos descripto, ut singulis lineis seu versiculis, quibus additamentum constat, totidem obelos præposuerit, indicantes hæc esse aliena et aliunde

suit Saul populum, qui inventi fuerant cum eo, quasi sexcentos viros. Et Saul et Jonathan filius ejus, populusque qui inventus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin. Porro Philisthim consederant in Machmas. Et egressi sunt ad prædandum de castris Philisthim tres cunei. Unus cuneus pergebat contra viam Aphra [*ms.* Ephra]] ad terram Saul. Porro alius ingrediebatur per viam Beth-Oron : tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum. Porro faber *ferrarius* [h. non habet] non inveniebatur in omni terra Israel. Caverant enim Philisthim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israel ad Philistim, ut exacueret unusquisque vomerem suum, et ligonem, et securim, et sarculum. Retusæ itaque erant acies vomerum, et ligonum, et tridentium, et securium, usque ad stimulum corrigendum. Cumque venisset dies prælii, non est inventus ensis et lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule et cum Jonatha, excepto Saul et Jonatha filio ejus. Egressa est autem statio Philistim, ut transcenderet in Machmas.

[*Cap.* XIV.] Et accidit quadam die ut diceret Jonathan filius Saul ad adolescentem armigerum suum : Veni, et transeamus ad stationem Philisthim, quæ est trans locum illum : patri autem suo *hoc ipsum* [h. non habet] non indicavit. Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa [1], sub malogranato, quæ erat in Magron : et erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum. Et Ahias filius Ahitod fratris Ichabod filii Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo [h. filii Phinees, filii Heli sacerdotis Domini *in Silo*], portabat ephod. Sed et populus ignorabat quo isset [2] Jonathan. Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Jonathan transire ad stationem Philistinorum, eminentes petræ ex utraque parte, et quasi in modum dentium scopuli hinc et inde prærupti, nomen uni Boses, et nomen alteri Sene : unus scopulus prominens ad aquilonem ex adverso Machmas, et alter ad meridiem [3] contra Gabaa. [T. XXXI.] Dixit autem Jonathan ad adolescentem [h. puerum] armigerum suum : Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro [h. non habet pro] nobis, quia non est Domino difficile salvare, vel in multitudine, vel in paucis. Dixitque ei armiger suus : Fac omnia quæ placent animo tuo : perge quo cupis, ego [*ms. tacet* ego] ero tecum ubicunque volueris. Et ait Jonathan : Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos : Manete, donec veniamus ad vos : stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint : Ascendite ad nos : ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris : hoc erit nobis signum. Apparuit igitur uterque stationi Philistinorum : dixeruntque Philisthim : En Hebræi egrediuntur de cavernis in quibus absconditi fuerant. Et locuti sunt viri de statione ad Jonathan, et ad armigerum ejus, dixeruntque : Ascendite ad nos, ostendemus vobis rem. Et ait Jonathan ad armigerum suum : Ascendamus, sequere me [h. Ascende *post* me] ; tradidit enim eos Dominus in manu Israel. Ascendit autem Jonathan manibus et pedibus [4] et armiger ejus post eum. Itaque alii cadebant ante Jonathan, alios armiger ejus interficiebat sequens eum [h. Et cadebant ante faciem Jonathan, et armiger ejus sequens eum interficiebat eos]. Et facta est plaga prima, quæ percussit Jonathan et armiger ejus, quasi viginti virorum, in media parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit. Et factum est miraculum in castris, per agros ; sed et omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit, et conturbata est terra, et accidit quasi miraculum a Deo. Et respexerunt [h. Et factus est terror in castris per agros : sed et omnis populus stationis eorum, et hi qui ierant ad prædandum obstupuerunt ; et conturbata est terra terrore Dei. Et respexerunt] speculatores

mutuata. Id vero oculis omnium repræsentare non erit otiosum studiosis hominibus, qui ab uno judicium habebunt de aliis similibus additamentis. Sic igitur res se habet in ms. codice :

÷ *Benjamin. Et reliqui*
÷ *populi ascenderunt*
÷ *post Saul obviam po-*
÷ *pulo, qui expugna-*
÷ *bant eos venientes ex*
÷ *Galgala in Gabaa,*
÷ *in colle Benjamin.*

Hæc signa si locis suis invenirentur posita, quid Hieronymianum, quidve a LXX Translatoribus mutuatum sit in Latinis exemplaribus, statim omnibus innotesceret. Sed incuria librariorum subtractis hujusmodi signis, fieri non potuit quin promiscue utraque editione uterentur Latini, et quod Septuaginta Interpretum fuit, ipsum Hieronymo ascriberent. Itaque non immerito conqueritur de his in epistola *ad Sunniam et Fretelam* : « Et hinc, inquit, apud vos et apud plerosque error exoritur, quod scriptorum negligentia, virgulis et asteriscis subtractis, distinctio universa confunditur. » MART.

— Addunt Vulgati libri : *Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo, qui expugnabant eos venientes ex Galgala in Gabaa in colle Benjamin :* quæ quidem periodus ob ejusdem nominis *Benjamin*, quo concluditur, recursum, videri possit librariorum passim obvio errore ab ipso Hebraico exemplari excidisse. Desideratur tamen, quod satis proposito nostro est, nedum in Hebræo Chaldæoque, sed et in Versionis Hieronymanæ plerisque omnibus mss. ; qui vero eam retinent Vulgati libri, ex Græcis aliquot τῶν LXX codicibus mutuati sunt. Martianæus in cod. Corbeiensi, obelis singulos versiculos hujusce additionis prænotatos reperit.

[1] Tacet hic ms. Veronens. *Gabaa*, juxta Græcum exemplar : mox autem pro *Magron* legit in *agrum Gabaa*. Hebræo textu non assentiente.

[2] Rectius Veronens. mss., *quod isset*, etc. Hebr. quoque כי habet, et Græc. ὅτι.

[3] Idem ms., *a meridie* ; sed et Hebr., מנגב.

[4] Fere cum Vulgatis Veronens mss., *reptans manibus et pedibus*. Hebræus habet ad litteram, *super manibus suis et super pedibus suis*.

Saulis, qui erant in Gabaa Benjamin, et ecce multitudo prostrata et huc illucque diffugiens. Et ait Saul populo qui erat cum eo : Requirite, et videte quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse Jonathan et armigerum ejus, Et ait Saul ad Abiam : Applica arcam Dei. (Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israel). Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philistinorum : crescebatque paulatim, et clarius reboabat. Et ait Saul ad sacerdotem : Contrahe manum tuam.Conclamavit ergo Saul,et omnis populus qui erat cum eo,et venerunt usque ad locum certaminis,et ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum, *et* [h. non habet] cædes magna nimis. Sed et Hebræi,qui fuerant cum Philisthim heri et nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt ut essent cum Israel, qui erant cum Saul et Jonathan. Omnes quoque Israelitæ qui se absconderant in monte Ephraim,audientes quod fugissent Philisthim,sociaverunt se cum suis in prælio [1]. Et salvavit Dominus in die illa Israel. Pugna autem pervenit usque Beth-Aven. Et vir Israel sociatus est sibi in die illa.[T.XXXII]. Adjuravit autem Saul populum, dicens : Maledictus vir qui comederit panem usque ad vesperum, donec ulciscar de inimicis meis. Et non manducavit [h.Et non *gustavit*] universus populus panem : omneque terræ vulgus venit in saltum,in quo erat mel super faciem agri. Ingressus est itaque populus saltum, et apparuit fluens mel,nullusque applicuit manum ad os suum. Timebat enim populus juramentum. Porro Jonathan non audierat cum adjuraret pater ejus populum : extenditque summitatem virgæ quam habebat in manu, et intinxit in favum mellis,et convertit manum suam ad os suum,et illuminati sunt oculi ejus. Respondensque unus de populo, ait : Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens : Maledictus vir, qui comederit panem hodie (defecerat autem populus). Dixitque Jonathan : Turbavit pater meus terram : vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto : quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum,quam reperit ! nonne major facta fuisset plaga in Philisthim ? Percusserunt ergo in die illa Philistheos a Machmis usque in Ajalon [*ms.* Ahilon]. [T. XXXIII]. Defatigatus est autem populus nimis, et versus ad prædam,tulit oves, et boves,et vitulos, et mactaverunt in terra : comeditque populus cum sanguine.Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait : Prævaricati estis, volvite ad me jam nunc saxum grande. Et dixit Saul : Dispergimini in vulgus, et dicite eis, ut adducat ad me unusquisque bovem suum et arietem, et occidite super istud, et vescimini, et non peccabitis Domino comedentes cum sanguine. Adduxititaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua *usque* [h.non habet]ad noctem,et occiderunt ibi.Ædificavit autem Saul altare Domino, tunoque *primum* (h. non habet) cœpit ædificare altare Domino. Et dixit Saul : Irruamus super Philisthim nocte, et vastemus eos usque dum illucescat mane, nec relinquamus de eis virum. Dixitque populus : Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos : Accedamus huc ad Deum.Et consuluit Saul Deum : Num persequar Philisthim ? si trades eos in manu Israel? et non respondit ei in die illa [T. XXXIV]. Dixitque Saul : Applicate huc universos angulos populi, et scitote, et videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie. Vivit Dominus salvator Israel,quia si per Jonathan filium meum factum est hoc [*ms. et vulg. tacent* hoc], absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo.Et ait ad universum Israel : Separamini vos in partem unam,et ego cum Jonathan filio meo ero in parte altera [2]. Respondit populus ad Saul : Quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et dixit Saul ad Dominum : [h. ad Dominum Deum Israel] Domine Deus Isrrel [h. Deus Domine Deus Israel], da indicium [3]. Et deprehensus est Jonathan et Saul, populus autem exivit.

[1] Addunt Vulgati, *et erant cum Saul quasi decem millia virorum* : quod comma soli LXX habent, nec tamen hic loci, sed infra tertio ab hoc versu.

[2] Canon solus habet,*in parte una ;* quod Hebraice scribitur לעבר אחד *leever ehhad*, id est *in transitu uno*, vel, juxta eumdem sensum, *in parte altera, e latere altero*, etc. MART.

— Ms.Veronens.cum eo quem Canonem Martian. vocat *in parte una*, pressius ad Hebræum, לעבר אחד.

[3] Magnam subinde perturbationem afferunt in mss. Latinis Hieronymianæ versionis, inserti in ea nonnulli versus ex editione Interpretum Septuaginta. Adeo enim diversæ multis in locis occurrunt lectiones ejusdem contextus, ut vix ac ne vix quidem possit agnosci, quænam genuina sit ac propria S.Doctori.Id probant manifestissime hujus versiculi variantes sequentes lectiones. Corb. ms. majori num. 1, hoc modo legit : *Et dixit Saul ad Dominum : Deus Israel,da indicium.*Alter num.13 : *Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel* : *da indicium.* Quam sententiam secuinda manus mutavit cum his : *Et dixit Saul ad Dominum* : *Domine Deus Israel, da indicium.* In Regio autem codice 3063, Colbertino 181, Corbeiensi 11 et S. Germani 5, legimus : *Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel : Dominus Deus, da indicium.* Ita habent etiam editi et ms. noster n. 164, addentes solummodo nomen Israel post *Domine Deus.* Discrepantiam hujusmodi lectionum peperit una vocula Hebræi contextus, ac repetitio nominum Dei : nam in Hebræo legitur, ויאמר שאול אל-יהוה אלהי ישראל הבה תמים *Vaijomer Schaoul el Adonai Elohe Israel hava thamim* quod interpretatur pluribus modis propter verbum אל *el*, positum ante יהוה, *Adonai*, sive *Jehova ; el* namque est unum e nominibus Dei ; et est præpositio etiam,quæ respondet nostræ Latinæ *ad.* Unde legi potest, *Et dixit Saul ad Dominum : Deus Israel da signum.* Aut sumpto *el* pro Dei nomine : *Et dixit Saul* : *Deus Domine : Deus Israel, da indicium.* Eoque modo Latine vertit scholiastes Canonis Hebraicæ veritatis ; cum tamen monuisset altero scholio, in Hebræo haberi : *Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel*, etc. Nos hunc locum edidomus juxta ea quæ leguntur in ipso contextu Cani-

Et ait Saul : Mittite sortem inter me, et Jonathan filium meum. Et captus est Jonathan. Dixit autem Saul ad Jonathan : Indica mihi quid feceris. Et indicavit ei Jonathan, et ait : Gustans gustavi in summitate virgæ quæ erat in manu mea, paululum mellis, et ecce ego morior. Et ait Saul : Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia morte morieris, Jonathan. Dixitque populus ad Saul : Ergone Jonathan morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel ? hoc nefas est [h. absit] : vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Jonathan, ut non moreretur. Recessitque Saul, nec persecutus est Philisthim : porro Philisthim abierunt in loca sua. At Saul, confirmato regno super Israel, pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos ejus, contra Moab, et filios Ammon, et Edom, et reges Soba [*ms.* Suba], et Philisthæos, et quocunque se verteret [*ms.* verterat], superabat. Congregatoque exercitu, percussit Amalec, et eruit Israel de manu vastatorum ejus. Fuerunt autem filii Saul Jonathan et Jesui, et Melchisua, et nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenitæ Merab, et nomen minoris Michal. Et nomen uxoris Saul, Ahinoem filia Ahimaas, et nomen principis militiæ ejus Abner [h. solummodo in hoc loco Abiner habet], filius Ner, patruelis Saul. Porro Cis fuerat pater Saul, et Ner pater Abner, filius Abiel. Erat autem bellum potens adversum Philisthæos omnibus diebus Saul. Nam quemcunque viderat Saul vicum fortem, et aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

[T. XXXV, *Cap.* XV]. Et dixit Samuel ad Saul : Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum ejus Israel nunc ergo audi vocem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum : Recensui quæcunque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus, non parcas ei [1] sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum. Præcepit itaque Saul populo et recensuit eos quasi agnos, ducenta millia peditum et decem millia virorum Juda. Cumque venisset Saul usque ad civitatem Amalec, tetendit insidias in torrente. Dixitque Saul Cinæo : Abite, recedite, atque descendite ab Amalec [2], ne forte involvam te cum eo. Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec. Percussitque Saul Amalec, ab Evila, donec venias Sur, quæ est e regione Ægypti. Et apprehendit Agag regem Amalec vivum, omne autem vulgus interfecit in ore gladii. Et pepercit Saul, et populus, Agag, et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus et arietibus, et universis, quæ pulchra erant, nec voluerunt dispердere ea : quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt [T. XXXVI]. Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens : Pœnitet me quod constituerim Saul regem : quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte. Cumque de nocte surrexisset Samuel, ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli, eo quod venisset Saul in Carmelum, et erexisset sibi fornicem triumphalem, et reversus transisset, descendissetque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, et dixit ei Saul [3] : Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini. Dixitque Samuel : Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, et armentorum, quam ego audio ? Et ait Saul : De Amalec adduxerunt ea : pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo : reliqua vero occidimus [h. demoliti sumus]. Dixit autem Samuel ad Saul : Sine me, et indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei : Loquere. Et ait Samuel : Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es ? unxitque te Dominus in regem super Israel, et misit te Dominus in viam, et ait : Vade, et interfice [h. demolire] peccatores Amalec, et pugna [4] contra eos usque ad

nis nostri, atque in aliis duobus antiquissimis ms. Colbertino Aniciensi, et San-Germanensi maximo num. 3. Etsi non diffiteamur redundantem esse in aliis vocem *Domine* in medio ; quia nihil occurrit in Hebræis voluminibus huic nomini respondens. Integram itaque inter tot variantes eam dicimus lectionem, quam repræsentat ms. Corbeiensis major primo loco a nobis supra citatus : in hoc enim optimo exemplario nihil prætermittitur, nihil redundat, ut facile concedent Hebraicæ linguæ periti. MART.

— Redundat, ipso minime diffitente Martianæo, qui hanc lectionem substituit, vox *Domine*. Optime vero habet Veronens. liber *ad Dominum Deum Israel, da*, etc., quemadmodum et lectum olim a S. Gregorio, Lucas Brugensis observat, Hebr. אל-יהוה אלהי ישראל. Vulgati libri longum hic subdunt additamentum, *Dixit Saul ad Dominum Deum Israel : Domine Deus Israel, da indicium : quid est, quod non responderis servo tuo hodie ? Si in me, aut in Jonatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem : aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem.* Quæ Hebræus non habet, neque Hieronymianæ versionis ms., Martianæus vero non animadvertit.

[1] Addunt Vulgati. *Et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid* : quæ nullus originalis textus, sed soli quidam Latini libri habent : sunt vero pridem obelo jugulata.

[2] Manuscripti undecim legunt *discedite* pro *descendite*. His vero concinit Auctor *QQ. Hebraicarum* in libros Regum, et Chaldæus etiam Paraphrastes, apud quem legimus : *Vade, recede, separare de inter*, etc. Hebræus habet רדו, *radu*, quod significat *descendite* : et certe proclivis est librariorum lapsus in mutandis verbis *discedite* et *descendite*. MART.

[3] Hæc quoque Vulgati addunt, quæ inter utrumque *Saul* nomen continentur, *Et Saul offerebat holocaustum Domino de initiis prædarum quæ attulerat ex Amalec. Et cum venisset Samuel ad Saul.* Quæ ex Græco τῶν LXX derivantur.

[4] Rectius ad Hebr. textum ונלחמת Veronens. ms., *et pugnabis.*

sternecionem eorum? Quare ergo non audisti vocem Domini : sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Domini? Et ait Saul ad Samuelem : Imo audivi vocem Domini, et ambulavi in via per quam misit me Dominus, et adduxi Agag regem Amalec, et Amalec interfeci. Tulit autem populus de præda oves et boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolet Domino Deo tuo [1] in Galgalis. [T. XXXVII.] Et ait Samuel : Numquid vult Dominus holocausta aut victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum hariolandi est, repugnare: quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te, ne sis rex. Dixitque Saul ad Samuelem : Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, et verba tua, timens populum, et obediens voci eorum. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, et revertere mecum, ut adorem Dominum. Et ait Samuel ad Saul : Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus, ne sis rex super Israel. Et conversus est Samuel ut abiret : ille autem apprehendit summitatem pallii ejus, quæ et scissa est. Et ait ad eum Samuel : Scidit Dominus regnum Israel a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te. Porro triumphator in [h. non habet, in] Israel non parcet [h. porro triumphator Israel non mentietur], et pœnitudine non flectetur : neque enim homo est ut agat pœnitentiam. At ille ait : Peccavi, sed nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israel, et revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum. Reversus ergo Samuel secutus est Saulem [2], et adoravit Saul Dominum. [T. XXXVIII.] Dixitque Samuel : Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus [Vulg. addunt *et tremens*] Et dixit Agag : Siccine separat amara mors? Et ait Samuel : Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit Samuel Agag coram Domino in Galgalis. Abiit autem Samuel in Ramatha : Saul vero ascendit in domum suam in Gabaath Saul [*Vulg. tacet* Saul]. Et non vidit Samuel ultra Saul usque in diem mortis suæ : verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset Saul regem super Israel.

[T. XXXIX, *Cap.* XVI.] Dixitque Dominus ad Samuelem : Usquequo tu luges, Saul, cum ego projecerim eum ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo, et veni, mittam te ad Isai Bethleemitem : providi enim in filiis ejus mihi regem. Et ait Samuel : Quomodo vadam? audiet enim Saul, et interficiet me. Et ait Dominus : Vitulum [h. *vitulam*] de armento tolles in manu tua, et dices : ad immolandum Domino veni. Et vocabis Isai ad victimam, et ego ostendam tibi quid facias, et unges quemcunque monstravero [h. dixero] tibi. Fecit ergo Samuel, sicut locutus est *ei* [3] [h. non habet] Dominus. Venitque in Bethleem, et admirati sunt [h. *expaverunt*] seniores civitatis, occurrentes ei, dixeruntque : Pacificusne ingressus tuus? Et ait : Pacificus, ad immolandum Domino veni : sanctificamini, et venite mecum ut immolem. Sanctificavit ergo Isai et filios ejus, et vocavit eos ad sacrificium. [T. XL.] Cumque ingressi essent, vidit Eliab, et ait : Num coram Domino est christus ejus? Et dixit Dominus ad Samuelem : Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus; quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis judico : homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Et vocavit Isai Abinadab, et adduxit eum coram Samuele. Qui dixit : Nec hunc elegit Dominus. Adduxit autem Isai Samma [*ms.* Summa], de quo ait : Etiam hunc [h. In istum] non elegit Dominus. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele, et ait Samuel ad Isai : Non elegit Dominus ex istis. Dixitque Samuel ad Isai : Numquid jam completi sunt filii? Qui respondit : Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. Et ait Samuel ad Isai : Mitte, et adduc eum, nec enim discumbemus [h. *circumsedebimus*] prius quam ille huc veniat. Misit ergo, et adduxit eum. Erat autem rufus, et pulcher aspectu, decoraque facie, et ait Dominus : Surge, et unge eum, ipse est enim. [T. XLI.] Tulit igitur Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum ejus, et directus est Spiritus Domini in David a die illa et in reliquum [4] : surgensque Samuel abiit in Ramatha. [T. XLII.] Spiritus autem Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino. Dixeruntque servi Saul ad eum : Ecce spiritus Dei malus exagitat te. Jubeat dominus noster, et servi tui, qui coram te sunt, quærent [*ms.* quærunt] hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Dei malus, psallat manu sua, et levius feras. Et ait Saul ad servos suos : Providete mihi aliquem bene psallentem, et adducite eum ad me Et respondens unus de pueris, ait : Ecce vidi filium Isai Bethleemitem, scientem psallere, et fortissimum robore, et virum bellicosum, et prudentem in verbis, et virum pulchrum : et Dominus est cum eo. [T. XLIII.] Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens : Mitte ad me David filium tuum, qui est in pascuis. Tulitque Isai asinum ple-

[1] Cum Vulgatis ms. Veronens., *sua*. Sed *tuo* Hebr. quoque præfert.

[2] Hic vero longius ab Hebræo vagatur Veronens. ms. qui legit, *Et secutus est eum Saul*. Hebr. ad verbum, *Reversus est Samuel post Saul*.

[3] Quod non haberi in Hebraico, *ei*, Scholiastes notat, tacet re ipsa Veronens. ms.

[4] Vitiosa metathesi scriptum erat ante. *Et in reliquum a die illa*. Ms. Veronens. emendat.

num panibus,et lagenam [h.utrem] vini,et hædum de capris unum, et misit per manum David filii sui Sauli. Et venit David ad Saul, et stetit coram eo.At ille dilexit eum nimis, et factus est ejus armiger.Misitque Saul ad Isai, dicens : Stet David in conspectu meo ; invenit enim gratiam in oculis meis. Igitur quandocunque arripiebat Spiritus Dei Saul [1], tollebat David citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus.

[T. XLIV. *Cap.* XVII.] Congregantes autem Philisthim agmina sua in prælium,convenerunt in Soccho [2] Judæ, et castrametati sunt inter Soccho et Azeca, in finibus Dommim [h. Dammim]. Porro Saul et viri [*Vulg.* filii] Israel congregati venerunt in vallem Terebinthi, et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthim. Et Philisthim stabant super montem ex hac parte, et Israel stabat super montem ex altera parte, vallisque erat inter eos. Et egressus est vir spurius de castris. Philisthinorum,nomine Goliath.de Geth, altitudinis sex cubitorum et palmo, et cassis ærea super caput ejus, et lorica [3] hamata [h. squamata] induebatur. Porro pondus loricæ ejus,quinque millia siclorum æris, et ocreas æreas habebat in cruribus, et clypeus æreus tegebat humeros ejus. Hastile autem hastæ ejus, erat quasi liciatorium texentium. Ipsum autem ferrum hastæ ejus, sexcentos siclos habebat ferri, et armiger ejus antecedebat eum. Stansque clamabat adversum phalangas Israel, et dicebat eis : Quare venistis parati ad prælium ? Numquid non sum ego Philisthæus,et vos servi Saul? Eligite ex vobis virum, et descendat ad singulare certamen. Si quieverit pugnare mecum, et percusserit me, erimus vobis servi : si autem ego prævaluero, et percussero eum, vos servi eritis, et servietis nobis. Et aiebat Philisthæus : Ergo exprobravi agminibus Israel hodie : Date mihi virum, et ineat mecum singulare certamen. Audiens autem Saul, et omnes viri Israelitæ, sermones Philisthæi hujuscemodi, stupebant, et metuebant nimis. David autem erat filius viri Ephrathæi, de quo supra dictum est [h. non habet, de quo supra dictum est], de Bethleem Juda, cui erat nomen Isai, qui habebat octo filios, et erat vir in diebus Saul senex, et grandævus inter viros [h. Et ingrediens inter viros]. Abierunt autem tres filii ejus majores post Saul in prælium, et nomina trium filiorum ejus, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, et secundus Abinadab, tertiusque Samma. David autem erat minimus. [T. XLV.] Tribus ergo majoribus secutis Saulem, abiit David, et reversus est a Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethleem. Procedebat vero Philisthæus mane et vespere, et stabat quadraginta diebus.[T.XLVI.] Dixit autem Isai ad David filium suum : Accipe fratribus tuis ephi [h. Epha] polentæ, et decem panes istos, et curre in castra ad fratres tuos, et decem formellas casei has deferes [ms. *defer*] ad tribunum, et fratres tuos visitabis, si recte agant : et cum quibus ordinati sunt, disce.Saul autem [h.Si recte agant, et pignora eorum tolles. Saul autem], et illi, et omnes filii Israel in valle Terebinthi pugnabant adversum Philisthim. Surrexit itaque David mane, et commendavit gregem custodi,et onustus abiit, sicut præceperat ei Isai. Et venit ad locum Magala, et ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine. Direxerat enim aciem Israel, sed et Philisthim ex adverso fuerant præparati. Derelinquens ergo David vasa quæ attulerat,sub manu custodis ad sarcinas,cucurrit ad locum certaminis, et interrogabat si omnia recte agerentur erga fratres suos. Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine Philisthæus, de Geth, ex castris [h. ex acie] Philisthinorum : et loquente eo hæc eadem verba, audivit David. Omnes autem Israelitæ, cum vidissent virum, fugerunt a facie ejus, timentes eum [h. non habet eum] valde. Et dixit unus quispiam de Israel : Num vidistis virum hunc qui ascendit? ad exprobrandum enim Israeli ascendit. Virum ergo qui percusserit eum, ditabit rex divitiis magnis, et filiam suam dabit ei, et domum patris ejus faciet absque tributo in Israel [h. et domum patris ejus faciet liberam in Israel] [T.XLVII.] Et ait David ad viros, qui stabant secum, dicens : Quid dabitur viro [h.Quid fiet viro],qui percusserit Philisthæum hunc,et tulerit opprobrium de Israel? qui est enim hic Philisthæus incircumcisus,qui exprobravit acies Dei viventis? Referebat autem ei populus eumdem sermonem, dicens : Hæc dabuntur [h. hæc fient] viro,qui percusserit eum. Quod cum audisset Eliab, frater ejus major, loquente eo cum aliis,iratus est contra David, et ait : Quare venisti, et quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui, quia ut videres prælium, descendisti. Et dixit David : Quid feci? nunquid non verbum est? Et declinavit paulum ab eo ad alium;dixitque eumdem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut et prius.Audita sunt autem verba quæ locutus est David, et annuntiata in conspectu Saul. Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei : Non concidat cor cujusquam in eo : ego [h. non habet ego] servus tuus vadam, et pugnabo adversus Philisthæum. Et ait

[1] Vulgati, *quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul :* longius ab Hebræo textu, qui hic non addit הרעה *malus.*

[2] Constanter effert Veronens. ms. *Soccoth*, propius Hebr. סכת : quæ et Symmacho dicitur Σοχχώθ. Paulo quoque post ex eodem ms.*Dommim* cum gemino *m* reposuimus.

[3] Utraque lectio huic sententiæ convenit : nam milites utebantur et squamatis et hamatis loricis. Hinc apud Virgilium, *nec duplici squama lorica*, etc.; et I *Æneidos*, *loricam consertam hammis*,etc. Squamæ autem et hami loricarum, catennulæ erant ad modum squamarum atque hamorum, in eis compositæ et consertæ. MART.

Saul ad David: Non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare adversus eum: quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. Dixitque David ad Saul: Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo vel ursus, tollebatque arietem de medio gregis: et persequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum. et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus [h. interfecit servus tuus]: erit igitur et Philisthæus hic incircumcisus [1], quasi unus ex eis, qui ausus est maledicere exercitui [h. exprobrare agminibus] Dei viventis. Et ait David: Dominus qui eruit me de manu leonis, et de manu ursi, ipse liberabit me de manu Philisthæi hujus. Dixit autem Saul ad David: Vade, et Dominus tecum sit. Et induit Saul David vestimentis suis, et imposuit galeam æream super caput ejus, et vestivit eum lorica. Accinctus ergo David gladio ejus super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere, non enim habebat consuetudinem. Dixitque David ad Saul: Non possum sic incedere, quia nec usum habeo. Et deposuit ea, et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, et fundam manu tulit, et processit adversum Philisthæum. Ibat autem Philisthæus incedens, et appropinquans adversum David et armiger ejus ante eum. Cumque inspexisset Philisthæus, et vidisset David, despexit eum. Erat enim adolescens, rufus, et pulcher aspectu. Et dixit Philisthæus ad David: Nunquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo [h. cum baculis]? Et maledixit Philisthæus David in diis suis: dixitque ad David: Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cœli et bestiis terræ [h, agri]. Dixit autem David ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti. Hodie dabit [2] [h. tradet] te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te, et dabo cadavera castrorum Philisthim hodie volatilibus cœli et bestiis terræ, ut sciat omnis terra quia est Deus in Israel. Et noverit universa ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus: ipsius est enim bellum, et tradet vos in manus nostras. Cum ergo surrexisset Philisthæus, et veniret, et appropinquaret contra David, festinavit David, et cucurrit [*Al.* currit] ad pugam ex adverso Philisthæi. Et misit manum suam in peram: tulitque unum lapidem, et funda jecit et [*Vulg. add.* circumdicens] percussit Philisthæum in fronte, et infixus est lapis in fronte ejus, et cecidit in faciem suam in [*ms. et Vulg.* super] terram. Prævaluitque David adversus Philisthæum in funda et in lapide: percussumque Philisthæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu David, cucurrit, et stetit super Philisthæum, et tulit gladium ejus, et eduxit eum de vagina sua, et interfecit eum, præciditque caput ejus. Videntes autem Philisthim, quod mortuus esset fortissimus [h. potens] eorum, fugerunt. Et consurgentes viri Israel et Juda vociferati sunt, et persecuti sunt Philistæos usque dum venirent in vallem, et usque ad portas Accaron, ceciderunt-que vulnerati de Philisthim in via Sarim usque ad Geth, et usque Accaron. Et revertentes filii Israel postquam persecuti fuerant Philistæos, invaserunt castra eorum. Assumens autem David caput Philisthæi, attulit illud in Jerusalem: arma vero ejus posuit in tabernaculo suo. Eo autem tempore, quo viderat Saul David egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militæ: De qua stirpe descendit hic (h. Cum autem videret Saul David egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ: cujus est hic) adolescens, Abner? Dixitque Abner: Vivit anima tua, rex, si novi. Et ait rex: Interroga tu, cujus filius sit iste puer (h, adolescens]. Cumque regressus esset David, percusso Philisthæo, tulit eum Abner, et introduxit coram Saul, caput Philisthæi habentem in manu. Et ait ad eum Saul: De qua progenie es [h. Cujus *filius tu*], o adolescens? Dixitque David: Filius servi tui Isai Bethleemitæ ego sum [h. non habet].

(T. XLVIII. *Cap.* XVIII.) Et factum est, cum complesset loqui ad Saul: anima Jonathan conligata est (*Vulg.* conglutinata) animæ David, et dilexit eum Jonathan quasi animam suam. Tulitque eum Saul in die illa, et non concessit ei ut reverteretur in domum patris sui. (T. XLIX.) Inierunt autem Jonathan et David fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam. Nam exspoliavit se Jonathan tunica qua erat vestitus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua, usque ad gladium et arcum suum, et usque ad balteum. Egrediebatur quoque David ad omnia quæcunque misisset eum Saul, *et* (h. non habet) prudenter se agebat: posuitque eum Saul super viros belli, et acceptus erat in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul (h. universi populi, et in oculis *servorum Saul*). Porro cum reverteretur, perousso Philisthæo, David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, et in sistris. Et præcinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percussit Saul

[1] Obtrudunt Vulgati additamentum hujuscemodi *Nunc vadam, et auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus?* quo nedum Hebræus, sed et LXX ipsi carent. Mox Veronens. ms. *exercitum* pro *exercitui*, æque bene.

[2] Veronens. ms., *Exprobrasti hodie, et dabis*, etc., cum Vulgatis et Græco. Paulo autem post rectius ad Hebræum, *cadaver* legit minori numero.

mille, et David decem millia. [T. L.] Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis ejus iste[1] sermo: dixitque: Dederunt David decem millia, et mihi dederunt mille? quid ei superest, nisi solum regnum? Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David a die illa, et deinceps. Post diem autem alteram, invasit spiritus Dei malus Saul, et propheta in medio domus [h. timedio *domus*] suæ: David autem psallebat manu sua, sicut per singules dies. Tenebatque Saul lanceam, et misit eam, putans quod configere posset David cum pariete, et declinavit David a facie ejus secundo. Et timuit Saul David, eo quod esset Dominus cum eo, et a se recessisset. Amovit ergo eum Saul a se, et fecit eum tribunum super mille viros [h. non habet viros], et egrediebatur et ingrediebatur in conspectu populi. In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat, et Dominus erat cum eo. Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis, et cœpit cavere eum [h. et timuit *eum*]. Omnis autem Israel et Juda diligebat David: ipse enim egrediebatur et ingrediebatur ante eos. [T. LI.] Dixit autem Saul ad David: Ecce filia mea major Merob[2] [h. Merab], ipsam dabo tibi uxorem: tantummodo esto vir [h. esto mihi] fortis, et præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super illum manus Philistinorum, Ait: autem David ad Saul: Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut fiam gener regis? [T. LII.] Factum est autem tempus, cum deberet dari Merob [h. Merab filia Saul David, data est Adrieli Molathitæ uxor. Dilexit autem Michol (h. Michal) filia Saul altera [h. non habet altera] David. Et nuntiatum est Saul, et placuit ei. Dixitque Saul[3]: Dabo eam ibi, ut fiat ei in scandalum, et sit super eum manus Philisthinorum. Dixitque Saul ad David: In duabus rebus gener meus eris hodie. Et mandavit Saul servis suis: Loquimini ad David clam me dicentes: Ecce places regi, et omnes servi ejus diligunt te. Nunc ergo esto gener regis, Et locuti sunt servi Saul in auribus David *omnia* (h. non habet) verba hæc. Et ait David: Num parum vobis videtur, generum esse regis? Ego autem sum vir pauper et tenuis. Et renuntiaverunt servi Saul, dicentes: Hujuscemodi verba locutus est David. Dixit autem Saul: Sic loquimini ad David: Non habet necesse rex sponsalia, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis regis. Porro Saul cogitabat tradere David in manus [*ms.* in manibus] Philisthinorum. Cumque renuntiassent servi ejus David verba, quæ dixerat Saul[4], placuit sermo in oculis David, ut fieret gener regis. Et post dies paucos surgens David [h. Et non erant dies completi. Surgens autem David,] abiit cum viris, qui sub eo[5] erant. Et percussis Philisthim ducentis viris, attulit præputia eorum, et annumeravit ea regi, ut esset gener ejus. [T. LIII.] Dedit itaque Saul ei Michol [h. Michal] filiam suam uxorem. Et vidit Saul, et intellexit quia Dominus esset [*ms.* est] cum David. Michol autem filia Saul diligebat eum. Et Saul magis cœpit timere David: factusque est Saul inimicus David cunctis diebus. Et egressi[6] sunt principes Philisthinorum: a principio autem egressionis eorum, prudentius se gerebat David, quam omnes servi Saul, et celebre factum est nomem ejus nimis.

[T. LIV, *Cap.* XIX.] Locutus est autem Saul ad Jonathan filium suum, et ad omnes servos suos, ut occiderent David. Porro Jonatham filius Saul diligebat David valde, Et indicavit Jonathan David, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter observa te, quæso mane, et manebis clam, et absconderis. Ego autem egrediens stabo juxta patrem meum, in agro ubicunque fuerit. [h. in agro ubi tu fueris], et ego loquar de te[7] ad patrem meum, et quodcunque videro, nuntiabo tibi. Locutus est ergo Jonathan de David bona ad Saul patrem suum: dixitque ad eum: Ne peccet rex in servum suum: David, quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde. Et posuit animam suam in manu sua et percussit Philisthæum, et fecit Dominus salutem magnam universo Israeli: vidisti, et lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque [ms. extra] culpa [h. interficiens David *insontem*]? Quod cum audisset

[1] Hinc suppetunt reliquæ alterius codicis Veronensis, membranæ aliquot antiquissimæ, et majusculis, ut vocat, litteris exaratæ, quæ ad vicesimum secundum usque caput hujusce libri, versionem continent Hieronymianam, Nos illas perquam diligenter contulimus, earumque infra testimoniis hoc nomine Membranarum capitularium utemur. Hic interim vocem *iste* prætermittunt, quæ tamen in Hebræo est.

[2] Codex Corb. num. 1 habet hic et supra cap. 14 *Merab*, quod fluxit, ut vides, e Canonis Hebraicæ veritatis scholio marginali. MART.

— Membranæ capitulares, *Filiam meam majorem*: tum in uno Corbeiensi ms. reperit Martian. *Merab*, quod scholiastæ placet.

[3] Ms. Veronens., *Dixit ergo Saul*: aliæ Membranæ: *Dixit autem*, etc,

[4] Idem Veron. ms., avulsæque aliæ membranæ, *Verba quæ diximus*, non addito *Saul*, nomine: omnino rectius ad Hebræum exemplar, quod et reticet nomen illud, et duntaxat תוברים האלת, *verba hæc*, præfert.

[5] Membranæ capitulares, *cum eo* Hebr. uno verbo habet ואנשיו, *ei viri ejus*.

[6] Fortasse verius Membranæ capitulares, *regressi*.

[7] Eædem Membranæ, *loquar pro te*, etc., rectius: et mox *indicabo* pro *nuntiabo*.

[8] Editi legunt in secunda persona: *Ne pecces, rex, in servum tuum*. Ita quoque legitur in omnibus mss., uno exepto Canone Hebr. verit., quem secuti sumus, eo quod nullum sit discrimen vel damnum in sensibus. MART.

— Veronens. ms. cum Vulgatis, *Ne pecces, rex, in servum tuum*.

Saul, placatus voce Jonathæ, juravit : Vivit Dominus, quia non occidetur. Vocavit itaque Jonathan David, et indicavit ei omnia verba hæc, et introduxit Jonathan David ad Saul, et fuit ante eum, sicut fuerat heri et nudiustertius. [T. LV.] Motum est autem rursus bellum, et egressus David, pugnavit adversus Philisthim; percussitque eos plaga magna[1], et fugerunt a facie ejus. Et factus est Spiritus Domini malus in Saul. Sedebat autem in domo sua, et tenebat lanceam: porro David psallebat in manu sua. Nisusque est Saul configere lancea David in pariete, et declinavit David a facie Saul : lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, et David fugit, et salvatus est nocte illa. [T. LVI.] Misit ergo Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, et interficeretur mane[2]. Quod cum annuntiasset David Michol uxor sua, dicens : Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris, deposuit eum per fenestram. Porro ille abiit et aufugit, atque salvatus est. Tulit autem Michol statuam, et posuit eam super lectum, et pellem pilosam [*h. non habet*, pilosam] caprarum posuit ad caput ejus et operuit eam vestimentis[3]. Misit autem Saul apparitores, qui raperent David, et responsum est quod ægrotaret. Rursumque misit Saul nuntios, ut videret David, dicens : Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur. Cumque venissent nuntii, inventum est simulacrum super lectum, et pellis caprarum ad caput ejus. Dixitque Saul ad Michol : Quare sic illusisti mihi, et dimisisti inimicum meum, ut fugeret ? Et respondit Michol ad Saul : Quia ipse locutus est mihi : Dimitte me [h. mitte], alioquin interficiam te. David autem fugiens, salvatus est, et venit ad Samuel in Ramatha, et nuntiavit ei omnia quæ fecerat sibi Saul : et abierunt ipse et Samuel, et morati sunt in Najoth [ms. Nachjoth]. Nuntiatum est autem Sauli a dicentibus : Ecce David in Najoth in Rama. [T. LVII.] Misit ergo Saul lictores [h. missos, hic et supra, habet], ut raperent David : qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, et Samuel stantem super eos, factus est super nuntios[4] Saul Spiritus Dei, et prophetare cœperunt etiam ipsi. Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit et alios nuntios : prophetaverunt autem et illi. Et rursum Saul misit tertios nuntios, qui et ipsi prophetaverunt. Abiit autem etiam ipse in Ramatha, et venit usque ad cisternam magnam quæ est in Soccho, et interrogavit, dicens : In quo loco sunt Samuel et David ? Dictumque est ei : Ecce in Najoth sunt in Rama. Et abiit in Najoth in Rama, et factus est etiam super eum Spiritus Dei, et ambulabat ingrediens, et prophetabat usque dum veniret in Najoth in Rama. Et exspoliavit se etiam ipse vestimentis suis, et prophetavit cum cæteris [h. non habet, cum cæteris] coram Samuele, et cecidit[5] nudus tota die illa et nocte. Unde et exivit proverbium : Num et Saul inter prophetas ?

[*Cap.* XX.] Fugit autem David de Najoth, quæ erat in Rama, veniensque locutus est coram Jonathan : Quid feci ? quæ est iniquitas mea, et quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam ? Qui dixit ei : Absit, non morieris : neque enim faciet pater meus quidquam grande vel parvum, nisi prius indicaverit mihi [h. nisi revelaverit aurem meam] : hunc ergo celavit me[6] pater meus sermonem tantummodo ? nequaquam erit istud. Et juravit rursum David. Et ille [h. non habet ille] ait : Scit profecto pater tuus quia inveni gratiam in conspectu tuo [h. in oculis tuis[7]], et dicet : Nesciat hoc Jonathan, ne forte tristetur. Quin imo vivit Dominus, et vivit anima tua, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu, ego morsque dividimur. Et ait Jonathan ad David : Quodcunque dixerit mihi anima tua, faciam tibi. Dixit autem David ad Jonathan : Ecce kalendæ sunt crastino, et ego ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum : dimitte ergo me, ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ Si requisierit [Vulg addunt *respiciens*] me pater tuus, respondebis ei : Rogavit me David, ut iret celeriter in Beth-Leem civitatem suam, quia victimæ solemnes ibi sunt universis contribulibus ejus. Si dixerit, Bene : pax erit servo tuo. Si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia ejus. Fac ergo misericordiam in servum tuum : quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti. Si autem est in me aliqua [h. non habet aliqua] iniquitas, tu me interfice, et ad patrem tuum ne introducas me. Et ait Jonathan : Absit hoc a te : neque enim fieri potest ut, si certe cognovero completam patris mei esse malitiam contra te, non annuntiem tibi. Respondit que David ad Jonathan : Quis nuntiabit mihi, si quid forte responderit tibi pater tuus dure [Vulg. addunt *de me*] ? Et ait Jonathan ad David : Veni, egrediamur in agrum [Vulg. addunt *foras*]. Cumque exissent ambo in agrum, ait Jonathan ad David : Domine Deus Israel, si investigavero sententiam patris mei crastino vel perindie : et aliquid boni fuerit super David, et non statim misero ad te, et notum tibi fecero, hæc faciat Dominus in Jonathan, et hæc

[1] Capitulares Membranæ, *Plaga magna nimis*, etc.

[2] In eisdem Membranis, *Et interficerent eum, mane*, etc.

[3] Addunt eædem membranæ *suis*.

[4] Pro verbis *Super nuntios Saul*, ms. Veron. cum Vulgatis habet *Etiam in illis*, Hebræo tamen textu dissentiente.

[5] Pro *cecidit* undecim mss. nostri scribunt, *cecinit*. Quod vitium irrepsit etiam in Canonem Hebraicæ veritatis, ac emendatoris, ut et scholiastis diligentiam effugit. Persuarum forte habebant illi scriptores, Saulis prophetiam in canendis Dei laudibus fuisse positam : unde error inolevit ut scriberent *Cecinit nudus*, etc. MART.

[6] Veronens., ms. *Celavit a me*, contentiosius fortasse nimis ab Hebr. ממני.

[7] Occurunt passim hujusmodi minutiæ in scholiis marginalibus Canonis nostri ; sed mos iste invaluit apud criticos, qui verborum sunt tenacissimi, ut Latinis uterentur vocibus, quæ propius accedunt ad phrasim Hebraicam. MART.

— Cum scholiaste ad litteram Veronens. ms. *In oculis tuis*.

addat. Si autem perseveraverit patris mei malitia[1] adversum te, revelabo aurem tuam, et dimittam te, ut vadas in pace, et sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo. Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini : si vero mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum, quando eradicaverit Dominus inimicos David, unumquemque de terra. Pepigit ergo fœdus Jonathan cum domo David[2] : et requisivit Dominus de manu inimicorum David. Et addidit Jonathan dejerare David, eo quod diligeret illum : sicut animam enim suam, ita diligebat eum. Dixitque ad eum Jonathan : Cras kalendæ sunt, et requireris : requiretur enim sessio tua usque perindiei Descendes ergo festinus, et venies in locum ub. celandus es in die, qua operari licet, et sedebis juxta lapidem cui est nomen [h. non habet, cui est nomen] Ezel. Et ego tres sagittas mittam juxta eum, et jaciam quasi exercens me ad signum. Mittam quoque et puerum, dicens ei : Vade, et affer mihi sagittas. Si dixero puero : Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas : tu veni ad me, quia pax tibi est, et nihil est mali, vivit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero : Ecce sagittæ ultra te sunt : vade [*Vulg. addunt* in pace], quia dimisit [h. misit] te Dominus. De verbo autem quod locuti sumus ego et tu, sit Dominus inter me et te usque in sempiternum. Absconditus est ergo David in agro, et venerunt kalendæ, et sedit rex ad comedendum panem. Cumque sedisset rex super cathedram suam (secundum consuetudinem) quæ erat juxta parietem, surrexit Jonathan, et sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus David. Et non est locutus quidquam Saul in die illa : cogitabat enim quod forte evenisset ei, ut non esset mundus, nec purificatus. Cumque illuxisset dies secunda post Kalendas [h. *diem Kalendarum*], rursum vacuus apparuit locus David. Dixitque Saul ad Jonathan filium suum : Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie, ad vescendum ? Et respondit Jonathan Sauli : Rogavit me obnixe, ut iret in Beth-Leem, et ait : Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in civitate [h. *familia est* in *civitate*] unus de fratribus meis accersivit me nunc : ergo, si inveni gratiam in oculis tuis, vadam cito, et videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis. [T. LVIII]. Iratus autem Saul adver- A eus Jonathan, dixit ei : Fili [*ms.* filius] mulieris virum rapientis ultro, nunquid ignoro quia diligis filium Isai, in confusionem tuam, et in confusionem ignominiosæ matris tuæ ? Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque jam nunc mitte, et adhuc [h. *cape*] eum ad me : quia filius mortis est. Respondens autem Jonathan Sauli patri suo, ait : Quare morietur ? quid fecit ? Et arripuit Saul lanceam, ut percuteret eum. Et intellexit Jonathan quod definitum esset patri suo, et interficeret David. Surrexit ergo Jonathan a mensa in ira furoris, et non comedit in die kalendarum secunda panem. Contristatus est enim super David, eo quod confudisset eum pater suus. [T. LIX.] Cumque illuxisset mane, venit Jonathan in agrum juxta placitum Da- B vid, et puer parvulus cum eo, et ait ad puerum suum : Vade, et affer mihi sagittas, quas ego jacio. Cumque puer cucurrisset, jecit aliam sagittam trans puerum. Venit itaque puer ad locum jaculi, quod miserat Jonathan : et clamavit Jonathan post tergum pueri, et ait : Ecce ibi est sagitta porro ultra te. Clamavitque (*Vulg. add.* iterum) Jonathan post tergum pueri, dicens[3] : Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Jonathæ sagittas, et attulit ad dominum suum : et quid ageretur, penitus ignorabat : tantummodo enim Jonathan et David rem noverant. Dedit igitur Jonathan arma sua puero, et dixit ei : Vade, defer in civitatem. Cum abisset puer, surrexit David de loco, qui vergebat ad austrum, et cadens pronus in terram, adoravit C tertio : et osculantes se (*ms. tacet* se) alterutrum, fleverunt pariter, David autem amplius. Dixit autem Jonathan ad David : Vade in pace : quæcunque juravimus ambo in nomine Domini, dicentes : Dominus sit inter me et te, et inter semen meum et semen tuum usque in sempiternum. Et surrexit, et abiit ; sed et Jonathan ingressus est civitatem.

(T. LX. *Cap.* XXI). Venit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem : et obstupuit Achimelech, eo quod venisset, et surrexit obviam David [4], et dixit ei : Quare tu solus, et nullus est tecum ? Et ait David ad Achimelech sacerdotem : Rex præcepit mihi sermonem, et dixit : Nemo sciat rem, propter quam a me missus es (*Vulg.* mss. ea a me), cujusmodi

[1] Cum Veronensi ms. Membranæ capitulares, *augeat* : paulo quoque post, *Facias mecum misericordiam*, pro *mihi*.

[2] Addunt Vulgati, *Auferat Jonathan de domo sua, et requirat Dominus de manu inimicorum David* quæ tum Hebræus textus ignorat, cum Hieronymianæ versionis plerique omnes mss., denique et nonnullæ Græcæ editiones.

[3] Vacat in Veronensi ms. Hebræoque ipso exemplari verbum, *dicens*.

[4] Ita Canon Hebraicæ veritatis cum aliquot mss. codicibus optimæ notæ. Regius, Corbeiensis unus, et alii tres recentiores S. Germani a Pratis, eadem quoque retinent verba, licet mutato paulisper ordine. Legunt igitur hoc modo : *Et obstupuit Abimelech, eo quod venisset David, et surrexit obviam, et* D *dixit ei*, etc. MART.

— Habet hæc modo Hebr. textus. ויחרד אחימלך לקראת דוד *et contremuit Achimelech in occursum David*, cui concinit ei Græcus demum ipsa Vulgata lectio verba, *et surrexit obviam*, non habet. Quæ cum neque in vetustissimo Veronensi ms. sint, malim æstimare, ea e quibus Martianæus illa verba excussit, interpolata exemplaria, quæ scholion marginale in textum receperint. Par quippe est opinari, cum Latina verba, *eo quod venisset*, non viderentur Hebræo לקרבת respondere, studiosum aliquem rescripsisse ad libri oram, *et surrexit obviam*, quæ postmodum a librariis fuerint in textum importata.

præcepta tibi [*ms. tacet* tibi] dederim: nam et pueris condixi in illum et illum locum. Nunc igitur si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi. aut quidquid inveneris. Et respondens sacerdos David, ait : Non habeo panes laicos ad manum, sed tantum panem sanctum : si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus (*ms.* muliere)? Et respondit David sacerdoti, et dixit ei : Equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri et nudiustertius, quando egrediebamur, et fuerunt vasa puerorum sancta. Porro via hæc polluta est [h. via laica *est*], sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem. Neque enim [h. Dedit ergo ei secerdos sanctitatem. Neque enim] erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi Erat autem ibi quidem [*ms. tacet* quidpiam] vir de servis Saul in die illa, intus in tabernaculo Domini (obligatus in conspectu Domini : et nomen ejus Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul. Dixit autem David ad Achimelech : Si habes hic ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum et arma mea non tulit mecum, sermo enim regis urgebat. Et dixit sacerdos : Ecce [1] gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in valle Terebinthi, est involutus pallio post ephod : si istum vis tollere, tolle. Neque enim est hic alius absque eo. Et ait David : Non est huic alter similis, da mihi eum. Surrexit itaque David, et fugit in die illa a facie Saul, et venit, ad Achis regem Geth : dixeruntque ei [2] servi Achis : Nunquid non iste est David rex terræ ? nonne huic cantabant per choros, dicentes : Percussit Saul mille, et David decem millia ? [T. LXI.] Posuit autem David sermones istos in corde suo et extimuit valde a facie Achis regis Geth. Et immutavit os suum coram eis, et collabebatur inter manus eorum, et impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam. Et ait Achis ad servos suos : Vidistis hominem insanum : quare adduxistis eum ad me ? An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, ut fureret me præsente? hiccine ingredietur domum meam ?

[T. LXII, *Cap.* XXII.] Abiit ergo inde David, et fugit [h. evasit] in speluncam Odollam [h. Adullam]. Quod cum audissent fratres ejus, et omnis domus patris ejus, descenderunt ad eum illuc. Et convenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo, et factus est eorum princeps, fueruntque eum eo quasi quadringenti viri. Et profectus est David inde in Maspha, *quæ est* (h. non habet) Moab, et dixit ad regem Moab : Maneat, oro, pater meus et mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus.

A Et reliquit eos ante faciem regis Moab : manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus David fuit in præsidio, Dixitque Gad propheta ad David : Noli manere in præsidio. proficiscere, et vade in terram Juda. Et profectus David venit in saltum Hareth. Et audivit Saul quod apparuisset David, et viri qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, et esset in nemore quod est in Rama hastam manu tenens, cunctique servi [3] ejus circumstarent eum, ait ad servos suos. qui assistebant ei : Audite (*Vulg add.* nunc), filii Jemini : nunquid omnibus vobis dabit filius Isai agros et vineas, et universos vos faciet tribunos et centuriones, quoniam conjurastis omnes adversum me, et non est qui mihi renuntiet, maxime cum et filius B meus fœdus inierit [4] cum filio Isai ? Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi: eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversum me, insidiantem mihi usque hodie (h. sicut hodie). Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, et erat primus inter servos Saul (h. qui assistebat cum servis Saul) : Vidi, inquit, filium Isai In Nobe, apud Achimelech filium Ahitob (*Vulg add.* sacerdotem). Qui consulit pro eo Dominum, et cibaria dedit ei : sed et gladium Goliath Philisthæi dedit illi. Misit ergo rex ad accersendum Achimelech filium Ahitob sacerdotem, et omnem domum patris ejus sacerdotum, qui erant in Nobe, qui venerunt universi ad regem. Et ait Saul (*Vulg add.* ad Achimelech) : Audi, filii Ahitob. Qui respondit : Præsto sum, domine. Dixitque ad eum Saul : Quare con- C jurastis (h. rebellastis) adversum me, tu et filius Isai, et dedisti ei panes et gladium, et consuluisti pro eo Deum, ut consurgeret adversum me, insidiator usque hodie (h. insidiator sicut hodie) permanens ? Respondensque Achimelech regi, ait : Et quis in omnibus servis tuis, sicut David fidelis, et gener regis, et pergens ad imperium tuum, et gloriosus in domo tua ? Num hodie cœpi consulere pro eo Deum? absit hoc a me, ne suspicetur rex adversus servum suum rem hujuscemodi, in universa domo patris mei ; non enim scivit servus tuus quidpiam super hoc negotio, vel modicum vel grande. Dixitque rex : Morte morieris, Achimelech, tu, et omnis domus patris tui. Et ait rex omissariis, qui circumstabant eum: Convertimini, et interficite sacerdotes D Domini ; nam manus eorum cum David est : scientes quod fugisset, non indicaverunt mihi. Noluerunt autem servi regis extendere manum suam in sacerdotes Domini. Et ait rex Doeg : Converte tu, et irrue in sacerdotes. (T. LXIII.) Conversusque Doeg Idumæus [5], irruit in sacerdotes, et trucidavit in die illa octogintaquinque viros vestitos ephod lineo [6]

[1] Ms. Veronens. non habet *Ecce*, quod neque in Hebræo est. Vulgati plus habent, *Ecce hic.*

[2] Addunt Vulgati libri verba, *ad eum cum vidissent David*, quæ neque Hebr. textus, nec Hieronymianæ versionis mss. agnoscunt.

[3] Veronens. cod. ipsæque Capitulares menbranæ, *socii* legunt pao *servi*, Hebræo tamen textu עבריו non assentiente.

[4] Idem mss., *Fœdus junxerit*, etc.

[5] In ms. Veronensi, *Doec*, quod Græci præferunt, ex iisque veteres Latini, quin et ipse Hieronymus, epist. *ad Marcellam* 29, de ephod et teraphim.

[6] In epistola Hieronymi nunc 130, quæ in nova editione non 130, sed 8, ponetur, eamdem habes

(h. portantes ephod lineum). Nobe autem civitatem sacerdotum percussit in ore gladii, viros et mulieres, parvulos et lactentes, bovem et asinum, et ovem in ore gladii. Evadens autem unus filius Achimelech, filii Ahitob, cujus nomen erat Abiathar, fugit ad David, et annuntiavit ei quod occidisset Saul sacerdotes Domini. Et ait David ad Abiathar : Sciebam in die illa, cum ibi esset Doeg Idumæus, quod procul dubio annuntiaret Sauli : Ego sum reus omnium animarum domus patris tui [1]. Mane mecum, ne timeas ; si quis quæsierit animam meam, quæret et animam tuam, mecumque servaberis.

(T. LXVI, *Cap.* XXIII.) Et nuntiaverunt David, dicentes ; Ecce Philisthim oppugnant Ceila, et diripiunt areas. Consuluit igitur David Dominum, dicens : Num vadam, et percutiam Philisthæos istos? Et ait Dominus ad David : Vade, et percuties Philisthæos, et Salvabis Ceila. Et dixerunt viri, qui erant cum David, ad eum : Ecce nos in Judæa consistentes timemus ; quanta magis si ierimus in Ceila adversum agmina Philisthinorum ! Rursum ergo David consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei ; Surge, et vade (h. descende) in Ceila : ego enim tradam Philisthæos in manu tua. Et abiit David, et viri ejus, in Ceila, et pugnavit adversum Philistæos, et abegit jumenta eorum, et percussit eos plaga magna : et salvavit David habitatores Ceilæ Porro eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad David in Ceila, ephod secum habens descenderat. Nuntiatum est autem Sauli, quod venisset David in Ceila : et ait Saul : Tradidit eum Deus in manus meas : conclususque est introgressus urbem, in qua portæ et seræ. Et præcepit Saul omni populo, ut ad pugnam descenderent in Ceila, et obsiderent David, et viros ejus. (T. LXV.) Quod cum rescisset David, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar secerdotem : Applica ephod. Et ait David : Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilan, ut evertat urbem propter me : si tradent me viri Ceilæ in manus ejus ? et si descendet Saul, sicut audivit servus tuus ? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus : Descendet, Dixitque David. Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui sunt mecum, in manus Saul ? Et dixit Dominus : Tradent. Surrexit ergo David et viri ejus quas sexcendi, et egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti : nuntiatumque est Sauli, quod fugisset David de Ceila [*Vulg add.* et salvatus esset] : quam am ob dissimulavit exire. Morabatur autem David in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph [*Vulg. add.* in monte opaco]: A quærebat tamen eum Saul cunctis diebus, et tradidit eum Deus in manus ejus. Et vidit quod egressus esset Saul, ut quæreret animam Porro David erat in deserto Ziph in silva. Et rexit Jonathan filius Saul, et abiit ad Dav silvam, et confortavit manus ejus in Deo : dix ei : Ne timeas : neque enim inveniet te manu patris mei, et tu regnabis super Israel, et eg tibi secundus : sed et Saul pater meus scit Percussit igitur uterque fœdus coram Dor mansitque David in silva : Jonathan autem rev est in domum [2] (h. viam) suam. Ascenderunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes : (T. Nonne ecce David latitat apud nos in locis tuti silvæ, in colle Achilæ, quæ est dexteran B serti ? Nunc ergo, sicut desideravit anima t anima tua, o rex] ut descenderes, descende strum antem erit, ut tradamus in manus [*ms.* regis. Dixitque Saul : Benedicti vos a Do quia doluistis vicem meam [h. pepercistis supe Abite, et oro (*ms.* ergo), et diligentius præp et curiosius agite, et considerate locum ubi ejus, vel quis viderit eum ibi : recogitat enim d quod callide insidier ei. Considerate, et videte latibula ejus, in quibus absconditur, et rever ad me, ad rem certam, ut vadam vobiscum. Q etiam in terram se abstruserit, perscrutabor e cunctis millibus Juda. At illi surgentes abier Ziph ante Saul : David autem et viri ejus er deserto Maon, in campestribus, ad dexteram muth. (*Al.* Jesimon). Ivit ergo Saul et socii ej C quærendum eum, et nuntiatum est David, stati descendit ad petram, et versabatur in deserto Quod cum audissêt Saul, persecutus est Da deserto Maon, et ibat Saul ad latus montis ex una : David autem et viri ejus erant in latere n ex parte altera : porro David desperabat se p evadere a facie Saul : Itaque Saul et viri ej modum coronæ cingebant David et viros ej caperent eos. Et nuntius venit ad Saul, di Festina, et veni quoniam infuderunt se Phili super terram. Reversus est ergo Saul des persequi David, et perrexit in occursum Phil norum. Propter hoc vocaverunt locum illum tram dividentem.

(*Cap.* XXIV.) Ascendit autem David inde, et D tavit in locis tutissimis En-Gaddi. Cumque rev esset Saul, postquam persecutus est Philist nuntiaverunt ei, dicentes : Ecce David in d est En-Gaddi. Assumens ergo Saul tria electorum virorum ex omni Israel, perrexi investigandum David et viros ejus, etiam

adnotationem quam hic exhibet Scholiastes Canonis : *Ubi nunc legimus*, hinc S. Doctor ad Marcellam, *et omnes portantes ephod, in Hebræo habet, portantes ephod bad.* Vide plura de *ephod bad*, sive *lineo* epist. jam laudata, et ad Fabiolam, de veste sacerdotali, epist. 128. MART.

[1] Vocem *domus* cum Vulgat. Veronens. ms. tacet.

[2] Falsum est apud Hebræos legi, *reversus e viam suam* : nam in fonte Hebraico scriptun הלך לביתו *halach lebetho*, id est, *ivit in domum s* Forte ad sensum unum, non ad verba, quæ di sunt, attendebat scholiastes noster. Quidquic fides hujus adnotationis penes illum erit.

abruptissimas petras, quæ solis ibicibus perviæ sunt. Et venit ad caulas [*Ms. add.* quoque] ovium, quæ se offerebant vianti. [T. LXVII.] Eratque ibi spelunca quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem [h. ad tegendum pedes suos] : porro David et viri ejus in interiore parte speluncæ latebant. Et dixerunt servi David ad eum : Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te : Ego tradam tibi inimicum tuum [h. inimicum tuum in manu tua], ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, et præcedit oram chlamydis Saul silenter. Post hæc percussit cor suum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul. Dixitque ad viros suos : Propitius mihi sit Dominus [h. Absit a me a Domino], ne faciam hanc rem domino meo, christo Domini, ut mittam manum in eum, quoniam christus Domini est. [T. LXVIII.] Et confregit David viros suos sermonibus, et non permisit eos, ut consurgerent in Saul. Porro Saul exsurgens de spelunca, pergebat cœpto itinere. Surrexit autem et David post eum, et egressus de spelunca, clamavit post tergum Saul, dicens : Domine mi rex. Et respexit Saul post se, et inclinans se David pronus in terram, adoravit, dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adversum te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca, et cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi *oculus meus* [h. non habet]; dixi enim : Non extendam manum meam in dominum meum, quia christus Domini est. Quin potius, pater mi, vide et cognesce oram chlamydis tuæ in manu mea, quoniam cum præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te [h. nolui interficere te] : animadverte et vide quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te : tu autem insidiaris animæ meæ, ut auferas eam. Judicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te : manus autem mea non sit in te. Sicut et in proverbio antiquo dicitur : Ab impiis egredietur impietas : manus ergo mea non sit in te. Quem sequeris [*Vulg.* persequeris], rex Israel? quem persequeris? canem mortuum sequeris, et pulicem unum. Sit Dominus judex, et judicet inter me et te : et videat, et judicet causam meam, et eruat me de manu tua. Cum autem complesset David loquens sermones hujuscemodi ad Saul, dixit Saul : Nunquid hæc vox tua est, fili mi David? Et levavit Saul vocem suam, et flevit; dixitque ad David : [T. LXIX]. Justior tu es quam ego ; tu enim tribuisti mihi bona ; ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicasti hodie quæ feceris mihi bona : quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, et non occideris me. Quis enim cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me. Et nunc quia scio quod certissime regnaturus sis : et habiturus in manu tua regnum Israel, jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. Et juravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam, et David et viri ejus ascenderunt ad tutiora loca.

[*Cap.* XXV.] Mortuus est autem. Samuel, et congregatus est universus Israel, et planxerunt eum, et sepelierunt eum in domo sua in Rama [*Vulg.* Ramatha]. Consurgensque David descendit in desertum Pharan. [T. LXX.] Erat autem vir quispiam in solitudine [h. in Maon *habet*, *non* in solitudine] Maon, et possessio ejus in Charmelo, et homo ille magnus nimis : erantque ei oves tria millia, et mille capræ, et accidit, ut tonderetur grex ejus in Charmelo. Nomen autem viri illius Nabal, et nomen uxoris ejus Abigail. Eratque mulier illa prudentisssima et speciosa : porro vir ejus durus, et pessimus et malitiosus ; erat autem de genere Chaleb. Cum ergo audisset David in deserto, quod tonderet Nabal gregem suum, misit decem juvenes [h. pueros], et dixit eis : Ascendite in Charmelum, et venietis ad Nabal, et salutabitis eum ex nomine meo pacifice. Et dicetis sic Fratribus meis [1] [h. Et dicetis sic : Fratres mei], et tibi, pax, et domui tuæ pax, et omnibus, quæcunque habes, sit pax. Audivi quod tonderent pastores tui [h. *tondentes tui*, *nunc pastores* qui fuerunt tibi], qui erant [2] nobiscum *in deserto* [h. non habet] : nunquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit illis quidquam de grege, omni tempore quo fuerunt nobiscum in Charmelo. Interroga pueros tuos, et indicabunt tibi. Nunc ergo inveniant pueri [*Vulg. add.* tui] gratiam in oculis tuis : in die enim bona venimus. Quodcunque invenerit manus tua, da servis tuis, et filio tuo David. : [T. LXXI.] Cumque venissent pueri David, locuti sunt Nabal omnia verba hæc ex nomine David, et siluerunt. Respondens autem Nabal pueris David, ait : Quis est David ? et quis est filius Isai, hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos. Tollam ergo panes meos, et aquas meas, et carnes pecorum quæ occidi, tonsoribus meis, et dabo viris quos nescio unde sint? Regressi sunt itaque pueri David per viam suam, et reversi venerunt, et nuntiaverunt ei omnia verba [h. verba hæc] quæ dixerat. Tunc David ait viris suis : Accingatur unusquique gladio suo. Et accincti sunt singuli gladio suo [3], accinctusque est et David ense suo ; et secuti sunt David quasi [*Vulg. tacet* quasi]

[1] Ms. Veronens. Cum Vulgatis, *Dicetis : sit fratribus meis*, etc Hebræorum tamen dissentiente, in quo est *Sic*, sub alia interpunctione.

[2] Quo placet scholiastæ, *fuerunt*, ms. quoque Veronens. præfert.

[3] Hæc pericope, *Et accincti sunt singuli gladio suo*, quæ totidem est in Hebræo verbis, in Veronens. ms. desideratur; et quanquam putare malim, Latini antiquarii errore ob earumdem vocum *gladio suo* repetitionem ex hoc ejus apographo decidisse ; velim tamen animadveritas, eam neque in Vaticano exemplari Græco τῶν LXX haberi, neque

quadringenti viri : porro ducenti remanserunt ad sarcinas. Abigail autem uxori Nabal nuntiavit unus de pueris, dicens : Ecce misit David nuntios de deserto, ut benedicerent domino nostro (*Ms.* vestro); et aversatus est eos. Homines isti, boni satis fuerunt nobis, et non molesti : nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo sumus conversati cum eis in deserto ; pro muro erant nobis tam in nocte quam in die, omnibus diebus quibus pavimus apud eos greges. Quamobrem considera, et recogita [1] quid facias : quoniam completa est malitia adversus virum tuum, et adversus domum tuam (h. adversus dominum *nostrum et* adversus *omnem* domum *suam*), et ipse filius est Belial, ita ut nemo ei possit loqui. Festinavit agitur Abigail, et tulit ducentos panes, et duos utres vini, et quinque arietes coctos, et quinque sata polentæ, et centum ligaturas uvæ passæ (h. *et centum uvas* passas), et ducentas massas caricarum, et imposuit super asinos ; dixitque pueris suis : Præcedite me ; ecce ego post tergum sequar vos : viro autem suo Nabal non indicavit. Cum ergo ascendisset asinum, et descenderet (*ms.* descendisset) ad radices montis, David et viri ejus descendebant in occursum ejus ; quibus et illa occurrit. Et ait David : Vere frustra servavi omnia, quæ hujus erant, in deserto, et non periit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant, et reddidit mihi malum pro bono. Hæc faciat Deus inimicis David ; et hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad eum pertinent usque mane [2], mingentem ad parietem. Cum autem vidisset Abigail David, festinavit, et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram, et cecidit ad pedes ejus, et dixit : In me sit (h. est), domine mi, hæc inquitas : loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis ; et audi verba famulæ tuæ. Ne ponat, oro, dominus meus *rex* (h. non habet) cor suum super virum istum iniquissimum Nabal (h. super virum istum Belial Nabal) : quia secundum nomen suum stultus est, et est stulitia cum eo (h. quia secundum nomen suum ita est. Nabal nomen ejus est; et stultitia cum eo) : ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos (h. non habet tuos), domine mi [3], quos misisti. Nunc ergo, domine mi, vivit Dominus, et vivit anima tua, qui prohibuit te ne venires in A sanguine, et salvavit manum tuam tibi : et nunc fiant sicut Nabal inimici tui, et qui quærunt domino meo malum. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo ; et da pueris et qui sequuntur te dominum meum. Aufer (h. obliviscere) iniquitatem famulæ tuæ : faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris : malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. Si enim surrexit (*ms.* surrexerit) aliquando homo persequens te, et quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita, *quasi* (h. non habet) in fasiculo viventium, apud Dominum Deum tuum : porro anima inimicorum tuorum rotabitur, quasi in impetu et circulo fundæ. Cum ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia B quæ locutus est bona de te, et constituerit te ducem super Israel, non erit tibi hoc in singultum, et in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris : et cum benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ. Et ait David ad Abigail : Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum, et benedictum eloquium tuum, et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, ut ulciscerer e manu mea. Alioquin vivit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me ne malum facerem tibi [4] : nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam, mingens ad parietem. Suscepit ergo David de manu ejus omnia (h. non habet, omnia) C quæ attulerat ei, dixitque ei : Vade pacifice [5] in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, et honoravi (h. assumpsi) faciem tuam. Venit autem Abigail ad Nabal : et ecce erat ei convivium in domo ejus, quasi convivium regis, et cor Nabal jucundum : erat enim ebrius nimis ; et non indicavit ei verbum pusillum aut grande usque in mane. Diluculo autem cum digessisset vinum Nabal, indicavit ei uxor sua verba hæc, et emortuum est cor ejus intrinsecus, et factus est quasi lapis. (T. LXXII.) Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, et mortuus est. Quod cum audisset David mortuum Nabal, ait : Bededictus Dominus, qui judicavit causam opprobrii mei de manu Nabal et servum suum custodivit a malo, et malitiam Nabal

D

in aliis optimæ notæ, ad quæ nuperæ editiones Lipsiensis anni 1647 et Franequeriana 1709 sunt expressæ.

[1] Ms. Veronens : *et vide* Hebræo וראי pressius.

[2] Pro *mane* legit Veronens. ms. *canem* : quæ lectio tametsi ab Hebræo בכר cæterisque libris omnibus dissentiat, non incongrua tamen est, aut glossatorem indoctum sapit. Nempe cum disputatum tantopere sit inter eruditos, num verbis *mingentem ad parietem* mares seu viri, quibus illud pro more convenit, an canes significentur, quæ trita sermone proverbii est phrasis, cum quis ita se nemini parsurum minatur, ut ne canem quidem, cui mingere ad parietem insitum est a natura, vivum relinquat : noster antiquarius (neque enima Si interprete contendere ausim ita scriptum) suum alteri sententiæ calculum addit, in quam et me jam diu concessisse, ultro profiteor. Simile quid Vopiscus de Aureliano tradit, qui in urbis Thianæ populum iratus, hoc se obstrinxint jurejurando, *Canem in hoc oppido non relinquam*, quo omnes deleturum se plane homines sacramento indixit postea tantæ motus internecionis miseratione, ad verberum sonum emollivit, et omnes quotquot occurrerent in urbe, canes cædi jussit.

[3] In Veronens. ms. et Vulgatis, *domine mi* Hebraice אדני.

[4] In Veron. ms, *prohibuit me malum facere tibi* Hebr. uno verbo, מדרע *a malefaciendo*.

[5] Idem ms., *in pace* : cum Hebr. לשלום.

reddidit Dominus in caput ejus. [T.LXXIII]. Misit ergo David, et locutus est ad Abigail, ut sumeret eam sibi in uxorem. Et venerunt pueri David ad Abigail in Charmelum; et locuti sunt ad eam, dicentes : David misit nos ad te, ut accipiat te sibi in uxorem.Quæ consurgens adoravit prona in terram, et ait : Ecce famula tua sit in ancillam ut [*ms.*et] lavet pedes servorum domini mei. Et festinavit,et surrexit Abigail,et ascendit super asinum, et quinque puellæ ierunt cum ea,pedissequæ ejus, et secuta est nuntios David ; et facta est illi uxor. Sed et Ahinoem accepit David de Jezrael ; et fuit utraque uxor ejus. [T. LXXIV]. Saul autem dedit Michol [h. Michal] filiam suam, uxorem David, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

[*Cap.* XXVI]. Et venerunt Ziphæi ad Saul in [*ms.* d.]. Gabaa, dicentes : Ecce David [h. Num David] absconditus est in colle Achilæ,quæ est ex adverso solitudinis. Et surrexit Saul,et descendit in desertum Ziph, et cum eo tria millia virorum de electis Isaael,ut quæreret David in deserto Ziph. Et castrametatus est Saul in Gabaa Achilæ,quæ erat ex adverso solitudinis in via : David autem habitabat in deserto. [T. LXXV]. Videns autem quod venisset Saul post se in desertum, misit exploratores, et didicit quod venisset [*Vulg. add.* illuc] certissime. Et surrexit Davit [*Vulg. add.* clam], et venit ad locum ubi erat Saul [h. ubi castrametatus erat Saul]: cum vidisset locum in quo dormiebat Saul, et Abner fillus Ner, princeps militiæ ejus, Saulem dormientem in tentorio, et reliquum vulgus per circuitum ejus,ait David ad Achimelech Getthæum [*ms.* Cætheum], et Abisai filium Sarviæ, fratrem Joab, dicens : Quis descendet mecum ad Saul in castra ? Dixitque Abisai : Ego descendam tecum. Venerunt ergo David et Abisai ad populum nocte, et invenerunt Saul jacentem et dormientem in tentorio ; et hastam fixam in terra ad caput ejus : Abner autem et populum dormientes in circuitu ejus [h. Et ecce Saul jacebat et dormiebat in tentorio ; et hasta fixa in terra ad caput ejus, Abner autem et populus dormiebant in circuitu ejus]. Dixitque Abisai ad David : Conclusit Deus hodie inimicum tuum in manus tuas : nunc ergo perfodiam cum lancea in terra semel, et secundo opus non erit. Et dixit David ad Abisai : Ne interficias eum : quis enim extendit manum suam in christum Domini, et innocens erit [h. fuit] ? Et dixit David : Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium descendens perierit ; propitius mihi sit Dominus [h. absit a me a Domino] ne extendam manum meam in christum Domini. Nunc igitur tolle hastam quæ est ad caput ejus, et scyphum aquæ, et abeamus. Tulit ergo David hastam, et scyphum aquæ, qui [*ms.* quæ] erat ad caput Saul, et abierunt; et non erat quisquam qui videret et intelligeret, et evigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos. Cumque transisset David ex adverso, et stetisset in vertice montis de longe,et esset grande intervallum [h.grandis locus] inter eos : clamavit David ad populum,et ad Abner filium Ner, dicens : Nonne respondebis,Abner ? Et respondens Abner, ait : Quis es tu, qui clamas [h. qui clamas ad regem], et inquietas regem ? Et ait David ad Abner : Nunquid non vir tu es ? et quis alius similis tui in Israel ? quare ergo non custodisti dominum tuum regem ? ingressus est enim unus de turba,ut interficeret regem dominum tuum. Non est bonum hoc, quod fecisti : vivit Dominus, quoniam filii mortis estis vos, qui non custoditis dominum vestrum, christum Domini. Nunc ergo vide ubi sit hasta regis, et ubi scyphus aquæ, qui erat ad caput ejus. [T. LXXVI]. Cognovit autem Saul vocem David,et dixit : Num vox tua est hæc, fili mi David ? et dixit [1] David : Vox mea, domine mi rex. Et ait : Quam ob causam Dominus meus persequitur servum suum ?Quid feci ? aut quod est in manu mea malum ? Nunc ergo audi, oro,domine mi rex, verba servi tui : Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium ; si autem filii hominum,maledicti sunt in conspectu Domini : quia ejecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes ; Vade, servi diis alienis.Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino : quia egressus est rex Israel,ut [*ms.* et] quærat pulicem unum, sicut persequitur perdix in montibus. Et ait Saul : Peccavi, revertere, fili mi David : nequaquam enim ultra male tibi faciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie [*ms tacet* hodie] : apparet quod stulte egerim, et ignoraverim multa nimis. Et respondens David, ait : Ecce hasta regis : transeat unus de pueris [*Vulg. add.* regis], et tollat eam. Dominus autem retribuet unicuique secundum justitiam suam et fidem: tradidit enim te Dominus hodie in manu mea, et nolui levare manum meam in christum Domini. Et sicut (h. Et ecce sicut) magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, et liberet me de omni angustia. Ait ergo Saul ad David : Benedictus tu, fili mi David : equidem faciens facies, et potens poteris. Abiit autem David in viam suam, et Saul reversus est in locum suum.

(*Cap.* XXVII). Et ait David in corde suo : Aliquando incidam uno die in manus Saul : nonne melius est ut fugiam,et salver in terra Philisthinorum, et desperet Saul, cessetque me quærere in cunctis finibus Israel ? fugiam ergo manus ejus.Et surrexit David, et abiit ipse, et sexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch regem Geth. Et habitavit David cum Achis in Geth : ipse et viri ejus,vir

[1] Verbum *dixit* hic ms. Veron. prætermittit : econtrario mox addit *rex* verbis *Dominus meus* : Hebræo tamen non assentiente.

et domus ejus, et David, et duæ uxores ejus, Ahinoem Jezrahelitis, et Abigail uxor Nabal Charmeli (h. Charmelitis). Et nuntiatum est Sauli quod fugisset David in Geth, et non addidit ultra ut quæreret eum. Dixit autem David ad Achis : Si inveni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in una urbium [1] regionis hujus,ut habitem ibi : cur enim manet servus tuus in civitate regis (h. regni) tecum ? Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg : propter quam causam facta est Siceleg regum Juda, usque in diem hanc. Fuit autem numerus dierum, quibus habitavit David in regione Philisthinorum, quatuor mensium [2] (h. quatuor, menses et dies). Et ascendit David, et viri ejus, et agebant prædas de Gesuri, et de Gezri [3], et de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur usque ad terram Ægypti. Et percutiebat David omnem (h. non habet omnem) terram, nec relinquebat viventem virum et mulierem : tollensque oves, et boves, et asinos, et camelos, et vestes, revertebatur, et veniebat ad Achis. Dicebat autem ei Achis : In quem irruisti [4] (h. irruistis) hodie ? Respondebatque David : Contra meridiem Judæ, et contra meridiem Jerameel, et contra meridiem Ceni. Virum et mulierem non vivificabat David, nec adducebat in Geth, dicens : Ne forte loquantur adversum nos : Hæc fecit David : et hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitavit in regione Philisthinorum. Credidit ergo Achis David, dicens : Multa mala operatus est (h. fœtere fecit) contra populum suum Israel : erit igitur mihi servus sempiternus.

(*Cap.* XXVIII). Factum est autem in diebus illis, congregaverunt Philisthim agmina sua, ut præparentur ad bellum contra Israel : dixitque Achis ad David : Sciens nunc scito, quoniam mecum egredieris in castris tu et viri tui. Dixitque David ad Achis : Nunc scies quæ facturus est servus tuus. (T. LXXVII). Et ait Achis ad David : Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus. Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israel, et sepelierunt eum in Rama (*Vulg.* Ramatha) urbe sua. Et Saul abstulit magos et hariolos de terra. Congregatique sunt Philisthim, et venerunt, et castrametati sunt in Sunam : congregavit autem et A Saul universum Israel, et venit in Gelboe (*ms.* Gelbuc). Et vidit Saul castra Philisthim, et timuit, et expavit cor ejus nimis.Consuluitque Dominum, et non respondit ei neque per somnia, neque per sacerdotes (h.per doctrinam), neque per prophetas. (T. LXXVIII). Dixitque Saul servis suis : Quærite mihi mulierem habentem pythonem,et vadam ad eam, et sciscitabor per illam. Et dixerunt servi ejus ad eum : Est mulier habens pythonem in En-Dor. Mutavit ergo habitum suum : vestitusque est aliis vestimentis, et abiit ipse, et duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte,et ait : Divina mihi in pythone,et suscita mihi quem dixero tibi. Et ait mulier ad eum : Ecce, tu nosti quanta fecerit (*ms.* fecit) Saul, et quomodo eraserit magos et hariolos de terra : quare ergo insidiaris animæ B meæ, ut occidar ? Et juravit ei Saul in Domino, dicens : Vivit Dominus, quia non veniet tibi quidquam mali propter hanc rem. Dixitque ei mulier : Quem suscitabo tibi ? Qui ait : Samuelem suscita mihi. Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, et dixit ad Saul : Quare imposuisti mihi (h. decepisti me ?) Tu es enim Saul. Dixitque ei rex : Noli timere : quid vidisti ? Et ait mulier ad Saul : Deos vidi ascendentes de terra. Dixitque ei : Qualis est forma ejus ? Quæ ait : Vir senex ascendit,et ipse amictus est pallio. Intellexit Saul quod Samuel esset, et inclinavit se super faciem suam in terra,et adoravit. Dixit autem Samuel ad Saul : Quare inquietasti (*ms.* inquietas) me ut suscitarer ? Et ait Saul : Coarctor nimis : siquidem C Philisthim pugnant adversum me, et Deus recessit a me, et exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia : vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel : Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te, et transierit ad æmulum tuum ? Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, et scindet regnum (*Vulg. add.* tuum) de manu tua, et dabit illud proximo tuo David : quia non obedisti voci Domini,neque fecisti iram furoris ejus in Amalech. Idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. Et dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philisthim : cras enim tu filii tui mecum eritis : sed et castra Israel tradet Dominus in manus Phili-

[1] Secunda manu scriptum est in canone, *In una urbium circa agros.* Cæteri omnes ms. codices legunt juxta quod editum est : idque præstat male emendatæ lectieni in textu Canonis. MART.

[2] Codex vetustissimus Corbeiensis n. 13, addit verbum, *quasi*, id est, *quasi quatuor mensium.* In Hebræo scriptum legitur ימים וארבעה חדשים,*iamim vearbaa khodaschim*, quod interpretatur *dies et quatuor menses.* Porro Syrus et Arabs per *dies* annum intelligunt : hinc apud eos reperire est : *Fuitque numerus dierum quibus commoratus est David in terra Philisthæorum, anni et quatuor mensium*, sive ut apud Chaldæum, *dies tempus in tempore et quatuor menses.* Contra nuperi critici docent hoc loco *dies* non posse accipi pro *anno* vel *annis*; quia David non nisi post mortem Samuelis descendit in D regionem Philisthinorum. Mors autem Samuelis præcessit mortem Saulis septem duntaxat mensibus. Itaque juxta illos scriptores, aliquot dies cum quatuor mensibus David commoratus est in illa regione Philisthinorum. MART.

[3] Ita Canon emendatus, et codex Corb. n. 13 prima manu. Alii corrupte legunt *Gedri* aut *Gethri.* Quin et hodiernus Hebræus præpostero litterarum ordine scriptum habet גרזי, *Girzi*, vel *Gerzi* pro גזרי *Gezri.* Monet tamen *Ceri* Massoretharum legendum,et nos edidimus ad fidem mss.Latinorum. MART.

— Veronens. quoque ms. cum plerisque aliis penes Martianæum, *Gedri* : minus bene.

[4] Cum Hebræo scholiaste, ipsoque textu, habet et Veronen. ms. plurium numero, *irruistis.*

sthim. Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim valde [*ms. et Vulg. tacent* valde] verba Samuelis, et robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa [h. illa, et tota nocte]. Ingressa est itaque mulier ad Saul, et vidit quia conturbatus erat valde, dixitque ad eum [1] : Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, et posui animam meam in manu mea : et audivi sermones tuos, quos locutus es ad me. Nunc igitur audi et tu vocem ancillæ tuæ, et ponam coram te buccellam panis, ut [*ms.* et] comedens convalescas, et possis iter facere. Qui renuit, et ait : Non comedam. Coegerunt autem eum servi sui et mulier, et tandem audita voce eorum, surrexit de terra, et sedit super lectum. Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, et festinavit, et occidit eum; tollensque farinam, miscuit eam, et coxit azyma, et posuit ante Saul et ante servos ejus. Qui cum comedissent, surrexerunt, et ambulaverunt per totam noctem illam [h. in illa nocte].

[*Cap.* XXIX.] Congregata sunt ergo Philisthim universa agmina in Aphee; sed et Israel castrametatus est super fontem qui erat in Jezrael. Et satrapæ quidem Philisthim incedebant in centuriis et millibus : David autem et viri ejus erant in novissimo agmine cum Achis. Dixeruntque principes Philisthim [*Vulg. add.* ad Achis] : Quid sibi volunt Hebræi isti [h. Quid Hebræi isti]? Et ait Achis ad principes Philisthim : Num ignoratis David, qui fuit servus Saul regis Israel, et est apud me multis diebus, vel annis [h. An non iste David servus Saul regis Israel, qui est apud me diebus vel annis, et non inveni in eo quidquam, ex die qua transfugit ad me, usque ad diem hanc? [T. LXXIX.] Irati sunt autem adversus eum principes Philisthim, et dixerunt ei : Revertatur vir, et sedeat in loco suo, in quo constituit eum, et non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis adversarius, cum præliari cœperimus : quomodo enim aliter placare poterit dominum suum, nisi in capitibus, nostris? Nonne iste est David, cui cantabant per choros [2], dicentes : Percussit Saul in millibus suis, et David in decem millibus suis? Vocavit ergo Achis David, et ait ei : Vivit Dominus, quia rectus es tu, et bonus in conspectu meo; et exitus tuus, et introitus tuus mecum est in castris [h. vivit Dominus, quia rectus es tu, et bonus in conspectu meo, exitus tuus et introitus tuus mecum in castris] et non inveni in te quidquam mali, ex die qua venisti ad me, usque in diem hanc : sed satrapis non places. Revertere ergo, et vade in pace, et non [*ms.* offendes] offendas oculos satraparum Philisthim. Dixitque David ad Achis : Quid enim feci, et quid invenisti in me servo tuo [h. in servo tuo], a die qua fui in conspectu tuo usque ad diem hanc, ut non [3] veniam, et pugnem contra inimicos domini mei regis? Respondens autem Achis, locutus est ad David : Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei : sed principes Philisthim dixerunt : Non ascendet nobiscum in prælium. Igitur consurge mane tu, et servi domini tui, qui venerunt tecum : et cum de nocte surrexeritis et cœperit dilucescere, pergite. [T. LXXX.] Surrexit itaque *de nocte* [h. non habet] David ipse et vir ejus, ut proficiscerentur mane, et reverterentur ad terram Philisthim : Philisthim autem ascenderunt in Jezrael.

[*Cap.* XXX.] Cumque venissent David et viri ejus in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant [4] ex parte australi in Siceleg [h. in partem australem, et in Siceleg], et percusserant Siceleg, et succenderant eam igni. Et captivas duxerunt mulieres ex ea, a minimo usque ad magnum : et non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, et pergebant itinere suo. Cum ergo venisset David et viri ejus ad civitatem, et invenissent eam succensam igni, et uxores suas, et filios suos, et filias ductas esse captivas, levaverunt David et populus qui erat cum eo, voces suas, et planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ. Siquidem et duæ uxores David captivæ ductæ fuerant, Ahinoem Jezraelites, et Abigail uxor Nahal Charmel. Et contristatus est David valde : volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima uniuscujusque viri super filiis suis et filiabus : confortatus est autem David in Domino Deo suo. Et ait ad Abiathar sacerdotem filium Abimelech : Applica ad me ephod. Et applicavit [*ms.* applicuit] Abiathar ephod ad David, et consuluit David Dominum, dicens : Persequar latrunculos hos, et comprehendam eos, an non? [h. non habet, an non?] Dixitque ei Dominus [5] : Persequere : absque dubio enim comprehendes eos, et excuties prædam. [T. LXXXI.] Abiit ergo David ipse, et sexcenti viri qui erant cum eo, et venerunt usque ad torrentem Besor [*ms.* Bosor] : et lassi quidam substiterunt [h. reliqui vero... substiterunt]. Persecutus est autem David ipse, et quadringenti viri : substiterant enim ducenti, qui lassi

[1] Canonem Hebraicæ veritatis, et aliud optimum Bibliorum exemplar ms. Corbeiense n. 1 secuti sumus : idipsum quoque legitur in Hebræis voluminibus. Cæteri omnes mss. codices perturbatam exhibent lectionem, et confusum omnino sensum : sic enim habent : *Ingressa est itaque mulier ad Saul, et ait : Conturbatus enim erat valde : dixitque ad eum, etc.* MART.

— Veronens. ms., *tota nocte illa*; Hebræus utramque habet, et *tota die illa*, et *tota nocte*. Mox quoque idem ms. verbis, *et vidit quia*, prætermissis, continuo legit cum Vulgatis, *conturbatus enim erat*.

[2] Omittit hic quoque Veronens. ms. verba *per choros*, quæ in Hebræo tamen sunt במחלות.

[3] Excidit negandi particula a Veronens. ms., quæ tamen in Hebræo est. לא.

[4] Ms. Veronens. *fecerunt*, et consequenter *percusserunt, succenderunt, duxerunt*.

[5] Nomen *Dominus*, neque ms. Veronens. neque ipse Hebr. textus hic habet.

transire non poterant torrentem Besor [h.qui jussi fuerant ne transirent torrentem Besor]. Et invenerunt virum Ægyptium in agro, et adduxerunt eum ad David : dederuntque ei panem ut comederet, et biberet aquam, sed et fragmen massæ caricarum, et duas ligaturas [h. duas passas] ovæ passæ. Quæ cum comedisset, reversus est spiritus ejus, et refocillatus est : non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus et tribus noctibus. Dixit itaque ei David : Cujus es tu ? vel unde ? quo pergis ? [h. non habet, quo pergis ?] Qui ait : Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ : dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius. Siquidem nos erupimus ad australem partem [*Vulg.* plagam] Cherethi, et contra Judam, et ad meridiem Chaleb, et Siceleg succendimus igni. Dixitque ei David : Potes me ducere ad istum cuneum ? Qui ait : Jura mihi per Deum, quod non occidas me, et non tradas me in manum domini mei, et ducam te ad cuneum istum [1]. Qui cum duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ, comedentes et bibentes, et quasi festum celebrantes diem [h. non habet, diem], pro cuncta præda, et spoliis quæ ceperant de terra Philisthim, et de terra Juda. Et percussit eos David a vespere usque ad vesperam alterius diei, et non evasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, et fugerant. Eruit ergo David omnia quæ tulerant Amalecitæ, et duas uxores suas eruit. Nec defuit quidquam [*ms.* quisquam] a parvo usque ad magnum, tam de filiis quam de filiabus, et de spoliis; et quæcunque rapuerant, omnia reduxit David. Et tulit universos greges et armenta, et minavit ante faciem suam : dixeruntque : Hæc est præda David. Venit autem David ad ducentos viros qui lassi substiterant [2], nec sequi potuerant David, et residere eos jusserat [h. qui jussi fuerant ne pergerent cum David : et residere eos jusserant] in torrente Besor : qui egressi sunt obviam David et populo, qui erat cum eo. Accedens autem David ad populum, salutavit eos pacifice. Respondensque omnis vir pessimus et iniquus, de viris qui ierant cum David d Quia non venerunt nobiscum, non dabimu quidquam de præda quam eruimus : sed sul unicuique uxor sua et filii : quos cum accep recedant. Dixit autem David : Non sic facieti tres mei, de his quæ tradidit Dominus nobis, e stodivit nos, et dedit latrunculos qui eruperan versum nos in manus nostras : nec audie quisquam super sermone hoc. Æqua enim erit descendentis ad prælium, et remanent sarcinas, et similiter divident [h. simul divi Et factum est hoc ex die illa, et deinceps con tum et præfinitum, et quasi lex in Israel usq diem hanc. Venit ergo David in Siceleg, et dona [h. *non habet* dona] de præda senio Juda proximis suis dicens : Accipite benedicti [h. Ecce vobis benedictio] de præda hostium mini : his qui erant in Beth-El, et qui in Ra [*ms.* Ramath] ad meridiem, et qui in Jether, e in Aroer, et qui in Sephamoth, et qui in Esth et qui in Rachal, et qui in urbibus Jerameli, e in urbibus Ceni, et qui in Arama [*ms.* Rame qui in lacu Asan, et qui in Athach, et qui in Hel et reliquis qui erant in his locis, quibus comr tus fuerat David ipse, et viri ejus.

[*Cap.* XXXI.] Philisthim autem pugnabant versum Israel : et fugerunt viri Israel ante fa Philisthim, et ceciderunt interfecti [h. vuln In monte Gelboe. Irrueruntque Philisthim in et in filios ejus, et percusserunt Jonathan, et nadab, et Melchisue, filios Saul. [T. LXXXII. tumque pondus prælii versum est in Saul [h gravatum est etiam prælium in Saul] : et cons sunt eum viri sagittarii, et vulneratus est vehe ter a sagittariis. Dixitque Saul ad armigerum s Evagina gladium tuum, et percute me : ne veniant incircumcisi isti et interfeciant me, dentes mihi. Et noluit armiger ejus, fuerat nimio timore perterritus. Arripuit itaque Sau dium, et irruit super eum. Quod cum vi armiger ejus, videlicet quod mortuus esset irruit etiam ipse super gladium suum, et mo

[1] Addunt Vulgati, *Et juravit ei David.*

[2] Auctor quæstionum seu traditionum Hebraicarum in libros Regum non probat Latinam versionem hujus loci, quam negat esse convenientem cum Hebr. veritate, dicens : « Cum in Latinis codicibus legatur, lassos quosdam substitisse ad sarcinas ; et in Hebr. habeatur, jussus fuisse ut residerent ad sarcinas : locus hic monstrat, Hebraicam veritatem in hoc sequi debere, quæ non lassos, sed jussos remansisse ad sarcinas, dicit fuisse. Ait enim ita : *Æqua pars erit descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas.* Non ait : *Qui lassi remanserunt ad sarcinas :* quia si lassi remansissent, nulla eis deberetur de prædis portio. » At pace non indocti hujus scriptoris dicere fas sit, optime legi in Latinis codicibus juxta Hebraicam veritatem, *Qui lassi substiterant*, etc. Verbum enim פגרו *piggeru*, Latine redditur, *lassi fuerunt*, vel *debiles facti sunt*, sive etiam *pigriores fuerunt*, præ fiota scilicet lassitudine, quam simulabant, ne pergerent cum David. Præterea cum David jusserit eos residere ad impedim id est, ad sarcinas, jure bellantium portio p eis debebatur, quamvis obtentu lassitudinis aut fictæ remansissent in torrente Besor. Cæt peculiare est scriptori jam laudato, atque scl sti Canonis Hebraicæ veritatis, ut verbum *piggeru*, interpretentur *jussi fuerunt*. Nemo est, quod sciamus, Hebræorum aut hebraizar recentiorum, qui hujusmodi significantiam ex serit ex radice פגר, *pigger*, sive *phagar ;* sed o consentiunt in Latinam interpretationem Hiero Igitur non improbabilis exsistit conjectura, eumdemque auctorem habuisse quæstione dictæ in libros Regum, et scholia Canonis veritatis ; maxime quod totum opus quæsti seu traditionum Hebraicarum contextum in tur e scholiis marginalibus ejusdem Canonis veritatis. Recolat ea lector quæ supra scrip in nostris Prolegomenis. MART.

est cum eo. Mortuus est ergo Saul, et tres filii ejus, et armiger illius, et universi viri ejus in die illa pariter. Videntes autem viri Israel, qui erant trans vallem, et trans Jordanem, quod fugissent viri Israelitæ, et quod mortuus esset Saul et filii ejus, reliquerunt civitates suas et fugerunt : veneruntque Philisthim, et habitaverunt ibi. Facta autem die altera, venerant Philisthim, ut exspoliarent interfectos, et invenerunt Saul et tres filios ejus jacentes in monte Gelboe. Et præciderunt caput Saul, et exspoliaverunt eum armis : et miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, ut annuntiarent in templo idolorum suorum [1], ei in populis. Et posuerunt arma ejus in templo Astaroth, corpus vero suspenderunt in muro Beth-San. Quod cum audissent habitatores Jabes Galaad, quæcunque [h. *non habet* cunque] fecerant Philisthim Saul, surrexerunt omnes viri fortissimi, et ambulaverunt tota nocte, et tulerunt cadaver Saul, et cadavera filiorum ejus, de muro Beth-San : veneruntque Jabes [*Vulg. add.* Galaad], et combusserunt ea ibi : et tulerunt ossa eorum, et sepelierunt in nemore Jabes, et jejunaverunt septem diebus.

[1] Tacet Veronens. ms. *suorum*, quod tamen addit Hebræus textus.

LIBER II SAMUELIS [1].

[*Cap.* I.] Factum est autem, postquam mortuus est Saul, ut David reverteretur a cæde Amalec, et maneret in Siceleg dies duos. In die autem tertia, apparuit homo veniens de castris Saul, veste conscissa, et pulvere aspersus caput, et ut venit ad David, cecidit super faciem suam, et adoravit. Dixitque ad eum David : Unde venis ? Qui ait ad eum : De castris Israel fugi. Et dixit ad eum David ; Quod est verbum quod factum est ? indica mihi. Qui ait : Fugit populus ex prælio, et multi corruentes e populo mortui sunt, sed et Saul et Jonathan filius ejus interierunt. Dixitque David ad adolescentem [h. puerum], qui nuntiabat ei : Unde scis quia mortuus est Saul, et Jonathan filius ejus ? Et ait adolescens, qui narrabat ei. Casu veni in montem Gelboe, et Saul incumbebat super hastam suam, porro currus et equites appropinquabant ei [2], et conversus post tergum suum, vidensque me vocavit Cui cum respondissem : Adsum, dixit mihi : Quisnam es tu ? Et aio ad eum : Amalecites sum. Et locutus est mihi : Sta super me, et interfice me, quoniam tenent me angustiæ, et adhuc tota anima mea in me est. Stansque super eum, occidi illum : sciebam enim quod vivere non poterat post ruinam, et tuli diadema quod erat in capite ejus, et armillam de brachio illius, et attuli ad te dominum meum huc. Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo, et planxerunt, et fleverunt, et jejunaverunt usque ad vesperam super Saul, et super Jonathan filium ejus, et super populum Domini, et super domum Israel, quod corruissent gladio. [T. LXXXIII.] Dixitque David ad juvenem qui nuntiaverat ei : Unde es ? Qui respondit : Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum. Et ait ad eum David : Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres christum Domini ? Vocansque David unum de pueris [*Vulg, add.* suis], ait : Accedens irrue in eum. Qui percussit eum, et mortuus est. Et ait ad eum David : Sanguis tuus super caput tuum : os enim tuum locutum est adversum te, dicens : Ego interfeci christum Domini. Planxit autem David planctum [h. planxit autem David lamentatione [hujuscemodi super Saul et super Jonathan filium ejus. [Et præcepit ut docerent filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro Justorum [3] [h. Et dixit, ut doceret filios Juda

[1] Monet hic scholiastes noster, quantum conjicere nobis licet ex his litterarum vestigiis, apud Hebr. primum Samuelis librum indivisum esse a secundo Id antea docuit S. Hieronymus in præfatione ad libros Samuel et Malachim, id est ad Regum libros quatuor : quanquam, ut ipse ibidem observat, a plerisque libri illi duplices haberentur. Canon Hebraicæ veritatis pro uno habet duos libros Samuelis, ut probant capitulorum sive titulorum numeri una ac continua serie adnotati. MART.

— Nulla inscriptio, nec alia distinctionis a superiori libro nota in Veronensi est ms., quam quod prioris hujus verba minio infecit antiquarius, qui et adnotavit in libri albo, *In antiquis exemplaribus hic incipit liber secundus.* Nempe versionum ex Græco τῶν LXX, quæ ante Hieronymianam obtinebant, antiqua exemplaria vocat : monetque iisdem verbis, in nova versione, quam ex Hebræo Hieronymus cudit, nosterque hic exhibet ms., unum esse ad archetypi normam Samueli librum. Idipsum monuisse scholiastes voluit, quod et Martianæus adnotationis vestigiis conjecit. Sed et S. ipse Pater idem in prologo docuit, nihilque fere est dubium, rejecta veteri distinctione, sui illum exemplaris seriem continuasse. Nec eam tamen revocare nunc demum est animus, sed lectorem hac de re monuisse sit satis.

[2] Non habet *ei* Veronens. ms., quod tamen in Hebræo sonat.

[3] Diximus (*hujus edit. col.* 525 *not.* [1]) quid de *libro Justorum* Hieron. scripserit : quoniam autem plura adhuc de eodem volumine hoc loco dicenda promisimus, superest ut Raban. Maurum capite 1 Comment. in II lib. Regum ita disserentem audiamus : « Quod vero sequitur, inquit, sicut scriptum est in libro Justorum, etc. Ipsum librum hodie nusquam, neque apud ipsos Hebræos inveniri posse asseverant ; sicut nec librum Bellorum Domini, cujus in libro Numerorum mentio est : neque carmina Salomonis, neque disputationes ejus sa-

arcum.Ecce scriptum est in libro Justorum]. Inclyti [1], Israel, super montes tuos [h.super excelsa tua] interfecti sunt : quomodo ceciderunt fortes? Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne forte lætentur filiæ Philisthim, ne exsultent filiæ incircumcisorum. Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant [*Ms.* veniat] super vos, neque sint agri primitiarum, quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo. A sanguine interfectorum, ab adipe fortium,sagitta Jonathan nunquam rediit retrorsum,et gladius Saul non est reversus inanis. Saul et Jonathan amabiles et decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi, aquilis velociores, leonibus fortiores. Filiæ Israel, super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta [2] aurea cultui vestro. Quomodo ceciderunt fortes in prælio : Jonathan in excelsis tuis occisus est. Doleo super te, frater mi Jonathan, decore nimis [h. decor enim], et amabilis super amorem mulierum [3] [*ms.* mulieris]. Quomodo ceciderunt robusti, et perierunt arma bellica?

[*Cap.* II.] Igitur post hæc consuluit David Dominum,dicens: Num ascendam in unam de civitatibus Juda? Et ait Dominus ad eum : Ascende. Dixitque David : Quo ascendam? Et respondit ei : In Hebron. Ascendit ergo David, et duæ uxores ejus, Ahinoem Jezraelites, et Abigail uxor Nabal Charmeli : sed viros, qui erant cum eo, duxit David singulos,cum domo sua, et manserunt in oppidis Hebron. [T. EXXXIV.] Veneruntque viri Juda, et unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Juda. Et nuntiatum est David, quod viri Jabes Galaad sepelissent Saul. Misit ergo David nuntios ad viros Jabes Galaad, dixitque ad eos : Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelistis eum. Et nunc retribuet quidem vobis Dominus misericordiam et veritatem : sed et ego reddam gratiam,eo quod feceritis verbum istud. [T. LXXXV.] Confortentur manus vestræ,et estote filii fortitudinis. Licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me unxit domus Juda regem sibi. Abner autem filius Ner, princeps excercitus Saul, tulit Hisboset filium Saul, et circumduxit eum per castra [h.in mahnaim,quod interpretatur, castra], regemque constituit super Galaad et super Gesuri [h. Assuri], et super Jezrael, et super Ephraim,et super Benjamin,et super Israel universum Quadraginta annorum erat Hisboseth filius Saul, cum regnare cœpisset super Israel,et duobus annis regnavit : sola autem domus Juda sequebatur David. Et fuit numerus dierum quos commoratus est David, imperans in Hebron super domum Juda, septem annorum, et sex mensium. Egressusque est Abner filius Ner, et pueri Hisboseth filii Saul, de castris [h.de mahnaim] in Gabaon. Porro Joab filius Sarviæ, et pueri David egressi suut, et occurerunt eis juxta piscinam Gabaon. Et cum in unum convenissent,e regione sederunt,hi ex una parte piscinæ, et illi ex altera. Dixitque Abner et Joab : Surgant pueri, et ludant coram nobis. Et respondit Joab : Surgant. Surrexerunt ergo et transierunt numero duodecim de Benjamin,ex parte Hisboseth filii Saul et duodecim de pueris David. [T. LXXXVI.] Apprehensoque unusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarii, et ceciderunt simul; vocatumque est nomen loci illius : Ager robustorum, in Gabaon. Et ortum est bellum durum satis [*ms. tacet* satis] in die illa, fugatusque est Abner, et viri Israel, a pueris [h. a viris] David. Erant autem ibi tres filii Sarviæ,Joab,et Abisai,et Asael : porro Asael cursor velocissimus fuit [h.porro Asael velocissimus in pedibus fuit], quasi unus ex capreis quæ morantur in silvis [h. in agris]. Persequebatur autem Asael Abner, et non declinavit ad dexteram neque [*ms.*sive] ad sinistram omittens persequi Abner. Respexit itaque Abner post tergum suum,et ait : Tune es Asael? Qui respondit : Ego sum. Dixitque ei Abner : Vade ad dexteram, sive ad sinistram, et apprehende unum de adolescentibus [h. de pueris], et tolle tibi spolia ejus. Noluit

---

pientissimas de lignorum natura, herbarumque omnium,itemque jumentorum,volucrum,reptilium et piscium. Vel quod in libro Verborum dierum dicitur : Reliqua vero operum Salomonis priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Ahiæ Silonitis : in visione quoque Addo videntis, contra Jeroboam filium Nabat,et multa hujusmodi volumina,quæ scriptura quidem fuisse probat scripta, sed hodie constat non esse. Vastata namque a Chaldæis Judæa, et Bibliotheca antiquitus congregata inter alias provinciæ opes hostili est igne consumpta : ex qua pauci qui nunc in S. Scriptura continentur libri, postmodum Ezræ pontificis et prophetæ sunt industria restaurati. » Hæc Rabanus verbo ad verbum desumpsit e libro *Quæstionum* triginta Bedæ in libro Regum. Quodque sequitur apud Rabanum : « Sunt tamen,qui dicunt hunc librum Justorum intelligi debere ipsum librum Regum,ubi continentur prophetæ justi, Samuel videlicet, Gad et Nathan : in quorum libro scriptum est,qualiter Saul recedens a timore Domini, per inobedientiam suam periit. »

Hoc, inquam, scriptum reperitur in quæstionibus seu traditionibus Hebr.in libros Regum,quæ vulgo Hieronymo ascriptæ referuntur. *Liber Justorum*, ait falsus ille Hieronymus, *liber Samuelis est, ubi continentur prophetæ justi*, etc. Ex illa nunc sententiarum varietate satis liquet, æque diversas exstitisse de libro Justorum opiniones apud veteres ecclesiasticos scriptores,ac eas,quæ modo obtinent apud criticos recentiores : et quod præcipue observari velim, diversum esse ab Hieronymo, Beda, et Rabano Mauro scholiastem Canonis Hebr. veritatis auctoremque *Quæstionum Hebraicarum* in libros Regum. MART.

[1] Addunt Vulgati, *Et ait : Considera, Israel, pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati :* quæ nec Hieronymiani codices, neque Hebræus ipse textus habet.

[2] In Veronens. ms., *indumenta.*

[3] Addunt Vulgati, *Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam*; quæ nedum Hieronymiani mss., juxta Hebræum exemplar, sed et ipsa editio τῶν LXX ignorat.

autem Asael omittere, quin ugeret eum. Rursumque locutus est Abner ad Asael : Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, et levare non potero faciem meam ad Joab fratrem tuum. Qui audire contempsit, et noluit declinare. [T. LXXXVII.] Percussit ego eum Abner aversa hasta in inguine, et transfodit eum [*ms. tacet* eum] et mortuus est in eodem loco : omnesque qui transibant per locum in quo ceciderat Asael et mortuus erat, subsistebant. Persequentibus autem Joab et Abisai fugientem Abner [h. post Abner], sol occubuit, et venerunt usque ad Collem aquæ ductus, qui est ex adverso vallis itineris deserti in Gabaon. Congregatique sunt filii Benjamin ad Abner, et conglobati [*ms.* congregati] in unum cuneum, steterunt in summitate tumuli unius. Et exclamavit Abner ad Joab et ait : Num usque ad internecionem tuus [h. *non habet* tuus] mucro desæviet? an ignoras quod periculosa sit desperatio? [h. an ignoras quod amarus erit finis?] usquequo non dicis populo, ut omittat persequi fratres suos, et ait Joab : Vivit Deus si locutus fuisses mane recessisset populus persequens fratrem suum. Insonuit ergo Joab buccina, et stetit omnis exercitus [h. populus], nec persecuti sunt ultra Israel, neque iniere certamen. Abner autem et viri ejus abierunt per campestria, tota nocte illa, et transierunt Jordanem, et lustrata omni Beth-Oron, venerunt ad castra [ad mahnaim]. Porro Joab reversus, omisso Abner, congregavit omnem populum et defuerunt de pueris David decem et novem viri, excepto Asaele. Servi autem David percusserunt de Benjamin, et de viris qui erant cum Abner, trecentos sexaginta viros [1], qui et mortui sunt. Tuleruntque Asael, et epelierunt eum in sepulcro patris sui in Beth-Leem, et ambulaverunt tota nocte Joab et viri qui erant cum eo, et in ipso crepusculo pervenerunt in Hebron.

[*Cap.* III.] Facta est ergo longa concertatio inter domum Saul et inter domum David : David proficiens [*Vulg.* proficiscens], et semper seipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie. [T. LXXXVIII.] Natique sunt filii David in Hebron : fuitque primogenitus ejus Amnon de Ahinoem Jezraelitide, et post eum Cheleab de Abigail uxore Nabal Charmeli : porro tertius Absalom, filius Maacha filiæ Tholmai regis Gesur. Quartus autem Adonias, filius Aggith, et quintus Saphatia, filius Abital. Sextus quoque Jethraam, de Agla uxore David. Hi nati sunt David in Hebron. Cum ergo esset prælium inter domum Saul et domum David, Abner *filius Ner* [h. *non habet*] regebat domum Saul. Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Aja. Dixitque Hisboseth [2] ad Abner : Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Hisboseth, ait : Nunquid caput canis ego sum adversum Judam hodie, qui fecerim misericordiam super domum. [h. hodie feci misericordiam super domum] Saul patris tui, et super fratres et proximos ejus, et non tradidit te in manu David : et tu requisisti in me quod argueres pro muliere hodie? Hæc faciat Deus Abner, et hæc addat ei, nisi quomodo juravit Dominus David, sic faciam cum eo, ut transferatur regnum de domo Saul, et elevetur thronus David super Israel, et super Judam, a Dan usque Ber-Sabee. Et non potuit respondere ei quidquam, quia metuebat illum. Misit ergo Abner nuntios ad David pro se dicens. Cujus est terra? Et ut loquerentur : Fac mecum amicitias [h. fœdus], et erit manus mea tecum, et reducam ad te universum Israel. Qui ait : Optime : ego tecum faciam amicitias [h. fœdus] sed unam rem peto a te, dicens : Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol filiam Saul, et sic venies, et videbis me. Misit autem David nuntios ad Hisboseth filium Saul dicens : Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis Philisthim. Misit ergo Hisboseth, et tulit eam a viro suo [non habet, suo] Phaltiel, filio Lais. Sequebaturque eam vir suus, plorans usque Bahurim, et dixit ad eum Abner : Vade, revertere. Qui reversus est. Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israel, dicens : Tam heri quam nusdiustertius quærebatis David, ut regnaret super vos. Nunc ergo facite, quoniam Dominus locutus est ad David dicens : In manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philistim et omnium inimicorum ejus. Locutus est autem Abner etiam ad Benjamin. Et abiit ut loqueretur ad David in Hebron, omnia quæ placuerant Israeli et universo Benjamin. Venitque ad David in Hebron cum viginti viris, et fecit David Abner et viris ejus qui venerant cum eo convivium. Et dixit Abner ad David : Surgam ut congregem ad te dominum meum regem [h. Surgam et vadam, ut congregem ad dominum meum regem] omnem Israel, et ineant [3] tecum fœdus, et imperes omnibus, sicut desiderat anima tua. Cum ergo deduxisset David Abner, et ille isset in pace, statim pueri [h. servi] David et Joab venerunt, cæsis latronibus, cum præda magna nimis. Abner autem non erat cum David in Hebron, quia jam dimiserat eum, et profectus fuerat in pace. Et Joab, et omnis exercitus qui erat cum eo, postea venerant. Nuntiatum est itaque Joab, a narrantibus : Venit Abner filius Ner ad regem, et dimisit eum, et abiit in pace. Et ingressus est Joab ad regem.

[1] Tacet ms. Veronens. *viros*, quod et Vulgati faciunt.

[2] S. Hieronymus libro *de Nominibus Hebraicis* docuit nos legendum esse *Hisboseth* cum aspiratione; cum enim e libro secundo Regum recensuisset quatuor ista nomina. *Hiram, Histob, Hiras, Hisboseth*, hanc addiit observationem : *Idcirco cum aspiratione hæc nomina apposuimus, quia apud Hebræos et apud Græcos per diphtongum scribuntur.* Quid ad præsentem adnotationem hodierni Hebr. grammatici respondebunt, qui negant ullam diphthongum esse in lingua Hebraica? MART.

[3] Iterum cum Vulgatis et Græco ms. Veronens., *ineum*.

et ait : Quid fecisti? Ecce venit Abner ad te : quare A dimisisti eum, et abiit et recessit? Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te[1], ut decideret te ,et sciret exitum tuum et introitum tuum, et nosset omnia quæ agis? egressus itaque Joab a David, misit nuntios post Abner, et reduxit [h. et reduxerunt] eum a cisterna Sira, ignorante David. Cumque rediisset Abner in Hebron,seorsum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loqueretur ei, in dolo [T.LXXXIX.] Et percussit illum ibi in inguine, et mortuus est in ultionem sanguinis Asael fratris ejus. Quod cum audisset David rem jam gestam[2], ait : Mundus ego sum, et regnum meum, apud Dominum usque in sempiternum a sanguine Abner filii Ner, et veniat super caput Joab et super omnem domum patris ejus : nec deficiat de domo Joab B fluxum seminis sustinens,et leprosus, tenens fusum, et cadens gladio, et indigens pane. Igitur Joab et Abisai frater ejus interfecerunt Abner, eo quod occidisset Asael fratrem eorum in Gabaon, in prælio. Dixit autem David ad Joab et ad omnem populum qui erat cum eo : Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante exsequias Abner : Porro rex David sequebatur feretrum. Cumque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex [*Vulg. add.* Oavid] vocem suam, et flevit [h. planxit] super tumulum Abner; flevit [h. planxit] autem et omnis populus. Plangensque rex et lugens[3] [h. lamentans] Abner, ait : Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner.Manus tuæ non sunt ligatæ et pedes tui non sunt compedibus aggravati : sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis C [*Vulg. addunt* sic] corruisti. Congeminansque omnis populus flevit [h. planxit] super eum. Cumque venisset universa multitudo [h. universus *populus*] cibum capere cum David, clara[4] adhuc die, juravit David, dicens : Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si ante occasum solis gustavero panem vel aliud quidquam. Omnisque populus audivit[h. cognovit], et placuerunt eis cuncta quæ fecit rex in conspectu [h. in oculis] totius populi. Et cognovit omne vulgus et universus Israel in die illa, quoniam non actum fuisset a rege ut occideretur Abner filiusNer. Dixit quoque rex ad servos suos : Num ignoratis quoniam princeps et maximus cecidit hodie in Israel? Ego autem adhuc delicatus, et unctus [h. Ego hodie *tener*, et unctus] rex; porro viri isti filii D Sarviæ duri sunt mihi : retribuat Dominus facienti malum juxta malitiam suam.

[*Cap.* IV.] Audivit autem [*Vulg. addunt* Hisboseth] filius Saul, quod cecidisset Abner in Hebron. et dissolutæ sunt manus ejus, omnisque Israel perturbatus est. Duo autem viri[5] principes lat erant filio Saul nomen uni Baana, et nomen Rechab, filli Remmon Berothitæ de filiis Ben siquidem et Beroth reputata [*ms.* reportata] Benjamin. Et fugerunt Berothtæ in Getthain runtque ibi advenæ usque in tempus illud.[Erat autem Jonathæ filio Saul filius debilis pe quinquennis enim fuit, quando venit nunt Saul et Jonathan ex Jezrael. Tollens itaqu nutrix sua, fugit; cumque festinaret ut fuger cidit, et claudus effectus est; habuitque vobal Miphiboseth. [T. XCI.] Venientes igitur filii mon Berothitæ. Rechab et Baana, ingressi fervente die Domum Hisboseth : qui dorı super stratum suum meridie[6]. Ingressi sunt domum assumentes spicas tritici, et percus eum in inguine Rechab et Baana frater e fugerunt. Cum autem ingressi fuissent domı dormiebat super lectulum suum in conclavi, cutientes interfecerunt eum sublatoque capit abierunt per viam deserti tota nocte, et attu caput Hisboseth ad David in Hebron : dixerı ad regem : Ecce caput Hisboseth filii Saul i tui qui quærebat animam tuam, et dedit Do domino meo regi ultiones [*Vulg.* ultionem] ho Saul, et semine ejus [T. XCII.] Respondens David Rechab, et Baana fratri ejus, filiis mond Berothitæ, dixit ad eos : Vivit Dominı eruit animam meam de omni augustia; qu eum, qui annuntiaverat mihi, et dixerat : M est Saul, qui putabat se prospera nuntiare, et occidi [*Vulg. addunt* eum] in Siceleg, cui tebat me [*Vulg. tacent* me] dare mercede nuntio. Quanto magis nunc, cum homines interfecerint virum innoxium, in domo sua, lectulum suum, non quæram sanguinem ej manu vestra, et auferam vos de terra? Pr itaque David pueris [*Vulg. addunt* suis], et i cerunt eos : præcidentesque manus et pedes suspenderunt eos super piscinam in Hebron autem Hisboseth tulerunt, et sepelierunt in chro Abner in Hebron.

[T. XCIII. *Cap.* V.]. Et venerunt universæ Israel ad David in Hebron, dicentes : Ecce tuum et caro tua sumus. Sed et heri et nud tius, cum esset Saul rex super nos, tu eras e et reducens Israel : dixit autem Dominus ad pasces populum meum Israel, et tu eris du Israel. Venerunt quoque senes [h. omnes se Israel ad regem in Hebron, et percussit cum David fœdus in Hebron coram Domino; unı que David in regem super Israel. Filius t

[1] Voculas *ad te*, quæ neque in Hebræo sunt,ignorat Veronens. ms.

[2] Rectissime Veronens. ms. habet, *re jam gesta* : quod est in Hebræo *vostea* מאחרי כן et in Græco μετὰ ταῦτα.

[3] Abest iterum a Veronens. cod, *et lugens*, quod neque in Hebræo resonat.

[4] Satis contentiose ad Hebræum exemplar respuit ms. Veronens. vocem *clara*. Nempe est ibi *adhuc in die*.

[5] Hic ms. Veronens. tacet *viri* : mox *Banı* stanter legi pro *Baana*. Hebr. בענה.

[6] Addunt Valgati : *Et ostiara domus purgı ticum obdormivit* : quæ ad Hebræi archtypi ms. quoque Hieronymiani ignorant.

n erat David, cum regnare cœpisset, et qua-
ı annis regnavit. In Hebron regnavit super
eptem annis et sex mensibus : In Jerusalem
egnavit triginta tribus annis super omnem
, Judam. Et abiit rex, et omnes viri qui
m eo, in Jerusalem, ad Jebusæum habitato-
æ ; dictumque est ad David ab eis : Non
ıris huc, nisi abstuleris cæcos, et claudos
: Non ingredietur David huc. Cepit autem
rcem Sion : hæc est civitas David. Proposue-
David in die illa præmium, qui percussisset
ım, et tetigisset domatum fistulas, et clau-
cæcos odientes animam David (h. Et dixit
la David, qui percusserit Jebusæum, et
fistulam, et claudos et cæcos odientes ani-
vid). Idcirco dicitur in proverbio : Cæcus
us non intrabunt templum. (h. domum) Ha-
ıutem David in arce, et vocavit eam civi-
avid, et ædificavit per gyrum a Mello et in-
s. Et ingrediebatur proficiens [1] atque suc-
s, et Dominus Deus exercituum erat cum eo.
V.) Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad
ıt ligna cedrina, et artifices lignorum, arti-
lapidum ad parietes, et ædificaverunt do-
avid. Et cognovit David quoniam confirmas-
irmasset eum Dominus regem super Israel.
iam exaltasset regnum ejus super (h. pro-
pulum suum Israel. Accepit ergo David adhuc
nas et uxores de Jerusalem, postquam ve-
: Hebron. (T. XCV.) Natique sunt David
lhuc) alii filii et filiæ, et hæc nomina eorum
sunt ei in Jerusalem, Samua, et Sobab,
ın, et Salomon, et Ibabar et Elisua, et Ne-
: Japhia, et Elisama, et Eliada (*ms.* Elida),
elet. Audieruntergo Philisthim quod unxis-
vid in regem super Israel, et ascenderunt
i ut quærerent David ; quod cum audisset
lescendit in præsidium. Philisthim autem
es diffusi sunt in valle Raphaim. Et consu-
id Dominum, dicens : Si ascendam ad Phi-
? et si dabis eos in manu mea? Et dixit
s ad David : Ascende, quia tradens dabo Phi-
in manu tua. Venit ergo David in Baal Pha-
t percussit eos ibi, et dixit : Divisit Domi-
ıicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ.
ea vocatum est nomen loci illius, Baal-Pha-
t reliquerunt ibi sculptilia sua ; quæ tulit
it viri ejus. Et addiderunt adhuc Philisthim
ıderunt, et diffusi sunt in valle Raphaim.
it autem David Dominum : qui respondit :

A Non ascendas [2] (*Vulg. addunt* contra eos), sed gyra post tergum eorum, et venies ad eos ex adverso pyrorum (h. flentium). Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum (h. flentium), tunc inibis prælium ; quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat [3] castra Philisthim. Fecit itaque David sicut ei præceperat Dominus, et percussit Philisthim, de Gabee usque dum venias Gezer. [4].

(T. XCVI, *Cap.* VI.) Congregavit autem rursum David omnes electos ex Israel triginta millia. Surrexitque (*Vulg. ad* David) et abiit, et universus populus qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubim super
B eam. Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum : tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa : Oza autem et Ahio filii Abinadab, minabant plaustrum novum. Cumque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam. David autem et omnis Israel ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, et citharis et lyris et tympanis et sistris et cymbalis. Postquam autem venerunt ad Arcam Nachon, Oza extendit manum ad arcam Dei et tenuit eam : quoniam calcitrabant boves [5]. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate : qui mortuus est ibi juxta arcam Dei. Contristatus est autem David,
C eo quod percussisset (h. divisisset) Dominus Ozam, et vocatum est [6] nomen loci illius, percussio (h. divisio) Oza, usque in diem hanc. Et extimuit David Dominum in die illa, dicens : Quomodo ingredietur ad me arca Domini ? Et noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David : sed divertit eam in domum Obed-Edom Getthæi. Et habitavit arca Domini in domo Obeb-Edom Getthæi tribus mensibus, et benedixit Dominus Obed-Edom, et omnem domum ejus. Nuntiatumque est regi David : Benedixit (*Vulg.* quod benedixisset) Dominus Obed-Edom, et omnia ejus, propter arcam Dei. Abiit ergo David, et adduxit arcam Dei de domo Obed-Edom in civitatem David cum gaudio [7]. Cumque transcendissent qui portabant arcam Domini sex passus, immolabant bovem et arietem, et David saltabat totis viribus ante Dominum. Porro David accinctus erat ephod lineo [8].
D Et David omnis domus Israel ducebant arcam testamenti (h. *non habet* testamenti) Domini, in jubilo et in clangore buccinæ. Cumque intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per

Veronens ; *proficiscens*, fortasse pressius הנוך
sum addunt Vulgati : *Si ascendam contra eos, et tradas eos in manus meas* ? quæ nec s habet, nec Hieronymianæ versionis co-

Veronens., *ut percutias*. Hebr., indefinite, *tiendum*.
n ms., *cum venies Gazer*.
ati addunt, *Et declinaverunt eam*, quod comma Hebræus et mss. Hieronymiani ignorant.

[6] Veronens ms., *Et vocavit*, rectius ad Hebræum ויקרא

[7] In Vulgatis adduntur verba, *et erant cum David septem chori, et victima vituli*, quæ neque in Hebræou sunt, eque in Hieronymianis antiquis codicibus·

[8] Conne·ne qæ de ephod lineo leguntur apud Hieronymum in epistola, quam ad Marcellam superius scriptam diximus. MART.

fenestram, vidit regem David subsilientem atque saltantem coram Domino, et despexit eum in corde suo. Et introduxerunt arcam Domini, et posuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi quod tetenderat ei David, et obtulit David holocausta coram Domino, et pacifica. Cumque complesset offerens holocaustum et pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum. Et partitus est multitudini universæ Israel, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam (h. laganam panis unam), et assaturam bubulæ carnis unam, et similam frixam oleo, et abiit omnis populus, unusquisque in domum suam. Reversusque est David ut benediceret domui suæ, et egressa Michol filia Saul in occursum David, ait : Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris. Dixitque David ad Michol : Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, et quam omnem domum ejus, et præcepit mihi ut essem dux super populum Domini in Israel, et ludam, et vilior flam plusquam factus sum, et ero humilis in oculis meis, et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. (T. XCVII.) Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque ad diem mortis suæ.

(*Cap.* VII.) Factum est autem cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis, dixit ad Nathan prophetam : Videsne quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium ? Dixitque Nathan ad regem : Omne quod est in corde tuo, vade, fac : quia Dominus tecum est. (T. XCVIII.) Factum est autem in illa nocte, et ecce sermo Domini ad Nathan, dicens : Vade et loquere ad servum meum David : Hæc dicit Dominus : Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum ? Neque enim habitavi in domo ex die illa, qua eduxi [1] filios Israel de terra Ægypti, usque in diem hanc : sed ambulabam in tabernaculo, et in tentorio. Per cuncta loca, quæ transivi cum omnibus filiis Israel, nunquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel, cui præcepit ut pasceret populum meum Israel, dicens : Quare non ædificastis mihi domum cedrinam ? Et nunc hæc dices servo meo David : Hæc dicit Dominus exercituum : Ego tuli te de pascuis sequentem gregem, ut esses dux super populum meum Israel, et fuit tecum in omnibus ubicunque ambulasti, et interfeci universos inimicos tuos a facie tua ; fecique tibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra. Et ponam locum populo meo Israel, et plantabo eum, et habitabit sub eo, et non turbabitur amplius; nec addent filii iniquitatis ut affligant eum sicut prius, ex die qua constitui judices super populum meum Israel, et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis. Prædicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus. Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus ; ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem. et ipse erit mihi in filium ; qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auteram ab eo sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea [2]. Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum, usque in æternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter. Secundum omnia verba hæc, et juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David. (T. XCIX.) Ingressus est autem rex David, et sedit coram Domino, et dixit : Qui ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque ? Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo (h. in oculis tuis), Domine Deus, nisi loqueris etiam de domo servi tui in longinquum ; ista est enim lex Adam (h. hominis, Domine Deus. Quid ergo addere poterit adhuc David ut loquatur ad te ? Tu enim scis servum tuum, Domine Deus (h. Domine. Domine.) Propter verbum tuum, et secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, ita ut notum faceres servo tuo. Idcirco magnificatus es, Domine Deus (h. Domine, Domine), quia non est similis tui, neque enim est Deus exte te, in omnibus quæ audivimus auribus nostris. Quæ est autem, ut populus tuus Israel, gens (h. una) in terra, propter quam ivit Deus, ut redimeret eam sibi in populum, et poneret sibi nomen, faceretque *eis* magnalia, et horribilia, super terram, a facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, et deum ejus (h. gentibus et diis earum). Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum sempiternum, et tu, Domine (*Vulg. addunt* Deus), factus es eis in Deum. Nunc ergo, Domine Deus (h. non habet Deus), verbum [4] quod locutus es super ser-

[1] Ms. Veronens. *ex die qua eduxi*, Hebræo pressius.

[2] Omnino rectius *a facie tua* præfert Veronens. ms. juxta Hebræum מלפניך.

[3] LXX, similiter. *Domine, mi Domine.* In Hebr. scriptum habet אדני יהוה, idque legitur juxta puncta vocalia Massoretharum : *Adonai Elohim*, non ut imperitiores existimant, *Adonai Jehova. Eloim* autem semper *Deus* interpretatur : bene igitur S. Hieronymus Latine reddit, *Domine Deus* ; cui etiam consentiunt Orientalium interpretes, Chaldæus, Syrus et Arabs. Nec dissimulare possumus scholiastem Canonis Hebr. veritatis hallucinatum fuisse in adnotatione immediate sequenti, quia Hebr. non habet ibi אדני יהוה, quod utcunque pateremur interpretatum, *Domine, Domine*, sed scriptum legimus hoc eodem loc אדני אלהים *Adonai Elohim*, quod significat, *Domine Deus.* MART.

— Hebræum ipsum scholiasten reprehendit Martianæus, cum scriptum hic sit in Hebræo אדני יהוה, quod ex Massoretharum præcepto legendum est, *Adonai Elohim* : max vero ipsis verbis אדני אלהים. Diximus suspicari nos scholiastem has adnotationes non ea Hebræo archetypo, sed ex Latino quopiam codice derivasse, in quo nonnula ex LXX versione veteri insederint.

[4] Abest quoque hoc apud LXX nomen Dei : Καὶ νῦν, Κύριέ μου, ῥῆμα, etc.; id est,

vum tuum et super domum ejus, suscita in sempiternum : et fac sicut locutus es, ut (*ms.* et) magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, atque dicatur : Dominus exercituum, Deus super Israel. Et domus servi tui David erit stabilita coram Domino (h. coram te), quia tu, Domine exercituum Deus Israel, revelasti aurem servi tui, dicens : Domum ædificabo tibi ; propterea invenit servus tuus cor suum, ut oraret te (*ms. tacet* te) oratione hac. Nunc ergo, Domine Deus, tu es Deus, et verba tua erunt vera : locutus es enim ad servum tuum bona hæc. Incipe igitur, et benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum coram te : quia tu, Domine Deus, locutus es, et benedictione tua benedicetur domus servi tui in sempiternum.

(T. C, *Cap.* VIII.) Factum est autem post hæc, percussit David Philisthim, et humiliavit eos, et tulit David frenum tributi de manu Philisthim. Et percussit Moab, et mensus est eos funiculo, coæquans terræ; mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum (h. mensus est autem duos funiculos ad occidendum, et unum ad vivificandum) ; factusque est Moab David, serviens sub tributo (h. est Moab David serviens, ferens munera). Et percussit David Adadezer [1] filium Roob, regem Soba, quando profectus est ut dominaretur super flumen Euphratem. Et captis David ex parte ejus mille septingentis equitibus, et viginti millibus peditum, subnervavit omnes jugales curruum; dereliquit autem ex eis centum currus. Venit quoque Syria Damasci, ut præsidium ferret Adadezer regi Soba ; et percussit David de Syria viginti duo millia virorum. Et posuit David præsidium in Syria Damasci, factaque est Syria David serviens sub tributo (h. serva ferens munera); servavitque (h. salvavit) Dominus David in omnibus ad quæcunque profectus est. Et tulit David torques aures [2], quas habebant servi Adadezer, et detulit eas in Jerusalem. Et de Bete et de Berothai (*ms.* Beroth), civitatibus Adadezer, tulit rex David æs multum nimis. Audivit autem Thou (h. Thoi) rex Emath, quod percussisset David omne [3] robur Adadezer, et misit Thou (h. Thoi) Joram filium suum ad regem David, ut salutaret eum congratulans, et gratias ageret eo quod expugnasset (h. et benediceret eum eo quod pugnasset) Adadezer, et percussisset eum. (T. Cl.) Hostis quippe erat Thou Adadezer, et in manu ejus erant vasa aurea, et vasa argentea, et vasa ærea : quæ et ipsa sanctificavit rex David Domino cum argenteo et auro quæ sanctificaverat de universis gentibus quas subegerat, de Syria, et Moab, et filiis Ammon, et Philisthim, et Amalec, et de manubiis Adadezer filii Roob (*ms.* Roboth) regis Soba. Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur capta Syria in valle Salinarum, cæsis decem et octo millibus [4] ; et posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium : et facta est universa Idumæa serviens David. Et servavit (h. salvavit) Dominus David in omnibus ad quæcunque profectus est. Et regnavit David super omnem Israel : faciebat quoque David judicium et justitiam omni populo suo. Joab autem filius Sarviæ erat super exercitum : porro Josaphat filius Ahilud erat a commentariis : et Sadoch filius Ahitob, et Abimelech [5] filius Abiathar, erant sacerdotes : et Saraias, scriba ; Banaias autem filius Joiadæ, super Chere-

Et nunc, Domine mi, verbum, etc. Exstat tamen in hodierno Hebr. textu, ועתה יהיה אלהים, *Veatta Adonai Elohim*, quod transfertur in Latinum sermonem, *Et nunc, Domine Deus*. Restat itaque nisi nos fallat opinio, LXX Interpretes ac Scholiasten Canonis Hebr. verit. usos esse exemplaribus Hebr. in quibus deerat vox *Elohim* post nomen *Adonai*, aut, si placet, *Jehova*. MART.

— Hinc denuo colligere est, scholiastem non ipsum Hebræum exemplar consuluisse, est enim in Hebræo *Deus*.

[1] In editis *Adarezer* legitur : quod fluxit e LXX Interpretibus, qui legunt Ἀδραζὰρ, id est ר *Resch* pro ד *Daleth*. Hebræus cum omnibus mss. Latinis antiquioribus ac melioris notæ habet *Adadezer*. MART. — In ms. Veronens. hic *Addadeazer* : Vulgati *Adurezer*.

[2] Veronens. ms. cum Vulgatis *arma aurea, quæ*, etc., quibus et Hebræus textus, et Hexaplares Græci interpretes propius accedunt.

[3] Ad ms. Veronensis fidem, tum Hebræi textus et Græci, suffecimus hic verbum *omne*, quod deerat.

[4] Pro *decem et octo millibus*, codices sacrorum Bibliorum manuscripti legunt, *cæsis duodecim millibus* De quo disputat auctor *QQ. Hebraicarum* in libros Regum, dicens : « Et si quem movet, quod in plerisque Latinorum codicibus invenitur, David non decem et octo millia in valle Salinarum, sed duodecim millia cecidisse, noverit hoc vitio scriptorum in ejusdem codicibus inolitum esse : veraciter tamen David in eadem valle Salinarum decem et octo millia cecidit, Joab vero duodecim millia : sicut in titulo quinquagesimi octavi psalmi scribitur. » Advertat lector errorem hic esse in numero tam in editis libris quam in manuscriptis ; nam pro *quinquagesimo octavo psalmo*, legendum est, *in titulo quinquagesimi noni psalmi*, vel *sexagesimi* juxta Hebræos. MART.

— Veronensis quoque ms., quemadmodum et reliqui omnes quos Martian. consuluit magno numero, habent duntaxat *duodecim millibus* : quem errorem, scriptorum vitio inolitum Latinis codicibus jamdiu antea auctor *Quæstion. Hebraic.* in libros Regum, ab ipso Martianæo laudatus, castigaverat. Sed et Lucas Brugensis corruptam eamdem in suis mss. lectionem reperit, quam ad Hebraici exemplaris auctoritatem repudiat.

[5] Iterum corrupte legitur in Veronens. ms. *Abimelech* pro *Achimelech*. Obtinebat hic error in Græcis libris jam inde ab Eusebii temporibus, qui in psalm. XXXIII sic disserit : Ἡ τῶν βασιλειῶν γραφὴ Ἀχιμέλεχ περιέχει, ἀναλλαγῆς στοιχείου γενομένης· οὐδὲν δεῖ κινεῖσθαι· παρὰ γὰρ τὴν ὁμοιότητα τοῦ στοιχείου τοῦ Βὴθ παρ' Ἑβραίοις καλουμένου καὶ τοῦ Καὶφ διαφόρως ἐξεδόθη τ' ὄνομα· σχεδὸν γὰρ ἓν καὶ ταυτόν ἐστι τὰ δύο στοιχεῖα, βραχυτάτης κεραίας, μόνης ἐναλλαττούσης. *Regnorum scriptura Achimelech habet : ne litteræ commutatione quispiam moveatur : nam ea quæ intercedit inter litteras Beth et Chap. ut Hebræi vocant, similitudine, diverse nomen fuit : siquidem una eademque fere est duorum elementorum figura, brevissimo solum apice distinguente.* Verum ipse etiam Eusebius fallitur, neque enim per כ scribitur in Hebræo אכימלך, sed per ה, quæ una recta est scriptio, אהימלך. Subsequitur in Veronensi cod. *filius*

thi et Pheleti (h. Saraias, scriba : et Banaias filius Joiadæ, Cherethi et Phelethi) : filii autem David sacerdotes erant.

(T. CII, *Cap.* IX.) Et dixit David : Putasne est aliquis qui remansit de domo Saul, et (*ms.* ut) faciam cum eo misericordiam propter Jonathan ? Erat autem de domo Saul servus, nomine Siba : quem cum vocasset rex ad se, dixit ei : Tunc es Siba ? et ille respondit : *Ego sum* (h. non habet) servus tuus. Et ait rex. Nunquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei ? Dixitque Siba regi : Superest filius Jonathan, debilis pedibus. Ubi, inquit, est ? Et Siba ad regem : Ecce, ait, in domo est Machir filii Amiel in Lodobar. Misit ergo rex David, et tulit eum de domo Machir filii Amiel de Lodobar (*ms.* Lodabar). Cum autem venisset Miphiboseth, filius Jonathan, filii Saul, ad David, corruit in faciem suam, et adoravit. Dixitque David : Miphiboseth ? Qui respondit : Adsum servus tuus. Et ait ei David : Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Jonathan patrem tuum, et restituam tibi omnes agros Saul patris tui, et tu comedes panem in mensa mea semper. Qui adorans eum, dixit : Quis *ego sum* (h. non habet) servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei ? Vocavit itaque rex Sibam puerum Saul, et dixit ei : Omnia quæcunque fuerunt Saul, et universam domum ejus, dedi filio domini tui. Operare igitur ei terram tu, et filii tui, et servi tui : et inferes filio domini tu cibos (h. *panem*) ut alatur : Miphiboseth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam [1], Erant autem Sibæ quindecim filii, et viginti servi. Dixitque Siba ad regem : Sicut jussisti, domine mi rex, servo tuo, sic faciet servus tuus : et Miphiboseth comedet super mensam tuam (h. meam), quasi unus de filiis regis. Habebat autem Miphiboseth filium parvulum nomine Micha : omnis vero cognatio domus Sibæ serviebat Miphiboseth. Porro Miphiboseth habitabat in Jerusalem : quia de mensa regis jugiter vescebatur : et erat claudus utroque pede.

(T. CIII, *Cap.* X.) Factum est autem post hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon, et regnavit Anon [2] (h. Hanon) filius ejus pro eo. Dixitque David : Faciam misericordiam cum Anon filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum misericordiam. Misit ergo David, consolans eum per servos suos super patris interitu. Cum autem venissent servi David in terram filiorum Ammon, dixerunt principes filiorum Ammon ad Anon dominum suum : Putas quod propter honorem patris tui David miserit ad te consolatores, et non ideo ut investigaret, et exploraret civitatem, et everteret eam, misit David servos suos ad te ? Tulit itaque Anon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, et præscidit vestes medias usque ad nates, et dimisit eos. Quod cum nuntiatum esset David, misit in occursum eorum : erant enim viri confusi *turpiter*, (h. non habet) valde, et mandavit eis David (h. rex) : Manete in Jericho, donec crescat barba vestra, et tunc revertimini. Videntes autem filii Ammon quod injuriam fecissent David (h. quod fœdassent David), miserunt et conduxerunt mercede Syrum Roob (h. Syrum domus Rohob), et Syrum Soba, viginti millia peditum, et a rege Maacha mille viros et ab Histob duodecim millia virorum. Quod cum audisset David, misit Joab et omnem exercitum bellatorum. Egressi sunt ergo filii Ammon, et dixerunt aciem ante ipsum (h. *non habet* ante ipsum) in introitu portæ : Syrus autem Solia, et Roob, et Histob, et Maacha, seorsum erant in campo. Videns igitur Joab quod præparatum esset adversum se prælium, et ex adverso et post tergum, elegit ex omnibus electis Israel, et instruxit aciem contra Syrum : reliquam autem partem populi tradidit Abisa (h. Absat) fratri suo, qui direxit aciem contra filios Ammon. Et ait *Joab* (h. non habet) : Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adjutorium ; si autem filii Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi. Esto vir fortis, et pugnemus pro populo nostro, e civitate h. et civitatibus) Dei nostri ; Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo (h. in oculis suis). Iniit itaque Joab, et populus qui erat cum eo, certamen contra Syros ; qui statim fugerunt a facie ejus. Filii autem Ammon, videntes quia fugissent Syri, fugierunt et ipsi a facie Abisai, et ingressi sunt civitatem : reversusque est Joab a filiis Ammon, et venit Jerusalem. Videntes igitur Syri quoniam corruissent coram Israel, congregati sunt pariter. Misitque Adadezer [3], et eduxit Syros qui erant trans fluvium, et (h. et venerunt in Helam) adauxit exercitum eorum ; Sobach autem, magister militiæ Adadezer, erat princeps eorum. Quod cum nuntiatum esset David, contraxit omnem Israelem, et transivit Jordanem, venitque in Helam [4] ; et direxerunt aciem Syri ex adverso David, et pugnaverunt contra eum. Fugeruntque Syri a facie Israel, et occidit David de Syris septingentos currus,

Abiathar sacerdotis : iterum vitiose, nisi si passim obvia E in I litterarum mutatione, putandum est scribi pro *sacerdotes*, verbumque *erat*, elegantius prætermittitur.

[1] Manuscripti plures retinent *mensam tuam*, alii habent *mensam meam* juxta adnotationem marginalem Canonis. Videsis de illa variante lectione *Quæstiones* jam citatas suppositi Hieronymi. MART.

[2] Ms. Veronens., *et regnaret Anon.*

[3] Hic in Hebr. contextu scriptum est הדרעזר, *Adarezer* ; cum supra capite octavo legatur (cum duplici daleth, *Adadezer*, quod etiam mss. Latini retinent hoc loco. MART.

— Quoc hic effert Hebraic. exemplar per ר *Adarezer*, lactum passim obvia perquam similium litterarum ד et ר mutatione.

[4] In aliis ms. libris legimus : *Hetema* et *Helama*. Emendator vero Canonicis expunxit ultimum *a* ex *Helama*. MART.

— Veronens. ms. *Helama*, atque additur quidem hic ה in Hebræo, חלאמה.

et quadraginta millia equitum : et Sobach principem militiæ percussit : qui statim mortuus est. Videntes autem universi reges, qui erant in præsidio Adadezer, victos se ab Israel [1], fecerunt pacem cum Israel et servierunt eis, timueruntque Syri auxilium præbere ultra [*ms. tacet* ultra] filiis Ammon.

[*Cap.* XI.] Factum est autem, vertente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere [h. eo tempore quo reges ad bella processerant], misit David Joab, et servos suos cum eo, et universum Israel, et vastaverunt filios Ammon, et obsederunt Rabba ; David autem remansit [h. habitabat] in Jerusalem. [T. CIV.] Dum hæc agerentur, accidit ut surgeret David de stratu suo post meridiem, et deambularet in solario [h. Et factum est in tempore vespertino ut surgeret David de stratu suo, et deambulabat in solario] domus regiæ, viditque mulierem se lavantem, ex adverso [h. *non habet*, ex adverso] super solarium suum [h. desuper solario] : erat autem pulchra mulier valde. Misit ergo rex [h. David], et requisivit quæ esset mulier. Nuntiatumque est ei, quod ipsa esset Bethsabee filia Eliam, uxor Uriæ Hetthæi [h. Et dixit : Nonne ista est Bethsabee filia Heliam, uxor Uriæ Hetthæi]. Missis itaque David nuntiis, tulit eam. Quæ cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea : statimque sanctificata est ab immunditia sua [h. Et ipsa sanctificabat se ab immunditia sua] : et reversa est domum suam concepto fetu. Mittensque nuntiavit David, et ait : Concepi. Misit autem David ad Joab, dicens : Mitte ad me Uriam Hetthæum. Misitque Joab Uriam ad David. Et venit Urias ad David. Quæsivitque David quam recte ageret Joab, et populus, et quomodo administraretur bellum. Et dixit David ad Uriam : Vade in domum tuam, et lava pedes tuos. Et egressus est Urias de domo regis, secutusque est eum cibus regius [h. secutumque est eum munusculum regium]. Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis servis domini sui, et non descendit ad domum suam. Nuntiatumque est David a dicentibus : Non ivit Urias in domum suam. Et ait David ad Uriam : Nunquid non de via venisti ? quare non descendisti in domum tuam ? Et ait Urias ad David : Arca et Israel et Juda habitant in papi, lionibus [h. tabernaculis], et dominus meus Joab et servi domini mei super faciem terræ manent : et ego ingrediar domum meam, ut comedam, et bibam, et dormiam cum uxore mea ? per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ, non faciam [2] rem hanc (h. Vivas tu, et vivat anima tua, non faciam hanc rem). Ait ergo David ad Uriam : Mane hic etiam hodie, et cras dimittam te (h. mittam te). Mansit autem Urias in Jerusalem die illa et altera, et vocavit eum David, ut comederet coram se, et biberet, et inebriavit eum : qui, egressus vespere, dormivit in stratu suo cum servis domini sui, et in domum suam non descendit. Factum est ergo mane, et scripsit David epistolam (h. librum) ad Joab [3] ; misitque per manum Uriæ, scribens in epistola (h. in libro) : Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum prælium est : et derelinquite eum, ut percussus intereat. Igitur cum Joab obsideret urbem, posuit Uriam in loco in quo sciebat viros esse fortissimos. Egressique viri de civitate, bellabant adversum Joab, et ceciderunt de populo servorum David, et mortuus est etiam Urias Hetthæus. Misit itaque Joab, et nuntiavit David omnia verba prælii ; præcepitque nuntio, dicens : Cum compleveris universos sermones belli ad regem, si eum videris indignari, et dixerit : Quare accessistis ad murum, ut præliaremini ? an ignorabatis quod multa desuper ex muro tela mittantur ? Quis percussit Abimelech filium Jerobeset (*ms.* Hieroboseth ; *Vulg.* Jerobaal) : nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, et interfecit eum in Thebes ? quare juxta murum accessistis ? dices : Etiam servus tuus Urias Hetthæus occubuit. Abiit ergo nuntius, et venit, et narravit David omnia, quæ ei præceperat Joab. Et dixit nuntius ad David : Prævaluerunt adversum nos viri, et egressi sunt ad nos [4] in agrum : nos autem, facto impetu, persecuti eos sumus usque ad portam civitatis. Et direxerunt jacula sagittarii ad servos tuos ex muro desuper : mortuique sunt de servis regis, quin etiam servus tuus Urias Hetthæus mortuus est. Et dixit David ad nuntium : Hæc dices Joab : Non te frangat ista res : *Varius enim eventus est prælii* (h. non habet), et (h. quoniam) nunc hunc, nunc illum consumit [5] gladius : conforta bellatores tuos (h. bellum tuum) adversus urbem, ut destruas eam, et exhortare eos (h. illud). Audivit autem uxor Uriæ quod mortuus esset Urias vir suus, et planxit eum (h. lamentata est). Transactoque luctu, misit David, et introduxit eam in domum suam, et facta est ei uxor, peperitque ei filium ; et displicuit verbum hoc, quod fecerat David, coram Domino (h. in oculis Domini).

(T. CV, *Cap.* XII.) Misit ergo Dominus Nathan ad David : qui cum venisset ad eum, dixit ei : Duo viri erant in civitate una, unus dives, et alter pauper. Dives habebat oves, et boves plurimos valde. Pauper autem nihil habebat omnino, præter ovem unam parvulam, quam emerat, et nutrierat, et quæ creverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane (h. buccella) illius comedens, et de calice ejus bibens, et in sinu illius dormiens : eratque illi sicut filia (*ms.* filius). Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens ille sumere de ovibus et de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino

[1] Interserunt vugati libri hæc, *Expaverunt et fuerunt quinquaginta et octo millia, coram Israel.* Quæ Hieronymiani ms. ac textus originales nesciunt.

[2] Ms. Veronens., *quod non faciam*, Hebræa phrasis est, *si faciam.*

[3] Recentior manus in Veronens. cod. hic addit *manu sua obsignavit annulo suo*, quod glossema, si in alio usquam libro exstet, haud scio.

[4] In Veronens. ms., *egressi sunt adversum nos* : Versiones quoque aliæ, *contra nos* habent.

[5] Idem ms. *consumet*. Hebræus quoque יֹאכַל

illi, qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, et præparavit cibos homini (h. viro), qui venerat ad se. Iratus autem indignatione David adversus hominem (h. virum) illum nimis, dixit ad Nathan : Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.Ovem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, et non pepercerit. Dixit autem Nathan ad David : Tu es ille vir : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego unxi te in regem super Israel, et ego erui te de manu Saul. Et dedi tibi domum domini tui, et uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Juda ; et si parva sunt ista, adjiciam tibi majora (h. duplicia). Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo (h. in oculis ejus)? Uriam Hetthæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti tibi (*ms. tacet* tibi) uxorem, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriæ Hetthæi, ut esset uxor tua. Itaque (h. *non habet* itaque) hæc dicit Dominus : Ecce, ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus. Tu enim fecisti absconditè ; ego vero faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis. (T. CVI.) Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum : non morieris. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini [1], propter verbum hoc, filius (h. blasphemando blasphemasti inimicos Domini, propter verbum hoc, etiam et filius), qui natus est tibi, morte morietur.Et reversus est Nathan in domum suam. (T. CVII.) Percussitque Dominus parvulum, quem pepererat uxor Uriæ David, et desperatus est. Deprecatusque est David Dominum pro parvulo : et jejunavit David jejunio (*ms.* jejunium), et ingressus seorsum, jacuit super terram. Venerunt autem seniores domus ejus, cogentes cum ut surgeret de terra ; qui noluit, neque comedit cum eis cibum (h. panem).Accidit autem die septima ut moreretur infans (h. parvulus) ; timueruntque servi David nuntiare ei quod mortuus esset parvulus. Dixerunt enim : Ecce dum parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, et non audiebat vocem nostram ; quanto magis si (*ms. tacet* si) dixerimus : Mortuus est puer (h. parvulus), se affliget? Cum ergo vidisset [2] David servos suos mussitantes, intellexit quod mortuus esset infantulus (h. parvulus), dixitque ad servos suos : Num mortuus est puer (h. parvulus)? Qui responderunt ei : Mortuus est. Surrexit ergo David de terra, et lotus unctusque est. Cumque mutasset vestes, ingressus est domum Domini, et adoravit, et venit in domum suam, petivitque ut ponerent ei panem, et comedit. Dixerunt autem ei servi sui : Quis est sermo, quem fecisti? propter infantem (h. parvulum), cum adhuc viveret, jejunasti et flebas, mortuo autem puero (h. parvulo) surrexisti, et comedisti panem? Qui ait : Propter infantem (h. parvulum), dum adhuc viveret, jejunavi et flevi, dicebam enim : Quis scit si forte donet eum mihi Dominus, et vivat [3] infans (h. Quis scit si forte misereatur mei Dominus et vivet parvulus)? Nunc autem quia mortuus est, quare jejunem? Nunquid potero eum revocare amplius? ego vadam magis ad eum ; ille vero non revertetur ad me. Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam. (T. CVIII.) Ingressusque ad eam dormivit cum ea ; quæ genuit filium, et vocavit nomen ejus Salomon,et Dominus dilexit eum. Misitque in manu Nathan prophetæ, et vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus (h. Et vocavit nomen Domini propter Dominum). Igitur pugnabat Joab contra Rabbath filium Ammon, et expugnabat urbem regiam. Misitque Joab nuntios ad David, dicens : Dimicavi adversum Rabbath (h. Rabba), et capienda est urbs Aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, et obside civitatem, et cape eam ne cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo ascribatur victoria.Congregavit itaque David omnem populum, et profectus est adversum Rabba [4]. Cumque dimicasset, cepit eam. Et tulit diadema regis eorum (h. Melchom, quod interpretatur, rex eorum) de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, et impositum est super caput David. Sed et prædam civitatis asportavit multam valde ; populum quoque ejus adducens serravit et circumegit super eos ferrata carpenta ; divisitque cultris, et traduxit in typo laterum : sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon. Et reversus est David et omnis exercitus in Jerusalem.

(T. CIX, *Cap.* XIII.) Factum est autem post hæc [5], ut Absalon filii David sororem speciosis-

[1] Consule hunc locum in *Quæstionibus Hebr.* in libros Regum. MART.

[2] Cod. Veronens. *audisset*, Hebræo propior impressa est lectio.

[3] Idem ms., *Et vivet* : Hebraice etiam est יחי. Paulo quoque post, *jejuno* pro *jejunem*, pressius Hebræo, et reliquis textibus.

[4] In Hebræo רבלה ; præfert Veronens. ms. *Rabbath*.

[5] Multæ occurrunt hoc loco variantes lectiones in mss.libris. Canon legit ut nos edidimus ; Regius autem codex cum Corbeiensi uno n. 22, et altero S. Germani n. 5 : *Factum est autem post hæc, ut Absalon filio David esset soror speciosissima, vocabulo Thamar, adamaretque eam Amnon filius David, et diligeret valde ; ita ut ægrotaret propter amorem ejus.*Ita fere LXX interpretes, et sic Hebr. Major S. Germani,n.11, eumdem sensum expressit, sed aliis verbis : *Factum est autem post hæc, ut Absalon filius David, haberet sororem speciosissimam vocabulo Thamar ; adamaretque eam Amnon filius David, et diligeret eam valde ; ita ut*, etc. Colbertinæ bibliothecæ duo, et S. Germani alter legunt juxta Vulgatam Latinam versionem nostram, hoc solum excepto, *et peperiet in eam valde*,pro *deperiret eam valde*. Denique San-Germanensis noster, n. 7, le-

n, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius
, et deperiret [1] propter eam, ita ut ægrotaret
er amorem ejus: quia cum esset virgo, diffi-
i videbatur ut quidpiam inhoneste ageret cum
Erat autem Amnonis amicus nomine Jona-
filius Semmaa (*ms.* Semmai) fratris David,
udens valde. Qui dixit ad eum: Quare sic
uaris macie, fili regis, per singulos dies? cur
indicas mihi? Dixitque ei Amnon: Thamar
em Absalom fratris mei amo. Cui respondit
lab: Cuba super lectulum tuum, et languorem
la; cumque venerit pater tuus ut visitet te,
i: Veniat, oro Thamar soror mea, ut det
cibum (h. panem), et faciat pulmentum ut
dam de manu ejus. Accubuit itaque Amnon,
iasi ægrotare cœpit; cumque venisset rex
sitandum eum, ait Amnon ad regem: Veniat,
ro, Thamar soror mea, ut faciat in oculis
duas sorbitiunculas, et cibum capiam de manu
Misit ergo David ad Thamar domum, dicens:
in domum Amnon fratris tui, et fac ei pul-
um. Venitque Thamar in domum Amnon fra-
ui; ille autem jacebat; quæ tollens farinam
onspersam farinam) commiscuit; et liquefa-
, in oculis coxit sorbitiunculas. Tollensque
coxerat, effudit, et posuit coram eo, et noluit.
dere; dixitque Amnon: Ejicite universos
[2]a me. Cumque ejecissent omnes, dixit Amnon
hamar: Infer cibum in conclave, ut vescar
anu tua. Tulit ergo Thamar sorbitiunculas,
fecerat, et intulit ad Amnon fratrem suum
onclave. Cumque obtulisset ei (*ms. tacet* ei)
n, apprehendit eam, et ait: Veni, cuba mecum,
: mea. Quæ respondit ei: Noli, frater mi, noli
imere me, neque enim hoc fas est in Israel;
facere stultitiam hanc. Ego enim ferre non
o opprobrium meum, et tu eris quasi unus de
ientibus in Israel: qui potius loquere ad
m, et non negabit me tibi. Noluit autem
iescere precibus ejus, sed prævalens viri-
oppressit eam, et cubavit cum illa. Et exo-
eam habuit Amnon odio magno nimis; ita
najus esset odium quo oderat eam, amore
ante dilexerat. (T. CX.) Dixitque ei Amnon:
ge, vade. Quæ respondit ei: Majus est hoc malum
i nunc agis adversum me, quam quod ante fe-
, expellens [4]. Et noluit audire eam: sed vocato
o, qui ministrabat ei, dixit: Ejice hanc a me

A foras, et claude ostium post eam. Quæ induta erat talari tunica: hujuscemodi enim filiæ regis virgines vestibus utebantur. Ejecit itaque eam minister illius foras: clausitque fores post eam. Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens et clamans. Dixit autem ei Absalom frater suus: Num Amnon (Hic h. Aminon, quod interpretatur exsp... in aliis autem Amnon quod interpretatur fidelissimus) frater tuus concubuit tecum sed nunc, soror, tace, frater tuus est: neque affligas cor tuum pro hac re (h. non ponas hanc rem in corde tuo). Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalon fratris sui. Cum audisset autem rex David verba hæc, contristatus (h. iratus) est valde [5]. Porro non est locutus Absalom ad Amnon B nec malum nec bonum: oderat enim Absalom Amnon, eo quod violasset Thamar sororem suam [*ms.* ejus]. Factum est autem post tempus biennii, ut tonderentur oves Absalom in Baal-Asor, quæ est juxta Ephraim: et vocavit Absalom omnes filios regis, venitque ad regem, et ait ad eum: Ecce tondentur oves servi tui: veniat, oro, rex cum servis suis ad servum suum. Dixitque rex ad Absalom; Noli, fili mi, noli rogare ut veniamus omnes, et gravemus te. Cum autem cogeret eum, et noluisset ire, benedixit ei. Et ait Absalom: Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon frater meus: dixitque ad eum rex: Non est necesse ut vadat tecum (h. Cur ibit tecum?). Coegit itaque eum Absalom, et dimisit [h. misit] cum eo Amnon C et universos filios regis [6]. Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens: Observate cum temulentus fuerit Amnon vino, et dixero vobis: Percutite eum, et interficite: nolite timere; ego enim sum qui præcipio [7] vobis; robofamini, et estote viri fortes (h. viri fortitudinis). [T. CXI.] Fecerunt ergo pueri Absalom adversum Amnon, sicut præceperat eis [h. *non habet* eis] Absalom. Surgentesque omnes filii regis ascenderunt singuli mulas suas (h. mulos suos), et fugerunt. Cumque adhuc pergerent in itinere, fama pervenit ad David, dicens: Percussit Absalom omnes filios regis, et non remansit ex eis saltem unus. Surrexit itaque rex, et scidit vestamenta sua, et cecidit super terram: et omnes servi ipsius, qui assistebant ei, sciderunt D vestimenta sua. Respondens autem Jonadab filius Semmaa [*ms.* Semmai] fratris David, dixit: Ne

in sacro contextu, *et diligere eam valde*; in gine vero, *vel deperiret in eam*. His addendis beiensi major, n. 1, solus puram exhibet le- nem Vulgatæ; nam qui superest ex undecim . codicibus, quos in hoc opere contulimus, ic diversam ab aliis retinet lectionem, *et depe- t pro ea valde*. Phrasis isthæc *deperire eam*, , *deperire in eam*, minime insolens est apud ronymum, ut suis locis notabimus. MART.

[1] Cum Vulgatis Veronens. quoque ms., *et depe- et eam valde*. Hebraica phrasis longius a Latina ludit.

[2] Tacet Veron. *ei*. Hebræus nomen repetit אבנין

[3] Idem tacet hic *foras*, ferme concinnius, Hebr. מעלי, quod est ad verbum, *desuper a me*.

[4] Addit nunc cum Vulg. idem ms. *me*, ad Hebr. לשלחני.

[5] Vulgati addunt, *Et noluit contristare spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei*: quæ ignorant cum Hebræus textus, tum Hieronymianæ versionis mss.

[6] Iterum Vulgati addunt, *Feceratque Absalon convivium quasi convivium regis*: quæ frustra in Hæbræo quæras, aut in Hieronymianis mss.

[7] Cod. Veronens., *Qui præcepit* rectius ad Hebr. צויתי.

æstimet dominus meus rex [1], quod omnes pueri filii regis occisi sint: Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus, ex die qua oppressit Thamar sororem ejus. Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud, dicens: Omnes filii regis occisi sunt: quoniam Amnon solus mortuus est. Fugit autem Absalom: et levavit puer speculator oculos suos, et aspexit: et ecce populus multus veniebat per iter devium ex latere montis. Dixit autem Jonadab ad regem: Ecce filii regis adsunt: juxta verbum servi tui sic factum est. Cumque cessasset loqui, apparuerunt et filii regis: et intrantes levaverunt vocem suam, et fleverunt: sed et rex et omnes servi ejus fleverunt ploratu magno nimis. Porro Absalom fugiens, abiit ab Tholomai (h. Thalmai) filium Amiud [*ms.* Amiur] regem Gessur. Luxit ergo David filium suum cunctis diebus. Absalom autem cum fugisset, et venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis. Cessavitque David rex persequi [h. exire post] Absalom [2], eo quod consolatus esset super Amnon interitu.

[T. CXII, *Cap.* XIV.] Intelligens autem Joab filius Sarviæ quod cor regis versum esset ad Absalom, misit Thecuam, et tulit inde mulierem sapientem, dixitque ad eam: Lugere te simula, et induere veste lugubri, ne ungaris oleo; ut sis quasi mulier plurimo jam tempore lugens mortuum; et ingredieris ad regem, et loqueris ad eum sermones hujuscemodi. Posuit ergo Joab verba in ore ejus. Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terram, et adoravit [h. cecidit *super faciem suam in terram*, et adoravit], et dixit: Serva me, rex. Et ait ad eam rex: Quid causæ habes? Quæ respondit: Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus. Et ancillæ tuæ erant duo filii, qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset: et percussit alter alterum, et interfecit eum. Et ecce consurgens universa cognatio adversum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, et occidamus eum pro anima fratris sui quem interfecit, et deleamus hæredem: et quærunt exstinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen, et reliquiæ super terram (h. super faciem terræ). Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, et ego jubebo pro te. Dixitque mulier Thecuitis ad regem: In me, domine mi rex (*Vulg. addunt* sit), iniquitas, et in domum patris mei: rex autem et thronus ejus sit innocens. Et ait rex: Qui contradixerit [h. Qui locutus fuerit] tibi, adduc eum ad me, et ultra non addet ut tangat te. Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei sui, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum, et nequaquam interficiant (*ms.* interficient) filium meum. Vivit Dominus, quia non cadet de capillis super terram. Dixit ergo mulier: Loquatur tua ad dominum meum regem verbum. Loquere. Dixitque mulier: Quare cogitasti modi rem contra populum Dei, et locutus verbum istud, ut peccet, et non reducat suum? Omnes morimur, et quasi aquæ dil in terram, quæ non revertuntur [*ms.* rever nec vult Deus perire animam, sed retracta tans ne penitus pereat qui abjectus est. N tur veni, ut loquar ad dominum meum reg bum hoc, præsente populo. Et dixit ancil Loquar ad regem, si quo modo faciat rex ancillæ suæ. Et audivit rex, ut liberaret s suam de manu omnium (h. viri), qui vole hæreditate Dei delere (h. disperdere) me, e meum simul. Dicat ergo ancilla tua, ut fiat domini mei regis quasi sacrificium [h. q *requiem*]. Sicut enim angelus Dei, sic est d meus rex, ut nec benedictione, nec male moveatur [h. ut audiat *bonum et malum*]: Dominus Deus tuus (h. et Dominus) est te respondens rex, dixit ad mulierem: Ne ab a me verbum, quod te interrogo. Dixitque Loquere, domine mi rex. Et ait rex: N manus Joab tecum est in omnibus istis? Re mulier et ait: Per salutem animæ tuæ [*tuæ*], domine mi rex, nec ad sinistram, nec terum est ex omnibus his quæ locutus est nus meus rex: servus enim tuus Joab ipse pit mihi, et ipse posuit in os ancillæ tuæ verba hæc. Ut verterem figuram sermonis servus tuus Joab præcepit istud (h. fecit is autem, domine mi, sapiens es, sicut habet tiam angelus Dei, ut intelligas omnia super (T. CXIII.) Et ait rex ad Joab: Ecce placa verbum tuum (h. verbum hoc): vade ergo, voca puerum Absalom. Cadensque Joab su ciem suam in terram, adoravit et benedixit dixit Joab: Hodie intellexit servus tuus, q veni gratiam in oculis tuis, domine mi rex enim sermonem servi tui. Surrexit ergo J abiit in Gessur, et adduxit Absalon in Jeru Dixit autem [3]: Revertatur in domum suam, ciem meam non videat. Reversus est itaque lom in domum suam, et faciem regis non Porro sicut Absalom vir non erat pulcher i Israel, *et* (h. non habet) decorus nimis, a v pedis usque ad verticem non erat in eo ulla la. Et quando tondebat capillum (semel an anno tondebatur [h. Et quando tondebatur ejus [statuto autem tempore tondebatur] gravabat eum cæsaries), ponderabat capillos sui ducentis siclis pondere publico (h. regio

[1] Neque Hebræus, neque Veronens. ms. habent hic *rex*.

[2] Quid de ista persecutionis cessatione sentiendum *sit, vide, si* volueris, Traditiones Hebraicas falsi Hieronymi in Regum libros. MART.

[3] Hic vero addix *rex* Veronens. ms. rect cum Hebræo textu et Vulgatis.

sunt autem Asalom filii tres, et filiis una nomine Thamar, elegantis formæ [1], mansitque Absalom in Jerusalem duobus annis, et faciem regis non vidit. [T. CXIV.] Misit itaque ad Joab, ut mitteret eum ad regem, qui noluit venire ad eum. Cumque secundo misisset, et ille noluisset venire ad eum [2], dixit servis suis : Scitis agrum Joab juxta agrum meum, habentem messem hordei; ite igitur, et succendite eum igni. Succenderent ergo servi Absalom segetem [h. agrum] igni [3]. Surrexitque Joab, et venit ad Absalom in domum ejus, et dixit : Quare succenderunt servi tui segetem meam [h. agrum meum] igni? Et respondit Absalom ad Joab : Misi ad te obsecrans, ut venires ad me, et mitterem te ad regem, et [*ms.* ut] diceres ei : Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse; obsecro ergo, ut videam faciem regis [h. et nunc videam faciem regis] : quod si memor est iniquitatis meæ [h. *non habet* meæ), interficiat me. Ingressus Joab ad regem, nuntiavit ei vocatusque Absalom intravit ad regem [h. *In terram ad facies* regis], et A adoravit super faciem terræ coram eo, osculatusque est rex Absalom.

[*Cap.* XV.] Igitur post hæc fecit sibi Absalom currum, et equites, et quinquaginta viros qui præcederent eum [h. ante eum currerent]. Et mane consurgens Absalom, stabat juxta introitum portæ in via [4], et omnem virum, qui habebat negotium ut veniret ad regis judicium, vocabat Absalom ad se, et dicebat : De qua civitate es tu? Qui respondens aiebat : Ex una tribu Israel *ego sum* [h. non habet] servus tuus. Respondebatque ei Absalom : Videntur mihi sermones tui boni et justi. Sed non est qui te audiat constitutus a rege. Dicebatque Absalom : Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, et juste judicem? Sed et cum accederet ad eum homo [h. vir] B ut salutaret illum, extendebat manum suam, et apprehendens, osculabatur eum. Faciebatque hoc omni Israel, qui veniebat ad judicium, ut audiretur a rege, et sollicitabat corda virorum Israel. [T. CXV.] Post quadraginta autem annos [5], dixit Absalom ad

[1] Memorabilis locus propter additamentum quoddam LXX interpr. qui post hæc verba *elegantis formæ* subjungunt consequenter : *Hæc fuit in matrimonio Roboam filii Salomonis, et peperit ei Abiam.* Ea quoque leguntur in aliquot mss. codicibus Latinis, et integra supersunt adhuc in Canone Hebr. veritatis, sed transversa linea jugulantur tanquam adulterina, atque ascita de Græcis exemplaribus. Cæterum in his verbis inextricabile pondus exsurgit nupero vindici interpretationis Græcæ Seniorum Septuaginta : nam inspecta diligenter Regum historia, supputatisque Absalomi patris Thamar annis, Salomonis quoque, Roboami, et Abiæ juxta com- C putationem ejusdem vindicis ac restitutoris antiquorum temporum, qui incunctanter docet c. 10 novæ hujus restitutionis, Salomonem anno ætatis suæ quinquagesimo tertio genuisse Roboamum ex Ammonitide; necesse est Thamar filiam Absalomi matrimonio junctam fuisse cum Roboam, cum jam ipsa attigisset ann. ætatis plus minus nonagesimum. Quod certe ita credi ridiculum esset, meo quidem judicio, et nimis portentosum in uxore Roboam : quia hoc fuit Saræ singulare privilegium, ut nonagenaria pareret. At non est præsentis loci disceptatio isthæc chronologica, quam alibi, adjuvante Deo, agitaturus sum : monendus tamen erat lector studiosus ex hoc loco indissolubilem nasci quæstionem apud eos, qui præter divinarum Scripturarum auctoritatem asserere non verentur, Salomonem regnasse totis annis octoginta, etsi, conceptis verbis, scriptores sacri voluminum Regum et Paralipomenon contrarium testentur. MART. — Ms. Ve D ron., *eleganti forma.* In aliquot mss. Martian. subjunctum hic reperit illud Græcorum additamentum : *Hæc fuit in matrimonio Roboam filii Salomonis, et peperit ei Abiam,* quod nullius ferme est auctoritatis.

[2] Voculas *ad eum*, plane cum Hebræo exemplari ms. quoque Veronens. omittit.

[3] Addunt Vulgati : *Et venientes servi Job, scissis vestibus suis, dixerunt : Succenderunt servi Absalom partem agri igni,* quæ mss. Hieronymiani juxta Hebræum textum nesciunt.

[4] Cum Vulgatis Veronens. ms. tacet *in via.* Hebraica phrasis est, *Stabat super manum via portæ.*

[5] Magnam habent hic loci numerorum dissonantiam non solum mss. libri, sed editiones etiam Bibliorum Sixti ac Clementis. Manuscripti tres codices Corbeienses vetustissimi et optimæ notæ legebant olim, *post quadraginta autem annos,* quod emendatores mutarunt in *quatuor*, vel in *duos* etiam *annos* Regius codex, n. 3563, et Major S. Germani, n. 3, ante emendationem *quinque annos*, nunc autem *quatuor* habent. In Can. Hebr. verit, ex *quatuor* vel *quinque* primæ manus, *quadraginta* posterior fecit. Colbertinus n. 181, reticet ab initio, *quadraginta :* sed Aniciensis item Colbertinus cum tribus aliis nostris S. Germani a Pratis, *quatuor* habet, non *quadraginta.* Porro Bibliorum Romanæ correctiones docent abjiciendos numeros et *quatuor* et *quinque* et *sex*, licet *quatuor* non careat sua probabilitate, adde et auctoritate, quia *quatuor* similiter legimus apud Syrum et Arabem interpretes. Eamque lectionem probat eruditus Grotius dicens : « Haud dubius hic error scripturæ additis ad vocem ארבע litteris duabus. *Quatuor* enim intercessisse dixit Josephus, nec aliter Theodoretus. Et hoc verum esse res ipsa loquitur. » Verum enimvero contrarium docuit suppositus Hieronymus libro *Traditionum Hebraicarum* in II lib. Regum : « Cave, lector inquit, plerosque mendosos codices, in quibus scriptum invenitur, post quatuor, non post quadraginta annos : in veracioribus vero codicibus, et in Hebraica veritate, non quatuor, sed quadraginta scribuntur anni. Si vero contentiosus quis eosdem quatuor annos astruere voluerit ab eo tempore quo Absalom Amnon fratrem suum interfecit, usque ad illud tempus quo patri dixit : *Vadam et reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron :* perspicue se errare, si diligenter perscrutatus fuerit, inveniet : cum utique Absalom, interfecto Amnon, in Gessur apud Tholmai regem tribus annis, et in Jerusalem inde revocatus, non viso patre, duobus moratus fuerit annis, et sexto anno faciem patris viderit, et contra eum perduellionem præparaverit, » etc. A quo autem computentur illi quadraginta anni, vide apud eumdem scriptorem, et apud criticos sacros. MART.

— Veronens. mss. pro *quadraginta*, habet *quatuor :* quam lectionem et vetustiores Martianæi codices præferunt, et quanquam ab Hebraico dissentiat, scitum tamen probari magis, ipsique præferri Hebræo textui, qui doctissimis criticis corruptus videtur hic loci, additis ad vocem ארבע, duabus litteris ר et ם : nam et Hebræos codices facilius corrumpi potuisse ea in voce, perspicuum

regem [*Vulg. addunt* David] : Vadam, et reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron. Vovens enim vovit servus tuus, cum esset[1] in Gessur Syriæ, dicens : Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo [h. serviam] Domino. Dixitque ei rex David[2] : Vade in pace. Et surrexit, et abiit in Hebron. Misit autem Absalom exploratores in universas tribus Israel, dicens : Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite : Regnavit Absalom in Hebron. Porro cum Absalom ierunt ducenti viri de Jerusalem vocati, euntes simplici corde, et causam penitus ignorantes. Accersivit quoque Absalom Ahitophel Giloniten consiliarium David, de civitate sua Gilo, cum immolaret victimas. Et facta est conjuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom. Venit igitur nuntius ad David, dicens : Toto corde universus Israel sequitur Absalom[3]. [T. CXVI.] Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerusalem : Surgite, fugiamus], neque enim erit nobis effugium a facie Absalom : festinate egredi, ne forte veniens occupet nos et impellat super nos ruinam [h. malum], et percutiat civitatem in ore gladii. Dixeruntque servi regis ad eum : Omnia quæcunque præceperit [h. elegerit] dominus noster rex, libenter exsequemur [*ms.* exsequimur] servi tui. Egressus est ergo rex, et universa domus ejus, pedibus suis, et dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. Egressusque rex et omnis [h. omnis populus] Israel, pedibus suis stetit procul a domo, et universi servi ejus ambulabant juxta eum, et legiones [h. non habet legiones] Cherethi et Phelethi, et omnes Getthæi, sexcenti viri[4], qui secuti eum, fuerant pedites de Geth, præcedebant regem. Dixit autem rex ad Ethai Getthæum[5] : Cur venis nobiscum ? Revertere, et habita cum rege, quia peregrinus es, et egressus es de loco tuo : heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi ? ego autem vadam quo iturus sum : revertere et reduc tecum fratres tuos, quoniam ostendisti gratiam et fidem[6] [h. ostendisti misericordiam et veritatem]. Et respondit Ethai regi dicens : Vivit Dominus, et vivat [*ms.* vivit] dominus meus rex ; quoniam in quocunque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. Et ait David Ethai : Veni, et transi. Et transivit Ethai Getthæus, et omnes viri qui cum eo erant, et reliqua multitudo. Omnesque flebant [h. omnisque terra flebat] voce magna, et universus populus transibat : rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron, et cunctus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum. Venit autem et Sadoc [h. etiam et Sadoc] sacerdos[7], et universi levitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, deposuerunt arcam Dei : ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de civitate. Et dixit rex ad Sadoc : Reporta arcam Dei in urbem : si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, et ostendet mihi eam, et tabernaculum suum [h. et glorificabo eum]. Si autem dixerit mihi[8] : Non places : præsto sum, faciat mihi [*Vulg. tacet* mihi] quod bonum est coram se [h. quod bonum est in oculis ejus]. Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem : O videns revertere [h. Si videtur tibi revertere] in civitatem in pace ; Ahimaas[9] filius tuus, et Jonathan filius Abiathar, hi duo filii vestri, sint vobiscum. Ecce ergo abscondar [h. morabor] in campestribus deserti, donec veniat sermo a vobis indicans mihi. Reportaverunt igitur Sadoc et Abiathar arcam Dei in Jerusalem, et manserunt ibi. Porro David ascendebat clivum olivarum, ascendens et flens, et operto capite et nudis pedibus incedens ; sed et omnis populus, qui erat cum eo, operto capite, ascendebat plorans. Nuntiatum est autem David, quod et Ahitophel esset in conjuratione [h. rebellione] cum Absalom, dixitque David : Infatua,

est. Nos illud urgemus magis cum Luca Brugensi, quidquid auctori *Quæstionum Hebraicarum* in libros Regum videatur, quod si anni *quatuor* scribantur, constet satis initium eorum ducendum a reconciliatione patris, hoc est ab admissione Absalonis in Jerusalem, aut, quod duobus annis posterius est, ad videndam patris faciem. Si vero *quadraginta*, unde sint numerandi commode inveniri non possit. Adhæc, et Josepham, lib. VII *Antiquit.*, cap. 9, et Theodoretum, quæst. 28, *quatuor* duntaxat supputare : non adeo, quod Hebraici exemplaris vitium spectat, dissimulamus Coisliniani codicis 2 apud Montlauconium notam : Ἐν τῷ Ἑξαπλῷ Τεσσαράκοντα κεῖται παρὰ πᾶσιν, ἐν δὲ τῷ Ἑβραίῳ Ἀρβαρεῖν. *In Hexaplo*, quadraginta *jacet apud omnes, in Hebræo autem* Arbaim.

[1] Pressius Hebræo בשתי, *In manendo me.* Cod. Veronens. *cum essem.*

[2] Rursus cum Hebræo ms. Veronens. *David.* nomen hic tacet.

[3] Idem ms. *Sequebatur Absalom.* Hebr. ad verbum, *fuit post Absalom.*

[4] Addunt Vulgati, *pugnatores validi*, quæ verba textus et Hieronymiani codd. ignorant. Mox tacet Veronens. ms. *pedites*, quod neque Chaldæus est ; tamen in Hebræo ברגלו, *in pede suo.*

[5] Ejusdem sententiæ duas hoc loco retinet Vulgata nostra interpretationes, Hieronymianam scilicet ac veterem, quæ Itala dicebatur. Nos unam edidimus fonti Hebræo respondentem. MART.

— Interserunt Vulgati, *Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem* : quæ eadem habetur sub aliis verbis cum subsequenti sententia, *Quoniam ostendisti gratiam et fidem.* Pro his omnibus duo hæc tantum verba in Hebræo sunt textu, חסד ואמת, *misericordia et veritas* : quæ superiori proxime עמך, *tecum*, juncta bene optantis sensu proferuntur : *Tecum misericordia et veritas* : sive quod idem esse juxta Hebraicam phrasim non diffiteor : *Tecum gratia et fides.* Porro impressa sententia unice habetur pro Hieronymiana, quod concise magis Hebraicum referat, aitque longe emendatiorum exemplarium. Adeo rectius legerit Veronens. ms. in quo ipsum desideratur adverbium *quoniam*, quod et scholiastæ probatur.

[6] Verius cum Hebræo textu nomen *sacerdos* Veronens. ms. hic tacet.

[7] Iterum adamussim Hebræi textus hic tacet Veronens ms. *mihi.*

[8] Idem ms. *Achimaas.* Hebraice quoque est אחימעץ. Mox voculum *hi* omittit, quam Hebræus nescit.

quæso, consilium Ahitophel, domine. Cumque ascenderet David summitatem montis, in quo adoraturus erat Deum, ecce occurit ei Husai Arachites, scissa veste [h. tunica], et terra pleno [h. sparso] capite. [T. CXVII.] Et dixit ei David : Si veneris mecum, eris mihi oneri ; sin autem in civitatem revertaris, et dixeris, Absalom : Servus tuus sum ego [*ms. et Vulg.* tacent ego], rex ; sicut fui servus patris tui, sic ero servus tuus, dissipabis consilium Ahitophel. Habes autem tecum Sadoc et Abiathar sacerdotes, et omne verbum quodcunque audieris de domo regis, indicabis Sadoc et Abiathar sacerdotibus. Sunt autem cum eis duo filii eorum, Ahimaas [*Vulg. add.* filius], Sadoc et Jonathan, Abiathar : et mitteris per eos [h. per manus eorum] ad me omne verbum quod audieritis. Veniente ergo Husai amico David in civitatem, Absalom quoque ingressus est Jerusalem.

[*Cap.* XVI.] Cumque David transisset paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum ejus, cum duobus asinis, qui onusti erant ducentis panibus, et centum alligaturis uvæ passæ [h. et centum passis], et centum massis palatharum, et utribus vini [h. amphora vini]. Et dixit rex Sibæ : Quid sibi volunt hæc ? Responditque Siba : Asini, domesticis regis ut sedeant, et panes et palathæ, ad vescendum pueris [1] vinum autem, ut bibat si quis defecerit in deserto. Et ait rex : Ubi est filius domini tui ? Respondit que Siba regi : Remansit [h. Ecce sedet] in Jerusalem, dicens : Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei. Et ait rex Sibæ : Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth. Dixitque Siba : Oro [2], inveniam gratiam coram te [h. in oculis tuis], domine mi rex. [T. CXVIII.] Venit ergo rex David usque Bahurim, et ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebat egrediens, et maledicebat, mittebatque lapides contra David et contra universos servos regis David : omnis autem populus, et universi bellatores, a dextro et a sinistro latere regis incedebant. Ita autem loquebatur Semei cum maledi-ceret [3]. Egredere, vir sanguinum, et vir Belial. Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul : quoniam invasisti regnum pro eo, et dedit Dominus regnum in manu Absalom filii tui : et ecce premunt te mala tua [h. Et ecce *tu in malo tuo*], quoniam vir sanguinum es. Dixit autem Abisai filius Sarviæ, regi : Quare maledicit canis hic moriturus [4] (h. mortuus) domino meo regi ? vadam, et amputabo caput ejus. Et ait rex : Quid mihi et vobis, filii Sarviæ ? dimitte eum, ut [5] maledicat ; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David : et quis est qui audeat, dicere [h. et quis dicet], quare sic fecerit ? Et ait rex Abisai, et universis servis suis : Ecce filius meus, qui egressus de utero meo (*de visceribus meis*), quærit animam meam : quanto magis nunc filius Jemini ? dimitte eum ut (*ms.* dimitte, ut), maledicat juxta præceptum Domini : si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi [*Vulg. addunt* Dominus] bonum pro maledictione hac hodierna. Ambulabat itaque David et socii ejus per viam *cum eo* [h. non habet.] Semei autem per jugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens et mittens lapides adversum eum, terramque spargens. Venit itaque rex, et universus populus cum eo lassus, et refocillatus est [6] ibi. Absalom autem et omnis populus Israel ingressi sunt Jerusalem, sed et Ahitophel cum eo. Cum autem venisset Husai Arachites amicus David ad Absalom, locutus est ad eum : Salve, rex, salve, rex [h. Vivat rex, vivat rex]. Ad quem Absalom, hæc est, inquit, gratia (h. misericordia] tua ad amicum tuum ? quare non ivisti cum amico tuo ? Responditque Husai ad Absalom : Nequaquam, quia illius ero, quem elegit Dominus, et omnis hic populus, et universus Israel, et cum eo manebo. Sed, ut et hoc inferam, cui ego [*Vulg.* ergo] serviturus sum ? nonne filio regis ? sicut parui patri tuo, sic parebo et tibi. [T. CXIX.] Dixit autem Absalom ad Ahitophel : Inite consilium quid agere debeamus, Et ait Ahitophel ad Absalom : Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum : ut cum audierit omnis Israel quod fœdaveris patrem tuum, roborentur manus eorum tecum. Tetenderunt igitur Absalom tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israel. Consilium autem Ahitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum : sic erat omne consilium Ahitophel, et cum esset cum David, et cum esset cum Absalom.

[T. CXX, *Cap.* XVII.] Dixit igitur Ahitophel ad Absalom : Eligam mihi [h. nunc] duodecim millia virorum, et consurgens persequar David hac nocte. Et irruens super eum [quippe qui lassus est. et solutis manibus] percutiam eum : cumque fugerit omnis populus, qui cum eo est, percutiam regem desolatum. Et reducam universum populum, quomodo omnes reverti solent [7] ; unum enim virum tu quæris, et omnis populus erit in pace. Placuitque

[1] M. Veronens. cum Vulgatis addit *tuis*.
[2] Pressius Hebræ idem ms., *Adoro*.
[3] Addit idem ms. cum Vulgatis, *regi*, pro quo in Hebræo est *ei* : max quoque idem ms. *reddet* pro *reddidit*.
[4] Quod scholiastes adnotat, *mortuus*, et Hebræus præfert et Veronens. ms., demum et Vulgati libri.
[5] In Veronens. ms. *ut* vacat : in Hebræo autem et proximum comma *dimittet eum*, desiderantur, et facile additum hic est ex Græco, ἄφετε αὐτόν.
[6] Plurium numero habet Veronens. ms. *refocillati sunt*, magis ad Græcum, et cum Vulgatis.
[7] Verius in Veronens. ms., *Omnis reverti solet*, juxta Hebræum, quemadmodum et Eparnothotes apud Lucam Brugensem legendum monet, et melioris notæ codices præferunt. Vulgati, *Quomodo unus homo reverti solet*.

sermo ejus Absalom, et cunctis majoribus natu Israel. Ait autem Absalom : Vocate et Husai Arachitem, et audiamus quid etiam ipse dicat. Cumque venisset Husai ad Absalom, ait Absalom ad eum : Hujuscemodi sermonem [*ms. addit* quem locutus est Ahitophel : facere debemus an non ? quod das consilium ? Et dixit Huasi ad Absalon : Non bonum consilium,quod dedit Ahitophel hac vice. Et rursum intulit Husai : Tu nosti patrem tuum, et viros qui cum eo sunt, esse fortissimos et amaro animo, veluti si ursa, raptis catulis, in saltu sæviat : sed et pater tuus vir bellator est,nec morabitur cum populo.Forsitan nunc latitat in foveis, aut in uno, quo voluerit, loco : et cum ceciderit unus quilibet in principio, audiet quicunque audierit, et dicet : Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalom. Et fortissimus [h.] ipse [1], cujus cor est quasi leonis, pavore solvetur : scit enim omnis Israel, fortem esse patrem tuum, et robustos omnes qui cum eo sunt. Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium : ut [*ms. et Vulg. tacent* ut] congregetur ad te universus Israel, a Dan usque Ber-Sabee, quasi arena maris innumerabilis, et tu eris in medio eorum. Et irruemus super eum in quocunque loco fuerit inventus, et operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram, et non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne unum quidem. Quod si urbem aliquam fuerit ingressus,circumdabit omnis Israel civitati illi funes, et trahemus eam [*id est David*] in torrentem, ut non reperiatur ne calculus quidem ex ea.Dixitque Absalom, et omnes viri [2] Israel : Melius est consilium Husai Arachitæ consilio Ahitophel. Domini autem nutu dissipatum est consilium Ahitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum. Et ait Husai Sadoc et Abiathar sacerdotibus : Hoc et hoc modo consilium dedit Ahitophel Absalom, et senioribus Isral, et ego tale et tale dedi consilium. Nunc ergo mittite cito, et nuntiate David, dicentes : Ne moremini [h. Ne permaneas] nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere ; ne forte absorbeatur rex, et omnis populus qui cum eo est, Jonathan autem et Ahimaas [*ms.* Achimaas] stabant juxta fontem Ragel : abiit ancilla et nuntiavit eis, et illi profecti sunt, ut referrent ad regem David nuntium : non enim poterant videri, aut introire civitatem. Vidit autem eos quidam puer, et indicavit Absalom : illi vero concito gradu ingressi sunt domum cujusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, et descenderunt in eum. Tulit autem mulier, et expandit velamen super os putei,quasi siccans ptisanas,et sic res latuit. Cumque venissent servi Absalom ad mulierem in domum, dixerunt : Ubi est Ahimaas et Jonathan ? Et respondit eis mulier : Transierunt [*Vulg. ad.* festinanter], gustata paululum aqua. At hi qui quærebant cum non reperissent, reversi sunt Jerusalem. Cumque abiissent ascenderunt illi de puteo,et pergentes nuntiaverunt regi David, atque dixerunt : Surgite, et transite cito fluvium [h. aquam],quoniam hujuscemodi dedit consilium contra vos Ahitophel. Surrexit ergo David, et omnis populus qui erat cum eo,et transierunt Jordanem, donec dilucesceret, et ne unus quidem residuus fuit, qui non transisset fluvium [h. Jordanem]. T. CXXI.] Porro Ahitophel videns quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum et surrexit et abiit in domum suam et in civitatem suam, et disposita domo sua, suspendio interiit, et sepultus est in sepulcro patris sui. David autem [3] venit in Castra [h. Mahnaim], et Absalom transivit Jordanem,ipse et omnes viri [4] Israel cum eo. Amasam vero constituit Absalom pro Joab super exercitum : Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Jetra de Jezreli [h. Israelites, *ms.* hiereli], qui ingressus est ad Abigail [h. Abigal] filiam Naas, sororem Sarviæ, quæ fuit mater Joab [h.matrem Joab.] Et castrametatus est Israel cum Absalom in terra Galaad. Cumque venisset David in Castra [h. Mahnaim], Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon,et Machir filius Ammiel de Lodabar, et Berzellai Galaadites de Rogelim, obtulerunt ei stratoria, et tapetia, et vasa fictilia, frumentum, et hordeum, et farinam, et polentam, et fabam, et lentem, frixum cicer [h. non habet, frixum cicer, sed polentam], et mel, et butyrum, oves, et pingues vitulos. Dederuntque David,et populo qui cum eo erat, ad vescendum ; suspicati enim sunt populum fame et siti fatigari in deserto.

[T. CXXII, *Cap.* XVIII.] Igitur considerato (h. dinumerato) David populo suo,constituit super eos tribunos, et centuriones, et dedit populi tertiam partem sub manu Joab, et tertiam partem sub manu Abizai filii Sarviæ fratris Joab, et tertiam partem [*ms. tacet* partem] sub manu Ethai, qui erat de Geth ; dixitque rex ad populum : Egrediar

[1] Hebræus habet *et ipse quoque*, וְהוּ גַם. Poseremam voculam *quoque* Veronens. ms, habet pro *ipse*. Mox autem plus habet *omnis populus Israel*, etc.

[2] Ms. Veronens., *Omnis vir*, pressius Hebræo.

[3] Prudenter monuit nos S. Hieronymus libro *Quæstionum Hebraicarum* in Genesim, sæpe in Scriptura nomen *Castra* locum significare, non exercitum : cum enim de angelis, qui occurrerunt Jacob, dissereret, hæc a nobis observari voluit : « Ubi hic *Castra* posita sunt, in Hebræo habet *Mahnaim* : ut sciamus, si quando interpretatum in alio loco ponitur, quem locum significet. » De eodem quoque loco ita disputat falsus Hieronymus in suis *Traditionibus Hebraicis* ad librum secundum Regum : « David autem,inquit,venit in castra,quæ Mahnam Hebraice leguntur, in quo loco obvii fuerunt angeli Dei Jacob ; sicut in Genesi legitur : *Et vocabit Jacob nomen loci Mahnaim, id est Castra.* » Pulchre igitur hic concordant vetus ac falsus Hieronymus cum scholiaste Canonis Hebraicæ veritatis, quod non fuit tacendum studiosis lectoribus. MART.

[4] Idem iterum Hebræo pressius, *omnis vir*.

tego vobiscum. Et respondit populus : Non exibis : sive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit, sive media pars cecederit e nobis, non satis curabunt, quia tu unus pro decem millibus computaris ; melius est igitur ut sis nobis in urbe præsidio. Ad quos rex ait : Quod vobis rectum videtur, hoc faciam. Stetit ergo rex juxta portam : egrediebaturque populus per turmas suas, centoni, et milleni. Et præcepit rex Joab, Abisai, et Ethai, dicens : Servate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalom. Itaque egressus est populus in campum contra Israel, et factum est prælium in saltu Ephraim. Et cæsus est ibi populus Israel ab exercitu David (h. a servis David), factaque est plaga magna in die illa viginti millium. Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, et multo plures erant quos saltus consumpserat de populo quam hi quos voraverat gladius in die illo. (T. CXXIII.) Accidit autem ut occurreret Absalom servis David, sedens mulo : cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum et magnam, adhæsit caput ejus quercui, et illo suspenso inter cœlum et terram mulus, cui insederat pertransivit. Vidit autem hoc quispiam, et nuntiavit Joab, dicens : Vidi Absalom pendere de quercu. Et ait Joab viro, qui nuntiaverat ei : Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, et ego dedissem tibi decem argenti siclos (h. decem argenteis), et unum balteum ? Qui dixit ad Joab : Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis : audientibus enim nobis, præcepit rex tibi, et Abisai, et Ethai, dicens : Custodite mihi puerum Absalom. Sed et si (*ms.* sed si) fecissem contra animam meam audacter nequaquam hoc regem latere potuisset, et tu stares ex adverso. Et ait Joab : non sicut tu (*ms. tac.* tu) vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalom ; cumque adhuc palpitaret (h. cum adhuc viveret) hærens in quercu, concurrerunt decem juvenes armigeri (h. et cucurrerunt decem pueri) Joab, et percutientes interfecerunt eum. Cecinit autem Joab buccina, et retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israel, volens parcere multitudini (h. populo). Et tulerunt Absalom, et projecerunt eum in saltu (*ms.* saltum), in foveam grandem, et comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis ; omnis autem Israel fugit in tabernacula sua. Porro Absalom erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum qui est in valle regis ; dixerat enim : Non habeo filium, et hoc erit monumentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine suo, et appellatur Manus Absalom, usque in diem hanc. Ahimaas autem filius Sadoc, ait : Curram, et nuntiabo regi, quia judicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum ejus. Ad quem Joab dixit : Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia ; hodie nolo te nuntiare, filius enim regis est mortuus. Et ait Joab Chusi : Vade, et nuntia regi quæ vidisti. Adoravit Chusi Joab, et cucurrit. Rursum autem Ahimaas filius Sadoc dixit Joab : Quid impedit si etiam ego curram post Chusi ? Dixitque ei Joab : Quid vis currere, filii mi ? non eris boni nuntii bajulus Qui respondit : Quid enim si cucurrero ? et ait ei (*ms. tac.* ei). Curre. Currens ergo Ahimaas per viam compendii, transivit Chusi. David autem sedebat inter duas ; speculator vero, qui erat in fastigio portæ super murum, elevans oculos, vidit hominem currentem solum. Et exclamans indicavit regi, dixitque rex. Si solus est, bonus (h. non habet, bonus) est nuntius in ore ejus. Properante autem illo et accedente propius, vidit speculator hominem alterum currentem, et vociferans in culmine, ait : Apparet mihi homo alter [1] currens solus. Dixitque rex : Et iste bonus (h. non habet bonus) est nuntius (h. Etiam et iste nuntius. Speculator autem, Contemplor, ait, cursum prioris, quasi cursum Ahimaas filii Sadoc. Et ait rex : Vir bonus est, et nuntium portans bonum, venit. Clamans autem Ahimaas, dixit ad regem : Salve (h. Pax) rex [2], et adorans regem coram eo (h. non habet, coram eo) pronus in terram, ait : Benedictus Dominus Deus tuus (*ms. tac.* tuus), qui conclusit homines, qui levaverunt manus suas contra dominum meum regem. Et ait rex : Estne pax puero Absalom ? Dixitque Ahimaas : Vidi tumultum magnum, cum mitteret Joab servus tuus, o rex, me servum tuum ; nescio aliud (h. quid). Ad quem rex : Transi, ait, et sta hic. Cumque ille transisset (*ms.* transiret), et staret, apparuit Chusi, et veniens ait : Bonum apporto nuntium, domine mi rex : judicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui surrexerunt contra te. (T. CXXIV.) Dixit autem rex ad Chusi : Estne pax puero Absalom ? Cui respondens Chusi : Fiant, inquit, sicut puer [3], inimici domini mei regis, et universi, qui consurgunt adversus eum in malum. Contristatus itaque rex ascendit cœnaculum portæ, et flevit. Et sic loquebatur, vadens : Fili mi Absalom, fili mi Absalom : quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom [4] !

(*Cap.* XIX.) Nuntiatum est autem Joab, quod rex fleret, et lugeret filium suum (h. et lugeret *super Absalon*), et versa est victoria (h. salus) in die illa in luctum omni populo : audivit enim populus in die illa dici : Dolet rex super filio suo. Et declinabat populus in die illa ingredi civitatem quomodo de-

[1] Tacet Veronens. ms. vocem *alter*, quæ in Hebræo vacat.

[2] Hic quoque tacet idem ms., *rex*, quod nomen nec Hebræus textus hic addit.

[3] Hic vero plus Hebræo habet Veronens. cod. *puer Absalom*.

[4] Non repetit ms. Veronens. nomen *Absalom* : rectissime ad Hebræum textum.

clinare solet populus versus (*ms.* aversus) et fugiens de prælio. (T. CXXV.) Porro rex operuit caput suum, et clamabat voce magna : Fili mi Absalom, Absalom fili mi, fili mi (*Vulg. tac.* fili mi)! Ingressus ergo Joab ad regem in domum, dixit : Confudisti hodie vultus omnium servorum tuorum, qui salvam fecerunt (h. qui eruerunt) animam tuam, et animam filiorum tuorum, et filiarum tuarum, et animam uxorum tuarum, et animam concubinarum tuarum. Diligis (*ms.* Diligens *et* odio habens) odientes te, et odio habes diligentes te, et ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, et de servis tuis (h. nuntiasti *hodie quia* non sint tibi *duces et servi*), et vero cognovi modo, quia si Absalom viveret, et nos omnes occubuissemus, tunc placeret tibi (h. in oculis tuis). Nunc igitur surge, et procede, et alloquens satisfac servis tuis : juro enim tibi per Dominum (h. juravi *enim in* Dominum), quod si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac : et pejus hoc tibi erit, quam omnia mala quæ venerunt super te, ab adolescentia tua usque in præsens. Surrexit ergo rex, et sedit in porta : et omni populo nuntiatum est quod rex sederet in porta : venitque universa multitudo (h. omnis populus) coram rege : Israel autem fugit in tabernacula sua (T. CXXVI.) Omnis quoque populus certabat (h. judicabat) in cunctis tribubus Israel, dicens : Rex liberavit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse salvavit nos de manu Philisthinorum, et nunc fugit de terra propter Absalom. Absalom autem, quem unximus super nos, mortuus est in bello : usquequo siletis, et non reducitis regem? Rex vero David misit ad Sadoc et ad Abiathar sacerdotes, dicens : Loquimini ad majores natu Juda, dicentes : Cur venitis (*ms.* venistis) novissimi ad reducendum regem in domum suam? (Sermo autem omnis Israel pervenit [*ms. et Vulg.* pervenerat] ad regem in domo ejus.) Fratres mei vos, os meum, et caro mea vos, quare novissimi reducitis regem? Et Amasæ dicite : Nonne os meum es, et caro mea (*Vulg. add.* es)? Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore (h. omnibus diebus) pro Joab. Et inclinavit cor omnium virorum Juda, quasi viri unius : miseruntque ad regem, dicentes : Revertere tu et omnes servi tui. Et reversus est rex et venit usque ad Jordanem, et (*Vulg. add.* omnis) Juda venit in Galgala, ut occurreret regi, et transduceret eum Jordanem.

A Festinavit autem Semei filius Gera filii Jemini de Bahurim, et descendit cum viris Juda in occursum regis David cum mille viris de Benjamin, et Siba puer de domo Saul, et quindecim filii ejus, ac viginti servi *erant* (h. non habet) cum eo, et irrumpentes Jordanem, ante regem transierunt vada, ut transducerent domum regis, et facerent juxta jussionem ejus (h. *juxta quod bonum in oculis regis*) (T. CXXVII.) Semei autem filius Gera prostratus coram rege, cum transisset Jordanem[1], dixit ad eum : Ne reputes mihi, domini mi, iniquitatem, neque memineris injuriarum (*ms.* injuriam) servi tui in die, qua egressus es, domine mi rex, de Jerusalem, neque ponas, rex, in corde tuo. Agnosco enim servus tuus peccatum meum, B et idcirco hodie primus veni de omni (*ms. tac.* omni) domo Joseph, descendique in occursum domini mei regis. Respondens vero Abisai filius Sarviæ, dixit : Nunquid pro his (h. propter hoc) verbis non occidetur Semei, quia maledixit christo Domini? Et ait David : Quid mihi, et vobis, filii Sarviæ? cur efficiamin (h. *eritis*) mihi hodie in Satan ? ergone hodie interficietur vir in Israel? an ignoro (h. *Quia nonne novi*) hodie me factum regem super Israel ? Et ait rex Semei : Non morieris. Juravitque ei. Miphiboseth quoque filius Saul descendit in occursum regis, illotis pedibus[2] (h. pedibus infectis), et intonsa barba : vestesque suas non laverat a die qua egressus fuerat rex, usque ad diem reversionis ejus in pace. Cumque Jerusalem occurrisset regi, dixit ei rex : Quare C non venisti mecum, Miphiboseth ? Qui respondens ait : Domine mi rex, servus meus contempsit me : dixi ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, et ascendens abirem cum rege : claudus enim sum servus tuus. Insuper et accusavit me servum tuum ad te dominum meum regem : tu autem, domine mi rex, sicut angelus Dei (*Vulg. add.* es), fac quod placitum est tibi (h. in oculis tuis). Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi : tu autem posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ : quid igitur habeo justæ querelæ, aut quid possum ultra vociferari ad regem? Ait ergo ei rex : Quid ultra loqueris ? fixum est quod locutus sum, tu et Siba dividite possessiones (h. Dixi, tu et Siba dividite agrum). Respon- D ditque Miphiboseth regi : Etiam cuncta accipiat, postquam reversus est dominus meus rex pacifice in domum suam. Berzellai quoque Galaadites, descendens de Rogelim, transduxit regem (h. et

[1] Idem ms. et Vulgati, *cum jam transisset*, etc.

[2] *Pedibus infectis*, id est, *non factis*, secundum Hebraicam phrasim ולא עשה רגליו, *velo asa raglau*, quod interpretatur, *et non fecerat pedes suos*. Unde auctor sæpius laudatus *Quæstionum Hebraicarum* in libros Regnum, non incongrue aiebat : « Et notandum quod in Hebræo, non *illotis pedibus*, legitur, sed *pedibus infectis* Fecerat namque sibi idem Miphiboseth ligneos pedes, quibus uti quasi pro naturalibus solebat : sicut solent facere claudi, quemadmodum et ille erat. » MART.

— Camparat Martian. Scholasten cum *Hebraicar. Quæstion.* in libros Regum auctore in hunc locum : « Notandum quod in Hebræo non *illotis pedibus* legitur, sed *pedibus infectis*. Fecerat namque sibi idem Miphiboseth ligneos pedes, quibus uti quasi pro naturalibus solebat, » etc., quæ Rabbinorum traditio est.

t cum rege) Jordanem, paratus etiam ultra
n prosequi eum (h. ad transmittendum eum).
utem Berzellai Galaadites senex valde, id
ogenarius, et ipse præbuit alimenta regi,
ioraretur in castris : fuit quippe vir dives
Dixit itaque rex ad Berzellai : Veni mecum,
uiescas securus (*ms.* secure) mecum in Je-
m. Et ait Berzellai ad regem: Quot sunt dies
im vitæ meæ, ut ascendam cum rege Jeru-
'Octogenarius sum hodie : nunquid vigent
i mei ad discernendum suave, aut amarum
inum, vel malum) ? aut delectare potest
a tuum cibus et potus ? vel audire possum
'ocem cantorum, atque cantatricum ? quare
tuus sit oneri domino meo regi ? Paululum
lam [1] famulus tuus ab Jordane tecum : nec
o hac vicissitudine: sed obsecro, ut revertar
tuus, et moriar in civitate mea (*Vulg. add.*
ıliar), juxta sepulcrum patris mei, et matris
(T. CXXVIII.) Est autem servus tuus (h.
ervus tuus) Chamaam, ipse vadat tecum,
e mi rex, et fac ei quod tibi bonum videtur
)d bonum est in oculis tuis). Dixitque rex :
ı transeat Chanaam, et ego faciam ei quid-
bi placuerit, et omne, quod petieris a me,
abis. Cumque transisset universus populus
Jordanem, osculatus est rex Berzellai, et
xit ei, et ille reversus est in locum suum,
vit ergo rex in Galgala, et Chamaam cum
nis autem populus Juda transduxerat regem,
ia tantum pars adfuerat de populo Israel.
omnes viri Israel concurrentes ad regem
nt ei: Quare te furati sunt fratres nostri
da, et transduxerunt regem et domum ejus
em, omnesque viros David cum eo ? Et re-
t omnis vir Juda ad viros Israel: Quia pro-
ıt mihi rex : cur irasceris super hac re ?
id comedimus aliquid, ex rege, aut munera
data sunt? Et respondit vir Israel ad viros
ət ait: Decem partibus ego sum major apud
, magisque ad me pertinet David quam ad
Decem partes mihi sunt apud regem, magis
;o in David quam tu): cur mihi fecisti inju-

A iam, et non mihi nuntiatum est priori, ut reducerem regem meum (h. Nonne sermo meus prior fuit, ut reducerem regem meum) ? Durius autem responderunt viri Juda viris Israel.

(*Cap.* XX.) Accidit quoque ut ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Bochri (h. Bichri, vir Jemineus; et cecinit buccina, et ait: Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai: revertere [2] in tabernacula tua, Israel. Et separatus est omnis Israel a David, secutusque est Seba filium Bochri (h. Bichri); viri autem Juda adhæserunt regi suo, a Jordane usque ad Jerusalem. Cumque venisset rex in domum suam in Jerusalem (h. non habet, rex, sed, David), tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam domum.
B et tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens, et non est ingressus ad eas, sed erant clausæ usque ad diem mortis suæ in viduitate viventes. Dixit autem rex Amasæ, Convoca mihi omnes viros Juda in diem tertium, et tu adesto (*ms.* esto) præsens. Abiit ergo Amasa ut convocaret Judam, et moratus est extra placitum, quod ei constituerat rex [3]. Ait autem David ad Abisai : Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri quam Absalon : tolle igitur servos domini tui, et persequere post illum (*Vulg.* cum), ne forte inveniat civitates munitas, et effugiat nos. Egressi sunt ergo cum eo viri Joab, Cherethi quoque et Phelethi, et omnes robusti exierunt de Jerusalem ad persequendum Seba filium Bochri. Cumque
C illi essent juxta lapidem grandem, qui est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis (h. Amasa veniens ad faciem illorum. Nostri codices, [4], Amasa veniens occurrit eis). Porro Joab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, et desuper accinctus gladio dependente usque ad illia, in vagina, qui fabricatus [5] levi motu egredi poterat, et percutere. Dixit itaque Joab ad Amasam : Salve, mi frater (h. Pax tibi, frater). Et tenuit manu dextera mentum Amasæ quasi osculans eum. Porro Amasa non observavit gladium quem habebat Joab (h. quem habebat Joab in manu). (T. CXXX.) Qui percussit eum latere, et effudit intestina ejus in ter-

non emendatus legit modo in tertia persona, *it* : autem habuit primam personam, *procc*d retinent alii codices ms. quod noluimus e, quia in utrisque unus sensus renuntiatur. quod legitur in editis versu immediate se-, *et sepeliar juxta*, etc., illud, *et sepeliar* exım habet in fonte Hebraico, uti apud Septuaıc Syrum interpretem. Chaldæus tamen et eodem modo interpretati sunt, *et sepeliar in o*, etc. MART.

asum est in Canone hic et alibi verbum *re*', sive *vade*, atque ad textum Hebræum senn Scripturæ accommodat emendator : *In tabula sua Israel.* At ne fieret indecora translatio, s interdum Latinas addit Hieronymus, ut rofitetur epist. ad Sunniam et Fretelam. sario etiam hoc loco subintelligitur verbum *re*, aut *redi*: alio qui sensus, vel nullus est, serrus omnino remanebit. MART.

s. Veronens., *in domo David* : renuentibus aliis

libris. Mox pro *revertere*, quod verbum in aliis mss. erasum Martianæus invenit, optime ad Hebræum textum habet Veronensis *vir*, איש לאהליו ישראל ;
D *Vir ad tentoria sua Israel*, id est *quisque*, ut præferunt versiones aliæ Orientales. Ita et in Memmiano Canone legi postea Martianæus ipse animadvertit.

[3] Vacat cum in Hebræo, tum in Veronensi ms. *rex*. In Canone quem emendatum vocat Martianæus postea reperit, *quod ei constitutum erat*.

[4] Quos *hic nostros* codices Scholiastes vocat, nihil ab Hieronymiana impressa lectione dissident. Econtrario, supra in c. XVII Num. v 6, codices eosdem hoc nomine laudat, ut abludere eos a proposito exemplari notet. Non indigna hæc visa res est, quam curiosius inspiceres.

[5] Multo concinnius in Veronens. ms., *fabre factus*.

ram, nec secundum vulnus apposuit, et mortuus est[1]. Joab autem, et Abisai frater ejus, persecuti sunt post (h. ms. tacet *post*) Seba filium Bochri. Interea quidam viri, cum stetissent juxta cadaver Amasæ, de sociis Joab, dixerunt: Ecce qui esse voluit pro Joab comes David[2] (h. de pueris Joab dixerunt: quisquis voluntatem habet in Joab, et obediens vult esse David, sequetur Joab). Amasa autem conspersus sanguine jacebat in media via. Vidit hoc quidam vir quod subsisteret omnis populus ad videndum eum, et amovit Amasam de via in agrum, operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum. Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Joab ad persequendum Seba filium Bochri. Porro ille transierat per omnes tribus Israel in Abelam, et Beth-Macha: omnesque viri electi congregati fuerant ad eum [3]. Venerunt itaque et oppugnabant eum in Beth-Macha, et circumdederunt munitionibus civitatem, et obsessa est urbs: omnis autem turba (h. populus), quæ erat cum Joab, molichatur destruere muros. Et exclamavit mulier sapiens de civitate: Audite, audite, dicite Joab: Appropinqua huc, et loquar tecum. Qui cum accessisset ad eam, ait illi: Tune (*ms. et Vulg.* Tu) es Joab? Et ille respondit: Ego. Ad quem sic locuta est: (T. CXXXI.) Audi sermones ancillæ tuæ. Qui respondit: Audio. Rursumque illa, Sermo, inquit, dicebatur in veteri proverbio (h. non habet, proverbio): Qui interrogant, interrogent in Abela, et sic perficiebant. Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israel, et tu quæris subvertere [4] civitatem, et evertere matrem in Israel [5]? Quare præcipitas hæreditatem Domini? Respondensque Joab, ait: Absit, absit hoc (h. non habet, hoc) a me: non præcipito, neque demolior. Non se sic habet res: sed homo (h. vir) de monte Ephraim, Seba, filius Bochri cognomine, levavit manum suam (*ms. tac.* suam) contra regem David: tradite illum solum, et recedemus a civitate: Et ait mulier ad Joab: Ecce caput ejus mittetur (h. projicietur) ad te per murum. Ingressa est ergo ad omnem populum, et locuta est eis sapienter: qui abscissum caput Seba filii Bochri projecerunt ad Joab, et illi cecinit tuba, et recesserunt ab urbe, unusquisque in tabernacula sua: Joab autem reversus est Jerusalem ad regem. Fuit ergo Joab super omnem exercitum Israel: Banaias autem filius Joiadæ super Cherethæos (h.) et Phelethæos; Aduram vero super tributa: porro Josaphat filius Ahilud, a commentariis. Siva (h. Serva) autem, scriba: Sadoc vero et Abiathar, sacerdotes. Ira autem Jairites (*ms.* Hiajarites) erat sacerdos David [6].

(*Cap.* XXI.) Facta est quoque fames in diebus David tribus annis jugiter, et consuluit David oraculum (h. faciem) Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, et domum ejus et sanguinem (h. et domum sanguinum), quia occidit Gabaonitas. Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos. (Porro Gabaonitæ non sunt de filiis Israel, sed reliquæ Amorrhæorum: filii quippe Israel juraverant eis, et voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel et Juda.) Dixit ergo David ad Gabaonitas: Quid faciam vobis? et quod erit vestri piaculum, ut benedicatis (h. et in quo *expiabo*, ut benedicatis) hæreditati Domini? (T. CXXXII.) Dixeruntque ei Gabaonitæ: Non est nobis super argento et auro quæstio, sed [7] contra Saul, et contra domum ejus: neque volumus, ut interficiatur homo (h. vir) de Israel. Ad quos ait rex [8]: Quid ergo vultis ut faciam vobis? Qui dixerunt regi: Virum qui attrivit nos, et oppressit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit (h. et ita disperdere ut ne unus quidem *de eis* deficiat) de stirpe ejus in cunctis finibus Israel. Dentur nobis septem viri de filiis ejus: et crucifigamus eos Domino in Gabaat Saul, *quondam* (h. non habet) electi Domini. Et ait rex: Ego dabo. Pepercitque rex Miphiboseth filio Jonathæ filii Saul, propter jusjurandum Domini, quod fuerat inter David et inter Jonathan filium Saul. Tulit itaque rex duos filios Respha filiæ Aja, quos peperit Sauli, Armoni et Miphiboseth: et quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi, et dedit eos in manu Gabaonitarum: qui crucifixerunt illos in monte coram Domino: et ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei. Tollens autem Respha filia Aja cilicium, substravit sibi super petram, ab initio

[1] Comma istud, *et mortuus est*, quod habent reliqui libri omnes, ms. Veronens. reticet.

[2] Hic quoque reticet Veronens. ms. verba, *comes David*. Hebræus e contrario pluribus quam reliqui alii libri sententiam hanc verbis effert: מי אשר חפץ ביואב ומי אשר-לדוד אחרי יואב. Ad verbum, *Quis qui voluit in Joab, et quis qui Davidi post Joab?* Quibus stricte hæret et Græcus.

[3] Vocem Hebræi textus הבּרים, quam pleræque versiones pro nomine *Berim* proprio accipiunt. Latinus interpes transtulit juxta etymologiam, qua *electi* (unique viri e militibus) significantur, a radice ברה. At Veronens. ms. ut strictius Hebræo hæreat vocem *viri* prætermittit, quæ num a S. Hieronymo apposita, an de glossatoris profecta sit calamo, divinandum est. Rursum in Canone emendato Martian. legi animadvertit: *Omnesque electi congregati venerunt post eum*: ubi non modo *viri* tacetur, sed et *venerunt* pro *fuerant*, et *post eum* pro *ad eum* scribitur.

[4] Ms. Veronens., *quæres subruere*.

[5] Falsus Hieronymus legit, *matrem Israel*, ait enim: « Hanc mulierem Judæi Zaram, filiam Aser filii Jacob, intelligunt: et quod se matrem dixerit, ita dicens: *Tu quæris evertere matrem Israel*. Idcirco *matrem*, quia multorum annorum erat. » MART.

[6] Subdit statim idem auctor: « Ira autem Jairites erat sacerdotes David, id est, magister, sicut alibi scriptum est: *Filii autem David erant sacerdotes*, id est magistri fratrum suorum. » MART.

[7] Idem ms. *sed* voculam tacet, quæ quidem neque in Hebræo resonat.

[8] Hic quoque reticet Veronens. ms. *rex*, quam et Hebræus hic nescit.

messis, donec [h. usque] stillaret aqua super eos de cœlo : et non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem. Et nuntiata sunt David quæ fecerat Respha filia Aja [*ms.* Ahaja], concubina Saul. [T. CXXXIII] Et abiit David, et tulit ossa Saul, et ossa Jonathan filii ejus a viris Jabes Galaad, qui furati fuerant ea de platea Beth-San, in qua suspenderant eos Philistim, cum interfecissent Saul in Gelboe : et asportavit inde ossa Saul, et ossa Jonathan filii ejus : et colligentes ossa eorum, qui affixi fuerant, sepelierunt ea cum ossibus Saul et Jonathan filii ejus [h. *et collegerunt ossa eorum* qui affixi *erant, et sepelierunt ossa Saul et* filii ejus] in terra Benjamin, in latere, in sepulcro Cis patris ejus : feceruntque omnia, quæ præceperat rex, et repropitiatus est Deus terræ post hæc. Factum est autem rursum prælium Philisthinorum adversum Israel, et descendit David, et servi ejus cum eo, et pugnabant contra Philistim. Deficiente autem David, Jesbibenob [*ms.* Jesbidenob], qui fuit de genere Arapha, cujus ferrum hastæ trecentas [1] uncias appendebat, et accinctus erat ense novo, nisus est percutere David. Præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ [2], et percussum Philisthæum interfecit. Tunc juraverunt viri David, dicentes : Jam [3] non egredieris nobiscum in bellum, ne exstinguas lucernam Israel. Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Philisthæos : tunc percussit Sobochai de Husati, Saph [*ms.* Seph] de stirpe Arapha, de genere gigantum [4]. Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus, polymitarius Bethlehemites, Goliath Getthæum, cujus hastile hastæ erat

A quasi lictatorium texentium. Quartum be
in Geth : in quo vir [*Vulg. add.* fuit]
qui senos in manibus pedibusque habebat
id est, viginti et quatuor, et erat de origi
pha, [*Vl. alt.* et] blasphemavit Israel. P
autem eum Jonathan filius Samaa fratris
Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth,
derunt in manu David et servorum ejus.

[*Cap.* XXII.] Locutus est autem David D
verba carminis hujus [5], in die qua liberavit
Dominus de manu omnium inimicorum su
et manu Saul. Et ait :

[T. CXXXI] Dominus petra mea, et robur m
et salvator meus [6].
B Deus meus [*Vulg. tac.* meus], fortis meus, spe
in eum :
scutum meum, et cornu salutis meæ :
Elevator meus, et refugium meum,
salvator meus, de iniquitate liberabis me.
Laudabilem invocabo Dominum :
et ab inimicis meis salvus ero.
Quia circumdederunt me contritiones mortis :
torrentes Belial terruerunt me [7] [*Vulg. tac.* m
Funes inferi circumdederunt me :
prævenerunt me laquei mortis.
In tribulatione mea invocabo Dominum,
et ad Deum meum clamabo :
Et exaudiet de templo suo vocem meam,
et clamor meus veniet [h. *non habet* veniet]
aures ejus.
C Commota est et contremuit terra :
fundamenta montium concussa sunt [8].

[1] In Canone, *cujus hasta trecentas*, etc., quam lectionem sequi nolumus, eo quod suspectæ nobis sint hujusmodi emendationes ex Hebraico textu procuratæ ab aliquo studiosiori ; nam prima manu eodem modo legebatur in Canone, ut modo legitur in editis, ac in omnibus aliis mss. codicibus. Unde manifestum apparet similes lectiones fuisse mutatas in versione Hieronymiana, quantumvis aliunde verbis Hebræis propius accedant. MART.

[2] Deerant olim in Veronens. cod. hæc verba, *Præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ*, quæ recentior manus suffecit : suntque re ipsa in aliis omnibus libris.

[3] Vocula *jam* in Veronensi ms. juxta Hebræum aliosque textus vacat.

[4] Duæ sunt interpretationes hæ simul junctæ, *de stirpe Arapha*, et *de genere gigantum* : est enim in Hebræo una sententia בילדי תרפה, *de natis*, sive *de stirpe Arapha*, quod si velis *Arapha* juxta etymologiam interpretari, dicas, *de natis*, sive *de genere gigantum*. Atque hæc quidem expositio Syro, atque Arabi, fere etiam et Chaldæo interpretari placuit : illam Græcus probavit magis, ἐν τοῖς ἐγγόνοις τοῦ Ῥαφά. Certum autem est atque evidens, Hieronymum quoque alterutram elegisse, non utramque junxisse temere, quemadmodum Latini Vulgati libri repræsentant. Quam porro ex his probarit, Veronensis ms. significat, qui priore unice habet, *de stirpe Arapha* : alteram, *de genere gigantum*, penitus nescit. Atque hinc novum γνησιότητος Hieronymianæ, quam exhibet, versionis argumentum sibi sumit, quod cæteris religiosius omnibus, eorum qui glossemata interpretati sunt, addit
mentorum est purus. Nam de Vulgatis libris i
sentio, cum obscurior illa videretur translatio,
stirpe Arapha, glossator, non nemo ad libri orar
aliam hanc ex nominis etymologia derivatam,
genere gigantum, apposuit, quam inconsulto post
librarius in textum intrusit. Cæterum mirari sub
hoc Latinorum codicum additamentum nedu
Martianæi, et quem ille edidit. Hebræi Scholiasti
sed et omnium, quot habemus ad manus, qui
Criticos in S. Scripturam agunt, effugisse dilige
tiam.

[5] Hæc verba usque ad principium hymni posi
sunt per modum tituli, ac majusculis litteris
minio descripta in pervetusto regio codice Bibli
D rum. MART.

[6] Primum hujus cantici distichum ita divisu
invenimus in Hebr. codice regio num. 6. Ad fide
igitur optimi illius ms. exemplaris commata di
posita sunt in hac editione, cum in aliis libris,
in Latinis etiam mss. codicibus quamplurim
sub una divisione seu incisione legantur. Cæteru
iste Psalmus idem est cum nostro XVII in lib
Psalm., vel cum XVIII, juxta numerum Hebræorur
sed nonnihil variant, amplius aliquid inter se h
bentes, aut aliis verbis, ut in amborum conte
tione studiosus quisque facile compertum habeb
MART.

[7] In Veronens. ms. *Invenerunt*, quod haud s
unde librarius excuderit.

[8] Canon ad Hebr. emendatus legit, *conturb
sunt et commota sunt* : cæteri omnes ut in edit
MART.

et conquassata, quoniam iratus est [*Vulg. add.* eis].
Ascendit fumus in naribus [1] ejus,
et ignis de ore ejus voravit :
carbones incensi sunt ab eo.
Inclinavit [*ms.* Et inclinavit] cœlos, et descendit :
et caligo sub pedibus ejus.
Et ascendit super Cherubim [h. Cherub], et volavit :
et lapsus est [h. apparuit] super pennas venti.
Posuit tenebras in circuitu suo latibulum,
cribrans aquas de nubibus cœlorum.
Præ fulgore in conspectu ejus,
succensi sunt carbones ignis.
Tonabit de cœlis Dominus :
et excelsus dabit vocem suam.
Misit sagittas, et dissipavit eos
fulgur, et consumpsit eos.
Et apparuerunt effusiones maris,
et revelata sunt fundamenta orbis,
ab increpatione Domini,
ab inspiratione spiritus furoris ejus.
Misit de excelso, et assumpsit me,
et extraxit me de aquis multis.
Liberavit me ab [*ms.* de] inimico meo potentissimo.
et [*ms. tac* et] ab his qui oderant me, quoniam robustiores me erant.
Prævenit me in die afflictionis meæ,
et factus est Dominus firmamentum meum.
Et eduxit me in latitudinem :
liberavit me, quia placui [2] [*Vulg.* complacui] ei :
Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam;
et secundum munditiam manuum mearum reddet mihi.
Quia custodivi vias Domini,
et non egi impie, a Deo meo.
Omnia enim judicia ejus in conspectu meo :
et præcepta ejus non amovi a me.
Et ero perfectus cum eo,
et custodiam me ab iniquitate mea.
Et restituet Dominus mihi secundum justitiam meam,
et secundum munditiam manuum mearum [h. secundum munditiam meam], in conspectu oculorum suorum.
Cum sancto sanctus eris :
et cum robusto perfectus [h. cum perfecto perfectum].
Cum sancto electo electus eris,
et cum perverso perverteris [*ms.* subverteris].

A Et populum pauperem salvum facies :
oculisque tuis excelsos humiliabis.
Quia tu lucerna mea, Domine,
et *Vulg. add.* tu], Domine, illuminabis tenebras meas.
In te enim curram accinctus :
in Deo meo transiliam murum.
Deus, immaculata via ejus,
Eloquium Domini igne examinatum [h. conflatum] :
scutum est omnium sperantium in se.
Quis est Deus præter Dominum,
et quis fortis præter Deum nostrum ?
Deus qui accingit me fortitudine,
et complanavit [*ms.* complantavit] perfectam viam meam.
B Coæquans pedes meos cervis,
et super excelsa mea statuens me.
Docens manus meas ad prætium,
et componens quasi arcum æreum brachia mea.
Dedisti mihi, clypeum salutis tuæ,
et mansuetudo mea [h. tua] multiplicavit me.
Dilatabis gressus meos subtus me,
et non deficient tali mei.
Persequar inimicos meos, et conteram,
et non revertar [*Vulg.* convertar] donec consumam eos.
Consumam eos, et confringam, ut non consurgant:
cadent sub pedibus meis.
Accinxisti me fortitudine ad prælium :
incurvabis [*Vulg.* incurvasti] resistentes mihi
C sub me.
Inimicos meos dedisti mihi dorsum,
odientes me, et disperdam eos.
Clamabunt, et non erit qui salvet :
ad Dominum, et non exaudiet eos.
Delebo [h. Conteram] eos, pulverem terræ :
quasi lutum platearum comminuam eos, atque confringam [3].
Salvabis me a contradictionibus populi mei :
custodies [4] me in caput gentium :
populus, quem ignoro, serviet mihi.
Filii alieni resistent mihi [h. negabunt me],
auditu auris obedient mihi.
Filii alieni defluxerunt,
et contrahentur in angustiis suis.
D Vivit Dominus, et benedictus Deus meus [h. fortis meus] :
et exaltetur [5] Deus fortis salutis meæ.
Deus, qui das vindictas mihi,
et dejiciis populos sub me,

[1] Idem ms. *de naribus*. Tum vers. seq., *vorabit* in futuro cum Vulgatis, et pressius Hebræo תאכל.
[2] Veronens. ms. *placuit*. Mox rectius ad Hebræum, *Retribuit* pro *Retribuet*.
[3] Undecim mss. nostri legunt hic *compingam*, nec sua illud careret probabilitate, nisi consequentia sensus obstaret : nam quæ præcesserunt *delebo, comminuam*, necessariam habent connexionem cum *verbo confringam*, sive *distendam*. Cæterum Hebræa vox רקע, *raca*, proprie denotat *premere, premendo, constipare et firmare*. Quæ præfecto ad *compingere* ex æquo respondent. Consulesis Criticam sacram Middoch. MART.
[4] Ad Veronens. ms. marginem adnotatum est ejusdem, ut videtur, Antiquarii manu, *constitues*.
[5] Idem ms. *Et exaltabitur;* cum Vulgatis et Græco.

Qui educis me ab inimicis meis,
et a resistentibus mihi elevas me :
a viro iniquo [h. iniquitatis] liberabis me.
Propterea confitebor tibi, Domine, in gentibus :
et nomini tuo cantabo.
Magnificanti [1] [*Vulg.* magnificans *et* faciens] salutes regis sui,
et facienti misericordiam christo suo,
David et semini ejus in sempiternum.

[*Cap.* XXIII.] Hæc autem sunt verba [h.] David novissima [2]. Dixit David filius Isai : Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob [cui constituta est scala Christo Dei Jacob), egregius psaltes [h. et alii codices, psalta [3]] Israel : Spiritus Domini locutus est per me [h. in me], et sermo ejus per linguam meam [h. super linguam meam]. Dixit Deus Israel, locutus est mihi fortis Israel, dominator hominum justus, dominator (h. dominatui) in timore Dei. Et sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat, et sicut pluviis germinat herba de terra (h. et sicut pluvia germinat herbam de terra). Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim salus mea, et omnis voluntas [4] : nec est quidquam ex ea quod non germinet. Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur universi, quæ non tolluntur manibus [5]. Et si quis tangere voluerit eas (h. Et vir tangens eos), armabitur ferro et ligno lanceato, igneque succensæ (h. succensi) comburentur usque ad nihilum. Hæc nomina fortium David.Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecti impetu uno. Post hunc, Eleazar filius patrui ejus Ahoi (h. Eleazar filius Dodo, filius Ahoi) inter tres fortes, qui erant cum David quando exprobraverunt Philisthim, et congregati sunt illuc in prælium. Cumque ascendissent viri Israel, ipse stetit, et percussit Philisthæos, donec deficeret manus ejus, et obrigesceret cum gladio : fecitque Dominus salutem magnam in die illa : et populus qui fugerat (h. *non habet* qui fugerat), reversus est ad cæsorum spolia detrahenda. Et post hunc, Semma filius Age de Arari. Et congregati sunt Philisthim in statione : erat quippe ibi ager plenus lente. Cumque fugisset populus a facie Philisthim, stetit ille in medio agri, et tuitus est eum, percussitque Philisthæos : et fecit Dominus salutem magnam. Nec non et ante [6] descenderant (h. Et descenderunt) tres qui erant principes inter triginta, et venerant tempore messis ad David in speluncam Odollam : castra autem Philisthim erant posita in valle Gigantum. Et David erat in præsidio : porro statio Philistinorum tunc erat in Beth-Leem. (T. CXXXV.) Desideravit igitur David, et ait : Si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna quæ est in Beth-Leem juxta portam ? Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum,et hauserunt aquam de cisterna Beth-Leem, quæ erat juxta portam, et attulerunt ad David : at ille noluit bibere, sed libavit eam Domino, dicens : Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc (h. Absit a me, Domine, ut faciam hoc) ; num sanguinem hominum istorum,qui profecti sunt, et animarum periculum bibam ? Noluit ergo bibere. Hæc fecerunt tres robustissimi. Abisai quoque frater Joab filius Sarviæ, princeps erat de tribus istis [7] : ipse est qui elevavit hastam suam contra trecentos quos interfecit, nominatus in illis tribus, et inter tres nobilior, eratque eorum princeps, sed usque ad tres primos (h. *non habet* primos) non pervenerat. Et Banaias filius Joiadæ viri fortissimi (h. filii viri fortissimi), magnorum (h. magister) operum, de Cabseel (*ms.* Capsael) : ipse percussit duos leones Moab, et ipse descendit, et percussit leonem in media cisterna diebus nivis. Ipse quoque interfecit Ægyptium virum, virum dignum spectaculo,habentem in manu hastam : itaque cum descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Ægyptii, et interfecit eum hasta sua. Hæc fecit Banaias filius Joiadæ. Et ipse nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores : verumtamen usque ad tres non pervenerat : fecitque eum sibi David auricularium, a secreto (h. *non habet* a secreto).Asaal frater Joab inter triginta. Eleanan filius patrui ejus (h. filius Dodo) de Beth-Leem, Somma de Arodi, Elica de Arodi, Heles (*ms.* Arari Helas) de Phelti, Hira filius Aces de Thequa, Abiezer de Anathoth, Mobonnai, de Usati [8], Selmom Aohites, Maarai Netophathites, Heleb filius Baana (*ms.* Heled *et* Banaa),

[1] Ita mss. optimæ notæ, ac vetustissimi cum Canone Hebr. veritatis. Alii legunt quod est in editis, *magnificans* et *faciens*. MART.

[2] Tacet idem ms. hic *David ;* tum præfert, *novissima quæ dixit*, etc.

[3] In Hebr. זמרות ונעים, *unim zemiroth*, id est *egregius*, sive *jucundis psalmis*, quod nihil differt ab egregio psalte. Nec satis liquet quid Scholiastes Canonis voluerit, cum monet Hebræum et alios codices Latinos legere, *psaltæ*. Et quidem quod Latina spectat exemplaria, certum est in pluribus hoc modo legi : in Hebraico autem זמרות, *zemiroth*, non significat *Psaltam*, id est *Cantorem*, sed *Psalmos et Cantica*. Credamus igitur errorem inesse librariorum, qui ad variantem Latinam dictionem temere addiderunt notam *h*, quæ Hebr. textum significat. MART.

— Cum iis quos Scholiastes laudat, Veronens. quoque ms. *psalta* : quod idem est.

[4] Veronens. ms. *Salus mea ex eo quod non germinet :* reliquis quæ hic intermedia sunt, prætermissis. Pulchre quidem cum Hebræo, si *voluntas* saltem addidisset, quod nomen in archetypo est, חפץ : nam reliqua *nec est quidquam ex ea*, ibi pariter desiderantur, vocula autem כי, id est *quia*, æque bene redditur *ex eo quod*.

[5] Idem ms., *a manibus :* ביד, *in manus*.

[6] Illud *et ante* in Hebræo non est. Priorem particulam ms. quoque Veronens. tacet.

[7] Nomen *istis*, quemadmodum et tertio ab hoc versu *illis*, ms. Veronens. juxta Hebræum despicit.

[8] Nomina isthæc virorum fortium immutantur sæpius apud auctorem. *Quæstionum Hebraicarum* in libros Regum, qui juxta punctationem Masso-

et ipse (h. non habet) Netophathites, Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin, Banaiau Pharathonites (*ms.* Fraronithes), Heddai de torrente (h. torrentibus) Gas, Abialbon Arbathites, Azmaveth de Beromi, Eliaba de Salboni (*ms.* Alieba *et* Sabboni). Filii Jasen, Jonathan, Semma de Orori, Aiam filius Sarar Ararites, Eliphelet filius Aasbai filii Machathi (*ms.* Borodi et Ararorites, Elfeleth f. Aaboi f. Maachathi), Eliam filius Ahitophel Celonites, Esrai de Charmelo, Pharai de Arbi, Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gadi, Selec de Amoni, Naharai Berothites armiger Joab filii Sarviæ [1], Ira Jethrites, Gareb et ipse Jethrites, Urias Hetthæus. Omnes triginta septem.

(T. CXXXVI, *cap.* XXIV.) Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicentem : Vade, numera Israel et Judam. Dixitque rex ad Joab principem exercitus sui : Perambula omnes tribus Israel a Dan usque ad Ber-Sabee, et numerate populum, ut sciam numerum ejus. Dixitque Joab regi : Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum quantus nunc est, iterumque centuplicet in conspectu domini mei regis ; sed quid sibi dominus meus rex vult in re hujuscemodi? Obtinuit autem sermo regis verba Joab, et principum exercitus : egressusque est Joab, et principes militum, a facie regis, ut numerarent (*Vulg.* numerent) populum Israel. Cumque pertransissent Jordanem, venerunt in Aroer ad dexteram urbis, quæ est in valle Gadi (h.) quæ est *in medio torrentis* Gad), et per Jazer transierunt in Galaad, et in terram inferiorem Hodsi, et venerunt in Dan [5] silvestria. Circumeuntesque juxta Sidonem, transierunt prope (*ms.* propter) mœnia Tyri, et omnem terram Evæi et Chananæi, veneruntque ad meridiem Juda in Ber Sabee : et lustrata universa terra, adfuerunt post novem menses et viginti dies

A in Jerusalem. Dedit ergo Joab numerum ptionis populi regi, et inventa sunt de Isra genta [8] millia virorum fortium, qui educer dium, et de Juda quingenta millia pugi (h. virorum). Percussit autem cor Davi postquam numeratus est (*ms.* esset) pop dixit David ad Dominum : Peccavi valdi facto : sed (h. sed nunc) precor, Domine, u feras iniquitatem servi tui, quia stulte mis. (T. CXXXVII.) Surrexit itaque Davi et sermo Domini factus est ad Gad propl Videntem David, dicens : Vade, et loquere a Hæc dicit Dominus : Trium tibi datur opti unum quod volueris ex his, ut faciam tibi. venisset Gad ad David, nuntiavit ei, dice septem annis veniet tibi fames in terra t B tribus mensibus fugies adversarios tuos, et persequentur : aut certe tribus diebus eri lentia in terra tua. Nunc ergo delibera, quem respondeam ei, qui me misit, seri Dixit autem David ad Gad : Arctor nim melius est, ut incidam in manum Domini enim misericordiæ ejus sunt) quam in (*ms.* manus) hominum. Immisitque Domin lentiam in Israel, de mane usque ad temp stitutum, et mortui sunt ex populo, a Dan Ber-Sabee, septuaginta millia virorum. extendisset manum (*Vulg. add.* suam) Domini (h. *non habet* Domini) super Jerus disperderet eam, misertus est Dominus (h. Dominum) super afflictione, et ait angelo C tienti populum : Sufficit ; nunc continemanu Erat autem angelus Domini juxta aream A Jebusæi Dixitque David ad Dominum cum angelum cædentem populum : Ego sum qui ego inique egi : isti qui oves sunt (h. isti qui fecerunt ? vertatur, obsecro, man

rethicam legit *Mebunnai, Arari, Gigaal*, pro *Mobonnai, Orori Igaal*. Canon Hebraicæ veritatis emendata habet vocabula eadem prout posita leguntur in jam dictis *Quæstionibus ;* quare ne pro vero falsum Hieronymum obtrudamus, tales abjecimus emendationes, et ad fidem cæterorum codicum mss. in quibus integra superest prima lectio Canonis, hæc et similia nomina restituere curavimus. MART.

[1] Ms. Veronens. *filius*, in recto. Græcus quoque in aliquot exemplaribus υἱὸς, Hebr. utrumque suscipit casum.

[2] Hodiernus Hebræus textus habet, דנה יען : *in Dan Iahan*. S. Hieronymus pro ultimo *nun* legerit *resch*, sive יעי pro יען : atque id quidem rectius : nam *Jahan* loci nomen aut nihil est, aut certe alibi in Scripturis non occurrit.

[3] Nihil dubitavimus reponere hic *octingenta* ad fidem librorum omnium, quot nobis innotuerunt, ex Hebræis, Græcis Latinisque mss., æque ac Vulgatis. Ac scimus hoc de sensu disputatum magnopere inter eruditos, multumque discrepare ab hoc numero auctorem libri Paralipomenon. Verum unde Martianæus *octoginta* excuderit pro *octingenta*, haud scimus : illudque ægrius ferimus, ne verbo quidem lectorem de inducta noviter lectione ab eo esse admonitum.

[4] Vitiose erat antea *ille,* ; ms. Veronen Vulgatis et Græco, *te* non habet.

[5] In hodiernis Hebræorum voluminibus batus est ordo litterarum istius nomin enim legitur הארנה, *haavarna*. Verum mo Massorethicum *Ceri* tam in editis, quam in scriptis libris supra laudatis, legendum ; *haarauna*. Ita quoque scriptum reperimus in Pelissonæo Hebræo codice, qui nullam criticam notam Massoretharum ; etsi infr legat corrupte cum cæteris ארניה, *Arania*. D usus est exemplari Scholiastes Canonis Heb ut non solum ex notatione marginali *Arania* festum apparet, sed etiam ex eodem supra nomine *Areuna* in textu, quod emendator mutavit cum *Aravena*, mobile faciens *sch* littera *vau*, quamvis post motionem parva vocalem *parahh*, *scheva* minime legatur apud maticos recentiores. Hoc interim propter stu ac curiosum lectorem. MART.

— Pro *Aureuna*, qui Veronensem librum psit, monuit in margine legendum *Orna* quidem nominis scriptura ex Græco accipit Hebræo enim varie concepta est, ורנה, הארונה, et ארניה, aut certe ex libris Parali non I, cap. XXII, 28, et II, cap. III, 1, ubi gnomine Jebusæi obtinet.

contra me, et contra domum patris mei. Venit autem Gad ad David in die illa, et dixit ei : Ascende, et [*Vulg. tac.* et] constitue altare Domino in area Areuna [h. hic *Ariana*] Jebusæi. Et ascendit David juxta sermonem Gad, quem præceperat *ei* [1] [h. non habet] Dominus. Conspiciensque Arenna, animadvertit regem et servos ejus transire ad se, et egressus adoravit regem prono vultu in terram, et ait : Quid causæ est ut veniat dominus meus rex ad servum suum ? Cui David ait : Ut emam a te aream, et ædificem altare Domino, et cesset interfectio quæ grassatur in populo. Et ait Areuna ad David : A Accipiat, et offerat dominus meus rex, sicut ei placet ; habes boves in holocaustum, et plaustrum et juga boum in usum lignorum. Omnia dedit Areuna rex [2] regi : dixitque Areuna ad regem : Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum. Cui respondens rex, ait : Nequaquam, ut vis, sed emam pretio a te, et non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo David aream, et boves, argenti siclis quinquaginta, et ædificavit ibi David [3] altare Domino, et obtulit holocausta et pacifica : et repropitiatus est Dominus terræ, et cohibita est plaga ab Israel [4].

[1] Quod verissime notat Scholiastes, non esse in Hebræo additum *ei*, ms. quoque Veronensis tacet.

[2] Canon solus cum Vulgata retinet verbum illud, *rex*. Legitur quidem in Hebræo, non tamen apud LXX. Areuna ergo regulus fuit, aut de stirpe regum B Jebusæorum : in libris Paralipomenon idem Jebusæus appellatur *Ornam ;* quod neutiquam prætermissum voluit scriptor *QQ Hebraicarum* in eosdem libros Paralipomenon. MART.

— Mulctat regis titulo Areunam Veronensis ms. in que tantum est ; *Dixit Areuna regi*, etc ; neque est revera illud *rex* additum in aliis mss., uno, quem Canonem vocat Martianæus, excepto. Quod autem in Hebræo sit, critici magni nominis culpæ hoc tribuunt amanuensis : aut salva ejus textus integritate, sic explicant ex Hebraicæ linguæ ingenio, *Areuna, o rex, omnia dat regi.*

[3] Non addit hic Veron. ms. *David*, quod nomen plerique libri alii habent.

[4] Rectissime ad Hebræi exemplaris normam Veronens. ms. *Finit liber Samuel.* Diximus et Hieronymo hanc probari partitionem in Prologo : *Tertius sequitur Samuel, quem nos Regnorum primum et secundum dicimus.* Et paulo post : *Lege ergo primum Samuel, et Malachim meum.* Sed et e Græcis interpretibus Aquila (quod Coisliniani codices apud Montfauconium testantur) : Ἑβραίοις ἑπόμενος, οὐ διεῖλε, ἀλλὰ μίαν τὰς δύο πεποίηκεν : *Hebræos secutus, non divisit, sed unum ex duobus libris fecit.*

Expliciunt libri duo Samuel.

TITULI LIBRI MALACHIM.

I. Ubi Salomon ungi jubetur.
II. Ubi Salomon ungitur in regem.
III. Ubi David alloquitur Salomonem moriturus.
IV. Hic dormit rex David, qui regnavit annis XL.
V. Adonias virginem, quæ cum David erat, petit uxorem.
VI. Ubi Adonias occiditur.
VII. Ubi occiditur a Bania Joab.
VIII. Interfectio Semei.
IX. Ubi a Domino visitatur Salomon.
X. A duabus mulieribus Salomon interpellatur.
XI. Ubi nomina omnium principum regi Salomoni ostenduntur.
XII. Hic quies regis Salomonis describitur.
XIII. Ubi Hiram rex Tyri mittit ad regem Salomonem.
XIV. Item quies regni Salomonis, et dispositio templi.
XV. Ubi rex Hiram in fabricam templi consentit.
XVI. Cœptum fabricæ templi.
XVII. Descriptio templi.
XVIII. Perfectio templi.
XIX. Ubi ornamenta templi et ministeria describuntur.
XX. Translatio arcæ in templum.
XXI. Descensio Domini in templum, et oratio Salomonis, cum benedictionem in populo fecit.
C XXII. Locus orationis aptus in dedicatione Ecclesiæ.
XXIII. Prophetia Salomonis captivitatis populi.
XXIV. Consummotio orationis, et benedictio populi.
XXV. Cœptum sacrificii post orationem.
XXVI. Omnibus perfectis, Salomon a populo benedicitur.
XXVII. Ubi Dominus dicit elisurum se templum, si peccaverit populus.
XXVIII. Ubi de filiis gentium servitio regis ordinantur.
XXIX. Ubi Salomon classem fecit ad mare Rubrum cum servis Hiram.
XXX. Ubi regina Saba ad regem venit.
XXXI. Quanta regi ponderatio offertur auri per singulos annos.
D XXXII. Ubi arma regis, et omnia ministeria designantur.
XXXIII, Ubi Salomon in mulieribus peccat, et idolis servit.
XXXIV. Post peccatum Salomonis adversarius adversum eum exsurgit Adad.
XXXV. Ubi alium inimicum Razon Salomonis suscitat Deus.
XXVI. Jeroboam rebellat adversus Salomonem.
XXXVII. Ubi Achias regnum promittit Jeroboam.
XXXVIII. Ubi Salomon moritur, qui regnavit annis quadraginta.

XXXIX. Ubi regnat Roboam filius Salomonis.
XL. Ubi Roboam petitionem populi cum senioribus tractat.
XLI. Item post consilium senum cum junioribus tractat.
XLII. Separatio populi a Roboam.
XLIII. Ubi tribus Jeroboam regem faciunt.
XLIV. Ubi Roboam duæ tantum tribus sequuntur in Jerusalem.
XLV. Ubi admonetur Roboam et populus ne pugnent adversum Jeroboam, et populum Israel.
XLVI. Ubi Jeroboam a Deo avertitur, et facit vitulos quos adoret populus.
XLVII. De sacerdotibus non faciendis nisi ex tribu Levi.
XLVIII. Ubi propheta, sine nomine designato, Jeroboæ dicit vitulos quos fecit a Josia ex semine David esse destruendos : quos invenit post annos CC : cujus rei mentio fit capitulo CCXII.
XLIX. Ubi aruit manus Jeroboam quam erexerat contra prophetam.
L. Item pro oratione propbetæ manus ei restituuntur.
LI. Ubi alio propheta in Bethel decipitur qui de Juda venerat.
LII. De contemptu damnatur idem ipse.
LIII. Ubi a leone occiditur inobediens.
LIV. Ubi Jeroboam de extremis populis sacerdotes excelsorum facit.
LV. Ubi pro salute filii uxor Jeroboam ad Achiam prophetam pergit.
LVI. Pronuntiatio prophetæ quæ ventura sunt Jeroboam.
LVII. Hic moritur Jeroboam, qui regnavit annis XII. et regnat Nadab filius ejus pro eo.
LVIII. Hic ad Roboam Scriptura divertit, quem dicit regnasse in Juda annis XVII.
LIX. Primus rex Ægypti Susach Jerusalem prædat.
LX. Hic moritur Roboam, et regnat Abia filius ejus.
LXI. Hic moritur Abia, et suscipit regnum rex Juda filius ejus, qui regnavit annis XL idem Asa.
LXII. Ubi laudatur Asa rex Juda, quod inter omnia simulacra templum Priapi evertit.
LXIII. Hic Scriptura revertitur ad Nadab filium Jeroboam, qui regnavit post patrem suum annis duobus.
LXIV. Hic occiditur Nadab secundus rex Israel ab Asa tertio rege Juda.
LXV. Ubi postulabat auxilium Asa rex Juda adversus Basan regem Israel.
LXVI. Transgressionem dicit Basæ regis Israel.
LXVII. Hic moritur Basa, et regnat filius ejus Hela quartus cum Jeroboam.
LXVIII. Hic occiditur Hela rex a Amri, qui regnavit in Israel quintus cum Jeroboam.
LXIX. Hic Amri levatur rex a populo post Hela, et est sextus cum Zambri, qui regnavit diebus VII.
LXX. Hic ostenditur Ambri XII annis regnasse.
LXXI. Hic moritur Ambri e regnat filius eo.
LXXII. Allocutio Eliæ ad Ahab de trib sterilitatis.
LXXIII. Elias propheta bis per diem a cor tur.
LXXIV. Hic Elias a vidua pascitur.
LXXV. Hic Elias filium viduæ suscitat.
LXXVI. Elias ad Ahab jubetur reverti.
LXXVII. Elias et Abdias se alloquuntur.
LXXVIII. Elias Ahab regi se ostendit.
LXXIX. Ubi Elias et sacerdotes Baalim altercantur.
LXXX. De igne diviso, et interitu sacerdot
LXXXI. Orante Elia, Dominus pluviam d
LXXXII. Elias fugit a facie Jezabel.
LXXXIII. Ubi Elias jejunat XL diebus.
LXXXIV. Ubi jubetur ungere Azael regen Jehu in Israel, et Elisæum prophetam.
LXXXV. Ubi ab Elia assumitur Elisæus.
LXXXVI. Ubi secutus Eliam Elisæus fac vium.
LXXXVII. Ubi propheta sine nomine alloqui quod superaturus sit Benadad regem S
LXXXVIII. Ubi contra Ahab Benadad pugn peratur secundo.
LXXXIX. Satisfactio Benadad circa Ahab.
XC. Exprobratio Ahab de pace Benadad.
XCI. Ubi alloquitur propheta Ahab annunti Domini, eo quod pepercerit Benadad re
XCII. Ubi desiderat Ahab vineam Nabod.
XCIII. Consilium dat Jezabel ad occidendu
XCIV. Ubi Elias ad Ahab mittitur post mo bod.
XCV. Allocutio Eliæ prophetæ ad Ahab de Jezabel.
XCVI. Post admonitionem Eliæ, Ahab in I tiam volvitur.
XCVII. Conjuratio Ahab et Josaphat adversu Syriæ.
XCVIII. Ubi Michæas propheta ad Ahab d
XCIX. Ubi Sedechias propheta ad Ahab fa phetat.
C. Ubi Michæas propheta prohibet Ahab et ne ad bellum exeant.
CI. Spiritus mendax se offert ad Ahab decip
CII. Ubi Sedechias Michæam percutit in m
CIII. Hic Ahab vulneratus in prælio moriti
CIV. Ubi exsurgit Ochozias rex filius ejus, octavus.
CV. Ubi ad Josaphat Scriptura revertitur, q gnasse dicit in Juda annis XXV.
CVI. Hic moritur Josaphat, et regnat post ram filius ejus, quintus rex.
CVII. Cadens Ochozias e templo idola con bet.
CVIII. Ubi Ochoziam Elias moriturum proi
CIX. Ubi Ochozias jubet tertio per quinquag milites Eliam adduci.

CX. Ubi Elias Ochoziæ mortem annuntiat, post quem regnavit Joram octavus rex.

CXI. Ubi Elias raptus in cœlum.

CXII. Pallio misso Elias aquas Jordanis dividit.

CXIII. Ubi Elisæus spiritum Eliæ accipit, sicut petit.

CXIV. Miraculo Elisæi incipiunt aquæ dulcari.

CXV. Ubi pueri irrident Elisæum, et ab ursis devorantur.

CXVI. Ubi designatur quod Joram filius Ahab XII annis regnaverit.

CXVII. Hic rex Moab a pace regis Israel discedit.

CXVIII. Ubi tres reges ascendentes contra regem Moab propter penuriam aquæ laborant, et consulunt Elisæum.

CXIX. Ubi Elisæus sine pluvia aquas regibus dat.

CXX. Ubi Elisæus mulieri viduæ vasa vacua oleo implet.

CXXI. Ubi Elisæus muliere hospitio recipitur, et ejus filium postea suscitavit.

CXXII. Ubi Elisæus filium promittit mulieri, quæ eum hospitio recepit.

CXXIII. Hic moritur filius mulieris, qui, promittente Elisæo, fuerat natus.

CXXIV. Commemoratio Giezi ad Elisæum de puero suscitando.

CXXV. Ubi Elisæus puerum suscitat.

CXXVI. Ubi filii prophetarum ab herbis venenosis farina infusa liberatur.

CXXVII. Ubi Naaman leprosus ab Elisæo instruitur.

CXXVIII. Naaman in Jordane a lepra mundatur.

CXXIX. Munera Naaman Elisæus non accipit.

CXXX. Ubi puer Giezi Elisæi suppetit munera a Naaman jam curato.

CXXXI. Reprehensio Giezi ab Elisæo pœnalis præfertur.

CXXXII. Ubi Elisæus de Jordane ferrum levat.

CXXXIII. Annuntiat Elisæus regi Israel insidias regis Syriæ.

CXXXIV. Ubi Elisæus missos a rege Syriæ obcæcat.

CXXXV. Rex Joram a mulieribus interpellatur, quibus in fame filios suos comedere placuerat.

CXXXVI. Ubi Elisæus postfamem regi abundantiam promittit.

CXXXVII. De quatuor leprosis ad regem Syriæ transeuntibus, qui eum nuntiant fugere.

CXXXVIII. A Benadad Elisæus consulitur de infirmitate sua.

CXXXIX. Ubi Elisæus regnum Syriæ Azael promittit.

CXL. Hic Benadad rex Syriæ.

CXLI. Mortuo Josaphat rege Judæ, regnat, Joram filius ejus annis VIII : quintus est cum Roboam.

CXLII. Hic moritur Joram filius Josaphat, et regnat post eum Achazias filius ejus anno uno, et est septimus cum Roboam.

CXLIII. Ubi vulneratur cum eo Joram filius Ahab rex Israel ab Azael rege Syriæ.

CXLIV. Ubi Elisæus mittitur ad Jehu ungendum in regem Israel post Joram filium Ahab, et est decimus rex.

CXLV. Ubi Jehu Joram filium Ahab occidit.

CXLVI. Ubi Jehu contra Joram vulneratum rebellat.

CXLVII. De occisione Achaziæ regis judæ a Jehu rege Israel.

CXLVIII. Ubi Jezabel occiditur, et a canibus devoratur.

CXLIX. Ubi filios Ahab Jehu jubet occidi.

CL. Ubi fratres Achaziæ regis Judæ occidit Jehu.

CLI. Ubi jubet vocari Jehu omnes prophetas Baal, et universos servos ejus, cunctosque sacerdotes.

CLII. Ubi Jehu occisis sacerdotibus, etiam statuam incendit.

CLIII. Hic moritur Jehu, qui regnavit annis XXVIII ; cui succedit Joachas filius, et est undecimus rex.

CLIV. Hic Joas septem annorum ex semine regio a Joiada sacerdote ungitur in regem Juda.

CLV. Mortua Athalia, ostenditur XI annis regnasse Joas in Juda.

CLVI. Ubi ostenditur Joiadam sacerdotem a consiliis regis Joas non defuisse.

CLVII. Ubi oblationum genera tria ostenduntur voto peregrinatorum cura salutis, spontanea voluntate.

CLVIII. Ubi sacerdotes pecuniam de templo accipere prohibentur ob negligentiam.

CLIX. Ubi dipensatorum fides ostenditur, et dimittendum quod in templo erogatur.

CLX. De oblatione pro dilectis facta, ut sacerdotibus proficiat.

CLXI. Hic moritur Joas, et Amasias regnat in Judæa, id est, filius ejus.

CLXII. Scriptura ad regem Israel revertitur.

CLXIII. Mortuo Joachas, accipit regnum Israel Joas filius ejus, et est duodecimus rex, qui regnavit annis XVI.

CLXIV. Hic moritur Joas rex Israel, et regnat post eum Jeroboam rex decimus tertius.

CLXV. Moritur Elisæus, et prophetat populum Israel superaturum populum Syriæ.

CLXVI. Mortuus Elisæus mortuum suscitat.

CLXVII. Joas Syriam superat secundum verbum Elisæi.

CLXVIII. Scriptura ad regem Juda revertitur, et dicit Amasiam regnasse annos XXVIII.

CLXIX. Ubi Amasias rex servos occidit, qui patrem ejus occiderunt, et filiis parcit secundum legem Mosi datam.

CLXX. Ubi pugnat Joas rex Israel contra Amasiam regem Juda.

CLXXI. Post bellum cum Amasia confectum moritur Joas, cui succedit Jeroboam filius ejus.

CLXXII. Mortuo Amasia, fit a populo rex Azarias, et est undecimus in Juda.

CLXXIII. Ubi Scriptura redit ad regem Jeroboam, quem dicit regnasse in Israel annis XL.

CLXXIV. Ubi Jonas propheta ostenditur fuisse temporibus illis.

CLXXV. Hic moritur Jeroboam, et regnat Zacharias filius ejus annis XIV.

CLXXVI. Ubi Scriptura revertitur ad Azariam regem Juda, qui regnavit annis LII; et hic erat leprosus.

CLXXVII. Ubi Azarias rex Juda moritur, et Scriptura ad Zachariam regem Israel redit.

CLXXVIII. Ubi Zacharias occiditur, et Sellum pro eo in Israel regnum suscipit, et est decimus quintus rex finita jam promissione Domini in progenie Jehu.

CLXXIX. De occiso Sellum, qui regnavit mense uno: pro quo Manahem suscepit regnum in Israel, qui est decimus sextus.

CLXXX. Indictio argenti divitibus Manahem, quod detur regi Syriæ.

CLXXXI. Ubi Manahem moritur, et regnat post eum Phaceia filius ejus, et est decimus septimus rex.

CLXXXII. Ubi occiditur Phaceia a Phacee, qui fuit rex decimus octavus in Israel.

CLXXXIII. Ubi Osse filius Phaceia occidit Phacee, et regnat decimus nonus in Israel.

CLXXXIV. Ubi Scriptura redit ad Joatham regem Juda, quem dicit regnasse annos XVI.

CLXXXV. Ubi Joatham moritur, et regnat Achaz duodecimus in Juda annos XVI.

CLXXXVI. Ubi Achaz rex Juda filium suum idolis consecrat.

CLXXXVII. Ubi Achaz altare novum fieri jubet ab Uria sacerdote.

CLXXXVIII. Ubi ordinat rex Achaz cum Uria sacerdote, quæ sacrificia novo altari imponantur.

CLXXXIX. Hic moritur Achaz, et regnat pro eo Ezechias decimus tertius.

CXC. Ubi redit Scriptura ad regem Israel, et ostendit Osee regnasse IX annis.

CXCI. Hic explicitis regibus Israel, qui sunt a Jeroboam usque in Osee novemdecim, captivatus populus Israel a Salmanasar rege Assyriorum.

CXCII. De gentibus a rege Assyriorum in Samariam transductis, et leonibus devoratis.

CXCIII. Commemoratio mandatorum legis per Moysen populo datæ.

CXCIV. Ubi ad regem Juda Scriptura revertitur, et dicit, Ezechiam regnasse annos XIX.

CXCV. Hic ostenditur Ezechiam et lucos et serpentem æneum, quem Moyses erexerat, comminuisse.

CXCVI. Ubi Salmanasar rex Syriæ Samariam debellat temporibus Ezechiæ regis Juda.

CXCVII. Ubi Ezechias rex Juda Isaiam consulit obsessus a rege Assyriorum.

CXCVIII. Ubi Isaias propheta Ezechiæ victoriam pollicetur.

CXCIX. Ubi Rabsaces in regionem suam revertitur.

CC. Ubi Isaias prophetat de rege Assyriorum ad Ezechiam.

CCI. Ubi Ezechiæ mors ab Isaia pronuntiatur.

CCII. Ubi adduntur Ezechiæ ad vitam XV anni.

CCIII. Munera missa Ezechiæ a rege Babylonis.

CCIV. Prophetatio Isaiæ venturum populum Juda in captivatem Babyloniæ.

CCV. Hic moritur Ezechias, et regnat filius ejus Manasse LV annis, et est rex in Juda XIV.

CCVI. Ubi post immundas sanctiones Manasse regis, prophetant multi captivitatem Judæ.

CCVII. Ubi moritur Manasses, et regnat Ammon filius ejus annis duobus.

CCVIII. Ubi Ammon a servis occiditur, et fit rex Josias filius ejus, qui fuit decimus sextus, et regnavit annis XXI.

CCIX. Ubi jubetur rex Josias pecuniam templi colligi, et sartis tectis expendi.

CCX. Ubi ostenduntur rationes non redditæ a præpositis templi.

CCXI. Hic traditur liber legis regi Josiæ, quo lecto, omnia simulacra et lucos incendit.

CCXII. Ubi non tanguntur ossa illius prophetæ, qui sine nomine ad Jeroboam venerat, cujus mentio fit in superiori capitulo XLVIII.

CCXIII. Ubi ostenditur etiam recto corde Josiæ regis Judæ et Jerusalem captivitatem non amotam.

CCXIV. Hic occiditur Josias, et regnat Joachaz filius ejus mensibus III: qui est decimus septimus.

CCXV. Remoto Joachaz rege, regnat Joachim frater ejus decimus octavus annis XI.

CCXVI. Hic ostenditur noluisse Deum propitiari populo Juda propter Manassen.

CCXVII. Hic moritur Joachim, et accipit regnum, jam captivo populo Joacim filius ejus, qui postea Sedecias dictus est, et regnavit annis XI.

CCXVIII. Ubi Nabuchodonosor regi Babyloniæ traditur populus Juda cum rege Sedecia, et templum Jerusalem incenditur.

CCXIX. Postquam Sedecias, qui et Joacim dictus est, captivus cæcusque in Babyloniam ductus est præponitur in Jerusalem Godolias.

CCXX. Ubi de carcere Joachim, qui et Jechonias, liberatur, et alimoniis statutis pascitur. Populusque omnis in captivitate remansit.

CAPITULATIO LIBRI MALACHIM.

I. De senectute David, et de Abisag Sonamite, et de Odonia filio David, qui affectavit succedere in regnum, et de Salomone uncto in regem.

II. De præceptis David in quibus instituit Salomonem, et de morte David, et de interfectione Adoniæ, Abiatar, Joab, et Semei.

III. De filia Pharaonis uxore Salomonis, et de visione ejus in Gabaon ubi a Domino sapientiam (Ed. apparitione Domini, ubi sapientiam, etc.) postulat, de (Ed. judicio de) duabus mulieribus, pro infante mortuo litigantibus (Ed. tacet, mortuo litigantibus) et de ducibus ac principibus.

IV. De expensa Salomonis diurna, et de equis et curribus, et de sapientia, et parabolis ejus, et de Chira rege et lignis cedrinis et expensa operariorum ligna cædentium [Ed. tacet ligna cadentium).

V. De constructione templi, et divina contestatione ad Salomonem, et de altari et reliquis.

VI. De domibus quas ædificavit Salomon sibi, et uxori Ægyptiæ, et de Chiram ærario et de mare et bubus et leonibus æneis, et reliquis utensibus templi.

VII. De arca in templum locata, et de gloria quæ apparuit in nebula, et deprecatio Salomonis ad Dominum et ad populum benedictio.

VIII. De solemnitate celebrata et de pecudum numero in sacrificiis oblatorum, et quomodo ei Dominus secundo apparens sic locutus; et de (Ed. apparuit, et de, etc.) Pharaone ubi Gazer urbem captam filiæ suæ in dotem dedit: et de reliquis urbibus (Ed. tacet urbibus), quas Solomon ædificavit, et de principibus ejus DL, et de classe quam fecit.

IX. De regina Saba, et muneribus ejus: et de lignis thyanis, et auro a Chira rege delitis, et de reliquis tributis, et de ducentis scutis aureis, et de curribus et equis (Ed. equitibus), et de thorono Salomonis.

X. De uxoribus et concubinis Salomonis per quas depravatus (Ed. prævaricatus) est, a divina increpatione correptus, Satanæ traditus est: et de Adad et Jeroboam odiis contra eum, et de Achia propheta ad Jeroboam misso, et de Salomonis morte.

XI. De regno Roboan in duas tribus, et de Semeia propheta ad eum misso et de Jeroboam regno et idolis quæ fecit.

XII. De propheta misso ad Jeroboam qui prophetavit de Josia nascituro; ubi Jeroboam manus aruit, et propheta ab altero circumventus occisus a leone est.

XIII. De prophetia Habiæ ad uxorem Jeroboam (Ed. add. et de morte filii ejus, et de morte Jeroboam, etc.), et de Nadab filio ejus succedente in regno, et de iniquitatibus populi, et Sesac rege Ægypti qui excidit Jerusalem, et de morte Roboam.

XIV. De Abia filio Roboan, et de morta ejus, et de Asa filio ejus qui pro eo regnavit, cui Josaphat filius successit, et de morte Nadab, et de Baasa filio ejus rege Israel.

XV. De Jeu propheta misso ad Baasa, et de morte Baasa: et de Hela filio ejus, et de Zambri, et Tebui (Ed. supplet et Amri).

XVI. De Achab filio Ambri, et Jezabel, et de Heliæ actibus, et de muliere Seraphtena, cujus filium suscitavit, et de Abdia qui abscondit centum prophetas, et de prohetis idolorum CCCL ocisis, et de fuga Heliæ, et de visione in monte Choreb.

XVII. De Helia ubi jubetur ungere Azahel regem super Syriam, et Jeu super Israel, et Helisæum prophetam: et de Benadad rege Syriæ, et bello in quo de Syriis centum millia ceciderunt et de propheta qui alterum (Ed. ad alterum) dixit: Percute me; et de Naboth et vinea ejus, et de increpatione Heliæ (Ed. Achab tantum), et Acham pœnitentia.

XVIII. De conventu Josaphat, et Achab regum, et de CCCC pseudoprophetis, et de Michæa propheta, et de bello in quo Achab periit, et de Ochozia filio ejus, et de Joram filio Josaphat (Ed explicuerunt Capitula. Incipiunt Capitula de libro Regum quarto. De allocutione angeli ad Heliam super Ochozia, etc], et prophetia Heliæ super Ochosia, et de quinquagenis igne ad verbum Heliæ consumptis.

XIX. De Joram fratre Ochosiæ, et de Helia ubi Jordanem dividit et in cœlum rapitur, et de Helisæi reditu et divisione Jordani, et de Joram et Josaphat et rege Edom, ubi dimicaverunt contra Moab, ubi aquæ (Ed. aquam) terram sine pluvia repleverunt.

XX. De muliere cujus vasa oleo impleta sunt ad Helisæi verbum; et de Sonamite, cujus filium suscitavit.

XXI. De Neemam Syro leproso per Helisæum curato, et de Giesi puero Helisæi.

XXII. De rege Syriæ qui venit obsidere Samariam, ubi Helisæus orans, hostes cæcitate percussit, et de obsidione et fame, ubi duæ mulieres comederunt infantem: et de fuga Syrorum.

XXIII. De fame annorum septem, et de Sonamite quæ peregrinata est, et de Benadad (Ed. Nadab.) et Azachel regibus Syriæ, et de Gaza (Ed. Achazia).

XXIV. De Jeu uncto in regem, qui occidit Jora, et Jezabel, et LXX filios Achab, et sacerdotes Baal.

XXV. De Azachel quomodo evertit Galaad, et Joachaz filio Jeu, et de Athalia regina, de Joas oc-

cultato, et de Joada sacerdote, et de restauratione templi.

XXVI. De Azachel rege Syriæ, quomodo asportavit de Israel thesauros, et de Amasia filio Joas et de Joachaz filio Jeu, et de Joas filio ejus, et de morte Helisæi et de eo qui rescuscitatus est super ejus sepulcum [Ed. tacet super ejus sepulcrum).

XXVII. De Amasia rege Juda, et de bello quod ei intulit Joas, et de Jeroboam filio Joas, et de Azaria filio Amaziæ, et de Zacharia filio Jeroboam.

XXVIII. De Joatha filio Azariæ, et de Jona propheta et de Sellum (Ed. Azariæ propheta et de Sellum, etc.), qui regnavit post Zachariam, et pest Sellum Anahem, et de Ful rege Assyriorum, et de Phaceia Ed. Phac, et de Phaceia) post quem Phacee filius Romoliæ.

XXXIX. De Theglal rege Assur, quomodo Galilæam, et Galaad demolitus est, et de Osee qui regnavit post Phacee, et de Achaz filio Joathæ, et quæ de Rasin et Phacee referuntur.

XXX. [Ed. totum hocce capitulum prætermittit.] De Ezechia filio Achaz, et de Osee rege Israel, et de Salmanasar, et de Samaria capta quod ob iniquitatem interierit Israel, et de alienigenis, quos in Samaria, leones comederent.

XXXI. De Ezechia quomodo abstulit æneum serpentem, et de Senacheribo et Rapsace, et Isaia propheta et quomodo angelus centum... xx millia [Ed. centum octoginta quinque millia] de Assyriis interfecit.

XXXII. De ægritudine Ezechiæ, et de signo in sole, et de pueris et litteris Berodach regis Babylonis, de Manasse et iniquitatibus ejus, et de Ammon filio Manasse.

XXXIII. De Josia filio Ammon, et de libro in templo reperto, et de Oldad propheta, et idolis de Juda et de Samaria expurgatis, et de Pascha quod celebravit (Ed. sup. Josias).

XXXIV. De Joachaz filio Josiæ, et de Nechao rege Ægypti; quomodo Joacim regem loco Joachaz [Al. Joaz] fecerit, et de Nabuchodonosor, et de [Jojachim [Al. et de Joachim [Al. et de Joachim duntaxat, absque filio Jojachim), et de captivitate secundo in Babylonem abducta cum rege Jojacin, et de Sedecia.

XXXV. De tertia captivitate in Chaldæam, cum Sedecia rege, et universis templi vasis translatis, et de Godolia, quomodo vel præpositus, vel occisus est, et de Joacin in Babylone educto de carcere.

INCIPIUNT

LIBRI DUO MALACHIM.

LIBER PRIMUS[1].

[*Cap.* I.] Et rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus, non calefiebat. Dixerunt ergo servi sui: Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege, et foveat (h. operiat) eum, dormiatque in sinu suo, et calefaciat dominum nostrum regem. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, et invenerunt Abisag Sanamiten, et adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege (h. fuitque operimentum regi), et ministrabat ei rex vero non cognovit eam. Adonias autem filius Haggith elevabatur dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currum et equites et quinquaginta viros, qui ante eum currerent. Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem et ipse pulcher valde, secundus natu post Absalon [h. et ipsum peperit post Absalon]. Et sermo ei cum Joab filio Sarviæ, et cum Abiathar sacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ. Sadoc vero sacerdos, et Banaias (*ms.* Banias), filius Joiadæ, et Natham propheta et Semei, et Rei, et robur (h. et robustissimi David) exercitus David non erat cum Adonia. Immolatis ergo Adonias arietibus (h. ovibus) et vitulis, et universis pinguibus, juxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus fonti Rogel, vocavit universos fratres suos filios regis, et omnes viros Juda servos regis. Nathan autem prophetam, et Banaian, et robustos quosque, et Salomonem fratrem suum non vocavit. Dixit itaque Nathan ad Bethsabet, matrem Salomonis: Num audisti, quod regnaverit Adonias filius Haggith, et dominus noster David *hoc* (h. non habet) ignorat? Nunc ergo veni, accipe a me consilium, et salva animam tuam, filiique tui *Solomonis* (h. non habet.) Vade et ingredere ad regem David, et dic ei: Nonne tu, domine mi rex, jurasti *mihi* (h. non habet ancillæ tuæ, dicens quod (*Vulg.* tacet quod) Salomon filiis tuus regnabit *primus*. Recole quæ superius hac de re adnotamus in fine libri Samuel.

[1] In Veronensi ms. in quo ad Hebræi textus normam singularis est liber Malachim, non additur

gnabit post me,et ipse sedebit in solio meo? quare ergo regnat Adonias [1] ? Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, et complebo sermones tuos. Ingressa est itaque Bethsabee ad regem in cubiculum:rex autem senuerat nimis, et Abisag Sanamitis ministrabat ei. Inclinavit se Bethsabee, et adoravit regem. Ad quam rex : Quid tibi,inquit, vis ? Quæ respondens, ait : Domine mi, tu jurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ. Salomon filius tuus regnabit post me,et ipse sedebit in solio meo.Et ecce nunc Adonias regnat [2],te, domine mi rex,ignorante. Mactavit boves, et pinguia quæque, et arietes [h. oves] plurimos, et vocavit omnes filios regis, Abiathar quoque sacerdotem, et Joab principem militiæ:Salomonem autem servum tuum non vocavit. Verumtamen, domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israel, ut indices eis, qui sedere debeat in [h. in solio domini mei regis post eum] solio tuo, domine mi rex, post te. Eritque,cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego et filius meus Salomon peccatores. Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit.Et nuntiaverunt regi, dicentes:Adest Nathan propheta. Cumque introisset ante conspectum (*Vulg.*in conspectu) regis,et adorassent eum pronus in terram, dixit Nathan : Domine mi rex, tu dixisti : Adonias regnet post me, et ipse sedeat super thronum meum? Quia descendit hodie, et immolavit boves, et pinguia, et arietes (oves) plurimos,et vocavit universos filios regis, et principes exercitus, Abiathar quoque sacerdotem : illisque vescentibus, et bibentibus coram eo, et dicentibus: Vivat rex Adonias : me servum tuum, et Sadoc sacerdotem, et Banaiam filium Joiadæ, et Salomonem famulum tuum, non vocavit. Nunquid a domino meo rege exivit hoc verbum, et mihi non indicasti servo tuo,quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum? Et respondit rex David, dicens : Vocate ad me Bethsabee. Quæ cum fuisset ingressa coram rege, et stetisset ante eum, juravit rex, et ait : Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia,quia sicut juravi tibi per Dominum Deum Israel, dicens : Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit super solium meum pro me : sic faciam hodie. Summissoque Bethsabee in terram vultu, adoravit regem, dicens : Vivat dominus meus rex (*Vulg.* tacent rex) David in æternum. (Titulus I.) Dixit quoque rex David : Vocate mihi Sadoc sacerdotem, et Nathan prophetam, et Banaiam filium Joiadæ.Qui cum ingressi fuissent coram rege, dixit ad eos : Tollite vobiscum servos domini vestri,et imponite Salomonem filium meum super mulam meam, et ducite (h. deponite) eum in Gion. Et ungat eum ibi Sadoc sacerdos,et Nathan propheta,in regem super Israel: et canetis buccina, atque dicetis : Vivat rex Salomon ! Et ascendetis post eum, et venietis (h. et veniet), et sedebit super solium meum, et ipse regnabit pro me : illique præcipiam ut sit dux super Israel, et super Judam. Et respondit Banaias filius Joiadæ, regi dicens : Amen : sic loquatur Dominus Deus domini mei regis [3]. Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone, et sublimius faciat solium ejus a solio domini mei regis David. (T. II.) Descendit ergo Sadoc sacerdos et Nathan propheta, et Banaias filius Joiadæ, et Cherethi, et Phelethi:et imposuerunt Salomnem super mulam regis David, et adduxerunt eum in Gion. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, et unxit Salomonem : et cecinerunt buccina,et dixit omnis populus:Vivat rex Salomon!Et ascendit universa multitudo post eum, et populus canentium tibiis, et lætantium gaudio magno, et insonuit terra a clamore eorum [4]. Audivit autem Adonias, et omnes qui invitati fuerant ab eo, jamque convivium finitum erat : sed et Joab,audita voce tubæ, ait : Quid sibi vult clamor civitatis tumultuantis? Adhuc illo loquente, Jonathan filius Abiathar sacerdotis venit : cui dixit Adonias : Ingredere, quia vir fortis es, et bona nuntians. Responditque Jonathan Adoniæ : Nequaquam : dominus enim noster rex David regem constituit Salomonem;misitque cum eo Sadoc sacerdotem,et Nathan prophetam et Banaiam filium Joiadæ, et Cherethi et Phelethi, et imposuerunt eum super mulam regis. Uxeruntque eum Sadoc sacerdos et Nathan propheta regem in Gion (*ms.* Geon), et ascenderunt inde lætantes,et insonuit (*mss.*intonuit civitas : hæc est vox, quam audistis.Sed et Salomon sedet super solium regni. Et ingressi servi regis benedixerunt domino nostro regi David dicentes : Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, et magnificet thronum ejus super thronum tuum. Et adoravit rex in lectulo suo. Insuper et hæc (*Vulg.* tacent insuper *et* hæc) locutus est : Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem super solium [5], videntibus oculis meis. Territi sunt ergo, et surrexerunt omnes qui invitati fuerant ab Adonia,et ivit unusquisque in viam suam. Adonias autem timens Salomonem, surrexit, et abiit tenuitque cornu altaris. Et nuntiaverunt Salomoni,dicentes: Ecce Adonias timens regem Salomonem,tenuit cornu altaris, dicens : Juret mihi hodie rex Salomon,quod non interficiat servum suum gladio.Dixitque Salomon : Si fuerit vir bonus (*ms.*filius virtutis),non cadet ne unus quidem capillus ejus in terram:sin autem malum inventum fuerit in eo,morietur. Misit ergo rex Salomon,et eduxit eum ab altari,et ingressus adoravit regem Salomonem : dixitque ei (*ms.tacet* ei) Salomon : Vade in domum tuam.

[1] Rectius habet Veronens. ms. *regnavit* cum Hebræo בלך, et plerisque aliis libris.

[2] Iterum idem ms. cum Hebræo, etc. *regnavit.*

[3] Idem Veronens. ms. *domino meo regi.*

[4] Omittit hic idem ms. librarii, ut videtur, oscitantia, voces *a clamore eorum :* quæ tamen in Hebræo sunt בקולם, ac cæteris libris.

[5] Veronens. ms. *in solio meo,* cum Vulgatis.

(T. III, *cap.* II.) Appropinquaverunt autem dies David ut moreretur, præcepitque Salomoni filio suo, dicens : Ego ingredior viam universæ terræ, confortare, et esto vir. Et observa (*ms.* etc.) custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus,ut custodias cæremonias (h. statuta) ejus, et præcepta ejus, et judicia, et testimonia, sicut scriptum est in lege Mosi, ut intelligas universa quæ facis, et quocumque te verteris : ut confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me, dicens : Si custodierint filii tui viam suam [1], et ambulaverint coram me in veritate, in omni corde suo, et in omni anima sua,non auferetur tibi vir de solio Israel.Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Joab filius Sarviæ,quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, Abner filio Ner,et Amassæ filio Jether:quos occidit, et effudit sanguinem belli in pace, et posuit cruorem prælii in balteo suo, qui erat circa lambos ejus, et in calceamento suo,quod erat in pedibus ejus.Facies ergo juxta sapientiam tuam,et non deduces (h. depones) canitiem ejus pacifice ad inferos. Sed et filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua : occurrerunt enim mihi quando fugebiam a facie Absalom fratris tui. Habes quoque apud te (*ms. tacet* te) Semei filium Gera *filii* (h. non habet) Jemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra (h.Mannaim) : sed quia descendit mihi in occursum cum transirem Jordanem,et juravi ei per Dominum, dicens : Non te interficiam gladio : tu noli pati esse eum innoxium. Vir autem sapiens es, et scies quæ facias, deducesque (h. depones) canos ejus cum sanguine ad infernum. (T. IV.) Dormivit igitur David cum patribus suis, et sepultus est in civitate David. Dies autem quibus regnavit [David super Israel, quadraginta anni sunt : in Hebron regnavit septem annis:in Jerusalem,triginta tribus. Salomon [2] autem sedit super thronum David patris sui, et firmatum est regnum ejus nimis. (T. V.) Et ingressus Adonias filius Haggith ad Bethsabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei : Pacificusne est (*ms. tacet* est) ingressus tuus? Qui respondit : Pacificus. Addiditque : Sermo mihi est ad te. Cui ait : Loquere. Et ille : Tu, inquit nosti, quia meum erat regnum, et me præposuerat (*ms.* proposuerat) omnis Israel sibi in regem : sed translatum est regnum, et factum est fratris mei ; a Domino enim constitutum est ei. Nunc ergo petitionem unam deprecor a te ; ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum : Loquere. Et ille ait : Precor, ut dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quam potest (h. Nam *non* avertet *faciem* tu ut det mihi Abisag Sunamiten (*Vulg.* Sunami *hic et infra*) uxorem. Et ait Bethsabee : Bene, loquar pre te regi. Venit ergo Bethsabee ad re Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia, et rexit rex in occursum ejus, adoravitque ean sedit super thronum suum : positusque est nus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus. xitque ei : Petitionem unam parvulam ego dep a te,ne confundas (h. ne avertas) faciem meai (*ms.tacet* Et) dixit ei rex : Pete,mater mea (ms. neque enim fas est ut avertam faciem tuai Pete, mater mi. Non avertam faciem tuam). ait : Detur Abizab Sunamitis Adoniæ fratr uxor. Responditque rex Salomon, et dixit suæ : Quare postulas Abizag Sunamiten Adc postula ei et regnum ; ipse est enim frater major me, et habet Abiathar sacerdotem, et filium Sarviæ (h. *et ei*, et Abiathar sacerdo Joab filio Sarviæ). Juravit itaque rex Salomoi Dominum, dicens : Hæc faciat mihi Deus, et addat, quia contra animam suam locutus est nias verbum hoc. Et nunc vivit Dominus, qu mavit me, et collocavit (*Vulg. addunt* me) solium David patris mei, qui fecit mihi dor sicut locutus est, quia hodie occidetur Adc (T. VI.) Misitque rex Salomon per manum Bi filii Joiadæ, qui interfecit eum, et mortuu Abiathar quoque sacerdoti dixit rex : Va Anathoth ad agrum tuum,equidem vir morti sed hodie te non interficiam, quia portasti Domini Dei (h. Domini Domini) coram David (*ms.* patri) meo, et sustinuisti laborem in omn in quibus laboravit pater meus. Ejecit ergo mon Abiathar, ut non esset sacerdos Domin impleretur sermo Domini, quem locutus est domum Heli in Silo.Venit autem nuntius ad J quod Joab declinasset post Adoniam, et Salomonem non declinasset : fugit ergo Jo tabernaculum Domini, et apprehendit cornu ris. Nuntiatumque est regi Salomoni, quod set Joab in tabernaculum Domini et esset altare, misitque Salomon Banaiam filium Jc dicens : Vade interfice eum. Et (*ms. tac* venit Banaias ad tabernaculum Domini, et ei : Hæc dicit rex : Egredere. Qui ait : Non diar, sed hic moriar. Renuntiavit Banaias sermonem, dicens : Hæc locutus est Joab, e respondit mihi. Dixitque ei (*ms. tacet* ei)

[1] Regius et Corbeiensis num.11 legunt,*vias meas*. Alii cum Vulgata Latina,*vias suas*.Quidam habent, *viam meam*. Canon, ut nos edidimus. MART.

— Vulgati plurium numero *vias suas*. Concinit Veronens. ms. cum eo, quem *Canonum* vocat Martianæus.

[2] Nomen *Salomon*, ad regni ejus notandum initium, Veronens. ms. minio distinxit.

[3] Uno excepto Canone Hebraicæ veritatis, mss. omnes codices Notariorum ac librariorum imperitia depravati sunt hoc modo : *Venit autem n ad Salomonem*, etc. Nam sensum Scripturæ me percipientes, putarunt errorem esse si l tur : *Venit autem nuntius ad Joab*. Bene igitu nebat Hieronymus in epistola ad Lucinum,n hunc esse librariorum, ut scribant, *Non qu veniunt, sed quod intelligunt : et dum alienos res emendare nituntur, ostenduut suos*. MART.

— Optime rursum cum Martianæi Canone nens. ms. In aliis pro *Joab*,invenit ille *Salom*

Fac sicut locutus est, et interfice eum, et sepeli, et amovebis sanguinem innocentem, qui effusus est a Joab, a me, et a domo patris mei. Et reddat Dominus sanguinem ejus super caput ejus, quia interfecit duos viros, melioresque se, et occidit eos gladio, patre meo David ignorante, Abner filium Ner principem militiæ Israel, et Amasam filium Jether principem exercitus Juda, et revertetur sanguis illorum in caput Joab, et in caput seminis ejus, in sempiternum. David autem et semini ejus, et domui et throno illius, sit pax usque in æternum a Domino. (T. VII.) Ascendit itaque Banaias filius Joiadæ: et egressus eum interfecit: sepultusque est in domo sua in deserto. Et constituit rex Banaian filium Joiadæ pro eo super exercitum, et Sadoc, sacerdotem posuit pro Abiathar. Misit quoque rex, et vocavit Semei, dixitque ei: Ædifica tibi domum in Jerusalem, et habita ibi, et non egredieris inde huc atque illuc. Quacumque autem die egressus fueris, et transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum; sanguis tuus erit super caput tuum. Sixitque Semei regi: Bonus est (*ms. tacet* est) sermo. Sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet servus tuus. Habitavit itaque Semei in Jerusalem diebus multis. Factum est autem post annos tres, ut fugerent servi (h. duo servi) Semei ad Achis filium Maacha regem Geth: nuntiatumque est Semei, quod servi ejus essent (*Vulg.* issent) in Geth. Et surrexit Semei, et stravit asinum suum: ivitque in Geth ad Achis ad requirendum servos suos, et adduxit eos de Geth. Nuntiatum est autem Salomoni, quod isset Semei in Geth de Jerusalem, et rediisset. Et mittens vocavit eum, dixitque illi: Nonne testificatus sum tibi per Dominum, et prædixi tibi: Quacunque (h. adjuravi tibi per Dominum, et contristatus sum: Quacunque) die egressus, ieris huc et illuc, scito te esse moriturum? Et respondisti mihi: Bonus sermo, quem audivi [1]. Quare ergo non custodisti jusjurandum Domini, et præceptum quod præceperam tibi? Dixitque rex ad Semei: Tu nosti omne malum, cujus tibi conscium est cor tuum, quod fecisti David patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum. Et rex salomon benedictus, et thronus David erit stabilis coram Domino usque in sempiternum. Jussit itaque rex Banaiæ filio Joiadæ, qui egressus, percussit eum, et mortuus est.

(T. VIII, *cap.* III.) Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, et affinitate conjunctus est Pharaoni regi Ægypti; accepit namque filiam ejus, et adduxit in civitatem David, donec compleret ædificans domum suam et domum Domini, et murum Jerusalem per circuitum. Attamen populus immolabat in excelsis: non enim ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui, excepto quod in excelsis immolabat, et accendebat thymiana. Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat excelsum maximum: mille hostias (hi mille holocausta) in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon. (T. IX.) Apparuit autem (*ms. tacet* autem) Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis, ut dem tibi. Et ait Salomon: Tu fecisti cum servo tuo David patre meo misericordiam magnam: sicut ambulavit in conspectu tuo in veritate, et justitia, et recto corde tecum: custodisti enim ei misericordiam grandem [2], et dedisti ei filium sedentem super thronum ejus, sicut est hodie. Et nunc, Domine Deus meus (*ms. et Vulg. tacent* meus), tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer parvus, et ignorans egressum et introitum *meum* (h. non habet). Et servus tuus in medio est populi (h. populi tui), quem elegisti, populi infiniti, qui numerari et supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum. Quis enim poterit judicare populum tuum hunc multum [3]? Placuit ego sermo coram Domino (h. in oculis Domini, quod Salomon hujuscemodi postulasset rem. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitias: aut animam (*ms. et Vulg.* animas) inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium: ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed et hæc, quæ non postulasti, dedi tibi: divitias scilicet, et gloriam, ut nemo similis tui fuerit in regibus cunctis retro diebus (h. sit in regibus omnibus diebus tuis). Si autem ambulaveris in viis meis, et custodieris præcepta mea, et mandata mea [4], sicut ambulavit David pater tuus, longes faciam dies tuos. Igitur evigilavit Salomon, et intellexit quod somnium (h. igitur evigilavit Salomon: et ecce somnium). Cumque venisset Jerusalem, stetit coram arca fœderis Domini, et obtulit holocausta, et fecit victimas pacificas, et *grande* (h. non habet) convivium universis famulis suis. (T. X.) Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, steteruntque coram eo, quarum una ait: *Obsecro* (h. non habet), mi domine: ego et mulier hæc habitabamus

[1] Reticet juxta Hebraicam phrasim ms. Veronens, *quem*. Chaldæus quoque atque aliæ Orientales Versiones ita legunt, distinguuntque, *Bonum verbum: audivi*, etc.

[2] Interserit ms. Veronens, *tuam*, reticentibus libris aliis.

[3] Idem ms. cum Vulgatis, *populum istum*, *populum tuum hunc multum*, longius tamen ab Hebraico.

[4] Neque hic bene ad Hebræum textum tacet ms. Veronens. *mandata tua*, neque mox *David* nomen.

in domo una,et peperi apud eam in cubiculo.Tertia vero die postquam ego peperi, peperit et hæc: et eramus simul, nullusque alius in domo nobiscum, exceptis nobis duabus. Mortuus est autem filius mulieris hujus nocte,dormiens quippe opressi eum. Et consurgens intempesta nocte *silentio* [h. non habet),tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, et collocavit in sinu suo : suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo. Cumque surrexissem mane ut darem lac filio meo, apparuit mortuus : quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non esse meum quem genueram. Responditque altera mulier: Non est ita [*Vulg. addunt* ut dicis), sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. Et contrario illa dicebat: Mentiris : filius quippe meus vivit,et filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege Tunc rex ait : Hæc dicit, Filius meus vivit, et filius tuus mortuus est. Et ista respondit, Non, sed filius tuus mortuus est, et filius meus vivit. Dixit ergo rex : Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladium coram rege : Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes,et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri. Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus, ad regem (commota sunt quippe viscera ejus super filio suo): Obsecro, domine (h. non habet domine), date illi infantem vivum, et nolite interficere eum. Et contrario illa dicebat:Nec mihi autem,nec tibi sit,sed [1] dividatur. Respondens rex ait : Date huic infantem vivum, et non occidatur: hæc est enim (*ms. tacet* enim) mater ejus. Audivit itaque omnis Israel judicium quod judicasset rex, et timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium.

(T. XI, *cap.* IV.) Erat autem rex Salomon regnans super omnem Israel, et hi principes quos habebat : Azarias filius Sadoc sacerdotis [2] : Elioreph et Abia filii Sisa scribæ : Josaphat filius Ahilud a commentariis [3] : Banaias filius Joiadæ super exercitum : Sadoc autem, et Abiathar sacerdotes. Azarias filius Nathan, super cos (h. super præpositos), qui assistebant regi: Zabud filius Nathan sacerdos, amicus regis, et Ahisar præpositus domus, et Adoniram filius Abda super tributa. Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam regi et domui ejus ; per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant. Et hæc nomina eorum: Benhur, in monte Ephraim. Bendecar, in Macces, et in Salebim, et in Beth-Sames, et Elon et Beth-Anan. Benesedin Aruboth : ipsius erat Soccho et omnis terra-Epher. Benabinadab, cujus omnis Nephath-Dor, Taphath filiam Salomonis habebat uxorem. Bana filius Ahilud regebatThanach etMageddo,et universamBeth-San, quæ est juxta Sarthana subter Jezrael, a Beth-San usque Abelmeula e regione Jecmaan [4]. Bengaber in Ramoth Galaad : habebat Avoth Jair filii Manasse in Galaad ; ipse præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan, sexaginta civitatibus magnis atque muratis, quæ habebant seras æreas. Ahinadab, filius Addo, præcrat in Manaim: Ahimaas in Nephthali ; sed et ipse habebatBasmath filiam Salomonis in conjugio.Bana,filius Husi, in Aser, (*ms.* Banaa *et* Asar),in Baloth,Josaphat,filius Pharue, in Issachar, Semei, filius Ela,inBenjamin. Gaber, filius Uri,in terra Galaad, in terra Seon regis Amorrhæi et Og regis Basan, super omnia quæ erant in illa terra (h. et perfectus *unus* erat super *terram*.) Juda et Israel innumerabiles (h. plurimi), sicut arena maris in multitudine : comedentes, et bibentes, atque lætantes. (T. XII, C. IV.) Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna a flumine [5] terræ Philisthim usque ad terminum Ægypti, offerentium sibi munera, et servientium ei cunctis diebus vitæ ejus. Erat autem cibus (h. panis) Salomonis per dies singulos, triginta cori similæ, et sexaginta cori farinæ, decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes (h. oves), excepta venatione cervorum, caprearum atque bubalorum, et avium altilium (h. omissis, *cervis*, capreis, *bubalis*.)Ipse enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen [6] a Taphsa usque Gazam, et cunctos reges illarum regionum, et habebat pacem ex omni parte in circuitu. Habitabatque Juda et Israel absque timore ullo (h. *confidenter*), unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua,aDan usque Ber-Sabee,cunctis diebus Salomonis. Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium et duodecim millia equitum.

[1] Vocula *sed*, quæ neque in Hebræo, neque in aliis plerisque omnibus libris est, reticet Veron. quoque ms.

[2] Quod est in Hebræo הכהן Græci aliquot libri in recto vertunt ἱερεύς : quibus consonat Veronens. ms. *Sacerdos* pro *Sacerdotis*.

[3] In codicis Veronens. margine scriptum est *in LXX a memoria*, quibus veterem Latinam versionem ex Græco denotari, nihil est dubium.

[4] Hæc verba mutare noluimus ad fidem Canonis Hebraicæ veritatis ubi legimus, *Usque Abelmeula, et usque regionem Jecmaam* : quia, ut antea monui, non satis liquet e quo fonte fluxerint in Canonem tam frequentes emendationes, quæ in eo visuntur : an ab exemplaribus castigatioribus versionis Hieronymianæ ; aut ex industria peritissimi alicujus emendatoris,qui multa in translationeHieronymi ad codices Hebræorum recudit. Sciat proinde lector studiosus, hujuscemodi lectiones emendatas, quæ alicujus nomenti videbantur, in notis marginalibus nostris semper appositas ; ne quid eruditionis curiositati deperiret studosiorum, si hæc intacta remansissent, et despectui haberentur. MART.

[5] Ms.Veronens.*Omnia regna sicut a flumine*, etc : Et scimus quidem disputatum doctis viris de eo flumine, quod alii Euphratem,alii torrentem Gazæ, vel Besor interpretantur: illud vero *sicut*, quid sit, vel unde antiquarius excuderit, nescimus. Confer subsequentem Adnotationem.

[6] Idem ms. hic interserit vocem *quasi :* quod glossema studiosus non nemo de suo addiderit : quemadmodum superius *sicut*.

decim millia equestrium. Nutriebantque eos supradicti regis præfecti : sed et necessaria mensæ regis Salomonis, cum ingenti cura præbebant in tempore suo. (h. Nutriebantque supradicti præfecti regem Salomonem, et omnes convivas Salomonis cum ingenti cura in tempore suo). Hordeum quoque et paleas equorum et jumentorum deferebant in locum, ubi erat rex, juxta constitutum sibi (h. ubi erat constitutum sibi). Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in littore maris. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et Ægyptiorum, et erat sapientior cunctis hominibus : sapientior Ethan Ezrahito, et Heman, et Chalchol (*ms.* Calcas), et Dorda, filiis Maol, et erat nominatus in universis gentibus per circuitum. Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas, et fuerunt carmina ejus quinque et mille. Et disputavit super lignis, a cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete, et disseruit de jumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis et *(ms. tacet.* et) ab universis regibus terræ, qui audiebant sapientiam ejus.

(T. XIII, *cap.* V.) Misit quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomonem : audivit enim quod ipsum unxissent regem pro patre ejus ; quia amicus fuerat Hiram David omni tempore. Misit autem et Salomon ad Hiram, dicens : Tu scis voluntatem David patris mei, et quia non potuerit ædificare domum (h. Tu scis quod David pater meus non potuit ædificare domum) nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum ejus, (T. XIV.) Nunc autem requiem dedit Dominus [1] Deus meus mihi per circuitum, et non est satan, neque occursus malus. Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini (*ms. tacet* Domini) Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri meo dicens : Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo. Præcipe igitur ut præcidant mihi (*Vulg. addunt* servi tui) cedros de Libano, et servi mei sint cum servis tuis : mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quacumque præceperis (h. quamcunque dixeris. *Vulg.* petieris) ; scis enim quomodo (*ms.* quoniam) non est in populo meo (h. in nobis) vir qui noverit ligna cædere sicut Sidonii. Cum ergo audisset Hiram verba Solomonis, lætatus est valde, et ait : Benedictus Dominus Deus [2] hodie, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc plurimum. (T. XV.) Et misit Hiram ad Salomonem, dicens : Audivi quæcunque mandasti mihi : ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis et abiegnis. Servi mei deponent ea de Libano ad mare, et ego componam ea in ratibus in mari, usque ad locum quem significaris mihi, et applicabo ea ibi, et tu tolles ea : præbebisque necessaria mihi, ut detur cibus domui meæ. Itaque Hiram (h. hic habet, Hiron) dabat Solomoni ligna cedrina, et ligna abiegna, juxta omnem voluntatem ejus. Salomon autem præbebat Hiram viginti millia coros tritici, in cibum [3] domus ejus, et viginti coros purissimi olei : hæc tribuebat Salomon Hiram per annos singulos. Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei (*ms. tacet* ei), et erat pax inter Hiram et Salomonem, et percusserunt fœdus ambo. Elegitque rex Salomon operas de omni Israel, et erat indictio triginta millia virorum. Mittebatque eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim, ita ut duobus mensibus essent in domibus suis, et Adoniram erat super hujuscemodi indictione. Fueruntque Salomoni septuaginta millia [4] eorum, qui onera portabant, et octoginta millia latomorum in monte : absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium et trecentorum, præcipientium populo *et* (h. non habet) his qui faciebant opus. Præcepitque rex, ut tollerent lapides grandes, lapides prætiosos, in fundamentum templi et quadrarent eos : quos dolaverunt cæmentarii Salomonis, et cæmentarii Hiram ; porro [5] Biblii præparaverunt (h. et Giblim et præparaverunt) ligna et lapides ad ædificandam domum.

(C. V. *Cap.* VI.) Factum est igitur quadragentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio (*ms.* Zoi) (ipse est mensis secundus), regis (*Vulg.* regni) Solomonis super Israel, ædificare cœpit domum (*Vulg.* ædificari domus) Domino. Domus autem, quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, et viginti cubitos in latitudine, et triginta cubitos in altitudine. Et porticus erat ante templum (h. ante templum domus) viginti cubitorum longitudinis, juxta mensuram latitudinis templi, et habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi. Fecitque in templo fenestras [6] obliquas. Et ædificavit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus

[1] Tacet hic ms. nomen *Dominus*, quod est tamen in Hebræo tum *et* particulam, quam Hebræus quoque ignorat.

[2] Cum Hebræo ms. Veronens. reticet hic nomen Deus.

[3] Præferunt Hebræus et Vulgati cum ms. Veronens, *domui*.

[4] Idem ms. Veronens. *equorum*, ex scioli glossatoris ingenio.

[5] Effert revera Hebræus nomen istud per *y Giblim* : verum *Giblos* et *Biblos* pro eadem habentur urce Phœniciæ ad radices Libani. Vide Ezechiel., XXXVII, 9.

[6] In albo Veronens. ms. hæc opponitur nota : *In LXX, januas absconsas reticulatas*. Nempe Latinam Versionem quæ ante Hieronymianam obtinebat, vocat LXX, quippe quam ad eorum exemplar expressam : aliis placuit vocare Italam. Porro interpretati sunt LXX : θυρίδας διακυπτομένας (vel παρακυπτομένας, vel διδικτυωμένας) κρυπτάς.

per circuitum templi et oraculi, et fecit latera in A circuitu. Tabulatum quod subter erat, quinqu cubitos habebat latitudinis, et medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, et tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hærerent muris templi. Domus autem cum ædificaretur, lapidibus dedolatis atque perfectis ædificata est, et malleus, et securis, et omne ferramentum, non sunt audita in domo, cum ædificaretur. Ostium lateris medii in parte erat domus dextræ : et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium. Et ædificavit domum, et consummavit eam : texit quoque domum laquearibus cedrinis. Et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, et B operuit domum lignis cedrinis. (T. XVI.) Et factus est sermo Domini ad Salomonem, dicens : Domus hæc, quam ædificas, si ambulaveris in præceptis meis, et judicia mea feceris, et custiodieris omnia mandata mea, gradiens per ea : firmabo sermonem meum tibi, quem locutus sum ad David patrem tuum. Et habitabo in medio filiorum Israel, et non derelinquam populum meum Israel. Igitur ædificavit Salomon domum, et consummavit eam. (T. XVII.) Et ædificavit (*ms. addit.* Salomon) parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis,a pavimento domus usque ad summitatem parietum, et usque ad laquearia, operuit lignis intresecus, et texit pavimentum domus tabulis abiegnis. Ædificavitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, a pavimento usque ad C superiora, et fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum. Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi. Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas suas et juncturas fabrefactas, et cæla eminentes : omnia cedrinis tabulis vestieba nec omnino lapis apparere poterat *in pariet* non habet). Oraculum autem in medio domu interiori parte fecerat (h. præparaverat), ut ret ibi arcam fœderis Domini. Porro orac habebat viginti cubitos longitudinis, et v cubitos latitudinis, et viginti cubitos altitu et operuit illud atque vestivit auro purissim obryzo). Sed et altare vestivit cedro. Domum que ante oraculum operuit auro purissimo, fixit laminas clavis aureis. Nihilque erat in plo, quod non auro tegeretur; sed et totum oraculi texit auro [1]. Et fecit in oraculo duo c bim de lignis olivarum, decem cubitorum alt nis, Quinque cubitorum ala cherub una,et qu cubitorum ala cherub altera : id est,decem c habentes, a summitate alæ usque ad alteriu (*ms. tacet* alæ) summitatem. Decem quoque c rum erat cherub [2] secundum : in mensura pa opus unum erat in duobus cherubim, id est, dinem habebat unus cherub decem cubitoru similiter cherub secundus. Posuitque cherul medio templi interioris : extendebant autem suas cherubim, et tangebat ala una parietc ala cherub secundi tangebat parietem alte alæ autem alteræ in media parte templi se in contingebant. Texit quoque cherubim aur omnes parietes templi per circuitum sculpsi riis cælaturis et torno, et fecit in eis [4] cher et palmas, et picturas varias, quasi promi de pariete, et egridentes (h. intresecus et secus). Sed et pavimentum domus texit a tresincus et extrinsecus. Et in ingressu fecit ostiola de lignis olivarum, postesque a *ram* (h. non habet) quinque. Et duo ostia d

Id est. *Fenestras prospicientes* (vel *oblique prospicientes*. vel *cancellatas*) *occultas* S. ipse Pater Comment. in Ezechiel. l. XII, refert se, Septuaginta vertisse *fenestras absconditas*. » Fenestræ, inquit, erant obliquæ, quas LXX *absconditas*,Symmachus τοξικὰς vocat. » Et in cap. XLI : « Fenestræ quoque, inquit, juxta LXX erant factæ in modum retis, instar cancellorum... pro quibus in Hebraico obliquas fenestras habet. »

[1] Nomen *Cherub*. singulari numero, et *Cherubim* in plurali, duplex genus obtinet apud interpretes masculinum videlicet ac *neutrum : unde Cherub secundus*, et *Cherub secundum*, legimus in ms. codicibus. Hieronymus ad Damasum scribens de Seraphim hæc aiebat : « In genere quoque diversitas est. Septuaginta, Aquila, et Theodotion, Seraphim neutro genere transtulerunt, Symmachus masculino.Nec putandum sextum esse in virtutibus Dei, cum etiam ipse Spiritus sanctus, secundum proprietates linguæ Hebrææ,feminæ genere proferatur, RUA (רוח); Græce neutro, τὸ πνεῦμα ; Latine masculino, *spiritus*. Ex qua intelligendum est, quando de superioribus disputatur,et masculinum aliquid, seu femininum ponitur, non tam sexum significari quam idioma sonaræ linguæ. Siquidem ipse Deus ivisibilis et incorruptbilis omnibus pene linguis profertur genere masculino; cum in eum non cadat sexus. » MART.

[2] Vide epist. in nostra recensione 18 S. ad Damasum de Seraphim; quem locum et M laudat. Itecte enim utriusque generis dicit rub, masculini ac neutri. Haud tamen ita sibi constare Hieronymum credas, ut eodem culo utrumque genus nsurparit : atque hic *secundum*, mox *cherub unus* et *secundus* Rectius itaque habet Veronens.ms. hic quo *cundus*, quidquid Martianæo videatur.

[4] Constanter pro *sculpo* habet Veronen *scalpo*, quod est quidem elegantius, nan grammatici, quos inter Diomedes, negant e tinum.

[4] In Canone erasa sunt *et fecit in eis*, q leguntur in Hebræo : exstant tamen in mss. De sequentibi verbo *Cherubim* notanda veni leguntur apud Hieronymum epistola 130, *cellam :* « In Exodo, inquit, cæterisque lo describuntur vestes plumaria arte contexta Cherubim, id est, varium, atque depictu factum describitur : ita tamen ut VAV litter rubim non habeat : quia ubicunque cum ha scribitur, animalia magis quam opera sign Id verum esse comperimus inspectis di Hebræorum voluminibus editis ac manus cap. XXVI Exodi et Ezechielis cap. x, ubi oc nonnullæ variantes lectiones,sed levissimi MART.

, et sculpsit in eis picturam cherubim, et
n *species* (h. non habet), et anaglypha
oturas varias) valde (*ms.* valide) promi-
t texit ea auro, et operuit tam cherubim
lmas, *et cætera* (h. non habet) auro. Fecit-
atroitu templi postes de lignis olivarum
gulatos, et duo ostia de lignis abiegnis
ius, et utrumque ostium duplex erat, et se
tenens aperiebatur [1]. Et sculpsit cherubim
is, et cælaturas (h. et picturas varias) valde
es : operuitque omnia laminis aureis opere
ad regulam (h. operuitque auro æqualiter
culpturas). Et ædificavit atrium interius
rdinibus lapidum politorum, et uno ordine
n cedri. (T. XVII.) Anno quarto fundata
us Domini in mense Zio, et in anno unde-
ense Bul (ipse est mensis octavus), perfecta
us in omni opere suo, et in universis utensi-
is (*ms. tacet* suis) ædificavitque eam annis

VII.) Domum autem suam ædificavit Sa-
tredecim annis, et ad perfectum usque
t. Ædificavit quoque domum saltus Libani
cubitorum longitudinis, et quinquaginta
am latitudinis, et triginta cubitorum altitu-
t quatuor deambulacra inter columnas ce-
ligna quippe cedrina exciderat in columnas
er quatuor columnarum *ordines*, lignaque
super columnas). Et tabulatis cedrinis ve-
tam cameram, quæ quadraginta quinque
is sustentabatur (*ms.* sustinebatur). *Unus*
a. non habet) ordo habebat columnas quin-
contra se invicem positas, et e regione se
ntes, æquali spatio inter columnas, et super
as quadrangulata ligna in cunctis æqualia.
icum columnarum fecit quinquaginta cubi-
longitudinis, et triginta cubitorum latitudi-
alteram porticum in facie majoris porticus,
mnas, et epistylia super columnas. Porticum
solii, in qua tribunal est (h. in qua judica-
it et texit lignis cedrinis a pavimento usque
mitatem. Et domuncula (h. domus), in qua
ur (*ms.* sedetur) *ad judicandum* (h. non
erat in media porticu (h. erat in atrio alio),
pere. Domum quoque fecit filiæ Pharaonis
uxorem duxerat Salomon) tali opere, quali
porticum. Omia lapidibus pretiosis, qui
nam quamdam atque mensuram tam intrin-
uam extrinsecus serati erant : a fundamento

A usque ad summitatem parietum, et extrinsecus (*ms.* intrinsecus) usque ad atrium majus. Fundamenta autem, de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem sive octo cubitorum. Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant, similiterque de cedro (h. et cedri). Et atrium majus rotundum, trium ordinum de lapidibus sectis, et unius ordinis de dolato (*ms.* dolata) cedro : nec non in atrio domus Domini interiori, et in porticu domus. Misit quoque rex Salomon, et tulit Hiram de Tyro, filium mulieris viduæ de tribu Nephtali, patre Tyrio, artificem ærarium, et plenum sapientia et intelligentia, et doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus ejus. Et finxit duas columnas
B æreas, decem et octo cubitorum altitudini scolumnam unam, et linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque. Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære [2] : quinque cubitorum altitudinis capitellum unum, et quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum : et quasi in modum retis et catenarum sivi invicem miro opere [3] contextarum. Utrumque capitellum columnarum fusile erat : septena versuum retiacula in capitello uno, et septena retiacula in capitello altero. Et perfecit columnas, et duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella, quæ erant super summitatem. malogranatorum : eodem modo fecit et capitello secundo. Capitella autem quæ erant super capita
C columnarum, quasi opere lilii fabricata erant in porticu quatuor cubitorum. Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper juxta mensuram columnæ contra retiacula : malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi. Et statuit duas columnas in porticu templi : cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin : similiter erexit columnam secundam [4], et vocavit nomen ejus Booz. Et super capita columnarum opus in modum lilii posuit : perfectumque est opus columnarum. Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in circuitu : quinque cubitorum altitudo ejus, et resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum. Et sculptura subter (*ms.* sculptura super) labium circumibat illud decem cubitis ambiens mare : duo ordines
D sculpturarum striatarum [5] erant fusiles. Et stabat super duodecim boves, e quibus tres aspiciebant ad aquilonem, et tres ad occidentem, et tres ad meri-

rium numero habet Veronens. ms. *tenentes antur*, scilicet *postes*.
ius codex ms. et Canon Heb. veritatis, *re*. MART. — Ferme cum Martianæi Canone ns., ms., *fusilia ære*.
tius legit Veronens. ms. *pro opere*, in Henim tantum est מעשה *opere :* quo item verbo ime usus est, ubi Latinus habet *in modum*: s nihil hic mirum dici in Hebro textu.
avit eam nomine Jachin, id est, firmitas..... vit nomen ejus Booz, id est, in robore. Ita intra textum ms. duo codices, Regius et Corb.

num. 13, quod ob oculos lectoris ponere voluimus. ut exploratum habeat, multa hujuscemodi scholia marginalia in contextum sacrum fuisse translata librariorum aut emendatorum incogitantia et errore. MART.

[5] Idem. ms. *historiarum*, quod perinde est ac *striarum* : solemne est enim in antiquis libris addi *bi* aut *y* verbis, qui ab *st*. incipiunt : ac fallitur Luca Brugensis qui *histriatum* putat esse *striati* oppositum. Notum porro *striam* esse partem columnarum eminulam.

diem,et tres ad orientem,et mare super eos desuper erat: quorum posteriora universa intrinsecus latitabant. Grossitudo autem lateris (*ms.* lateris),trium unciarum erat : labiumque ejus,quasi labium calicis,et folium repandi lilii : duo millia batos capiebat. Et fecit bases decem æneas [1], quatuor cubitorum longitudinis bases singulas,et quatuor cubitorum latitudinis, et trium cubitorum altitudinis.Et ipsum opus basium,interrasile erat : et sculpturæ inter juncturas. Et inter coronulas et plectas, leones et boves et cherubim : et in juncturis similiter desuper : et subter leones et boves, quasi lora ex ære dependentia. Et quatuor rotæ per bases singulas, et axes ærei : et per quatuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles,contra se invicem respectantes. Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate : et quod forinsecus apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat unum cubitum et dimidium : in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant : et media intercolumnia, quadrata non rotunda. Quatuor quoque rotæ,quæ per quatuor angulos basis erant, cohærebant (*Vulg. addit* sibi) subter basim : una rota habebat altitudinis cubitum et semis. Tales autem rotæ erant, quales solent in curru (*ms.* curribus) fieri : et axes earum, et radii, et canthi, et modioli, omnia fusilia. Nam et humeruli illi quatuor per singulos angulos basis unius, ex ipsa basi fusiles et conjuncti erant.In summitate autem basis erat quædam rotunditas *unius et* (h. non habet) dimidii cubiti, ita fabrefacta, ut luter desuper posset imponi, habens cælaturas suas et sculpturas varias ex semetipsa (*ms.* semetipso). Sculpsit quoque in tabulatis illis quæ erant ex ære, et in angulis, cherubim, et leones, et palmas,quasi in similitudinem stantis hominis, ut non cælata, sed apposita per circuitum viderentur. In hunc modum fecit decem bases, fusura una,et mensura, sculpturaque consimili.Fecit quoque decem luteres æneos [2] : quadraginta batos capiebat luter unus, eratque quatuor cubitorum; singulos quoque luteres per singulas, id est, decem bases, posuit. Et constituit decem bases quinque ad dexteram partem templi,et quinque ad sinistram : mare autem posuit ad dexteram partem templi (h. domus) contra orientem ad meridiem. Fecit ergo Hiram (h. Hirom) lebetes, et scutras, et hamulas, et perfecit omne opus regis Salomonis in templo (h. in domo) Domini. Columnas duas, et funiculos capitellorum (*ms.*capitulorum) super capitella columnarum duos: et retiacula duo, ut operirent duos funiculos, qui erant super capita columnarum (h. duos funiculos capitulorum). Et malogranata quadragin duobus retiaculis : duos versus mologranat retiaculis singulis, ad operiendos funicul tellorum, qui erant super capita columna bases decem, et luteres decem super b mare unum, et boves duodecim subter r lebetes, et scutras, et hamulas, omnia omnia hæc vasa), quæ fecit Hiram regi S in domo Domini, de aurichalco erant.In ca *regione* (h. non habet) Jordanis fudit ea argillosa terra, inter Socchoth et Sart posuit Salomon omnia vasa : propter multit autem nimiam non erat pondus æris (T Fecitque Salomon omnia vasa in domo D altare aureum,et mensam,super quam pon panes propositionis,auream et candelabra quinque ad dexteram, et quinque ad sin contra.oraculum,ex auro puro [5] : quasi lil et lucernas desuper aureas : et forcipes ea non habet), et hydrias, et fuscinulas, et pl mortariola, et thuribula, de auro puriss cardines ostiorum domus interioris Sancti rum, et ostiorum domus templi, ex auro e perfecit omne opus quod faciebat rex [6] Sal domo Domini, et intulit quæ sanctificaver pater suus, argentum et aurum, et vasa, n que in thesauris domus Domini.

(T. XX. *cap.* VIII.) Tunc congregati sun nes majores natu Israel cum principibus t et duces familiarum filiorum Israel,ad rege monem in Jerusalem (h.Tunc congregavit S majores natu in Israel, omnes principes t duces familiarum filiorum Israel in Jerus deferrent) : ut deferrent arcam fœderis Dor civitate David, id est, de Sion. Convenitqu gem Salomonen universus Israel in mens nim, in solemni die, ipse est mensis se Veneruntque cuncti senes ex Israel, et t sacerdotes arcam, et portaverunt arcam et tabernaculum fœderis, et omnia vasa San quæ erant in tabernaculo : et ferebant ea s tes et Levitæ. Rex autem Salomon, et omn titudo Israel, quæ convenerat ad eum, grad cum illo ante arcam: et immolabant oves e absque æstimatione et numero, et intuler cerdotes arcam fœderis Domini in locum s oraculum templi (h. domus), in Sanctum rum,subter alas cherubim.Siquidem cheru pandebant alas super locum arcæ, et prot arcam et vectes ejus desuper. Cumque ess vectes, et apparerent summitates eorum fo ctuarium ante oraculum, non apparebar

[1] In ms. Veronens. *æreas*. Idem paulo post *latitudinis* pro *altitudinis*, Hebræo textu refragante.

[2] Iterum idem ms. *æreos* pro *æneos* : et quod pluris est, *cubitos* pro *batos*.

[3] Mendose habet Veron. ms. *quadraginta*.

[4] Hebræus non habet verbum illud *aurea* ? propterea erasmum est ab emendatore Canonis, qui in eodem versiculo mutat etiam, *ex auro puro*, cum *ex auro primo*. Sed purum et primum in eumdem sensum habent apud Hebræos. M

[5] Idem ms. *primo* pro *puro*, quod et in næi Canone ab alia repositum est manu.

[6] Cum Vulgatis, et Græco tacet Verone *rex*.

[7] Hebr. *Congregavit Salomon*, a quo Ve ms. hoc uno abludit,quod nomen Salomon

ns, qui et fuerunt ibi usque in præsentem
arca autem non est [1] aliud, nisi duæ
pideæ, quas posuerat in ea Moses in Horeb,
epigit fœdus Dominus cum filiis Israel,
derentur de terra Ægypti. (T. XXI.) Fa-
autem, cum éxissent sacerdotes de San-
ıebula (h. nubes) implevit domum Domini,
ıterant sacerdotes stare et ministrare pro-
ılam (h. nubem), impleverat enim gloria
omum Domini. Tunc ait Salomon : Domi-
, ut habitaret in nebula. Ædificans ædifi-
um in habitaculum tuum, firmissimum
uum in sempiternum. Convertitque rex
ıam, et benedixit omni Ecclesiæ Israel :
im Ecclesia Israel stabat. Et ait Salomon [2] :
ns Dominus Deus Israel, qui locutus est
ad David patrem meum, et in manibus
erfecit, dicens : A die qua eduxi populum
srael de Ægypto, non elegi civitatem de
s tribubus Israel, ut ædificaretur domus,
nomen meum ibi ; sed elegi David ut esset
pulum meum Israel. Voluitque David pater
lificare domum nomini Domini Dei Israel :
ıminus ad David patrem meum : Quod co-
n corde tuo ædificare domum nomini meo,
isti, hoc ipsum mente tractans. Verumta-
non ædificabis mihi [4] domum, sed filius,
i egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit
nomini meo. Confirmavit Dominus sermo-
ım, quem locutus est : stetique pro David
eo, et sedi super thronum Israel, sicut lo-
st Dominus : et ædificavi domum nomini
Dei Israel. Et constitui ibi locum arcæ, in
lus est Domini, quod percussit cum patribus
quando egressi sunt (h. quando eduxit eos)
ı Ægypti. Stetit autem Salomon ante altare
in conspectu (h. coram omni Ecclesia)
e Israel, et expandit manus suas in cœlum,
Domine Deus Israel, non est similis tui,
ı cœlo desuper, et super terram deorsum :
ıtodis pactum et misericordiam servis tuis,
bulant. (*Vulg.* ambulabant) coram te in toto
suo. Qui custódisti servo tuo David patri
ıæ locutus es ei : ore locutus es, et manibus
sti (h. ore tuo locutus es, et manu fecisti ;
ies hæc), ut hæc dies probat. Nunc igitur,
e Deus Israel, conserva famulo tuo David
ıeo quæ locutus es ei, dicens : Non auferetur
ir coram me, qui sedeat super thronum Israel :
ıen si custodierint filii tui viam suam, ut
ambulent coram me, sicut [5] ambulasti in conspectu
meo. Et nunc, Domine Deus Israel, firmentur verba
tua, quæ locutus es servo tuo David patri meo. Ergone putandum est quod vere Deus habitet super
terram ? (T. XXII.) Si enim (h. Ecce cœlum) cœlum, cœli cœlorum te capere non possunt, quanto
magis domus hæc, quam ædificavi ? Sed respice ad
orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine
Deus meus : audi hymnum et orationem, quam
servus tuus orat coram te hodie : ut sint oculi tui
aperti super domum hanc nocte et die : super domum, de qua dixisti : Erit nomen meum ibi : ut
exaudias orationem (h. Super locum de quo dixisti,
erit nomen meum ibi ad audiendam orationem),
quam orat ad te [6] servus tuus in loco isto. Ut
exaudias deprecationem servi tui et populi tui Israel, quodcunque oraverint in loco isto : et exaudies in loco habitaculi tui in cœlo : et cum exaudieris, propitius erit. Si peccaverit homo in proximum suum, et habuerit aliquod juramentum, quo
teneatur astrictus ; et venerit propter juramentum,
coram altari tuo in domum tuam (h. hanc) ; tu
exaudies in cœlo : et facies, et judicabis servos
tuos, condemnans impium, et reddens viam suam
super caput ejus : justificansque justum, et retribuens ei secundum justitiam suam. Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (h. inimicum suum)
(quia peccaturus est tibi [7]) et agentes pœnitentiam,
et confitentes nomini tuo, *venerint, et* (h. non habet) oraverint, et deprecati te fuerint in domo hac :
exaudi in cœlo, et dimitte peccatum populi tui
Israel, et reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum. Si clausum fuerit cœlum, et non
pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco
isto, pœnitentiam egerint nomini tuo (h. et confitentes nomini tuo) et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam : exaudi eos in cœlo,
et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui
Israel : et ostende eis [8] viam bonam per quam ambulent, et da pluviam super terram tuam, quam
dedisti populo tuo in possessionem. Fames si
oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus
aer, aut ærugo, locusta, rubigo, et afflixerit eum
inimicus ejus portas obsidens, omnis (*Vulg.* omnia)
plaga, universa infirmitas, cuncta devoratio, et
imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo
tuo Israel : si quis cognoverit plagam (h. cunctam
orationem et deprecationem quæ fuerit omni homini
de populo tuo Israel, cum cognoverint plagam)
cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac :

. Canon Hebr. verit. cum Colbertino Aniciensi
, et Corbeiensi nostro num. 13. Regius et
ermanensis 3, legunt ut in nostra Vulgata,
at. MART.

Veronens. ms., *Choreb*, propius Hebræo,
ın habet Veronens. ms. *Salomon*, quod no-
ieque in Hebræo, neque in aliis plerisque
hic sonat.

ınon emendatus, *et in manu* sua. MART.

[4] Hic quoque juxta Hebræum archetypum tacet Veronens. ms. *mihi*.

[5] Cum Vulgatis addit Veronens. ms. hic *tu*. Mox tacet *Domine*, quod nomen Hebræus textus addit.

[6] Rursum ad Hebraici exemplaris fidem voculas *ad te* negligit Veronens. ms.

[7] Pressius Hebræo idem ms. plurium numero habet, *quia peccaturi sunt*.

[8] Rectius iterum ms. Veronens. in futuro *ostendes*, cum Hebræo תורה, *docebis*.

tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, et repropitiaberis,et facies ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris (*ms.* videns) cor (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum), ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ,quam dedisti patribus nostris. Insuper et alienigena,qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extentum, *ubique*) (h. non habet); cum venerit ergo, et oraverit in loco hoc (h. in domo hac), tu exaudies in cœlo in firmamento habitaculi tui, et facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel,et probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos (h. inimicum suum), per viam, quocunque [1] miseris eos, orabunt te contra viam civitatis, quam elegisti, et contra domum, quam ædificavi nomini tuo, et exaudies in cœlo (h.) orationem eorum, et precem eorum, et facies judicium eorum.(T. XXIII.) Quod si peccaverint tibi (non est enim homo qui non peccet) et iratus tradideris eos inimicis suis, et captivi ducti fuerint in terram inimicorum (h. inimici) longe vel prope, et egerint pœnitentiam in corde suo in loco captivitatis (h. in terra *captivantium* eos), et conversi deprecati te (*ms. tacet* te) fuerint in captivitate sua, dicentes: Peccavimus, inique egimus, impie gessimus; et reversi fuerint ad te in universo corde suo, et in tota anima sua in terra inimicorum suorum,ad quam captivi ducti sunt (*Vulg.* fuerint): et oraverint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, et civitatis, quam elegisti, et templi (h. domus) quod ædicavi nomini tuo: exaudies in cœlo, in firmamento solii tui, orationes eorum, et preces eorum (*ms. tacet* eorum), et facies judicium eorum: et propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, et omnibus iniquitatibus eorum,quibus prævaricati sunt in te: et dabis misericordiam coram eis qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis. Populus enim tuus est, et hæreditas tua, quos eduxisti de terra Ægypti (h. de Ægypto), de medio (*ms.* domo) fornacis ferreæ. Ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui, et populi tui (*ms. tacet* tui) Israel,et exaudias eos in universis pro quibus invocaverint te. Tu enim separasti eos tibi in hæreditatem de universis populis terræ, sicut locutus es per Mosen servum tuum (h. per manum Moysi servi tui), quando eduxisti patres nostros de Ægypto, Domine Deus. (T. XXIV.) Factum est autem, cum complesset Salomon orans Dominum omnem orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini; utrumque enim genu in terram fixerat, et manus expanderat ad cœlum. Stetit ergo, et benedixit omni Ecclesiæ Israel voce magna, dicens: Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel, juxta omnia quæ locutus est: non cecidit ne unus quidem sermo, ex omnibus bonis quæ locutus est per Mosen servum suum (h. per manum Moysi servi sui). Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque projiciens. Sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, et custodiamus mandata ejus, et cæremonias ejus (*ms. tacet* ejus), et judicia quæcunque mandavit patribus nostris. Et sint sermones mei isti,quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, ut faciat judicium (*Vulg.addit* cum) servo suo, et populo suo (*ms. tacet* suo) Israel per singulos dies: et sciant omnes populi terræ, quia Dominus ipse est Deus, et non est ultra absque eo. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis ejus, et custodiamus (h. Sit quoque cor vestrum perfectum cum Domino Deo nostro, ad ambulandum in decretis ejus, et custodiendum) mandata ejus, sicut et hodie. Igitur rex et omnis Israel cum eo immolabant victimas coram Domino. Mactavitque Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia: ovium, centum vinginti millia: et dedicaverunt templum (h. domum) Domini rex et filii Israel. (T. XXV.) In die illa sanctificavit rex medium atrii, quod erat ante domum Domini: fecit quippe ibi holocaustum, et sacrificium, et adipem pacificorum: quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, et capere non poterat holocaustum (*ms.* holocausta), et sacrificium, et adipem pacificorum. Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, et omnis Israel cum eo, multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Ægypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus, et septem diebus, id est, quatuordecim diebus. (T. XXXVI.) Et (*ms. tacet* Et) in die octava dimisit populum: qui benedicentes regi, profecti sunt in tabernacula sua lætantes, et alacri corde super omnibus bonis quæ fecerat Dominus David servo suo et Israel populo suo.

(*Cap.* IX.) Factum est autem cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, et ædificium regis (h. et domum regis), et omne quod optaverat et voluerat [2] facere, apparuit Dominus ei secundo, sicut apparuerat ei in Gabaon. Dixitque Dominus ad eum: Exaudivi orationem tuam et deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi sempiternum, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in

[1] Idem m. *per viam quamcunque.*
[2] Ms. Veronens. *voverat*, quem puto exscriptoris lapsum; est enim in Hebræo נדר.

tate cordis,et in æquitate: et feceris omnia
ɔcepi tibi, et legitima mea et judicia mea
is, ponam (h. firmabo) thronum regni tui
rael in sempiternum, sicut locutus sum
atri tuo, dicens : Non auferetur vir de ge-
de solio Israel. Si autem aversione aversi
vos et filii vestri, non sequentes me, nec
ıntes mandata mea, et cæremonias (*Vulg.*
sas) quas proposui vobis,sed (*ms.* si) abie-
colueritis deos alienos, et adoraveritis eos:
Israel de superficie terræ,quam dedi eis :
lum (h. domum), quod sanctificavi nomini
ojiciam a conspectu meo. (T. XXXVII.)
Israel in proverbium et in fabulam cunctis
Et domus hæc erit in exemplum : omnis
sierit per eam, stupebit, et sibilabit, et
Quare fecit Dominus sic terræ huic, et
ınic? Et respondebunt : Quia dereliquerunt
m Deum suum,qui eduxit patres eorum de
gypti,et secuti sunt deos alienos, et adora-
sos, et coluerunt (*Vulg. addit* eos) : idcirco
Dominus super eos omne malum hoc. Ex-
ıtem annis viginti postquam ædificaverat
ı duas domos, id est, domum Domini, et
regis (Hiram rege Tyri præbente Salomoni
drina et abiegna,et aurum juxta omne quod
buerat), tunc dedit rex I Salomon Hiram
ɔppida in terra Galilææ. Egressusque est
le Tyro, ut videret oppida quæ dederat ei
n, et non placuerunt ei, et ait : Hæccine
itates, quas dedisti mihi, frater (h. frater
Et appellavit eas terram Chabul, usque in
ınc. Misit quoque Hiram ad regem Salomo-
entum viginti talenta auri. Hæc est summa
rum, quam obtulit rex Salomon ad ædifi-
domum Domini et domum suam,et Mello,
ım Jerusalem, et Eser [3], et Mageddo, et
Pharao rex Ægypti ascendit, et cepit Gazer,
litque eam igni : et Chananæum, qui habi-
ı civitate,et interfecit,et dedit eam in dotem
e uxori Salomonis. Ædificavit ergo Salomon
ɔt Beth-Oron inferiorem, et Balaath, et Pal-
[4] (h. Tadmor) in terra solitudinis. Et omnes
ıui ad se pertinebant, *et erant absque muro*,
(h. non habet), et civitates curruum et civi-

A tates equitum,et quodcunque ei placuit ut ædifica-
ret in Jerusalem, et in Libano, et in omni terra
potestatis suæ. (T. XXVII.) Universum populum,
qui remanserat de Amorrhæis, et Hetthæis, et Phæ-
rezeis, et Evæis, et Jebusæis, qui non sunt de filiis
Israel : horum filios, qui remanserant in terra,
quos scilicet non potuerant filii Israel exterminare :
fecit tributarios Salomon, usque in diem hanc. De
filiis autem Israel non constituit Salomon servire
quemquam, sed erant bellatores viri, et ministri
ejus, et principes, et duces, et præfecti curruum et
equorum (h. equitum). Erant autem principes su-
per omnia opera Salomonis præpositi quingenti
quinquaginta, qui habebant subjectum populum,
et statutis operibus imperabant. Filia autem Pha-
B raonis ascendit de civitate David in domum suam,
quam ædificaverat ei (*Vulg. addit.* Salomon) : tunc
ædificavit Mello. Offerebat quoque rex [5] Salomon
tribus vicibus per annos singulos holocausta, et
pacificas victimas, super altare quod ædificaverat
Domino, et adolebat thymiama coram Domino
perfectumque est templum (h. perfectaque est do-
mus). (T. XXIX.) Classem quoque fecit rex Sa-
lomon in Asion-Gaber, quæ est juxta Ailam (h.
Eloth) in littore maris Rubri, in terra Idumææ.
Misitque Hiram in classe illa serros suos viros
(*ms. tacet* viros) nanticos et gnaros maris, cum
servis Salomonis. Qui cum venissent in Ophis,
sumptum inde aurum quadringentorum viginti ta-
lentorum detulerunt ad regem Salomonem.

(T. XXX, *Cap.* X.) Sed et regina Saba, audita
C fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare
eum in ænigmatibus. Et ingressa Jerusalem multo
cum (*ms. tacet* cum) comitatu et divitiis, camelis
portantibus aromata, et aurum infinitum nimis,et
gemmas pretiosas,venit ad regem [6] Salomonem, et
locuta est ei universa quæ habebat in corde suo,
et docuit eam (h. et nuntiavit ei) Salomon omnia
verba quæ proposuerat: non fuit sermo, qui regem
posset latere, ut non responderet [7] ei. Videns au-
tem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et
domum quam ædificaverat, et cibos (h. cibum)
mensæ ejus, et habitacula servorum, et ordinem
ministrantium, vestesque eorum, et pincernas et
holocausta quæ offerebat in domo Domini : non

n Vulgatis tacet Veronens. ms. *rex*, quod
ien in Hebraico exemplari atque aliis.
vero rectius cum Hebræo nomen *Salomonis*
ıs. omittit.
ɔ modo legunt mss. veteres : ita quoque ha-
r in Canone Hebraicæ veritatis ante emen-
ɜm ejus. Nunc in eo scriptum reperitur *Asor*
ɔunctationem Hebræi contextus; non tamen
lum sonum hodiernum litteræ ח, quæ du-
habet aspirationem, et vocatur *Hheth*, aut
unde חצר, *Hhatsor*, sive *Chasor*. MART.
cidit e medio hujus vocis littera, *Daleth* :
ıen fidem adhibeamus exemplaribus Masso-
rum hodiernis, ubi spatium, quod occuparet
h littera, in editis vacuum relinquitur, cum
marginali *Ceri*, ut doceat legendum esse, תדמור,
mor. Manuscripti libri vetusti quotquot in-

D speximus, legunt intra textum, תמר, *Thamor* : sed
Ceri ad marginem exhibent Regius et Oratorianus
supra laudati. Pelissonæus noster nihil habet præ-
ter puram lectionem תמר, *Thamor*. Ita scriptum
erat in Hebræo exemplari sancti Hieronymi, quod
manifestissime probat verbum *Palmiram* in sacro
contextu : *Thamar* enim *Palmiram* sive *Palmam*
significat. At scholiastes Canonis legerat in Hebræo-
rum codicibus תדמר, *Thadmor*, vel *Tadmor* juxta
adnotationem ejusdem appositam in margine.
MART.

[5] Cum Hebræo tacet Veronens. ms. *rex*.

[6] Denuo ad Hebraici textus fidem tacet Vero-
nens. ms. *regem*.

[7] Idem ms., *Et non responderat*, leg. *responde-
ret*.

habebat ultra spiritum. Dixitque ad regem: Verus est sermo, quem audivi in terra mea, super sermonibus tuis, et super sapientia tua : et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit : major est sapientia et opera tua, quam rumor quem audivi. Beati viri tui, et beati servi tui, hi qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. Si Dominus Deus tuus benedictus, cui placuisti (*Vulg.* complacuisti), et posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum, et constituit te regem, ut faceres judicium et justitiam. Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosas : non sunt allata ultra aromata tam multa, quam ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni. Sed et classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thynia multa nimis, et gemmas pretiosas. Fecitque rex de lignis thyinis fulcra domus Domini et domus regiæ, et citharas lyrasque cantoribus : non sunt allata hujuscemodi ligna thyina, neque visa (*ms. tace* visa) usque in præsentem diem). Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia quæ voluit et petivit ab eo : exceptis his quæ ultro obtulerat ei munere regio. Quæ reversa est, et abiit in terram suam cum servis suis. (T. XXXI.) Erat autem pondus auri, quod afferebatur (*Vulg.* offerebatur) Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum auri : excepto eo, quod afferebant (*ms.* offerebant) viri qui super vectigalia erant, et negotiatores, universique scuta vendentes, et omnes reges Arabiæ, ducesque terræ. (T. XXXII.) Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta (h. ducentas hastas) de auro puro, sexcentos siclos auri (h. sexcentos aureos) dedit in laminas scuti unius. Et trecentas peltas (h. trecenta scuta) ex auro probato : trecentæ minæ (tres mnæ) auri unam peltam vestiebant : posuitque ea rex in domo saltus [8] Libani. Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem : et vestivit eum auro fulvo nimis (h. auro obryzo), qui habebat sex gradus : et summitas throni rotunda erat in parte posteriori : et *duæ* (h. non habet) manus hinc atque inde tenentes sedile : et *duo* (h. non habet) leones stabant juxta manus *singulas* (h. non habet) : et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde : non est factum tale opus in universis regnis. Sed et omnia vasa, de quibus potabat rex Salomon, erant aurea : et universa (h.) supellex domus saltus Libani de auro purissimo : non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis. Quia classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, et argentum, et (*ms. tacet* et) dentes elephantorum, et simias, et pavos. Magnificatus est ergo rex Salomon, super omnes reges terræ, divitiis et sapientia. Et universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus. Et singuli deferebant ei munera, vasa aurea et argentea, vestes et arma bellica, aromata quoque, et equos et mulos, per annos singulos. Congregavitque Salomon currus et equites, et facti sunt et mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum : et disposuit eos per civitates munitas (h. per civitates qua*drigarum*), et cum rege in Jerusalem. Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta lapidum : et cedrorum præbuit multitudinem, quasi sycomoros quæ nascuntur in campestribus. Et adducebantur equi Salomoni de Ægypto et de Coa. Negotiatores enim regis emebant de Coa, et statuto pretio perducebant. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti (h. sexcentis argenteis), et equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hetthæorum et Syriæ equos venundabant.

(T. XXXIII, *Cap.* XI.) Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, et Moabitidas, et Ammonitidas, Idumæas, et Sidonias, et Hetthæas (*ms.* Cethæas) de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel : Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras : certissime enim avertent corda vestra ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon *ardentissimo* (h. non habet) amore. Fueruntque ei uxores quasi reginæ septingentæ, et concubinæ trecentæ : et averterunt mulieres cor ejus (mulieres ejus eor ejus). Cumque jam esset senex, depravatum est per mulieres cor ejus, ut sequeretur deos alienos : nec erat cor ejus perfectum cum (*Ms.* coram) Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus. Sed colebat (h. sed sequebatur) Salomon Astharthen (h. Astharoth deum Sodoniorum) deam Sidoniorum, et Moloch idolum Ammonitarum [9] (h. hic Melchon. Et, abo*minationem* Ammonitarum). Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, (h. Fecitque Salomon malum in oculis Domini), et non adimplevit ut sequeretur Dominum, sicut David (*ms. tacet* David) pater ejus. Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos idolo Moab (h. excelsum hamos *idolo* Moab), in monte

[8] Idem ms. *Ligna pinea thyina*. Robertus de Sorbona in Glossis divinor. Librorum ad hunc locum, *Ligna*, inquit, *thyina incognita sunt, nam et alia editio habet, pinea*. Ex quibus suspicari licet, geminam interpretationem temere huc intrusam : nam et vox *thyina* sonat ligna citrina, vel suaveolentia : et quod in Hebræo est אלמגים *almugim*, LXX alibi transtulerunt *pinea*, quos et S. ipse Hieronymus in Paralipomenon libris secutus est.

[9] Pressius Hebræo יער legit ms. Veronens. *silva*.

[9] Addunt hoc loco nonnulli manuscripti codices, *et Chamos deum Moabitarum*, quæ verba non leguntur in Hebræis voluminibus, sed tantum apud LXX, quos sequuntur Syrus et Arabs. Huc translata videntur e versu 33 sequenti. Confer utrumque locum, sed perturbatum ordinem versiculorum hujus capituli in Septuaginta ne sequaris. MART.

contra Jerusalem, et Moloch idolo [h. con- A runtque Damascum, et habitaverunt ibi, et constituerunt eum regem in Damasco, eratque adversarius Israeli cunctis diebus Salomonis, et hoc est malum Adad, et odium contra Israel, regnavitque in Syria. [T. XXXVI.] Jeroboam quoque filius Nabat, Ephrathæus, de Sareda, cujus mater erat nomine Sarva, mulier vidua, servus Salomonis, levavit manum contra regem. Et hæc causa rebellionis adversus eum, quia Salomon ædificavit Mello, et coæquavit voraginem civitatis David patris sui. Erat autem Jeroboam vir fortis et potens : vidensque Salomon adolescentem bonæ indolis et industrium, constituerat eum præfectum super tributa universæ domus Joseph. [T. XXXVII.] Factum est igitur in tempore illo, ut Jeroboam egrederetur de B Jerusalem, et inveniret eum Ahias Silonites propheta in via opertus pallio novo : erant autem duo tantum in agro. Apprehendensque Ahias pallium *suum* [h. non habet] novum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes. Et ait ad Jeroboam : Tolle tibi decem scissuras : hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus. Porro una tribus remanebit ei, propter servum meum David et Jerusalem civitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel : eo quod dereliquerit me [2], et adoraverit Astharthen [h. Astoreth] deam Sidoniorum, et Chamos deum Moab, et Melchom deum filiorum Ammon, et non ambulaverit in viis meis ut faceret justitiam coram me, et præcepta mea et judicia, sicut David pater ejus. Nec auferam omne regnum C de manu ejus, sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ, propter David servum meum, quem elegi, qui custodivit mandata mea et præcepta mea. Auferam autem regnum de manu filii ejus, et dabo tibi decem tribus : filio autem cujus dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me in Jerusalem civitate, quam elegi, ut esset nomen meum ibi. Te autem assumam, et regnabis super omnia quæ desiderat anima tua [4]. erisque rex super Israel. Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi, et ambulaveris in viis meis, et feceris quod rectum est coram me [h. in oculis meis], custodiens mandata mea et præcepta mea, sicut fecit David servus meus : ero tecum, et ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi Da- D vid, et tradam tibi Israel, et affligam semen David super hoc, verumtamen non cunctis diebus. Voluit ergo Salomon interficere Jeroboam : qui surrexit, et aufugit in Ægyptum ad Sesac [*ms.* Susam] regem

oni [h. con- | ioni] filiorum Ammon. Atque in hunc mo- | cit universis uxoribus suis alienigenis, quæ | nt thura, et immolabant diis suis. Igitur | est Dominus Salomoni, quod aversa esset | jus [*cor ejus*] a Domino Deo Israel, quia | rat ei secundo, et præceperat de verbo hoc, | eretur deos alienos, et non custodivit quæ | it ei Dominus. Dixit itaque Dominus Salo- | Quia habuisti hoc apud te, et non custo- | otum meum, et præcepta mea quæ mandavi | rumpens scindam regnum tuum, et dabo | rvo tuo. Verumtamen in diebus tuis non | propter David patrem tuum : de manu filii | ndam illud, nec totum regnum auferam | m], sed tribum unam dabo filio tuo, propter | ervum meum et Jerusalem quam elegi. | XIV.] Suscitavit autem Dominus adversa- | alomoni, Adad Idumæum de semine regio, | in Edom. Cum enim esset David in Idu- | ascendisset Joab princeps militiæ ad sepe- | eos qui fuerant interfecti, et occidisset | asculinum [1] in Idumæa (sex enim mensibus | atus est Joab, et omnis Israel, donec inte- | [*ms.* interficerent] omne masculinum in |), fugit Adab ipse, et viri Idumæi de servis | jus cum eo, ut ingrederetur Ægyptum : | tem Adad puer parvulus. Cumque surrexis- | Madian, venerunt in Pharan, tuleruntque | viros de Pharan, et introierunt Ægyptum | raonem regem Ægypti : qui dedit eis do- | t cibos [h. panem] constituit, et terram de- C | Et invenit Adad gratiam coram Pharaone | in tantum ut daret ei uxorem, sororem | suæ germanam Thaphnes reginæ. Genuit- | soror Thaphnes Genubath [*ms.* Genebat] | et nutrivit eum Thaphnes in domo Pha- | eratque Genubath habitans apud Pharao- | m filiis ejus. Cumque audisset Adad in Æ- | dormisse David cum patribus suis, et mor- | sse Joab principem militiæ, dixit Pharaoni. | me, ut vadam [h. Mitte me, et vadam] in | meam. Dixitque ei Pharao : Qua enim re | e indiges, ut quæras ire ad terram tuam ? At | ondit : Nulla : sed obsecro te [3] ut dimittas | ut mittas me]. [T. XXXV.] Suscitavit quo- | Deus adversarium Razon filium Etiada, qui D | Adadezer regem Soba dominum suum, et | avit contra eum viros, et factus est prin- | tronum cum interficeret eos David, abie-

onens. ms. *occidissent omnem masculum* : is Hebræo כל-זכל.

1 addit idem ms. *te*. Hebræus autem textus eam voculam, sed et præcedens verbum , prætermittit.

tius iterum ad Hebræi codicis fidem ms. nsis legit plurium numero, *Dereliquerunt doraverunt*. Tum *Astharoth* pro *Astharthen*, ectionem Arabs quoque præfert. Paulo post pro *Melchom* cum Vulgatis : longius tamen ab Hebr. מלכם. Denique cohærenter superiori isocolo, ac rursum Hebr. plurium numero. *Et non ambulaverunt in viis meis ut facerent*, etc.

4 Rescripsimus *tua* ex Veronens. ms., concinente Hebræo textu נפשך. Sed et reliquæ versiones omnes, ipsaque Vulgata sic legunt : ut nemo jam Martianæo jure non succenseat, qui et pro arbitrio lectionem veriorem mutarit, et lectorem suum de hac ipsa mutatione nec verbo tenus monuerit.

Ægypti, et fuit in Ægypto usque ad mortem Salomonis. Reliquum autem Verborum Salomonis, et omnia quæ fecit, et sapientia ejus : ecce universa scripta sunt in libro verborum Salomonis. [T. XXXVIII.] Dies autem, quos regnavit Salomon in Jerusalem super omnem Israel, quadraginta anni sunt [1]. Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David patris sui, regnavitque Roboam [h. Rehabam] filius ejus pro eo.

[T. XXXIX, *Cap.* XII.] Venit autem Roboam in Sichem : illuc enim congregatus erat omnis Israel ad constituendum eum regem. At Jeroboam filius Nabat, cum adhuc esset in Ægypto profugus a facie regis Salomonis, audita morte ejus, reversus est de Ægypto. Miseruntque, et vocaverunt eum : venit ergo Jeroboam, et omnis multitudo Israel, et locuti sunt ad Roboam, dicentes : Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis : tu itaque nunc imminue paululum de imperio (h. de servitute) patris tui durissimo, et de jugo gravissimo quod imposuit nobis, et serviemus tibi. Qui ait eis : Ite usque ad tertium diem, et revertimini ad me. (T. XL.) Cumque abiisset populus, iniit consilium rex Roboam cum senibus qui assistebant coram Salomone patre ejus dum adhuc viveret [2], et ait : Quod mihi datis consilium, ut respondeam populo huic (*ms. tacet* huic) ? Qui dixerunt ei : Si hodie obedieris populo huic, et servieris, et petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus. (T. XLI.) Qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei. Et adhibuit adolescentes (h. parvulos), qui nutriti fuerant cum eo, et assistebant illi, dixitque ad eos : Quod mihi datis consilium, ut respondeam populo huic qui dixerunt mihi : Levius fac jugum, quod imposuit pater tuus super nos : Et dixerunt ei juvenes (h. parvuli), qui nutriti fuerant cum eo ? Sic loquere populo huic qui locuti sunt ad te, dicentes : Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu releva nos. Sic loquere ad eos : Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei (h. lumbis). Et A nunc pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum ; pater meus cecidit vos flagellis, ego autem vos(*ms. tacet* vos) scorpionibus, Venit ergo Jeroboam, et omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat rex, dicens : Revertimini ad me die tertia. Responditque rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod dederant ei, et locutus est eis secundum consilium juvenum (h. parvulorum) dicens : Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro ; pater meus cecidit vos flagellis : ego autem cædam vos scorpionibus. Et non acquievit rex populo : quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ (*ms.* Abiæ) Silonitæ, ad Jeroboam filium Nabat. (T. XLII.) Videns itaque populus (h. Videns itaque omnis Israel), quod noluisset eos audire rex, respondit ei, dicens : Quæ nobis pars in David ? vel qua hæreditas in filio Isai ? Vade [4] in tabernacula tua, Israel : nunc vide domum tuam David. Et abiit Israel in tabernacula sua. Super filios autem Israel, *quicunque* (h. non habet) habitant in civitatibus Juda, regnavit Roboam. Misit igitur rex Roboam Aduram, qui erat super tributa, et lapidavit eum omnis Israel, et mortuus est. Porro rex Roboam festinus [5] (h. invitus) ascendit currum, et fugit in Jerusalem, recessitque Israel a domo David, usque in præsentem diem. (T. XLIII.) Factum est autem cum audisset omnis Israel, quod reversus esset Jeroboam, miserunt, et vocaverunt eum, congregato cœtu, et constituerunt eum (*ms. tacet* eum) regem super omnem Israel, nec secutus est quisquiam domum David præter tribum Judam solam. (T. XLIV.) Venit autem Roboam in Jerusalem, et congregavit universam domum Juda, et tribum Benjamin, centum octoginta millia electorum *virorum* (h. non habet) bellatorum, ut pugnarent (*ms.* pugnaret *et* reduceret) contra domum Israel, et reducerent regnum Roboam filio Salomonis. (T. XLV.) Factus est autem sermo Dei (*Vulg.* Domini) ad Semeiam virum Dei, dicens : Loquere ad Roboam

[1] Cave, lector, opinionem cujusdam nuperi chronologi in annis regni Salomonis. Huic enim scriptori non sufficit suggillasse egregium eruditionis monumentum S. Hieronymi, epistolam scilicet ad Vitalem Episcopum, de Salomone et Achaz, nisi contra expressos ac manifestissimos omnium Scripturarum textus, Græcorumque contra Latinorum Patrum unanimem consensum solus insurgeret, docens Salomonem non annis tantum quadraginta, sed totis octoginta imperium tenuisse. Quodque magis mirandum est, unum se ac solum esse profitetur, qui hanc sententiam sit amplexatus, fretus Joseph Judæi auctoritate unica, quem hallucinatum tamen dicit in annis regum Tyri et Israel. Quid plura ? Isaacum Vossium hac in difficultate hærentem arguit assiduus ejusdem Vossii assertor, ut sic tandem plus magistro suo aliquid possit in ambiguitatibus et ænigmatibus Scripturæ sacræ dissolvendis. Sed adhæreat, ut sibi visum fuerit, Josepho atque Vossio suo ; nobis vero liceat adhæsisse scriptoribus hagiographis, unanimi sanctorum Patrum sententiæ maximoque divinarum Scripturarum interpreti Hieronymo quem adeo sibi inconstantem putat supradictus chronologus, ut asserat Hieronymum in *Traditionibus Hebraicis* in secundo Paralipomenon, indigitasse quadraginta annos Salomonis, quos regnavit antequam prævaricatus esset, et alios quadraginta in quibus regnum tenuit postquam reliquisset Dominum. Verum tantum aberrat a vero sensu, quantum sæculis distat auctor *Quæstionum Hebraicarum* in Paralipomena, a vero Hieronymo, qui quarto sæculo floruit in Ecclesia Dei, cum supradictus scriptor ætatem degerit tempore Rabani Mauri. Vide supra Prolegomenon tertium. MART.

[2] Uno verbo ms. Veronens., *Cum adviveret.*

[3] Tacet ms. Veronens. *Vade*, quod et in Hebræo quidem vacat ex ejus ingenio linguæ.

[4] Nihil amplius e tali scholio pene obsoleto elicere nobis licuit : quare non multum hic adhæremus conjecturæ nostræ, vel lectioni. MART.

—Minori numero cum Hebræo legit Veronens. ms.

alomonis regem Juda, et ad omnem domum Benjamin, et reliquos de populo, dicens : it Dominus : Non ascendetis, nec bellabitis ratres vestros filios Israel : revertatur vir m suam, a me enim factum est verbum dierunt sermonem Domini, et reversi sunt re, sicut eis præceperat Dominus (h. se- verbum Domini). Ædificavit autem Jero- ichem in monte Ephraim, et habitavit ibi, sus inde ædificavit Phanuel. (T. XLVI.) Jeroboam in corde suo : Nunc revertetur ad domum David, si ascenderit populus ıciat sacrificia in domo Domini in Jerusa- onvertetur cor populi hujus ad dominum oboam regem Juda, interficientque me, et tur ad eum. Et excogitato consilio, fecit tulos aureos, et dixit eis : Nolite ultra re in Jerusalem : ecce dii tui, Israel, qui nt te de terra Ægypti. Posuitque unum in et alterum in Dan. Et factum est verbum eccatum : ibat enim populus ad adorandum usque in Dan. (T. XLVII.) Et fecit fana in et sacerdotes de extremis populi, qui non filiis Levi. Constituitque diem solemnem octavo, quintadecima die mensis, in si- nem solemnitatis, quæ celebrabatur[1] in ascendens altare, similiter fecit in Beth- mmolaret vitulis quos fabricatus erat : ique in Beth-El sacecdotes excelsorum, erat. Et ascendit super altare quod ex- t in Beth-El, quindecima die mensis oc- m finxerat de corde suo, et fecit solemni- liis Israel, et ascendit super altare, ut incensum (*ms.* adoleretur).

VIII, *Cap.* XIII.) Et ecce vir Dei venit de sermone Domini in Beth-El, Jeroboam per altare, et thus jaciente (*Vulg.* faciente). navit contra altare in sermone Domini, et re, altare, hæc dicit Dominus : Ecce filius domui David, Josias nomine, et immolabit sacerdotes excelsorum, qui nunc in te ccendunt, et ossa hominum incendet super que in die illa signum dicens : Hoc erit uod locutus est Dominus : Ecce altare scin- t effundetur cinis, qui in eo est. Cumque rex sermonem hominis Dei, quem inclama- . exclamaverat) contra altare in Beth-El, manum suam de altari, dicens : Appre- um. (T. XLIX). Et exaruit manus ejus, tenderat contra eum; nec valuit retrahere e. Altare quoque scissum est, et effusus de altari, juxta signum quod prædixerat *dedehat*) vir Dei in sermone Domini. Et l virum Dei : Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me ut restituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat. (T. L.) Locutus est autem rex ad virum Dei : Veni mecum domum ut prandeas (*ms.* prandeamus), et dabo tibi munera. Responditque vir Dei ad regem : Si dedideris mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem neque bibam aquam in loco isto; sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis : Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam quam venisti. Abiit ergo per aliam viam, et non est reversus per iter quo venerat in Beth-El. (T. LI.) Prophetes autem quidam senex habitabat in Beth-El, ad quem venit filius suus (*ms.* ejus), et narravit[2] ei omnia opera quæ fecerat vir Dei in illa die in Beth-El; et verba quæ locutus fuerat ad regem. Et narraverunt patri suo, et dixit eis pater eorum : Per quam viam abiit? Ostenderunt ei filii sui viam per quam abierat vir Dei, qui venerat de Juda. Et ait filiis suis : Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, ascendit, et abiit post virum Dei et invenit eum sedentem subtus terebinthum, et ait illi : Tunc est vir Dei, qui (*Vulg. tacet* qui) venisti de Juda[3]? Respondit : Ego sum. Dixit ad eum : Veni mecum domum, ut comedas panem. Qui ait : Non possum reverti, neque venire tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam in loco isto : quia locutus est *Dominus* (h. non habet) ad me in sermone Domini dicens : Non comedes panem, neque bibes aquam ibi, nec reverteris per viam qua veneris. Qui ait illi : Et ego propheta sum similis tui, et angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens : Reduc eum tecum in domum tuam, et (*Vulg.* ut) comedat panem, et bibat aquam, Fefellit eum, et reduxit secum : comedit ergo panem in domo ejus, et bibit aquam· (T. LII.) Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum. Et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de Juda, dicens : Hæc dixit Dominus : Quia inobediens fuisti ori Domini, et non custodisti mandatum quod præcepit tibi (*ms. tacet* tibi) Dominus Deus tuus, et reversus es, et comedisti panem, et bibisti aquam in loco in quo præcepit (*ms.* præceperam) tibi ne comederes panem neque biberes aquam, non inferetur (*ms.* infertur) cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum. Cumque comedisset, et bibisset stravit asinum suum prophetæ, quem reduxerat. Qui cum abiisset, invenit eum leo in via, et occidit, et erat cadaver ejus projectum in itinere : asinus autem stabat juxta illum, et leo stabat juxta cadaver. Et ecce viri transeuntes viderunt cadaver projectum in via, et leonem stantem juxta cadaver. Et venerunt, et divulgaverunt in civitate, in

Quæ subsequitur scholiastis notam, exe- tate litteris, se conjectando excudisse, monuit.

ms., *celebratur*. Hebraica autem phrasis verbum hoc penitus omittit.

[2] Vulgati, *venerunt filii sui*, et *narraverunt*, etc.

[3] Veronens. ms. *venit* : et mox cum Vulgatis *Respondit ille* : utrumque ab Hebræo longius.

qua prophetes senex ille habitabat. Quod cum audisset propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait : Vir Dei est, qui inobediens fui ori Domini, et tradidit eum Dominus leoni, et confregit eum, et occidit juxta verbum Domini, quod locutus est ei. Dixitque ad filios suos : Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, et ille abiisset, invenit cadaver ejus projectum in via asinum et leonem stantes juxta cadaver : non comedit leo de cadavere, nec læsit asinum. Tulit ergo prophetes cadaver viri Dei, et posuit illud super asinum, et reversus intulit in civitatem prophetes senex, ut plangeret eum [1]. Et posuit cadaver ejus in sepulcro suo, et planxerunt eum : Heu ! heu ! (h. Heu ! frater mi) frater. Cumque planxissent (h. sepelissent) eum, dixit ad filios suos : cum mortuus, fuero, sepelite me in sepulcro in quo vir Dei sepultus est : juxta ossa ejus ponite ossa mea. Profecto enim veniet sermo, quem prædixit (h. vocavit) in sermone Domini contra altare quod est in Beth-El, et contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in urbibus Samariæ. (T LIV.) Post (h. *verbum hoc*) verba hæc non est reversus Jeroboam de via sua pessima, sed econtrario fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum : quicunque volebat implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum. Et propter hanc causom peccavit domus Jeroboam, et eversa est, et deleta de superficie terræ.

(T. LV, *Cap.* XIV.) In tempore illo ægrotavit Abia filius Jeroboam. Dixitque Jeroboam uxori suæ : Surge, et commuta habitum, ne cognoscaris quod sis uxor Jeroboam, et vade in Silo, ubi est Ahias propheta, qui locutus est mihi, quod regnaturus essem super populum hunc. Tolle quoque in manu tua decem panes, et crustulam, et vas mellis, et vade ad illum ipse indicabit tibi quid eventurum sit huic puero. Fecit ut dixerat uxor Jeroboam, et consurgens abiit in Silo, et venit in domum Ahiæ ; at ille non poterat videre, quia caligaverant (*ms.* caligaverunt) oculi ejus præ senectute. Dixit autem Dominus ad Ahiam (h. *hic habet* Ahian) : Ecce uxor Jeroboam ingreditur, ut consulat te super filio suo qui ægrotat. Hæc et hæc loqueris ei. Cum ergo illa intraret, et dissimularet esse se quæ erat, audivit Ahias sonitum pedum ejus introeuntis per ostium, et ait : Ingredere, uxor Jeroboam : (T. LIV.) quare aliam te esse simulas ? ego autem missus sum ad te durus *nuntius* (h. non habet). Vade, et dic Jeroboam : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Quia exaltavi te de medio populi, et dedi te ducem super populum meum Israel, et scidi regnum domus David, et dedi illud tibi, et non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo (h. in oculis meis) ; sed operatus es mala super omnes qui fuerunt ante, et fecisti (h. et ambulasti, et fecisti) tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projecisti post corpus tuum ; idcirco ecce [2] ego inducam mala super domum Jeroboam, et percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, et clausum, et novissimum in Israel (h. clausum, et derelictum) ; et mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum. Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes ; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli, quia Dominus locutus est. Tu igitur surge, et vade in domum tuam, et in ipso introitu pedum tuorum in urbem, morietur puer (h. parvulus) ; et planget [3] eum omnis Israel, et sepeliet ; iste enim solus inferetur de Jeroboam in sepulcrum, quia inventus est sermo bonus super eum (h. in eo) a Domino Deo Israel [4], in domo Jeroboam. Constituit autem sibi Dominus regem super Israel [5], qui percutiet domum Jeroboam in hac die, et in hoc tempore ; et percutiet Dominus (*Vulg. addunt* Deus) Israel, sicut moveri solet arundo in aqua, et evellet Israel de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, et ventilabit eos trans flumem ; quia fecerunt sibi lucos, ut irritarent Dominum. Et tradet Dominus Israel propter peccata Jeroboam, qui peccavit, et peccare fecit Israel. Surrexit itaque uxor Jeroboam, et abiit, et venit in Thersa ; cunque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est, et sepelierunt eum. Et planxit eum omnis Israel juxta sermonem Domini, quem locutus est in manu servi sui Ahiæ (h. Ahian *habet hic*) prophetæ. (T. LVII.) Reliqua autem verborum Jeroboam, quomodo pugnaverit, et quomodo regnaverit, ecce scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel. Dies autem, quibus regnavit Jeroboam, viginti et duo anni *sunt* (h. non habet), et dormivit cum patribus suis : regnavitque Nadab filius ejus pro eo. (T. LVIII.) Porro Roboam filius Salomonis regnavit in Juda. Quadraginta et unius anni erat Roboam, cum regnare cœpisset : decem et septem annis regnavit in Jerusalem civitate, quam elegit Dominus, ut poneret nomen suum ibi ex omnibus tribubus Israel. Nomen autem matris ejus Naama Ammanitis (*ms.* Ammanithes). Et fecit Judas malum coram Domino (h. in oculis Domini), et irritaverunt eum super omnibus, quæ peccaverunt. Ædificaverunt enim et ipsi sibi aras, et statuas, et lucos (h. ex-

[1] Rectius cum Hebræo ms. Veronens. in gignendi casu, *prophetæ*, *ut plangerent*. Vulgata ipsius lectio hoc uno abludit, quod habet minori numero. *plangeret*. Mox idem ms. semel habet *heu* juxta Hebraicum.

[2] Tacet idem ms. *ecce*, quod Græci tantum aliquot libri atque Arabica versio prætermittit.

[3] Juxta Hebræum plurium numero Veronens. ms. *plangent*, et *sepelient*.

[4] Idem ms. *Inventus est super eo sermo bonus ad Dominum Deum Israel*, ad Hebræi contextus vestigia.

[5] Verius in futuro legit ms. Veronens. Juxta originales textus et Vulgatos Latinos.

celsa, et titulos), super omnem collem excelsum, et subter omnem arborem frondosam; sed et effeminati (h. effeminatus) fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israel. (T. LIX.) in quinto autem anno regni Roboam ascendit Sesac rex Ægypti in Jerusalem, et tulit thesauros domus Domini, et thesauros regios, et universa diripuit, scuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon; pro quibus fecit Roboam rex scuta ærea, et tradidit ea in manu ducum scutariorum, et eorum qui excubabant ante ostium domus regis. Cumque ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea qui præeundi habebant officium, et postea reportabant ad armamentarium scutariorum. Reliqua autem sermonum Roboam, et omnium quæ fecit, ecce scripta sunt (h. nonne scripta sunt) in libro Verborum (*Vulg.* sermonum) dierum regum Juda. Fuitque bellum inter Roboam et Jeroboam conctis diebus. Dormivitque Roboam cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David: (T. LX.) nomen autem matris ejus Naama Ammanitis, et regnavit Abia (h. Abiam) filius ejus pro eo

(*Cap.* XV.) Igitur in octavo decimo anno regni Jeroboam filii Nabat, regnavit Abiam super Judam Tribus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Maacha filia Absalom [1] (h. *hic habet* Abisalom). Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum, nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus. Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Jerusalem, ut suscitaret filium ejus post eum, et statueret (*ms.* staret) Jerusalem, eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hetthæi. Attamen bellum fuit inter Roboam et Jeroboam, omni tempore (h. omnibus diebus) vitæ ejus. Reliqua autem sermonum Abia, et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda? Fuitque prælium inter Abiam et inter (*ms. et Vulg. tacent* inter) Jeroboam. (T. LXI.) Et dormivit Abia cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David: regnavitque Asa filius ejus pro eo. In anno ergo vicesimo Jeroboam regis Israel regnavit Asa rex Juda, et quadraginta uno anno regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus, Maacha, filia Absalom (h. Abisalom). (T. LXII.) Et fecit Asa rectum ante conspectum (h. in oculis Domini) Domini, sicut David pater ejus, et abstulit effeminatos de terra purgavitque universas sordes *idolorum* (h. non habet), quæ fecerant patres ejus. Insuper et Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, et in loco ejus, quem consecraverat, subvertitque specum ejus, et confregit simulacrum turpissimum, et combussit in torrente Cedron: excelsa autem non abstulit. Verumtamen cor Asa perfectum erat eum (*ms.* coram) Domino cunctis diebus suis, et intulit ea, quæ sanctificaverat pater suus et voverat, in domum Domini, argentum et aurum, et vasa. Bellum autem erat inter Asa et Baasa regem Israel. cunctis diebus eorum. Ascendit quoque Baasa rex Israel in Judam, et ædificavit Rama, ut non posset quispiam egredi vel ingredi de parte Asa regis Juda. (T. LXIII.) Tollens itaque Asa omne argentum et aurum, quod remanserat in thesauris domus Domini, et in thesauris domus regiæ, dedit illud in manus servorum suorum, et misit ad Benadad filium Tabremon filii Ezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens: Fœdus est inter me et te, et inter patrem meum et patrem tuum: ideo misi tibi munera, argentum et aurum, et peto, ut venias, et irritum facias fœdus, quod habes cum Baasa rege Israel, et recedat a me. Acquiescens Benadad regi Asa, misit principes exercitus sui in civitates Israel, et percusserunt Ahion, et Dan, et Abel domum Maacha, et universam Cheneroth (*ms.* Ceneroth), omnem scilicet terram Nephthali. Quod cum audisset Baasa: intermisit ædificare Rama, et reversus est in Thersa. Rex autem Asa nuntium misit in omnem Judam [2], dicens: Nemo sit excusatus. Et tulerunt lapides de Rama, et ligna, quibus ædificaverat Baasa, et exstruxit de eis rex Asa Gabaa Benjamin, et Maspha. Reliqua autem omnium sermonum Asa, et universæ fortitudines ejus, et cuncta quæ fecit, et civitates. quas exstruxit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda? Verumtamen in tempore senectutis suæ doluit pedes. Et dormivit cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David patris sui. Regnavitque Josaphat filius ejus pro eo. (T. LXIV.) Nadab vero filius Jeroboam regnavit super Israel anno secundo Asa regis Juda: regnavitque super Israel duobus annis. Et fecit quod malum est in conspectu Domini (h. in oculis), et ambulavit in viis patris sui, et in peccatis (*ms.* et in peccato) ejus, quibus peccare fecit Israel. Insidiatus est autem ei Baesa filius Ahiæ de domo Issachar, et percussit eum in Gebbethon, quæ urbs Phili-

[1] Supposititus Hieronymus in *Quæstionibus Hebraicis* ad II Parolip. monet, hunc non esse filium David: « Non est iste, inquit, Absalom filius David, sed alius, quod in Regum volumine demonstratur. » Hunc itaque locum attendit, quia in scholio juxta Hebræum *Abisalom*, non *Absalom* dicitur. MART.

— Idem ms. hic atque infra *Abessalon* cum Vulgatis. Hebræus ipse textu hic אבישלום habet, quod scholiastes notat. Et vero, licet unum idemque sit nomen *Absalon* et *Abessalon*, ut ex II Paralipom. II, 21 constat, alium tamen hic a Davidis filio Absalomum innui, olim visum est criticorum filiis. Propius ad fidem Josephus existimat. de Thamare Absalomi filia natam illi neptem Maacham nomine quæ filia κατα χρηστικῶς dicitur.

[2] Verbum *dicens* ms. Veronens. juxta Hebr. textum, et mox *de* voculam tacet.

sthinorum, siquidem Nadab et omnis Israel obsidebant Gebbethon. (T. LXV.) Interfecit igitur illum Baasa in anno tertio Asa regis Juda, et regnavit pro eo. Cumque regnasset, percussit omnem domum Jeroboam: non dimisit ne unam quidem animam de semine ejus (h. de Jeroboam), donec deleret eum, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu servi sui Ahiæ Silonitis; propter peccata Jeroboam, quæ peccaverat, et quibus peccare fecerat (*ms.* fecit) Israel, et propter delictum, quo irritaverat Dominum Deum Israel. Reliqua autem sermonum Nadab, et omnia quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel? Fuitque bellum inter Asa et Baasa regem Israel, cunctis diebus eorum. Anno tertio Asa regis Juda, regnavit Baasa filius Abiæ, super B omnem Israel, in Thersa, viginti quatuor annis. Et fecit malum coram Domino (h. in oculis Domini), ambulavitque in via (*ms.* viis) Jeroboam, et in peccatis ejus, quibus peccare fecit Israel.

(T. LXVI, *Cap.* XVI.) Factus est autem sermo Domini ad Jeu filium Aanani contra Baasam (*ms.* Baasa), dicens: Pro eo quod exaltavi te de pulvere, et posui (*Vulg. add.* te) ducem super populum meum Israel, tu autem ambulasti in via Jeroboam, et peccare fecisti populum meum Israel, ut me irritares in peccatis eorum: ecce, ego demetam posteriora Baasa, et posteriora domus ejus: et faciam domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabat. Qui mortuus fuerit de Baasa in civitate, comedent eum canes: et qui mortuus fuerit ex eo in regione (h. in agro), comedent eum volucres C cœli. Reliqua autem sermonum Baasa, et quæcunque fecit, et prælia ejus (h. et fortitudo ejus), nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel? (T. LXVII.) Dormivit ergo Baasa cum patribus suis, sepultusque est in Thersa: et regnavit Ela filius ejus pro eo. Cum etiam in manu (h. *Et etiam* in manu) Jeu filii Hanani prophetæ verbum Domini factum esset (h. fuit) contra Baasam, et contra domum ejus, et contra omne malum, quod fecerat coram Domino (h. in oculis Domini), ad irritandum eum in operibus manuum suarum, ut fieret sicut domus Jeroboam: ob hanc causam occidit eum (h. *propter* quod occidisset eum), hoc est, Jeu filium Hanani, prophetam [1].

A Anno vicesimo sexto Asa regis Juda, regnavit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis. Et rebellavit contra eum servus suus Zamri, dux mediæ partis equitum (h. curruum): erat autem Ela in Thersa bibens et temulentus, in domo Aisa præfecti Thersa, Irruens ergo Zamri, percussit et occidit eum, anno vicesimo septimo Asa regis Juda, et regnavit pro eo. (T. LXVIII.) Cumque regnasset, et sedisset super solium ejus, percussit omnem domum Baasa, et non dereliquit ex eo (*Vulg.* ea) mingentem ad parrietem, et propinquos et amicos ejus. Delevitque Zamri omnem domum Baasa, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baasa in manu Jeu prophetæ, et propter universa peccata Baasa, et peccata Ela filii ejus, qui peccaverunt, et peccare fecerunt Israel, provocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. Reliqua autem sermonum Ela, et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel? Anno vicesimo septimo Asa regis Juda, regnavit Zamri septem diebus in Thersa: porro exercitus obsidebat Gebbethon urbem Philistinorum, (T. LXIX.) Cumque audisset rebellasse Zamri, et occidisse regem, fecit sibi regem omnis Israel Amri, qui erat princeps militiæ super Israel in die illa in castris. Ascendit ergo Amri, et omnis Israel cum eo, de Gebbethod, et obsidebant Thersa. Videns autem Zamri quod expugnanda esset civitas, ingressus est palatium, et succendit secum domum regiam: et mortuus est in peccatis suis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino (h. in oculis Domini), et ambulans in via Jeroboam, et in peccato ejus, quo fecit peccare Israel. Reliqua autem sermonum Zamri, et insidiarum ejus, et tyrannidis, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel? Tunc divisus est populus Israel in duas partes: media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth (*ms.* Geneth), ut constitueret eum regem: et media pars Amri. Prævaluit autem populus qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth: mortuusque est Thebni, et regnavit Amri. (T. LXX.) Anno tricesimo primo Asa regis Juda, regnavit Amri super Israel, duodecim annis; in Thersa regnavit sex annis. Emitque montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti: et ædificavit eum, et vocavit nomen civi-

D

[1] Glossatoris hæc esse, non Interpretis verba: *hoc est Jeu filium Hannani, prophetam*, clamat res ipsa. Non adeo in Hebr. solum archetypo, sed et Græco, cæterisque versionibus desiderantur: et cum soli sint, qui ea retineant, Latini libri, certe eo pluris facienda est Veronensis ms. omnium præstantissimi castitas, cum alia multa, quæ hactenus annotata sunt sacri textus additamenta, tum hoc plane respuit ac nescit: quanquam et scimus Estio olim alios ejusmodi, qui eo carerent, innotuisse. Ad hæc scimus et doctissimis criticis rem ipsam minus probari, minimeque veram videri hanc prophetæ Jeu necem. Nam, inquiunt, sub Josaphato, qui post Baasam regnavit, idem ipse propheta Jeu filius Hanani missus legitur II Paralipomenon XIX, 2, ad principem illum redarguendum, quod impio Achabo auxilium præbuisset. Verba autem illa, *obquam causam occidit eum*, vel ad Deum referunt, qui Baasam tot scelerum reum morte punivit, vel ad Baasam ipsum, qui Nadabum Jeroboami filium interfecit, totamque ejus familiam delevit, ut regnum invaderet. Quæ ut se habeant, profecto mirari subit, neque a Matianæo fuisse hanc additionem animadversam, neque ab Hebræo, quem vocat scholiaste, qui sæpius levissimas nulliusque fere momenti variantes ab Hebræo lectiones studiose ingerit. Nisi si putandum de illo est, in eo cui primum sua hæc scholia apposuit Latino exemplari, hanc ipsam additionem non exstitisse.

quam exstruxerat, nomine Somer [1] domini
is Samariæ. Fecit autem Amari malum in con-
u Domini (h. in oculis Domini), et opera-
st nequiter super omnes, qui fuerunt ante
Ambulavitque in omni via Jeroboam filii Na-
st in peccatis ejus quibus peccare fecerat Is-
ut irritaret Dominum Deum Israel in vanitati-
uis. Reliqua autem sermonum Amri, et præ-
us (h. et fortitudo ejus) quæ gessit, nonne
cripta sunt in libro Verborum dierum regum
? (T. LXXI.) Dormivitque Amri cum patri-
uis, et sepultus est in Samaria ; regnavitque
filius ejus pro eo. Ahab vero filius Amri re-
t super Israel anno tricessimo octavo Asa regis
. Et regnavit Ahab filius Amri super Israel in
ria viginti et duobus annis [2] (h. viginti et
or annis). Et fecit Ahab filius Amri malum in
ectu Domini, super omnes qui fuerunt ante
Nec suffecit ei, ut ambularet in peccatis Je-
m filii Nabath: insuper duxit uxorem Jezabel
·ael) filiam Ethbaal regis Sidoniorum [3], Et
et servivit Baal, et anoravit eum. Et posuit
Baal in templo Baal, quod ædificaverat in
ria, et plantavit lucum : et addidit Ahab in
suo, irritans Dominum Deum Israel, super
s reges Israel qui fuerunt ante eum. In diebus
ædificavit Ahiel de Beth-El, Jericho : in Abi-
rimitivo suo (h. primogenito suo) fundavit
t in Segub novissimo suo posuit portas ejus :
verbum Domini, quod locutus fuerat in ma-
sue filii Nun.

LXX. *Cap.* XVII.) Et dixit Elias Thesbites
vena) de habitoribus (h. de advenis) Galaad
iab : Vivit Dominus Deus Israel, in cujus
ectu sto (h. stetit), si erit annis his ros et
, nisi juxta oris mei verba. Et factum est
m Domini ad eum, dicens : Recede hinc, et
contra orientem, et abscondere in torrente
, qui est contra Jordanem, et ibi de torrente
: corvisque præcepi ut pascant te ibi. Abiit
et fecit juxta verbum Domini : cumque abiis-
set, sedit in torrente Carith. qui est contra Jor-
danem. (T. LXXIII.) Corvi quoque deferebant ei
(*ms. tacet* ei) panem et carnes mane, similiter
panem et carnes vesperi, et bibebat de torrente.
Post dies autem siccatus est torrens : non enim
pluerat super terram. Factus est igitur sermo Do-
mini ad eum, dicens : Surge, et vade in Sarephtha
(h. Sarphatha) Sidoniornm, et manebis ibi : præ-
cepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te. Surrexit,
et abiit in Sarephtha. Cumque venisset ad portam
civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna,
et vocavit eam, dixitque ei [4] : Da mihi paululum
aquæ in vase, nt bibam. Cumque illa pergeret ut
afferret, clamavit post tergum ejus, dicens : Affer
mihi obsecro, et buccellam panis in manu tua. Quæ
respondit : Vivit Dominus Deus tuus, quia non
habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest
farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho : en
colligo duo ligna, ut ingrediar et faciam illud mihi
et filio meo, ut comedamus et moriamur. (T. LXXIV.)
Ad quam Elias ait : Noli timere, sed vade, et fac
sicut dixisti : verumtamen mihi primum fac de
ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et
affer ad me : tibi autem et filio tuo facies postea.
Hæc autem dicit Dominus Deus Israel : Hydria
farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur
usque ad diem, in qua daturus est Dominus plu-
viam super faciem terræ. Quæ abiit, et fecit juxta
verbum Eliæ : et comedit ipse, et illa, et domus
ejus : et ex illa die hydria (h. et domus ejus per
dies, hydria) farinæ non defecit, et lecythus olei
non est imminutus, juxta verbum Domini, quod lo-
cutus fuerat in manu Eliæ. (T. LXXV.) Factum
est autem post verba (*Vulg tacent* verba) hæc,
ægrotavit filius mulieris matrisfamiliæ, et erat
languor ejus fortis nimis (*ms. et Vulg. tacent* ejus ;
tum Vulg. fortissimus *pro* fortis nimis), ita ut non
remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Eliam : Quid
mihi et tibi, vir Dei ? ingressus es ad me, ut remo-
rarentur iniquitates meæ, et interficeres filium
meum ? Et ait ad eam (*Vulg. add.* Elias) : Da mihi

*mine Somer, id est montem Domini, vel mon-
mariæ*. Imperitum istud glossema positum
mus in sacro contextu Regii codicis ms. quod
notare operæ pretium duxi, ut exploratum
nt omnes, multa hujusmodi glossemata in
ræ contextum cum Græcum, tum Latinum,
orum imperitia et temeritate antiquitus fuisse
a : quanquam hæc auctores scholiorum ad
nes librorum apposuissent pro lectorum eru-
. MART.

de expiscatus sit noster scholiastes Ahab
chab viginti et quatuor annis regnasse in
ia, adhuc ignoramus : in Polyglottis enim
sa ad numerum viginti et duorum annorum
a reperiuntur. Tria quoque exemplaria
ca mss. quæ cum editis contulimus, viginti
s annos renuntiat. Tabulæ demum chrono-
apud historiographos nihil differunt in
regni Ahab. Itaque hic suspensi hæremus,
sum aliquem memoriæ diligentissimo scho-
impingentes, variantem forte lectionem quo-
rumdam antiquorum Hebræorum codicum temere
reprehendamus. MART.

— Iterum ex hoc loco colligere est, non Hebræum
archetypum, sed Latinum quodpiam apographum
laudari ab scholiaste. Quanquam non Hebræus so-
lum, sed et cæteri libri omnes quot supersunt, vi-
ginti duos tantum regni annos Achabo tribunnt.

[3] Itat legit Canon emendatus. Cæteri ad unum
mss. codices *Methhaal* aut *Methabaal* habent, et
proclivi certe lapsu propter *m* immediate præcedens
in voce *filiam*. Quis nesciat centies ac milles idem
contigisse antiquariis, ut elementa verborum præ-
cedentium cum sequentibus verbis copularent ?
MART.

— Veronens. ms., *Methbaal* : quemadmodum in
plerisque aliis Martianæus invenit: ex obvio Lati-
norum scribarum errore, qui litteram prostremam
præcedentis proxime vocis *filiam*, geminant, ac
transferunt ad sequens verbum.

[4] Veronens. ms. tacet *ei*, quod quidem neque est
in Hebræo additum.

filium tuum. Tolitque eum de sinu ejus, et portavit in cœnaculum, ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum (*ms.* lectum). Et clamavit ad Dominum, et dixit : Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utumque [1] sustentor, afflixisti, ut interficeres filium ejus? Et expandit se, atque mensus est super puerum (h. parvulum) tribus vicibus, clamavitque ad Dominum, et ait : Domine Deus meus, revertatur, oro, anima pueri (h. parvuli) hujus in viscera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ : et reversa est anima pueri (h. parvuli) intra eum, et revixit. Tulitque Elias puerum (h. parvulum,) et deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, et tradidit matri suæ, et ait illi : En vivit filius tuus (h. Vide, vivit filius tuus). Dixitque mulier ad Eliam : Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum *est* (h. non habet).

(T. LXXXVI. *Cap.* XVIII.) Post dies multos verbum Domini factum est ad Eliam, in anno tertio, dicens : Vade, et ostende te Ahab ut dem pluviam super faciem terræ. Ivit ergo Elias, ut ostenderet se Ahab : est autem fames vehemens in Samaria. Vocavitque Ahab Abdiam dispensatorem domus suæ : Abdias autem timebat Dominum valde. Nam cum interficeret Jezabel (h. Isabel) prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, et abscondit eos quinquagenos in speluncis [2], et pavit eos pane et aqua. Dixit ergo Ahab ad Abdiam : Vade in terram ad universos fontes aquarum, et in cunctas valles, si forte invenire possimus (*ms.* possemus) herbam, et salvare equos et mulos (h. equum et mulum), et non penitus jumenta intereant. Diviseruntque sibi regiones (h. terram), ut circumirent [3] eas (h. eam) : Ahab ibat per viam unam, et Abdias per viam alteram seorsum (h. per viam unam solus, et Abdias per viam alteram seorsum solus.) (T. LXXXVI.) Cumque esset Abdias in via, occurrit ei Elias : qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, et ait : Num tu es, domine mi, Elias? Cui ille respondit. Ego. Vade, et [3] dic domino tuo : Adest Elias. Et ille, Quid, inquit, peccavi, quoniam tradis me servum tuum in manu Ahab, ut interficiat me? Vivit Dominus Deus tuus (*Vulg. add.* quia.) non est gens aut regnum, quo non miserit dominus meus te requirens : et respondentibus cunctis : Non est hic, adjuravit regna singula et gentes, eo quod minime reperireris. Et nunc tu dicis mihi : Vade, et dic domino tuo : Adest Elias. Cumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum quem ego ignoro, et ingressus nuntiabo Ahab, et non inveniens te [4], interficiet me : servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua. Nunquid non indicatum est tibi domino meo, quid fecerim cum interficeret Jezabel prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos *et* (h. non habet) quinquagenos in speluncis, et paverim eos pane et aqua? Et nunc tu dicis : Vade, et dic domino tuo : Adest Elias, ut interficiat me? Et dixit Elias : Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto (*h. steti.*), quia hodie apparebo ei. Abiit ergo Abdias in occursum Ahab) et indicavit ei. Venitque Ahab in occursum Eliæ. (T. LXXVIII.) Et cum vidisset eum, ait : Tune es ille, qui conturbas (h. *conturbans*) Israel? Et ille ait : Non turbavi (*Vulg. add.* ego) Israel, sed tu est domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini [5], et secuti estis Baalim. Verumtamen nunc mitte, et congrega ad me universum Israel in monte Carmeli, et prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadragintos, qui comedunt de mensa Jesabel. Misit Ahab ad omnes filios Israel, et congregavit prophetas in monte Carmeli. (T. LXIX.) Accedens autem Elias ad omnem populum, ait : Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum : si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum. Et ait rursus Elias ad populum : Ego remansi propheta Domini solus ; prophetæ autem Baal quadraginti quinquaginta viri sunt. Dentur nobis duo boves, et illi eligant (*Vulg. add.* sibi) bovem unum, et in frusta cædentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant : et ego faciam bovem alterum, et imponam super ligna, ignem autem non supponam. Invocate nomina deorum vestrorum (h. *in nomine deorum* vestrorum, et ego invocabo nomen Domini (*Vulg add.* mei) : et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait : Optima propositio (h. bonum verbum). Dixit ergo Elias prophetis Baal : Eligite vobis bovem unum et facite primi, quia vos plures estis : et invocate nomina deorum vestrorum (h. *in nomine deorum vestrorum*), ignemque non supponatis. Qui cum tulissent bovem, quem dederat eis [6], fecerunt : et invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes : Baal, exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet : transiliebantque altare quod

[1] Paulo vitiosa scriptura in Veronens. ms. *huccumque*, quod accipere malim pro *hucusque*, non *utcunque* : etsi enim in Hebræo mihil sit quod alterutri voci proprie respondeat, consonat tamen ea magis sacro contextui : et Græco nescio cui Hexaplari interpreti probatur, ἔτι, *adhuc*, sive *huc usque*. Sequior amanuensis in codice reflxit, *utcunque*.

[2] Minori numero idem ms. juxta Hebr. *in spelunca*, Vulgati bis habent *et quinquagenos*.

[3] Idem ms. cum Hebr. tacet *et*, moxque habet *At ille* pro *Et ille*.

[4] Veronens. ms., *et non inveniet te, et interficiet me*.

Addit idem ms., *Dei tui*. quod quidem in hodierno Hebræo textu non est : legisse tamen olim quid simile videntur LXX Interpretes, qui reddunt τὸν Κύριον Θεὸν ὑμῶν : *Dominum Deum vestrum*.

[5] Iterum plus habet Veronens. ms. addens hic *unum*, quam vocem ex quo textu excuderit, nescimus.

fecerant. Cumque esset jam meridies, illudebat eis Elias, dicens : Clamate voce majore : deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, et excitetur. Clamabant ergo voce magna, et incidebant et juxta ritum suum cultris et lanceolis, donec profunderentur sanguine. Postquam autem transiit meridies, et illis prophetantibus, venerat tempus quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, neque aliquis respondebat, nec attendebat orantes : dixit Elias omni populo : Venite ad me. Et accedente ad se populo, curavit altare Domini, quod destructum fuerat. Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens : Israel erit nomen tuum. Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitque aquæductum, quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris, et composuit ligna divisitque bovem per membra, et posuit super ligna, et ait : Implete quatuor hydrias aqua, et fundite super holocaustum et super ligna. Rursumque dixit : Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent et secundo, ait : Etiam tertio idipsum facite. Feceruntque et tertio, et currebant aquæ circa altare, et fossa aquæductus repleta est. Cumque jam tempus esset ut offerretur holocaustum accedens Elias propheta, ait : Domine Deus Abraham, Isaac et Israel, hodie ostende quia tu es Deus Israel (h. in Israel), et ego servus tuus, et juxta præceptum (h. verbum) tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me, Domine, exaudi me, ut dicat populus iste quia tu es Dominus Deus, et tu convertisti cor eorum iterum (h. retrorsum). Cecidit autem ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam, quæ erat in aquæductu lambens. (T. LXXX.) Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, et ait : Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. Dixitque Elias ad eos : Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat (*ms.* fugiat) ex eis. Quos cum comprehendissent, duxit (h. deposuit) eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. Et ait Elias ad Ahab : Ascende, et comede, et bibe : quia sonus multæ pluviæ est. (T. LXXXI). Ascendit Ahab ut comederet et biberet ; Elias autem ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem (*Vulg. addunt* suam) inter genua sua, et dixit ad puerum suum : Ascende et prospice contra mare. Qui cum ascendisset, et contemplatus esset ait : Non est quidquam. Et rursum ait illi : Revertere septem vicibus. In septima autem vice, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis (h. vola viri) ascendebat de mari. Qui ait : Ascende, et dic Ahab : Junge (*Vulg. addunt* currum tuum) et descende, ne occupet te pluvia. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cœli contenebrati sunt, et nubes (h. nubibus), et ventus, et facta est pluvia grandis. Ascendens itaque Ahab abiit in Jezrael : et manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Ahab, donec veniret in Jezrael.

(*Cap.* XIX.) Nuntiavit autem Ahab Jezabel omnia, quæ fecerat Elias, et quomodo occidisset universos prophetas gladio. Misitque Jezabel nuntium a Eliam, dicens : Hæc mihi faciant dii, et hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis. (T. LXXXII.) Timuit ergo Elias, et surgens abiit quocunque eum ferebat voluntas : venitque in Ber-Sabee (h. timuit ergo Helias ..... et surgens .... et venit in Bersabee) Juda, et dimisit ibi puerum suum, et perrexit in desertum, viam unius diei. Cumque venisset, et sederet subter unam juniperum, petivit animæ suæ ut moreretur, et ait ; Suffecit mihi, Domine, tolle animam meam : neque enim melior sum, quam patres mei. Projecitque se, et obdormivit sub umbra juniperi (h. subter unam juniperum) ; et ecce angelus Domini [1] tetigit eum, et dixit illi : Surge, et comede. Et respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis, et vas aquæ : comedit ergo, et bibit, et rursum obdormivit : reversusque est angelus Domini secundo, et tetigit eum, dixitque illi : Surge, comede, grandis enim tibi restat via. (T. LXXXIII.) Qui cum surrexisset, comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. Cumque venisset illuc, mansit in spelunea, et ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi : Quid hic agis, Elia ? At ille respondit : Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum [2] filii Israel, altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam. Et ait ei : Egredere et sta in monte coram Domino, et ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum : non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio : non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis : non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, et egressus stetit in ostio speluncæ, et ecce vox ad eum dicens : Quid hic agis, Elia ? Et ille respondit : Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum : quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam. (T. LXXXIV.) Et ait Dominus ad eum : Vade, et (*ms. tacet* et) revertere in viam tuam per desertum in Damascum [3] : cumque perveneris (*Vulg. addunt*

[1] Rectius hic Veronens. ms. tacet *Domini*, quod nomen neque est in Hebræo additum.

[2] Pro *tuum* habet idem ms. *Domini*, longius tamen ab Hebræo בריתך.

[3] Canon emendatus nunc legit *per desertum Damasci*, antea vero ut nos edidimus ad fidem aliorum exemplarium mss. MART.

illuc), unges Azael regem super Syriam, et Jeu filium Namsi unges regem super Israel; Elisæum antem filium Saphat,qui erat de Abelmaula,unges prophetam pro te. Et erit, quicunque fugerit gladium Azael, occidet eum Jeu, et quicunque (*ms.* qui) fugerit gladium Jeu, interficiet eum Elizæus. Et derelinquam mihi in Israel septem millia universorum genua [1], quæ non sunt incurvata Baal, et omne os, quod non adoravit eum (h. et omne os quod non est osculatum eum) osculans manum. (T. LXXXV.) Profectus ergo inde (*Vulg. addunt* Elias) reperit Elisæum filium Saphat, arantem in duodecim jugis boum,et ipse in duodecim arantibus unus erat : cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum.Qui statim,relictis bobus, cucurrit post Eliam, et ait : Osculer, oro (*ms. addit* te), patrem meum et matrem meam, et sic sequar te. Dixitque ei : Vade, et revertere, quod enim meum erat, feci tibi. (T. LXXXVI.) Reversus autem ab eo, tulit par boum, et mactavit illud, et in aratro boum (h. in vasis boum) coxit carnes, et dedit populo, et comederunt; consurgensque abiit, et secutus est Eliam, et ministrabat ei.

(*Cap.* XX.) Porro Benadad, rex Syriæ, congregavit omnem exercitum suum,et triginta duos reges secum, et equos, et currus,et ascendens pugnabat contra Samariam, et obsidebat eam. Mittensque nuntios ad Ahab regem Israel in civitatem, ait : Hæc dicit Benadab : Argentum tuum et aurum tuum meum est, et uxores tuæ, et filii tui optimi, mei sunt. Responditque rex Israel : Juxta verbum tuum,domine mi rex,tuus sum ego,et omnia mea. Revertentesque nuntii dixerunt : Hæc dicit Benadad,qui misit nos ad te:Argentum tuum,et aurum tuum, et uxores tuas, et filios tuos dabis mihi. Cras igitur hac eadem hora mittam servos meos ad te, et scrutabuntur domum tuam, et domum [4] servorum tuorum, et omne quod eis placuerit, ponent (h. et omne concupiscibile oculorum tuorum ponent) in manibus suis,et auferent.Vocavit autem rex Israel omnes seniores terræ, et ait : Animadvertite, et videte, quoniam insidietur nobis. Misit enim ad me pro uxoribus meis et filiis et pro argento et auro, et non abnui. Dixeruntque omnes majores natu, et universus populus, ad eum : Non audias, neque acquiescas *illi* (h. non habet). Respondit itaque nuntiis Benadad:Dicite Domino meo regi : Omnia propter quæ misisti ad servum tuum in initio [2] faciam : hanc autem rem facere non possum. Reversique nuntii retulerunt ei. Qui remisit,et ait : Hæc faciant mihi dii, et hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me (*ms.*sequuntur).Et respondens rex Israel, ait : Dicite *ei* (h. non habet) : ne glorietur accinctus æque ut discinctus. Factum est autem, cum audisset (*Vulg. addunt* Benadab) verbum istud, bibebat ipse et reges in umbraculis, et ait : servis suis : Circumdate civitatem. Et circumdederunt eam. (T. LXXXVII.) Et ecce propheta unus accedens ad Ahab regem Israel, ait ei : Hæc dicit Dominus : Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? ecce,ego tradam eam in manu tua hodie, ut scias quia ego sum Dominus. Et ait Ahab : Per quem ? Dixitque ei [3] : Hæc dicit Dominus: Per pedisequos (h.per pueros) principum provinciarum. Et ait : Quis incipiet prœliari ? Et ille dixit : Tu. Recensuit ergo pueros principum provinciarum, et reperit numerum ducentorum triginta duorum: et post eos recensuit populum, omnes filios Israel, septem millia, et egressi sunt meridie. Benadad autem bibebat temulentus in umbraculo suo (h.in umbraculis), et reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium ejus venerant. Egressi sunt autem pueri principum provinciarum in prima fronte (h. in primis). Misit itaque Benadad, qui nuntiaverunt ei, dicentes : Viri egressi sunt de Samaria. At ille : Sive,ait, pro pace veniunt, apprehendite eos vivos : sive, ut prœlientur, vivos eos capite. Egressi sunt ergo pueri principum provinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur (h. qui sequebatur eos) : et percussit unusquisque virum,qui contra se veniebat (*ms.* venerat), fugeruntque Syri, et persecutus est eos Israel. Fugit quoque Benadad rex Syriæ in equo cum equitibus. Necnon egressus rex Israel percussit equos et currus,et percussit Syriam plaga magna. (T. LXXXVIII.) Accedens autem propheta ad regem Israel, dixit ei : Vade, et confortare, et scito, et vide quid facias : sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te. Servi vero regis Syriæ dixerunt ei : Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos; sed melius est, ut pugnemus contra eos in campestribus,et obtinebimus eos.Tu ergo verbum hoc fac : Amove reges singulos ab exercitu suo (*Vulg.* tuo), et pone principes pro eis, et instaura numerum militum, qui ceciderunt de tuis, et equos secundum equos pristinos, currus secundum currus quos ante habuisti, et pugnabimus contra eos in campestribus, et videbis quod obtinebimus eos (h. *Et audivit vocem eorum*). Credidit consilio eorum, et fecit ita.Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad Syros, et ascendit in Aphec, ut pugnaret contra Israel. Porro filii Israel recensiti sunt, et acceptis cibariis, profecti ex adverso, castraque metati sunt contra eos, quasi duo parvi greges caprarum : Syri autem repleverunt terram. Et accedens (*ms. et Vulg. addunt*

[1] Ita verbo ad verbum legitur in Hebræo, in Canone uostro Latino, et in plurimis vetustioribus mss. versionis Hieronymi, puta in Regio prima manu, in Corbiensibus 11 et 13, etc. MART.

— Ita et Veronens. habet ms. et vetustiores ex iis quos Martian. consuluit. Vulgati, *septem millia virorum, quorum genua non sunt*, etc.

[2] Plurium numero,*domus*,cum Hebræo בתי legit Veronens. ms.

[3] Idem ms. cum Vulgatis, *ad me servum tuum initio.*

[4] Juxta Hebr. Veronens. ms. tacet *et.*

unus) vir Dei, dixit ad regem Israel: Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium est Dominus, et non est Deus vallium, dabo omnem multitudinem grandem hanc in manu tua, et scietis quia ego Dominus. Dirigebant septem diebus ex adverso hi atque illi acies; septima autem die commissum est bellum, percusseruntque filii Israel de Syris centum millia peditum in die una. Fugerunt autem qui remanserant in Apheo, in civitatem, et cecidit murus super viginti septem millia hominum (h. virorum), qui remanserant. Porro Benadad fugiens ingressus est civitatem, in cubiculum quod erat intra cubiculum. Dixeruntque ei servi sui: Ecce, audivimus quod reges domus Israel clementes sint, ponamus itaque saccos in lumbis nostris, et funiculos in capitibus nostris [1], et egrediamur ad regem Israel: forsitan salvabit animas nostras (h. animam *tuam*). Accinxerunt saccis lumbos suos, et posuerunt funes in capitibus suis (*ms. tacet* suis), veneruntque ad regem Israel, et dixerunt: Servus tuus Benadad dicit: Vivat, oro *te* [2] (h. non habet), anima mea. Et ille ait: Si adhuc vivit, frater meus est. Quod acceperunt viri pro omine, et festinanter (*ms.* festinantes) rapuerunt verbum ex ore ejus, atque dixerunt: Frater tuus Benadab. Et dixit *eis* (h. non habet): Ite, et adducite eum (*Vulg. addunt* ad me) Egressus est ergo ad eum: Benadab, et levavit [3] eum in currum *suum* (h. non habet). Qui dixit ei: Civitates, quas tulit pater meus a patre tuo, reddam, et plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, et ego fœderatus recedam a te. Pepigit ergo fœdus, et dimisit (h. et ego *cum fœdere* remittam te. Et pepigit fœdus et misit) eum. (T. LXXXIX.) Tunc vir quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere (h. percutere eum). Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes a me, et percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo, invenit eum leo, atque percussit. Sed et alterum inveniens [4] virum, dixit ad eum: Percute me. Qui percussit eum, et vulneravit. (T. XC.) Abiit ergo propheta, et occurrit regi in via; et mutavit aspersione pulveris os et oculos suos [5]. Cumque rex transisset, clamavit ad regem, et ait: Servus tuus egressus est ad præliandum cominus, cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, et ait: Custodi virum istum; quia si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus, aut talentum argenti appendes. Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, subito non comparuit. Et ait rex Israel ad eum: Hoc est judicium tuum, quod ipse decrevisti. At ille statim abstersit (*Al.* abstergit) pulverem de facie sua, et cognovit eum rex Israel, quod esset de prophetis. Qui ait ad eum: (T. XCI.) Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo ejus. Reversus est igitur rex Israel in domum suam, audire contemnens, et furibundus, venit in Samariam.

(T. XCII, *Cap.* XXI.) Post verba autem hæc (*Vulg. add.* tempore illo) vinea erat Naboth Jezraelitæ, qui erat in Jezrael, juxta palatium Ahab regis Samariæ. Locutus est ergo Ahab ad Naboth, dicens: Da mihi vinem tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, et prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem, aut si tibi commodius putas, argenti pretium, quanto digna est. Cui respondit Naboth: Propitius mihi sit Dominus (h. Absit a me a Domino), ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. Venit ergo Ahab in domum suam indignans, et frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Jezraelites, dicens: Non do tibi hæreditatem patrum meorum. Et projiciens se in lectulum suum, avertit faciem [6], suam et non comedit panem. Ingressa est autem ad eum Jezabel uxor sua, dixitque ei: Quid est hoc, unde anima tua contristata est? et quare non comedis panem? Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Jezraelitæ, et dixi ei (*Al.* dixit): Da mihi vineam tuam, accepta pecunia: aut, si tibi placet, dabo tibi vineam (*Vulg. addunt* meliorem) pro ea. Et ille ait: Non dabo (*ms.* do) tibi vineam meam. (T. XCIII.) Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus: Grandis auctoritatis es, et bene regis [7] regnum Israel. Surge, et comede panem, et æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Jezraelitæ. Scripsit itaque litteras (h. libros) ex nomine Ahab, et significavit eas annulo ejus, et misit ad majores natu et ad optimates, qui erant in civitate ejus, et habitabant cum Naboth. Litterarum (h. librorum) autem erat ista sententia: Prædicare jejunium, et sedere facite Naboth inter primos populi, et submittite duos viros filios Belial contra eum, et *falsum* (h. non habet) testimonium dicant: Benedixit Deum et regem, et educite eum, et lapidate, sicque moriatur. Fecerunt ergo cives ejus majores natu

[1] Exciderint librarii oscitantia e Veronens. ms. hic verba, *et funiculos in capitibus nostris.*

[2] Quod abesse ad Hebræo Scholiastes notat, ms. quoque Veronens. *te* reticet.

[3] Item ms. *Egressus ergo ad eum Benadad elevavit*, etc.

[4] Fere concinnius Veronens. ms. *conveniens.*

[5] Hebræus, *et mutavit pulvere oculos suos*: sic quoque legitur in canone. Heb. verit. quia erasum est in eo verbum *os* cum sequenti conjunctione *et*; habet igitur: *Et mutavit aspersione pulveris oculos suos.* Potuit nihilominus nomen *os*, quod scriptum reperimus in aliis mss., ab ipsomet Hieronymo usurpari ad majorem illuminationem sententiæ, uti nonnullas particulas addit alibi sæpius explicationis causa. MART.

[6] Idem ms. cum Vulgatis, *ad parietem* habet pro *suam*, quod videtur glossema intrusum sequiore manu.

[7] In futuro ms. Veronens. et Hebr. legit תִּמְלֹךְ מְלוֹכָה *reges regnum*, etc.

et optimates, qui habitabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Jezabel, et sicut scriptum erat in litteris (h. in libris), quas miserat ad eos : prædicaverunt jejunium, et sedere fecerunt Naboth inter primos populi. Et adductis duobus viris filiis diaboli [h. Belial), fecerunt eos sedere contra eum : at alii, scilicet ut (*ms. tacet* ut) viri diabolici (h. Belial), dixerunt contra eum testimonium coram multitudine. (g. *coram populo*) : Benedixit Naboth Deo et regi, quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, et lapidibus interfecerunt. Miseruntque ad Jezabel, dicentes : Lapidatus est Naboth, et mortuus est. Factum est autem, cum audisset Jezabel lapidatum Naboth, et mortuum, locuta est Ahab : Surge et posside vineam Naboth Jezraelitæ, qui noluit tibi acquiescere, et dare eam, accepta pecunia : non enim vivit Naboth, sed mortuus est. Quod cum audisset Ahab, mortuum videlicet Naboth, surrexit et descendebat in vineam Naboth Jezraelitæ, ut possideret eam. (T. XCIV.) Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens : Surge, descende in occursum Ahab regis Israel, qui est in Samaria : ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam, et loqueris ad eum, dicens : Hæc dicit Dominus : Occidisti, insuper et possedisti. Et post hæc adde : Hæc dicit Dominus : In loco in quo [1] linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent tuum quoque sanguinem. Et ait Ahab ad Eliam : Num invenisti me (*Vulg.* inimicum tibi). inimice meus ? Qui dixit ei [2] : Inveni, eo quod venundatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini (h. in oculis). Ecce ego inducam super te malum, et demetam (h. auferam) posteriora tua, et interficiam de Ahab mingentem ad parietem, et clausum et ultimum (h. derelictum) in Israel. et dabo domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabat, et sicut domum Baasa filii Ahia : quia egisti, ut me ad iracundiam provocares, et peccare fecisti Israel. (T. XCV.) Sed et de Jezabel locutus est Dominus dicens : Canes comedent Jezabel in agro Jezrael. Si mortuus fuerit Ahab (h. qui mortuus fuerit de Ahab) in civitate, comedent eum canes : si autem (h. qui autem) mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli. Igitur non fuit alter talis ut Ahab, qui venundatus est, ut faceret malum in conspectu Domini (h. in oculis Domini). concitavit enim eum Jezabel uxor sua, et abominabilis factus (*ms.* effectus) est, intantum ut sequeretur idola (n. sordes) quæ fecerant Amorrhæi, quo. consumpsit Dominus a facie filiorum Israel. (T XCIV.) Itaque cum audisset Ahab sermones istos scidit vestimenta sua [*ms.* vestem suam), et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens : Nonne vidisti humiliatum Ahab coram me ? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus.

(*Cap.* XXII.) Transierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam et Israel. In anno autem tertio, descendit Josaphat rex Juda ad regem Israel. (Dixitque rex Israel ad servos suos : Ignoratis quod nostra sit Ramoth (*ms.* Ramath) Galaad, et negligimus tollere eam de manu regis Syriæ ?) Et ait ad Josaphat : Veniesne mecum ad præliandum in Ramoth Galaad ? (T. XCVII.) Dixitque Josaphat ad regem Israel : Sicut ego sum, ita et tu : populus meus et populus tuus unum sunt, et equites mei (*ms. addit* et), equites tui [3]. Dixitque Josaphat ad regem Israel : Quære, oro *te* (h. non habet), hodie sermonem Domini. Congregavit ergo rex Israel prophetas, quadringentos circiter viros, et ait ad eos : Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere ? Qui responderunt : Ascende, et dabit. [*Vulg. addunt* eam) Dominus in manus regis. Dixit autem Josaphat : Non est hic propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum ? Et ait rex Israel ad Josaphat : Remansit vir unus, per quem possemus (*ms.* possimus) interrogare Dominum : sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Jemla [4]. Cui Josaphat, ait : Ne loquaris ita, rex. (T. XCVIII.) Vocavit ergo rex Israel enuchum quemdam, et dixit ei : Festina adducere Michæam filium Jemla. Rex autem Israel et Josaphat, rex Juda, sedebat unusquisque in solio suo, vestiti cultu regio, in area juxta ostium portæ Samariæ, et universi prophetæ prophetabant in conspectu eorum. (T. XCIX.) Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanana (*ms.* Chanaam) cornua ferrea, et ait : Hæc dicit Dominus : His ventilabis Syriam, donec deleas eam (h. consumas) : omnesque prophetæ similiter prophetabant, dicentes : Ascende in Ramoth Galaad, et vade prospere, et tradet Dominus in manus [5] regis. Nuntius vero, qui ierat, ut vocaret Michæam, locutus est ad eum.

[1] Veronens. ms. cum Vulgatis, *in loco hoc in quo*, etc.

[2] Voculam *ei* juxta Hebræum Veronens. ms. nescit.

[3] In Canone nonnulla mutantur hoc modo juxta Hebræum : *Sicut ego sum, ita et tu : et sicut populus meus, ita et populus tuus : et sicut equi mei, ita et equi tui.* Crediderim hanc emendationem, quæ manifesta est in codice ms. ab aliquo scholio marginali fluxisse in contextum : in quam suspicionem nos impellit eadem phrasis iterum usurpata libro II Malachim, cap. III, vers. 7, ubi intacta remansit in textu Hieronymiana translatio, Scholion vero integrum additum est in margine, prout hic positum legitur intra textum Scripturæ. Confer locum utrumque si libuerit. MART.

[4] *Micheas* et *Micham* vertu sequenti habet Canon, sed emendatus. *Mart.*

— Constanter idem ms aspirat *Hiemla*. Mox tacet verbum *ait*. Denique minus bene *isti* habet pro *ita*.

[5] Idem ms. *in manu*. Hebr. בְּיַד. Et paulo post *ierat vocare*, pro *ut vocaret*. Hebraic. לִקְרֹא *ad vocandum*.

ɔrmones prophetarum ore uno bona
, sit ergo et sermo tuus similis
ıere bona. Cui Michæas ait : Vivit
quodcunque dixerit mihi Dominus,
nit itaque ad regem, et ait illi rex ;
ɔemus in Ramoth Galaad ad præ-
ssare ? Cui ille respondit : Ascende,
re, et tradet (*Vulg. addunt* eam)
ınus regis. Dixit autem rex ad eum :
iterum adjuro te, ut non loquaris
s interrogabo te, ut non loquaris ?)
verum est, in nomine Domini. Et
ɔunctum Israel dispersum in monti-
s non habentes pastorem, et ait Do-
ıabent dominum (h. domino) isti :
ısquisque in domum suam in pace.
ɔgo rex Israel ad Josaphat : Nunquid
quia non prophetat mihi bonum, sed
n ? Ille vero addens, ait : Propterea
n Domini : Vidi Dominum sedentem
suum, et omnem exercitum cœli as-
dextris et a sinistris, et ait Dominus :
Ahab *regem Israel* (h. non habet), ut
cadat in Ramoth Galaad ? Et dixit
hujusmodi, et alius aliter. Egres-
ı spiritus, et stetit coram Domino, et
ɔiam illum. Cui locutus est Dominus :
le ait : (T. CI.) Egrediar, et ero spi-
in ore omnium prophetarum ejus.
nus (h. non habet) : Decipies, et præ-
dere, et fac ita. Nunc igitur ecce de-
spiritum mendacii in ore omnium
tuorum, qui hic sunt, et Dominus lo-
tra te malum. (T. CII.) Accessit autem
s Chanana, et percussit Michæam in
dixit : Mane ergo dimisit spiritus Do-
tus est tibi ? Et ait Michæas : Visurus
, quando ingredieris cubiculum, intra
; abscondaris. Et ait rex Israel : Tol-
ı, et maneat apud Amon principem ci-
ıd Joas filium Amalech, et dicite eis :
x : Mittite *virum* (h. non habet) istum
et sustentate eum pane tribulationis
ıstiæ, donec revertar (*ms.* revertor) in
ɔ Michæas : Si reversus fueris in pace,
ıs Dominus in me. Et ait : Audite, po-
Ascendit itaque rex Israel, et Josaphat
Ramoth Galaad. Dixit itaque rex Is-
phat : Sume arma, et ingredere præ-
uere vestibus tuis. Porro rex Israel
ıitum (*Vulg. addunt* suum), et in-
bellum. Rex autem Syriæ præcepe-
us curruum tringinta duobus, dicens :
tis contra minorem et majorem quem-
ıntra regem Israel solum. Cum ergo
vidissent principes curruum Josaphat, suspicati
sunt quod ipse esset rex Israel, et impetu facto pu-
gnabant contra eum, et exclamavit Josaphat. Intel-
lexeruntque principes curruum quod non esset rex
Israel, et cessaverunt ab eo. (T. CIII.) Unus (*Vulg.*
vir) autem quidam tetendit arcum, in incertum
sagittam dirigens, et casu percussit regem Israel
inter pulmonem et stomachum (h. inter scapulas).
At ille dixit aurigæ suo : Verte manum tuam, et
ejice me de exercitu, quia graviter vulneratus sum.
Commissum est ergo prælium in die illa, et rex
Israel stabat in curru suo contra Syros, et mortuus
est vesperi : fluebat autem sanguis plagæ in sinum
currus, et præco personuit in universo exercitu
antequam sol occumberet, dicens : Unusquisque
revertatur in civitatem suam (*ms. et Vulg. tacent*
suam), et in terram suam (h. in castris *dum sol*
occumberet, dicens : *Vir in civitatem* suam, et in
terram suam). Mortuus est autem rex, et perlatus
est Samariam, sepelieruntque regem in Samariam,
et laverunt currum ejus [1] in piscina Samariæ, et
linxerunt canes sanguinem ejus, et habenas lave-
runt, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat.
Reliqua verba sermonum Ahab, et universa quæ
fecit, et domus eburneæ quæ ædificavit, cuncta-
rumque urbium quas exstruxit, nonne hæc scripta
sunt in libro Sermonum dierum [2] regum Israel ?
(T. CIV.) Dormivit ergo Ahab cum patribus suis, et
regnavit Ohozias (h. Ahazias) filius ejus pro eo.
(T. CV.) Josaphat vero filius Asa regnare cœperat
super Judam anno quarto Ahab regis Israel. Tri-
ginta quinque annorum erat cum regnare cœpisset,
et viginti quinque (h. a....) annis regnavit in Jeru-
salem : nomen matris ejus Azuba filia Salai (*ms.*
Salaai). Et ambulavit in omni via Asa patris sui,
et non declinavit ex ea : fecitque quod rectum erat
in conspectu Domini (h. in oculis). Verumtamen
excelsa non abstulit : adhuc enim populus sacrifi-
cabat, et adolebat incensum in excelsis. Pacemque
habuit Josaphat cum rege Israel. Reliqua autem ver-
borum Josaphat, et opera ejus, quæ gessit, et præ-
lia (h. fortitudo), nonne hæc scripta sunt in libro
Verborum dierum regum Juda ? Sed et reliquias
effeminatorum, qui remanserant in diebus Asa pa-
tris ejus, abstulit de terra. Nec erat tunc rex con-
stitutus in Edom *Rex vero* (h. non habet) Josaphat
fecerat classes in mari (h. Tharsis), quæ navigarent
in Ophir propter aurum : et ire non potuerunt,
quia confractæ sunt in Asion-Gaber. Tunc ait Oho-
zias (h. Ahazias) filius Ahab ad Josaphat : Vadant
servi mei cum servis tuis in navibus. Et noluit Jo-
saphat. (T. CVI.) Dormivitque Josaphat [3] cum
patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate
David patris sui : regnavitque Joram filius ejus pro
eo. Ohozias autem filius Ahab regnare cœperat

nens. ms. tacet *ejus*, quod neque in He-
t.
. *In libro Verborum dierum :* qui ejus est proprie titulus libri, supra retentus continuo.
[3] Nomen *Josaphat*, quod tamen in Hebræo reperitur, Veronens. ms. hic tacet.

super (h. regnaverat super) Israel in Samaria, anno septimo decimo Josaphat regis Juda, regnavitque super Israel duobus annis. Et fecit malum in conspectu Domini, et ambulavit in via patris sui et matris suæ, et in viam Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. Servivit quoque Baal, et adoravit eum, et irritavit Dominum Deum Israel, juxta omnia quæ fecerat pater ejus

MALACHIM LIBER SECUNDUS [1].

(T. CVII, *Cap.* I.) Prævaricatus est autem Moab in Israel, postquam mortuus est Ahab. Ceciditque Obozias (h. Ahazias) per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, et ægrotavit: misitque nuntios, dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebud deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten (*Vulg. add.* dicens): Surge, ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, et dices ad eos: Nunquid non est Deus in Israel ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? (T. CVIII.) Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo, supra quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Et abiit Elias. Reversique sunt nuntii ad Ohoziam (h. Ahaziam). Qui dixit eis: Quare reversi estis? At illi responderunt ei; Vir occurrit nobis, et dixit ad nos: Ite, revertimini ad regem, qui misit vos, et dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Nunquid quia non erat Deus in Israel, mitto (*ms.* mittes) ut consulatur Beelzebub deus Accaron? Idcirco de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Qui dixit eis: Cujus figuræ et habitus est vir ille [2], qui occurrit vobis, et locutus est verba hæc? At illi dixerunt: Vir pilosus (h. capillosus), et zona pellicea accinctus (*ms.* accinctis) renibus. Qui ait: Elias Thesbites est. Misitque ad eum quinquagenarium principem, et quinquaginta, qui erant cum eo [3]. Qui ascendit ad eum, sedentique in vertice montis, ait: Homo Dei (h. vir Dei), rex præcepit ut descendas. Respondensque Elias dixit quinquagenario: Si homo (h. vir) Dei *sum* (h. non habet) ego (*ms. tacet* ego), descendat ignis de cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cœlo, et devoravit eum, et quinquaginta qui erant cum eo [3]. Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, et quinquaginta cum eo. Qui locutus est (*ms.* locuti sunt) illi: Homo Dei (h. vir *Dei*), hæc dicit rex: Festina, descende. Respondens Elias ait: Si homo Dei ego, (h. vir *Dei ego*) sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te et quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis Dei (*Vulg. tacet* Dei) de cœlo, et devoravit illum et quinquaginta ejus. (T. CIX.) Iterum misit principem quinquagenarium tertium, et quinquaginta qui erant cum eo. Qui cum venisset, curvavit genua contra Eliam, et precatus est eum, et ait: Homo Dei (h. vir *Dei*), noli despicere animam meam, et animam servorum tuorum, qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de cœlo, et devoravit duos principes quinquagenarios primos, et quinquagenos qui cum eis erant: sed nunc obsecro ut miserearis animæ meæ. Locutus est autem angelus Domini ad Eliam, *dicens* (h. non habet): Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, et descendit cum eo ad regem, et locutus est ei: (T.CX.) Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebud deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel a quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris. Mortuus est ergo juxta sermonem Domini quem locutus est Elias, et regnavit Joram *frater ejus* (h. non habet) pro eo, anno secundo Joram filii Josaphat regis Judæ: non enim habebat filium. Reliqua autem verborum Ohoziæ (h. Ahaziæ), quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel?

(T. CXI, *Cap.* II.) [4]. Factum est autem, cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum, ibant Elias et Elisæus de Galgalis. Dixitque Elias ad Elisæum: Sede hic, quia Dominus misit me usque Beth-El. Cui ait Elisæus: Vivit Dominus, et

[1] Continuat Veronensis ms. præcedentis libri seriem, non apposita secundi hujus inscriptione, utpote qui, ad Hebraici exemplaris normam, singularem facit librum Malachim, non in duos partitur: quod semel atque iterum supra annotatum est. Videsis tamen infra notam *c* (*co.* 783 *huj. edit.*) initio capituli subsequentis.

[2] Tacet Veronens. ms., *ille:* quæ vox neque resonat in Hebræo.

[3] Idem ms., *sub eo*, cum Vulgatis. Hebr. præfert *ejus*.

[4] Hic ad marginem Veronensis ms. hanc eamdem, quæ librum universum descripsit, manus notam apposuit: *Hic finit liber III secundum Septuaginta.* Putare autem malim non suo loco positam, qua ad præcedentis capituli initium spectat; neque enim ullum textum exstare scio, qui ex hoc loco quartum librum exordiatur.

ıa tua, quia non derelinquam te.Cumque A ne forte tulerit eum spiritus Domini, et projecerit
ıssent (*ms.* descendisset) Beth-El, egressi (*Vulg. add.* eum) in unum montium, aut in unam
prophetarum, qui erant Beth-El, ad Eli- vallium. Qui ait : Nollite mittere. Coegeruntque
dixerunt ei : Numquid nosti quia hodie eum, donec acquiesceret, et diceret : Mittite. Et
tollet (*ms.* tollat) dominum tuum a te? miserunt quinquaginta viros : qui cum quæsissent
ɔndit : Et ego novi : silete. Dixit autem tribus diebus, non invenerunt. Et reversi sunt ad
Elisæum : Sede hic, quia Dominus misit eum : at ille habitabat in Jericho, dixitque eis :
richo.Et ille ait : Vivit Dominus, et vivit Numquid non dixi vobis : Nolite mittere [4]? Dixe-
a, quia non derelinquam te. Cumque ve- runt quoque viri civitatis ad Elisæum : Ecce habita-
ericho, accesserunt filii prophetarum, qui tio civitatis hujus optima est, sicut tu ipse, domine,
Jericho,ad Elisæum,et dixerunt ei : Num- perspicis:sed aquæ pessimæ sunt,et terra sterilis[5]
ti, quia hodie Dominus tollet dominum (T. CXIV.) At ille ait : Afferte mihi vas novum, et
e? Et ait : Et ego novi : silete. Dixit au- mittite in illud sal. Quod (*ms.* Qui) cum attulisset,
ias : Sede hic, quia Dominus misit me egressus ad fontem aquarum, misit in eum sal, et
l. usque) ad Jordanem. Qui ait : Vivit ait : Hæc dicit Dominus : Sanavi aquas has, et non
, et vivit anima tua, quia non derelin- B erit ultra in eis mors, neque sterilitas. Satanæ sunt
. Ierunt igitur ambo pariter, et quinqua- ergo aquæ usque ad diem hanc,juxta verbum Elisæi,
i de filiis prophetarum secuti sunt (*Vulg.* quod locutus est. (T. CXV.) Ascendit autem inde
qui et steterunt e contra longe [1] : illi Beth-El : cumque ascenderet per viam,pueri parvi
ıbo stabant super Jordanem.(T.CXII.) Tu- egressi sunt de civitate, et illudebant ei, dicentes:
lias pallium suum, et involvit illud, et Ascende, calve; ascende, calve. Qui cum post se
aquas, quæ divisæ sunt in utramque par- (*ms. et Vulg. tacent* post se) respexisset, vidit eos,
transierunt ambo per siccum. Cumque et maledixit eis in nomine Domini : egressique
nt. Elias dixit ad Elisæum : Postula quod sunt duo ursi de saltu et laceraverunt ex eis (*ms.tacet*
ɔiam tibi, antequam tollar a te (h. postula ex eis) quadraginta duos pueros (h.parvulos.) Abiit
iam tibi, antequam tollar a te). Dixitque autem inde in montem Carmeli, et inde reversus
Obsecro,ut fiat duplex spiritus tuus in me. est Samariam.
ɔndit : Rem difficilem postulasti:attamen (T. CXVI, *Cap.* III.) Joram vero filius Ahab re-
ɜ me, quando tollar [2] a te, erit tibi quod gnavit super Israel in Samaria anno octavo decimo
.. me tolli a te, erit quod petisti) : si au- Josaphat regis Judæ.Regnavitque duodecim annis.
videris, non erit. Cumque pergerent, et Et fecit malum coram Domino (h.in oculis Domini),
ɛs sermocinarentur, ecce currus igneus C sed non sicut pater suus et mater: tulit enim sta-
ɣnei diviserunt utrumque,et ascendit Elias tuas (h. titulum). Baal, quas fecerat pater ejus.
inem (h. in turbine) in cœlum : Elisæus Verumtamen in peccatis Jeroboam filii Nabat, qui
debat, et clamabat : Pater mi, pater mi, peccare fecit Israel, adhæsit, nec recessit ab eis.
ɪrael, et auriga ejus. Et non vidit eum am- Porro Messa rex (*ms.* Mesa) Moab nutriebat pe-
prehenditque vestimenta sua,et scidit ilia in cora *multa* (h. non habet), et solvebat regi Israel
tes.Et levavit pallium Eliæ,quod ceciderat centum millia agnorum,et centum millia arietum,
ıd ceciderat super eum) : reversusque stetit cum velleribus suis.Cumque mortuus fuisset Ahab,
ɔam Jordanis, et pallio Eliæ, quod ceci- prævaricatus est fœdus, quod habebat cum rege
(h.super eum), percussit aquas [3], et dixit : Israel (h. prævaricatus est rex Moab in rege Israel).
Dominus Deus Eliæ etiam nunc? Percus- Egressus igitur rex Joram in die illa de Samaria,
ɪuas,et divisæ sunt huc atque illuc,et trans- recensuit [6] universum Israel. (T. CXVII.) Misitque
us. Videntes autem eum (*ms. et Vulg. ta-* ad Josaphat regem Juda, dicens : Rex Moab reces
ı) filii prophetarum qui erant in Jericho sit a me, veni mecum (h. veniesne mecum) contra
a dixerunt : Requievit spiritus Eliæ super eum ad prælium. Qui respondit : Ascendam : qui
ı.(T.CXIII.) Et venientes in occursum ejus, D meus est, tuus est : populus meus, populus tuus :
ɾunt eum proni in terram, dixeruntque illi : equi mei, equi tui (h. Sicut ego sum, ita et tu, et
n servis tuis sunt quinquaginta viri fortes, sicut populus meus, ita et populus tuus, et sicut
ıint ire, et quærere (*ms. et Vulg.* requirere) equi mei,ita et equi tui). Dixitque : Per quam viam
n tuum (h.eant et quæ rent dominum tuum), ascendemus? At ille respondit : Per desertum

ɔnens. ms., *Steterunt contra e longe*, fere *divisæ, et dixit*, etc. Denique idem nomen *Dominus*
ius. tacet,cum Vulgatis Græcisque vetustioribus libris.
n ms. *tollor* : qui et mox prætermittit *tibi*. [4] Cod. Veronens., *nolite ire*, rectius ad Hebræum
on purus est hoc loco, et suo fonti directe אל-תלכו, et plerosque aliosque textus.
let. Cæteri mss. cum editis addunt hæc *et* [5] Idem ms., *et steriles*, voce intermedia *terra*,
t divisæ, quod additamentum marginalis qui manifestus Antiquarii error est, prætermissa.
renuntiat. MART. [6] Idem ms. *Egressus est igitur . . . et recensut.*
ıc quoque *ei* tacet Veronens. ms. Mox Et mox *contra Moab* pro *contra eum* cum Vulgatis
plus habent, *percussit aquas, et non sunt* et Hebræo textu.

Idumeæ (h. per viam deserti Idumeæ). (T. CXVIII.) Perrexerunt igitur rex Israel, et rex Juda, et rex Edom, et circumierunt per (h. *non habet*) viam septem dierum, nec erat aqua exercitui, et jumentis quæ sequebantur eos (h. quibus sedebant), Dixitque rex Israel : Eheu [1]! congregavit nos Dominus (h. Eheu! quoniam vacavit Dominus) tres reges, ut traderet in manu Moab. Et ait Josephat : Estne hic propheta Domini, ut deprecemur (h. ut consulamus) Dominum per eum? Et respondit unus de servis regis Israel : Est hic Elisæus filius Saphat, qui fundebat (h fudit) aquam super manus Eliæ. Et ait Josaphat : Est apud eum sermo Domini. Descenditque ad eum rex Israel, et Josaphat [2], et rex Edom. Dixit autem Elisæus ad regem Israel : Quid mihi et tibi est? vade ad prophetas patris tui et matris tuæ. Et ait illi rex Israel : Quare congregavit Dominus tres reges hos, ut tradederet eos in manus (*ms.* manu) Moab? Dixitque ad eum Elisæus: Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto (h. steti), quod si non vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. Nunc autem adducite mihi psalten. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, et ait : Hæc dicit Dominus : Facite alveum torrentis hujus (h. Facite *torrentem hunc*) fossas *et* (h. *non habet* fossas). Hæc enim dicit Dominus : Non videbitis ventum, neque pluviam, et alveus (h. torrens) iste replebitur aquis, et bibetis vos, et familiæ vestræ, et jumenta vestra. Parumque hoc (h. et *leve*) est in conspectu (h. in oculis) Domini, insuper tradet etiam Moab in manus vestras (*ms.* manu vestra). Et percutietis omnem civitatem munitam, et omnem urbem electam, et universum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, et omnem agrum egregium operietis lapidibus. (T. CXIX.) Factum est igitur mane, quando sacrificium offerri solet, et ecce aquæ veniebant per viam Edom, et repleta est terra aquis. Universi autem Moabitæ, audientes quod ascendissent reges, ut pugnarent adversum eos, convocaverunt omnes qui accincti erant balteo desuper, et steterunt in terminis. Primoque mane surgentes, et orto jam sole ex adverso aquarum, viderunt Moabitæ e contra aquas rubras quasi sanguinem, dixeruntque : Sanguis est gladii, pugnaverunt reges *contra se* (h. non habet) et cæsi sunt mutuo, nunc perge ad prædam, Moab. Perrexeruntque in castra Israel : porro cunsurgens Israel percussit Moab : at (*ms.* et) illi fugerunt coram eis. Venerunt igitur qui vicerant, et percusserunt Moab, et civitates destruxerunt, et omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleverunt, et universos fontes aquarum obturaverunt, et omnia ligna fructifera succiderunt, ita ut muri tantum fictiles remanerent, et circumdata est civitas a fundibulariis, et magna ex parte percussa. Quod cum vidisset rex Moab, prævaluisse scilicet hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladium, ut irrumperent (*ms.* inrumperet) ad regem Edom, et non potuerunt. Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, et facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo, et reversi sunt in terram *suam* (h. non habet).

(*Cap.* IV.) Mulier autem quædam de uxoribus prophetarum clamabat ad Elisæum, dicens : Servus tuus vir meus mortuus est, et tu nosti quia servus tuus fuit timens Dominum, et ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. Cui dixit Elisæus : Quid vis ut faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respondit : Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei (h. nisi *lecythus olei*) quo ungar. (T. CXX.) Cui ait : Vade et (*ms. et Vulg. tacent* et) pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca. Et ingredere, et claude ostium tuum [3]; cum intrinsecus fueris tu, et filii tui, et mitte inde in omnia vasa hæc, et cum plena fuerint, tolles. Ivit itaque mulier, et clausit ostium super se et super filios suos : illi offerebant vasa, et illa infundebat. Cumque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum : Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit : Non habeo. Stetitque oleum. Venit autem illa, et indicavit homini (h. viro) Dei. Et ille, Vade, inquit (*ms. add.* et), vende oleum, et redde creditori tuo : tu autem, et filii tui vivite de reliquo. (T. CXXI.) Facta est autem quædam dies, et transibat Elisæus per Sunam : erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, ut comederet panem, cumque frequenter inde transiret, divertebat ad eam, ut comederet panem. Quæ dixit ad virum suum : Animadverto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo cœnaculum parvum, et ponamus et in eo lectulum, et mensam, et sellam, et candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. Facta est igitur dies quædam, et veniens divertit in cœnaculum, et requievit ibi. Dixitque ad Giezi puerum suum : Voca Sunamiten istam. Qui cum [vocasset eam, et illa stetisset coram eo, dixit ad puerum suum (*ms. tacet* suum) : Loquere ad eam : Ecce, sedulo in omnibus ministrasti nobis, quid vis ut faciam tibi? numquid habes negotium, et vis ut loquar regi, sive principi militiæ? Quæ respondit : In medio populi mei habito. Et ait : Quid ergo vult ut faciam ei? Dixitque Giezi : Ne quæras : filium enim non habet, et vir ejus senex est. Præcepit itaque, ut vocaret eam, quæ cum vocata fuisset, et stetisset ad (*Vulg* ante) ostium, dixit ad eam : (T. CXXII.) In tempore isto [4], et in hac eadem

[1] Hic quoque ter *Eheu*, cum Vulgatis repetit Veronens. ms. minus bene.

[2] Addunt Vulgati *rex Juda*, quæ verba Hebr. et Hieronymianæ versionis ms. ignorant.

[3] Vacat *tuum* in Veronensi ms. ad Hebraici exemplaris aliorumque librorum normam.

[4] Forte scriptum habebatur in scholio isto marginali, *in tempore vitæ;* eamdem enim scripturæ

ta comes fuerit [h. secundum tempus vitæ], in utero filium. At illa respondit : Noli, lomine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ ɔncepit mulier, et peperit filium, in tem- in hora eadem, qua dixerat ei Elisæus [1]. tem puer [h. parvulus]. Et cum esset quæ-, et egressus isset ad patrem suum, ad , ait patri suo : Caput meum, caput meum [2]. xit puero : Tolle, et duc eum ad matrem . CXXIII.] Qui cum tulisset, et adduxisset ɔatrem suam, posuit eum illa super genua ıe ad meridiem, et mortuus est. Ascendit ıt collocavit eum super lectulum hominis Dei, et clausit ostium, et egressa vocavit um, et ait : Mitte mecum, obsecro, unum , et asinam ut excurram usque ad homi- rirum] Dei, et revertar. Qui ait [*ms. cum* l. illi] : Quam ob causam vadis ad eum ? ɔn sunt Kalendæ, neque Sabbatum. Quæ :: Pax [3]. Stravitque asinam, et præcepit ina, et propera, ne mihi moram facias in t hoc age quod præcipio tibi. Profecta est venit ad virum Dei in montem Carmeli ; vidisset eam vir Dei de contra, ait ad Giezi suum : Ecce Sunamitis illa. Vade ergo in ɔ ejus, et dic ei : Rectene agitur circa te, et ım tuum, et circa filium [h. parvulum] ɔuæ respondit : Recte [h. Pax]. Cumque ve- virum Dei in montem, apprehendit pedes ccessit Giezi, ut amoveret eam. Et ait homo ir Dei] : Dimitte illam, anima enim ejus in ine est, et Dominus celavit me [*Vulg.* a non indicavit mihi. Quæ dixit illi : Num- ivi filium a domino meo ? numquid non : Ne illudas me ? [T. CXXIV.] Et ille ait ad ɔcinge lumbos tuos et tolle baculum meum tua, et vade. Si occurrerit tibi homo [h. salutes eum, et si salutaverit te quispiam, ondeas illi, et pones baculum meum super, ueri. Porro mater pueri ait : Vivit Domi- ivit anima tua, non dimittam te. Surrexit ɔecutus est eam. Giezi autem præcesserat r. ante eos], et posuerat baculum super ɔeri, et non erat vox, neque sensus : re- e est in occursum ejus, et nuntiavit ei, Non surrexit puer. Ingressus est ergo Eli- ıum, et ecce puer mortuus jacebat in lec- : ingressusque clausit ostium super se, et super] puerum, et oravit ad Dominum : Et et incubuit super puerum [*ms.* eum], posuitque os suum super os ejus, et oculos suos super oculos ejus, et manus suas super manus ejus, et incurvavit se super eum, et calefacta est caro pueri. At ille reversus, deambulavit in domo, semel huc et illuc, et ascendit, et incubuit super eum, et oscitavit puer septies, aperuitque oculus [4]. [T. CXXV.] At ille vocavit Giezi, et dixit ei : Voca Sunamiten hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait : Tolle filium tuum. Venit illa, et corruit ad pedes ejus, et adoravit super terram, tulitque filium suum, et egressa est, et Elisæus reversus est in Galgala. Erat autem fames in terra, et filii prophetarum habitabant coram eo. Dixitque uni de pueris suis [h. Dixitque puero suo] : Pone ollam grandem, et coque pulmentum filiis prophetarum. [T. CXXVI.] Et egressus est unus in agrum, ut colligeret herbas agrestes : invenitque quasi vitem silvestrem [h. malvas, invenitque vitem agrestem], et collegit ex ea colocynthidas agri, et implevit pallium suum, et reversus concidit in ollam pulmenti, nesciebat enim quid esset. Infuderunt ergo sociis, ut comederent : cumque gustassent de coctione, exclamaverunt, dicentes : Mors in olla, vir Dei. Et non potuerunt comedere. At ille : Afferte, inquit, farinam. Et misit in ollam [5], et ait ; Infunde turbæ [h. populo] ut [*ms.* et] comedat. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis [h. mali] in olla. Vir autem quidam venit de Balsalisa [*ms.* Balsa-Isa] deferens viro Dei panes primitiarum [*ms. add.* et] viginti panes hordeaceos, et frumentum novum in pera sua [h. et grana spicarum torrida]. At ille dixit : Da populo, ut comedat. Responditque ei [6] minister ejus : Quantum est hoc, ut apponam coram [*Vulg. tacet* coram] cenium viris ? Rursum ille : Da. ait, populo, ut comedat : hæc enim dicit Dominus : Comedent, et supererit. Posuit itaque coram eis : qui comederunt, et superfuit juxta verbum Domini.

[*Cap.* V.] Naaman autem, princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum, et honoratus : per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ : erat autem vir fortis et dives, *sed* [h. non habet] leprosus. Porro de Syria egressi fuerant latrunculi, et captivam duxerant de terra Israel puellam, parvulam, quæ erat in obsequio uxoris Naaman, quæ ait ad dominam suam : Utinam fuisset daminus meus ad prophetam, qui est in Samaria profecto curasset eum a lepra, quam habet. Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum, et nuntiavit ei, dicens : Si et sic locuta est puella de terra Israel. Dixitque ei rex Syriæ : Vade, et mittam

n annotationibus suis illustrans sanctus ius libro QQ. Hebraicarum, recitato juxta su 10, cap. XVIII, hæc addit : « Pro hora, gimus in Hebræo, ut sit ordo vel sensus : *ad et in tempore vitæ* : quasi dixerit, *si fuerit vita comitata.* » MART.

Veronens. *quam dixerat Elisæus*, præterm Vulgatis *ei* intermedio, quod in Hebræo ɔnat. Rectius autem mox, *egressus est* le- *gressus isset*, juxta Hebræum textum וַיֵּצֵא. plus habent, *Caput meum doleo, caput meum doleo.*

[3] Idem ms. *Vale*, pro *Pax*. Et שָׁרוֹם quidem, quod est in Hebr. Arabs quoque interpres reddidit, *Vade*. Minus autem bene Vulgati, *Vadam* pro *Vade*, aut *Pox* legunt.

[4] Addit idem ms. *suos* optime ad Hebræum textum עֵינָיו. Tum *Et ille*, pro *At*, etc.

[5] Plus habent Vulgati libri, *Cumque tulisset, misit in ollam.*

[6] Iterum juxta Hebr. tacet Veronens. ms. *ei.*

litteras (h. librum) ad regem Israel. Qui cum profectus fuisset, et tulisset secum decem talenta argenti, et sex millia aureos, et decem mutatoria vestimentorum, detulit litteras (h· librum) ad regem Israel, in hæc verba : Cum acceperis epistolam hanc, scito quod miserim ad te Naaman servum meum, ut cures eum a lepra sua. Cumque legisset rex Israel [1] litteras (h. librum), scidit vestimenta sua, et ait : Nunquid Deus ego *sum* (h. non habet), ut occidere possim, et vivificare, quia iste misit ad me, ut curem hominem (h. virum) a lepra sua ? animadvertite, et videte quod occasiones quærat adversum me. Quod cum audisset Elisæus vir Dei, sedisse videlicet regem Israel vestimenta sua, misit ad eum, dicens : Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, et sciat esse prophetam in Israel. (T. CXXVII.) Venit ergo Naaman cum equis et curribus (h. curru suo), et stetit ad ostium domus Elisæi : misitque ad eum Elisæus nuntium, dicens; Vade, et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Iratus Naaman recedebat, dicens : Putabam quod egrederetur ad me, et stans invocaret nomen Domini Dei sui, et tangeret manu sua locum lepræ, et curaret me. Nunquid non meliores sunt Abana et Pharphar, fluvii Damasci, omnibus aquis Israel [2], ut laver in eis, et munder ? Cum ergo vertisset se, et abiret indignans, accesserunt ad eum servi sui, et locuti sunt ei : Pater (h. Pater mi), si rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras : quanto magis quia nunc dixit tibi : Lavare, et mundaberis (CXXVIII.) Descendit, et lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, et restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, et mundatus est. Reversusque ad virum Dei cum universo comitatu suo, venit, et stetit coram eo, et ait : Vere scio quod non sit Deus (*Vulg.* alius Deus) in universa terra, nisi tantum in Israel. (T. CXXIX.) Obsecro itaque ut accipias benedictionem a servo tuo. At ille respondit : Vivit Dominus, ante quem sto (h. steti) quia non accipiam Cumque vim faceret, penitus non acquievit. Dixitque Naaman : Ut vis, sed obsecro, concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum h. (mulorum) de terra non enim faciet ultra servus tuus holaucaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur (*ms.* ingreditur) dominus meus templum Remmon, ut adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo (*ms. tacet* eo) in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo (*Ms.* suo) pro hac re (h. nisi Domino. Et pro hac re ignoscet mihi Dominus servo tuo, quando ingressus fuerit dominus meus domum Remmon, ut adoret ibi, et innixus fuerit super manum meam, si adoravero in domo Remmon, adorante me in eodem loco, ignoscet mihi Dominus servo tuo pro hac re). Qui dixit ei : Vade in pace. Abiit ergo ab eo electo terræ tempore. (T. CXXX.) Dixitque Giezi puer viri Dei : Pepercit dominus meus Naamam Syro isti, ut non acciperet ab eo quæ attulit: vivit Deminus, quia currram post eum, et accipiam ab eo aliquid. Et secutus est Giezi post tergum Naaman : quem cum vidisset [3] currentem ad se, desiliit de curru in occursum ejus, et ait: Rectene sunt omnia (h. Nonne pax est) ? Et ille ait: Recte. Dominus meus misit me ad te [4], dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes (h. pueri) de monte Ephraim, ex filiis prophetarum : da eis talentum argenti, et vestes mutatorias duplices. Dixitque Naamam: Melius est ut accipias duo talenta. Et coegit eum, ligavitque duo talenta argenti in duobus saccis, et duplicia vestimenta, et imposuit duobus pueris suis, qui et portaverunt coram eo. Cumque venisset jam (*ms.* etiam) vesperi, tulit de manu eorum, et reposuit in domo, dimisitque viros, et abierunt. Ipse autem ingressus, stetit coram domino suo. (T. CXXXI.) Et dixit Elisæus : Unde venis (h. non habet), Giezi? Qui respondit : Non ivit servus tuus quoquam (*ms* quaquam). At ille: Nonne, ait, cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo (h. vir) de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes, ut emas oliveta et vineta (*Vulg.* vineas), et oves, et boves, et servos, et ancillas. Sed et lepra Naaman adhærebit (*ms.* aderit) tibi, et semini tuo in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.

(*Cap.* VI.) Dixerunt autem filii prophetarum ad Elisæum: Ecce locus in quo habitamus coram te angustus est nobis. Eamus usque ad Jordanem, et tollamus (*ms. et Vulg.* tollam) singuli de silva materias singulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit: Ite. Et ait unus ex illis: Veni ergo et tu cum servis tuis. Respondit: Ego veniam. Et abiit cum eis. Cumque venissent ad Jordanem, cædebant ligna. Accidit autem, ut cum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam: exclamavitque ille, et ait: Eheu [5], domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam. Dixit autem homo Dei (h. vir Dei) : Ubi cecidit ? At ille monstravit ei locum. (T. CXXXII.) Præcidit ergo lignum, et misit (h. et jecit) illuc: natavitque ferrum, et ait: Tolle. Qui extendit manum, et tulit (*ms.* attulit) illud. Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, consiliumque iniit cum servis suis, di-

[1] Hic vero abludit ab archetypo Hebræo Veronens. ms. tacens nomen *Israel*, et paulo post *ego*.

[2] Idem ms. *Omnibus qui sunt in Israel*, subintellige *fluviis*, ut recte habeat: tametsi incurrit in oculos antiquarii lapsus.

[3] *Sufficit* Veronens. ms. cum Vulgatis *ille*. Hebræus ipsum repetit nomen *Nahaman*.

[4] Voculas *ad te*, quæ neque in Hebræo sonant Veronens. ms. prætermittit.

[5] Ter *eheu* cum Vulgatis repetit hic idem ms. atque inferius bis quod semel rectius in aliis est libris.

In loco illo et illo ponamus insidias. (T. III.) Misit itaque vir Dei ad regem Israel, di- Cave, ne transeas in locum illum : quia ibi . insidiis sunt. Misit itaque (*ms. tacet.* itaque) rael ad locum quem dixerat ei vir Dei, et ıupavit (h. et rapuit) eum, et observavit se ın semel neque bis. Conturbatum est cor ıyriæ pro re hac : et convocatis servis suis, ıare non indicatis (*ms.* indicastis) mihi quis ır mei sit apud regem Israel ? Dixitque unus ım ejus : Nequaquam, domine mi rex, sed s propheta, qui est in Israel, indicat regi Is- nia verba quæcunque locutus fueris in con- ıo. Dixitque eis : Ite et videte ubi sit : ut ı, et capiam eum. Annuntiaveruntque ei : *cet* ei) dicentes. Ecce in Dothan. Misit ergo ıuos et currus (h. currum), et robur exerci- ıi cum venissent nocte, circumdederunt civi- Consurgens autem diluculo minister viri Dei, ıs est, viditque exercitum in circuitu civita- equos et currus (h. currum) : nuntiavitque *tacet* ei), dicens : Eheu, domine mi, quid ıs ? At ille respondit : Noli timere : plures nobiscum sunt quam cum illis. Cumque . Elisæus, ait : Domine, aperi oculos hujus, ut Et aperuit Dominus oculos pueri, et vidit : mons plenus equorum, et curruum igneo- ı circuitu Elisæi. Hostes vero descenderunt *habet* hostes vero, *sed*, descenderunt) ad T. CXXXIV.) Porro Elisæus oravit ad (*ms.* l) Dominum, dicens : Percute, obsecro, gen- nc cæcitate. Percussitque eos Dominus, ne t, juxta verbum Elisæi. Dixit autem ad eos ı : Non est hæc via, nec ista est civitas : se- i me, et ostendam vobis virum quem quæritis. ırgo eos in Samarias : cumque ingressi fuis- ı Samariam, dixit Elisæus : Domine, aperi istorum, ut videant. Aperuitque Dominus ıorum, et viderunt esse se in medio Samariæ. e rex Israel ad Elisæum, cum vidisset eos : id percutiam eos, pater mi? At ille ait : Non es: neque enim cepisti eos gladio et arcu tuo, ıutias : pone (*Vulg.* sed pone) panem et coram eis, ut comedant et bibant, et vadant ıinum suum. Appositaque est eis ciborum præparatio, et comederunt et biberunt, et dimisit eos (h. misit eos), abieruntque ad dominum suum, et ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Israel. Factum est autem post hæc, congregavit Benadad, rex Syriæ, universum exercitum suum, et ascendit, et obsidebat Samariam. Factaque est fames magna [1] in Samaria : et tamdiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. (T. CXXXV.) Cumque rex Israel transiret per murum, mulier (*Vulg. add.* quædam) exclamavit ad eum, dicens : Salva *me* (h. non habet), domine mi rex. Qui ait : Non te salvat Dominus : unde te possum salvare ? de area, an de torcuları ? Dixitque ad eam rex. Quid tibi vis ? Quæ respondit : Mulier ista dixit mihi : Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, et filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, et comedimus. Dixitque ei die altera : Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abscondit filium suum. Quod cum audisset rex, scidit vestimenta sua, et transibat super (*Vulg.* per) murum. Viditque *omnis* (h. non habet) populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. Et ait (*Vulg. addit* rex) ; Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat, si steterit caput Elisæi filii Saphat super eum hodie. Elisæus autem sedebat in domo sua, et senes sedebant cum eo. Præmisit itaque virum : et antequam veniret nuntius ille, dixit ad senes : Numquid scitis quod mi serit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum ? videte ergo, cum venerit nuntius, claudite ostium, et non sinatis eum introire (h. et atterite eum in ostio [2]) : ecce enim sonitus pedum domini ejus post eum est. Adhuc illo loquente cum eis, apparuit nuntius, qui veniebat ad eum. Et ait : Ecce, tantum malum a Domino est : quid amplius exspectabo a Domino (h. quid amplius deprecabor Dominum) ?

(T. CXXXI. *Cap.* VII.) Dixit autem Elisæus : Audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus : In tempore hoc cras modius [3] similæ uno statere (h. siclo) erit, et duo modii hordei statere (h. siclo) uno, in porta Samariæ. Respondens unus de ducibus (h. respondens dux) super cujus manum rex incumbebat, homini Dei (h. viro Dei), ait : Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, numquid poterit esse quod loqueris [4] (h. Ecce Dominus faciet cata-

em *magna*, refragante Hebræo גדול, idem et.

na manus scholion istud apposuerat hoc *Et stringit eum in ostio*, sed alius, aut riptor addidit postea *atterit*, supra *stringite*. ıb emendatore Canonis, viro, ut putamus, æ linguæ satis perito, ita factitatum credi MART.

em quæ universum codicem manus descri- notavit ad hunc locum in libri albo, LXX, Tum alia multo recentior hæc addidit « In ginta vero, habemus modium. Habet siclus ı. Jacet enim eorum translatio sic, *duo modei siclo uno*. Sed Josephus IX *Antiquitatum* it, *duo sata hordei siclo uno, satum similæ duo-*

bus. Satum itaque fert modium unum semis Italicum. » Nos, ad priorem antiquam adnotationem quod attinet, verissime observatum fatemur, LXX *siclum* pro statere posuisse : μέτρον σεμιδάλεως σίκλου, καὶ δίμετρον κριθῶν σίκλου. Quin ipse etiam Hebræus textus habet שקל, idemque est quod ex veteri versione noster antiquarius et scholiastes ex Hebræo notant. Quod alteram annotationem spectat, falsum est, duobus siclis satum similæ tradi abs Josepho æstimatum : satis enim hæc ejus manifesta sunt verba : Quemadmodum σίκλου δύο κριθῆς σάτα, ita ὠνήσεσθαι σεμιδάλεως σάτον σίκλου. Jam vero staterem, quo noster Interpres vocabulo utitur, siclo æquivalere notum.

[1] Fallitur hoc loco Scholiastes noster : neque vere

ractas in cœlo. Numquid poterit esse quod loquor]? Qui ait : videbis oculis tuis, et inde non comedes. [T. CXXXVII.] Quatuor ergo viri erant leprosi juxta introitum portæ, qui dixerunt ad invicem : Quid hic esse volumus donec moriamur? sive ingredi voluerimus civitatem, fame moriemur : sive manserimus hic, moriendum nobis est : venite ergo et [*ms.* ut], transfugiamus ad castra Syriæ. Si pepercerint nobis, vivemus ; si autem occidere voluerint, nihilominus et [*ms. tac.* et] moriemur. Surrexerunt igitur vesperi [h. mane], ut venirent ad castra Syriæ. Cumque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt. Si quidem Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ, curruum, et equorum exercitus plurimi : dixeruntque ad invicem : Ecce mercede conduxit adversum nos rex Israel reges Hetthæorum et Ægyptiorum, et venerunt super nos. Surrexerunt ergo, et fugerunt in tenebris, et dereliquerunt tentoria sua, et equos et asinos in castris, fugeruntque, animas intantum suas salvare cupientes. Igitur cum venissent leprosi illi ad principium castrorum, ingressi sunt unum tabernaculum, et comederunt, et biberunt. Tuleruntque inde argentum, et aurum, et vestes, et abierunt, et absconderunt : et *rursum* [h. non habet] reversi sunt ad aliud tabernaculum, et inde similiter auferentes absconderunt, Dixeruntque ad invicem : Non recte facimus, hæc enim dies boni nuntii est. Si tacuerimus et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur : venite, eamus, et nuntiemus in aula regis. Cumque venissent ad portam civitatis, narraverunt eis, dicentes : Ivimus ad castra Syriæ, et nullum ibidem reperimus hominem [*Vulg.* hominum], nisi equos et asinos alligatos, et fixa tentoria, ferunt ergo portarii, et nuntiaverunt in palatio regis intrinsecus. Qui surrexit nocte, et ait ad servos suos : Dico vobis quid fecerint [*ms.* fecerunt] nobis Syri : sciunt quia fame laboramus, et idcirco egressi sunt de castris, latitant in agris, dicentes : Cum egressi fuerint de civitate, capiemus eos vivos, et tunc civitatem ingredi poterimus : Respondit autem unus servorum ejus :

A Tollamus quinque equos, qui remanserunt in urbe (quia ipsi tantum sunt in universa multitudine Israel alii enim consumpti sunt), et mittentes, explorare poterimus. Adduxerunt ergo duos equos, misitque rex ad [*Vulg.* in] castra Syrorum, dicens : Ite, et videte. Qui adierunt post eos usque ad Jordanem : ecce autem omnis via plena erat vestibus et vasis : quæ projecerant Syri cum turbarentur : reversique nuntii indicaverunt [1]. Et egressus populus diripuit castra Syriæ : factusque est modius similæ statere [h. siclo] uno, et duo modii hordei statere [h. siclo] ano, juxta verbum Domini. Porro rex ducem illum, in cujus manu incumbebat [*ms.* incubuerat], constituit ad portam : quem conculcavit turba in introitu portæ [2] [h. populus in porta], et mortuus est, juxta quod locutus B fuerat vir Dei, quando descenderat rex ad eum. Factumque est secundum sermonem viri Dei, quem dixerat regi, quando ait : Duo modii hordei statere [h. siclo] uno erunt, et modius similæ statere [h. siclo] uno, hoc eodem tempore cras, in porta Samariæ, quando responderat dux *ille* [h. non habet] viro Dei, et dixerat : Etiamsi Dominus fecerit cataractas in cœlo, numquid poterit fieri quod loqueris [h. Ecce Dominus faciet cataractas in cœlo? Numquid poterit esse quod loquor]? Et dixit ei : Videbis oculis tuis, et inde non comedes. Evenit ergo ei sicut prædictum fuerat, et conculcavit eum populus in portat, et mortuus est.

[*Cap.* VIII.] Elisæus autem locutus est ad mulierem, cujus vivere fecerat filium, dicens : Surge, C vade tu et domus tua, et peregrinare ubicunque repereris : vocavit [*ms.* vocabit] enim Dominus famem, et veniet super terram septem annis. Quæ surrexit et fecit juxta verbum hominis Dei [h. viri Dei] : et vadens cum domo sua, peregrinata est in terra Philisthim diebus multis [h. septem annis [3]]. Cumque finiti essent anni septem, reversa est mulier de terra Philisthim, et egressa est ut interpellaret regem pro domo sua et pro agris suis [h. agro suo. Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens : Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Elisæus. Cumque ille narraret regi quomodo mortuum

aliud habet Hebræus, præter ista, היהיר הרהד הזה, *haibieh haddabar hazze*, id, est, *numquid erit verbum hoc?* Id Hieronymus refert ad ducem regis Israel loquentem, et Elisæi prophetantis verba suggillantem. Quare optima hæc est interpretatio : *Si Dominus* (inquit incredulus ille dux) *fecerit etiam cataractas in cœlo, numquid poterit esse quod loqueris?* Hoc est, numquid poterit esse talis ac tanta rerum abundantia, quam tu, Elisæe, nobis promittis ? Restat itaque juxta sensum Hebrææ Scripturæ legendum cum Hieronymo in secunda persona, *quod loqueris*, et nan in prima, *quod loquor*, ut habetur in scholio. Advertat lector idem scholion marginale appositum in fine hujus capituli. MART.

— Falsi arguit suum Scholiastem hic atque infra ad capituli hujus finem Martianæus ipse. Atque Hebræus quidem textus pro *quod loqueris*, tantum habet *verbum istud*, הדבד הזה, quod referri tamen ad Elisæi personam oportere, series tota orationis evincit. Verum non ex Hebræo archetypo, sed ex Latina aliqua versione, suas hasce variantes lectione accepisse scholiasten, nobis probatum est supra nec uno in loco. D

[1] Addit Veronens ms. *Regi*, quod habet nedum ב Hebræus textus לבולך, sed etiam Vulgati libri.

[2] Pro verbis *in introitu portæ*, Hebraicum exemplar tantum habet *in porta* בשער Veronens. ms. tantum *in introitu*. Fortasse alterutrum abundare Latino interpreti nostro, nec plane immerito, videbatur.

[3] Verba Hebraica שבע שנים, *seba sanim*, et *septem annos*, et *multos annos* significant nam *seba* sive *sabee*, interpretetur *septem*, vel *juramentum* vel *saturitas*. Saturitas autem annorum, quæ non resonat in Latino sermone, multorum dierum spatia denuntiat Bene ergo Hieronymus *seba sanim* hic et dies multos, et septem annos Latine reddidit. MART.

suscitasset (*al.* suscitaret), apparuit mulier, cujus vivificaverat filium, clamans ad regem pro domo sua et pro agris suis (h. agro suo). Dixitque Giezi : Domine mi rex, hæc est mulier, et hic filius ejus,quem suscitavit Elisæus. Et interrogavit rex mulierem : quæ narravit ei. Deditque ei rex eunuchum unum, dicens : Restitue ei omnia quæ sua sunt ; et universos reditus agrorum (h.agris), a die qua reliquit terram usque ad præsens. (T. CXXXVIII.) Venit quoque Elisæus Damascum, et Benadad rex Syriæ ægrotabat : nuntiaveruntque ei dicentes : Venit vir Dei huc. Et ait rex ad Azael : Tolle tecum (h. in manu tua) munera, et vade in occursum viri Dei, et consule Dominum per eum, dicens : Si evadere (h. Si vivere) potero de infirmitate mea hac ? Ivit igitur Azael in occursum ejus, habens secum (h. in manu sua, munera et omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum. Cumque stetisset coram eo, ait : Filius tuus Benadad rex Syriæ misit me ad te dicens : Si sanari (h. Si vivere) potero de infirmitate mea hac ? Dixitque ei (*ms. tac.* ei) Elisæus: Vade, et dic ei : Sanaberis (h.Vives) : porro ostendit mihi Dominus quia morte morietur : Stetitque cum eo, et conturbatus est ad suffusionem vultus : flevitque vir Dei.Cui Azael ait : Quare dominus meus flet ? At ille respondit (*Vulg.* dixit): Quia scio quæ facturus sis filiis Israel mala. Civitates (h.*munitiones*) eorum munitas igne succendes,et juvenes (*ms.* jumenta) eorum interficies gladio, et parvulos eorum elides, et prægnantes dividas. Dixitque Azael. Quid enim sum servus tuus canis,ut faciam rem istam magnam ? (T. CXXXIX.) Et ait Elisæus : Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore. Qui cum recessisset ab Elisæo,venit ad dominum suum.Qui ait ei : Quid tibi dixit Elisæus ? At ille respondit : Dixit mihi : Recipies (h.Vives)sanitatem [1]. (T. CXL.) Cumque venisset dies altera, tulit stragulum, et infudit aqua, et expandit super faciem ejus : quo mortuo, regnavit Azael pro eo (T.CXLI.) Anno quinto Joram filii Ahab regis Israel et Josaphat regis Juda,regnavit Joram filius Josaphat rex Juda.Triginta duorum erat annorum cum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem.Ambulavitque in viis regum (*ms.*regis) Israel, sicut ambulaverat domus Ahab : filia enim Ahab erat uxor ejus : et fecit quod malum est coram Domino (h. in oculis Domini). Noluit autem Dominus disperdere Judam, propter David servum suum, sicut promiserat ei, ut daret illi lucernam,et filiis ejus cunctis diebus. In diebus ejus recessit (h. prævaricatus est) Edom, ne esset sub Juda,et constituit sibi regem. Venitque Joram Seira, et omnes currus cum eo : et surrexit nocte, percussitque Idumæos, qui eum circumdederant, et principes curruum, populus autem fugit in tabernacula sua. Recessit (h. Prævaricatus) ergo Edom ne esset sub Juda, usque ad diem hanc. Tunc recessit (h. prævaricatus) et Lobna in tempore illo. (T. CXLII.) Reliqua autem sermonum Joram, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda ? Et dormini Joram cum patribus suis, sepultusque est cum eis in civitate David, et regnavit Ahazias filius ejus pro eo. Anno duodecimo Joram filii Ahab regis Israel, regnavit Ahazias filius Joram regis Judæ. Viginti duorum annorum erat Ahzias cum regnare cœpisset,et uno anno regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Athalia, filia Amri regis Israel. Et ambulavit in viis domus Ahab : et fecit quod malum est coram Domino (h. in oculis Domini), sicut domus Ahab : gener enim domus Ahab fuit. (T. CXLIII.) Abiit quoque cum Joram filio Ahab,ad prœliandum contra Azael regem Syriæ in Ramoth (*ms.* Ramath) Galaad, et vulneraverunt Syri Joram : qui reversus est, ut curaretur, in Jezrael, quia vulneraverant eum Syri in Rama (*Vulg.* Ramoth) prœliantem contra Azael regem Syriæ. Porro Ahazias filius Joram, rex Juda, descendit invisere Joram filium Ahab in Jezrael, quia ægrotabat ibi [2].

(T. CXLIV, *Cap.* IX.) Elisæus autem prophetes vocavit unum de filiis prophetarum,et ait illi : Accinge lumbos tuos, et tolle lenticulam olei hanc in manu tua,et vade in Ramoth Galaad.Cumque veneris illuc,videbis Jehu filium Josaphat filii Namsi (h. filium Josaphat filium Namsi),et ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, et introduces interius cubiculum.Tenensque lenticulam olei,fundes super caput ejus, et dices : Hæc dicit Dominus Unxi te regem super Israel. Aperiesque ostium, et fugies, et non ibi subsistes. Abiit ergo adolescens puer prophetæ (h. puer puer prophetæ) in Ramoth Galaad, et ingressus est illuc : ecce autem principes exercitus [3] sedebant,et ait : Verbum mihi ad te,o princeps.Dixitque Jehu : Ad quem ex omnibus nobis ? At ille dixit : Ad te,o princeps. Et surrexit et ingressus est cubiculum (h.domum) : at ille fudit oleum super caput ejus, et ait : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Unxi te regem super populum Domini Israel, et percuties domum Ahab domini tui, ut (*Vulg.* et) ulciscar sanguinem servorum meorum prophetarum,et sanguinem omnium servo-

[1] Veronens. ms., *Recipies*, propius Græco ξήσῃ. Hebr.secundam personam cum editis Latinis præfert. Mox idem ms. *sagulum* habet pro *stragulum*, quod non improbo.Addit nota marginalis antiqua, *opertorium :* tum multo recentior manus; « *Alii stragulum*, scilicet opertorium lecti regalis mira varietate contextum vel *sagulum*, breve opertorium rudi lana dispositum. »

[2] Tacet Veronens.ms. τὸ *ibi :* pro quo est in Hebræo ושנו. *ipse.*

[3] Emendator canonis delet verbum *illuc*, et hoc modo restituit lectionem juxta Hebræum : *Et ingressus est, et ecce principes exercitus*,etc.Sed noluimus has sequi castigationes propter allatam supra rationem. MART.

— Hic quoque τὸ *illuc* ms.Veronens.tacet quæ vox neque in Hebræo, neque aliis est libris, præter Vulgatos Latinos. Sed et emendator canonis,quem Martianæus vocat, suo illam e codice expunxit.

rum Domini, de manu Jezabel. Perdamque omnem domum Ahab : et interficiam de Ahab mingentem ad parietem, et clausum et novissimum (h. derelictum) in Israel. Et dabo domum Ahab, sicut domum Jeroboam filii Nabat, et sicut domum Baasa filii Ahia. Jezabel quoque comedent canes in agro Jezrael, nec erit qui sepeliat *eam* (h. non habet). Aperuitque ostium et fugit. Jeu autem egressus est ad servos domini sui : qui dixerunt ei : Rectene sunt omnia (h. Num pax est)? quid venit insanus iste ad te? Qui ait eis : Nostis hominem (h. virum), et quid locutus sit? At illi responderunt : Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis : Hæc et hæc locutus est mihi, dicens (*ms.* et ait) : Hæc dicit Dominus : Unxi te regem super Israel. Festinaverunt itaque et unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub (h. subter) pedibus ejus, in similitudinem tribunalis, et cecinerunt tuba, atque dixerunt : Regnavit Jehu. (T. CXLV). Conjuravit (h. et rebellavit) ergo Jehu filius Josaphat filii Namsi contra Joram : porro Joram obsederat Ramoth Galaad : ipse et omnis Israel, contra Azael regem Syriæ : et reversus fuerat, ut curaretur in Jezrael propter vulnera, quia percusserant eum Syri, præliantem contra Azael regem Syriæ. Dixitque Jehu : Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de civitate, ne vadat, et nuntiet in Jezrael. Et ascendit, et profectus est in Jezrael. Joram enim ægrotabat ibi, et Ahazia (*ms.* Ahazias) rex Juda descenderat ad visitandum Joram. Igitur speculator qui stabat super turrem Jezrael, vidit globum Jehu venientis, et ait; Video ego globum. Dixitque Joram : Tolle currum, et mitte in occursum eorum, et dicat vadens : Rectene sunt omnia (h. Num pax)? Abiit igitur, qui ascenderat currum (h. equum), in occursum ejus, et ait : Hæc dicit rex : Pacata sunt omnia (h. Num pax est)? Dixitque (*ms. add.* ei) Jehu : Quid tibi et paci? transi, et sequere me. Nuntiavit quoque speculator, dicens : Venit nuntius ad eos, et non revertitur. Misit etiam currum equorum secundum : venitque ad eos, et ait : Hæc dicit rex : Num pax est? Et ait Jehu : Quid tibi, et paci? transi, et (*ms. tac.* et) sequere me. Nuntiavit autem speculator, dicens : Venit usque ad eos et non revertitur : est autem incessus quasi incessus Jeu filii Namsi, præceps enim graditur. Et ait Joram; Junge *currum* (h. non habet). Junxitque (*ms.* Junxeruntque) currum ejus, et egressus est Joram rex Israel, et Ahazia rex Juda, singuli in curribus suis, egressique sunt in occursum Jehu, et invenerunt eum in agro Naboth Jezraelitis. Cumque vidisset Joram Jehu dixit : Pax est, Jehu? At ille respondit: Quæ pax? adhuc fornicationes Jezabel matris tuæ, et veneficia ejus multa vigent. Convertit autem Joram manum suam (h. manus suas), et fugiens ait ad Ahaziam : Insidiæ [1], Ahazia. (T. CXLVI.) Porro Jehu tetendit arcum manu, et percussit Joram inter scapulas (h. brachia) : et egressa est sagitta per cor ejus, statimque corruit in curru suo. Dixitque Jehu ad Badacer [2] ducem : Tolle, projice eum in agro Naboth Jezraelitæ : memini enim quando ego et tu sedentes in curru (h. in curribus junctis) sequebamur Ahab patrem hujus, quod Dominus onus hoc levaverit super eum, dicens : Si non pro sanguine Naboth, et pro sanguine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus, Nunc igitur tolle, et projice eum in agrum, juxta verbum Domini. (T. CXLVII.) Ahazias autem rex Juda, videns *hoc* (h. non habet), fugit per viam domus horti, persecutusque est eum Jehu, et ait : Etiam hunc percutite (*ms.* percute) in curru suo : et percusserunt eum [3] in ascensu Gaber (h. Gur), qui est juxta Jeblaam : qui fugit in Mageddo, et mortuus est ibi. Et imposuerunt eum servi ejus *saper currum suum* (h. non habet], et tulerunt in Jerusalem : sepelieruntque (*Vulg. add.* eum) in sepulcro cum patribus suis in civitate David. Anno undecimo Joram filii Ahab, regnavit [4] Ahazias super Judam, venitque Jehu in Jezrael. Porro Jezabel, introitu ejus audito, depin-

[1] Veronens. ms. vocem *insidiæ* hic repetit, quam cæteri libri omnes reticent.

[2] Nomen istud secundum punctuationem Massorethicæ proximam emendatum in Canone legitur, *Bedear*. Cæteri omnes ms. codices primam retinent lectionem, nempe *Badacer* aut *Badacar*. Ita quoque scriptum reperies apud Hieronymum libro nominum Hebraicorum. MART.

[3] Verba *et percusserunt eum*, Veronens. ms. non habet, idque ipsum est novum germanitatis sui textus, sive Hieronymianæ, quam exhibet, Versionis argumentum. Nam neque Hebræus textus, neque illi pressius hærens Chaldæus, sententiam hanc habent; quæ omnino ex Græca τῶν Septuaginta paraphrasi, Βαὶ γε αὐτὸν, καὶ ἐπάταξεν αὐτὸν πρὸς τῷ ἅρματι, etc., derivata est. Ad hæc scimus, vix, aut ne vix quidem cohærere illam cum libri II Paralipomenon XXII, 9, luculentissimo testimonio, quo dicitur Ohozias, non hic in ascensu Gaber, sed postquam evasisset, transfuga in Mageddo, atque inde clam fuisset translatus in Samariam, ibi demum inventus ab Jeu atque occisus. *Ipsum quoque*; inquit, *perquirens* (Jeu) *Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria, adductumque ad eum occidit*. Et hanc tamen Latinorum codicum additionem neque Martianæus neque ab eo editus scholiastes animadverterunt.

[4] Pro *regnavit* ms. Veronens. habet *regis* : in albo autem codicis R. littera ascribitur, quæ priscis librariis suspectæ dubiæque lectionis nota est : monetque, in aliis exemplaribus de ejus germanitate requirendum. Ac prima statim fronte abnormis quidem videtur, merusque librarii lapsus : sed auctor est Luca Brugensis, vetustiorum eam esse ac melioris notæ codicum ; quin etiam probari unice, satisque bonis argumentis cum sibimetipsi, cum Epanorthotæ. Neque porro discedit ab Hebræo textu, si eum putes olim Hieronymi ævo nullis instructum Massoretharum punctis, quæ certe ille non novit : tum aliis substratis ab his quæ nunc obtinent, *Melech*, cum duplici segol, pro kamets et patach, sive pro *malach*, legas. Quod subsequitur *Ahazia* nomen indeclinabile quemadmodum in Hebræo est, accipias *Ahazia*, אחזיה denique conjunctionem dictionis ויבוא, *venitque*, vel cum laudato Luca Brugensi sentias tantum convertendæ orationis officio

xit oculos suos stibio [1], et ornavit caput suum, et respexit per fenestram ingredientem Jehu per portam, et ait : Numquid pax potest esse Zamri, qui interfecit dominum suum (h. non pax est Zamri, qui interfecit dominum suum) ? (T. CXLVIII.) Levavitque Jeu faciem suam ad fenestram, et ait. Quæ est ista [2] (h. Quis est meus)? et inclinaverunt se ad eum duo vel tres eunuchi At ille dixit eis : Præcipitate eam deorsum. Et præcipitaverunt eam, aspersusque est sanguine paries, et equorum ungulæ conculcaverunt eam [3]. Cumque introgressus (*ms.* ingressus) esset, et (*Vulg.* ut) comederet, et biberet, ait: Ite, et videte [4] maledictam illam, et sepelite eam: quia filia regis est. Cumque issent ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam, et pedes, et summas manus. Reversique nuntiaverunt ei (*ms. tac.* ei). Et ait Jehu: Sermo Domini est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbiten, dicens In agro Jezrael comedent canes carnes Jezabel, et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ : (h. agri) in agro Jezrael, ita ut prætereuntes dicant : Hæccine est illa Jezabel : (h. non dicant Hæc est illa Jezabel [5])?

(*Cap.* XX.) Erant autem Ahab septuaginta filii in Samaria: scripsit ergo Jeu litteras (h. libros), et misit in Samariam, ad optimates civitatis (h. Jezrael), et ad (*ms. tac.* et ad) majores natu, et ad nutricios Ahab, dicens: Statim ut acceperitis litteras has (h. librum), qui habetis filios domini vestri, et currus, et equos, et civitates firmas, et arma, eligite meliorem, et eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri (*Vulg. add.* et eum) ponite super solium patris sui, et pugnate pro domo domini vestri. Timuerunt illi vehementer, et dixerunt : Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, et quomode nos valebimus resistere ? Miserunt ergo præpositus domus et præfectus civitatis (*Vulg.* præpositi et præfecti), et majores natu, et nutricii, ad Jehu, dicentes: Servi tui sumus, quæcunque jusseris faciemus, nec constituemus nobis [6] regem (h. nobis virum): quæcunque tibi placent, fac. (T. CXLIX.) Rescripsit autem eis litteras (h. librum) secundo, dicens : Si mei estis, et obeditis mihi, tollite capita filiorum domini vestri, et venite ad me hac eadem hora cras in Jezrael. Porro filii regis, septuaginta viri, apud optimates civitatis nutriebantur. Cumque venissent litteræ. (h. liber) ad eos, tulerunt filios regis, et occiderunt septuaginta viros, et posuerunt capita eorum in cophinis, et miserunt ad eum in Jazrael. Venit autem nuntius, et indicavit ei, dicens: Attulerunt capita filiorum regis. Qui respondit: Ponite ea ad (*ms. tac.*) ad duos acervos juxta introitum portæ usque mane. Cumque diluxisset, egressus est, et stans dixit ad omnem populum: Justi estis; si ego conjuravi (h. rebel lavi) contra dominum meum, et interfeci eum, quia percussit omnes hos ? Videte ergo nunc quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super dominum Ahab, et Dominus fecit quod locutus est in manu servi sui Eliæ. Percussit igitur Jehu omnes qui reliqui erant de domo Ahab in Jezrael, et universos optimates ejus, notos, et sacerdotes donec non remanerent ex eo reliquiæ. Et surrexit, et venit in Samariam. T. CL.) Cumque venisset ad cameram (h. caulas) pastorum in via, invenit fratres Ahaziæ regis Juda, dixitque ad eos: Quinam estis vos ? At illi responderunt: Fratres Ahaziæ sumus, et descendimus ad salutandos filios regis, et filios (*ms. tac.* filios) reginæ. Qui ait: Comprehendite eos vivos. Quos cum comprehendissent vivos, jugulaverunt eos in cisterna juxta cameram (h. caulas). quadraginta duos viros, et non dereliquit (*ms.* reliquerunt) ex eis quemquam. Cumque abiisset inde, invenit Jonadab filium Rechab in occursum sibi, et benedixit ei. Et ait ad eum: Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo ? Et ait Jonadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei [7] manum suam. At ille levavit eum ad se in currum: dixitque ad eum : Veni mecum, et vide zelum meum pro Domino. Et impositum

fungi, vel pro temporis nota sive adverbio, quod sæpius usuvenit, sumas. Sensus erit sane perspicuus, et qui nihil ab ea, quam et Vulgati Latini libri præferunt, historiæ veritate dissentiat. *Anno scilicet undecimo Joram filii Ahab, cum esset Ahazia rex Juda, venisse Jeu in Jezrael.* Nam hoc Jorami anno in consortium regni accitum fuisse Ahaziam constans est Interpretum sententia, quanquam non nisi insequenti duodecimo, rerum potitus sit, ut ex præcedentis capituli versu 25 liquet.

[1] E regione hujus vocis in Veronensis ms. albo notatum est, eadem illa quæ codicem universum descripsit manu *callibles* quam vocem, exesis vetustate litteris, sui parte truncratam opinor, ac velim integre scriptum ab amanuensi *Calliblefaro* est enim *Calliblepharon*, Græce καλλιβλέφαρον, oculorum medicamen, quod Plinius lib. XXIII, cap. 6, tradit. Ea fortassis voce pro *stibio* vetus Latinus interpres ante Hieronymum, usus est.

[2] Hebraice מי אתי זה, *mi itti, mi, quis mecum, quis?* Hieronymus sensum Scripturæ reddit : *Quæ est ista?* LXX verbis adhæserunt hoc loco. Τίς εἶ σύ. *Quæ est tu?* quasi esset in Hebræo מי את *mi ath*, cum tamen habeat אתי, more Syrorum Porro אתי *illi* ponitur sæpius pro עמי, *immi*, id est *mecum* : hinc scholiastes, *qui est mecum* ? MART.

[3] Veron. ms. *equorum ungulæ qui conculcaverunt eam* quod Arabico interpreti magis adhæret, quam cæteri.

[4] Idem ms. *bibisseque, ait, ite, videte*, etc.

[5] Sensum expressit Hieronymus, Scholiastes autem verborum tenacissimus litteræ adhærescit cum omnibus aliis interpretibus, qui constanter reddunt *ut non dicant hæc est Jezabel*. In Hebræo scriptum est אשר לא יאמרו זאת איזבל, *aser, lo iomeru zoth Iezabel*, id est, *ut non dicant: Hæc Jezabel.* Quæ in hoc sensu accipienda sunt, quasi Gallice diceremus, *Et ceux qui passeront ne diront-ils pas : Est-ce là cette Jézabel?* MART.

[6] Quod minime animadvertit Scholiastes, vacat in Hebræo, *nobis*: quæ vox et in Veronens. ms. desideratur. Mox habet minori numero, *Quodcunque tibi placet.* Hebræus ad verbum, *Bonum in oculis tuis.*

[7] Iterum cum Hebræo ms. Veronens. *ei* voculam prætermittit.

currui suo, duxit in Samariam. Et percussit omnes qui reliqui fuerant de Ahab in Samaria usque ad unum (h. ad internecionem), juxta verbum Domini, quod locutus est per Eliam. Congregavit ergo Jeu omnem populum, et dixit ad eos (*ms.* eum): Ahab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius. (T. CL.) Nunc igitur omnes prophetas Baal, et universos servos ejus, et cunctos sacerdotes ipsius vocate ad me : nullus sit qui non veniat, sacrificium enim grande est mihi Baal : quicumque defuerit non vivet. Porro Jeu faciebat hoc insidose, ut perderet (*ms. et Vulg.* disperderet) cultores Baal. Dixit autem : Sanctificate diem (h. cœlum) solemnem Baal. Vocavitque, et misit in universos terminos Israel, et venerunt cuncti servi Baal : non fuit residuus ne unus quidem qui non veniret. Et ingressi sunt templum (h. domum) Baal : repleta est domus Baal, a summo usque ad summum. Dixitque his (h. ei) qui erant super vestes [1]: Proferte vestimenta universis servis Baal. Et protulerunt (h. protulit) eis (*ms.* ei) vestes. Ingressusque est Jeu, et Jonadad filius Rechab, templum (h. domum) Baal, et ait cultoribus Baal : Perquirite, et videte, ne quis forte vobiscum sit de servis Domini, sed ut sint soli servi Raal. Ingressi sunt igitur, ut facerent victimas et holocausta : Jehu autem præparaverat sibi foris octoginta viros, et dixerat eis: Quicunque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras, anima ejus erit pro anima illius. (T. CLII.) Factum est ergo, cum completum esset holocaustum, præcepit Jehu militibus et ducibus suis Ingredimini, et percutite eos, ut [2] nullus evadat. Percusseruntque eos in ore gladii, et projecerunt milites et duces, et ierunt in civitatem templi (h. domus) Baal, et protulerunt statuam (h. titulos) de fano Baal, et cumbusserunt, et comminuerunt eam. Destruxerunt quoque ædem Baal, et fecerunt in ea (*ms. et Vulg.* pro ea) latrinas usque in diem hanc. Delevit itaque Jehu Baal de Israel. Verumtamen a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit (*ms.* fecerat) Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Beth-El, et in Dan. Dixit autem Dominus ad Jehu: Quia studiose fecisti quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Ahab, filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Porro Jehu non custodivit ut ambularet in lege Domini Dei Israel in toto corde suo: non enim recessit a peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Israel. In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israel, percussitque eos Azael in universis finibus Israel, a Jordane contra orientalem plagam, omnem terram Galaad, et Gad, et Ruben, et Manasse, ab Aror, quæ est super torrentem Arnon, et Galaad, et Basan. (T. CLIII.) Reliqua autem verborum Jeu, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel? Et dormivit Jeu cum patribus suis, sepelieruntque eum in Samaria : et regnavit Joahaz (*ms.* Joachaz) filius ejus pro eo. Dies autem, quos regnavit Jeu super Israel, viginti et octo anni sunt, in Samaria.

(*Cap.* XI.) Athalia vero mater Ahaziæ, videns mortuum filium suum, surrexit et interfecit omne semen regium. Tollens autem Josaba filia regis Joram, soror Ahaziæ, Joas filium Ahaziæ, furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, et nutricem ejus, de triclinio; et abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur. Eratque cum ea in domo Domini clam sex annis : porro Athalia regnavit super terram. (T. CLIV.) Anno autem septimo misit Joiada, et assumens centuriones, et duces, et milites [3], introduxit ad se in domum Domini [4], pepigitque cum eis fœdus : et adjurans eos in domo Domini, ostendit eis filium regis: et præcepit illis, dicens: Iste est (*ms. tacet* est) sermo, quem facere debetis : Tertia pars vestrum introeat sabbato, et observet excubitum domus regis. Tertia autem pars sit ad portam Sur (*ms.* Sir): et tertia pars sit ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum (h. *cursorum*), et custodietis excubitum domus (h. excubitum Domini...) Messa. Duæ vero partes e vobis, omnes egredientes sabbato, custodiant excubias domus Domini circum regem. Et vallabitis eum, habentes arma in manibus vestris: si quis autem ingressus fuerit septum templi, interficiatur: eritisque cum rege introeunte et egrediente. Et fecerunt centuriones juxta omnia quæ præceperat *eis* (h. non habet) Joiada sacerdos: et assumentes singuli viros suos qui egrediebantur sabbato, cum his qui egrediebantur e sabbato, venerunt ad Joiadam sacerdotem. Qui dedit eis hastas et arma regis David, quæ erant in domo Domini. Et steterunt singuli habentes arma in manu sua, a parte templi dextera, usque ad partem sinistram altaris et ædis, circum regem. Produxitque filium regis, et posuit super [5] caput ejus diadema, et testimonium : feceruntque eum regem, et unxerunt: et plaudentes manu, dixerunt : Vivat

[1] Minori numero quod ex parte Scholiastes notat, Hebræus habet et Veronens. ms. *Ei qui erat super vestes.*

[2] Voculam *ut* nesciunt cum Hebræo textu Veronens. ms. et Vulgati alii libri.

Ms. Veronens., *centuriones et milites*, prætermissis voculis *et duces*, quas neque Vulgati Latini alii libri retinent. Hebræus habet שרי המאיות לכרי ולרצים, quæ sonant, *principes centurionum duces, et cursores*, tamen ut prior illa trium verborum circumlocutio *centuriones* uno verbo significet. Sic veteres Græci interpr. Aquila τοὺς ἄρχοντας τῶν ἑκατοντάδων, *Principes centuriarum* ; Symmachus τοῦ ἑκατοντάρχους, uno verbo tria illa reddidit.

[3] Iterum cum Vulgatis idem ms. *in templum Domini*: est autem in Hebræo בית.

[4] Pressius Hebræo עליו Veronens. ms. Vulgatique libri, *super eum*.

ivit autem Athalia vocem currentis A plum [h. domum] Domini, accipiant illam sacerdotes
t egressa ad turbas [h. ad populum] in juxta ordinem suum, et instaurent sarttaecta do-
lomini, vidit regem stantem super tribu- mus, si quid necessarium viderint instauratione [4].
morem, et cantores et tubas [h. tibias] [T.CLVII.] Igitur usque ad vicesimum tertium annum
im [1], omnemque populum terræ lætantem, regis Joas, non instauraverunt sacerdotes sarta
em tubis [h. tibiis]: et scidit vestimenta tecta templi. Vocavitque rex Joas Joiadam pontifi-
navitque : Conjuratio, conjuratio [h. cem et sacerdotes, dicens eis. Quare sartatecta non
rebellio] ! Præcepit autem Joiada sacer- instauratis (*ms.* instaurastis) templi (h. domus)?
turionibus, qui erant super exercitum, et nolite ergo amplius accipere pecuniam juxta ordi-
Educite eam extra consepta templi, et nem vestrum, sed ad instaurationem templi (h.
e secutus eam fuerit, feriatur gladio. Di- domus) reddite eam. (T. CLVIII.) Prohibitique sunt
n sacerdos : Non occidatur in templo [h. sacerdotes ultra accipere pecuniam a populo [5], et
mini. Imposueruntque ei manus, et impe- instaurare sartatecta domus (h. nisi ad instauranda
im per viam introitus equorum juxta pala- sartatecta domus). Et tulit Joiada pontifex gazophy-
domum] et interfecta est ibi. Pepigit igi- lacium unum, aperuitque foramen desuper, et
t fœdus inter Dominum, et inter regem, et B posuit illud juxta altare ad dextram ingredientium
ulum, ut esset populus Domini, et inter domum Domini, mittebantque in ea sacerdotes,
opulum. Ingressusque est omnis populus qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ de-
plum [h. domum] Baal, et destruxerunt ferebatur ad templum (h. domui) Domini. Cumque
et imagines contriverunt valide : Matthan viderent nimiam pecuniam esse in gazophylacio,
acerdotem Baal occiderunt coram altari ascendebat scriba regis, et pontifex, effundebantque
bus]. Et posuit sacerdos custodias in domo et numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo
Tulitque centuriones, et Chereti et Phele- Domini : et dabant eam juxta numerum atque
ies, et omnem populum terræ [h. Tulitque mensuram, in manu eorum qui præerant cæmen-
ies, et cursores, et duces, et omnem popu- tariis domus Domini : qui impendebant eam in fa-
s], deduxeruntque regem de domo Domini: bris lignorum, et in cæmentariis iis, qui opera-
nt per viam portæ scutariorum [h. *cur-* bantur in nomo Domini, et sartatecia faciebant :
palatium [h. domum regis], et sedit et in iis, qui cædebant saxa, et ut emerent ligna, et
ronum regum. Lætatusque est omnis lapides, qui excidebantur, ita ut impleretur in-
erræ, et civitas conquievit. [T. CLV.] stauratio domus Domini, in universis quæ indige-
utem occisa est gladio in domo regis. bant expensa ad muniendam domum. Verumtamen
ie annorum era Joas, cum regnare cœpis- C non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi (h.
domus) Domini, et fuscinulæ, et thuribula, et tubæ
II.] Anno septimo Jehu, regnavit Joas : (h. tibiæ) et (*ms. tac.* et) omne vas aureum et ar-
nta annis regnavit in Jerusalem. Nomen genteum, de pecunia quæ inferebatur in templum
us Sebia [*ms.* Sebai] de Ber-Sabee. [T. Domini. Iis enim qui faciebant opus, dabatur ut
citque Joas rectum coram Domino [h. in instaurarent templum (h. domus) Domini. (T. CLIX).
mini] cunctis diebus, quibus docuit eum Et non fiebat ratio iis hominibus, qui accipiebant
cerdos. Verumtamen excelsa non abstu- pecuniam ut distribuerent eam artificibus, sed (h.
enim [*ms. tac.* enim] populus immolabat, quia) in fide tractabant eam. (T. CLX.) Pecuniam
t in excelsis incensum. Dixitque Joas vero pro delicto, et pecuniam pro peccatis, non
otes : Omnem pecuniam sanctuarii [3], quæ inserebant in templum (h. domum) Domini, quia
it in templum [h. domum] Domini a præ- sacerdotum erat. Tunc ascendit Azael rex Syriæ,
us, quæ offertur pro pretio animæ, et et pugnabat contra Geth, cepitque eam : et direxit
nte et arbitrio cordis sui inferunt in tem- faciem suam ut ascenderet in Jerusalem. Quamob-

1 *propter*, obelo ad marginem posito, ju- D *cerdotes, ut non acciperent pecuniam a populo et ne*
ronens. Antiquarius, eique substituit *instaurarent sartatecta domus*. Huic lectioni consen-
tiunt omnes alii interpretes contra Scholiastem
ms. et Vulgati tacent *Sacerdos*, quod ta- nostrum, qui nec satis attendebat sermonis conse-
ebræo nomen additum est הַכֹּהֵן. quentiam ; nam ex superiori versiculo manifestum
) cum Vulgatis Veronens. ms. *sanctorum* apparet, ni fallor, sacerdotes prohibitos fuisse et
tarii. Hebræus ad verbum habet, *sanctita-* ab accipienda pecunia, et ab instauratione jam
dicta, sive potius ab officio hujus instaurationis,
ronens. ms., tum Vulgatorum fidem, *in* quod non sine segnitia perfuncti videbantur. MART.
n, quam hic Martianæus præposuerat, ex- — Scholiasten castigat Martian. ipse, quod non-
). Suffragatur Hebræa phrasis, et Symma- attenderit sermonis consequentiam, illamque ve-
i versio, δεόμενον ἐπισκευῆς, *quod indiget* lit exceptionem esse, quæ connectendi est tantum
te. particula לִבְלְתִּי. Nobis quid de ejus lectionibus
ar Scholiastes, Hebræus enim non habet videatur, dictum est supra pluribus. Cæterum de
ceptionem ; sed particulam connexivam loci hujus sensu, adito, si lubet, interpretes.
im ita legendum est, *Et prohibiti sunt sa-*

rem tulit Joas rex Juda omnia sacrificata, quæ A consecraverant (*ms.* conservaverat) Josaphat, et Joram, et Ahazias, patres (*ms.* pater) ejus, reges Juda, et quæ ipse obtulerat : et universum argentum (h. aurum), quod inveniri potuit in thesauris templi (h. domus) Domini, et in palatio regis (h. domo regis) : misitque Azaeli regi Syriæ, et recessit ab Jerusalem. Reliqua autem sermonum Joas, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda? (T. CLXI.) Surrexerunt autem servi ejus,et conjuraverunt (h. et rebellaverunt) inter se, percusseruntque Joas in domo Mello in descensu Sela. Jozachar namque filius Semath, et Jozabad filius Somer, servi ejus, percusserunt eum, et mortuus est; sepelierunt eum eum patribus suis in civitate David,regnavitque Amazias filius ejus pro eo. B

(T. CLXII, *Cap.* XIII.) Anno vicesimo tertio Joas filii Achaziæ regis Juda,regnavit Joahaz filium Jeu super Israel in Samaria decem et septem annis. Et fecit malum coram Domino (h. in oculis Domini), secutusque est peccata Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel : non declinavit ab eis. Iratusque est furor Domini contra Israel, et tradidit eos in manu Azael regis Syriæ, et in manu Benadad filii Azael, cunctis diebus.Deprecatus est autem Joahaz faciem Domini : et audivit eum Dominus : vidit enim angustiam Israel, quia attriverat eos rex Syriæ : et dedit Dominus Israeli salvatorem, et liberatus est de manu Syriæ : habitaveruntque filii Israel tabernaculis suis sicut heri et nudiustertius. Verumtamen non recesserunt a peccatis C domus Jeroboam, qui peccare fecit Israel : in (*Vulg.* sed in) ipsis ambulaverunt (h. ambulavit):eiquidem et lucus permansit in Samaria. Et non sunt derelicti Joahaz de populo nisi quinquaginta equites, et decem currus [1],et decem millia peditum : interfecerat (h. perdiderat) enim eos rex Syriæ, et redegerat quasi pulverem in tritura *aræ* (h.non habet). Reliqua autem sermonum Joahaz,et universa quæ fecit, sed (*Vulp. tac.* sed) et fortitudo ejus, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel? (T. CLXIII). Dormivitque Joahaz cum patribus suis, et sepeliverunt eum in Samaria : regnavitque Joas filius ejus pro eo. Anno tricesimo septimo Joas regis Juda, regnavit Joas filius Joahaz super Israel in Samaria sedecim annis,et fecit quod D malum erat (*ms. et Vulg.* est) in conspectu Domini (h. in oculis Domini) : non declinavit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel; in ipsis ambulavit. (T. CLXIV.) Reliqua autem sermonum Joas, et universa quæ fecit, sed et fortitudo ejus,quomodo pugnaverit contra Amasiam regem Juda, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel? Et dormivit Joas cum patribus suis:Jeroboam autem sedit super solium ejus. Porro Joas sepultus est in Samaria cum regibus Israel. (T. CLXV.) Elisæus autem ægrotabat infirmitate, qua et mortuus est : descenditque ad eum Joas rex Israel,et flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus. Et ait illi Elisæus : Affer arcum, et sagittas.Cumque attulisset ad eum arcum, et sagittas, dixitad regem Israel: Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum tuam superposuit. Elisæus manus suas manibus regis, et ait : Aperi fenestram oritalem. Cumque aperuisset, dixit Elisæus : Jace sagittam. Et jecit. Et ait Elisæus: Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam : percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam (h. usque ad consummationem).Et ait : Tolle sagittas. Qui cum tulisset, rursum dixit ei : Percute *jaculo* (h. non habet) terram et cum percussisset tribus vicibus, et stetisset, iratus est contra eum vir Dei,et ait : Si percussisses quinquies aut sexies, sive septies,percussisses Syriam usque ad consummationem : nunc autem tribus vicibus percuties eam. (T. CLXVI). Mortuus est ergo Elisæus, et sepelierunt eum. Latrunculi quoque de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem (h. virum), viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver (h. virum), in sepulcrum Elisæi.

Quod ambulavit (h. Et ambulavit), et tetigit ossa Elisæi, et revixit homo (h. vir), et stetit super pedes suos. Igitur Azael rex Syriæ afflixit (h.attrivit) Israel cunctis diebus Joahaz : et misertus est Dominus eorum, et reversus est ad eos propter pactum suum, quod habebat cum Abraham,Isaac, et Jacob, et noluit disperdere eos, neque projicere penitus, usque in præsens tempus. Mortuus est autem Azael rex Syriæ, et regnavit Benadad filius ejus pro eo. Porro Joas filius Joahaz tulit urbes de manu Benadad filii Azael, quas tulerat de manu Joahaz patris sui jure prælii,tribus vicibus percussit eum Joas, et reddidit civitates Israel.

(T. CLXVII, *Cap.* XIV.) Anno secundo Joas filii Joahaz regis Israel, regnavit Amasias filius Joas regis Juda.(T. CLXVIII.) Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset : viginti autem et novem annis regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Joadan de Jerusalem. Et fecit rectum coram Domino (h. in oculis Domini), verumtamen non ut David pater ejus. Juxta omnia,quæ fecit Joas pater suus, fecit : nisi hoc tantum quod excelsa non abstulit (h. verumtamen *excelsa* non sunt ablata): adhuc enim populus immolabat, et adolebat (*Vulg. add.* incensum) in excelsis. (T. CLXIX.) Cumque obtinuisset regnum, percussit servos suos, qui interfecerant regem patrem suum : filios autem eorum, qui occiderant, non occidit, juxta quod scriptum est in libro legis Mosi,sicut præcepit Dominus,

[1] Ducentos pro decem currus supputat Veronens. liber : haud scio tamen ex quo textu, quove auctore fecerit; quæ enim plus cæteris habet Arabica versio, decem tantum alios superaddit, numeratque *viginti*.

lon morientur patres pro filiis, neque filii
r pro patribus : sed unusquisque in pec-
morietur. Ipse percussit Edom in valle
n decem millia, et apprehendit Petram in
ocavitque nomen ejus Jecthel [*ms.* Jece-
que in præsentem diem. Tunc misit Ama-
ios ad Joas filium Joahaz, filii Jeu regis
ens : Veni, et videamus nos. Remisitque
Israel ad Amasiam regem Juda, dicens :
Libani misit ad cedrum quæ est in Libano,
da filiam tuam filio meo uxorem. Transie-
bestiæ saltus quæ sunt in Libano, et
erunt carduum [h. Transivitque bestia
a est in Libano, et conculcavit carduum].
is invaluisti super Edom, et sublevavit te
i : contentus esto gloria, et sede in domo
re provocas malum, ut cadas tu et Juda
Et non acquievit Amasias. [T. CLXX.]
que Joas rex Israel, et viderunt se, ipse
as rex Juda, in Beth-Sames oppido Judæ.
sque est Juda coram Israel, et fugerunt
que in tabernacula sua. Amasiam vero re-
a, filium Joas filii Ahaziæ, cepit Joas rex
Beth-Sames, et adduxit eum in Jerusalem,
pit murum Jerusalem, a porta Ephraim
portam anguli, quadringentis cubitis.
omne aurum, et argentum, et universa
inventa sunt in domo Domini, et in the-
gis [h. et in thesauris domus regis], et
et reversus est in Samariam. Reliqua
rborum Joas quæ fecit, et fortitudo ejus
navit contra Amasiam regem Juda, nonne
pta sunt in libro Sermonum dierum regum
T. CLXXI.] Dormivitque Joas cum patribus
epultus est in Samaria cum regibus Israel,
vit Jeroboam filius ejus pro eo. Vixit au-
asias filius Joas, rex Juda, postquam mor-
Joas filius Joahaz regis Israel, quindecim
eliqua autem sermonum Amasiæ, nonne
pta sunt in libro Sermonum dierum regum
Factaque est contra eum conjuratio [h.
in Jerusalem : at ille fugit in Lachis. [T.
] Miseruntque post eum in Lachis, et in-
nt eum ibi. Et asportaverunt in equis,
que est in Jerusalem cum patribus suis in
David. Tulit autem universus populus Judæ
annos natum sedecim, et constituerunt
em pro patre ejus Amasia. Ipse ædificavit
s. Achilam], et restituit eam Judæ, post-
rmivit rex cum patribus suis. [T. CLXXIII.]

A Anno quinto decimo Amasiæ filii Joas regis Juda, regnavit Jeroboam filius Joas regis Israel in Samaria, quadraginta et uno anno, et fecit quod malum est coram Domino [h. in oculis Domini]. Non recessit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. [T. CLXXIV.] Ipse restituit terminos Israel, ab introitu Emath, usque ad mare solitudinis, juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Jonam filium Amathi prophetam[2] [h. in manu servi sui Jonæ filii Amithai prophetæ], qui erat de Geth [h. de Geth Hepher], quæ [*ms.* qui] est in Opher. Vidit enim Dominus afflictionem Israel amaram nimis, et quod consumpti essent usque ad clausos carcere, et extremos, et non esset qui auxiliaretur Israeli [h. ad clausum et derelictum]. Nec locutus est Dominus,
B ut deleret nomen Israel sub cœlo : sed salvavit eos in manu Jeroboam filii Joas. Reliqua autem sermonum Jeroboam, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, qua præliatus est, et quomodo restituit Damascum et Emath Judæ in Israel, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel ? [T. CLXXV.] Dormivitque Jeroboam cum patribus suis regibus Israel, et regnavit Zacharias filius ejus pro eo.

[T. CLXXVI, *Cap.* XV.] Anno vicesimo septimo Jeroboam regis Israel, regnavit Azarias filius Amasiæ regis Juda. Sedecim annorum erat cum regnare cœpisset, et quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Jechelia [*ms.* Jecelia] de Jerusalem. Fecitque quod erat placitum coram Domino [h. in oculis Domini], juxta omnia
C quæ fecit Amasias pater ejus. Verumtamen excelsa non est demolitus [h. non sunt demolita] : adhuc populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis. Percussit [h. flagellavit] autem Dominus regem, et fuit leprosus usque in diem mortis suæ, et habitabat in domo libera seorsum : Joathan vero filius regis gubernabat palatium [h. domum], et judicabat populum terræ. Reliqua autem sermonum Azariæ, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda ? [T. CLXXVII.] Et dormivit Azarias cum patribus suis : sepelieruntque eum cum majoribus suis in civitate David, et regnavit Joatham filius ejus pro eo. Anno tricesimo octavo Azariæ regis Juda, regnavit Zacharias filius Jeroboam super Israel in
D Samaria sex mensibus, et fecit quod malum est coram Domino [h. in oculis Domini], sicut fecerant patres ejus : non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. Conjuravit [h. Re-

quoque multo auget numerum Veronens. *viginti quinque* annos pro *quindecim* Joæ Refragantur autem libri alii omnes Similis currit annorum exaggeratio, cujus ibi causestigamus.

הפבי *hannabi*, in Hebræo ambigua est, et otest ad Joam, vel ad Amathi patrem ejus. mss. codices Latini legunt, *filium Amathi* m. Emendator Canonis posuit in textu, *mathai propheta*, quod e Scholio sumptum manifestam arguit in versione Hieronymi corruptelam. Tradunt autem Hebræi Jonam esse filium viduæ Sarephtanæ, quem Elias propheta mortuum suscitavit. Id si verum est, Jonas non fuit filius prophetæ, nisi forte cum ad orationem Eliæ mortuus revixit. Consule procemium Comment. S. Hieronymi in Jonam, ubi totum hunc locum replicat secundum veterem Latinam interpretationem, quæ multum distat in verbis ab ea, quam Nobilius edidit cum textu Græco LXX Interpretum. MART.

bellavit) autem contra eum Sellum filius Jabes (T. CLXXVIII.) Percussitque eum palam (h. in Cablaam [1]), et interfecit, regnavitque pro eo. Reliqua autem verborum Zachariæ, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel? Ipse est sermo Domini, quem locutus est ad Jeu, dicens: Filii tui [2] usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Factumque est ita. Sellum filius Jabes regnavit tricesimo non anno Azariæ regis Juda: regnavit autem uno mense in Samaria. (T. CLXXIX.) Et Ascendit Manahem filius Gaddi de Thersa venitque Samariam, et percussit Sellum filium Jabes in Samaria, et interfecit eum, regnavitque pro eo. Reliqua autem verborum Sellum, et conjuratio (h. rebellio) ejus per quam tetendit (h. qua rebellavit) insidias, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum [3] dierum regnum Israel? Tunc percussit Manahem Thapsam (h. Thipsa), et omnes qui erant in ea, et terminos ejus de Thersa. Noluerant enim aperire ei [4]: et interfecit omnes prægnantes ejus, et scidit eas (h. et interfecit omnes, et prægnantes ejus scidit). Anno tricesimo nono Azariæ regis Juda, regnavit Manahem filius Gaddi super Israel decem annis Samaria. Fecitque quod erat malum coram Domino (h. in oculis Domini); non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel cunctis diebus ejus. Veniebat (h. Venit) Phul rex Assyriorum in Thersa (*Vuly.* terram), et dabat Manahem Phul mille talenta argenti, ut esset ei (*ms. tacet* ei) in auxilium, et firmaret regnum ejus (h. et firmaret regnum in manu ejus). Indixitque (*Vulg. add.* ei) Manahem argentum super Israel cunctis potentibus et divitibus, ut daret regi Assyriorum quinquaginta siclos argenti per singulos: reversusque est rex Assyriorum, et non est moratus in terra [5]. Reliqua autem sermonum Manahem, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel? (T. CLXXXI.) Et dormivit Manahem cum patribus suis: regnavitque Phaceia (h. Phaicia) filius ejus pro eo. Anno quinquagesimo Azariæ regis Juda, regnavit Phaceia filius Manahem super Israel in Samaria biennio, et fecit quod erat malum coram Domino (h. in oculis Domini): non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.

A T. CLXXXII.) Conjuravit (h. Rebellavit) autem adversus eum Phacee (h. Pheca) filius Romeliæ, dux ejus, et percussit eum in Samaria in turre domus regiæ, juxta Argob, et juxta Ari, et cum eo quinquaginta viros (h. viri) de filiis Galaaditarum, et interfecit eum, regnavitque pro eo. Reliqua autem sermonum Phaceia, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regnum Israel? Anno quinquagesimo secundo Azariæ regis Juda, regnavit Phacee filius Romeliæ super Israel in Samaria viginti annis. Et fecit quod malum erat coram Domino (h. in oculis Domini): non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. In diebus Phacee regis Israel venit Theglath-Phalasar rex Assur, et cepit Aion, et B Abel-Domum-Maacha, et Janoe, et Cedes, et Asor, et Galaad, et Galilæam, universam terram Nephthali (*ms.* Nephthalim), et transtulit eos in Assyrios. (T. CLXXXIII.) Conjuravit autem, et tetendit insidias Osee filius Ela (h. Rebellavit autem Osee filius Ela) contra Phacee filium Romeliæ, et percussit eum, et interfecit: regnavitque pro eo vicesimo anno Joatham filii Oziæ [6]. Reliqua autem sermonum Phacee, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt (h. ecce scripta sunt) in libro Sermonum dierum regum Israel? (T. CLXXXIV.) Anno secundo Phacee, filii Romeliæ regis Israel, regnavit Joatham filius Oziæ regis Juda. Viginti quinque annorum (h. filius XXV annorum) erat cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jerusa, filia Sadoc. Fecitque quod erat C placitum coram Domino (h. in oculis Domini): juxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, operatus est. Verumtamen excelsa non abstulit (h. non sunt ablata): adhuc populus immolabat, et adolebat incensum in excelsis; ipse ædificavit portam domus Domini sublimissimam. Reliqua autem sermonum Joatham, et *universa* (h. non habet), quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda? In diebus illis cœpit Dominus mittere in Judam Rasin regem Syriæ, et Phacee filium Romeliæ. (T. CLXXXV.) Et dormivit Joatham cum patribus suis, sepultusque est cum eis in civitate David patris sui, et regnavit Ahaz filius ejus pro eo.

— Longius a veritate aberat scholiastes, et qui ejus vestigia sequitur, Canonis, ut Martianæus vocat, emendator. Hinc non Amathi, sed Jonas propheta celeberrimus designatur, filius Amathi e Galilæa, de tribu Zabulon, urbe Geth Opher. Si nulla de Jeroboami victoriis vaticinia in ejus prophetia memoratur, par quoque est credere, non omnia quæ scripsit, ad nos devenisse.

[1] Hebræus non habet *in Cablaam* cum præpositione; sed hoc modo, ויכהוקבל עם, *vaiiakkehu cabal am*, id est, *Et percussit eum coram populo*, sive *valam*, ut optime vertit Hieronymus, et cum eo Chaldæus, Syrus, et Arabs. Septuaginta, καὶ ἐπάταξαν αὐτὸν Κεολαὰμ *et percusserunt eum Ceblaam*. Id ansam errandi præbuit scholiasti Canonis, qui putavit Zachariam regem Israel percussum fuisse D in loco quem *Cablaam* appellabant: *Cabalaam* autem apud Hebræos idem est quod, *spectante populo, coram populo*, etc. MART.

[2] Verius cum Hebræo exemplari tacet Veronens. ms *tui*. Mox plus habet, *sedebunt de te super*, etc., ubi rursus, Hebræum pressius refert, in quo additum est לך, *tibi*, sive *de te*.

[3] Denuo rectius Veronens. ms. *verborum* habet pro *sermonum*. Vide quæ superius adnotamus.

[4] Juxta Hebr. tacet Veronens. ms. hic *ei*. Non ita quod mox *ejus* prætermittit.

[5] Idem ms. *in Thersa*: male ex scioli descriptoris arbitrio.

[6] Sequior manus in Veronens. ms. ad Græcum exemplar hic atque infra pro *Oziæ* rescripsit *Azariæ*.

XVI.) Anno decimo septimo Phacee filii A Domini: posuitque illud ex latere altaris ad Aquilonem (h. Porro altare æneum, quod erat coram Domino inter altare et Domum Domini, transtulit de facie domus: et posuit ex latere altaris ad Aquilonem (T. CLXXXVIII.) Præcepit quoque rex Ahaz Uriæ sacerdoti, dicens: Super altare majus offer holocaustum matutinum, et sacrificium vespertinum, et holocaustum regis, et sacrificium ejus, et holocaustum universi populi terræ, et sacrificia eorum, et libamina eorum, et omnem sanguinem holocausti, et universum sanguinem victimæ super illud effundes: altare vero æreum erit paratum ad voluntatem meam. Fecit igitur Urias sacerdos juxta omnia, quæ præceperat rex Ahaz. Tulit (h. *abscidit*) autem rex Ahaz cælatas bases, et luterem, qui erat desuper, et mare deposuit de bobus æreis, qui sustentabant illud, et posuit super pavimentum stratum lapide. Musach quoque sabbati, quod ædificaverat [3] in templo, et ingressum regis exterius, convertit in templum (h. domum) Domini, propter regem Assyriorum. (T. CLXXXIX.) Reliqua autem verborum Ahaz, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Juda? Dormivitque Ahaz cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David, et regnavit Ezechias filius ejus pro eo.

(T. CXC, *Cap.* XVII.) Anno duodecimo Ahaz regis Juda regnavit Osee filius Ela in Samaria super Israel novem annis. Fecitque malum coram Domino (h. in oculis Domini); sed non sicut reges Israel qui ante eum fuerant. Contra hunc ascendit Salmanasar rex Assyriorum, et factus est ei Osee servus, reddebatque illi tributa (h. munera). Cumque deprehendisset rex Assyriorum Osee, quod rebellare nitens misisset nuntios ad Sua [4] (h. ad Zo) regem Ægypti, ne præstaret tributa [5] (h. munera) regi Assyriorum, sicut singulis annis solitus erat, obsedit eum, et vinctum misit in carcerem. Pervagatusque est omnem terram, et ascendens Samariam, obsedit eum tribus annis. Anno autem nono Osee, cepit rex Assyriorum Samariam, et transtulit Israel in Assyrios: posuitque eos in Hala, et in Habor juxta fluvium (h. flumine) Gosan, in civitatibus Medorum. (T. CXCI.) Factum est autem, cum peccassent filii Israel Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, colue-

, regnavit Ahaz filius Joatham regis Juda.
s) Viginti annorum erat Ahaz cum regnare
, et sedecim annis regnavit in Jerusalem:
t quod erat placitum in conspectu Domini
culis Domini) Dei (*Vulg add.* sui), sicut
ter ejus. Sed ambulavit in via regum Israel.
XXVI.) Insuper et filium suum consecravit,
ns per ignem secundum idola (h. abomi-
) gentium, quæ dissipavit Dominus coram
el. Immolabat quoque victimas, et adole-
sum in excelsis, et in collibus, et sub omni
ndoso. Tunc ascendit Rasin rex Syriæ,
e filius Romeliæ rex Israel, in Jerusalem
iandum. Cumque obsiderent Ahaz, non
t superare eum. In tempore illo restituit B
x Syriæ, Ailam (h. Eleth) Syriæ, et ejecit [1]
de Aila, et Idumæi et Syri [2] venerunt in
et habitaverunt ibi usque in diem hanc.
tem Ahaz nuntios ad Theglath-Phalasar
ssyriorum (*ms.* Syriorum), dicens: Servus
filius tuus ego sum, ascende, et salvum
de manu regis Syriæ, et de manu regis
ui consurrexerunt adversum me. Et cum
et (h. Et tulit) Ahaz (*Vulg. tac.* Ahaz) ar-
et aurum, quod invenire potuit in domo
et in thesauris regis, misit (h. et in the-
omus regis, et misit) regi Assyriorum mu-
ui et acquievit voluntati ejus: ascendit
x Assyriorum in Damascum, et vastavit
transtulit habitatores ejus Cyrenen (h.
Rasin autem interfecit. Perrexitque Ahaz C
rsum Theglath-Phalasar regi (*ms.* regis)
rum in Damascum. Cumque vidisset altare
i, misit rex Ahaz ad Uriam sacerdotem
ar ejus, et similitudinem juxta omne opus
. CLXXXVII.) Exstruxitque Urias sacerdos
juxta omnia quæ præceperat rex Ahaz de
o, ita fecit Urias sacerdos, donec veniret
az de Damasco. Cumque venisset rex de
o, vidit altare, et veneratus est illud, ascen-
et immolavit holocausta, et sacrificium
t libavit libamina, et fudit sanguinem paci-
, quæ obtulerat super altare. Porro altare
quod erat coram Domino, transtulit de
mpli, et de loco altaris, et de loco templi

onens. ms. *dejecit*, quod malim *disjecit* D
habet Veronens. ms. *et Syri*, quem popu-
dum Hebræus textus, sed et reliqui libri
hic prætermittunt. Variantem hanc esse
m Hebræi archetypi notat Lucas Brugensis,
litudine ortam litterarum ד, et ר: unde
scribunt hic loci אדומים, *Haromim*, legunt
אדום, *Hadomim*. Nam istud quidem voca-
Idumæos significat: illud vero Syros deno-
unque potest; quanquam Syrus ארם sine
ermedio scribi soleat. At vero utramque
terpretationem Hieronymo fuisse probatam,
verosimile, estque adeo nostri cum primis
danda castitas, qui eam glossatoris additio-

tionem respuit.

[3] Plurium numero cum Hebræo textu ms. Veronens, *ædificaverant*

[4] Scholiastes Canonis legit hic suo more ס *Samech*, per *z*, quod nuspiam reperies apud Hieronymum, qui litteram *Samech* per *s* semper pronuntiari voluit: unde habet *sua* pro Hebræo סוא, quod scholiastes corrupte legit *zo*. Latinus interpres Chaldaicæ paraphraseos corruptam scholiastis nostri imitatur pronuntiationem; scribit enim *zzo*, pro סוא Chaldaico. LXX in aliquot exemplaribus *Segor*, in Alexandrino *Soa* transtulerunt. Syrus *Sou* aut *Sau*, Arabs *Saou* habet. MART.

[5] Hic vero minori numero Hebræus atque ms. Veronens. habent *tributum*.

runt (h. timuerunt) deos alienos. Et ambulaverunt juxta ritum, gentium, quas con sumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel, et regum Israel; q uia similiter fecerant. Et operuerunt [1] filii Israel verbis non rectis Dominum Deum suum, et ædificaverunt sibi exelsa in cunctis urbibus suis, a turre Custodum usque ad civitatem Munitam. Feceruntque sibi statuas (h. titulos), et lucos in omni colle sublimi, et subter omne lignum nemorosum, et adolebant ibi incensum super aras (h. excelsa) in morem genitium, quas transtulerat Dominus a facie eorum : feceruntque verba [2] pessima irritantes Dominum. Et coluerunt immunditias, de quibus præceperat (*ms.* præcepit) Dominus eis, ne facerent verbum hoc. Et testificatus est Dominus in Israel et Juda, per manum omnium prophetarum et videntium, dicens : Revertimini a viis vestris pessimis, et custodite præcepta mea, et cæremonias, juxta omnem legem, quam præcepi patribus vestris, et sicut misi ad vos in manu servorum meorum prophetarum. Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire (h. *non crediderunt*) Domino Deo suo. Et abjecerunt legitima ejus, et pactum, quod pepegit cum patribus eorum, et testificationes, quibus testificatus (*ms.* contestatus) est eos ; secutique sunt vanitates (h. *vanitatem*), et vane egerunt, et secuti sunt gentes, quæ erant per circuitum eorum, super quibus præceperat Dominus eis, ut non facerent sicut et illæ faciebant. Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei sui ; feceruntque sibi conflatiles duos vitulos, et lucos, et adoraverunt universam militiam cœli; servieruntque Baal, et consecrabant (*ms. add.* ei) filios suos, et filias suas, per ignem, et divinationibus inserviebant et auguriis, et tradiderunt se, ut facerent malum coram Domino (h. vendiderunt *se* ut facerent malum in oculis Domini), ut irritarent (*ms.* irritaverunt) eum. Iratusque est Dominus vehementer Israeli, et abstulit eos de conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda tantummodo. Sed nec ipse Juda custodivit mandata Domini Dei sui : verum ambulavit in erroribus Israel, quod operatus fuerat. Projecitque Dominus omne semen Israel, et afflixit eos, et tradidit in manu diripientium, donec projiceret eos a facie sua ; ex eo jam tempore, quo scissus est Israel a domo David, et constituerunt sibi regem Jeroboam filium Nabat : separavit enim Jeroboam Israel a Domino, et peccare eos fecit peccatum magnum. Et ambulaverunt filii Israel in universis peccatis Jeroboam quæ fecerat ; non recesserunt a beis, usquequo auferret Dominus Israel a facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium servorum suorum prophetarum : translatusque est Israel de terra sua in Assyrios, usque in diem hanc.

A (T. CXCII.) Adduxit autem rex Assyriorum de Babylona, et de Cutha, et de Ava [*ms.* Havath,] et de Emath, et de Sepharvaim, et collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel : qui possederunt Samariam, et habitaverunt in urbibus ejus. Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum, et immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos. Nuntiatumque est regi Assyriorum, et dictum : Gentes, quas transtulisti, et habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorabant legitima Dei terræ, et immisit in eos *Dominus* (h. non habet) leones, et ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum. Dei terræ. Præcepit autem rex Assyriorum, dicens : Ducite illuc unum de sacerdotibus, quos inde captivos adduxistis, et vadat, et habitet cum eis, et B docceat eos legitima Dei terræ. Igitur cum venisset unus de sacerdotibus his, qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitavit in Beth El, et docebat eos quomodo colerent Dominum. Et unaquæque gens fabricata est Deum suum : posueruntque eos in fanis excelsis, quæ fecerant Samaritæ, gens et gens in urbibus suis, in quibus habitabant. Viri enim Babylonii fecerunt Sochoth-Benoth ; viri autem Chutæi (*ms.* Chuteni) fecerunt Nergel, et viri de Emath fecerunt Asima. Porro Avæi (*ms.* Evei fecerunt Nebaaz et Tarthac (*ms.* Therthach). Ii autem qui erant de Sepharvaim comburebant filios suos igni. Adramelech et Adamelech diis Sepharvaim ; et nihilominus colebant Dominum. Fecerunt sibi de novissimis sacerdotes excelsorum, et ponebant eos in fanis (*ms.* finibus] sublimibus. Et cum Do- C minum colerent, diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam : usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum. [T. CXCIII.] Non timent dominum, neque custodiunt cæremonias ejus, judicia, et legem, et mandatum, quod præceperat Dominus filiis Jacob, quem cognominavit Israel, et percusserat cum eis pactum, et mandaverat eis, dicens : Nolite timere deos alienos, et non adoretis eos, neque colatis eos [*ms. tac-* eos], et non immoletis eis : sed Dominum *Deum vestrum* [h. non habet]. qui eduxit vos de terra Ægypti in fortudine magna, et in brachio extento : ipsum timete, et illum adorate, et ipsi immolate. Cæremonias quoque et judicia, et legem, et mandatum, quod scripsit D vobis, custodite, ut faciatis cunctis diebus, et non timeatis deos alienos. Et pactum quod percussit [3] vobiscum, nolite oblivisci : nec colatis deos alienos, sed Dominum Deum vestrum timete [h. et non timeatis deos alienos, sed Dominum Deum vestrum timete], et ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum. Illi vero non audierunt ; sed juxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant. Fue-

[1] Ita Canon Hebr. veritatis et ms. codex Colbertinus Aniciensis, nec non perantiquus S. Germani a Patris num. 3. et si ab imperito emendatore corruptus legatur. Cæteri legunt *offenderunt*, vel *irritaverunt*, cum tamen in Hebr. scriptum sit וַיִּתְּצֵאוּ, quod *operuerunt* et *occultaverunt* significat. MART.

[2] Tacet idem ms. *verba*.

[3] In Veronens. ms., prima persona est, *Percussi*, quemadmodum et in Hebræo, כָּרַתִּי.

turgentes istæ timentes quidem Dominum, A pertum fuerat in domo Domini, et in thesauris regis
ilominus et idolis suis servientes [*ms* ser-
]: nam et filii eorum, et nepotes, sicut fe-
patres [*ms.*] parentes] sui, ita faciunt usque
sentem diem.

XCIV, *Cap.* XVIII.] Anno tertio Osee filii
is Israel, regnavit Ezechias filius Ahaz regis
igiuti [h. Filius xxv] quinque annorum erat
gnare cœpisset, et viginti novem annis re-
n Jerusalem: nomen matris ejus Abi filia Za.
Fecitque quod erat bonum coram Domino,
ulis Domini], juxta omnia quæ fecerat David
jus [*ms*] suus]. T.[CXCV,] Ipse dissipavit
, et contrivit statuas (h. titulos), et succidit
nfregitque serpentem æneum [*ms.* æreum],
ecerat Moses: siquidem usque ad illud tem- B
i Israel adolebant ei incensum: vocavitque
ejus Naasthan [5]. In Domino Deo Israel spe-
taque post eum non fuit similis ei de cunctis
Juda, sed neque in his qui ante eum fuerunt,
sit Domino, et non recessit a vestigiis ejus:
[h. custodivitque] mandata ejus, quæ præ-
Dominus Mosi. Unde et erat Dominus cum
i cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se
. Rebellavit quoque contra regem Assyrio-
non servivit ei. Ipse percussit Philisthæos
azam, et omnes terminos eorum, a turre
im usque ad civitatem munitam [*ms.* mura-
nno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus
s Osee filii regis Israel, ascendit Salma-
x Assyriorum in [*ms. tacet* in Samariam,
gnavit eam, et cepit. Nam post annos tres, C
xto Ezechiæ, id est nono anno, [*ms. tacet*
see regis Israel, capta est Samaria, et trans-
t Assyriorum Israel in Assyrios, collocavit-
in Hala et in Habor fluviis Gozan [*ms.* Ga-
civitatibus [h. et in civitatibus] Medorum:
n audierunt vocem Domini Dei sui, sed præ-
i sunt pactum ejus: omnia quæ præceperat
ervus Domini, non audierunt, neque fece-
[7. CXCVI.] Anno quarto decimo regis Eze-
scendit Sennacherib [8] rex Assyriorum ad
as civitates Juda munitas, et cepit eas. Tunc
nunc misit Ezechias rex Juda, nuntios ad
Assyriorum in [*ms. tac.* in Lachis, dicens:
, recede a me, et omne, quod imposueris
eram. Indixit itaque rex Assyriorum Ezechiæ D
læ trecenta talenta argenti, et triginta talenta
editque Ezechias omne argentum quod re-

(h. et in thesauris domus regis). In tempore illo confregit Ezechias valvas templi Domini, et laminas *auri* (h. no habet), quas ipse affixerat, et dedit eas regi Assyriorum. Misit Autem rex Assyriorum Tharthan, et Rabaris, et Rabscacen (*ms.* Rabsachen) de Lachis ad regem Ezechiam, cum manu valida, Jerusalem; qui cum ascendissent, venerunt Jerusalem, et steterunt juxta aquæductum piscinæ superioris, quæ est in via Agri fullonis. Vocaverunt que regem: egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciæ præpositus domus, et Sobna scriba, et Joahe [6] filius Asaph a commentariis. Dixitque ad eos Rabsaces: Loquimini Ezechiæ: Hæc dixit rex magnus, rex Assyriorum: quæ est ista fiducia qua niteris? Forsitan inisti consilium, ut præpares te ad prælium. In quo confidis, ut audeas rebellare? an speras (h. In quo confidisti, ut ausus fuisses rebellare mihi? sperasti) in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem, si incuberit homo, comminutus ingredietur (*Vulg.* ingreditur) manum ejus, et perforabit eam? sic est Pharao rex Ægypti omnibus qui confidunt in eo (*ms et Vulg.* se). Quod si dixeritis mihi: In Domino Deo nostro habemus fiduciam, nonne iste est cujus abstulit Ezechias excelsa et altaria, et præcepit Judæ et Jerusalem: Ante altare hoc adorabitis in Jerusalem? Nunc igitur transite ad dominum meum regem Assyriorum, et dabo vobis duo millia equorum et videte an habere valeatis ascensores eorum. Et quomodo potestis resistere ante unum satrapam (h. uni satrapæ) de servis domini mei minimis? An fiduciam habes in Ægypto propter currus et equites? Nunquid sine Domini voluntate ascendi ad locum istum, ut demoliar (*ms. et Vulg.* demolirer) eum? Dominus dixit mihi: Ascende ad terram hanc, et demolire eam. Dixerunt autem, Eliacim filius Helciæ, et Sobna (h. Sebna, et Joahe, Rabsaci: Precamur ut loquaris nobis servis tuis Syriace: siquidem intelligimus hanc linguam, et non loquaris nobis Judaice, audiente populo, qui est super murum. Responditque eis Rabsaces: Nunquid ad dominum tuum, et ad te misit me dominus meus, ut loquerer sermones hos, et non potius [9] ad viros, qui sedent super murum, ut comedant stercora sua, et bibant urinam suam vobiscum? Stetitque itaque Rabsaces, et clamavit voce magna Judaice, et ait: Audite verba regis magni, regis Assyriorum. hæc dicit rex: Non vos

m ms. *Quod erat placitum in conspectu Do-*

non emendatus juxta punctationem Massore-
scriptum habet *Nehustan*, differtque solum-
ma vocali ab hodierno *Nehustan*, ubi Masco-
legunt *sheva* sub littera ן *Nun*: cum scho-
, aut emendator Canonis *Patahh*, vel *Camets*
. Cæteri mss. codices *Naasthan* retinent, ut
lidimus. In libro *Nominum Hebraicorum*
m reperimus quod favet lectioni Vulgatæ
, *Noesthan*. MART.

— Verissime habet idem ms. *vocavitque eum* pro *nomen ejus*. Nempe est in Hebræo quoque archetypo לו, hi non שמו.

[8] Non dissimulamus, juxta Græcos codices veronens. mss., hic legere *Sennacherim*, quod tamen culpæ librario damus.

Pro *Ioahe*, Canon emendatus *Ioah* nunc habet. MART.

[9] Adverbium *potius* ad Hebræi exemplaris normam tacet et Veronens. ms.

seducat Ezechias : quis enim poterit eruere vos de manu mea. Neque fiduciam vobis tribuat super Domino, dicens : Eruens liberabit nos Dominus, et non tradetur civitas hæc in manu regis Assyriorum. Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit rex Assyriorum : Facite mecum quod vobis est utile et egredimini ad me,et comedet unusquisque de vinea sua, et de ficu sua, et bibetis aquas de cisternis vestris : donec veniam,et transferam vos in terram quæ similis terræ vestræ est, in terram fructiferam, et fertilem vini, terram panis et vinearum, terram olivarum, et olei ac mellis : et vivetis, et non moriemini. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens : Dominus liberabit nos. Nunquid liberaverunt dii gentium terram suam de manu regis Assyriorum ? Ubi est Deus Emath, et Arphad ? ubi est [*ms. tacet* est] Deus Sepharvaim, Ana et Ava [1] ? nunquid liberaverunt Samariam de manu mea [2] ? Quinam illi sunt in universis diis terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit eruere Dominus Jerusalem de manu mea ? Tacuit itaque populus, et non respondit ei quidquam : siquidem præceptum regis acceperant, ut non responderent ei. Venitque Eliacim [*ms.* Eliachim] filius Helciæ,præpositus domus,et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph a commentariis, ad Ezechiam, scissis vestibus, et nuntiaverunt ei verba Rabsacis.

[C. CXCVII, *Cap.* XIX]. Quæ cum audisset Ezechias rex [*ms. tac.* rex], scidit vestimenta sua, et opertus est sacco,ingressusque est domum Domini. Et misit Eliacim præpositum domus, et Sobnam scribam, et senes de sacerdotibus, opertos saccis, ad Isaiam prophetam filium Amos. Qui dixerunt : Hæc dicit Ezechias : Dies tribulationis, et increpationis, et blasphemiæ, dies iste ; venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens. Si forte audiat Dominus Deus tuus universa verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus, ut exprobraret Deum viventem, et argueret verbis quæ audivit Dominus Deus [*ms. tac.* Deus] tuus, et fac [h. leva] orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt : Venerunt ergo servi regis Ezechiæ ad Isaiam. [T. CXCVIII]. Dixitque eis Isaias : Hæc dicetis domino vestro : Hæc dicit Dominus : Noli timere a facie sermonum, quos audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me. Ecce, ego immittam [h. dabo] ei spiritum, et audite nuntium, et revertetur in terram suam, et dejiciam eum gladio in terra sua. [T. CXCIX]. Reversus est igitur Rabsaces, et invenit regem Assyriorum expugnantem Lobnam [h. Libna] : audierat enim quod recessisset de Lachis. Cumque audisset de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes : Ecce, egressus est ut pugnet adversum te : et iret contra eum, misit nuntios [h. reversus misit nuntios] ad Ezechiam, dicens : Hæc dicite Ezechiæ regi Juda : Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam : neque dicas : Non tradetur Jerusalem in manus regis Assyriorum. Tu enim ipse audisti quæ fecerunt [*ms.* fecerint] reges Assyriorum universis terris, quomodo vastaverunt eas : num ergo solus poteris liberari ? Nunquid liberaverunt dii gentium singulos, quos vastaverunt patres mei,Gozan videlicet, et Aran, et Reseph, et filios Eden, qui erant in Thelassar [*ms.* Thalassar]. Ubi est rex Emath, et rex Arphad, et rex civitatis Sepharvaim, Ana et Ava ? Itaque cum accepisset Ezechias litteras [h. libros] de manu nuntiorum, et legisset eas, ascendit in domum Domini, et expandit eas coram Domino et oravit in conspectu ejus, dicens : Domine Deus Israel, qui sedes super cherubim, tu es Deus solus regum omnium terræ : tu fecisti cœlum et terram. Inclina aurem tuam, et audi : aperi, Domine [*ms. tac.* Domine], oculos tuos, et vide, et audi omnia verba Sennacherib, qui misit ut exprobraret *nobis* [h. non habet] Deum viventem. Vere, Domine, dissipaverunt reges Assyriorum gentes, et terras omnium. Et miserunt [h. dederunt] deos eorum in igne : non enim erant dii,sed opera manuum hominum ex ligno et lapide, et perdiderunt eos. Nunc igitur, Domine Deus noster, salvos nos fac de manu ejus,ut sciant omnia regna terræ quia tu es Dominus Deus solus. [T. CC]. Misit autem Isaias filius Amos et Ezechiam, dicens : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum,audivi. Iste est sermo quem locutus est Dominus de eo : Sprevit te, et subsannavit te [*ms. tac.* te], virgo filia Sion : post tergum tuum caput movit, filia Jerusalem. Cui exprobrasti, et quem blasphemasti ? contra quem exaltasti vocem [*Vulg. add.* tuam], et elevasti in excelsum oculos tuos ? contra Sanctum Israel. Per manum servorum tuorum exprobrasti Domino, et dixisti : In multitudine curruum meorum, ascendi [h. ego ascendi] excelsa montium in summitate Libani, et succidi [h. *latere Libani* et succidam [sublimes cedros ejus, et electas abietes illius. Et ingressus sum usque ad terminos ejus [h. Et ingrediar habitaculum termini ejus], et [*ms. tac.* et] saltum Charmeli ejus ego succidi [3] [h. fodi]. Et bibi aquas alienas, et siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas. Nunquid non audisti quid ab initio fecerim ? Ex diebus antiquis plasmavi illud;et nunc adduxi : eruntque in ruinam collium pugnantium civitates munitæ. Et qui sedent in eis, humiles manu, contremuerunt et confusi sunt, facti sunt quasi fenum agri, et virens herba tectorum, quæ arefacta est antequam veniret ad

[1] *Hena et Hiva ?* Hoc modo posuit in Canone manus emendatoris : capite vero sequenti vers. 33, *Hena et Heva ?* MART.

[2] Hebræo בידי pressius idem ms. *in manu.*

[3] Hic absolutum habet sensum præsens versiculus non solum in Canone, sed apud omnes alios etiam interpretes, qui versiculi sequentis ita ducunt initium : *Ego fodi, et bibi*, vel, *ego siccavi, et bibi*,etc Consule Polyglotta, si vacas. MART.

ritatem. Habitaculum tuum, et egressum
, et introitum tuum, *et viam tuam*[1] (h. non
) ego præscivi et furorem tuum, contra me.
isti (h. Eo quod insanisti) in me, et superbia
scendit in aures meas; ponam *itaque*. (h. non
, circulum in naribus tuis, et camum (h.
m) in labiis (*ms.* labris) tuis, et reducam te
m per quam venisti. Tibi autem, *Ezechia*
on habet), hoc erit signum : Comede hoc
quod reperis ; in secundo autem anno, quæ
e nascuntur (*ms.* nascentur) : porro in anno
seminate et metite (h. Comede hoc anno quæ
e nascuntur,et in anno secundo pomis vescere:
10 autem tertio seminate et metite) : plantate
s, et comedite fructum earum. Et quodcun-
eliquum fuerit de domo Juda, mitet radicem
um, et faciet fructum sursum. De Jerusalem
e egredientur reliquiæ, et quod salvetur de
e Sion : zelus Domini exercituum faciet hoc.
obrem hæc dicitDominus de regeAssyriorum:
ngredietur urbem hanc, nec mittet in eam
am, nec occupabit eam clypeus, nec circum-
eam munitio. Per viam, qua venit, revertetur,
itatem hanc non ingredietur, dicit Dominus.
gamque urbem hanc, et salvabo eam propter
t propter David servum meum. Factum est
in nocte illa venit angelus Domini, et per-
in castris Assyriorum centum octoginta
ue millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit
i corpora mortuorum (h. diluculo surrexis-
ecce omnes corpora mortuorum, et recedens
et reversus est Sennacherib rex Assyriorum,
nsit in Ninive. Cumque adoraret in templo
mo) Nesroch (*ms.* Neserath) deum suum,
amech (*ms.* Adarmelech) et Sarazar filii ejus
sserunt eum gladio, fugeruntque in terram
niorum, et regnavit Esaraddon (*ms.* Aserad-
ilius ejus pro eo.

CCI, *Cap.* XX.) In diebus illis ægrotavit Eze-
usque ad mortem, et venit ad eum Isaias
Amos, propheta, dixitque ei : Hæc dicit Do-
s (*ms. et Vulg. add. Deus*) : Præcipe domui
norieris enim tu (*ms. tac.* tu), et non vives.
onvertit faciem suam ad parietem, et oravit
num, dicens : Obsecro, Domine, memento
. *add.* quæso) quomodo ambulaverim coram
veritate, et in corde perfecto, et quod placi-
st coram te (h. in oculis tuis) fecerim. Flevit
s Ezechias fletu magno (T. CCII.) Et antequam
eretur Isaias mediam partem atrii, factus est
s Domini ad eum, dicens : Revertere, et dic
iæ duci populi mei : Hæc dicit Dominus Deus

A David patris tui : Audivi orationem tuam, vidi-
lacrymas tuas[2] : et ecce sanavi te,die tertio ascen-
des templum (h. domum) Domini. Et addam diebus
tuis quindecim annos : sed et de manu regis Assy-
riorum liberabo te, et civitatem hanc, et protegam
urbem istam propter me, et propter David servum
meum. Dixit Isaias : Afferte massam ficorum.Quam
cum attulissent, et posuissent super ulcus ejus,
curatus est. Dixerat (h. Dixit) autem Ezechias ad
Isaiam : Quod erit signum, quia Dominus me
sanabit,et quia ascensurus sum die tertia (*ms. add.*
in templum (h. domum) Domini? Cui ait Isaias :
Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Do-
minus sermonem quem locutus est : Vis ut ascen-
dat (*ms.*accedat) umbra decem lineis (h. gradibus).
B an ut revertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias :
Facile est, umbram crescere decem lineis (h.
gradibus) : nec hoc volo, ut fiat, sed ut rever-
tatur retrorsum decem gradibus. Invocavit itaque
Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram per
lineas (h. gradus), quibus jam descenderat in
horologio (h. gradibus), Ahaz, retrorsum decem
gradibus. (T.CCIII.) In tempore illo misit Berodach
Baladan (*ms. tac.* Baladan), filius Baladan, rex
Babyloniorum, litteras (h. libros) et munera ad
Ezechiam : audierat enim quod ægrotasset Ezechias.
Lætatus est autem in adventu eorum Ezechias,
et ostendit (h. audito autem adventu eorum.
Ezechias ostendit) eis domum aromatum, et
aurum et argentum, et pigmenta *varia* (h. non
habet), unguenta quoque (h. unguentum quoque
C optimum), et domum vasorum suorum, et omnia
quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit
quidquam (*ms.tac.*quidquam) quod non monstraret
eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate
sua. Venit autem Isaias propheta ad regem Eze-
chiam, dixitque ei : Quid dixerunt viri isti ? aut
unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias : De terra
longinqua venerunt (*Vulg. add.* ad me), de Babylo-
ne. At ille respondit : Quid viderunt in domo tua?
Ait Ezechias : Omnia quæ sunt in domo mea, vi-
derunt : nihil est quod non monstraverim eis in
thesauris meis. (T. CCIV.) Dixit itaque Isaias
Ezechiæ : Audi sermonem Domini : Ecce dies ve-
nient, et auferentur omnia quæ sunt in domo tua,
et quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc[3]
D in Babylonem : non remanebit quidquam, ait Do-
minus. Sed et de filiis tuis qui egredientur ex te,
quos generabis, tollent (*ms. et Vulg.* tollentur) et
erunt eunuchi in palatio (h. templo) regis Baby-
lonis. Dixitque Ezechias ad Isaiam : Bonus sermo
Domini, quem locutus es : sit pax et veritas in

lterutra ex his lectionibus, *introitum tuum* et *tuam*, abundat, estque librariorum culpa ex ibri in textum importata. Scholiastes postre- respuit : priorem Veronens. ms. tacet. Suo ue sensu bene : ex hoc autem ipso liquet, sequiorum glossatorum manus minime per- m esse, puramque additamentorum versio- xibere Hieronymianam, ad Hebræum exem-

plar expressam ; quod tria hæc tantum memorat, sedere, egredi, atque ingredi. Porro *viam tuam* satis bene Hebræum ובאך interpretatur.

[2] Contentiosus ad Hebr. verbum minoris numeri Veronens. ms. *lacrymam tuam*.

[3] Tacet Veronens. ms. verba *usque in diem hanc*, quæ tamen libri alii omnes habent.

diebus meis, Reliqua autem sermonum Ezechiæ, et omnis fortitudo ejus et quomodo fecerit piscinam, et aquæ ductum,et introduxerit aquas in civitatem, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Juda? (T. CCV.) Dormivitque Ezechias cum patribus suis, et regnavit Manasses filius ejus pro eo.

(*Cap.*XXI.)Duodecim annorum eratManasses cum regnare cœpisset, et quinquaginta quinque annis regnavitin Jerusalem : nomen matris ejus Aphsiba (*ms.* Absiba). Fecitque malum in conspectu Domini (h. in oculis Domini).juxta idola (h. abominationes) gentium, quas delevit Dominus a facie filiorum Israel. Conversusque est, et ædificavit excelsa, quæ dissipaverat (*ms.* dissipavit) Ezechias pater ejus, et erexit aras Baal, et fecit lucos (h. lucum) sicut fecerat Ahab rex Israel, et adoravit omnem militiam cœli, et coluit eam. Exstruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus : In Jerusalem ponam nomen meum. Et exstruxit altaria univeræ militiæ cœli in duobus atriis templi (h. domus) Domini, Et transduxit filium suum per ignem, et ariolatus est, et observavit auguria, et fecit pythones, et aruspices multiplicavit, ut faceret malum coram Domino (h. in oculis, Domini et irritaret eum. Posuit quoque idolum luci, quem fecerat in templo (h. domo) *Domini* (h. non habet) super quod locutus est[1] Dominus ad David, et ad Salomonem filium ejus : in templo hoc (h. in domo hac), et in Jerusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum. Et ultra non faciam comoveri pedem Israel de terra quam dedi patribus eorum, sic tamen si custodierint[2] opere (*Vulg.* opera) omnia quæ præcepi eis, et universam legem, quam mandavit eis servus meus Moses. Illi vero non audierunt : sed seducti sunt a Manasse, ut faccrent malum super gentes, quas contrivit Dominus a facie filiorum Israel. Locutusque est Dominus in manu servorum suorum prophetarum, dicens : Quia fecit Manasses rex Juda abominationes istas pessimas, super omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, et peccare fecit etiam Judam in immunditiis suis. (T. CCVI.) Propterea hæc dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego inducam mala (*ms.* malum) super Jerusalem et Judam : ut quicunque audierit, tinniant ambæ aures ejus. Et extendam super Jerusalem funiculum Samariæ, et pondus domus Ahab, et delebo Jerusalem, sicut deleri solent tabulæ[3] (h. solet ampulla); delens vertam, *et ducam crebius stylum* (h. non habet) super faciem ejus. Dimittam vero reliquias hæreditatis meæ, et tradam eas in manus (*ms.* manu) inimicorum ejus eruntque in vastitatem. et in rapinam cunctis adversariis suis: in eo quod fecerint malum coram me (h. in occulis meis) et perseveraverint irritantes me, ex die qua egressi sunt patres eorum ex Ægypto, usque ad diem hanc. Insuper et sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis donec impleret Jerusalem usque ad os : absque peccatis suis (h. peccato suo), quibus peccare fecit Judam, ut faceret malum coram Domino (h. in oculis Domini). Reliqua autem sermonum Manasse, et universa quæ fecit, et peccatum ejus quod peccavit,nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Juda? Juda? (T. CCVII.) Dormivitque Manasses cum patribus suis, et sepultus est in horto domus suæ, in horto Aza[4] (*ms. et Vulg.* Oza), et regnavit Amon filius ejus pro eo. Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset : duobus quoque annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Messalemeth (h. Messelemeth) filia Harus de Jetaba. Fecitque malum in conspectu Domini (h. in oculis Domini), sicut fecerat Manasses pater ejus. Et ambulavit in omni via per quam ambulaverat pater ejus : servivitque immunditiis (h. sordibus) quibus servierat pater ejus et adoravit eas, et dereliquit Dominum Deum patrum suorum, et non ambulavit in via Domini. (T. CCVIII.) Tetenderuntque ei (*ms. tacet* ei) insidias servi sui (h. Rebellaveruntque ei servi sui), et interfecerunt regem in domo sua. Percussit autem populus terræ omnes qui conjuraverant contra regem Amon, et constituerunt sibi regem Josiam filium ejus pro eo. Reliqua autem sermonum Amon quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Juda? Sepelieruntque eum (Sepelivitque eum) in sepulcro suo, in horto Aza, et regnavit Josias filius ejus pro eo.

[1] Idem ms. *locutus est :* cum Græco ἐκάλησεν.

[2] Cum Vulgatis idem ms. *si tamen custodierint,* etc. Hebræus quoque *tantum si,* etc.

[3] Diversas hujus loci habemus interpretationes propter diversam verbi מחה *mahha* significationem ; vox enim illa et *delere,* et *abstergere* significat multis Scripturarum locis : unde secundum varias allusiones ac metaphoras interpretes dictionem hanc reddiderunt. Hieronymus pulchre alludit ad tabulas ceratas, in quibus veteres librarii stylo scripturas exarabant, quas vertendo stylum facile expungebant ac delebant usque ad imum. Ita, inquit ipse ad Chrysogonum monachum, nostræ es necessitudinis penitus oblitus, ut illam epistolam, quam in corde Christianorum scriptam Apostolus refert, non parva litura, sed imis, ut aiunt, *ceris* eraseris.» Alii sumptam hic volunt methapho-ram a lecytho, aut vase aliquo, quod abstergitur et repurgatur, et ita abstersum in superficiem concavam vertitur, ne labem aquam contrahat. Sic Jerusalem inquiunt, a sceletatis repurgabitur, et penitus subvertetur. Sed non quadrant hæc cum præcedenti funiculo Samariæ, et pondere domus Ahab, ad cujus similitudinem delenda dicitur Jerusalem. Itaque cum domus Ahab penitus erasa sit de superficie terræ, optima omnium apparet Hieronymiana interpretatio ac semel susceptæ similitudini respondens. In cæteris sensus non videtur adeo liquidus nec tam facilis ad intelligentiam. Verum unusquisque in suo sensu abundare permittitur, modo semper constet integritas Scripturarum ac fides. MART.

[4] Canon ad Hebr. emendatus habet hic et infra, *Huza* pro *Asa* pristinæ manus. MART.

ıp. XXII.) Octo annorum erat Josias cum
are cœpisset, et triginta uno anno regnavit in
ıalem: nomen matris ejus Idida, filia Adaja
ːsecath. Fecitque quod placitum erat coram
ino (h. in oculis Domini), et ambulavit per
ɜs vias David patris sui: non declinavit ad
ıram, sive ad sinistram (T. CCIX). Anno autem
ːo decimo regis Josiæ, misit rexSaphan filium
ı [1], filii Messulam, scribam templi Domini,
ıs ei: Vade ad Helciam sacerdotem magnum,
ınflctur pecunia, quæ illata est in templum
omum) Domini, quam collegerunt janitores
ı. *add.* templi) a populo, deturque fabris per
ɔsitos in domo Domini: qui et distribuant
distribuent) eam his qui operantur in templo
ɔmo) Domini, ad instauranda sartatecta tem-
.. domus): tignariis videlicet et cæmentariis,
qui interrupta componunt, et ut emantur li-
et lapides delapicidinis ad instaurandum tem-
(h. domum). Verumtamen non supputetur
ˈgentum quod accipiunt, sed in potestate ha-
ː, et (*Vulg. tac.* et) in fide (h. Veruntamen
ıpputetur argentum his qui *accipiunt*, quia
e). (T. CCX.) Dixit autem Helcias pontifex
phan scribam: librum legis reperi in domo
ni: deditque Helcias volumen (h. librum) Sa-
, qui et legit illud. Venit quoqueSaphan scriba
ɟem, et renuntiavit ei (h. verbum) quod præ-
at, et ait: Conflaverunt servi tui pecuniam
ˈeperta est domo *Domini* (h. non habet): et
unt ut distribueretur fabris a præfectis ope-
ːempli (h. domus) Domini. Narravitque (h.
avitque) Saphan scriba regi, dicens: Librum
mihi Helcias sacerdos. Quem cum legisset
ın coram rege, et audisset rex verba libri le-
ɔmini (h. non habet), scidit vestimenta sua.
ɛcepit Helcia sacerdoti, et Ahicam filio Sa-
, et Achobor filio Micha, et Saphan scribæ, et
ː servo regis, dicens: Ite et consulite Do-
m super me et super populo et super omni
[2] (h. et super re... et Juda), de verbis vo-
ıis istius quod inventum est: magna enim
ɔomini succensa est contra nos, quia non
ːrunt patres nostri verba libri hujus, ut face-
ɔmne quod scriptum est nobis. Ierunt itaque
as sacerdos et Ahicam, et Achobor, et Saphan,
ıia, ad Holdam prophetem uxorem Sellum,
ˈhecuæ [2] (Th. Thiteva), filii Araas custodis ve-
ı, quæ habitabat in Jerusalem in Secunda:
ique sunt ad eam. Et illa respondit eis: Hæc
Dominus Deus Israel: Dicite viro, qui misit
d me: Hæc dicit Dominus: Ecce, ego addu-
mala super locum hunc, et super habitatores
omnia verba legis (h. libri) quæ legit rex Ju-

A da: quia dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum, et succendetur indignatio mea in loco hoc, et non exstinguetur: Regi autem Juda, qui misit vos ut consuleretis Dominum, sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro eo quod auditis verba *voluminis* (h. non habet), et perterritum est cor tuum, et humiliatus es coram Domini, auditis sermonibus contra locum istum, et habitatores ejus, quod (*ms.* duo) videlicet fierent in stuporem et in maledictum, et scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me, et ego audivi, ait Dominus: idcirco colligam te ad patres tuos, et colligeris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.

B (T. CCXI, *Cap.* XXIII.) Et renuntiaverunt regi quod dixerat. Qui misit: et congregati sunt ad eum omnes senes Juda et Jerusalem. Ascenditque rex templum (h. domum) Domini, et omnes viri Juda, universique qui habitabant (*ms.* habitant) in Jerusalem, cum eo sacerdotes et prophetæ, et omnis populus a parvo usque ad magnum: legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis qui inventus est in domo Domini. Stetitque rex super gradum (h. columnam), et fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum: et custodirent præcepta ejus, et testimonia, et cæremonias, in omni corde, et in tota anima, et suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo: acquievitque populus pacto.

C Et præcepit rex Helciæ pontifici et sacerdotibus secundi ordinis, et janitoribus, ut projicerent de templo Domini omnia vasa quæ facta fuerant Baal, et luco (*ms. et Vulg.* in luco), et universæ militiæ cœli, et combussit ea foris Jerusalem in convalle Cedron, et tulit pulverem eorum in Beth-El. Et delevit aruspices (h. sacerdotes) quos posuerant reges Juda ad sacrificandum in excelsis per civitates Juda, et in circuitu Jerusalem, et eos, qui adolebant incensum Baal, et soli, et lunæ, et duodecim signis, et omni militiæ cœli. Et efferri fecit locum de domo Domini foras Jerusalem in convalle Cedron, et combussit eum ibi, et redegit in pulverem, et projecit super sepulcra) *ms.* sepulcrum (vulgi. Destruxit quoque ædiculas examina-

D torum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant *quasi* (h. non habet) domunculas luci. Congregavitque omnes sacerdotes de civitatibus Juda, et contaminavit excelsa, ubi sacrificabant (h. adolebant) sacerdotes, de Gabbaa (*ms.* Gaba) usque Ber-Sabee, et destruxit aras (h. in excelsa) portarum in introitu ostii Josue principis civitatis, quod erat ad sinistram portæ civitatis. Verumta-

ˈeronens. ms: Vulgatique libri, *Aslia*: verius Hebr. אֲסָלְיָהוּ; tum idem ms., *Messullam* cum ɔino. Denique *et* pronomen quod sequitur, ım juxta Hebræum tacet.

ranslatio S. Hieronymi examussim textum expressit, quare scholiastes falsus est quidquid contrarium reposuerit ad marginem. MART.

[2] Massorethicam imitatur in hac voce lectionem scholiastes noster, ut etiam super in verbo *Messelemeth*, pro *Messalemeth*. MART.

man non ascendebant sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Jerusalem : sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum. Contaminavit quoque Topheth [1], quod est in convalle filii Ennom, ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem, Moloch. Abstulit quoque equos, quos dederant reges Judæ, soli, in introitu templi (h. domus) Domini juxta exedram Nathan Melech enunchi, qui erat in Pharurim [2] : currus autem solis combussit igni. Altaria quoque, quæ erant super tecta cœnaculi, Ahaz, quæ fecerant reges Juda, et altaria quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi (h. domus) Domini, destruxit rex, et cucurrit inde, et dispersit cinerem eorum in torrentem Cedron. Excelsa quoque quæ erant in (h. contra) Jerusalem ad dexteram partem montis Offensionis, quæ ædificaverat Salomon rex Israel Astaroth idolo (h. contaminationi) Sidoniorum, et Chamos offensioni Moab, et Melchom abominationi filiorem Ammon, polluit rex. Et contrivit statuas (h. titulos), et succidit lucos : [replevitque loca eorum ossibus mortuorum. Insuper et altare, quod erat in Beth-El, excelsum (*Vulg.* et excelsum), quod fecerat Jeroboam filius Nabat, qui peccare fecit Israel, et altare illud excelsum destruxit, atque combussit,et comminuit in pulverem, succenditque etiam lucum. Et conversus Josia, vidit tibi sepulcra, quæ erant in monte : misitque, et tulit ossa de sepulcris, et combussit ea super altare, et polluit illud juxta verbum Domini, quod locutus est (h. acclamavit) vir Dei, qui prædixerat verba hæc (T. CCXII.) Et ait : Qui est titulus ille, quem video ? Responderuntque ei cives illius urbis : Sepulcrum est hominis (h. vir) Dei, qui venit de Juda, et prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Beth-El. Et ait : Dimitte eum, nemo commoveat ossa ejus. Et intacta manserunt ossa illius, cum ossibus prophetæ qui venerat de Samaria (h. *Liberaverunt* Ossa ejus, *ossa prophetæ*, qui venerat de Samaria : Insuper et omnia fana excelsorum quæ erant in civitatibus Samariæ, quæ fecerant reges Israel ad irritandum Dominum, abstulit Josias, et fecit eis, secundum omnia opera quæ fecerat in Beth-El. Et occidit universos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria, et combussit ossa humana super ea: reversusque est Jerusalem. (T. CCXIII.) Et præcepit omni populo, dicens ; Facite Phase Domino Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro fœderis hujus. Nec enim factum est Phase tale a diebus judicum, qui judicaverunt Israel, et omnium dierum regum Israel, et regum Juda, sicut in octavo decimo anno regis Josiæ factum est Phase istud Domino (*ms. add.* Deo) in Jerusalem. Sed et pythones, et ariolos, et figuras idolorum, et immunditias, abominationesque, quæ fuerant in terra Juda et Jerusalem, abstulit Josias : ut statueret verba legis, quæ scripta sunt in libro quem invenit Helcias sacerdos in templo (h. domo) Domini. Similis illi (*ms. tace* illi) non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua, juxta omnem legem Mosi : neque post eum surrexit similis illi. Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses. Dixit itaque Dominus : Etiam Judam auferam a facie mea, sicut abstuli Israel, et projiciam civitatem hanc, quam elegi, Jerusalem, et domum de qua dixi : Erit nomen meum ibi. Reliqua autem verborum (*Vulg.* sermonum) Josiæ, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda ? (T. CCXIV.) In diebus ejus ascendit Pharao Necho, rex Ægypti, contra regem Assyriorum, ad flumen Euphraten, et abiit Josias rex in occursum ejus, et occisus est in Mageddo, cum vidisset eum. Et portaverunt eum servi sui mortuum de Mageddo, et pertulerunt in Jerusalem, et sepelierunt eum in sepulcro suo. Tulit que populus terræ Joahaz filium Josiæ, et unxerunt eum et constituerunt eum regem pro patre suo. Viginti trium annorum erat Joahaz cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem; nomen matris ejus Amital [3] (h. Amutal), filia Jeremiæ, de Lobna (h. Libna). Et fecit malum coram (h. in oculis) Domino, juxta omnia quæ fecerant patres ejus. (T. CCXV.) Vinxitque eum Pharao Necho in Rebla, quæ est in terra Emath, ne regnaret in Jerusalem, et imposuit mulctam terræ, centum talentis argenti et talento auri. Regemque constituit Pharao Necho Eliacim filium Josiæ pro Josia patre ejus : vertique nomen ejus Joiacim [4]. Porro Joahaz tulit, et duxit in Ægyptum (h. e

[1] Ms. Veronens. *Thafeth* propius Græco Ταφὲθ, quod tamen et Symmachus ex Hebræo legit.

[2] Nunc post emendationem Canonis nomen istud *Pharvarim* in eo legitur, per *vau* scilicet consonum, pro *schourec*, id est pro vocali *u*. MART.

[3] Septuaginta et Hieronymus legebant in suis exemplaribus Hebr. המימל *Amital*, cum *iod* in medio : hodie המומל, *Amutal* cum *schourec*, hoc est cum vocavit *u* legunt Hebr., quos secutus est Scholiastes Canonis, æqualis vel superior ætate omnibus Massor, interpunctis ac notis criticis. MART.

[4] Monet S. Hieronymus l. 1 Comm. in caput primum Matthæi, scriptorum vitio et longitudine temporum apud Græcos Latinosque confusa esse nomina *Joakim* et *Joachin* : « Sciamus igitur, inquit Jechoniam priorem ipsum esse, quem et Joakim secundum autem, filium, non patrem : quorum prior per *k* et *m*, sequens per *ch* et *n* scribitur quod scriptorum vitio et longitudine temporum apud Græcos Latinosque confusum est. » Hæc quidem Hieronymus attendens ad Græca Latinaque vocabula, sed in libro Nominum Hebraicorum, scriptum habet *Joiacim* juxta Hebræorum elementa ac sonum litterarum istarum יהויקים. Legimus etiam in Canone Heb. verit. *Joiachim*, ubi *g* additum est errore et usu librariorum. Fretis igitur ipsius Hieronymi auctoritate ac exemplo, *Joiacim* deinceps atque *Joiachim* scribere nobis liceat. MART.

— Confer S. Doctoris Commentarios in Daniel.

s est ibi. *Sic Vulg.*). Argentum autem et
dedit Joiacim Pharaoni., cum indixisset
ns. tacet terræ) per singulos, ut confer-
ıxta præceptum Pharaonis, et unumquem-
:undum vires suas exegit, tam argentum
urum de populo terræ, ut daret Pharaoni
Viginti quinque annorum erat Joiacim
;naro cœpisset, et undecim annis regnavit
salem : nomen matris ejus Zebida [1] filia
. de Ruma. Et fecit malum coram Domino
:ulis Domini), juxta omnia quæ fecerant
jus.
XXIV.) In diebus ejus ascendit Nabucho-
, rex Babylonis, et factus est ei Joiacim
tribus annis, et rursum rebellavit (*ns.*
contra eum. Immisitque ei Dominus
ılos Chaldæorum, et latrunculos Syriæ, et
ılos Moab, et latrunculos filiorum Ammon,
isit eos in Judam, ut disperderent eum,
ərbum Domini quod locutus fuerat per
ıuos prophetas. (T. CCXVI.) Factum est
oc per verbum Domini contra Judam, ut
eum coram se, propter peccata Manasse
quæ fecit, et propter sanguinem innoxium
'udit, et implevit Jerusalem cruore inno-
,et ob hanc rem noluit Dominus propitiari.
VII.) Reliqua autem sermonum Joiacim,
rsa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in
'monum dierum regum Juda? Et dormivit
cum patribus suis : et regnavit Joiachin [2]
ıs pro eo. Et ultra non addidit rex Ægypti,
eretur de terra sua : tulerat enim rex
s, a rivo Ægypti usque ad fluvium Eu-
omnia quæ fuerant regis Ægypti. Decem
annorum erat Joiachin cum regnare
,et tribus mensibus regnavit in Jerusalem:
matris ejus Nehesta [3] filia Elnathan de
m. Et fecit malum coram Domino (h. in
ɔmini), juxta omnia quæ fecerat pater ejus.

A In tempore illo ascenderunt servi Nabuchodonosor regis Babylonis in Jerusalem, et circumdata est urbs munitionibus. Venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem, cum servi ejus oppugnarent eam. Egressusque est Joiachin rex Juda ad regem Babylonis, ipse et mater ejus, et servi ejus, et principes ejus, et eunuchi ejus, et suscepit eum rex Babylonis anno octavo regni sui [4]. Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, et thesauros domus regiæ : et concidit universa vasa aurea quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini juxta verbum Domini. Et transtulit omnem Jerusalem, et universos principes et omnes fortes exercitus, decem millia, in captivitatem, et omnem artificem et clusorem : nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ. Transtulit
B quoque Joiachin in Babylonem, et matrem regis, et uxores regis, et eunuchos ejus : et judices terræ duxit in captivitatem de Jerusalem in Babylonem. Et omnes viros robustos, septem millia, et artifices, et clusores mille, omnes viros fortes et bellatores, duxitque eos rex Babylonis captivos in Babylonem. Et constituit Matthaniam patruum ejus pro eo : imposuitque nomen ei (h. vertitque nomen ejus) Sedeciam. Vicesimum et primum annum ætatis habebat Sedecias cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem ; nomen matris ejus erat Amital [5], filia Jeremiæ, de Lobna (h. Libna). Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Joiacim. Irascebatur enim Dominus contra Jerusalem, et contra Judam, donec projiceret eos a
C facie sua : recessitque (h. rebellavit) Sedecias a rege Babylonis.

(T. CCXVIII, *Cap.* XXVI.) Factum est autem anno nono regni ejus [6], mense decimo, decima die mensis, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse et omnis exercitus ejus, in Jerusalem, et circumdederunt eam, et exstruxerunt in circuitu ejus mu-

ers. I), ubi, « Nemo, inquit, putet eumdem
lis principio esse Joacim, qui in Ezechielis
(*cap.* I, *vers* 2), Joachin scribitur : iste
remam syllabam *chin* habet, ille *cim*. Et
causam in Evangelio secundum Matthæum
tur deesse generatio quia secunda τεσσα-
ας in *Joacim* desinit filio Josiæ, et tertia
Joachin filio *Joacim*. Quod ignorans Por-
» etc. Vide itaque et commentar. in Matth.
quæ nobis ad utrumque locum observata

. זבידה, *Zabida*. At in hodierno textu *iod*
nctum in ventre, id est in meditullio : quia
dicunt pro *vau schourec ;* quod scholiastes
invenit in suo exemplari Hebraico, nam
osuit in textu. MART.

a manu sic positum exstat illud nomen in
Hebr. veritatis, et merito, nam in Hebr.
legitur יהויכין, *Iehoiachin*, vel *Ioiachin*
ɔtiosum ה *he* apud veteres. MART.

ɔntrario cod. Veronens. in recapitulatio-
num. XXXIV, *de Joachin filio Joiachim.*

a secundum puncta vocalia Massoretha-

rum in Canone emendato reperimus. MART. — Sequior manus in cod. Veronensi rescripsit (*Nabesta.*

[4] Decennium addit huic numero Veronens. ms. legitque *octavo decimo*, quod ignoramus quo auctore fecerit. Fortassis tamen notam marginalem, sive asteriscum, quem e regione illustrium maxime locorum apposuerit studiosus nonnemo, præsertim
D ubi facti alicujus insignioris denotatur annus, noster antiquarius accepit pro Romana nota x, eamque temere in textu supputavit : nam et supra semel atque iterum, annorum summæ quos Scriptura designat, decennium superaddi contra librorum omnium fidem in eodem ms. animadvertimus.

[5] Scolion marginale superius ad vers. 31 capituli præcedentis positum, hic in contextum transtulit emendator Canonis Hebr. veritatis, *Amutal* scilicet pro *Amital*. de quo jam diximus in prima annotatione nostra. MART.

[6] Postremum hocce capitulum, quod in Veronens. ms. vetustate nimia exciderat, sequior manus suffecit.

nitiones. Et clausa est civitas atque vallata, usque ad undecimum annum regis Sedeciæ, nona die mensis : prævaluitque fames in civitate, nec erat panis populo terræ. Et interrupta est civitas, et omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ est inter duplicem murum ad hortum regis (porro Chaldæi obsidebant in circuitu civitatem), fugit itaque per viam quæ ducit ad campestria *solitudinis* [1] (h. non habet). Et persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in planitie Jericho, et omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, et reliquerunt eum. Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha ; qui locutus est cum eo judicium. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, et oculos ejus effodit, vinxitque eum catenis, et adduxit in Babylonem. Mense quinto septima die mensis (ipse est annus nonus decimus regis Babylonis), venit Nabuzardan princeps exercitus (h. magister coquorum [2]), servus regis Babylonis, Jerusalem. Et succendit domum Domini, et domum regis : et omnes domos Jerusalem omnemque domum magnam combussit igni [3]. Et muros Jerusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum (h. cum magistro coquorum). Reliquam autem populi partem (h. Reliquum *autem populum*), qui remanserat in civitate, et perfugas qui transfugerant ad regem Babylonis, et reliquum vulgus, transtulit Nabuzardan princeps militiæ (h. magister coquorum). Et de pauperibus terræ reliquit vinitores et agricolas. Columnas autem æreas quæ erant in templo (h. domo) Domini, et bases, et mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, et transtulerunt æs omne [4] in Babylonem. Ollas quoque *æreas* (h. non habet), et trullas, et mortariola [5], et tridentes, et scyphos, et omnia vasa ærea, in quibus ministrabant, tulerunt. Necnon et thuribula et phialas ; quæ aurea, aurea, et quæ argentea, argentea, tulit princeps militiæ [h. magister coquorum]: *id est* [h. non habet], columnas duas, mare unum, et bases quas fecerat Salomon *in templo* [h. non habet] Domini : non erat pondus æris omnium vasorum. Decem et octo cubitos altitudinis habebat columna una, et capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum, et retiaculum, et malogranata super capitellum columnæ, omnia ærea : similem et columna secunda habebat ornatum. Tulit quoque princeps militiæ [h. magister coquorum] Sariam sacerdotem primum, et Sophoniam sacerdotem secundum et tres janitores. Et de civitate eunuchum unum, qui erat præfectus super bellatores viros, et quinque viros de his qui steterant coram rege [h. videbant faciem regis], quos reperit in civitate : et Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ, et sexaginta [6] viros e vulgo [h. e vulgo terræ], qui inventi fuerant in civitate. Quos tollens Nabuzardan princeps militum [h. magister coquorum], duxit ad regem Babylonis in Reblatha. Percussitque eos rex Babylonis, et interfecit eos in Reblatha in terra Emath, et translatus est Juda de terra sua. Populo autem qui relictus erat in terra Juda, quem dimiserat Nabuchodonosor rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahicam filii Saphan. Quod cum audissent omnes duces militum, ipsi et viri qui erant cum eis, videlicet quod constituisset rex Babylonis Godoliam, venerunt ad Godoliam in Maspha, Ismael filius Nathaniæ, et Johannan filius Caree, et Saraia [7] filius Teneumeth Nethophathites, et Jezionas filius Maachath [8], ipsi et socii eorum. Juravitque eis Godolias et sociis eorum, dicens : Nolite

[1] Addit Veronens. ms. τὸ *rex*, pro quo Vulgati libri ipsum Sedeciæ nomen ascribunt. Hebræus neutrum habet : perspicuum tamen e contextu est, sermonem hic esse de rege, qui continuo dicitur comprehensus in planitie Jericho.

[2] In Heb. scriptum legitur רב טבחים, *rab tabahhim*, id est *princeps* seu *magister laniorum*. De hoc nomine ac officio disserit S. Hieronymus in *QQ. Hebr.* ad c. XXXVII Geneseos : « In plerisque inquit, locis archimagiros, id est coquorum principes, pro magistris exercitus, Scriptura commemorat : μαγειρεύειν quippe Græce interpretatur *occidere*. Venditus est igitur Joseph principi exercitus et bellatorum, non Petephre, ut in Latino scriptum est, sed Phutiphar eunucho (*Gen.* XXXVII, 26), etc.] Hebr. igitur vocant milites *lanios*, ob cædem hominum : et nos Galli dicimus de cæde ingenti. *On a fait une grande boucherie.* MART.

— In schobastis gratiam, qui *Magistrum coquorum* in Hebræo ait haberi pro *principe exercitus*, confer verum Hieronymum in *Quæstionibus Hebraic.* in Genes. cap. XXXVII, vers. 36, quem locum et Martian. laudat. « In plerisque, ait, locis, archimagiros, id est coquorum principes, pro magistris exercitus, Scriptura commemorat : μαγειρεύειν quippe Græce interpretatur *occidere*. » S. vero Augustinus de hoc proprie loco : « Nolunt quidam præpositum coquorum interpretari, qui Græce ἀρχιμάγειρος dicitur, sed præpositum militiæ, cui esset potestas occidendi. Nam sic appellatus est ille, quem Nabuchodonosor misit, penes quem potius invenitur primatus fuisse militiæ (*Dan.* I, 13). »

[3] Cum Vulgatis Veronens. ms. hic vocem *omnes*, et paulo post *magnam* tacet.

[4] Idem ms. *æs omnium* pro *omne* : idque rectius, propiusque Hebræo textui נחשתם, *æs eorum*, ipsique Græco χαλκὸν αὐτῶν.

[5] Hæc non agnoscit Veronens. ms. *mortariola* ; atque Hebræus ipse textus non nisi quatuor instrumentorum genera hic memorat, *ollas*, *scopas*, *psalteria*, *et cochlearia*, quem numerum et versiones antiquæ et libri alii servant. Haud recte igitur quintum genus, sive *mortariola*, additum hoc est loco post Vulgatam : neque enim supra Hebræum exemplar Hieronymus, quidquam est aliquando ausus : neque aliud videtur illud nomen esse, quam alterius vocis, puta *scyphos*, glossema, ex libri ora in textum a librariis importatum.

[6] Recentior scriba qui Veronens. ms. postremam pagellam suffecit, exesas vetustissimi exemplaris litteras non bene assecutus oculorum acie, *sex* hic tantum rescripsit pro integra voce *sexaginta*.

[7] Paulo superius hunc vocat ms. Veronens. *Seriam*, hic *Sareiam*. Qui subsequitur *Theneumeth*, vocat *Theneaameth*.

[8] Idem ms. *Machati*, propius Græco Μαχαθὶ Ο'.

servire Chaldæis [h. servos Chaldæorum] : A
s in terra, et servite regi Babylonis, et bene
ibis. Factum est autem, in mense septimo
Ismael filius Nathaniæ, filii Elisama [*ms.*
a [de semine regio, et decem viri cum eo :
seruntque Godoliam, qui mortuus est : sed et
s et Chaldæos, qui erant cum eo in Maspha.
rgens autem omnis populus a parvo usque ad
m, et principes militum, venerunt in Ægyp-
mentes Chaldæos. Factum est vero anno tri-
septimo transmigrationis Joiachin [*ms.* Joa-
chin] regis Juda, mense duodecimo, vicesima septima *die* [h. non habet] mensis sublevavit Evilmerodach rex Babylonis anno quo regnare cœperat, caput Joiachin regis Juda de carcere. Et locutus est ei benigne et posuit thronum ejus super thronum regum qui erant cum eo in Babylone. Et mutavit vestes ejus, quas habuerat in carcere, et comedebat panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ. Annonam quoque constituit et absque intermissione, quæ et dabatur ei a rege per singulos dies omnibus diebus vitæ suæ.

Expliciunt libri duo Malachim.

PRÆFATIO HIERONYMI IN LIBRUM ISAIÆ.

o cum prophetas versibus viderit esse des-
metro [1] eos æstimet apud Hebræos ligari,
iid simile habere de Psalmis, vel operibus
nis ; sed quod in Demosthene et Tullio solet
: per cola [2] scribantur et commata, qui uti-
osa, et non versibus conscripserunt : nos
utilitati legentium providentes, interpreta-
novam, novo scribendi genere distinximus.
num de Isaia sciendum, quod in sermone
ertus sit : quippe [3] ut vir nobilis et urbanæ
itiæ, nec habens quidpiam in eloquio rusti-
admistum. Unde accidit, ut præ cæteris,
sermonis ejus translatio non potuerit con-
. Deinde etiam hoc ajiciendum, quod non
opheta, quam evangelista dicendus sit [4]. Ita

metris, versibusque Scripturarum abunde C
imus in Prolegomenis hujus *Divinæ Biblio-*
huc ergo amandari se patietur lector stu-
, ne et nos actum agamus de eodem argu-
iterum instituentes disputationem. Illud
monemus, prophetarum libros per cola ver-
et commata a nobis editos esse, quia S. ipse
ymus utilitati legentium providens, interpre-
m suam novam, novo hoc scribendi genere
erat, cujus rei testis est ista præfatio. Cæte-
l restituendas hujusmodi distinctiones per
a divisas, magno nobis fuit adjumento ma-
ltus codex Corbeiensis, qui divisa habet
ubnexa versuum cola fere omnia in pro-
Nec minorem sane præbuit utilitatem Spe-
S. Augustini : nam in egregio illo opere
em Hieronymianam secutus Augustinus me-
æpissime quot sint versus ab una ad aliam
em. Ad fidem igitur Italicorum monumento-
ophetas versibus describere curavimus, ne D
r Hieronymi, et nostrum studium periret.

discipulorum nempe gratiam distinguebant
s olim oratorum scripta in cola, et com-
it facilius intelligerentur : ac dicuntur qui-
iamnum rara aliquot superesse exemplaria
di. Parem Hieronymus operam Isaiæ cæte-
rophetis impendit, quos de Hebræo vertit :
ropter multis eum commendat Cassiodorus
ad *Divinar. litterar. Institutionem.* Sed et
udanda cum primis est Martianæi dili-
enim universa Christi Ecclesiæque mysteria (*Al.* ministeria) ad liquidum prosecutus est, ut non eum putes de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere. Unde conjicio, noluisse tunc temporis, Septuaginta Interpretes fidei suæ sacramenta persicue ethnicis prodere [5], ne sanctum canibus, et margaritas porcis darent : quæ (*Al.* qui) cum hanc ditionem legeritis, ab illis animadvertetis abscondita. Nec ignoro quanti laboris sit prophetas intelligere, nec facile quempiam posse judicare de interpretatione, nisi intellexerit ante quæ legerit : nos quoque patere morsibus plurimorum, qui stimulante invidia, quod consequi non valent, despiciunt. Sciens ergo et prudens in flammam mitto manum : et nihilominus hoc a fastidiosis lectoribus precor,

gentia, qui eadem cola versuum et commata tum ex Corbeiensi ms., tum etiam ex S. Augustini *Speculo*, ubi Hieronymianæ versionis versus ab una ad aliam pericopem sæpissime numerantur, non sane inutili studio ac labore in sua editione restituit. Nos ejus recensionem, Palatini ope codicis, quo continuo utimur, tum ipsiusmet Hieronymianæ lectionis in Commentariis, emendatiorem paulo ac meliorem fecisse visi sumus.

[3] Concinnius in Palat. ms., *Quippe vir nobilis et urbanæ elegantiæ.* Perquam huic simile est Quinctiliani effatum de Messala Corvino : « Nitidus et candidus et quodammodo præ se ferens in dicendo nobilitatem suam. »

[4] Tradit et S. Augustinus *de Civit. Dei* lib. XVIII, cap. 29, ita visum de Isaia, « ut a quibusdam evangelista, quam propheta potius diceretur. » Paria habet rursum noster Hieron. in præfat. ad Commentarios in eum prophetam.

[5] Quibus præsertim id præstiterit locis, exponit S. ipse Pater superiori prolog. in Genesim : « Judæi prudenti factum dicunt esse consilio, ne Ptolemæus unius Dei cultor etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet. » Et paulo post : « Denique ubicunque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre, Filio et Spiritu sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt, ut et regi satisfacerent, et arcanum fidei non vulgarent. » Videsis tamen quæ et nos ad hunc locum observamus.

ut quomodo Græci post Septuaginta Translatores, Aquilam et Symmachum et Theodotionem legunt, vel ob studium doctrinæ suæ, vel ut Septuaginta magis ex collatione eorum intelligant : sic et isti saltem unum post priores habere dignentur interpretem [1]. Legant prius, et postea despiciant : ne videantur, non ex judicio, sed ex odii præsumptione ignorata damnare. Prophetavit autem Isaias in Jerusalem, et in Judæa, necdum decem tribubus in captivitatem ductis : ac de utroque regno, nunc commistim, nunc separatim, texit oraculum. Et A cum interdum ad præsentem respiciat historiam ; et post Babyloniam captivitatem reditum populi significet in Judæam : tamen omnis ei cura de vocatione gentium, et adventu Christi est. Quem quanto plus amatis, o Paula et Eustochium, tanto magis ab eo petite, ut pro obtrectatione præsenti, qua me indesinenter æmuli laniant, ipse mihi mercedem restituat in futuro : qui scit me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione sudasse, ne Judæi [2] de falsitate Scripturarum Ecclesiis ejus diutius insultarent [3].

[1] Idem ms. *Interpretum*, non diverso sensu.

[2] Huc refer quæ de Judæis illudentibus et calumniantibus Scripturas Christianorum dicuntur ab eodem Hieronymo præfationibus in Josue, in Paralipomena, et in Psalterium ex Hebr. Latine redditum rogatu Sophronii. MART.

[3] Nulla capitulorum series exstat in prophetas, saltem ad Hieronymianam versionem accommodata.

INCIPIT

LIBER ISAIÆ PROPHETÆ.

(*Cap.* I). Visio Isaiæ filii Amos, quam vidit super Judam et Jerusalem in diebus Oziæ, Joathan. Achaz, et Ezechiæ, regum Juda.

Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est.
Filios enutrivi, et exaltavi :
ipsi autem spreverunt me.
Cognovit bos possessorem suum,
et asinus præsepe domini sui :
Israel autem non cognovit,
populus meus non intellexit.
Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate,
semini nequam, filiis sceleratis !
Dereliquerunt Dominum,
blasphemaverunt Sanctum Israel,
abalienati sunt retrorsum.
Super quo percutiam vos,
ultra addentes prævaricationem ?
Omne caput languidum,
Et omne cor mœrens.
A planta pedis usque ad verticem,
B non est in eo sanitas :
Vulnus, et livor, et plaga tumens, non
est circumligata,
nec curata medicamine, neque fota oleo.
Terra vestra deserta,
civitates vestræ succensæ igni :
regionem vestram coram vobis alieni devorant,
et desolabitur sicut in vastitate hostili.
Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario,
sicut civitas quæ vastatur.
Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen,
quasi Sodoma fuissemus,
et quasi Gomorrha similes essemus.
Audite verbum Domini, principes Sodomorum,
percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ.
Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum ? dicit Dominus.
C plenus sum :
Holocausta arietum [1], et adipem pinguium.

[1] Ita mss. codices Bibliorum Colbertinus, Anicensis, Corbeiensis unus n. 12, et duo S. Germani a Pratis num. 5 et 164, ad horum quoque normam Regius codex emendatus visitur. Præterea eamdem lectionem retineni quinque vetustiora exemplaria mss. Comment. S. Hieronymi in Isaiam prophetam. Codices illi sunt, primus Corbeiensis litteris Longobardicis descriptus ; secundus abbatiæ Cluniacensis eleganter exaratus et optimæ notæ : tertius Sorbonicus n. 674, Colbertinus num. 186, quintus denique Sylvæ majoris prope Burdigalam. Tamen in Sorbonico exscriptor posuit *adipæ* pro *adipe* cum superiori lineola compendiaria accusativi casus. Cætera omnibus æqualia sunt. Hæc ideo annotamus, quod in utroque Canone Hebr. veritatis, Carcassonensi scilicet, et San Germanensi nostro, alia lectio reperiatur, id est, *Plenus sum holocausto arietum, et adipe pinguium* ; *et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui*. Quibus concinunt Hebr. hodiernus, ac cunctæ Orientalium versiones : necnon Comment. Hieronymi textus sacer in editis libris. Verum nihil in hac parte prævalet Hieronymianæ auctoritati, qua firmatur evidentissime lectio superiorum codicum mss. Vulgatæque nostræ Latinæ. Dum enim præsentem locum edisserit S. Doctor l. 1 Comment. manifeste declarat, quare Deus plenus dicatur : « Omnis ergo, inquit, capituli hujus continentia, usque ad eum locum ubi ait, *Judicate pupillo*, etc., respuit sacrificia victimarum et Evangelii obedientiam docet esse super sacrificium (*I Reg.* xv, 22). Quodque intulit : *Plenus sum* : hoc sensu est accipiendum ; nulla re indigeo : *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* xxiii, 1). Unde et nos *omnes de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* i, 16). » Vide ergo ex sententia S. Hieronymi Deum hic plenum dici, non holocaustis et adipe pinguium, sed majestate, gratia, sufficientia, ac veritate. Porro quantam præstent D utilitatem legentibus distinctiones per membra divisæ, vel ex hoc loco facile pervidebis : nam, subtractis hujusmodi divisionibus, sensus et ordo rerum prorsus confunditur : quod in pluribus editis ac mss. libris contigisse satis exstat probatum ex iis quæ modo attulimus. MART.

aguinem vitulorum, et agnorum, et hirco-
n nolui.
niretis ante conspectum meum,
quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambu-
tis in atriis meis?
ratis ultra sacrificium frustra :
sum abominatio est mihi.
niam, et Sabbatum [1] et festivitates alias
feram,
i sunt cœtus vestri;
as vestras, et solemnitates vestras odivit
na mea :
sunt mihi molesta, laboravi sustinens.
extenderitis manus vestras
am oculos meos a vobis :
multiplicaveritis orationem, non exaudiam :
is vestræ sanguine plenæ sunt.
ni, mundi estote,
te malum cogitationum vestrarum ab oculis
is :
te agere perverse,
te benefacere :
e judicium,
enite oppresso,
ate pupillo;
idite viduam.
te, et arguite me, dicit Dominus :
nt peccata vestra ut coccinum,
nix dealbabuntur :
fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana
erunt.
eritis, et audieritis me,
terræ comedetis.
i nolueritis, et me provocaveritis
acundiam :
is devorabit vos, quia os Domini locutum

lo facta est meretrix civitas fidelis, plena
icii?
ia habitavit [2] in ea, nunc autem homicidæ.
im tuum versum est in scoriam :
a tuum mistum est aqua.
es tui infideles (*Al.* inobedientes), socii fu-
a :
s diligunt munera, sequuntur retributiones.
non judicant :
isa viduæ non ingreditur ad eos.
hoc ait Dominus exercituum fortis Israel :
nsolabor super hostibus meis,
dicabor de inimicis meis.
ertam manum meam ad te,
oquam ad purum scoriam tuam,
eram omne stannum tuum.
tuam judices tuos ut fuerunt prius,
silarios tuos sicut antiquitus :
e vocaberis civitas justi, urbs fidelis.
judicio redimetur.
ucent eam justitia :
teret scelestos, et peccatores simul,
dereliquerunt Dominum, consumentur,
lentur enim ab idolis quibus sacrificave-
et erubescetis super hortis quos elege-

ueritis velut quercus (*Al.* erunt enim quasi terebinthus) defluentibus foliis,
et velut hortus absque aqua.
Et erit fortitudo vestra, ut favilla stuppæ,
et opus vestrum quasi scintilla,
et succendetur utrumque simul,
et non erit qui exstinguat.
(*Cap.* II.) Verbum [3], quod vidit Isaias, filius Amos, super Judam et Jerusalem.
Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium,
et elevabitur super colles,
et fluent ad eum omnes gentes.
Et ibunt populi multi, et dicent :
Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob,
et docebit nos vias suas,
et ambulabimus in semitis ejus :
Quia de Sion exibit lex,
et verbum Domini de Jerusalem,
Et judicabit gentes,
et arguet populos multos,
et conflabunt gladios suos in vomeres,
et lanceas suas in falces :
Non levabit gens contra gentem gladium,
nec exercebuntur ultra ad prælium.
Domus Jacob, venite,
ambulemus in lumine Domini.
Projecisti enim populum tuum, domum Jacob :
quia repleti sunt ut (*Vulg. tac.* ut) olim,
et augures habuerunt ut Philisthim.
et pueris alienis adhæserunt.
Repleta [4] est terra argento et auro :
et non est finis thesaurorum ejus,
Et repleta est terra ejus equis,
et innumerabiles quadrigæ ejus.
Et repleta est terra ejus idolis :
opus manuum suarum adoraverunt quod fecerunt digiti eorum.
Et incurvatus est (*Vulg.* incurvavit te) homo, et humiliatus est vir :
ne ergo dimittas eis.
Ingredere in petram :
abscondere fossa homo a facie timoris Domini,
et a gloria majestatis ejus.
Oculi sublimis hominis [5] humiliati sunt,
et incurvabitur altitudo virorum,
exaltabitur autem Dominus solus in die illa.
Quia dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum,
et super omnem arrogantem, et humiliabitur.
Et super omnes cedros Libani sublimes et erectas,
et super omnes quercus Basan.
Et super omnes montes excelsos,
et super omnes colles elevatos.
Et super omnem turrem excelsam,
et super omnem murum munitum.
Et super omnes naves Tharsis,
et super omne quod visu pulchrum est.
Et incurvabitur sublimitas hominum,
et humiliabitur altitudo virorum,
et elevabitur Dominus solus in die illa :
et idola penitus conterentur :
Et introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ,

tur S. Pater hanc præferre in Commentaionem, *Neomenias vestras et Sabbata.*
ommentario præfert *requirit.*
secundam dici et hic incipere visionem
ud Hieronymum in Comment. MART.
culum S. Augustini notat tres versus a
hæserunt usque ad ista, *Repleta est terra*
is. At, inspectis diligenter mss. codicibus
s. Hieronymianæ, Comment. ejusdem S.
quatuor describendos judicavimus : tot
mmata exigere videtur distinctio nari Odi

sensusque perspicuitas. Si quem vero moveat, quod numeros versuum ascriptos, in Speculo interdum abjiciamus, meminerit errore exscriptorum fuisse depravatos, ut probant diversi numeri in diversis Speculi exemplaribus assignati. MART.

[5] Hoc modo legunt exemplaria Canonis, et Commentariorum similiter in vetustioribus libris mss. Alii tum editi, tum manuscripti, *oculi sublimes hominis.* Littera Hebraica, *Oculi elevationis hominis.* MART.

a facie formidinis Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram.
In die illa projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas et vespertiliones.
Et ingredietur scissuras petrarum, et cavernas saxorum, a facie formidinis Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram.
Quiescite ergo ab homine cujus spiritus in naribus ejus, quia excelsus reputatus est ipse.
[*Cap.* III.] Ecce enim dominator Dominus exercituum, auferet a Jerusalem et a Juda validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ;
Fortem, et virum bellatorem, judicem, et prophetam, et ariolum, et senem :
Principem super quinquaginta, et honorabilem vultu,
Et consiliarium sapientem de architectis (*Al.* architectum), et prudentem eloquii mystici.
Et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis.
Et irruet populus, vir ad virum, unusquisque ad proximum suum : tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.
Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui :
Vestimentum tibi est, princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua.
Respondebit in die illa, dicens :
Non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum :
Nolite constituere me principem populi.
Ruit enim Jerusalem, et Judas concidit :
quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.
Agnitio vultus eorum respondit eis, et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt :
Væ animæ eorum : quoniam reddita sunt eis mala.
Dicite justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.
Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei.
Populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominatæ sunt ejus [*Al.* eis].
Populo meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.
Stat ad judicandum Dominus, et stat ad judicandos populos.
Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus :
Vos enim depasti estis vineam (*Al. add.* meam), rapina pauperis in domo vestra.
Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?
Et dixit Dominus :
Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant : ambulabant, et in pedibus suis composito gradu incedebant :
Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus (*Al. tac.* Dominus) crinem earum nudabit.

A In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras,
Ei discriminalia, et periscelides, et murænulas, et olfactoriola, et in aures, et annulos, et gemmas in fronte pendentes,
et mutatoria, et pallia, et linteamina, et acus,
et specula, et sindones, et vittas, et theristra.
Et erit pro suavi odore fetor,
et pro zona funiculus,
et pro crispanti crine calvitium,
et pro fascia pectorali cilicium.
Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in prælio.
Et mœrebunt, atque lugebunt portæ ejus et (*Al. add.* ipsa urbs) desolata in terra sedebit,
(*Cap.* IV.) Et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa dicentes :
B Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur : tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum,
In die illa, erit germen Domini in magnificentia et in gloria,
et fructus terræ sublimis,
et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel.
Et erit : Omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem.
Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus spiritu judicii et spiritu ardoris (*Al.* combustionis).
Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem
et fumum et splendorem ignis flammantis in n
C cte : super omnem enim gloriam projectio.
Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æst
et in securitatem et absconsionem a turbine
pluvia.
(*Cap.* V.) Cantabo (*Al. add.* nunc) dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ suæ.
Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.
Et sepivit eam et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam [1],
Et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular exstruxit in ea :
Et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas.
Nunc ergo, habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam.
Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci (*Al.* fecerim) ei?
An quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?
D Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ; auferam sepem ejus, et erit in direptionem: diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem.
Et ponam eam desertam : non putabitur, et non fodietur : et ascendent vepres et spinæ; et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.
Vinea enim Domini exercituum, domus Israel est: et vir Juda, germen delectabile ejus : et exspectavit, ut faceret judicium, et ecce iniquitas : et justitiam, et ecce clamor.
Væ qui conjungitis domum ad domum,

[1] *Unum Symmachum* transtulisse *electam* tradit S. Pater in Comment., ubi et præferre ipse videtur *vineam Sorech.*

agro copulatis usque ad terminum loci:
abitabitis soli vos in medio terræ (*Al.* terram) ?
meis sunt Domini exercituum [1] :
multæ desertæ fuerint, grandes et pul-
absque habitatore.
m jugera vinearum facient lagunculam
ta modii sementis facient modios tres.
nsurgitis mane ad ebrietatem spectan-
potandum usque ad vesperam, ut vino
ietis.
lyra, et tympanum, et tibia,et vinum in
iis vestris :
Domini non respicitis,
a manuum ejus consideratis.
captivus ductus est populus meus ; quia
abuit scientiam,
ejus interierunt fame,
tudo ejus siti exaruit.
dilatavit infernus animam suam,
it os suum absque ullo termino :
lent fortes ejus, et populus ejus,
mes gloriosique ejus, ad eum.
ibitur homo, et humiliabitur vir,
sublimium deprimentur.
itur Dominus exercituum in judicio,
sanctus sanctificabitur in justitia.
tur agni juxta ordinem suum,
ta in ubertatem versa advenæ comedent.
abitis iniquitatem in funiculis vanitatis,
vinculum plaustri peccatum.
: Festinet, et cito veniat opus ejus, ut
nus :
priet, et veniat consilium sancti Israel,
us illud.
citis malum bonum, et bonum malum :
ites tenebras lucem, et lucem tenebras :
s amarum in dulce,et dulce in amarum.
pientes estis in oculis vestris,
n vobismetipsis prudentes.
tentes estis ab bibendum vinum,
ortes ad miscendam ebrietatem.
catis impium pro muneribus,
iam justi aufertis ab eo.
c,sicut devorat stipulam lingua ignis,et
flammæ exurit :
x eorum quasi favilla erit,
en eorum ut pulvis ascendet.
t enim legem Domini exercituum,
ium sancti Israel blasphemaverunt.
is est furor Domini in populum suum,
idit manum suam super eos,et percussit
conturbati sunt montes,
sunt morticina eorum, quasi stercus in
o platearum.
is his non est aversus furor ejus,
uc manus ejus extenta.
signum in nationibus procul,
abit ad eum de finibus terræ :
festinus velociter veniet.
(*Al.* non erit) deficiens, neque laborans in
dormitabit, neque dormiet,
olvetur cingulum renum ejus,
petur corrigia calceamenti ejus.

A Sagittæ ejus acutæ,
et omnes arcus ejus extenti.
Ungulæ equorum ejus ut silex,
et rotæ ejus quasi impetus tempestatis.
Rugitus ejus ut leonis,
rugiet ut catuli leonum :
et frendet, et tenebit prædam :
et amplexabitur, et non erit qui eruat.
Et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris : aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis,
et lux obtenebrata est in caligine ejus.
(*Cap.* VI.) In anno quo mortuus est rex Ozias,
vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum,
et ea quæ sub eo erant, replebant templum.
Seraphim stabant super illud :
sex alæ uni, et sex alæ alteri :
duabus velabant faciem ejus,
et duabus velabant pedes ejus,
B et duabus volabant.
Et clamabat aler ad alterum, et dicebat :
Sanctus,Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum,
plena est omnis terra gloria ejus.
Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis.
et domus impleta est fumo. Et dixi :
Væ mihi, quia tacui,
quia vir pollutus labiis ego sum,
et in medio populi polluta labia habentis ego habito (*Al.* habitabo),
et regem Dominum exercituum vidi oculis meis.
Et volavit ad me unus de Seraphim,
et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari.
Et tetigit os meum, et dixit :
Ecce tetigit (*Al.* tetigi) hoc labia tua,
et auferetur iniquitas tua,
et peccatum tuum mundabitur.
C Et audivi vocem Domini dicentis :
Quem mittam ? ei quis ibit nobis ? Et dixi :
Ecce ego, mitte me. Et dixit :
Vade, et dices populo huic :
Audite audientes (*Al.* auditu audite), et nolite intelligere :
et videte visionem (*Al.* visu), et nolite cognoscere.
Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava :
et oculos ejus claude :
ne forte videat [2] oculis suis,
et auribus suis audiat.
et corde suo (*Al. tacet* suo) intelligat.
et convertatur, et sanem eum (*Al.* sanetur).
Et dixi :
Usquequo, Domine ?
Et dixit :
Donec desolentur civitates absque habitatore,
et domus sine homine,
D et terra reliquetur (*Al.* relinquatur) deserta.
Et longe faciet Dominus homines,
et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ.
Et adhuc in ea decimatio, et convertetur,
et erit in ostensionem sicut (*Al.* rursum erit in deprædationem sicut, *etc.*) terebinthus,

ss. omnes vetustiores ac melioris notæ uod legitur in Hebr. In canone S. Ger- *auribus meis sunt, hæc dicit Dominus* n. Porro corruptam esse lectionem hu- ocet nos ipse Hieronymas in hunc locum Pro eo,inquit, quod nos juxta Hebraicam *In auribus meis sunt Domini exercituum,* rba quæ locutus est Dominus,adhuc reso- ribus meis, et LXX transtulerunt, » etc. itaque repugnat *editæ nostræ* lectioni, haud dubium quin et menti et verbis S.Hieronymi repugnet. MART.

[2] In Canone S. Germani pluralis est numerus secundum LXX, *Videant audiant*, etc. Lapsum vero hujusmodi exscriptoris manifeste probat,non solum Canon Ecclesiæ Carcassonensis cum plurimis mss.codicibus sacrorum Bibliorum ; sed Commentariorum etiam S. Hieronymi liber tertius,ubi de his abunde disputatur. MART.

et sicut quercus,quæ expandit ramos (*Al.*projecit fructus) suos :
Semen sanctum erit,
id quod steterit in ea.
(*Cap.* VII.) Et factum est,in diebus Ahaz filii Joathan, filiæ Oziæ regis Juda,
ascendit Rasin rex Syriæ,et Phacee filius Romeliæ rex Israel, in Jerusalem, ad præliandum contra eam ;
et non potuerunt debellare eam.
Et nuntiaverunt domui David, dicentes :
Requievit Syria super (*Al.* consensit. . . . cum) Ephraim,
et commotum est cor ejus, et cor populi ejus,
Sicut moventur ligna silvarum a facie venti.
Et dixit Dominus ad Isaiam :
Egredere in occursum Ahaz, tu,et qui derelictus est Jasub filius tuus,
ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via Agri fullonis.
Et dices ad eum :
Vide, ut sileas :
noli timere,
et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fulmigantium istorum :
in ira furoris Rasin regis [1] Syriæ ; et filii Romeliæ :
eo quod consilium inierit contra te Syria in malum (*Al.* pessimum).
Ephraim, et filius Romeliæ, dicentes :
Ascendamus ad Judam ;
et suscitemus eum, et avellamus (*Al.*evellamus) eum ad nos.
et ponamus regem in medio ejus filium Tabeel.
Hæc dicit Dominus Deus :
Non stabit, et non erit istud :
sed caput Syriæ Damascus,
et caput Damasci Rasin :
Et adhuc sexaginta et quinque anni,
et desinet Ephraim esse populus :
Et caput Ephraim Samaria,
Et caput Samariæ filius Romeliæ.
Si non credideritis,
non permanebitis.
Et adjecit Dominus loqui ad Ahaz, dicens :
Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni.
sive in excelsum supra,
Et dixit Ahaz :
Non petam,
et non tentabo Dominum.
Et dixit : Audite ergo domus David :
Nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo?
Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.
Ecce virgo concipiet, et pariet filium (*Al. tacet* filium),
Et vocabis nomen ejus Emmanuel [2].
Butyrum et mel comedet,
ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.
Quia antequam sciat puer reprobare malum,et eligere bonum,

A derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum.
Adducet Dominus super te,et super populum tuum, et super domum patris tui,
dies qui non venerunt a diebus separationis Ephraim a Juda cum rege Assyriorum.
Et erit in die illa :
Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti,
et api, quæ est in terra Assur,
et venient, et requiescent omnes in torrentibus vallium, et in cavernis petrarum.
et in omnibus frutetis, et in universis foraminibus.
In die illa radet Dominus in novacula conducta, in his qui trans flumen sunt,in rege Assyriorum,
caput et pilos pedum,
et barbam universam.
Et erit in die illa :
B Nutriet homo vaccam boum et duas oves,
et præ ubertate lactis comedet butyrum :
Butyrum enim, et mel manducabit
omnis qui relictus fuerit in medio terræ.
Et erit in die illa :
Omnis locus ubi fuerint mille vites,mille argenteis,
et in spinas et in vepres erunt.
Cum sagittis et arcu ingredientur illuc :
Vepres enim et spinæ erunt in universa terra,
et omnes montes, qui in sarculo sarrientur,
non veniet illuc terror spinarum et veprium,
Et erit in pascua bovis,
Et in conculcationem pecoris.
(*Cap.* VIII.) Et dixit Dominus ad me :
Sume tibi librum grandem,
et scribe in eo stylo hominis :
Velociter spolia detrahe,
cito prædare.
Et adhibui mihi testes fideles,
C Uriam sacerdotem,et Zachariam filium Barachiæ:
Et accessi ad prophetissam,
et concepit, et peperit filium.
Et dixit Dominus ad me :
Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere (*Al.* detrahe) :
Festina prædari.
Quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam,
auferetur fortitudo Damasci,
et spolia Samariæ, coram rege Assyriorum.
Et adjecit Dominus adhuc loqui ad me dicens :
Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, qui vadunt cum silentio,
et assumpsit magis Rasin, et filium Romeliæ :
propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas,
regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus :
Et ascendet super omnes rivos ejus,
D et fluet super universas ripas ejus,
Et ibit per Judam, inundans, et transiens
usque ad collum veniet.
Et erit extensio alarum ejus,
implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel.

[1] Neque in Hebræo est additum *regis*, neque eam vocem ipse Hieronymus legit in Commentario.

[2] Corruptam hic exhibent lectionem mss.quamplures : nonnulli legunt, *Et vocabitis :* alii, *Et vocabitur.* In paucioribus autem,sed emendatioribus, scriptum legimus, *Et vocabis.* Locus iste insignior est apud Hieronymum,quam ut a nobis prætermitti queat. Sic igitur disserentem legas l. III Commentariorum in Isaiam : « Quodque sequitur, inquit, *Et vocabis nomen ejus Emmaauel*, et LXX et tres reliqui similiter transtulerunt ; pro quo in Matthæo *(cap. I. vers. 23) scriptum est vocabunt*, quod in *Hebr.nomen non habetur*...Verbum CARATHI קראתי quod omnes interpretati sunt, *Et vocabis*, potest intelligi *Et vocabit*, quod ipsa scilicet Virgo quæ concipiet et pariet,hoc Christum appellatura sit nomen. In multis testimoniis, quæ evangelistæ vel apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosius attendendum est,non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum. Unde et in præsenti loco, pro *concipiet in utero*, Matthæus posuit (*cap.* I,*vers.* 18) in *utero habebit* ; et (*cap.* I, *vers.* 23) pro *vocabis vocabunt.*» Multa dicenda nobis supersunt de קראתי *Carathi*, quod Hieronymus legit pro hodierno קרא *Carath*, sive וקראת *Vecarath ;* at de his in notis ad Commentaria. MART.

Congregamini populi, et vincimini :
et audite universæ procul terræ :
Confortamini, et vincimini,
inite consilium, et dissipabitur :
loquimini verbum et non fiet :
quia nobiscum Deus.
Hæc enim ait Dominus ad me :
sicut in forti manu erudivit me.
ne irem in via populi hujus, dicens :
Non dicatis, conjuratio :
Omnia enim quæ loquitur populus iste, conjuratio est,
et timorem ejus ne timeatis, neque paveatis.
Dominum exercituum ipsum sanctificate :
ipse pavor vester, et ipse terror vester.
Et erit vobis in sanctificationem.
In lapidem autem offensionis,et in petram scandali, duabus domibus Israel :
in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem.
Et offendent plurimi ex eis, et cadent, et conterentur,
et irretientur, et capientur.
Liga testimonium (*Al.* testimonia),
signa legem in discipulis meis.
Et exspectabo Dominum,qui abscondit faciem suam a domo Jacob,
et præstolabor eum.
Ecce ego et pueri mei,quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum (*Al.* signa atque portenta) Israel,
a Domino exercituum,qui habitat in monte Sion.
Et cum dixerint ad vos :
Quærite a pythonibus, et a divinis, qui strident in incantationibus suis :
Nunquid non populus a Deo suo requiret,
pro vivis ac mortuis ?
Ad legem magis, et ad testimonium.
Quod si non dixerint juxta verbum hoc,
non erit eis matutina lux.
Et transibit per eam,
et corruet, et esuriet :
Et cum esurierit, irascetur,
et maledicet regi suo, et Deo suo,
Et suspiciet sursum ;
et ad terram intuebitur,
Et ecce tribulatio et tenebræ,
dissolutio et angustia, et caligo persequens,
et non poterit avolare de angustia sua.
(*Cap.* IX.) Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthali,
et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium.
Populus,qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam :
Habitantibus in regione umbræ mortis,lux orta est eis.
Multiplicasti gentem,
non magnificasti lætitiam.
Lætabuntur coram te sicut lætantur in messe,
Sicut exsultant victores (*Al. add.* capta præda) quando dividunt spolia.
Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus,
et sceptrum exactoris ejus superasti,sicut in die Madian.
Quia omnis violenta prædatio cum tumultu,
et vestimentum mistum sanguine,erit in combustionem; et cibus ignis.
Parvulus enim natus est nobis,
et filius datus est nobis,
Et factus est principatus ejus super humerum ejus,
et vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis,
Pater futuri sæculi, princeps pacis.
Multiplicabitur ejus imperium,
et pacis non erit finis :
super solium David sedebit,*et super regnum* ejus:
A ut confirmet illud,et corroboret in judicio et justitia,
Amodo et usque in sempiternum :
zelus Domini exercituum faciet hoc.
Verbum misit Dominus in Jacob,
et cecidit in Israel.
Et sciet populus omnis Ephraim, et habitantes Samariam,
in superbia et magnitudine cordis dicentes :
Lateres ceciderunt,
sed quadris lapidibus ædificabimus :
Sycomoros succiderant,
sed cedros immutabimus.
Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum,
et inimicos ejus in tumultum vertet :
Syriam ab oriente, et Philisthim ab occidente :
et devorabunt Israel toto ore.
In omnibus his non est aversus furor ejus,
sed adhuc manus ejus extenta.
B Et populus non est reversus ad percutientem se,
et Dominum exercituum non inquisierunt.
Et disperdet Dominus ab Israel caput et caudam,
incurvantem et refrenantem, (*Al.* depravantem in) die una.
Longævus et honorabilis, ipse est caput :
et propheta docens mendacium, ipse est cauda.
Et erunt, qui beatificant populum istum, seducentes; et qui beatificantur (*Al.* beati dicuntur), præcipitati.
Propter hoc super adolescentulis ejus non lætabitur Dominus :
et pupillorum ejus, et viduarum non miserebitur :
Quia omnis hypocrita est et nequam,
et universum os locutum est stultitiam.
In omnibus his non est aversus furor ejus,
sed adhuc manus ejus extenta,
Succensa est enim quasi ignis impietas,
C veprem et spinam vorabit :
et succendetur in densitate saltus,
et convolvetur superbia fumi.
In ira Domini exercituum conturbata est (*Al.* contremuit) terra,
et erit populus quasi esca ignis :
Vir fratri suo non parcet,
Et declinabit ad dexteram, et esuriet :
et comedet ad sinistram, et non saturabitur :
Unusquisque carnem brachii sui vorabit :
Manasses Ephraim,
et Ephraim Manassen,
simul ipsi contra Judam.
In omnibus his non est aversus furor ejus,
sed adhuc manus ejus extenta.
(*Cap.* X.) Væ qui condunt leges iniquas :
et scribentes,injustitiam scripserunt ut opprimerent pauperes in judicio,
et vim facerent causæ humilium populi mei :
D ut essent viduæ præda eorum,
et pupillos diriperent.
Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis ?
ad cujus confugietis auxilium ?
et ubi derelinquetis gloriam vestram, ne incurvemini sub vinculo,
et cum interfectis cadatis ?
Super omnibus his non est aversus furor ejus,
sed adhuc manus ejus extenta.
Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse,
in manu eorum indignatio mea :
Ad gentem fallacem mittam eum,
et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat prædam,
et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum.
Ipse autem non sic arbitrabitur,
et cor ejus non ita existimabit :

sed ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum.
Dicit enim: Nunquid non principes mei simul reges sunt?
nunquid non ut Charchamis, sic Chalano?
et ut Arphad, sic Emath?
nunquid non ut Damascus, sic Samaria?
Quomodo invenit manus mea regna idoli,
sic et simulacra eorum de Jerusalem et de Samaria.
Nunquid non sicut feci Samariæ et idolis ejus,
sic faciam Jerusalem et simulacris ejus
Et erit, cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, et in Jerusalem,
visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur,
et super gloriam altitudinis oculorum ejus.
Dixit enim : in fortitudine manus meæ feci,
et in sapientia mea intellexi :
Et abstuli terminos populorum :
et principes eorum deprædatus sum,
Et detraxi quasi potens in sublimi residentes.
Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum :
Et sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt,
sic universam terram ego congregavi?
et non fuit qui moveret pennam,
et aperiret os, et ganniret.
Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea?
aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur?
quomodo si elevetur virga contra levantem se,
exaltetur baculus, qui utique lignum est.
Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem :
et subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis.
Et erit lumen Israel in igne,
et Sanctus ejus in flamma :
Et succendetur et devorabitur spina ejus,
et vepres in die una.
Et gloria saltus ejus, et Charmeli ejus, ab anima usque ad carnem consumetur,
Et erit terrore profugus.
Et reliquæ ligni saltus ejus præ paucitate numerabuntur
et puer scribet eos.
Et erit in die illa :
non adjiciet residuum Israel, et hi qui fugerint (*Al.* salvati fuerint) de domo Jacob, inniti super eo qui percutit eos ;
sed innitetur super Dominum sanctum Israel.
In veritate reliquiæ convertentur,
reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum (*Al.* Dominum) fortem.
Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo :
Consummatio abbreviata,
inundabit justitiam.
Consummationem enim et abbreviationem
Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.
Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituum :
Noli timere, populus meus habitator
Sion, ab Assur :
in virga percutiet te,
et baculum suum levabit super te in via Ægypti.
Adhuc enim pusillum modicumque,
et consummabitur indignatio (*Al. add.* mea) et furor meus super scelus eorum.
Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum,
juxta plagam Madian in petra Horeb,
et virgam suam super mare,
et levabit eam in via Ægypti.
Et erit in die illa : Auferetur onus ejus de humero *tuo,*

A et jugum ejus de collo tuo,
et computrescet jugum a facie olei.
Veniet in Ajath,
transibit in Magron :
apud Machmas commendabit vasa sua.
Transierunt cursim, Gabee sedes nostra :
obstupuit Rama, Gabaath Saulis fugit.
Hinni voce tua, filia Gallim ;
attende Laisa, paupercula Anathot.
Migravit Medemena :
habitatores Gabin confortamini.
Adhuc dies est, ut in Nobe stetur :
agitabit manum suam super montem filiæ Sion, collem Jerusalem.
Ecce dominator Dominus exercituum confringet
lagunculum in terrore,
et excelsi statura succidentur.
et sublimes humiliabuntur.
Et subvertentur condensa saltus ferro :
et Libanus cum excelsis cadet.
B (*Cap.* XI.) Et egredietur virga de radice Jesse,
et flos de radice ejus ascendet.
Et requiescet super eum spiritus Domini ;
spiritus sapientiæ et intellectus,
spiritus consilii et fortitudinis,
spiritus scientiæ et pietatis,
et replebit eum spiritus timoris Domini.
Non secundum visionem oculorum judicabit,
neque secundum aurium auditum arguet :
sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ :
Et percutiet terram virga oris sui,
et spiritu labiorum suorum interficiet impium.
Et erit justitia cingulum lumborum ejus :
et fides cinctorium renum ejus.
Habitabit lupus cum agno :
et pardus cum hædo accubabit :
Vitulus et leo et ovis simul morabuntur,
et puer parvulus minabit eos.
C Vitulus et ursus pascentur ;
simul requiescent catuli eorum :
et leo quasi bos comedet paleas.
Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis :
et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.
Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo :
quia repleta est terra scientia Domini,
sicut aquæ maris operientes.
In die illa, radix Jesse,
qui stat in signum populorum,
ipsum gentes deprecabuntur,
et erit sepulcrum ejus gloriosum.
Et erit in die illa :
Adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui,
quod relinquetur ab Assyriis,
D et ab Ægypto,
et a Phetros ;
et ab Æthiopia,
et ab Elam,
et a Sennaar,
et ab Emath,
et ab insulis maris.
Et levabit signum in nationes,
et congregabit profugos Israel,
et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ.
Et auferetur zelus Ephraim,
et hostes Juda peribunt :
Ephraim non æmulabitur Judam,
et Judas non pugnabit contra Ephraim.
Et volabunt in humeros Philisthim per mare,
simul prædabuntur filios Orientis.
Idumæa et Moab præceptum manus eorum,
et filii Ammon obedientes erunt.
Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti,

.t manum suam (*Al. tac.* suam) super
, in fortitudine spiritus sui :
iet eum in septem rivis,
inseant per eum calceati.
residuo populo meo, qui relinquetur ab
is :
; Israeli in die qua ascendit de terra
i.
die illa :

Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus
i :
s est furor tuus, et consolatus es me.
salvator meus :
er agam, et non timebo.
ido mea, et laus mea Dominus Deus,
est mihi in salutem.
juas in gaudio de fontibus salvatoris :
in illa die :
Domino, et invocate nomen ejus :
ite in populis adinventiones ejus,
te, quoniam excelsum est nomen ejus.
nino, quoniam magnifice fecit :
e hoc in universa terra.
lauda, habitatio Sion :
nus in medio tui sanctus Israel.

ONUS BABYLONIS.

Quod vidit Isaias filius Amos.

Super montem caliginosum levate si-
exaltate vocem,
num, et ingrediantur portas duces.
ri sanctificatis meis,
fortes meos in ira mea,
s in gloria mea.
dinis in montibus,
ulorum frequentium [1] :
regum,
ongregatarum :
ercituum præcepit militiæ belli, venien-
erra procul.
e cœli Dominus, et vasa furoris ejus,
lat omnem terram.
a prope est dies Domini :
itas a Domino veniet.
omnes manus dissolventur,
or hominis contabescet, et conteretur.
dolores tenebunt;
uriens, dolebunt :
e ad proximum suum stupebit,
ibustæ vultus eorum.

mini venit, crudelis, et indignationis
et iræ furorisque,
lam terram in solitudinem,
res ejus conterendos de ea.
llæ cœli, et splendor earum
dent lumen suum :
s est sol in ortu suo,
n splendebit lumine suo.
uper orbis mala,
impios iniquitatem eorum,
re faciam superbiam infidelium,
tiam fortium humiliabo.
it vir auro,
nundo obryzo.
ælum turbabo :
tur terra de loco suo,
gnationem Domini exercituum.
diem iræ furoris ejus.

A Et erit quasi damula fugiens, et quasi ovis :
et non erit qui congreget.
Unusquisque ad populum suum convertetur,
et singuli ad terram suam fugient.
Omnis, qui inventus fuerit, occidetur :
et omnis, qui supervenerit, cadet in gladio.
Infantes eorum allidentur in oculis eorum :
diripientur domus eorum,
et uxores eorum violabuntur.
Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum
non quærant, nec aurum velint :
sed sagittis parvulos interficient,
et lactentibus uteri non miserebuntur,
et super filios non parcet oculus eorum.
Et erit Babylon illa gloriosa in regnis,
inclyta in superbia Chaldæorum,
sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomor-
rham.
Non habitabitur usque in finem,
B et non fundabitur usque ad generationem et
generationem :
Nec ponet ibi tentoria Arabs,
nec pastores requiescent ibi.
Sed requiescent (*Al.* erunt) ibi bestiæ,
Et replebuntur domus eorum draconibus,
et habitabunt ibi struthiones,
et pilosi saltabunt ibi :
Et respondebunt ibi (*Al. tac.* ibi) ululæ in ædibus
ejus,
et sirenæ in delubris voluptatis.
(*Cap.* XIV.) Prope est ut veniat tempus ejus,
et dies ejus non elongabuntur.
Miserebitur enim Dominus Jacob,
et eliget adhuc de Israel,
et requiescere eos faciet super humum suam :
Adjungetur advena ad eos,
et adhærebit domui Jacob.
Et tenebunt eos populi,
C et adducent eos in locum suum.
Et possidebit eos domus Israel super terram Do-
mini in servos et ancillas :
et erunt captivantes eos, qui se captivaverant
(*Al.* capientes *et* ceperant),
et subjicient exactores suos.
Et erit in die illa : cum requiem dederit tibi Deus
a labore tuo et a concussione tua,
et a servitute dura, qua ante servisti :
sumes parabolam istam contra regem Babylonis,
et dices :
Quomodo cessavit exactor,
quievit tributum?
Contrivit Dominus baculum impiorum,
virgam dominantium, cædentem populos in in-
dignatione plaga insanabili,
subjicientem in furore gentes,
et persequentem crudeliter.
Conquievit, et siluit omnis terra,
D gavisa est, et exsultavit :
Abietes quoque lætatæ sunt super te,
et cedri Libani.
Ex quo dormisti
non ascendit qui succidat nos.
Infernus subter conturbatus est in occursum adven-
tus tui,
suscitavit tibi gigantes.
Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis,
omnes principes nationum.
Ei universi respondebunt, et dicent tibi :
Et tu vulneratus es sicut et nos,
nostri similis effectus es :

or Canonis San-Germanensis posuit e
uasi populorum ludentium, pro *frequen-*
pius illuduntur librarii, dum scribunt,
non quod inveniunt, sed quod intelligunt, ut alibi
monuimus. MART.

Detracta est ad inferos superbia tua,
concidit cadaver tuum ;
Subter te sternetur tinea (*Al.* putredo),
et operimentum tuum erunt vermes.
Quomodo cecidisti de cœlo, lucifer, qui mane oriebaris ?
corruisti in terram, qui vulnerabas gentes ?
qui dicebas in corde tuo :
In cœlum conscendam,
super astra Dei exaltabo solium meum,
Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis.
Ascendam super altitudinem nubium, et
ero similis Altissimo.
Verumtamen ad infernum detraheris
in profundum laci.
Qui te viderint,
ad te inclinabuntur, teque prospicient :
Numquid iste est vir, qui conturbavit terram,
qui concussit regna,
qui posuit orbem desertum,
et urbes ejus destruxit,
vinctis ejus non aperuit carcerem ?
Omnes reges gentium universi dormierunt in gloria,
vir in domo sua ;
Tu autem projectus es de sepulcro tuo,
quasi stirps inutilis,
pollutus et obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio,
et descenderunt ad fundamenta laci,
quasi cadaver putridum.
Non habebis consortium,
neque cum eis in sepultura :
Tu enim terram (*Al. add.* tuam) disperdidisti ;
tu populum occidisti :
non vocabitur in æternum semen pessimorum.
Præparate filios ejus occisioni in iniquitate patrum suorum :
non consurgent, nec hæreditabunt terram,
neque implebunt faciem orbis civitatum.
Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum :
et perdam Babylonis nomen, et reliquias,
et germen, et progeniem, ait Dominus.
Et ponam eam in possessionem ericii, et in paludes aquarum,
et scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum.
Juravit Dominus exercituum, dicens :
Si non, ut putavi, ita erit :
et quomodo mente tractavi, sic eveniet
Ut conteram Assyrium in terra mea,
et in montibus meis conculcem eum :
et auferetur ab eis jugum ejus,
et onus illius ab humero eorum tolletur.
Hoc consilium quod cogitavi super omnem terram, et hæc est manus extenta super universas gentes.
Dominus enim exercituum decrevit,
et quis poterit infirmare ?
et manus ejus extenta ;
et quis avertet eam ?

A In anno quo mortuus est rex Achaz,
factum est onus istud :
Ne lætetis, Philisthæa omnis tu,
quoniam comminuta est virga percussoris tui.
De radice enim colubri egredietur regulus,
et semen ejus absorbens volucrem.
Et pascentur primogeniti pauperum,
et pauperes fiducialiter requiescent :
et interire faciam in fame radicem tuam,
et reliquias tuas interficiam.
Ulula, porta ; clama, civitas
prostrata est omnis Philisthæa :
ab aquilone enim fumus veniet,
et non est qui effugiat agmen ejus.
Et quid respondebitur (*Al.* respondebit) nuntiis gentis ?
Quia Dominus fundavit Sion,
et in ipso (*Al.* ipsa *cum Hebræo* בה) sperabunt pauperes populi ejus.

B

ONUS MOAB.

(*Cap.* XV.) Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit :
quia nocte vastatus est murus, Moab conticuit
Ascendit domus, et Dibon ad excelsa
in planctum super Nabo, et super Medaba, Moab
ululavit (*Al.* ululabit *cum Hebræo* יוליל).
in cunctis capitibus ejus calvitium.
Omnis barba radetur.
In triviis ejus accincti sunt sacco :
super tecta ejus, et in plateis ejus omnis ululat[1],
descendit in fletum.
Clamabit Esebon, et Eleale,
usque Jasa audita est vox eorum ;
Super hoc expediti Moab ululabunt,
anima ejus ululabit sibi.
Cor meum ad Moab clamabit,
C vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem[2] :
Per ascensum enim Luith flens ascendet,
et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt.
Aquæ enim Nemrim desertæ erunt,
quia aruit herba,
defecit germen,
viror omnis interiit.
Secundum magnitudinem operis,
et visitatio eorum :
Ad torrentem salicum ducent eos.
Quoniam circumivi (*Al.* circuibit) clamor terminum Moab :
usque ad Gallim ululatus ejus,
et usque ad puteum Elim clamor ejus,
quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine :
Ponam enim super Dibon abditamenta ;
his qui fugerint de Moab leonem, et reliquiis
D terræ.
(*Cap.* XVI.) Emitte agnum dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.
Et erit : Sicut avis fugiens.
et pulli de nido avolantes :
sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.

[1] In commentario legit *omnis ululatus descendet*, etc. In Hebræo quoque est. בלה יוליל ירד.

[2] Locus obscurissimus ; sed eum manifestum ac planum efficiunt Comment. Hieronymiani multis in locis : nam libro *QQ. Hebraicarum* in Genesim de Segor ait : « Tradunt igitur Hebræi hanc eamdem in alio Scripturarum libro Salissam nominari, dicique rursum μόσχον τριετιζουσαν, id est, vitulam conternantem, quod scilicet tertio motu terræ absorpta est. » Eadem refert I. v Comm. in Isaiam ; subdit vero illic : Possumus vitulam conternantem pro perfecta ætate accipere. Sicut enim tricesimus annus in hominibus, ita in pecudibus ac jumentis tertius robustissimus est. Vectes quotquot pro terminis et robore intellige, eo quod Segor in finibus Moabitarum sita sit, dividens ab eis terram Philisthim. » MART.

— Confer de hujus significatione vocis Commentarios S. Interpretis lib. v ; *Quæstiones* quoque *Hebraicas*, col. 326 et 334 ; librum *Nominum Hebraicorum ;* denique Epitaphium S. Paulæ, ubi et annotatum est in aliis mss. haud bene esse *consternantem*. Vide quæ iis locis observamus.

ım, coge concilium :
ısi noctem umbram tuam in meridie :
› fugientes, et vagos ne prodas.
; apud te profugi mei :
to latibulum eorum a facie vastatoris :
enim pulvis,
ıatus est miser :
ui conculcabat terram,
bitur in misericordia solium,
t super illud in veritate in tabernaculo

et quærens judicium,
.er reddens quod justum est.
superbiam Moab,
est valde
ejus et arrogantia ejus,
atio ejus,
ı fortitudo ejus.
labit Moab ad Moab,
ɜ ululabit :
ætantur super muros cocti lateris,
plagas suas.
ıburbana Esebon deserta sunt, et vineam
a (*Al.* vinea sabama) Domini gentium
'unt.
ıs usque ad Jazer pervenerunt ;
ıt in deserto,
es ejus relictæ sunt,
nt mare.
›lorabo in fletu Jazer vineam Sabama
ıea Sabama) :
› te lacryma mea, Esebon, et Elcale,
super vindemiam tuam,
messem tuam vox calcantium irruit.
r lætitia et exsultatio de Charmelo,
ıs non exsultabit, neque jubilabit.
orculari non calcabit qui calcare con-
ıt :
lcantium abstuli.
venter meus ad Moab quasi cithara
:t viscera mea ad murum cocti lateris.
m apparuerit quod laboravit
· excelsis suis,
ur ad sancta sua, ut obsecret,
lebit.
ı, quod locutus est Dominus
ex tunc,
cutus est Dominus dicens :
ınis, quasi anni mercenarii, auferetur
Moab super omni populo multo,
ıetur parvus et modicus, nequaquam

ONUS DAMASCI.

) Ecce Damascus desinet esse civitas ;
:ut acervus lapidum in ruina.
ivitates Aroer gregibus erunt,
scent ibi,
it qui exterreat.
adjutorium ab Ephraim,
n a Damasco :
› Syriæ sicut gloria filiorum Israël
icit Dominus exercituum.
ie illa : attenuabitur gloria Jacob,
:do carnis ejus emarcescet (*Al.* pingues
ejus emarcescent).
t congregans in messe quod restiterit,
um ejus spicas leget :
t quærens spicas in valle Raphaim.
tur in eo sicut racemus,
xcussio olivæ duarum vel trium oliva-
summitate rami,

A sive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus ;
dicit Dominus Deus Israel.

In die illa inclinabitur homo ad factorem suum,
et oculi ejus ad sanctum Israel respicient :

Et non inclinabitur ad altaria,
quæ fecerunt manus ejus :
et quæ operati sunt digiti ejus non respiciet, lucos et delubra.

In die illa, erunt civitates fortitudinis ejus derelictæ, sicut aratra, et segetes quæ derelictæ sunt a facie filiorum Israel.
Et erit deserta.
Quia oblita es Dei salvatoris tui,
et fortis adjutoris tui non est recordata :

Propterea plantabis plantationem fidelem,
· et germen alienum seminabis.
In die plantationis tuæ labrusca,
B et mane semen tuum florebit :

Ablata est messis in die hæreditatis,
et dolebit graviter.

Væ multitudo (*Al.* multitudini) populorum multorum,
ut multitudo maris sonantis :
et tumultus turbarum,
sicut sonitus aquarum multarum.

Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium,
et increpabit eum,
er fugiet procul :

Et rapietur sicut pulvis montium a facie venti,
et sicut turbo coram tempestate.

In tempore vesperi, et ecce turbatio :
in matutino, et non subsistet,

Hæc est pars eorum qui vastaverunt nos,
C et sors diripientium nos.

(*Cap.* XVIII.) Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ,
qui mittit in mare legatos,
et in vasis papyri super aquas.

Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam ;
ad populum terribilem, post quem non est alius;
gentem exspectantem et conculcatam,
cujus diripuerunt flumina terram ejus.

Omnes habitatores orbis, qui moramini terra,
cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis,
et clangorem tubæ audietis :
Quia hæc dicit Dominus ad me :

Quescam, et considerabo in loco meo,
sicut meridiana lux clara est,
et sicut nubes roris in die messis.

D Ante messem enim totus efflоruit,
et immatura perfectio germinavit,

Et prædicentur ramusculi ejus falcibus :
et quæ derelicta fuerint, abscindentur, et excutientur.

Et relinquentur simul avibus montium et bestiis terræ :
et æstate perpetua erunt super eum volucres,
et omnes bestiæ terræ super illum hiemabunt.

In tempore illo deferetur munus Domino exercituum
a populo terribili, post quem non fuit alius ;
a gente exspectante, exspectante et conculcata,
cujus diripuerunt flumina terram ejus ;
ad locum hominis Domini exercituum, montem Sion,

ıe legunt hic exemplaria Canonis, *Ex hoc, et nunc*, pro *ex tunc*. Et nunc. Mart.

ONUS ÆGYPTI.

(*Cap.* XIX.) Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum,
et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus.
et cor Ægypti tabescet in medio ejus.
Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios :
et pugnabit vir contra fratrem suum,
et vir contra amicum suum,
civitas adversus civitatem,
regnum adversus regnum.
Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus :
et consilium ejus præcipitabo :
et interrogabunt simulacra sua, et divinos suos, et pythones, et ariolos.
Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium,
et rex fortis dominabitur eorum,
ait Dominus Deus exercituum :
Et arescet aqua de mari,
et fluvius desolabitur, atque siccabitur.
Et deficient flumina :
et attenuabuntur, et siccabuntur rivis aggerum.
Calamus et juncus marcescet :
nudabitur alveus rivi a fonte suo,
Et omnis sementis irrigua siccabitur,
arescet, et non erit.
Et mœrebunt piscatores,
et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum,
et expandentes rete super faciem aquarum (*Al.* aquæ) marcescent.
Confundentur qui operabantur (*Al.* operantur) linum, pectentes (*Al.* plectentes) et texentes subtilia.
Et erunt irrigua ejus flaccentia :
omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces.
Stulti principes Taneos ;
sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens.
Quomodo dicetis Pharaoni :
Filius sapientium ego, filius regum antiquorum ?
Ubi sunt nunc sapientes tui ?
annuntient tibi, et indicent
quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum.
Stulti facti sunt principes Taneos,
emarcuerunt principes Mempheos,
deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus.
Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis :
et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo,
sicut errat ebrius et vomens.
Et non erit Ægypto opus,
quod faciat caput et caudam,
[1] incurvantem et refrenantem.
In die illa erit Ægyptus quasi mulieres,
A et stupebunt, et timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum,
quam ipse movebit super eam,
Et erit terra Juda Ægypto in [2] festivitatem :
Omnis qui in illius fuerit recordatus,
pavebit a facie consilii Domini exercituum,
quod ipse cogitavit super eam.
In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan,
et jurantes per Dominum exercituum
Civitas Solis vocabitur una.
In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti,
et titulus Domini juxta terminum ejus :
Et erit in signum, et in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti.
Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos.
B Et cognoscetur Dominus ab Ægypto,
et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa,
et colent eum in hostiis et muneribus :
et vota vovebunt Domino, et solvent.
Et percutiet Dominus Ægyptum plaga,
et sanabit eam,
et revertentur ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos.
In die illa erit via de Ægypto in Assyrios,
et intrabit Assyrius Ægyptum, et Ægyptus (*Al.* Ægyptius) in Assyrios,
et servient Ægyptii Assur.
In die illa erit Israel tertius Ægypto (*Al.* Ægyptio) et Assyrio :
benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens :
Benedictus populus meus Ægypti,
et opus manuum mearum Assyrio :
hæreditas autem mea Israel.
C (*Cap.* XX.) In anno quo ingressus est Tharthan in Azotum,
cum misisset eum Sargon rex Assyriorum,
et pugnasset contra Azotum, et cepisset eam :
in tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filii Amos, dicens ;
Vade, et solve saccum de lumbis tuis,
et calceamenta tua tolle de pedibus tuis.
Et fecit sic, vadens nudus et discalceatus.
Et dixit Dominus ;
Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus,
trium annorum signum et portentum erit super Ægyptum et super Æthiopiam ;
Sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti,
et transmigrationem Æthiopiæ,
juvenem et senem (*Al.* juvenum et senum)
nudum et discalceatum,
discoopertis natibus,
ignominiam Ægypti.
D Et timebunt, et confundentur ab Æthiopia spe sua, et ab Ægypto gloria sua.

[1] Audiendus hic S. ipse est Pater, ubi suam istius loci versionem recognoscit, emendatque in Commentario : quem locum et Martianæus laudat. « In eo quoque, inquit, quod nos transtulimus, *incurvantem* et *refrenantem*, possumus dicere, incurvum et lascivientem, ut intelligamus senem et puerum. Nos autem verbum Hebraicum AGMON (אגמון), dum celeriter quæ scripta sunt, vertimus, ambiguitate decepti, *refrenantem* diximus. » Et post pauca. « Melius, inquit, reor proprium errorem reprehendere, quam. dum erubesco imperitiam confiteri, in errore persistere. In eo quod transtuli, *Et erit terra Juda Ægypto in festivitatem* : pro *festivitate* in Hebræo legitur AGGA (חגא), quod interpretari potest *et festivitas : unde et Aggæus* in *festivum* vertitur : et *timor*, quod significantius Aquila transtulit γύρωσιν, cum aliquis pavidus et tremens circumfert oculos, et advenientem formidat inimicum. Ergo si voluerimus in bonam partem accipere, quod recordatio Judæ sit gaudii, recte festivitas dicitur : sin autem, ut arbitror, in *timorem* pro *festivitate* vertitur, intelligamus formidinem vel pavorem. »

[2] Præclarissimum omnibus doctis modestiæ ac humilitatis exemplum præbet S. Hieronymus l. v. Comment. in Isaiam prophetam, ubi sesse reprehendens quod nimis festinus et præceps nonnulla capituli hujus verba non bene converterit in Latinum sermonem, ingenue hæc fassus est : « In eo quoque quod nos transtulimus, » etc., *ut in Vallarsi nota.* MART.

ɜt habitator insulæ hujus in die illa :
hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in
ıxilium,
berarent nos a facie regis Assyriorum :
ıomodo effugere poterimus nos ?

ONUS DESERTI MARIS.

. XXI.) Sicut turbines ab Africo veniunt,
eserto venit, de terra horribili.
lura nuntiata est mihi :
ɔredulus est, infideliter agit :
qui depopulator est, vastat.
le, Elam ;
le, Mede :
em gemitum ejus cessare feci.
rea repleti sunt lumbi mei dolore,
ıstia possedit me
angustia parturientis :
cum audirem,
ırbatus sum cum viderem.
ıit cor meum,
ɔræ stupefecerunt me :
ı dilecta mea
a est mihi in miraculum.
ıensam,
ımplare in specula
dentes et bibentes.
, principes,
ite clypeum.
im mihi Dominus :
ɜt pone speculatorem :
odcunque viderit, annuntiet.
: currum duorum equitum,
ısorem asini, et ascensorem cameli :
emplatus est diligenter multo intuitu.
amavit leo :
speculam Domini ego sum, stans jugiter per
ɜm :
per custodiam meam ego sum, stans totis
ɜtibus.
ɔ venit ascensor vir bigæ equitum,
pondit, et dixit ;
Babylon,
nia sculptilia deorum ejus contrita sunt in
ram,
mea, et filii areæ meæ [1],
ıudivi a Domino exercituum Deo Israel, an-
ıtiavi vobis.

ONUS DUMA.

clamat ex Seir ;
quid de nocte ?
ɜ, quid de nocte ?
ıstos :
ıane et nox :
æritis, quærite :
rtimini, venite.

ONUS IN ARABIA.

. ad vesperam dormietis,
nitis Dodanim.
ɜntes sitienti ferte aquam,
abitatis terram Austri,
panibus occurrite fugienti.

A A facie enim gladiorum fugerunt,
a facie gladii imminentis.
a facie arcus extenti,
a facie gravis prælii :
Quoniam hæc dicit Dominus ad me :
Adhuc in uno anno,
quasi in anno mercenarii,
et auferetur omnis gloria Cedar.
Et reliquiæ numeri sagittariorum fortium de filiis
Cedar imminuentur :
Dominus enim Deus Israel locutus est.

ONUS VALLIS VISIONIS.

(*Cap.* XXII.) Quidnam tibi quoque est,
quia ascendisti et tu omnis in tecta ?
Clamoris plena,
urbs frequens,
civitas exsultans :
Interfecti tui, non interfecti gladio,
B nec mortui in bello.
Cuncti principes tui fugerunt simul,
dureque ligati sunt ;
Omnes qui inventi sunt, vincti sunt pariter,
procul fugerunt.
Propterea dixi :
Recedite a me, amare flebo :
nolite incumbere ut consolemini me super vasti-
tate filiæ populi mei.
Dies enim interfectionis, et conculcationis, et fle-
tuum,
Domino Deo exercituum in valle Visionis,
scrutans murum,
et magnificus super montem.
Et Elam sumpsit pharetram
currum hominis equitis,
et parietem nudavit clypeus.
Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum et
equites ponent sedes suas in porta.
C Et revelabitur operimentum Judæ,
et videbis in die illa armamentarium
domus saltus.
Et scissuras civitatis David videbitis, quia multi-
plicatæ sunt :
Et congregastis aquas piscinæ inferioris,
et domos Jerusalem numerastis,
et destruxistis domos ad muniendum murum.
Et lacum fecistis inter duos muros
ad aquam [2] piscinæ veteris :
et non suspexistis ad eum qui fecerat eam,
et operatorem ejus de longe non vidistis.
Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad
fletum, et ad planctum,
ad calvitium, et ad cingulum sacci :
Et ecce gaudium et lætitia,
occidere vitulos, et jugulare arietes.
comedere carnes, et bibere vinum :
Comedamus, et bibamus ;
cras enim moriemur.
D Et revelata est in auribus meis, Domini [3] (*Vulg.* vox
Domini) exercituum ;
Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini,
dicit Dominus Deus exercituum.
Hæc dicit Dominus Deus exercituum ;
Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo,

. bene legitur in mss. libris, *et filia areæ meæ ;* Hebr. sit בַּת *ben*, id est *filius*. Quod autem *Tritura mea, et fili areæ meæ*, ad Jerusalem pham facit, et ad templum quod in area Orm est ; dicitque ad eum : O Jerusalem et poi templi mei, non tibi videatur incredulum od dixi, non mea enim verba sunt, sed Dotc., MART.

nes mss. codices pro *ad aquam*, habent *et* : sed in Hebræo legimus *ad aquas*, ut sit : *Et lacum fecistis inter duos muros ad servandas aquas ;* sive piscinam veterem instaurastis ad aquam servandam. MART.

[3] In utroque Canone Hebr verit. mutatur genuina Scripturæ lectio in hunc modum : *Et revelata est in auribus meis, dicit Dominus exercituum.* Insuper et in Carcassonensi additur *vox* post *revelata* est. Nonnulli mss. codices cum Vulgata legunt, *vox Domini exercituum.* Vide eamdem phrasim supra in notis ad versum tricesimum cap. v, sive ad versum nonum, prout hodie numeri versiculorum ponuntur in Bibliis. MART.

ad Sobnam præpositum templi, et dices ad eum:
Quid tu hic;
aut quasi quis hic?
quia excidisti tibi hic sepulchrum,
excidisti in excelso memoriam diligenter,
in petra tabernaculum tibi.
Ecce Dominus asportari te faciet,
sicut asportatur gallus gallinaceus,
et quasi amictum sic sublevabit te.
Coronans coronabit te tribulatione,
quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam;
ibi morieris, et ibi erit currus gloriæ tuæ,
ignominia domus Domini tui.
Et expellam de statione tua,
et de ministerio tuo deponam te.
Et erit in die: Vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ,
et induam illum tunica tua,
et cingulo tuo confortabo eum,
et potestatem tuam dabo in manu ejus:
et erit quasi pater habitantibus Jerusalem,
et domui Juda.
Et dabo clavem domus David super humerum ejus,
et aperiet, et non erit qui claudat:
et claudet, et non erit qui aperiat.
Et figam illum paxillum in loco fideli,
et erit in solium gloriæ domui patris. (*Al.* Et solio domus patris) sui.
Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus,
vasorum diversa genera,
omne vas parvulum,
a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum.
In die illa dicit Dominus exercituum:
Auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli:
et frangetur, et cadet,
et peribit quod pependerat in eo,
quia Dominus locutus est.

ONUS TYRI.

(*Cap.* XXIII.) Ululate, naves maris:
quia vastata est domus, unde venire consueverant:
de terra Cethim revelatum (*Al.* revelata) est eis.
Tacete qui habitatis in insula;
negotiatio Sidonis.
Transfretantes mare repleverunt te in aquis multis.
Semen Nili, messis fluminis fruges ejus.
et facta est negotiatio gentium.
Erubesce, Sidon:
ait enim mare fortitudo maris, dicens:
Non parturivi, et non peperi,
et non enutrivi juvenes,
nec ad incrementum perduxi virgines.
Cum auditum fuerit in Ægypto,
dolebunt cum audierint de Tyro;
Transite maria,
ululate qui habitatis in insula:
Numquid non hæc vestra est,
quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua?
ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum.

A Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam.
cujus negotiatores principes,
institores ejus inclyti terræ?
Dominus exercituum cogitavit hoc,
ut detraheret superbiam omnis gloriæ.
et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ.
Transi terram tuam quasi flumen, filia maris,
non est cingulum ultra tibi.
Manum suam extendit supra mare,
conturbavit regna:
Dominus mandavit adversus Chanaan,
ut contereret fortes ejus, et dixit:
Non adjicies ultra ut glorieris,
calumniam sustinens virgo filia Sidonis:
in Cethim consurgens transfreta,
ibi quoque non erit requies tibi.
Ecce terra Chaldæorum
B talis populus non fuit,
Assur fundavit eam,
in captivitatem traduxerunt robustos ejus,
suffoderunt domos ejus,
posuerunt eam in ruinam.
Ululate, naves maris,
quia devastata est fortitudo vestra.
Et erit in die illa:
In oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis,
sicut dies regis unius:
Post septuaginta autem annos
erit Tyro quasi canticum meretricis.
Sume citharam, circui civitatem,
meretrix oblivioni tradita:
bene cane,
frequenta canticum, ut memoria tui sit.
Et erit post septuaginta annos:
Visitabit Dominus Tyrum,
et reducet eam ad mercedes suas[1]:
C Et rursum fornicabitur cum universis regnis terræ,
super faciem terræ.
Et erunt negotiatio ejus, et mercedes ejus sanctificatæ Domino:
non condendur, nec reponentur
Quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem,
et vestiantur usque ad vetustatem.
(*Cap.* XXIV.) Ecce Dominus dissipabit terram, et nudabit eam,
et affliget faciem ejus,
et dispergel habitatores ejus.
Et erit sicut populus, sic sacerdos:
et sicut servus, sic dominus ejus:
sicut ancilla, sic domina ejus:
sicut emens, sic ille qui vendit:
sicut fenerator, sic is qui mutuum accipit:
sicut qui repetit, sic qui debet.
Dissipatione dissipabitur terra,
et direptione prædabitur.
D Dominus enim locutus est verbum hoc.
Luxit, et defluxit terra, et infirmata est:
defluxit orbis,
infirmata est altitudo populi terræ.
Et terra interfecta[2] est ab habitatoribus suis:
quia transgressi sunt leges (*Al.* legem),

[1] Hic atque infra *merces* pro *mercede* legit S. Pater in Comment., tametsi corruptus locus ille Victorio creditur.

[2] Ita mss. libri S. Hieronymi ac editi etiam in Commentariis. Hanc vero lectionem satis indicat ipsemet sanctus Doctor, cum ait: « Et in morem sanguinis Abel interfectorum cruorem ad Deum clamare fecerunt. » Videsis plura lib. VIII Commentar. in Isaiam. MART.
— Vulgati, *infecta est*. Videtur autem Martianæo, impressam lectionem probasse magis in commentario S. ipse interpres. Hebræus tamen habet תכאבה, quod verbum *occultare, obtegere*, sive interius infectum aliquo vitio esse, significat. Usurpatur sæpe alibi de terra, ubi sensus est, quod effusum sanguinem tegat, atque in se peccatum suscipiat, hypocrisi quadam infecta, quod scelus dissimulet, et ferat nihilosecius peccatori fructus. Vid. Genes. IV, 11; Num. XXXV. 33; Job XVI, 18, et XX, 27; Jerem. III, 1 et 2, atque alibi: quibus testimoniis Vulgatæ lectio, *infecta*, potius asseritur, nobisque magis arridet.

mutaverunt jus,
dissipaverunt fœdus sempiternum.
Propter hoc maledictio vorabit terram,
et peccabunt habitatores ejus,
Ideoque insanient cultores ejus,
et relinquentur homines pauci.
Luxit vindemia,
infirmata est vitis,
ingemuerunt omnes qui lætabantur corde.
Cessavit gaudium tympanorum,
quievit sonitus lætantium,
conticuit dulcedo citharæ.
Cum cantico non bibent vinum :
amara erit potio bibentibus illam.
Attrita est civitas vanitatis,
clausa est omnis domus, nullo introeunte.
Clamor erit super vino in plateis :
deserta est omnis lætitia :
translatum est gaudium terræ.
Relicta est in urbe solitudo,
et calamitas opprimet portas.
Quia hæc erunt in medio terræ,
in medio populorum :
Quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea,
et racemi, cum fuerit finita vindemia.
Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt.
Cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari.
Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum :
in insulis maris nomen Domini Dei Israel.
A finibus terræ laudes audivimus,
gloriam justi.
Et dixi :
Secretum meum mihi,
secretum meum mihi :
Væ mihi : prævaricantes prævaricati sunt, et prævaricatione transgressorum prævaricati sunt.
Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ
Et erit : Qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam ;
et qui se explicaverit de fovea,
tenebitur laqueo :
Quia cataractæ de excelsis apertæ sunt,
et concutientur fundamenta terræ.
Confractione confringetur terra,
contritione conteretur terra,
commotione commovebitur terra,
Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis :
Et gravabit eam iniquitas sua, et corruet,
et non adjiciet ut resurgat,
Et erit : In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso ;
et super reges terræ, qui sunt super terram.
Et congrebabuntur in congregatione unius fascis in lacum,
et claudentur ibi in carcere :
et post multos dies visitabuntur.
Et erubescet luna et confundetur sol,
cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Jerusalem,
et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.
(*Cap.* XXV). Domine, Deus meus es tu, exaltabo te,
confitebor nomini tuo : quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas, fideles, amen.
Quia posuisti civitatem in tumulum,
urbem fortem in ruinam ;
domum alienorum, ut non sit civitas,
et in sempiternum non ædificetur.
Super hoc laudabit te populus fortis,
civitas gentium robustarum timebit te.
Quia factus es fortitudo pauperi,
fortitudo egeno in tribulatione sua :
spes a turbine.
umbraculum ab æstu.
Spiritus enim robustorum quasi turbo impellens
A parietem :
Sicut æstus in siti humiliabis.
Tumultum alienorum,
et quasi calore sub nube torrente,
propaginem fortium marcescere facies.
Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc
convivium pinguium,
convivium vindemiæ,
pinguium medullatorum,
vindemiæ defæcatæ.
Et præcipitavit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos,
et telam quam orditus est super omnes nationes,
Præcipitabit mortem in sempiternum :
et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra : quia Dominus locutus est.
Et dicet in illa die :
B Ecce Deus noster iste,
exspectavimus eum, et salvabit nos :
iste Dominus, sustinuimus eum,
exsultabimus, et lætabimur in salutari ejus.
Quia requiescet manus Domini in monte isto,
triturabitur Moab sub eo,
sicuti teruntur paleæ in plaustro.
Et extendet manus suas sub eo,
sicut extendit natans ad natandum :
Et humiliabit gloriam ejus cum allisione manuum ejus.
Et munimenta sublimium murorum tuorum condent.
et humiliabuntur,
et detrahentur in terram usque ad pulverem.
In die illa cantabitur canticum istud in terra Juda : (*Cap.* XXVI). Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus et antemurale.
Aperite portas,
C et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem.
Vetus error abiit :
servabis pacem, pacem,
quia in te speravimus.
Sperastis in Domino in sæculis æternis,
in Domino Deo forti in perpetuum.
Quia incurvabit habitantes in excelso,
civitatem sublimem humiliabit.
Humiliabit eam usque ad terram,
detrahet eam usque ad pulverem.
Conculcabit eam pes, pedes pauperi,
gressus egenorum,
Semita justi recta est,
rectus callis justi ad ambulandum.
Et in semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te :
nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ.
Anima mea desideravit te in nocte :
D sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.
Cum feceris judicia tua in terra,
justitiam discent habitatores orbis.
Misereamur impio,
et non discet justitiam :
In terra sanctorum inique gessit,
et non videbit gloriam Domini.
Domine, exaltetur manus tua, et non videant :
videant, et confundantur zelantes (*Al.* confundatur zelus) populi :
et ignis hostes tuos devoret.
Domine, dabis pacem nobis :
omnia enim opera nostra operatus es nobis.
Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te,
tantum in te recordemur nominis tui.
Morientes non vivant.
gigantes non resurgant :
Propterea visitasti et contrivisti eos,

et perdidisti omnem memoriam eorum.
Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti :
nunquid glorificatus es ?
elongasti omnes terminos terræ.
Domine, in angustia requisierunt te,
in tribulatione murmuris doctrina tua eis.
Sicut quæ concipit (*Al.* concepit), cum appropinquaverat ad partum
dolens, clamat in doloribus suis :
sic facti sumus a facie tua, Domine.
Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum :
salutes non fecimus in terra :
Ideo non ceciderunt habitatores terræ (*Al.* orbis).
Vivent (*Al.* vivant) mortui tui, interfecti mei resurgent (*Al.* resurgant) :
Expergiscimini et laudate qui habitatis in pulvere :
quia ros lucis ros tuus,
et terram gigantum detrahes in ruinam.
Vade populus meus, intra in cubicula tua,
claude ostia tua super te.
Abscondere modicum ad momentum,
donec pertranseat indignatio.
Ecce enim Dominus egredietur de loco suo.
ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum :
et revelabit terra sanguinem suum,
et non operiet ultra interfectos suos.
(*Cap.* XXVII). In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro,
et grandi, et forti, super Leviathan serpentem vectem,
et super Leviathan serpentem tortuosum :
et occident cetum, qui in mari est :
In die illa vinea meri cantabit ei.
Ego Dominus qui servo eam,
repente propinabo ei :
ne forte visitetur contra eam,
Nocte et die servo eam.
Indignatio non est mihi :
Quis dabit me spinam et veprem in prælio ?
gradiar super eam,
succendam eam pariter.
An potius tenebit (*Al.* tenebo) fortitudinem meam.
faciet pacem mihi,
pacem faciet mihi ?
Qui egrediuntur impetu a Jacob [1],
florebit, et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.
Nunquid juxta plagam percutiens se, percussit eum ?
aut sicut occidit interfectos ejus, sic occisus est ?
In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam :
meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus.
Idcirco super hoc (*Al.* his) dimittetur iniquitas domui Jacob :
et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus,
cum (*Al.* quia) posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos,

A non stabunt luci et delubra.
Civitas enim munita, desolata erit,
speciosa relinquetur, et dimittetur quasi desertum (*Al.* deserta) :
Ibi pascetur vitulus, et ibi accubabit,
et consumet summitates ejus,
In siccitate messes (*Al.* messis) illius conterentur,
mulieres venientes et docentes eam :
Non est enim populus sapiens,
propterea non miserebitur ejus, qui fecit eum ; et qui formavit eum, non parcet ei.
Et erit in die illa
percutiet Dominus ab alveo fluminis usque ad torrentem Ægypti,
et vos congregabimini unus et unus, Israel.
Et erit in die illa, clangetur in tuba magna, et venient qui perditi fuerant de terra Assyriorum,
et qui ejecti erant in terra Ægypti,
et adorabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem.
B (*Cap.* XXVIII). Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exsultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes a vino.
Ecce validus et fortis Dominus (*Al.* Domini, cum Heb. לדני).
sicut impetus grandinis, turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium et emissarum super terram spatiosam.
Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim.
Et erit flos decidens gloriæ exsultationis ejus, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumni :
quod cum aspexerit videns statim ut manu tenuerit, devorabit illud.
In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exsultationis residuo populi sui :
C et spiritus judicii sedenti super judicium, et fortitudo revertentibus de bello ad portam.
Verum hi quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt :
Sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate,
absorpti sunt a vino,
erraverunt in ebrietate,
nescierunt videntem,
ignoraverunt judicium.
Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque,
ita ut non esset ultra locus.
Quem docebit scientiam ?
et quem intelligere faciet auditum ?
ablactatos a lacte, avulsos [2] ab uberibus.
Quia manda, remanda ;
manda, remanda ;
exspecta, reexspecta ;
exspecta, reexspecta ;
D modicum ibi, modicum ibi.
In loquela enim labii, et lingua altera loquetur ad populum istum.
Cui dixit : Hæc requies mea, reficite lassum,

[1] Canon Carcassonensis et aliquot mss. codices Bibliorum legunt ut Vulgata nostra Latina, *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob*. At Canon S. Germani a Pratis, ms. Colbertinus Aniciensis prima manu. Sanctique Victoris Parisiensis codex vetustissimus n. 379 : *Qui egrediuntur*, etc. Errore autem librariorum factum est, nisi nos fallat opinio, ut hi omnes libri, quos inspeximus, uno excepto S. Germanensi nostro num. 164 scriptum habeant *ad Jacob*, pro *a Jacob*. Porro textus sacer Commentar. S. Hieronymi in Isaiam satis concordat cum nostra lectione, quia legimus ibi hoc modo : *Qui egrediuntur de Jacob* : quorum verborum sensus iste est : Post*quam apostoli in toto* orbe Evangelium prædicantes dixerint: Faciemus pacem Christo, pacem faciemus ei : qui in excelsis fuerint de semine Jacob, et in apostolicam pervenerint dignitatem, appellabuntur filii Jacob, etc. Hinc LXX, *Qui veniunt filii Jacob*. Non omittamus decem mss. codices, inter variantes lectiones Lucæ Brugensis, hanc cum Regiis Bibliis repræsentare lectionem : *Qui egrediuntur impetu a Jacob*. Consule adnotata ad hunc locum apud criticos. MART.

[2] Omnes mss. ex pronuntiatione librariorum, ut putamus, corrupte legunt *apulsos* pro *avulsos*. Hunc versum notat ipse Hieronymus in Commentariis, licet exscriptores in duos unum dividant in mss. codd. MART.

est meum refrigerium :
ierunt audire.
is verbum Domini :
, remanda ;
, remanda ;
ta, reexspecta ;
ta, reexspecta ;
ım ibi, modicum ibi :
it, et cadant retrorsum,
terantur [1], et illaqueentur, et capiantur.
hoc audite verbum Domini viri illusores,
minamini super populum meum, qui est in
salem,
enim :
iimus fœdus cum morte,
i inferno fecimus pactum.
n inundans cum transierit, non veniet su-
nos :
osuimus mendacium spem nostram, et
dacio protecti sumus.
æc dicit Dominus Deus :
mittam in fundamentis Sion lapidem,
n probatum, angularem, pretiosum, in fun-
ento fundatum (*Al.* fundatum fundamenti).
ediderit,
stinet [2],
n judicium in pondere,
itiam in mensura :
rtet grando spem mendacii :
ectionem aquæ inundabunt.
tur fœdus vestrum cum morte,
um vestrum cum inferno non stabit :
n inundans cum transierit,
n conculcationem.
unque (*Al.* cum) pertransierit, tollet vos,
ım mane diluculo pertransibit in die et in
e,
i modo sola vexatio intellectum dabit auditu.
tatum est in stratum, ita ut alter decidat,
ium breve utrumque operire non potest.
m in monte divisionum stabit Dominus :
n valle, quæ est in Gabaon, irascetur, ut
opus suum,
m opus ejus :
etur opus suum
inum est opus ab eo.
nolite illudere.
e constringantur vincula vestra.
nationem enim et abbreviationem
a Domino Deo exercituum
universam terram.
percipite, et audite vocem meam,
te, et audite eloquium meum.
tota die arabit arans ut serat, proscindet
iet humum suam ?
ım adæquaverit faciem ejus, seret gith, et
num sparget,
et tricticum per ordinem.
leum et milium, et viciam in finibus suis ?
it illum judicio,
s docebit illum.
n in ferris triturabitur gith,
a plaustri super cyminum circuibit,
virga excutietur gith,
inum in baculo :
autem comminuetur :
on in perpetuum triturans triturabit illum,
vexabit eum rota plaustri.

A nec in ungulis suis comminuet eum,
Et hoc a Domino [3] Deo exercituum exivit.
ut mirabile faceret consilium,
et magnificaret justitiam.
(*Cap.* XXIX.) Væ Ariel civitas,
quam expugnavit David :
Additus est annus ad annum :
solemnitates evolutæ sunt.
Et circumvallabo Ariel,
et erit tristis et mœrens,
et erit mihi quasi Ariel.
Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo,
et jaciam contra te aggerem.
et munimenta ponam in obsidionem tuam:
Humiliaberis, de terra loqueris.
et de humo audietur eloquium tuum :
Et erit quasi Pythonis de terra vox tua, de humo eloquium tuum mussitabit.
Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te:
B et sicut favilla pertransiens multitudo eorum
qui contra te prævaluerunt :
eritque repente confestim.
A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, et
commotione terræ
et voce magna turbinis et tempestatis,
et flamma ignis devorantis.
Et erit sicut somnium visionis nocturnæ multitudo
omnium gentium, quæ dimicaverunt contra.
Ariel,
et omnes qui militaverunt, et obsederunt, et prævaluerunt adversus eam.
Et sicut somniat esuriens, et comedit,
cum autem fuerit expergefactus,
vacua est anima ejus :
et sicut somniat sitiens, et bibit.
et postequam fuerit expergefactus (*Al.* evigilaverit),
lassus adhuc sitit,
et anima ejus vacua est :
C Sic erit multitudo omnium gentium
quæ dimicaverunt contra montem Sion.
Obstupescite, et admiramini,
fluctuate et vacillate :
inebriamini, et non a vino :
movemini, et non ab ebrietate.
Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis,
claudet oculos vestros, prophetas
et principes vestros [4], qui vident visiones, operiet.
Et erit vobis visio omnium
sicut verba libri signati,
quem cum dederint scienti litteras, dicent :
Lege istum : et respondebit :
Non possum, signatus est enim.
Et dabitur liber nescienti litteras, dicturque ei
Lege : et respondebit :
Nescio litteras.
Et dixit Dominus : Eo quod appropinquat populus
iste ore suo,
et labiis suis glorificat me,
D cor autem ejus longe est a me,
et timuerunt me mandato hominum et doctrinis :
Ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo
huic, miraculo grandi et stupendo :
peribit enim sapientia a sapientibus
et intellectus prudentium ejus abscondetur.
Væ qui Profundi estis corde,
ut a Domino abscondatis consilium :
quorum sunt in tenebris opera, et dicunt :

se erat penes Martian, *convertantur*: in He-
reliquos libros taceam, est, נשברו.
non festinet, quod juxta Hebræum Hiero-
ranstulit, Canon San-Germanensis legit,
tur. Antiquissimus vero codex Bibliorum
ım. 3 utramque retinet lectionem : *Non fe-*
non turbetur. LXX, *Non confundeutr* MART.

[3] Non interserit *Domino*, ubi locum hunc recitat, in commentario S. Pater, sed tantum habet, *et hoc a Deo exercituum* ; omnino verius ad Hebræum exemplar.

[4] Canon S. Germani legit, non tam diverso sensu quam diversa phrasi, *et principes vestri, qui vident visiones, peribunt*. MART.

Quis videt nos, et quis novit nos ?
Perversa est hæc vestra cogitatio :
quasi si lutum contra figulum cogitet,
et dicat opus factori suo : Non fecisti me :
et figmentum dicat fictori suo ; Non intelligis.
Nonne adhuc in modico et in brevi convertetur Libanus in Chermel,
et Chermel in saltum reputabitur ?
Et audient in die illa surdi verba libri,
et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt.
Et addent mites in Domino lætitiam,
et pauperes homines in sancto Israel exsultabunt.
Quoniam defecit qui prævalebat,
consummatus est illusor,
et succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem :
qui peccare faciebant homines in verbo,
et arguentem in porta supplantabant,
et declinaverunt frustra a justo.
Propter hoc, hæc dicit Dominus ad domum Jacob, B
qui redemit Abraham ;
Non modo confundetur Jacob,
nec modo vultus ejus erubescet :
sed cum viderit filios suos, opera manuum mearum, in medio sui sanctificantes nomen meum,
et sanctificabunt sanctum Jacob,
et Deum Israel prædicabunt ;
Et scient errantes spiritu intellectum,
et murmurantes discent legem.
(*Cap.* XXX) Væ, filii desertores, dicit Dominus,
ut faceretis consilium, et non ex me :
et ordiremini telam, et non per spiritum meum,
ut adderetur (*Al.* adderetis) peccatum super peccatum :
qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum,
et os meum non interrogastis,
Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis,
et habentes fiduciam in umbra Ægypti.
Et erit nobis fortitudo Pharaonis in confusionem, C
et fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.
Erant (*Al.* erunt) enim in Tanis principes tui
et nuntii tui usque ad Anes pervenerunt.
Omnes confusi sunt super populo,
qui eis prodesse non potuit (*Al.* poterit) :
Non fuerunt in auxilium, et in aliquam utilitatem,
sed in confusionem et in opprobrium.

ONUS JUMENTORUM AUSTRI.

In terra tribulationis et angustiæ leæna, et leo ;
ex eis vipera, et regulus volans,
Portantes super humeros jumentorum divitias suas,
et super gibbum camelorum thesauros suos, ad populum, qui eis prodesse non poterit.
Ægyptus enim frustra et vane auxiliabitur :
ideo clamavi super hoc
Superbia tantum est, quiesce.
Nunc ingressus scribe eis super buxum,
in libro diligenter exara illud,
Et erit in die novissimo in testimonium,
et usque in æternum.
Populus enim ad iracundiam provocans est,
et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei.
Qui dicunt videntibus : Nolite videre,
et aspicientibus Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt :
Loquimini nobis placentia,
videte nobis errores.
Auferte a me viam,
declinate a me semitam,
cesset a facie nostra sanctus Israel.
Propterea hæc dicit sanctus Israel :
Pro eo quod reprobastis verbum hoc,
et sperastis in calumnia et tumultu,
et innixi estis super eo ;
Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio *cadens*,
et requisita in muro excelso :

A Quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio ejus.
Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida
et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio,
aut hauriatur parum aquæ de fovea.
Quia hæc dicit Dominus Deus sanctus Israel :
Si revertamini et quiescatis,
salvi eritis :
In silentio et in spe
erit fortitudo vestra.
Et noluistis, et dixistis
Nequaquam, sed ad equos fugiemus :
ideo fugietis.
Et super veloces ascendemus :
ideo velociores (*Al.* veloces) erunt, qui persequentur vos.
Mille homines a facie terroris unius, et a facie terroris quinque fugietis, B
donec relinquamini quasi malus navis in vertice montis,
et quasi signum super collem.
Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri :
et ideo exaltabitur parcens vobis :
quia Deus judicii Dominus :
beati omnes, qui exspectant eum.
Populus enim Sion habitabit in Jerusalem,
plorans nequaquam plorabis,
miserans miserebitur tui :
ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.
Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem :
et non faciet avolare (*Al additur* a te ultra doctorem tuum
Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.
Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : C
Hæc via, ambulate in ea :
et non declinetis (*Al. tacet* et non declinetis) neque ad dexteram, neque ad sinistram.
Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui,
et vestimentum conflatilis auri tui,
et disperges ea sicut immunditiam menstruatæ.
Egredere, dices ei :
Et dabitur pluvia semini tuo, ubicunque seminaveris in terra :
et panis frugum terræ erit uberrimus, et pinguis.
Pascetur in possessione tua in die illa agnus spatiose :
et tauri tui, et pulli asinorum, qui operantur terram, commixtum migma comedent
sicut in area ventilatum est.
Et erunt super omnem montem excelsum, et super omnem collem elevatum rivi currentium aquarum,
D in die interfectionis multorum, cum ceciderint turres.
Et erit lux lunæ sicut lux solis,
et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum,
in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui,
et percussuram plagæ ejus sanaverit.
Ecce nomen Domini venit de longinquo,
ardens furor ejus, et gravis ad portandum :
Labia ejus repleta sunt indignatione,
et lingua ejus quasi ignis devorans.
Spiritu ejus velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum (*Al.* pro nihil),
et frenum erroris, quod erat in maxillis populorum.
Canticum erit vobis sicut nos sanctificatæ solemnitatis,
et lætitia cordis sicut qui cum tibia,
ut intret in montem Domini ad fortem Israel.

Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ,
et terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris,
et flamma ignis devorantis :
allidet in turbine et in lapide grandinis.
A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus.
Et erit transitus virgæ fundatus,
quam requiescere faciet Dominus super eum.
In tympanis et citharis, et in bellis præcipuis expugnabit eos.
Præparata est enim ab heri Thophteth,
a rege præparata, profunda et dilatata.
Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa :
flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.
(*Cap.* XXXI.) Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes,
et habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt,
et super equitibus, quia prævalidi nimis :
Et non sunt confisi super sanctum Israel,
et Dominum non requisierunt.
Ipse autem sapiens adduxit malum,
et verba sua non abstulit :
Et consurget contra domum pessimorum,
et contra auxilium operantium iniquitatem.
Ægyptus, homo, et non Deus :
et equi eorum, caro, et non spiritus :
Et Dominus inclinabit manum suam,
et corruet auxiliator,
et cadet cui præstatur auxilium,
simulque omnes consumentur.
Quia hæc dicit Dominus ad me :
Quomodo si rugiat leo, et catulus leonis super prædam suam, cum occurrerit ei multitudo pastorum,
a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non pavebit :
sic descendet Dominus exercituum, ut prælietur super montem Sion, et collem ejus.
Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Jerusalem,
protegens et liberans,
transiens et salvans.
Convertimini sicut in profundum recesseratis, filii Israel.
In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui,
quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum.
Et cadet Assur in gladio non viri,
et gladius non hominis vorabit eum,
et fugiet non a facie gladii :
et juvenes ejus vectigales erunt :
et fortitudo ejus a terrore transibit,
et pavebunt fugientes principes ejus.
Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion,
et caminus ejus in Jerusalem.
(*Cap.* XXXII.) Ecce in justitia regnabit rex,
et principes in judicio præerunt.
Et erit vir sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate,
sicut rivi aquarum in siti,
et umbra petræ proeminentis in terra deserta.
Non caligabunt oculi videntium,
et aures audientium diligenter auscultabunt.
Et cor stultorum intelliget scientiam,
et lingua balborum velociter loquetur et plane.
Non vocabitur ultra is, qui insipiens est, princeps
neque fraudulentus appellabitur major (*Al.* magnus) :
Stultus enim fatua loquetur,
et cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem,
et loquatur ad Dominum fraudulenter,
et vacuam faciat animam esurientis,
et potum sitienti auferat.
A Fraudulenti vasa pessima sunt :
ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendaci,
cum loqueretur pauper judicium.
Princeps vero ea, quæ digna sunt principe, cogitabit, et ipse super duces stabit.
Mulieres opulentæ, surgite,
et audite vocem meam :
filiæ confidentes, percipite auribus eloquium meum.
Post dies et annum, et vos conturbabimini confidentes :
consummata est enim vindemia,
collectio ultra non veniet.
Obstupescite, opulentæ:
conturbamini, confidentes:
exuite vos, et confundimini,
accingite lumbos vestros. Super ubera plangite,
super regione desiderabili,
B super vinea fertili.
Super humum populi mei spinæ et vepres ascendent :
quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exsultantis !
Domus enim dimissa est,
multitudo urbis relicta est,
Tenebræ et palpatio facta sunt super speluncas usque in æternum.
Gaudium onagrorum pascua gregum,
donec effundatur super nos spiritus de excelso,
Et erit desertum in Chermel,
et Chermel in saltum reputabitur.
Et habitabit in solitudine judicium,
et justia in Chermel sedebit
Et erit opus justitiæ pax,
et cultus justitiæ silentium,
et securitas usque in sempiternum.
Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis,
et in tabernaculis fiduciæ,
C et in requie opulenta.
Grando autem in descensione saltus,
et humilitate humiliabitur civitas.
Beati, qui seminatis super omnes aquas,
immittentes pedem bovis et asini.
(*Cap.* XXXIII.) Væ qui prædaris,
nonne et ipse prædaberis ?
Et qui spernis,
nonne et ipse sperneris ?
Cum consummaveris deprædationem,
deprædaberis :
Cum fatigatus desieris contemnere,
contemneris.
Domine, miserere nostri : te enim exspectavimus.
esto brachium nostrum [*Al.* eorum] in mane,
et salus nostra in tempore tribulationis.
A voce angeli fugerunt populi,
et ab exaltatione tua dispersæ sunt gentes.
D Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus :
velut cum fossæ plenæ fuerint de eo.
Magnificatus est Dominus,
quoniam habitavit in excelso :
implevit Sion judicio et justitia.
Et erit fides in temporibus tuis :
divitiæ salutis sapientia et scientia
timor Domini ipse thesaurus ejus.
Ecce videntes clamabunt foris,
angeli pacis amare flebunt.
Dissipatæ sunt viæ,
cessavit transiens per semitam,
irritum factum est pactum,
Projecit civitates,
non reputavit homines.
Luxit, et elanguit terra :
confusus est Libanus, et obsorduit,
et factus est Saron sicut desertum :
et concussa est Basan, et Carmelus.

Nunc consurgam, dicit Dominus:
nunc exaltabor, nunc sublevabor.
Concipietis ardorem,
parietis stipulam:
spiritus vester ut ignis vorabit vos.
Et erunt populi quasi de incendio cinis,
spinæ congregatæ igni comburentur.
Audite, qui longe estis, quæ fecerim,
et cognoscite, vicini, fortitudinem meam.
Conterriti sunt in Sion peccatores,
possedit tremor hypocritas.
Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante
quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?
Qui ambulat in justitiis,
et loquitur veritatem,
Qui projicit avaritiam ex calumnia,
et excutit manus suas ab omni munere,
Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem,
et claudit oculos suos ne videat malum.
Iste in excelsis habitabit,
munimenta saxorum sublimitas ejus:
Panis ei datus est,
aquæ ejus fideles sunt.
Regem in decore suo videbunt oculi ejus,
cernent terram de longe.
Cor tuum meditabitur timorem:
Ubi est litteratus [*Al.* Scriba]?
ubi legis verba ponderans?
ubi doctor parvulorum?
Populum impudentem [1] non videbis,
populum alti sermonis:
ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus,
in quo nulla est sapientia.
Respice, Sion, civitatem solemnitatis nostræ
oculi tui videbunt, Jerusalem, habitationem opulentam,
tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit:
nec auferentur clavi ejus in sempiternum,
et omnes funiculi ejus non rumpentur:
Quia solummodo ibi magnificus Dominus noster:
locus fluviorum
viri latissimi et patentes:
Non transibit per eam navis remigum,
neque trieris magna transgredietur eum.
Dominus enim judex noster,
Dominus legifer noster,
Dominus rex noster:
ipse salvabit nos.
Laxati sunt funiculi tui,
sed non prævalebunt:
Sic erit malus tuus [2]
ut dilatare signum non queas.
Tunc dividentur spolia prædarum multarum:
claudi diripient rapinam.
Nec dicet vicinus: Elangui:
populus qui habitat in ea,
auferetur ab eo iniquitas.
(*Cap.* XXXIV.) Accedite, gentes, et audite,
et populi, attendite:
Audiat terra et plenitudo ejus:
orbis, et omne germen ejus.

A Quia indignatio Domini super omnes gentes,
et furor super universam militiam eorum:
interfecit eos, et dedit eos (*Al. tacet* eos) in occisionem.
Interfecti eorum projiciuntur,
et de cadaveribus eorum ascendet fœtor:
Tabescent montes a sanguine eorum.
Et tabescet omnis militia cœlorum,
Et complicabuntur sicut liber cœli:
et omnis malitia eorum defluet,
sicut defluit folium de vinea et de ficu.
Quoniam inebriatus est in cœlo gladius meus:
Ecce super Idumæam descendet,
et super populum interfectionis meæ, ad judicium
Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe,
De sanguine agnorum et hircorum,
de sanguine medullatorum arietum:
Victima enim Domini in Bosra,
B et interfectio magna in terra Edom.
Et descendent unicornes cum eis,
et tauri cum potentibus:
Inebriabitur terra eorum sanguine,
et humus eorum adipe pinguium:
Quia dies ultionis Domini,
annus retributionum judicii Sion.
Et convertentur torrentes in picem,
et humus in sulphur:
Et erit terra ejus in picem ardentem nocte et die,
non exstinguetur in sempiternum:
Ascendet fumus ejus a generatione in generationem: desolabitur in sæcula sæculorum,
non erit transiens per eam.
Et possidebunt illam onocrotalus et ericius:
et ibis et corvus habitabunt in ea:
Et extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum,
et perpendiculum in desolationem.
C Nobiles ejus non erunt ibi:
regem potius invocabunt,
et omnes principes ejus erunt in nihilum.
Et orientur in domibus (*Al.* domo) ejus spinæ, et urticæ,
et paliurus in munitionibus ejus:
Et erit cubile draconum,
et pascua struthionum:
et occurrent dæmonia onocentauris [3],
et pilosus clamabit alter ad alterum:
Ibi cubavit (*Al.* cubabit) lamia,
et invenit (*Al.* inveniet) sibi requiem.
Ibi habuit foveam ericius,
et enutrivit catulos,
et circumfodit, et fovit in umbra ejus:
Illuc congregati sunt milvi,
alter ad alterum.
Requirite diligenter in libro Domini, et legite
unum ex eis non defuit,
D alter alterum non quæsivit,
Quia quod ex ore meo procedit, illa mandavit,
et spiritus ejus ipse congregavit ea.
Et ipse misit eis sortem
et manus ejus divisit eam illis in mensuram:
Usque in æternum possidebunt eam,

[1] Manuscripti codices aliquot cum Canone San-Germanensi legunt *populum imprudentem*; sed ex Commentariis Hieronymi certum exstat legendum esse *impudentem*, quem populum dicit, populum Judæorum, sive philosophorum et oratorum mundi, qui applaudunt sibi in eruditione et eloquentia sæculari. MART.

— Palat. aliique mss. cum nobis, tum Mart. inspecti, *imprudentem*. Diximus de hac lectione pridem in Comment.

[2] Hebræus tamen habet תרגם, id est *malus eorum*; sed fortasse *tuus* maluit S. Pater juxta LXX, *ὁ ἰστός σου*.

[3] Non bene dividunt veteres librarii hunc versiculum: nam in mss. codicibus ita legitur: *Et occurrent dæmonia; onocentaurus et pilosus clamabit alter ad alterum*. Veram igitur Vulgata nostra retinet lectionem, ut manifestissime declarant verba isthæc Comment. S. Hieronymi in hunc Isaiæ locum: « Et occurrent sibi in ea, juxta LXX, diversa dæmonum phantasmata, sive, ut omnes alii juxta Hebraicum transtulerunt SIIM (ציים) *et* IIM (איים), onocentauri et pilosi, et lamia, quæ gentilium fabulæ et poetarum figmenta describunt.» MART.

in generationem et generationem habitabunt in ea.
Cap. XXXV.) Lætabitur deserta et invia,
et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium.
Germinans germinabit,
et exsultabit lætabunda et laudans :
Gloria Libani data est ei,
decor Charmeli, et Saron.
Ipsi videbunt gloriam Domini,
et decorem Dei nostri :
Confortate manus dissolutas,
et genua debilia roborate,
Dicite pusillanimis :
Confortamini, nolite timere :
ecce Deus vester ultionem adducet retributionis:
Deus ipse veniet, et salvabit vos.
Tunc aperientur oculi cæcorum,
et aures surdorum patebunt.
Tunc saliet sicut cervus claudus,
et aperta erit lingua mutorum,
Quia scissæ sunt in deserto aquæ,
et torrentes, in solitudine.
Et quæ erat arida, erit in stagnum,
et sitiens in fontes aquarum.
In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant,
orietur viror calami et junci.
Et ibi erit ibi semita et via,
et via sancta vocabitur :
Non transibit per eam pollutus,
et hæc erit nobis (*Vulg.* vobis [1]) directa via,
ita ut stulti non errent per eam.
Non erit ibi leo,
et mala bestia non ascendet per eam,
nec invenietur ibi :
Et ambulabunt (*Al. add.* per eam) qui liberati fuerint, et redempti a Domino.
Convertentur, et venient in Sion cum laude
et lætitia sempiterna super caput eorum :
Gaudium et lætitiam obtinebunt,
et fugiet dolor et gemitus.
(*Cap.* XXXVI.) Et factum est in quarto decimo anno regis Ezechiæ,
ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes civitates Juda munitas, et cepit eas.
Et misit rex Assyriorum Rabsacen de Lachis in Jerusalem, ad regem Ezechiam in manu gravi,
et stetit in aquæductu piscinæ superioris in via Agri fullonis.
Et egressus est ad eum Eliacim filius Helciæ qui erat super domum, et Sobna scriba,
et Joahe filius Asaph a Commentariis.
Et dixit ad eos Rabsaces :
Dicite Ezechiæ :
Hæc dicit rex magnus rex Assyriorum :
Quæ est ista fiducia, qua confidis?
aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis?
Super quem habes fiduciam, quia recessisti a me?
Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum :
cui si innisus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam :
Sic Pharao rex Ægypti omnibus
qui confidunt in eo.
Quod si responderis mihi : In Domino
Deo nostro confidimus :
nonne ipse est, cujus abstulit Ezechias excelsa et altaria,
et dixit Judæ et Jerusalem :
Coram altari isto adorabitis?
Et nunc trade te Domino meo regi Assyriorum,
et dabo tibi duo millia equorum,
nec poteris ex te præbere ascensores eorum :
Et quomodo sustinebis faciem judicis unius loci ex servis domini mei minoribus?
Quod si confidis in Ægypto, in quadriga, et in equitibus :
et nunc nunquid sine Domino ascendi ad terram istam, ut disperderem eam?
Dominus dixit ad me :
Ascende super terram istam, et disperde eam.
Et dixit Eliacim, et Sobna, et Joahe ad Rabsacen
Loquere ad servos tuos Syra lingua :
intelligimus enim :
Ne loquaris ad nos Judaice in auribus populi,
qui est super murum.
Et dixit ad eos Rabsaces :
Nunquid ad Dominum tuum et ad te misit me dominus meus, ut loquerer omnia verba ista;
et non potius ad viros qui sedent in muro, ut comedant stercora sua,
et bibant urinam pedum suorum vobiscum?
Et stetit Rabsaces, et clamavit voce magna Judaice, et dixit :
Audite verba regis magni
regis Assyriorum.
Hæc dicit rex :
Non seducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos.
Et non vobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino, dicens :
Eruens liberabit nos Dominus :
non dabitur civitas ista in manu regis Assyriorum.
Nolite audire Ezechiam :
hæc enim dicit rex Assyriorum :
Facite mecum benedictionem, et egredimini ad me,
et comedite unusquisque vineam suam,
et unusquisque ficum suam :
Et bibite unusquisque aquam cisternæ suæ,
donec veniam et tollam vos ad terram, quæ est ut terra vestra (*Al.* similis terræ vestræ),
terram frumenti et vini,
terram panum et vinearum.
Nec conturbet vos Ezechias, dicens :
Dominus liberabit nos.
Nunquid liberaverunt dii gentium unusquisque terram suam de manu regis Assyriorum?
Ubi est deus Emath, et Arphad?
ubi est deus Sepharvaim?
nunquid liberaverunt Samariam de manu mea?
Quis est ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea?
Et siluerunt, et eruat Dominus Jerusalem de manu mea,
et non responderunt ei verbum.
Mandaverat enim rex, dicens :
Ne respondeatis ei.
Et ingressus est Eliacim filius Helciæ, qui erat super domum,
Et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph a Commentariis, ad Ezechiam scissis vestibus,
et nuntiaverunt ei verba Rabsacis.
(*Cap.* XXXVII.) Et factum est, cum audisset rex Ezechias,
scidit vestimenta sua, et obvolutus est sacco,
et intravit in domum Domini (*Al.* Dei) :
Et misit Eliacim, qui erat super domum, et Sobnam scribam, et seniores de sacerdotibus, opertos saccis, ad Isaiam filium Amos prophetam (*Al.* prophetæ),
et dixerunt ad eum :
Hæc dicit Ezechias :
Dies tribulationis [2],

[1] Ita mss. cui lectioni favet expositio S. Hieronymi lib. x Commentar. In Hebræo est לכיו. *Iamo*, id est *ipsis*. Forte pro לם, Vulgata *vobis*. MART.

[2] Canon San-Germanensis sic habet : *Dies tribulationis et angustiæ, et corruptionis, et blasphemiæ*; sed vox *angustia* redundat, nec legitur in Commentariis. MART.

et correptionis,
et blasphemiæ,
dies hæc :
Quia venerunt filii usque ad partum.
et virtus non est parturienti (*Al.* pariendi).
Si quomodo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus ad blasphemandum Deum viventem,
et exprobrandum sermonibus, quod audivit Dominus Deus tuus.
Leva ergo orationem pro reliquiis
quæ repertæ sunt.
Et venerunt servi regis Ezechiæ ad Isaiam.
Et dixit ad eos Isaias :
Hæc dicetis domino vestro :
Hæc dicit Dominus :
Ne timeas a facie verborum quæ audisti,
quibus blasphemarunt pueri regis Assyriorum me.
Et ego dabo ei spiritum,
et audiet nuntium et revertetur ad terram suam,
et corruere eum faciam gladio in terra sua.
Reversus est autem Rabsaces,
et invenit regem Assyriorum præliantem adversus Lobnam.
Audierat enim quia profectus esset de Lachis,
et audivit[1] de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes :
Egressus est, ut pugnet contra te.
Quod cum audisset, misit nuntios ad Ezechiam, dicens :
Hæc dicetis Ezechiæ regi Judæ, loquentes :
Non te decipiat Deus tuus,
in quo tu confidis, dicens :
Non dabitur Jerusalem in manu regis Assyriorum,
Ecce tu audisti omnia quæ fecerunt reges Assyriorum omnibus terris quas subverterunt,
et tu poteris liberari ?
Nunquid eruerunt eos dii gentium, quos subverterunt mei ?
Gozam, et Aram, et Reseph, et filios Eden, qui erant in Thalassar ?
Ubi est Emath, et rex Arphad,
et rex urbis Sepharvaim, Ana, et Ava ?
Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, et legit eos, et ascendit in domum Domini,
et expandit eos Ezechias (*Al. tacet* Ezechias) coram Domino.
Et oravit Ezechias (*Al. tacet* Ezechias) ad Dominum, dicens :
Domine exercituum, Deus Israel, qui sedes super cherubim,
tu es Deus solus omnium regnorum terræ,
tu fecisti cœlum et terram.
Inclina, Domine, aurem tuam, et audi ;
aperi Domine, oculos tuos, et vide,
et audi omnia verba Sennacherib, quæ misit ad blasphemandum Deum viventem.
Vere enim, Domine, desertas fecerunt reges Assyriorum terras et regiones earum ;
et dederunt deos earum igni :
Non enim erant dii,
sed opera manuum hominum,
lignum et lapis :
et comminuerunt eos.
Et nunc, Domine Deus noster, salva nos de manu ejus :
et cognoscant omnia regna terræ, quia
tu es Dominus (*Al.* Deus) solus.
Et misit Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens :
Hæc dicit Dominus Deus Israel :
Pro quibus rogasti me de Sennacherib rege Assyriorum,
hoc est verbum quod locutus est Dominus super eum ;

A Despexit te,
et subsannavit te virgo filia Sion ;
post te caput movit filia, Jerusalem.
Cui exprobrasti, et quem blasphemasti,
et super quem exaltasti vocem (*Al. add.* tuam),
et levasti altitudinem oculorum tuorum ?
Ad sanctum Israel.
In manu servorum tuorum exprobrasti Domino, et dixisti :
In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, juga Libani.
et succidam excelsa cedrorum ejus.
et electas abietes illius,
Et introibo altitudinem summitatis ejus,
saltum Charmeli ejus.
Ego fodi, et bibi aquam,
et exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum.
Nunquid non audisti quæ olim fecerim ei ?
ex diebus antiquis ego psalmavi illud :
et nunc adduxi (*Al. add.* eos ; *f.* illud, *ex Hebr.*) :
Et factum est in eradicationem collium compugnantium,
et civitatum munitarum.
Habitatores earum breviata manu contremuerunt,
et confusi sunt ;
Facti sunt sicut fenum agri,
et gramen pascuæ,
et herba tectorum, quæ exaruit antequam maturesceret,
Habitationem tuam, et egressum tuum, et introitum tuum cognovi,
et insaniam tuam contra me.
Cum fureres adversum me,
superbia tua ascendit in aures meas ;
Ponam ergo circulum in naribus tuis,
et frenum in labiis tuis,
et reducam te in viam per quam venisti,
Tibi autem hoc erit signum :
C Comede hoc anno quo sponte nascuntur,
et in anno secundo pomis vescere :
In anno autem tertio seminate, et metite, et plantate vineas, et comedite fructum earum.
Et mittet id, quod salvatum fuerit de domo Juda
et quod reliquum est, radicem deorsum,
et faciet fructum sursum,
Quia de Jerusalem exibunt reliquiæ,
et salvatio de monte Sion :
Zelus Domini exercituum faciet istud,
Propterea hæc dicit Dominus de rege Assyriorum :
Non introibit civitatem hanc,
et non jaciet ibi sagittam,
et non occupabit eam clypeus,
et non mittet in circuitu ejus aggerem.
In via qua venit (*Al.* veniet), per eam revertetur,
et civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus ;
Et protegam civitatem istam, ut salvet (*Al.* et salvabo) eam propter me,
D et propter David servum meum.
Egressus est autem angelus Domini (*Al.* Dei),
et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.
Et surrexerunt mane,
et ecce omnes (*Al.* omnia), cadavera mortuorum.
Et egressus est, et abiit,
et reversus est Sennacherib rex Assyriorum et habitavit in Ninive.
Et factum est, cum adoraret in templo Nefrach deum suum,
Adramelech et Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio ;
fugerantque in terram Ararat,
et regnavit Assaraddon filius ejus pro eo.
(*Cap.* XXXVIII.) In diebus illis ægrotavit Ezechias

[1] Canon Carcassonensis legit in contextu sacro *Tharsa* ; sed in margine habet scholion istud *h. Tharacha.* MART.

ad mortem :
; ad eum Isaias filius Amos propheta, et
i :
)ominus :
domui tuæ,
rieris tu, et non vives.
it Ezechias faciem suam ad parietem,
ad Dominum, et dixit :
)omine,
o, quæso,
o ambulaverim coram te in veritate, et
de perfecto,
bonum est in oculis tuis fecerim.
zechias fletu magno.
est verbum Domini ad Isaiam, dicens :
dic Ezechiæ :
Dominus Deus David patris tui :
)rationem tuam,
'ymam tuam ;
ıdjiciam super dies tuos quindecim an-
de manu regis Assyriorum eruam te,
.tem istam,
gam eam.
ı tibi erit signum a Domino,
ietDominus verbum hoc,quod locutusest :
reverti faciam umbram linearum,
.s descenderet in horologio Achazin sole,
ım decem lineis,
ım decem lineis,
ıs est sol decem lineis
ıus quos descenderat.

[PTURA EZECHIÆ REGIS JUDA,

rotasset et convaluisset de infirmitate sua.

: In dimidio dierum meorum vadam ad
s inferi.
esiduum annorum meorum.
Non videbo Dominum Deum in terra vi-
um.
ıam hominem ultra
:atorem quietis.
mea ablata est,
oluta est a me, quasi tabernaculum pas-
n.
st, velut a texente, vita mea.
lhuc ordirer, succidit me :
ıe usque ad vesperam finies me.
ı usque ad mane,
so sic contrivit omnia ossa mea.
usque ad vesperam finies me :
ullus hirundinis, sic clamabo,
bor ut columba.
ı sunt oculi mei,
entes in excelsum,
vim patior,
le pro me.
ım, aut quid respondebit mihi, cum ipse
it ?
tabo (*Al.* reputabo) omnes annos meos
ritudine animæ meæ.
si sic vivitur, et in talibus vita spiritus
ırripies me, et vivificabis me.
ıace amaritudo mea amarissima :
ı eruisti animam meam, ut non periret,
sti post tergum tuum omnia peccata mea.
infernus confitebitur tibi, neque mors
it te ;
spectabunt qui descendunt in lacum, ve-
em tuam.
ivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego
ie.
liis notam faciet veritatem tuam.
salvum me fac,
mos nostros cantabimus cunctis diebus

A vitæ nostræ in domo Domini
Et jussit Isaias, ut tollerent massam de ficis
et cataplasmarent super vulnus,
et sanaretur.
Et dixit Ezechias :
Quod erit signum quia ascendam in domum Do-
mini ?
(*Cap.* XXXIX.) In tempore illo
misit Merodach Baladan, filius Baladam rex Ba-
bylonis, libros et munera ad Ezechiam ;
audierat enim quod ægrotasset et convaluisset.
Lætatus est autem super eis Ezechias,
et ostendit eis cellam aromatum,
et argenti, et auri, et odoramentorum,
et unguenti optimi,
et omnes apothecas supellectilis suæ,
et universa quæ inventa sunt in thesauris ejus.
Non fuit verbum quod non ostenderet eis Ezechias,
in domo sua.
B et in omni potestate sua.
Introivit autem Isaias propheta ad regem Ezechiam,
et dixit ei :
Quid dixerunt viri isti,
et unde venerunt ad te ?
Et dixit Ezechias :
De terra longinqua venerunt ad me,
de Babylone.
Et dixit :
Quid viderunt in domo tua ?
Et dixit Ezechias;
Omnia quæ in domo mea sunt, viderunt;
non fuit res quam non ostenderim eis in the-
sauris meis.
Et dixit Isaias ad Ezechiam :
Audi verbum Domini exercituum,
Ecce dies venient,
et auferentur omnia quæ in domo tua sunt.
et quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem
hanc, in Babylonem ;
C non relinquetur quidquam, dicit Dominus.
Et de filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris,
tollent,
et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.
Et dixit Ezechias ad Isaiam ;
Bonum verbum Domini quod locutus est.
Et dixit :
Fiat tantum pax et veritas in diebus meis.

(*Cap.* XL.) Consolamini, consolamini,populo meus,
dicit Deus vester.
Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam :
quoniam completa est malitia ejus,
dimissa est iniquitas illius :
suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus
peccatis suis.
Vox clamantis in deserto :
Parate viam Domini,
rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.
D Omnis vallis exaltabitur
et omnis mons et collis humiliabitur,
Et erunt prava in directa,
et aspera in vias planas.
Et revelabitur gloria Domini,
et videbit omnis caro pariter, quod os Domini
locutum est.
Vox dicentis : Clama.
Et dixit :
Quid clamabo ?
Omnis caro fenum,
et omnis gloria ejus quasi flos agri.
Exsiccatum est fenum, et cecidit flos,
quia spiritus Domini sufflavit in eo.
Vere fenum est populus :
exsiccatum est fenum, et cecidit flos :
Verbum autem Domini nostri stabit in æternum,
Super montem excelsum ascende tu,
qui (*Al.* quæ) evangelizas Sion :

Exalta in fortitudine vocem tuam,
qui (*Al.* quæ) evangelizas Jerusalem :
Exalta, noli timere.
Dic civitatibus Judæ :
Ecce Deus vester :
Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet,
et brachium ejus dominabitur :
Ecce merces ejus cum eo,
et opus illius coram ipso.
Sicut pastor gregem suum pascet :
in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit,
fœtas ipse portabit.
Quis mensus est pugillo aquas.
et cœlos palmo ponderavit ?
Quis appendit tribus digitis molem terræ,
et libravit in pondere montes,
et colles in statera ?
Quis adjuvit spiritum Domini ?
aut quis consiliarius ejus fuit,
et ostendit illi ?
Cum quo iniit consilium, et instruxit eum,
et docuit eum semitam justitiæ,
et erudivit eum scientiam,
et viam prudentiæ ostendit illi ?
Ecce gentes quasi stilla situlæ,
et quasi monumentum stateræ reputatæ sunt ;
Ecce insulæ quasi pulvis exiguus.
Et Libanus non sufficiet (*Al.* sufficit) ad succendendum.
et animalia ejus non sufficient ad holocaustum.
Omnes gentes quasi non sint, sicut coram eo,
et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei.
Cui ergo similem fecistis Deum ?
aut quam imaginem ponetis ei ?
Nunquid scuptile conflavit faber ?
aut aurifex auro figuravit illud,
et laminis argenteis argentarius ?
Forte lignum et imputribile elegit artifex sapiens: quærit (*Al.* et quæret) quomodo statuat simulacrum, quod non moveatur.
Nunquid non scitis (*Al.* scietis) ?
nunquid non audistis (*Al.* audietis) ?
nunquid non annuntiatum est vobis ab initio ?
nunquid non intellexistis fundamenta terræ ?
Qui sedet super gyrum terræ,
et habitatores ejus sunt quasi locustæ :
Qui extendit velut nihilum cœlos,
et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum.
Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint,
judices terræ velut inane fecit :
Et quidem neque plantatus, neque satus,
neque radicatus in terra truncus eorum :
Repente flavit in eos, et aruerunt,
et turbo quasi stipulam auferet eos.
Et cui assimilastis me,
et adæquatis ? dicit sanctus.
Levate in excelsum oculos vestros,
et videte qui creavit hæc ;
Qui educit in numero militiam eorum,
et omnes ex nomine vocat :
Præ multitudine fortitudinis et roboris, virtutisque ejus,
neque unum reliquum fuit.
Quare dicis, Jacob, et loqueris, Israel :
Abscondita est via mea a Domino,
et a Deo meo judicium meum transivit (*Al.* transibit ?
Nunquid nescis, aut non audisti ?
Deus sempiternus Dominus,
qui creavit terminos terræ,
A non deficiet, neque laborabit,
nec est investigatio sapientiæ ejus.
Qui dat lasso virtutem :
et his, qui non sunt, fortitudinem et robur (*Al.* non habent fortitudinem, et robur, *etc.*) multiplicat.
Deficient pueri et laborabunt,
et juvenes in infirmitate cadent.
Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem,
assument pennas sicut aquilæ,
current, et non laborabunt,
ambulabunt et non deficient,
(*Cap.* XLI.) Taceant ad me insulæ,
et gentes mutent fortitudinem :
Accedant, et tunc loquantur,
simul ad judicium propinquemus.
Quis suscitavit et oriente justum,
vocavit eum ut sequeretur se ?
Dabit in conspectu ejus gentes,
B et reges obtinebit :
Dabit quasi pulverem gladio ejus,
sicut stipulam vento raptam arcui ejus.
Persequetur eos,
transibit in pace,
semita in pedibus ejus non apparebit.
Quis hæc operatus est, et fecit,
vocans generationes ab exordio ?
Ego Dominus,
primus et novissimus ego sum,
Viderunt insulæ, et timuerunt,
extrema terræ obstupuerunt.
Appropinquaverint, et accesserunt :
Unusquisque proximo suo auxiliabitur,
et fratri suo dicet : confortare.
Confortavit faber ærarius percutiens malleo eum,
qui cudebat tunc temporis,
dicens : Glutino bonum est.
Et confortavit eum in clavis.
C ut non moveretur (*Al.* moveatur).
Et tu, Israel, serve meus ;
Jacob, quem elegi,
semen Abraham amici mei :
in quo apprehendi te ab extremis terræ,
et a longinquis ejus vocavi te,
et dixi tibi :
Servus meus es tu,
elegi te, et non abjeci te.
Ne timeas, quia tecum sum ego :
ne declines, quia ego Deus tuus :
confortavi te, et auxiliatus sum tui,
et suscepit te dextera justi mei.
Ecce confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te :
erunt quasi non sint,
et peribunt viri, qui contradicunt tibi
Quæres eos, et non inveniens, viros rebelles tuos (*Al.* viri tui) :
D erunt quasi non sint ;
et veluti consumptio [1], homines bellantes adversum te.
Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam,
dicensque tibi :
Ne timeas.
ego adjuvi te,
Noli timere, vermis Jacob,
qui mortui estis ex Israel.
Ego auxiliatus sum tui, dicit Dominus : et redemptor tuus sanctus Israel.
Ego posui te quasi plaustrum triturans novum,
habens rostra serrantia.
Triturabis montes, et comminues :

[1] Exemplaria Canonis Hebraicæ veritatis cum aliis vetustioribus mss. Bibliorum hoc modo legunt: *Et veluti consumptio hominis bellantis adversum te*; sed error est exscriptorum, uti manifestum appareret e textu Hebraico, atque ex Hieronymi Commentariis. MART.

s quasi pulverem pones.
i eos, et ventus tollet,
) disperget eos :
ıltabis in Domino,
to Israel lætaberis.
)auperes quærunt aquas, et non sunt :
)orum siti aruit.
nus exaudiam eos,
el non derelinquam eos,
n supinis collibus flumina,
edio camporum fontes :
sertum in stagna aquarum,
m inviam in rivos aquarum.
olitudine cedrum,
.m, et myrtum, et lignum olivæ :
. deserto abietem,
, et buxum simul :
t, et sciant, et recogitent, et intelligant
er,
anus Domini fecit hoc,
tus Israel creavit illud,
ite judicium vestrum, dicit Dominus :
i quid forte habetis, dixit rex Jacob.
et nuntient nobis quæcunque ventura sunt:
ıuæ fuerunt, nuntiate :
ıus cor nostrum, et sciemus novissima
n,
ventura sunt, indicate nobis.
te quæ ventura sunt in futurum,
ıus, quia dii estis vos.
que aut male, si potestis, facite,
amur, et videamus simul.
estis ex nihilo (*Al.* pro nihili),
vestrum ex eo quod non est :
:io est
git vos.
ab aquilone,
(*Al.* veniet) ab ortu solis :
.omen meum,
cet magistratus quasi lutum,
t plastes conculcans humum.
untiavit ab exordio, ut sciamus,
incipio, ut dicamus : Justus es ?
ıeque annuntians, neque prædicens,
audiens sermones vestros.
d Sion dicet : Ecce adsunt,
salem evangelistam dabo.
t non erat
ex istis quisquam, qui iniret consilium.
rrogatus responderet verbum.
ıes injusti, et vana opera eorum,
et inane simulacra eorum.
II.) Ecce servus meus [1], suscipiam eum :
i meus, complacuit sibi in illo anima mea.
·itum meum super eum,
ım gentibus proferet.
ıabit, neque accipiet personam,
dietur vox ejus foris,
ı quassatum non conteret,
m fumigans non exstinguet :
ıte educet judicium :
·it tristis, neque turbulentus,
ponat in terra judicium ;
)m ejus insulæ exspectabunt.
t Dominus Deus,
: cœlos, et extendens eos :
ıs terram, et quæ germinant ex ea :
tum populo, qui est super eam,
ritus calcantibus eam.
ninus vocavi te in justitia,
rehendi manum tuam, et servavi te.
li te in fœdus populi,
em gentium :

A Ut aperires oculos cæcorum,
et educeres de conclusione vinctum,
de domo carceris sedentes in tenebris.
Ego Dominus, hoc est nomen meum :
gloriam meam alteri non dabo,
et laudem meam sculptilibus,
Quæ prima fuerunt, ecce venerunt :
nova quoque ego annuntio ;
antequam oriantur, audita vobis faciam.
Cantate Domino canticum novum,
laus ejus ab extremis terræ :
Qui descenditis in mare, et plenitudo ejus ;
insulæ, et habitatores earum.
Sublevetur (*Al.* levet) desertum, et civitates ejus :
in domibus habitabit Cedar.
Laudate habitatores Petræ,
de vertice montium clamabunt.
Ponent Domino gloriam,
et laudem ejus in insulis nuntiabunt.
B Dominus sicut fortis egredietur,
sicut vir præliator suscitabit zelum :
Vociferabitur, et clamabit :
super inimicos suos confortabitur.
Tacui, semper silui, patiens fui,
sicut pariens loquar.
Dissipabo, et absorbebo simul :
desertos faciam montes, et colles,
et omne gramen eorum exsiccabo :
Et ponam flumina in insulas,
et stagna arefaciam.
Et ducam cæcos in viam, quam nesciunt ;
et in semitis, quas ignoraverunt (*Al.* ignorant),
ambulare eos faciam :
Ponam tenebras coram eis in lucem,
et prava in recta.
Hæc verba feci eis, et non dereliqui eos : conversi
sunt retrorsum ;
Confundantur confusione qui confidunt in sculptili,
qui dicunt conflatili : Vos dii nostri.
C Surdi, audite,
et cæci, intuemini ad videndum.
Quis cæcus, nisi servus meus ?
et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi ?
Quis cæcus, nisi venundatus est ?
et quis cæcus, nisi servus Domini ?
Qui vides multa,
nonne custodies ?
Qui apertas habes aures,
nonne audies ?
Et Dominus voluit, ut sanctificaret eum,
et magnificaret legem, et extolleret.
Ipse autem populus direptus, et vastatus :
laqueus juvenum omnes.
et in domibus carcerum absconditi sunt :
Facti sunt in rapinam,
nec est qui eruat :
in direptionem,
et non est qui dicat : Redde :
D Quis est in vobis qui audiat hoc,
attendat, et auscultet futura ?
Quis dedit in direptionem Jacob,
et Israel vastantibus ?
Nonne Dominus,
ipse, cui peccavimus ?
Et noluerunt in viis ejus ambulare,
et non audierunt legem ejus.
Et effudit super eum indignationem furoris sui,
et forte bellum :
Et combussit eum in circuitu, et non cognovit ;
et succendit eum, et non intellexit.
(*Cap.* XLIII.) Et nunc hæc dicit Dominus
creans te, Jacob,
et formans te, Israel :

res quinque hujus capitis versiculos, eo habentur modo, ex Hebræo se convertisse confirmat S. ipse Pater epist. ad Algasiam, quæst. 2, tantum quod ibi puer legit, pro servus.

Noli timere, quia redemi te,
et vocavi (*Al. add.* te) nomine tuo : meus es tu.
Cum transieris per aquas, tecum ero,
et flumina non operient te :
Cum ambulaveris in igne, non combureris,
et flamma non ardebit in te :
Quia ego Dominus Deus tuus
sanctus Israel, salvator tuus ;
Dedi propitiationem tuam Ægyptum,
Æthiopiam et Saba pro te.
Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus :
ego dilexi te :
Et dabo homines pro te,
et populos pro anima tua.
Noli timere, quia tecum ego sum.
Ab oriente adducam semen tuum,
et ab occidente congregabo te.
Dicam aquiloni : Da :
et austro : Noli prohibere.
Affer filios meos de longinquo.
et filias meas ab extremis terræ ;
et omnem, qui invocat nomen meum.
In gloriam meam creavi eum,
formavi eum, et feci eum.
Educ foras populum cæcum, et oculos habentem.
surdum, et aures ei sunt.
Omnes gentes congregatæ sunt simul
et collectæ sunt tribus :
Quis in vois bannuntiet istud,
et quæ prima sunt, audire nos faciet ?
Dent testes eorum, et justificentur,
et audiant, et dicant : Vere,
Vos testes mei, dicit Dominus,
et servus meus, quem elegi :
Ut sciatis, et credatis mihi,
et intelligatis, quia ego ipse sum.
Ante me non est formatus Deus,
et post me non erit.
Ego sum, ego sum Dominus,
et non est absque me salvator.
Ego annutiavi, et salvavi :
auditum feci,
et non fuit in vobis alienus :
Vos testes mei, dicit Dominus,
et ego Deus.
Et ab initio ego ipse,
et non est qui de manu mea eruat :
Operabor,
et quis avertet illud ?
Hæc dicit Dominus redemptor vester,
sanctus Israel ;
Propter vos misi in Babylonem, et detraxi vectes universos,
et Chaldæos in navibus suis gloriantes.
Ego Dominus sanctus vester,
creans Israel rex vester.
Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, et in
aquis torrentibus semitam.
Qui eduxit quadrigam et equum,
agmen et robustum :
simul obdormierunt, nec resurgent ;
contriti sunt quasi linum, et exstincti sunt.
Ne memineritis priorum,
et antiqua ne intueamini.
Ecce ego facio nova,
et nunc orientur,
utique cognoscetis ea :
Ponam in deserto viam,
et in invio flumina.
Glorificabit me bestia agri,
dracones et struthiones :
quia dedi in deserto aquas, flumina in invio,
ut darem potum populo meo, electo meo

A Populum istum formavi mihi,
laudem meam narrabit.
Non me invocasti, Jacob,
nec laborasti in me, Israel.
Non mihi obtulisti arietem holocausti tui,
et victimis tuis non glorificasti me.
Non te servire feci in oblatione,
nec laborem tibi præbui in thure.
Non emisti mihi argento calamum,
et adipe victimarum tuarum non inebriasti me.
Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis;
præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.
Ego sum, ego sum ipse,
qui deleo iniquitates tuas propter me :
et peccatorum non recordabor.
Reduc me in memoriam, et judicemur simul;
narra si quid habes ut justificeris.
Pater tuus primus peccavit,
et interpretes tui prævaricati sunt in me.
B Et contaminavi principes sanctos,
dedi ad internecionem Jacob,
et Israel in blasphemiam.
(*Cap.* XLIV.) Et nunc audi, Jacob, serve meus,
et Israel, quem elegi :
Hæc dicit Dominus faciens et formans te,
ab utero auxiliator tuus :
Noli timere, serve meus Jacob,
et rectissime, quem elegi.
Effundam enim aquas super sitientem,
et fluenta super aridam :
Effundam spiritum meum super semen tuum,
et benedictionem meam super stirpem tuam.
Et germinabunt inter herbas.
quasi salices juxta prætérfluentes aquas.
Iste dicet : Domini ego sum ;
et ille vocabit in nomine Jacob :
et hic scribet manu sua : Domino :
et in nomine Israel [1] assimilabitur :
C Hæc dicit Dominus rex Israel,
et redemptor ejus Dominus exercituum :
Ego primus, et ego novissimus,
et absque me non est Deus.
Quis similis mei ?
vocet, et annuntiet ;
et ordinem exponat mihi,
ex quo constitui populum antiquum :
ventura et quæ futura sunt annuntient eis.
Nolite timere, nsque conturbemini :
ex tunc audire te feci, et annuntiavi ;
Vos estis testes mei :
nunquid est Deus absque me,
et formator quem ego non noverim ?
Plastæ idoli omnes nihil sunt,
et amantissima eorum non proderunt eis.
Ipsi sunt testes eorum, quia non vident,
neque intelligunt, ut confundantur.
Quis formavit Deum,
et sculptile conflavit ad nihil utile ?
D Ecce omnes participes ejus confundentur.
fabri enim sunt ex hominibus :
convenient omnes, stabunt et pavebunt,
et confundentur simul.
Faber ferrarius lima operatus est :
in prunis, et in malleis formavit illud.
et operatus est in brachio fortitudinis suæ :
Esuriet et deficiet,
non bibet aquam, et lassescet.
Artifex lignarius extendit normam,
formavit illud in runcina
fecit illud in angularibus,
et in circino tornavit illud :
et fecit imaginem viri quasi speciosum hominem
habitantem in domo.
Succidit cedros.

[1] Addunt hic mss. codices et Canonis exemplaria nomen *Domini*, quod non est in Hebræo neque in *Commentariis* S. Hieronymi. MART.

et quercum,
inter ligna saltus :
n, quam pluvia nutrivit,
ıominibus in focum.
, et calefactus est :
et coxit panes :
em operatus est deum, et adoravit :
ıtile, et curvatus est ante illud.
ombussit igni,
ejus carnes comedit :
ım, et saturatus est,
est, et dixit :
s sum,

m ejus deum fecit
ibi :
illud,
ıd,
dicens :

eus es tu.
que intellexerunt :
ıunt ne videant oculi eorum
ant corde suo.
in mente sua, neque cognoscunt,
nt, ut dicant :
ıs combussi igni,
carbones ejus panes :
comedi,
ejus idolum faciam?
a ligni procidam?
est :
adoravit illud,
bit animam suam, neque dicet :
.cium est in dextra mea.
m, Jacob, et Israel,
vus meus es tu.

es tu, Israel,
ıceris (*Al.* ne obliviscaris) mei.
ım iniquitates tuas,
ulam peccata tua :
me,
lemi te.

it Dominus [1].
ma terræ :
ontes, laudationem,
ne lignum ejus :
lemit Dominus Jacob,
riabitur.
ninus redemptor tuus,
tuus ex utero :
inus, faciens omnia,
ælos solus,
rram, et nullus mecum.
signa divinorum,
furorem vertens.
pientes retrorsum ;
eorum stultam faciens.
ıum servi sui,
nuntiorum suorum complens;
salem : Habitaberis;
ıs Juda : Ædificabimini,
jus suscitabo :
undo : Desolare,
.ua arefaciam.

A Qui dico Cyro : Pastor meus es,
et omnem voluntatem meam complebis.
Qui dico Jerusalem : Ædificaberis
et Templo : Fundaberis.
(*Cap.* XLV.) Hæc dicit Dominus christo meo Cyro.
cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes,
et dorsa regum vertam,
Et aperiam coram eo januas,
et portæ non claudentur.
Ego ante te ibo :
et gloriosos terræ humiliabo :
Portas æreas conteram,
et vectes ferreos confringam.
Et dabo tibi thesauros absconditos,
et arcana secretorum :
ut scias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel,
Propter servum meum Jacob,
B et Israel electum meum,
Et vocavi te in nomine tuo :
assimilavi te, et non cognovisti me.
Ego Dominus, et non est amplius [2] :
extra me non est Deus :
Accinxi te, et non cognovisti me :
Ut sciant hi, qui ab ortu solis, et qui ab occidente,
quoniam absque me non est.
Ego Dominus,
et non est alter,
formans lucem,
et creans tenebras,
faciens pacem,
et creans malum :
ego Dominus faciens omnia hæc.
Rorate, cœli, desuper,
et nubes pluant justum :
Aperiatur terra,
et germinet Salvatorem :
C Et justitia oriatur simul :
Ego Dominus creavi eum.
Væ qui contradicit fictori suo!
testa de Samiis terræ;
Nunquid dicet lutum figulo suo : Quid facis?
et opus tuum absque manibus est?
Væ qui dicit patri : Quid generas?
et mulieri : Quid parturis?
Hæc dicit Dominus sanctus Israel,
plastes ejus :
Ventura interrogate me,
Super filios meos,
et super opus manuum mearum mandate mihi [3].
Ego feci terram,
et hominem super eam creavi ego :
Manus meæ tetenderunt cœlos,
et omni militiæ eorum mandavi.
Ego suscitavi eum ad justitiam,
et omnes vias ejus dirigam :
D Ipse ædificabit civitatem meam,
et captivitatem meam dimittet :
Non in pretio, neque in muneribus
dicit Dominus Deus (*Al. tacet* Deus) exercituum.
Hæc dicit Dominus :
Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt :
Post te ambulabunt,
vincti manicis pergent :

e Canon Hebraicæ veritatis, ac textus nmentariis Hieronymianis. Alii cotinent ex LXX verbum *misericordiæ*, *ricordiam fecit*, sive, *misertus est.*

ent Palatin. ms. et Vulgati libri juxta *m misericordiam fecit*, etc.
ss. veteres : *Ego Dominus, et non est non est amplius.* Canon *prima manu* habet *amplius.* MART.

— Idem ms. aliique penes MARTIAN. : *alius* pro *amplius*, quod est juxta Hebr. עוֹד. Confer, si libet, commentarios in hunc locum.

[3] *Mandate mihi*, Canones ac mss. legunt, *mandastis mihi* : sed *mandate* retinendum est, ut probant Commentariorum Hieronymi exemplaria. MART.

et te adorabunt,
teque deprecabuntur :
Tantum in te est, Deus.
et non est absque te, Deus.
Vere tu es Deus absconditus,
Deus Israel salvator.
Confusi sunt, et erubuerunt omnes :
simul abierunt in confusionem fabricatores errorum.
Israel salvatus est in Domino salute æterna :
non confundemini,
et non erubescetis usque in sæculum sæculi.
Quia hæc dicit Dominus creans cœlos,
ipse Deus formans terram, et faciens eam,
ipse plastes ejus :
Non in vanum creavit eam :
ut habitaretur (*Al.* habitetur), formavit eam.
Ego Dominus,
et non est alius.
Non in abscondito locutus sum
in loco terræ tenebroso :
Non dixi semini Jacob :
Frustra quærite me.
Ego Dominus loquens justitiam,
annuntians recta.
Congregamini, et venite, et accedite simul,
qui salvati estis ex gentibus :
Nescierunt qui levant lignum sculpturæ suæ,
et rogant Deum non salvantem.
Annuntiate, et venite,
et consiliamini simul :
Quis auditum fecit hoc ab initio,
ex tunc prædixit illud?
Nunquid non ego Dominus,
et non est ultra Deus absque me,
Deus justus,
et salvans non est præter me.
Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ,
quia ego Deus, et non est alius.
In memetipso juravi,
egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur :
Quia mihi curvabitur omne genu,
et jurabit omnis lingua,
Ergo in Domino dicet,
meæ sunt justitiæ et imperium :
Ad eum venient,
et confundentur omnes qui repugnant ei.
In Domino justificabitur,
et laudabitur omne semen Israel..
(*Cap.* XLVI.) Contractus est Bel [1],
contritus est Nabo :
facta sunt simulacra eorum bestiis et jumentis,
onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem.
Contabuerunt, et contrita sunt simul;
non potuerunt salvare portantem,
et anima eorum in captivitatem ibit.
Audite me, domus Jacob, et omne residuum domus Israel,
qui portamini a meo utero,
qui gestamini a mea vulva.
Usque ad senectam ego ipse,
et usque ad canos ego portabo :
Ego feci, et ego feram :
ego portabo, et salvabo.
Cui assimilastis me, et adæquastis,
et comparastis me, et fecistis similem?
Qui confertis aurum de sacculo,
et argentum statera ponderastis :
Conducentes aurificem, ut faciat deum;

A et procidunt, et adorant.
Portant illum in humeris gestantes,
et ponentes in loco suo :
Et stabit, ac de loco suo non movebitur,
Sed et cum clamaverint ad eum, non audiet
et de tribulatione non salvabit eos.
Mementote istud, et confundamini [2] :
redite, prævaricatores, ad cor.
Recordamini prioris sæculi,
quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus,
nec est similis mei :
Annuntians ab exordio novissimum.
et ab initio quæ necdum facta sunt, dicens :
Consilium meum stabit,
Et omnis voluntas mea fiet :
Vocans ab oriente avem,
et de terra longiqua virum voluntatis meæ.
Et locutus sum, et adducam illud :
creavi, et faciam illud.
B Audite me duro corde,
qui longe estis a justitia.
Prope feci justitiam meam : non elongabitur,
et salus mea non morabitur.
Dabo in Sion salutem,
et in Israel gloriam meam :
(*Cap.* XLVII.) Descende, sede, in pulvere, virgo filia Babylon, sede in terra :
non est solium filiæ Chaldæorum,
quia ultra non vocaberis mollis et tenera.
Tolle molam et mole farinam :
denuda turpitudinem tuam,
discooperi humerum,
revela crura,
transi flumina :
Revelabitur ignominia tua,
et videbitur opprobrium tuum :
Ultionem capiam,
et non resistet mihi homo.
C Redemptor noster [3], Dominus exercituum, nomen illius sanctus Israel.
Sede tacens, et intra in tenebras, filia Chaldæorum :
quia non vocaberis ultra domina regnorum.
Iratus sum super populum meum,
Contaminavi hæreditatem meam,
et dedi eos in manu tua :
non posuisti eis misericordias :
Super senem aggravasti jugum unum valde, et dixisti :
In sempiternum ero, domina :
Non posuisti hæc super cor tuum,
neque recordata es novissimi tui.
Et nunc audi hæc delicata,
et habitans confidenter,
Quæ dicis in corde tuo : Ego sum,
et non est præter me amplius :
Non sedebo vidua,
D et ignorabo sterilitatem.
Venient tibi duo hæc subito in die una, sterilitas et viduitas.
Universa venerunt super te,
propter multitudinem maleficiorum tuorum,
et propter duritiam incantatorum tuorum vehementem (*Al.* vehementer).
Et fiduciam habuisti in malitia tua, et dixisti :
Non est qui videat me.
Sapientia tua et scientia tua hæc decepit (*Al.* deceperunt) te.
Et dixisti in corde tuo : Ego sum,
et præter me non est altera.
Veniet super te malum,

[1] Librariorum errore in omnibus libris mss. *scriptum legimus, conflatus est Bel*, loco *confractus*. MART.

[2] *Rescribi malim fandamini*, quemadmodum ipse in commentario legit S. Pater juxta Hebræum והתאשרו, *et fortes estote*.

[3] Versum præsentem indicat sanctus Hieronymus lib. XIII Commentariorum in Isaiam. MART.

ıs ortum ejus :
net super te calamitas,
on poteris expiare :
ıuper te repente miseria, quam nescies.
ı incantatoribus tuis,
n multitudine maleficiorum tuorum,in qui-
laborasti ab adolescentia tua,
ıe quid prosit tibi,
possis fieri fortior.
i in multitudine consiliorum tuorum :
et salvent te augures cœli,
ontemplabantur sidera, et supputabant
ıses,
eis annuntiarent ventura tibi.
ıti sunt quasi stipula,
combussit eos :
ɔrabunt animam suam de manu flammæ :
ınt prunæ, quibus caleſiant ;
cus, ut sedeant ad eum.
ı sunt tibi in quibuscunque laboraveras ;
ıatores tui ab adolescentia tua,
uisque in via sua erraverunt:
st qui salvet te.
.VIII.) Audite hæc,domus Jacob, qui voca-
i nomine Israel,
aquis Juda existis,
atis (*Al.* jurastis) in nomine Domini,
Israel recordamini, non in veritate, neque
ustitia,
ıte enim sancta vocati sunt,
ıer Deum Israel constabiliti sunt :
s exercituum nomen ejus.
x tunc annuntiavi,
ɔre meo exierunt, et audita feci ea :
e operatus sum, et venerunt.
im quia durus es tu,
vus ferreus cervix tua,
ıs tua ærea.
tibi ex tunc :
ıam venirent, indicavi tibi,
te diceres : Idola mea fecerunt hæc,
ıptilia mea et conflatilia mandaverunt

listi, vide omnia :
ıtem num (*Al.* non) annuntiastis ?
'eci tibi nova ex tunc,
ıservata sunt quæ nescis :
'eata sunt,
ı ex tunc :
e diem, et non audisti ea,
te dicas :
ɔ cognovi ea.
udisti, neque cognovisti,
ex tunc aperta est auris tua :
m quia prævaricans prævaricaberis,
ısgressorem ex utero vocavi te.
nomen meum longe faciam furorem meum :
de mea infrenabo te, ne intereas.
ɔoxi te,
ɔn quasi argentum,
te in camino paupertatis.
me, propter me faciam, ut non blasphe-
' :
riam meam alteri non dabo.
ɔ, Jacob,
ıel, quem ego voco :
ɔse,
rimus, et ego novissimus.
ɪuoque mea fundavit terram,
tera mea mensa est cœlos :
ıbo (*Al.* vocavi) eos,
bunt simul.
amini omnes vos, et audite :
le eis annuntiavit hæc ?

A Dominus dilexit eum,
faciet voluntatem suam in Babylone,
et brachium suum in Chaldæis.
Ego, ego locutus sum, et vocavi eum :
adduxi eum, et directa est via ejus.
Accedite ad me, et audite hoc (*Al.* hæc) :
non a principio in abscondito locutus sum :
Ex tempore antequam fieret, ibi eram :
et nunc Dominus Deus misit me, et spiritus ejus.
Hæc dicit Dominus redemptor tuus sanctus Israel.
Ego Dominus Deus tuus docens te utilia,
gubernans te in via, qua ambulas.
Utinam attendisses mandata mea : facta fuisset
sicut flumen pax tua,
et justitia tua sicut gurgites maris.
Et fuisset quasi arena semen tuum,
et stirps uteri tui ut lapilli ejus :
Non interisset,
et non fuisset attritum nomen ejus a facie mea.
B Egredimini de Babylone,
fugite a Chaldæis,
in voce exsultationis annuntiate,
audite, facite hoc,
et efferte illud usque ad extrema terræ.
Dicite :
Redemit Dominus servum suum Jacob.
Non sitierunt in deserto, cum educeret eos :
aquam de petra produxit eis,
et scidit petram, et fluxerunt aquæ.
Non est pax impiis, dicit Dominus.
(*Cap.* XLIX.) Audite, insulæ,
et attendite, populi, de longe :
Dominus ab utero vocavit me,
de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.
Et posuit os meum quasi gladium acutum :
in umbra manus suæ protexit me,
et posuit me sicut sagittam electam :
in pharetra sua abscondit me.
C Et dixit mihi :
Servus meus es tu, Israel,
quia in te gloriabor.
Et ego dixi :
In vacuum laboravi ;
sine causa, et vane fortitudinem meam consum-
psi :
Ergo judicium meum cum Domino,
et opus meum cum Deo meo.
Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero ser-
vum sibi,
ut reducam Jacob ad eum,
Et Israel non congregabitur :
Et glorificatus sum in oculis Domini,
et Deus meus factus est fortitudo mea.
Et dixit :
Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus
Jacob,
et fæces Israel convertendas.
D Dedi te in lucem gentium [1],
ut sis salus mea usque ad extremum terræ.
Hæc dicit Dominus redemptor Israel, sanctus ejus,
ad contemptibilem animam, ad abominatam
gentem,
ad servum dominorum :
Reges videbunt, et consurgent principes,
et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est,
et sanctum Israel, qui elegit te.
Hæc dicit Dominus :
In tempore placito exaudivi te,
et in die salutis auxiliatus sum tui :
Et servavi te,
et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram,
et possideres hæreditates dissipatas :
Ut diceres his qui vincti sunt : Exite ;
et his qui in tenebris : Revelamini.

modo legunt exemplaria Canonis Hebraicæ veritatis, et Hieronymi Commentaria : alii mss. libri *Ecce*. MART.

Super vias (*Al.* in viis) pascentur,
et in omnibus planis pascua eorum.
Non esurient, neque sitient,
et non percutiet eos æstus et sol;
quia miserator eorum reget eos,
et ad fontes aquarum potabit[1] eos.
Et ponam omnes montes meos in viam,
et semitæ meæ exaltabuntur.
Ecce isti de longe venient,
et ecce illi ab aquilone et mari
et isti de terra australi.
Laudate, cœli, et exsulta, terra,
jubilate, montes, laudem:
quia consolatus est Dominus populum suum,
et pauperum suorum miserebitur.
Et dixit Sion:
Dereliquit me Dominus,
et Dominus oblitus est mei.
Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum,
ut non misereatur filio uteri sui?
et si illa oblita fuerit,
ego tamen non obliviscar tui.
Ecce in manibus meis descripsi te:
muri tui coram oculis meis semper.
Venerunt structores tui:
destruentes te et dissipantes (*Al.* et qui te destruxerunt et dissipaverunt), a te exibunt.
Leva in circuitu oculos tuos, et vide,
omnes isti congregati sunt, venerunt tibi:
Vivo ego, dicit Dominus,
quia omnibus his velut ornamento vestieris,
et circumdabis tibi eos quasi sponsa.
Quia deserta tua, et solitudines tuæ, et terra ruinæ tuæ,
nunc angusta erunt præ habitatoribus,
et longe fugabuntur qui absorbebant te.
Adhuc dicent in auribus tuis filiis[2] sterilitatis tuæ:
Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem.
Et dices in corde tuo:
Quis genuit mihi istos?
Ego sterilis, et non pariens,
transmigrata, et captiva:
et istos quis enutrivit?
Ego destituta et sola:
et isti ubi hic[3] erant?
Hæc dicit Dominus Deus:
Ecce levabo (*Al.* levo) ad gentes manum meam,
et ad populos exaltabo signum meum.
Et afferent filios tuos in ulnis,
et filias tuas super humeros portabunt.
Et erunt reges nutritii tui,
et reginæ nutrices tuæ:
Vultu in terram demisso, adorabunt te,
et pulverem pedum tuorum lingent.
Et scies quia ego Dominus,
super quo non confundentur qui exspectant eum.
Nunquid tolletur a forti præda?
aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit?
Quia hæc dicit Dominus:
Equidem, et captivitas a forti tolletur:
A et quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur.
Eos vero, qui judicaverunt te, ego judicabo,
et filios tuos salvabo.
Et cibabo hostes tuos carnibus suis,
et quasi musto, sanguine suo inebriabuntur:
Et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te,
et redemptor tuus Jacob.
(*Cap.* L.) Hæc dicit Dominus:
Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam?
aut quis est creditor meus, cui vendidi vos?
Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis,
et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.
Quia venit, et non erat vir:
vocavi, et non erat qui audiret.
Nunquid abbreviata et parvula facta est manus mea, ut non possim (*Al.* possit) redimere?
aut non est in me virtus ad liberandum?
Ecce in increpatione mea desertum faciam mare,
B Ponam flumina in siccum:
computrescent pisces sine aqua,
et morientur in siti.
Induam cœlos tenebris,
et saccum ponam operimentum eorum,
Dominus dedit mihi linguam eruditam,
ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo.
Erigit mane,
mane erigit mihi aurem,
ut audiam quasi magistrum.
Dominus Deus aperuit mihi aurem;
ego autem non contradico:
retrorsum non abii.
Corpus meum dedi percutientibus,
et genas meas vellentibus:
Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus.
Dominus Deus auxiliator meus,
Ideo non sum confusus:
C Ideo posui faciem meam, ut petram durissimam,
et scio quoniam non confundar.
Juxta est qui justificat me, quis contradicit mihi?
stemus simul,
quis est adversarius meus?
accedat ad me.
Ecce Dominus Deus auxiliator meus:
quis est qui condemnet me?
Ecce omnes quasi vestimentum conterentur,
tinea comedet eos.
Quis ex vobis timens Dominum,
audiens vocem servi sui?
Qui ambulavit in tenebris, et non est lumen ei,
speret in nomine Domini,
et innitatur super Deum suum.
Ecce omnes vos accendentes ignem,
accincti flammis,
ambulate in lumine ignis vestri,
et in flammis quas succendistis:
D De manu mea factum est hoc vobis,
in doloribus dormietis.
(*Cap.* LI.) Audite me qui sequimini quod justum est,
et quæritis Dominum:
Attendite ad petram unde excisi estis

[1] Reponendum omnino est, *portabit*, quemadmodum a S. Interprete scriptum fuisse nullus ferme dubito. Nempe ita sonat et Hebræus textus ינחלם et Græcus ἄξει: denique et præferunt Latini Bibliorum codices mss. multi, quos laudat Victorius ad hunc locum in Commentariis, *portabit*. Hujus porro similitudo verbi cum impresso *potabit*, tum ipsa præsertim contextus, *ad fontes aquarum*, analogia criticis fraudi fuit, ut temere ex ingenio mutare auderent.

[2] Hic rursum legi jubemus in recto, *filii*, quemadmodum ipse in Commentario Hieron. præfert, et Hebraicum exemplar habet כני; Græca quoque versio οἱ υἱοί *filii*. Nec tamen diffitemur esse Latinos codices magno numero, qui retinent corrupte, *filii*.

[3] In Hebræo scriptum legitur איפה, *epho*; quod simul sumptum significat *ubi*: distinctum autem in duo verba, neque in אי *e*, et in פה *pho*, idem sonat quod *ubi hic*. Igitur sive compositam dixeris vocem איפה sive separatim legendam, ut jam monuimus, optima erit interpretatio Hieronymi, quam ad fidem exemplariorum Canonis Heb. veritatis et veterum omnium mss. codicum hoc loco restituimus. MART.

l cavernam laci, de qua præcisi estis.
ite ad Abraham patrem vestum,
l Saram, quæ peperit vos :
num vocavi eum, et benedixi ei,
ultiplacavi eum.
abitur ergo Dominus Sion,
nsolabitur omnes ruinas ejus.
et desertum ejus quasi delicias
litudinem ejus quasi hortum Domini.
m et lætitia invenietur in ea,
iarum actio et vox laudis.
ite ad me, populе meus,
ibus mea, me audite ;
x a me exiet,
licium meum in lucem populorum requiescet
est justus meus,
ssus est salvator meus ;
achia mea populos judicabunt:
ulæ exspectabunt,
achium meum sustinebunt.
in cœlum oculos vestros,
dete sub terra deorsum :
li sicut fumus liquescent,
ra sicut vestimentum atteretur,
bitatores ejus sicut hæc interibunt :
autem mea sempiternum erit,
stitia mea non deficiet.
me qui scitis justum, populus ;
ea in corde eorum :
imere opprobrium hominum,
sphemias eorum ne metuatis.
im vestimentum, sic comedet eos vermis:
ut lanam, sic devorabit eos tinea.
utemmea in sempiternum erit, et justitia
a in generationes generationum.
ge, consurge,
re fortitudinem brachium Domini :
rge sicut in diebus antiquis,
nerationibus sæculorum.
d non tu percussisti superbum,
rasti draconem ?
id non tu siccasti mare, aquam abyssi vehentis :
osuisti profundum maris viam,
nsirent liberati ?
qui redempti sunt a Domino, revertentur.
ient in Sion laudantes,
itia sempiterna super capita eorum
um et lætitiam tenebunt,
dolor et gemitus.
o ipse consolabor vos :
ut timeres (*Al.* timueris) ab homine mortali,
a filio hominis ;
uasi fenum ita areseet?
us es Domini (*Al.* Dei) factoris tui,
tendit cœlos, et fundavit terram :
idasti jugiter tota die a facie furoris ejus qui
tribulabat,
raverat ad perdendum :
ic est furor tribulantis ?
iet gradiens ad aperiendum,
n interficiet usque ad internecionem :
eficiet panis ejus.
utem sum Dominus Deus tuus, qui conturmare.
umescunt fluctus ejus :
is exercituum nomen meum.
erba mea in ore tuo,
umbra manus meæ protexi te,

A ut plantes cœlos, et fundes terram :
et dicas ad Sion :
Populus meus es tu.
Elevare, elevare,
consurge, Jerusalem,
quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus :
Usque ad fundatum calicis soporis bibisti,
et potasti usque ad fæces.
Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis quos genuit :
et non est qui aprehendat manum ejus ex omnibus filiis, quos enutrivit.
Duo sunt quæ occurrerunt tibi ;
quis contristabitur super te ?
Vastitas, et contritio et fames, et gladius :
quis consolabitur te ?
Fili tui projecti sunt,
dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus [1] :
B pleni indignatione Domini,
increpatione Dei tui.
Idcirco audi hoc, paupercula,
Et ebria non a vino.
Hæc dicit dominator tuus Dominus,
et Deus tuus, qui pugnabit (*Al.* pugnavit pro populo suo :
Ecce tuli de manu tua calicem soporis,
fundum calicis indignationis meæ,
non adjicies ut bibas illum ultra.
Et ponam illum in manu eorum, qui te humiliaverunt,
et dixerunt animæ tuæ: Incurvare, ut transeamus,
Et posuisti ut terram corpus tuum,
et quasi viam transeuntibus.
(*Cap.* LII.) Consurge, consurge,
induere fortitudine tua, Sion,
induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem, civitas sancti :
C quia non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus.
Excutere de pulvere,
consurge, sede, Jerusalem :
solve vincula colli tui, captiva filia Sion,
Quia hæc dicit Dominus:
Gratis venumdati estis :
et sine argento redimemini.
Quia hæc dicit Dominus Deus :
In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi :
et Assur absque ulla causa calumniatus est eum.
Et nunquid (*Al.* nunc quod) mihi est hic, dicit Dominus,
quoniam ablatus est populus meus gratis?
Dominatores ejus iniquе agunt, dicit Dominus,
et jugiter tota die nomen meum blasphematur.
Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa :
D quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.
Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem ;
annuntiantis bonum, prædicantis salutem,
dicentis Sion :
Regnabit Deus tuus!
Vox speculatorum tuorum : levaverunt vocem, simul laudabunt ;
quia oculo ad oculum videbunt,
cum converterit Dominus Sion.
Gaudete, et laudate simul, deserta Jerusalem :
quia consolatus est Dominus populum suum,

rale nomen posuerunt exscriptores Canonis, plurium aliorum mss. codicum ; nempe, *stia illaqueata*. Observat autem sanctus Hieis lib. XIV Commentariorum pro *beta semi*uod LXX interpretati sunt, reliquos omnes etes, *orygem captum et illaqueatum* transtulisse, qui Hebraice appellatur תיא, *Tho*, quod genus bestiæ noscentis in eremo, inter munda animalia in Levitico et Deuteronomio ponitur, Pro quo LXX Syra lingua opinati sunt (תיאורת) *Thoreth*, quæ dicitar *beta*. MART..

redemit Jerusalem.
Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium :
et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.
Recedite, recedite, exite inde,
pollutum nolite tangere,
exite de medio ejus,
mundamini qui fertis vasa Domini.
Quoniam non in tumultu exibitis,
nec in fuga properabitis :
Præcedet enim vos Dominus,
et congregabit vos Deus Israel.
Ecce inteliget servus meus,
exaltabitur et elevabitur,
et sublimis erit valde.
Sicut obstupuerunt super te multi,
sic inglorius erit inter viros aspectus ejus,
et forma ejus inter filios hominum.
Iste asperget gentes multas,
super ipsum continebunt reges os suum :
Quia quibus non est (*Al.* erat) narratum de eo, viderunt ;
et qui non audierant, contemplati sunt.
(*Cap.* LIII.) Quis credidit auditui nostro ?
et brachium Domini cui revelatum est ?
Et ascendet sicut virgulum coram eo,
sicut radix de terra sitienti :
Non est species ei, neque decor:
et vidimus eum.
et non erat aspectus,
et desideravimus eum.
Despectum, et novissimum virorum,
Virum dolorum, et scientem infirmitatem :
quasi absconditus vultus ejus et despectus,
unde nec reputavimus eum.
Vere languores nostros ipse tulit,
et dolores nostros ipse (*Al. tacet* ipse) portavit:
et nos putavimus eum quasi leprosum,
et percussum a Deo et humiliatum,
Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras :
attritus est propter scelera nostra :
Disciplina pacis nostræ super eum,
et livore ejus sanati sumus.
Omnes nos quasi oves erravimus,
unusquisque in viam suam declinavit :
et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.
Oblatus est, quia ipse voluit,
et non aperuit os suum ;
Sicut ovis ad occisionem ducetur,
et quasi agnus coram tondente obmutescet,
et non aperiet os suum.
De angustia, et de judicio sublatus est :
generationem ejus quis enarrabit :
Quia abscisus est de terra viventium?
propter scelus populi mei percussit eum [1]. Et dabit impios pro sepultura,
A et in divitem pro morte sua :
Eo quod iniquitatem non fecerit,
neque dolus fuerit in ore ejus.
Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate:
Si posuerit pro peccato animam suam,
videbit semen longævum,
et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.
Pro eo quod laboravit (*Al.* laboraverit) anima ejus,
videbit et saturabitur :
In scientia sua justificabit ipse justus servus meus
(*Al.* servos meos) multos [2],
et iniquitates eorum ipse portabit.
Ideo dispertiam ei plurimos :
et fortium dividet spolia,
Pro eo quod tradidit in mortem animam suam,
et cum sceleratis reputatus est :
Et ipse peccatum multorum tulit,
et pro transgressoribus rogavit [3].
(*Cap.* LIV.) Lauda, sterilis, quæ non paris :
B decanta laudem,
et binni quæ non pariebas :
Quoniam multi filii desertæ,
magis quam ejus quæ habebat virum, dicit Dominus.
Dilata locum tentorii tui,
et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas :
Longos fac funiculos tuos,
et clavos tuos, consolida.
Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis :
et semen tuum gentes hæreditabit,
et civitates desertas inhabitabit.
Noli timere, quia non confunderis, neque erubescas : non enim te pudebit,
quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris,
et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius.
Quia dominabitur tui qui fecit te,
C Dominus exercituum nomen ejus :
et redemptor tuus sanctus Israel,
Deus omnis terræ vocabitur.
Quia ut mulierem derelictam et mœrentem spiritu,
vocavit te Dominus,
et uxorem ab adolescentia abjectam, dixit Deus tuus.
Ad punctum in modico dereliqui te,
et in miserationibus magnis congregabo te.
In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te.
et in misericordia sempiterna misertus sum tui:
dixit redemptor tuus Dominus.
Sicut in diebus Noe istud mihi est,
cui juravi ne inducerem aquas Noe ultra super terram :
sic juravi ut non irascar tibi, et non increpem te.
Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent :
misericordia autem mea non recedet a te,
D

[1] Hoc modo legunt exemplaria Canonis Hebraicæ veritatis: licet in Carcassonensi emendator imperitus eraserit ultimam litteram vocis *percussit*. Eamdem quoque retinet lectionem liber perantiquus dictus *Comes sancti Hieronymi*, sive lectionarius ms., cujus auctor omnes partes Instrumenti Veteris desumpsit ex editione Hieronymiana ad Hebraicos codices concinnata, ut testis est præfatiuncula ejusdem libri. Alia mss. Bibliorum sacrorum exemplaria concordant cum Vulgata nostra, quæ in prima persona legit, *percussi eum*. Notandum vero in ms. Corbeiensi, num. 12, scriptum esse prima manu, *percussi eos*, et mutatum deinde in *percussit eum*; econtra codex Regius num. 3563 emendatus legit *percussit eos*; cum antea habuerit *percussi eum*. Porro in editis libris Commentariorum sancti Hieronymi, ac in mss. antiquioribus ac melioris notæ legimus *percussit eos* secundum Hebræa verba נגע למו *maga lamo* ; quæ ab aliquot eruditis ita accipiuntur, ac si esset נגע לו, *nega lo*, id est *plaga ei*, sive *percussit eum*, pro *percussit eos*. De *lamo* pro *lo* vide criticos sacros in hunc locum Isaiæ. MART.

[2] Aliquot codices ms. cum exemplaribus Canonis legunt in accusativo casu, *servos meos multos*, quod ex Hebræo עבדי intelligi potest ; nam si legatur *audi* vel *abdi*, interpretatur *servus meus*: si autem *avadai abadai*, *servos meos* significat. MART.

[3] Addit hoc loco Canon Carcassonensis, *ut non perirent*, quod superfluum est, nec apud ullum fertur interpretem: sed desumptum est ex lectionariis, nam *Comes* S. Hieronymi habet istud additamentu, *Ut non perirent : ait Dominus omnipotens*. MART.

et fœdus pacis meæ non movebitur :
Dixit miserator tuus Dominus :
Paupercula, tempestate convulsa, absque ulla (*Al. tacet* ulla) consolatione.
Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos,
et fundabo te in sapphiris,
Et ponam jaspidem propugnacula tua :
et portas tuas in lapides sculptos,
et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles:
Universos filios tuos doctos a Domino ;
et multitudinem pacis filiis tuis;
Et in justitia fundaberis :
Recede procul a calumnia, quia non timebis ;
et a pavore, quia non appropinquabit tibi.
Ecce accola veniet, qui non erat mecum,
advena quondam tuus adjungetur tibi.
Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas,
et proferentem vas in opus suum,
et ego creavi interfectorem ad disperdendum.
Omne vas, et quod fictum est contra te, non dirigetur :
et omnem linguam resistentem tibi in judicio, judicabis.
Hæc hæreditas servorum Domini,
et justitia eorum apud me, dicit Dominus.
(*Cap.* LV.) Omnes sitientes, venite ad aquas :
et qui non habetis argentum (*Al.* pecuniam), properate,
emite, et comedite :
Venite, emite absque argento,
et absque ulla commutatione vinum et lac.
Quare appenditis argentum non in panibus,
et laborem vestrum non in saturitate ?
Audite, audientes me, et comedite bonum,
et delectabitur in crassitudine anima vestra.
Inclinate aurem vestram, et venite ad me :
audite, et vivet anima vestra,
Et feriam vobis (*Al.* vobiscum) pactum sempiternum,
misericordias David fideles [1].
Ecce testem populis dedi eum,
ducem ac præceptorem gentibus.
Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis :
et gentes, quæ non cognoverunt te, ad te current,
propter Dominum Deum tuum,
et sanctum Israel, quia glorificavit te.
Quærit Dominum, dum inveniri potest ; invocate eum, dum prope est.
Derelinquat impius viam suam,
et vir iniquus cogitationes suas,
Et revertatur (*Al.* convertatur) ad Dominum, et miserebitur ejus,
et ad Deum nostrum : quoniam multus est ad ignoscendum.
Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ :
neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus.
Quia sicut exaltantur cœli a terra,
sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris.
Et quomodo descendit imber, et nix de cælo,
et illuc ultra non revertitur [2],
sed inebriat terram, et infundit eam,
et germinare eam facit,
et dat semen serenti,
et panem comedenti :
Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo :
non revertetur ad me vacuum,
sed faciet quæcunque volui,
et prosperabitur in his, ad quæ misi illud.
Quia in lætitia egrediemini, et in pace deducemini,
montes et colles cantabunt coram vobis laudem,
et omnia ligna regionis plaudent manu.

A Pro saliuncula ascendet abies,
et pro urtica crescet myrtus :
Et erit Dominus nominatus in signum æternum,
quod non auferetur.
(*Cap.* LVI.) Hæc dicit Dominus :
Custodite judicium, et facite justitiam :
quia juxta est salus mea, ut veniat,
et justitia mea, ut reveletur.
Beatur vir, qui facit hoc,
et filius hominis, qui apprehendet istud :
Custodiens sabbatum, ne polluat illud,
custodiens manus suas, ne faciat omne malum.
Et non dicat filius advenæ, qui adhæret Domino, dicens :
Separatione dividet me Dominus a populo suo,
Et non dicat eunuchus :
Ecce ego lignum aridum.
Quia hæc dicit Dominus eunuchis :
Qui custodierint Sabbata mea, et elegerint quæ
B volui, et tenuerint fœdus meum :
Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum,
et nomen melius a filiis et filiabus :
Nomen sempiternum dabo eis,
quod non peribit.
Et filios advenæ, qui adhærent Domino, ut colant eum,
et diligant nomen ejus, ut sint ei in servos :
Omnem custodientem sabbatum ne polluat illud,
et tenentem fœdus meum :
Adducam eos in montem sanctum meum,
et lætificabo eos in domo orationis meæ ;
Holocausta eorum, et victimæ eorum, placebunt mihi super altari meo :
quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.
Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel:
Adhuc congregabo ad eum congregatos ejus.
Omnes bestiæ agri, venite ad devorandum,
C universæ bestiæ saltus.
Speculatores ejus cæci,
Omnes nescierunt :
Universi canes muti non valentes latrare,
videntes vana,
dormientes, et amantes somnia.
Et canes impudentissimi
nescierunt saturitatem.
Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam :
omnes in viam suam declinaverunt,
unusquisque ad avaritiam suam,
a summo usque ad novissimum.
Venite, sumamus vinum,
et impleamur ebrietate :
Et erit sicut hodie, sic et cras,
et multo amplius.
(*Cap.* LVII.) Justus perit,
et nemo est, qui recogitet in corde suo.
Et viri misericordiæ colliguntur,
D quia non est qui intelligat :
a facie enim malitiæ collectus est justus.
Veniat pax,
requiescat in cubili suo qui ambulavit (*Al.* ambulat) in directione sua.
Vos aut accedite huc, filii auguratricis,
semen adulteri, et fornicariæ.
Super quem lusistis ?
super quem dilatastis os, et ejecistis linguam ?
Nunquid non vos filii scelesti, semen mendax ?
qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum,
immolantes parvulos in torrentibus, subter imminentes petras ?
In partibus torrentis pars tua,

[1] Vitio exscriptorum legitur in mss. et Canone Heb. verit. *David fidelis* . cum in textu Hebraico, et apud LXX interpretes plurulis sit numerus, id est, *fidelia*, vel *fideles*, et non *fidelis*. MART.

[2] Ferme rectius in Commentario ad Hebræum ישוב, legit S. Interpres in futuro, revertetur.

hæc est sors tua :
et ipsis effudisti libamen,
obtulisti sacrificium.
Nunquid super his non indignabor?
Super montem excelsum et sublimem posuisti cubile tuum,
et illuc ascendisti, ut immolares hostias.
Et post ostium, et retro postem posuisti memoriale tuum :
quia juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum :
Dilatasti cubile tuum, et pepigisti cum eis fœdus [1] :
dilexisti stratum eorum manu aperta.
Et ornasti te regio unguento,
et multiplicasti pigmenta tua.
Misisti legatos tuos procul,
et humiliata es usque ad inferos.
In multitudine viæ tuæ laborasti :
non dixisti : Quiescam :
Vitam manus tuæ invenisti,
propterea non rogasti (*Al. add.* me),
Pro quo sollicita timuisti, quia mentita es,
et mei non es recordata,
neque cogitasti in corde tuo.
Quia ego tacens, et quasi non videns,
et mei oblita es.
Ego annuntiabo justitiam tuam,
et opera tua non proderunt tibi.
Cum clamaveris, liberent te congregati tui,
et omnes eos auferet ventus :
tollet aura :
Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram,
et possidebit montem sanctum meum.
Et dicam :
Viam facite,
præbete iter,
declinate de semita,
auferte offendicula de via populi mei.
Quia hæc dicit Excelsus, et sublimis habitans æternitatem :
et sanctum nomen ejus in excelso et in sancto habitans,
Et cum contrito et humili spiritu :
ut vivificet spiritum humilium,
et vivificet cor contritorum.
Non enim in sempiternum ligabo,
neque usque ad finem irascar :
Quia spiritus a facie mea egredietur,
et flatus ego faciam.
Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum,
et percussi eum :
Abscondi a te faciem meam [2],
et indignatus sum :
Et abiit vagus (*Al.* ambulavit mœrens) in via cordis sui.
Vias ejus vidi, et sanavi eum,
A et reduxi eum, et reddidi consolationes ipsi,
et lugentibus ejus.
Creavi fructum labiorum pacem,
pacem ei, qui longe est, et qui prope, dixit Dominus,
et sanavi eum.
Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest,
et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum.
Non est pax, dixit Deus meus (*Al. tacet* meus) impiis.
(*Cap.* LVIII.) Clama, ne cesses,
quasi tuba exalta vocem tuam,
et annuntia populo meo scelera eorum,
et domui Jacob peccata eorum.
Me etenim de die in diem quærunt,
et scire vias meas volunt :
Quasi gens, quæ justitiam fecerit,
et judicium Dei sui non dereliquerit :
B Rogant me judicia justitiæ :
appropinquare Deo volunt.
Quare jejunavimus, et non aspexisti :
humiliavimus animam nostram, et nescisti?
Ecce in die jejunii vestri, invenitur voluntas vestra [3],
et omnes debitores vestros repetitis (*Al.* repetistis).
Ecce ad lites et contentiones jejunatis,
et percutitis pugno impie.
Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem,
ut audiatur in excelso clamor vester.
Numquid tale est jejunium, quod elegi,
per diem affligere hominem animam suam?
Numquid contorquere quasi circulum caput suum,
et saccum et cinerem sternere?
Nunquid istud vocabis jejunium,
et diem acceptabilem Domino?
Nonne hoc magis jejunium, quod elegi?
dissolve colligationes impietatis,
C solve fasciculos deprimentes :
Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos :
et omne onus disrumpe.
Frange esurienti panem tuum,
Et egenos vagosque induc in domum [4].
Cum videris nudum, operi eum,
et carnem tuam ne despexeris [5].
Tunc erumpet quasi mane lumen tuum,
et sanitas tua citius (*Al.* cito) orietur,
et anterbit faciem tuam justitia tua,
et gloria Domini colliget te.
Tunc invocabis, et Dominus exaudiet te [6];
clamabis, et dicet : Ecce adsum.
Si abstuleris de medio tui catenam,
et desieris digitum extendere,
et loqui quod non prodest.
Cum effuderis esurienti animam tuam,
et animam afflictam repleveris,

[1] Propius Hebræo, tacet in Commentario S. Pater *fœdus*. Rectius quoque cum eodem archetypo legit paulo post *regi*, pro *regio* Hebr. לְמֶלֶךְ.

[2] Hæc verba, *A te faciem meam*, parum est verosimile, ex Hieronymi profecta esse manu, nedum enim illa penitus prætermittit, ubi hunc locum prælegit in Commentario ; sed etiam in subnexa ibi expositione luculentissime docet, tantum subaudiri ex contextu. Certe neque in Hebr. sunt, qui tantum habet הִסְתִּיר, quod est, *abscondi* ; et quæ illa sufficiunt aliæ Versiones post Septuaginta, videntur ex παραλλήλῳ loco Deut. XXXI, 17, aut XXXII, 20, accepisse.

[3] Non est in Hebræo additum *vestra*, quod verbum neque novit cod. Ambros. quos in recognoscendis Commentariis Hieronymianis usi sumus. Rectius quoque legere est in iisdem Commentariis *invenietur* pro *invenitur*. In Hebræo est חִמְצְאוּ-חֵפֶץ.

[4] Expunximus ad mss. fidem pronomem *tuam* D quod neque par credere est additum hic fuisse a Hieronymo, qui in hujus expositione loci testatus ἁπλῶς *in Hebraico haberi, in domum* : observatque eo dici penitiori sensu, *ut si tuam non habes, inducas in hospitiolum, quod vel mercede conductum vel beneficio possides*. Addita vox ea est LXX quam certe Hieronymi versio respuit.

[5] Ab hoc loco usque ad verba, *si abstuleris, Speculum* S. Augustini notat quatuor versus : at in ms. Corbeiensi sex habentur distinctiones pe membra divisæ ; idque postulare videntur sententiæ totidem, quæ duobus bis colis continentur Forte attendebat sanctus Augustinus ad cola duo quæ sæpius quatuor tantum versus, seu commat in se complectuntur.

[6] Illud *te* neque Hebræus textus novit neque S. Interpres in Commentario.

(*Al. add.* Tunc) Orientur in tenebris lux tua,
et tenebræ tuæ erunt sicut meridies.
Et requiem tibi dabit Dominus semper,
et implebit splendoribus animam tuam,
et ossa tua liberabit,
Et eris quasi hortus irriguus,
et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.
Et ædificabuntur in te deserta sæculorum:
fundamenta generationis et generationis suscitabis.
et vocaberis [1] ædificator sepium,
avertens (*Al.* convertens) semitas in quietem.
Si averteris a sabbato pedem tuum,
• facere voluntatem tuam in die sancto meo.
Et vocaveris Sabbatum delicatum,
et sanctum Domini gloriosum:
Et glorificaveris eum, dum non facis vias tuas,
et non invenitur (*Al.* invenietur) voluntas tua, ut loquaris sermonem:
Tunc delectaberis super Domino,
et sustollam te super altitudines terræ,
et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.
Os enim Domini locutum est.
(*Cap.* LIX.) Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat,
neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat:
Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et inter Deum vestrum,
et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.
Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine,
Et digiti vestri iniquitate;
Labia vestra locuta sunt mendacium,
et lingua vestra iniquitatem fatur.
Non est qui invocet justitiam,
neque est qui judicet vere:
sed confidunt in nihilo,
et loquuntur vanitates;
Conceperunt laborem,
et pepererunt iniquitatem.
Ova aspidum ruperunt,
et telus araneæ texuerunt:
Qui comederit de ovis eorum, morietur:
et quod confotum est, erumpet in regulum,
Telæ eorum non erunt in vestimentum,
neque operientur operibus suis:
Opera eorum opera inutilia,
et opus iniquitatis in manibus eorum.
Pedes eorum ad malum currunt,
et festinant, ut effundant sanguinem innocentem.
Cogitationes eorum cogitationes inutiles:
vastitas et contritio in viis eorum.
Viam pacis nescierunt,
et non est judicium in gressibus eorum.
Semitæ eorum incurvatæ sunt eis:
omnis qui calcat in ea (*Al.* eis), ignorat pacem.
Propter hoc elongatum est judicium a nobis,
et non apprehendet nos justitia:
Exspectavimus lucem, et ecce tenebræ:
splendorem, et in tenebris ambulavimus.
Palpavimus sicut cæci parietem,
et quasi absque oculis attrectavimus:
Impegimus meridie quasi in tenebris,
in caliginosis (*Al.* caligosis) quasi mortui.

A Rugiemus quasi ursi omnes.
et quasi columbæ meditantes gememus.
Exspectavimus judicium, et non est (*Al.* erit);
salutem, et elongata est a nobis:
Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te,
et peccata nostra responderunt nobis.
Quia scelera nobiscum,
et iniquitates nostras cognovimus,
peccare et mentiri contra Dominum:
Et aversi sumus, ne iremus post tergum Dei (*Al.* Domini) nostri,
ut loqueremur calumniam, et transgressionem concepimus,
et locuti sumus de corde verba mendacii.
Et conversum est retrorsum judicium,
et justitiam longe stetit:
Quia corruit in platea veritas,
et æquitas non potuit ingredi.
Et facta est veritas in oblivionem
B et qui recessit a malo, prædæ patuit:
Et vidit Dominus,
et malum apparuit in oculis ejus,
quia non est judicium,
Et vidit quia non est vir:
et aporiatus est:
quia non est qui occurrat:
Et salvabit brachium suum,
et justitia ejus ipsa confirmavit eum.
Indutus est justitia ut lorica,
et galea (*Al.* galeam) salutis in capite ejus;
Indutus est vestimentis ultionis,
et opertus est quasi pallio zeli.
Sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis et vicissitudinem inimicis suis,
insulis vicem reddet.
Et timebunt qui ab occidente nomen Domini,
et qui ab ortu solis gloriam ejus:
C Cum venerit quasi fluvius violentus,
quem spiritus Domini cogit:
Et venerit Sion redemptor,
et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus,
Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus:
Spiritus meus, qui est in te,
et verba mea, quæ posui in ore tuo,
non recedent de ore tuo,
et de ore seminis tui, dicit Dominus,
amodo et usque in sempiternum.
(*Cap.* LX.) Surge, illuminare [2], quia venit lumen tuum,
et gloria Domini super te orta est.
Quia ecce tenebræ operient terram,
et caligo populos;
Super te autem orietur Dominus,
et gloria ejus in te videbitur.
Et ambulabunt gentes in lumine tuo,
et reges in splendore oris tui.
D Leva in circuitu oculos tuos, et vide:
omnes isti congregati sunt (*Al. tacet* sunt), venerunt tibi:
Filii sui de longe venient,
et filiæ tuæ in latere sugent [3].
Tunc videbis et affluës,

[1] In Commentario prælegit S. Pater: *Et vocabitur in te ædificator.* Hebr. יִקָּרֵא בָךְ.

[2] In editis et mss. aliquot recentioribus additum est nomem *Jerusalem*: sed abest e Canone Hebr. verit. Et de hoc verbo sanctus Hieronymus lib. XVII Comment.: « Porro, inquit, nomen Jerusalem et gentium. quod hic a LXX ponitur, in Hebraico non habetur, et obelo prænotandum est, » etc. MART.

[3] Errore librariorum vitium inolevit ut pro *in latere sugent*, hic scribatur, *in latere surgent*: sed emendatores periti reposuerunt in nonnullis mss. antiquioribus, quod prima manu scriptum erat, nempe *sugent*. Consule Hieronymi Commentaria in hunc locum. MART.

— Tres, quos Victorius laudat. mss. Bibliorum codices *lac* habent pro *in latere*, quam ipse lectionem ex inferiori contextu ad versic. 16, *suges lac gentium et mamilla regum lactaberis* atque ipso S. Doctoris Commentario magis probat. Refragatur vero Hebræus textus, ac reliqui libri omnes. Cæterum

et mirabitur, et dilatabitur cor tuum,
Quando conversa fuerit ad te multitudo maris,
fortitudo gentium venerit tibi.
Inundatio camelorum operiet te,
dromedarii Madian et Epha;
Omnes de Saba venient,
aurum et thus deferentes,
et laudem Domino annuntiantes.
Omne pecus Cedar congregabitur tibi.
arietes Nabajoth ministrabunt tibi,
Offerentur super placabili altari meo,
et domum majestatis meæ glorificabo.
Qui sunt isti, qui ut nubes volant,
et quasi columbæ ad fenestras suas?
Me enim insulæ exspectabunt (*Al.* expectant),
et naves maris in principio,
ut adducam filios tuos de longe;
Argentum eorum, et aurum eorum cum eis;
nomini Domini Dei tui, et sancto Israel, quia glorificavit te.
Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos,
et reges eorum ministrabunt tibi;
Indignatione enim mea percussi te:
et in reconciliatione mea misertus sum tui.
Et aperientur portæ jugiter:
die et nocte non claudentur,
Ut afferatur ad te fortitudo gentium,
et reges earum adducantur.
Gens enim et regnum, quod non servierit tibi. peribit,
et gentes solitudine vastabuntur.
Gloria Libani ad te veniet,
et abies et buxus, et pinus simul,
ad ornandum locum sanctificationis meæ;
et locum pedum meorum glorificabo.
Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te,
et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi.
et vocabunt te civitatem Domini, Sion sancti Israel:
Pro eo quod fuisti derelicta, et odio habita,
et non erat qui per te transiret (*Al.* qui pertransiret),
Ponam te in superbiam sæculorum,
gaudium in generationem et generationem;
Et suges lac gentium,
et mamilla regum lactaberis,
Et scies quia ego Dominus salvans te,
et redemptor tuus fortis Jacob,
Pro ære afferam aurum,
et pro ferro afferam argentum,
et pro lignis æs,
et pro lapidibus ferrum:
Et ponam visitationem tuam pacem,
et præpositos tuos (*Al. add.* in) justitiam.
Non audietur ultra iniquitas in terra tua,
vastitas et contritio in terminis tuis,
Et occupabit salus muros tuos,
et portas tuas laudatio.
Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem,
nec splendor lunæ illuminabit te:
Sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam,
et Deus tuus in gloriam tuam.
Non occidet ultra sol tuus,
et luna tua non minuetur:
Quia Dominus erit in lucem sempiternam,
et complebuntur dies luctus tui.
Populus autem tuus omnes justi,
in perpetum hæreditabunt terram,
Germen plantationis meæ,
opus manus meæ ad glorificandum.

A Minimus erit in mille.
et parvulus in gentem fortissimam:
Ego Dominus
in tempore ejus subito faciam istud.
(*Cap.* LXI.) Spiritus Domini (*Al. add.* Dei) super me,
eo quod unxerit Dominus me:
ad annuntiandum mansuetis misit me.
ut mederer contritis corde,
et prædicarem captivis indulgentiam,
et clausis apertionem:
Ut prædicarem [*Al.* Et annuntiarem] annum placabilem Domino,
et diem ultionis Deo nostro:
Ut consolarer omnes lugentes:
ut ponerem lugentibus Sion,
et darem eis coronam pro cinere,
oleum gaudii pro luctu,
pallium laudis pro spiritu mœroris:
Et vocabuntur in ea fortes justitiæ,
B plantatio Domini ad glorificandum.
Et ædificabunt deserta a sæculo,
et ruinas antiquas erigent,
Et instaurabunt civitates desertas,
dissipatas in generationem et generationem.
Et stabunt alieni, et pascent pecora vestra: et filii peregrinorum,
agricolæ et vinitores vestri erunt.
Vos autem sacerdotes Domini vocabimini:
Ministri Dei nostri, dicetur vobis:
Fortitudinem gentium comedetis,
et in gloria earum superbietis.
Pro confusione vestra duplici et rubore,
laudabunt partem eorum:
Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt,
lætitia sempiterna erit eis.
Quia ego Dominus diligens judicium,
et odio habens rapinam in holocausto:
Et dabo opus eorum in veritate,
C et fœdus perpetuum feriam eis.
Et scietur in gentibus semen eorum.
et germen eorum in medio populorum:
Omnes qui viderint eos, cognoscent eos,
quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.
Gaudens gaudebo in Domino.
et exultabit (*Al.* exsultavit) anima mea in Deo meo:
Quia induit me vestimentis salutis:
et indumento justiæ circumdedit me,
quasi sponsum decoratum corona.
et quasi sponsam ornatam monilibus suis.
Sicut enim terra profert germen suum,
et sicut hortus semen suum germinat:
sic Dominus Deus germinabit justitiam et laudem coram universis gentibus.
(*Cap.* LXII.) Propter Sion non tacebo,
et propter Jerusalem non quiescam,
donec egrediatur ut splendor justus ejus,
D et salvator ejus ut lampas accendatur.
Et videbunt gentes justum tuum,
et cuncti reges inclytum tuum:
Et vocabitur tibi nomen novum,
quod os Domini nominabit (*Al.* nominavit).
Et eris corona gloriæ in manu Domini,
et diadema regni in manu Dei tui.
Non vocaberis ultra Derelicta:
et terra tua non vocabitur amplius Desolata:
Sed vocaberis, Voluntas mea in ea,
et terra tua, Inhabitata [1] (*Al.* Habitata).
Quia complacuit Domino in te:
et terra tua inhabitabitur.
Habitabit enim juvenis cum virgine,
et habitabunt in te filii tui.

optime habent cum laudati mss., tum emendatiores Latinæ editiones *sugent*, pro *surgent*, quod obtinent in Vulgata.

[1] Pro *inhabitata*, corrupte legitur in Canone San-Germanensi, et ms. Colbertino Aniciensi, *inhabitabitur*. MART.

Et gaudebit sponsus super sponsam,
et gaudebit super te Deus tuus.
Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes,
tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt:
Qui reminiscimini Domini, ne taceatis:
et detis silentium ei,
donec stabiliat,
et donec ponat Jerusalem laudem in terra.
Juravit Dominus in dextera sua,
et in brachio fortitudinis suæ:
Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis,
et si biberint filii alieni vinum tuum, in quo laborasti.
Quia qui congregant illud, comedent,
et laudabunt Dominum:
et qui comportant illud,
bibent in atriis sanctis meis.
Transite, transite per portas,
præparate viam populo:
Planum facite iter,
eligite lapides.
et elevate signum ad populos.
Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ;
Dicite filiæ Sion:
Ecce Salvator tuus venit:
ecce merces ejus cum eo,
et opus ejus coram illo.
Et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti (*Al.* redemptus) a Domino.
Tu autem vocaberis, Quæsita civitas
et non derelicta.
(*Cap.* LXIII.) Quis est iste, qui venit de Edom,
tinctis vestibus de Bosra?
Iste formosus in stola sua,
gradiens in multitudine fortitudinis suæ.
Ego qui loquor justitiam,
et propugnator sum ad salvandum.
Quare ergo rubrum est indumentum tuum,
et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?
Torcular calcavi solus,
et de gentibus non est vir mecum:
Calcavi eos in furore meo,
et conculcavi eos in ira mea:
Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea,
et omnia indumenta mea inquinavi.
Dies enim ultionis in corde meo,
annus redemptionis meæ venit.
Circumspexi, et non erat auxiliator:
quæsivi, et non fuit qui adjuvaret:
Et salvavit mihi brachium meum,
et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.
Et conculcavi populos in furore meo,
et inebriavi eos in indignatione mea,
et detraxi in terram virtutem eorum.
Miserationum Domini recordabor,
laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus,
et super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam,
et secundum multitudinem misericordiarum suarum.
Et dixit:
Verumtamen populus meus est, filii non negantes:
et factus est eis salvator.
In omni tribulatione eorum non est tribulatus,
et angelus faciei ejus salvavit eos:
In dilectione sua, et in indulgentia sua ipse redemit eos,
et portavit eos, et levavit eos cunctis diebus sæculi.
Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt,
et afflixerunt spiritum sancti ejus:

A Et conversus est eis in inimicum,
et ipse debellavit eos;
Et recordatus est dierum sæculi Mosi,
populi sui:
Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui?
Ubi est qui posuit in medio ejus spiritum sancti sui?
Qui eduxit ad dexteram Mosen brachio majestatis suæ,
qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum:
Qui eduxit (*Al.* duxit) eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem:
quasi animal in campo descendens.
Spiritus Domini ductor ejus fuit:
sic adduxisti populum tuum,
ut faceres tibi nomen gloriæ.
Attende de cœlo, et vide de habitaculo sancto tuo,
et gloriæ tuæ:
B Ubi est zelus tuus et fortitudo tua?
multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum super me,
continuerunt se.
Tu enim pater noster,
et Abraham nescivit nos,
et Israel ignoravit nos:
Tu, Domine, pater noster,
redemptor noster, a sæculo nomen tuum.
Quare errare nos fecisti, Domine, de (*Al.* in) viis tuis:
indurasti cor nostrum ne timeremus te?
Convertere propter servos tuos,
tribus hæreditatis tuæ.
Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum:
hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam.
Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri,
neque invocaretur nomen tuum super nos.
C (*Cap.* LXIV.)Utinam disrumperes cœlos
et descenderes:
a facie tua montes defluerent.
Sicut exustio ignis tabescerent,
aquæ arderent igni,
ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis:
a facie tua gentes turbarentur.
Cum feceris mirabilia, non sustinebimus:
descendisti, et a facie tua montes defluxerunt.
A sæculo non audierunt,
neque auribus perceperunt:
Oculus non vidit, Deus, absque te,
quæ præparasti exspectantibus te.
Occurristi lætanti, et facienti justitiam:
in viis recordabuntur tui:
Ecce tu iratus es, peccavimus:
in ipsis fuimus semper, et salvabimur.
Et facti sumus ut immundus omnes nos,
quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ:
D Et cecidimus quasi folium universi,
et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos:
Non est qui invocet nomen tuum:
qui consurgat, et teneat te:
Abscondisti faciem tuam a nobis,
et allisisti nos in manu iniquitatis nostræ[1].
Et nunc, Domine, pater noster es tu,
nos vero lutum:
et fictor noster tu,
et opera manuum tuarum omnes nos,
Ne irascaris, Domine, satis,
et ne ultra memineris iniquitatis nostræ.
Ecce respice,
populus tuus omnes nos.

[1] Pronomen *nostræ*, neque in Hebræo additur, neque in Commentario S. ipse Pater prælegit.

Civitas sancti tui facta est deserta,
Sion deserta facta est,
Jerusalem desolata est.
Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ:
ubi laudaverunt te patres nostri,
facta est in exustionem ignis,
et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.
Numquid super his continebis te, Domine,
tacebis, et affliges nos vehementer?
(*Cap.* LXV.) Quæsierunt me qui ante non interrogabant:
invenerunt qui non quæsierunt me.
Dixi: Ecce ego,
Ecce ego ad gentem, quæ non invocabat nomen meum.
Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.
Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper:
qui immolant in hortis,
et sacrificant super lateres;
Qui habitant in sepulcris,
et in delubris idolorum dormiunt.
Qui comedunt carnem suillam,
et jus profanum in vasis eorum.
Qui dicunt: Recede a me,
non appropinques mihi, quia immundus es:
Isti fumus erunt in furore meo,
ignis ardens tota die.
Ecce scriptum est coram me, non tacebo,
sed reddam et tribuam in sinum eorum iniquitates vestras,
et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus.
Qui sacrificaverunt super montes,
et super colles exprobraverunt mihi:
Et remetiar opus eorum primum in sinu eorum.
Hæc dicit Dominus:
Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur:
Ne dissipes illud, quoniam benedictio est:
sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum.
Et educam de Jacob semen,
et de Juda possidentem montes meos:
Et hæreditabunt eam electi mei,
et servi mei habitabunt ibi.
Et erunt campestria in caulas gregum,
et vallis Achor in cubile armentorum, populo meo qui reliquerunt me.
Et vos, qui dereliquistis Dominum,
qui obliti estis montem sanctum meum,
qui ponitis fortunæ mensam, et libatis super eam,
Numerabo vos in gladio,
et omnes in cæde corruetis:
Pro eo quod vocavi, et non respondistis:
locutus sum, et non audistis:
Et faciebatis (*Al.* Sed fecistis) malum in oculis meis,
et quæ nolui elegistis.
Propter hoc hæc dicit Dominus Deus:
Ecce servi mei comedent,
et vos esurietis:
Ecce servi mei bibent,
et vos sitietis:
Ecce servi mei lætabuntur,
et vos confundemini:
Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis,
et vos clamabitis præ dolore cordis,
et præ contritione spiritus ululabitis.
Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis:

A et interficiet te Dominus Deus.
et servos suos vocabit nomine alio.
In quo qui benedictus est super terram,
benedicetur in Deo, amen:
Et qui jurat in terra,
jurabit in Deo, amen:
Quia oblivioni traditæ sunt angustiæ priores,
et quia absconditæ sunt ab oculis meis.
Ecce enim ego creo cœlos novos, et terram novam:
et non erunt in memoria priora,
et non ascendent super cor.
Sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum,
in his quæ ego creo:
Quia ecce ego creo Jerusalem exultationem,
et populum ejus gaudium.
Et exsultabo in Jerusalem,
et gaudebo in populo meo:
Et non auditur in eo [1] ultra vox fletus et vox clamoris.
B Non erit ibi (*Al. tacet* ibi) amplius infans dierum,
et senex qui non impleat dies suos:
Quoniam puer centum annorum morietur,
et peccator centum annorum maledictus erit,
Et ædificabunt domos, et habitabunt:
et plantabunt vineas et comedent fructum earum.
Non ædificabunt et alius habitabit:
non plantabunt, et alius comedet:
Secundum enim dies ligni, dies erunt populi mei,
et opera manuum eorum inveterabunt.
Electi mei [2] non laborabunt frustra,
neque generabunt in conturbatione:
Quia semen benedictorum Domini est,
et nepotes eorum cum eis.
Eritque antequam clament, ego exaudiam:
adhuc illis loquentibus, ego audiam (*Al.* exaudiam),
Lupus et agnus pascentur simul,
leo et bos comedent paleas,
et serpenti pulvis panis ejus:
C Non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.
(*Cap.* LXVI.) Hæc dicit Dominus.
Cœlum sedes mea,
terra autem scabellum pedum meorum,
Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi?
et quis est iste locus quietis meæ?
Omnia hæc manus mea fecit,
et facta sunt universa ista, dicit Dominus.
Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu,
et trementem sermones meos?
Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum:
qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem:
Qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat:
qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo
Hæc omnia elegerunt in viis suis,
D et in abominationibus suis anima eorum delectata est.
Unde et ego eligam illusiones eorum:
et quæ timebant, adducam eis;
Quia vocavi, et non erat qui responderet;
locutus sum, et non audierunt:
Feceruntque malum in oculis meis,
et quæ nolui, egerunt [3].
Audite verbum Domini,
qui tremitis ad verbum ejus:
Dixerunt fratres vestri odientes vos,
et abjicientes propter nomen meum:
Glorificetur Dominus,
et videbimus in lætitia vestra:

[1] Hebraice sequiori est genere, *in ea*, בה: sicque ipse rectius legit in Commentario S. Pater.

[2] *Alia, eaque* ut videtur, concinnior verborum *series est in Commentariis, veterascent electis meis. Non laborabunt*, etc. Sensus quoque verior ad Hebræum יבלו בחיר.

[3] Rectius *elegerunt* in Commentario legit S. Interpres juxta Hebræum בחרו.

ipsi autem confundentur.
Vox [1] populi de civitate,
vox de templo,
vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.
Antequam parturiret, peperit:
antequam veniret partus ejus, peperit masculum.
Quis audivit unquam tale?
et quis vidit huic simile?
Nunquid parturiet terra in die una?
aut parietur gens simul [2],
quia parturivit et peperit Sion filios suos?
Numquid ego, qui alios parere facio,
ipse non pariam? dicit Dominus.
Si ego, qui generationem cæteris tribuo,
sterilis ero? ait Dominus Deus tuus,
Lætamini cum Jerusalem,
et exultate in ea omnes, qui diligitis eam;
Gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam,
ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus:
ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus [3].
Quia hæc dicit Dominus:
Ecce ego declinabo [4] super eam quasi fluvium pacis,
et quasi torrentem inundantem gloriam gentium quam sugetis:
Ad ubera portabimini,
et super genua blandientur vobis.
Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos,
et in Jerusalem consolabimini.
Videbitis, et gaudebit cor vestrum,
et ossa vestra quasi herba germinabunt,
Et cognoscetur manus Domini servis ejus
et indignabitur inimicis suis.
Quia ecce Dominus in igne veniet,
et quasi turbo quadrigæ ejus:

A Reddere in indignatione furorem suum,
et increpationem suam in flamma ignis:
Quia in igne Dominus judicabit (*Al.* dijudicatur),
et in gladio suo ad omnem carnem,
et multiplicabuntur interfecti a Domino.
Qui sanctificabantur,
et mundos se putabant in hortis post [5] unam intrinsecus,
Qui comedebant carnem suillam, et abominationem,
et murem:
simul consumentur, dicit Dominus.
Ego autem opera eorum, et cogitationes eorum venio, ut congregem cum omnibus gentibus et linguis,
et venient et videbunt gloriam meam.
Et ponam in eis signum:
Et nullam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare,
B in Africam, et in Lydiam tendentes sagittam [6]:
in Italiam et Græciam,
ad insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me,
et non viderunt gloriam meam
Et annuntiabunt gloriam meam gentibus (*Al.* in gentibus),
et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, et in quadrigis,
et in lecticis,
et in mulis, et in carrucis,
ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus;
Quomodo si inferant filii Israel manus in vase mundo
in domum Domini.
Et assumam ex eis in sacerdotes, et levitas, dicit Dominus.
Quia sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus:
sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum.
C Et erit mensis ex mense,

[1] Hic quoque verius habet Commentarior. lectio, *fremitus* pro *populi*, cum Hebræo שאון.

[2] Quamquam et libri omnes, et Hieronymiani ipsiusmet Commentarii lectio sic ferant, rescribendum tamen puto hic *semel* pro *simul*. Nam et Hebraico est tamen פעם אחד, *una vice*, et Græco εἰσάπαξ, quod est *semel*: denique et in Latina veteri Interpretatione ita scriptum exstitisse, testatur ipse alibi S. Pater in Commentariis in Jeremiæ, cap. 31, ubi hunc ex Vulgata sui temporis locum laudat: *Quia nata est gens semel*. Neque adeo par est opinari ab Hebræo textu, receptaque in reliquis libris lectione voluisse illum nulla de causa discedere: cum econtrario in perquam simili Latina voce, *simul* pro *semel*, proclive fueri librariis falli, idque porro sit verosimillimum.

[3] Confer S. Patris Commentarios ubi suam hancce D interpetationem tuetur.

[4] In instanti habet in Commentariis *declino*. Hebr. הנני. Sic et tertio ab hoc versu, *Ab ubere* legit pro *ad ubera*. Qua de lectione videsis quæ nobis et Victorio ad hunc locum in Commentaris observata sunt.

[5] Genuinam hujusmodi lectionem retinet Canon Hebraicæ veritatis, ac textus sacer in emendatis omnibus libris manuscriptis Commentariorum sancti Hieronymi. Multos autem mss. codices invenimus corruptos notariorum imperitia, vel emendatorum temeritate, qui tollentes verbum Interpretis *januam* de suo posuerunt pro *unam*. In Corbeien. ms. num. 12 *unam* legimus in contextu sacro, et e regione ad marginem, *januam*. Hebræus hodiernus nonnullam passus est mutationem; nam אחד, *ahhad* habet, loco אחת *ahhath*, ut monet Ceri Massorethicum hujus loci. Porro interpretes subintelligi volunt verbum piscinæ, vel arboris, ut sit sensus, qui sanctificantur *post unam arborem*, quæ est in medio hortorum, aut post *unam*, id est insignem piscinam et præcipuam, quæ in loco peculiari est in medio horti. Symmachus et Theodotion hunc locum ita interpretati sunt apud Hieronymum: *Qui sanctificamini et lustramini in hortis, alter post alterum, inter eos qui comedunt carnem suillam*, etc. Id ipsum expressit Syrus Interpres dicens: חד בתר חד, *hhad bathar hhad*, id est *alter post alterum*, sive *unus post unum*; Chaldæus habet eodem vel proximo sensu, *turba post turbam*. MART.

— Antea vulgati, *post januam*, cui lectioni concinunt et mss. nonnulli, atque ansam dedisse videntur cum LXX, qui interpretati sunt, ἐν τοῖς προθύροις *in liminibus*; tuum superioris capitis LVIII, 8 versiculus, ubi Hebræis exprobrat Isaias quod idolum post fores domuum collocarent: *Post ostium retro* D *postem posuisti memoriale tuum*. Veram nihilosecius lectionem esse impressam, ex Hebræo textu nihil est dubium, quam et in Commentario probat S. Pater. Quod Hebraice ibi dicitur אחה *Achad*, perquam erudite *Echat*, sive *Echatem*, id est, *unam* filii criticorum interpretantur.

[6] Hic quoque insedit erros librariorum, qui in Canone et in aliis mss. codicibus posuerunt *tenentes* pro *tendentes*, proclivi quidem lapsu et involuntario, ni fallor: cum sit omnino contrarius huic expositioni Hieronymianæ. « Lud autem Lydos vocant; quorum coloni Hetrusci, qui nunc Thusci appellantur, quondam mittendarum sagittarum peritissimi, et nunc dicuntur tendentes sagittam. Pro quo in Hebraico legitur MASCHE CESETH ((משכו קשת), quod absque LXX omnes similiter transtulerunt, *tendentes arcum*; et LXX posuerunt μεσὸχ, nomen pro verbo interpretantes. MART.

et Sabbatum ex Sabbato:
Venient omnis caro, ut adore coram facie mea, dicit Dominus.
Et egredientur, et videbunt cadavera virorum, A qui prævaricati sunt in me:
Vermis eorum non morietur,
et ignis eorum non extinguetur,
et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.

Explicit Isaias propheta,

PROLOGUS HIERONYMI IN JEREMIAM.

Jeremias propheta, cui hic prologus scribitur, sermone quidem apud Hebræos Isaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior [1], sed sensibus par est: quippe qui eodem spiritu prophetaverit. Porro simplicitas eloquii, de loco ei in quo natus est accidit. Fuit enim Anathothites, qui est usque hodie viculus, tribus ab Hierosolymis distans millibus; sacerdos ex sacerdotibus, et in matris utero sanctificatus: virginitate sua evangelicum virum Christi Ecclesiæ dedicans [2]. Hic vaticinari exorsus est puer: et captivatem urbis atque Judææ [3], non solum spiritu, sed et oculis carnis intuitus est. Jam decem tribus Israel Assyrii in Medos transtulerant: jam terras earum, coloniæ gentium possidebant. Unde in Juda tantum, et in Benjamin prophetavit: et civitatis suæ ruinas quadruplici planxit alphabeto, quod nos mensuræ metri versibusque reddidimus [4]. Præterea ordinem Visionum, qui apud Græcos et Latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus. Librum autem Baruch [5], notarii ejus, qui apud Hebræos nec legitur, nec habetur, prætermisimus: pro his omnibus maledicta ab æmulis præstolantes, quibus me necesse est per singula opuscula respondere. Et hoc patior, quia vos cogitis [6]. Cæterum ad compendium mali, rectius fuerat modum furori eorum silentio meo ponere, quam quotidie novi aliquid scriptitantem invidorum insaniam provocare.

[1] Nuperis tamen Criticis elegantissimum dicitur, ac præcipue styli sublimitate insignis: quorum tamen sententiam Ric. Simonius contendit, e minori peritia linguæ Hebraicæ ortam esse, quam facile mutarent si in ejus linguæ cognitione magis profecissent. Verissime grandis sensuum prophetæ majestas est, æque in verborum neglectu posita.

[2] In Commentario ad c. XXIII, 9: « Certe, inquit, nullum puto sanctiorem esse Jeremia, qui virgo, propheta, sanctificatusque in utero, ipso nomine præfigurat Dominum Salvatorem, » Et filios tamen ei tribuit Paraphrastes Chaldæus in c. XXXVII 12. Cæterum *evangelicum virum* Jeremiam appellat rursus S. Pater, in Prologo ad. Commentarios.

[3] In Palatin. ms., *atque Judæ.*

[4] Alphabetum quadruplex Lamentationum Jeremiæ mensuræ metri reddidit Hieronymus: quia seriem litterarum Hebraicarum, ac numerum versuum in sua translatione Latina conservavit. Hanc quoque nos versuum distinctionem alphabeta, et incisiones religiose observamus in præsenti canonis editione; quod in consequentibus rem manifestam facient distinctiones per membra divisæ. MART.

[5] Paria habet in prologo ad Commentar.: « Libellum autem Baruch, qui vulgo editioni Septuaginta copulatur, nec habetur apud Hebræos, et ψευδεπίγραφον epistolam Jeremiæ nequaquam censui disserendam. »

[6] Paulam intelligit et Eustochium, ut apparet ex præfatione in Isaiam. MART.

INCIPIT LIBER JEREMIÆ PROPHETÆ.

(*Cap.* I.) Verba Jeremiæ filii Helciæ, de sacerdotibus qui fuerunt in Anathoth,
in terra Benjamin.
Quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Josiæ filii Amon regis Juda,
in tertio decimo anno regni ejus.
Et factum est in diebus Joacim filii Josiæ regis Juda,
usque ad consummationem undecimi anni Sedeciæ filii Josiæ regis Juda,
usque ad transmigrationem Jerusalem, in mense D quinto.
Et factum est verbum Domini ad me, dicens:
Priusquam te formarem in utero, novi te:
et antequam exires de vulva, sanctificavi te,
et prophetam in gentibus dedi te.
Et dixi: A, a, a, Domine Deus [1]:
ecce nescio loqui, quia puer ego sum.
Et dixit Dominus ad me:
Noli dicere Puer sum:
quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis:
et universa, quæcunque mandavero tibi, loqueris
Ne timeas a facie eorum:

[1] In Hebræo scriptum est אהה, triplex *a* juxta pronuntiationem Hieronymi, qui legebat *aleph* et *he* per *a* litteram vocalem. Unde Canon Hebraicæ veritatis retinet *A, a, a.* Cæteri ms. Bibliorum codices legunt *ha ha ha*, vel *ah ah ah.* MART.

— Uno scriptum Hebraice est verbo, אהה, quod per tres efferri litteras vocales *a* potest: Palatin. tamen ms. quemadmodum alii penes Martian. *ah* legunt: fortasse rectius; est enim illa conquerentis interjectio.

ıcum ego sum, ut eruam te, dicit Domi-
).
Dominus manum suam,et tetigit os meum:
t Dominus ad me :
i verba mea in ore tuo :
Al. add. ego) constitui te hodie super gen-
et super regna.
llas, et destruas,
»erdas, et dissipes,
ices, et plantes :
n est verbum Domini ad me, dicens :
tu vides, Jeremia ?

vigilantem ego video.
Dominus ad me :
idisti, quia vigilabo ego super verbo meo,
faciam illud.
ı est verbum Domini secundo ad me dicens:
vides ?

ccensam ego video,
em ejus a facie aquilonis.
Dominus ad me :
one pandetur malum (*Al.*aperientur mala)
r omnes habitatores terræ.
ego convocabo omnes cognationes regno-
aquilonis, ait Dominus :
ent et ponent unusquisque solium suum
troitu portarum Jerusalem,
er omnes muros ejus in circuitu,
er universas urbes Juda.
judicia mea cum eis,super omni malitia
n, qui dereliquerunt me,
verunt diis alienis,
averunt opus manuum suarum.
accinge lumbos tuos,
e, et loquere ad eos omnia, quæ ego præ-
tibi.
des a facie eorum :
im timere te faciam vultum eorum.
pe dedi te hodie in civitatem munitam,
olumnam ferream,
urum æreum,
omnem terram,
s Juda,
ibus ejus, et sacerdotibus,
lo terræ,
unt adversum te, et non prævalebunt :
cum ego sum ait Dominus, ut liberem te.
Et factum est verbum Domini ad me,di-
:
t clama in auribus Jerusalem, dicens :
t Dominus :
atus sum tui, miserans adolescentiam
),
itatem desponsationis tuæ,
secuta me es in deserto, in terra quæ
seminatur.
Israel Domino, primitiæ frugum ejus :
qui devorant eum, delinquunt (*Al.*delin-
t) :
enient super eos, dicit Dominus.
rbum Domini, domus Jacob,
es cognationes domus Israel :
t Dominus :
invenerunt patres vestri in me iniquitatis,
longaverunt a me,
ulaverunt post vanitatem,
facti sunt ?
ixerunt :
: Dominus,qui ascendere nos fecit de terra
pti :
nsduxit nos per desertum,
ram inhabitabilem et inviam ;
ram sitis, et imaginem mortis :
ram, in qua non ambulavit vir,
habitavit homo ?

A Et induxi vos in terram Carmeli.
ut comederetis fructum ejus, et optima (*Al.*bona)
illius :
Et ingressi contaminastis terram meam,
et hæreditatem meam posuistis in abominationem
Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Dominus ?
et tenentes legem (*Al. add.* meam), nescierunt
me,
et pastores prævaricati sunt in me :
et prophetæ prophetaverunt in Baal,
et idola secuti sunt.
Propterea adhuc judicio contendam vobiscum, ait
Dominus,
et cum filiis vestris disceptabo.
Transite ad insulas Cethim, et videte :
et in Cedar mittite, et considerate vehementer :
et videte si factum est hujuscemodi
Si mutavit gens deos ;
et certe ipsi non sunt dii :
B populus autem meus mutavit gloriam suam i
idolum.
Obstupescite, cœli, super hoc :
et portæ ejus, desolamini vehementer, dicit Do-
minus,
Duo enim mala fecit populus meus :
Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ,
et foderunt sibi cisternas,
cisternas dissipatas,
quæ continere non valent aquas.
Nunquid servus est Israel, aut vernaculus ?
quare ergo factus est in prædam ?
Super eum rugierunt leones,
et dederunt vocem suam,
posuerunt terram ejus in solitudinem :
Civitates ejus exustæ sunt,
et non est qui habitet in eis.
Filii quoque Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem.
C Nunquid non istud factum est tibi,
quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam ?
Et nunc quid tibi vis in via Ægypti,
ut bibas aquam turbidam (*Al.* Sion) ?
Et quid tibi cum via Assyriorum,
ut bibas aquam fluminis ?
Arguet te malitia tua,
et aversio tua increpabit te.
Scito,et vide,quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum,
et non esse timorem mei apud te,dicit Dominus Deus exercituum.
A sæculo confregisti jugum meum,
rupisti vincula mea,
et dixisti : Non serviam.
In omni enim colle sublimi,et sub omni ligno frondoso,
tu prosternebaris meretrix :
D Ego autem plantavi te vineam electam,
omne semen verum :
Quomodo ergo conversa es mihi in pravum vinea aliena ?
Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith,
maculata es in iniquitate tua coram me,dicit Dominus Deus.
Quomodo dicis : Non sum polluta,
post Baalim non ambulavi (*Al.* abii) ?
Vide vias tuas in convalle,
scito quid feceris :
Cursor levis explicans vias suas.
Onager assuetus in solitudine,
in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui ;
nullus avertet eam :
Omnes qui quærunt eam, non deficient ;
in menstruis ejus invenient eam.
Prohibe pedem tuum a nuditate,

et guttur tuum a siti.
Et dixisti :
Desperavi,
nequaquam faciam :
Adamavi quippe alienos,
et post eos ambulabo.
Quomodo confunditur fur quando deprehenditur,
sic confusi sunt domus Israel,
ipsi et reges eorum,
principes, et sacerdotes, et prophetæ eorum,
dicentes ligno : Pater meus es tu ;
et lapidi : Tu me genuisti.
Verterunt ad me tergum,
et non faciem,
Et in tempore afflictionis suæ dicent :
Surge, et libera nos.
Ubi sunt dii tui, quos fecisti tibi ?
surgant et liberent te in tempore afflictionis tuæ :
Secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui, Juda.
Quid vultis mecum judicio contendere ?
omnes dereliquistis me, dicit Dominus.
Frustra (*Al.* Sine causa) percussi filios vestros, disciplinam non receperunt :
Devoravit gladius vester prophetas vestros,
quasi leo vastator generatio vestra.
Videte verbum Domini :
Nunquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina ?
Quare ergo dixit populus meus : Recessimus, non veniemus ultra ad te ?
Nunquid obliviscetur virgo ornamenti sui,
aut sponsa fasciæ pectoralis suæ ?
Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris
Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem,
quæ insuper et malitias tuas docuisti vias tuas,
et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum ?
Non in fossis inveni eos,
sed in omnibus quæ supra memoravi.
Et dixisti : Absque peccato et innocens ego sum :
et propterea avertatur furor tuus a me.
Ecce ego judicio contendam tecum,
eo quod dixeris : Non peccavi.
Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas !
et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.
Nam et ab ista egredieris,
et manus tuæ erunt super caput tuum :
Quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam,
et nihil in ea habebis prosperum.

A [*Cap.* III.] Vulgo dicitur : Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum :
nunquid revertetur ad eam ultra ?
Nunquid non polluta et contaminata erit mulier illa [1] ?
Tu autem fornicata es cum amatoribus multis :
tamen revertere ad me, dicit Dominus [2].
Leva oculos tuos in directum,
et vide ubi non prostrata sis :
In viis sedebas, exspectans eos, quasi latro in solitudine :
et polluisti terram in fornicationibus (*Al.* malis) tuis, et in malitiis tuis.
Quam ob rem prohibitæ sunt stillæ pluviarum,
et serotinus imber non fuit :
Frons mulieris meretricis facta est tibi,
noluisti erubescere.
Ergo saltem amodo voca me : Pater meus,
dux virginitatis meæ tu es :
B Nunquid irasceris in perpetuum,
aut perseverabis in finem ?
Ecce locuta es, et fecisti mala, et potuisti.
Et dixit Dominus ad me in diebus Josiæ regis :
Nunquid vidisti quæ fecerit aversatrix Israel ?
Abiit sibimet super omnem montem excelsum,
et sub omni ligno frondoso,
et fornicata est ibi.
Et dixi cum fecisset hæc omnia :
Ad me revertere :
et non est reversa.
Et vidit prævaricatrix soror ejus Juda,
quia pro eo quod mœchata esset aversatrix Israel, dimisissem eam,
et dedissem ei libellum repudii :
et non timuit prævaricatrix Juda soror ejus,
sed abiit, et fornicata est etiam ipsa.
Et facilitate fornicationis suæ contaminavit terram,
C et mœchata est cum lapide et cum ligno.
Et in omnibus his non est reversa ad me prævaricatrix soror ejus Juda in toto corde suo,
sed in mendacio, ait Dominus.
Et dixit Dominus ad me :
Justificavit animam suam aversatrix Israel,
comparatione prævaricatricis Judæ.
Vade, et clama sermones istos contra aquilonem, et dices :
Revertere, aversatrix Israel, ait Dominus,
et non avertam faciem meam a vobis :
Quia sanctus ego sum, dicit Dominus,
et non irascar in perpetrum.
Tamen scito iniquitatem tuam,

[1] Hieronymus in textu ms. Commentariorum sic legit : Nunquid non polluta et contaminata erit mulier illa ? Quod postea edisserens lectorem monet his verbis : « Quodque ait : *Et contaminata erit mulier illa ?* pro quo in Hebraico legimus, *terram :* reliquit exemplum, et manifestius de terra loquitur Israel, quæ adulteræ mulieri comparatur. » Igitur Hebræa verba הארץ ההוא, *haarets hahi*, non secundum sensum simplicem : sed juxta exemplum ac comparationem prophetalem interpretatus est hoc loco Hieronymus. MART.

[2] Quod continuo hic subdunt additamentum Vulgati libri, *et ego suscipiam te*, neque Hebræus quidem textus habet, nec qui Hieronymianam Versionem exhibent, Latini mss. melioris notæ. Nihilosecius si ex Hieronymi testimoniis expendenda res est, plane e contrario videtur constituendum, eam fuisse olim Hebraici contextus genuinam sententiam, quæ temporum injuria ex aliis ibris, demum et ab ipso archetypo exciderit. Satis enim manifesto epist. 122, *ad rusticum*, num. 2 : « Scriptum est. in quit, juxta Hebraicam veritatem quod in Græcis et Latinis codicibus non habetur : *tu reliquisti me : tamen convertere*, ET SUSCIPIAM TE : *dicit Dominus.* » Nec minus luculenter in Commentario ipso ad hunc D locum : « In Hebræo, inquit, etiam post fornicationem SUCIPIT pœnitentem, et hortatur ut revertatur ad se : in Septuaginta vero non provocat ad pœnitentiam ; sed arguit impudentiam meretricis, quod post adulterium reverti audeat ad maritum. » Scilicet illud καὶ ἀναχάμπτεις, non, ut vulgo obtinet, *revertere*, invitantis modo, sed quasi objurgantis efferendum est, *tamen reverteris :* quod est, *audes reverti*. Estque adeo mirum hoc magis quod de sui temporis Hebræo exemplari tradit S. Pater, a quo Græcum apographum tam longe et verborum imminutione et sensu abluderet. Ut vero sit ejus testimonium omni majus exceptione : mihi quidem hoc ipso probatur argumento. quod in Latinos codices additio illa non fluxerit ex LXX, qui et penitus eam ignorant, et locum plane contrario sensu efferunt, neque adeo videatur potuisse nisi ex Hebræo derivari.

in Dominum Deum tuum prævaricata es
persisti vias tuas alienis sub omni ligno
ndoso,
em meam non audisti, ait Dominus.
imini (*Al. add.* ad me), filii, revertentes,
it Dominus :
ego vir vester :
nam vos unum de civitate,
os de cognatione,
roducam vos in Sion.
vobis pastores juxta cor meum ;
cent vos scientia et doctrina.
multiplicati fueritis, et creveritis in terra
iebus illis, ait Dominus :
icent ultra : Arca testamenti Domini ;
ascendet super cor,
recordabuntur illius :
isitabitur, nec fiet ultra.
ore illo vocabunt Jerusalem solium Domini,
gregabuntur ad eam omnes gentes in no-
ie Domini in Jerusalem,
ambulabunt post pravitatem cordis sui
simi.
is illis ibit domus Juda ad domum Israel,
ient simul de terra aquilonis, ad terram
m dedi patribus vestris.
em dixi : Quomodo ponam te in filios (*Al.*
s).
uam tibi terram desiderabilem,
litatem præclaram exercituum gentium ?
: Patrem vocabis me,
t me ingredi non cessabis.
modo si contemnat mulier amatorem suum,
ntempsit me domus Israel, ait Dominus.
viis audita est,
tus et ululatus filiorum Israel :
m iniquam fecerunt viam suam,
sunt Domini Dei sui.
imi, filii, revertentes,
abo aversiones vestras.
n venimus ad te :
m es Dominus Deus noster.
ndaces erant colles,
tudo montium :
Domino Deo nostro salus Israel.
o comedit laborem patrum nostrorum ab
lescentia nostra,
s eorum, et armenta eorum,
eorum, et filias eorum.
mus in confusione nostra :
eriet nos ignominia nostra :
m Domino Deo nostro peccavimus nos,
tres nostri, ab adolescentia nostra usque ad
ac diem,
n audivimus vocem Domini Dei nostri :
V). Si converteris [1] (*Al.* reverteris), Israel,
ominus,
me convertere
uleris offendicula tua a facie mea,
n commoveberis.
bis : Vivit Dominus in veritate, et in ju-
io,
justitia ;
nedicent eum gentes, ipsumque laudabunt.
im dicit Dominus viro Juda et Jerusalem :
te vobis novale,
lite serere super spinas :
cidimini Domino,
ferte præputia cordium vestrorum, viri Juda,
et habitatores Jerusalem :
Ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea,
et succendatur, et non sit qui exstinguat,
propter malitiam cogitationum vestrarum.
Annuntiate in Juda,
et in Jerusalem auditum facite :
loquimini, et canite tuba in terra :
Clamate fortiter,
dicite : Congregamini,
et ingrediamur civitates munitas,
Levate signum in Sion.
Confortamini, nolite stare,
quia malum ego adduco ab aquilone et contritionem magnam.
Ascendit leo de cubili suo,
et prædo gentium se levavit.
Egressus est de loco suo,
ut ponat terram tuam in desolationem (*Al.* solitudinem) :
Civitates tuæ vastabuntur,
remanentes absque habitatore.
Super hoc accingite vos ciliciis,
plangite et ululate :
quia non est aversa ira furoris Domini a nobis.
Et erit in die illa, dicit Dominus :
Peribit cor regis, et cor principum :
et obstupescent sacerdotes,
et prophetæ consternabuntur.
Et dixi : Heu, heu, heu. Domine Deus,
Ergone decepisti populum istum et Jerusalem, dicens :
Pax erit vobis :
et ecce pervenit gladius usque ad animam ?
In tempore ille dicetur populo huic et Jerusalem :
Ventus urens in viis, quæ sunt in deserto viæ filiæ (*Al.* filii) populi mei,
non ad ventilandum et ad (*Al.* non ad) purgandum.
Spiritus plenus ex his veniet mihi :
et nunc ego loquar judicia mea cum eis.
Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus ejus :
velociores aquilis equi illius :
væ nobis, quoniam vastati sumus.
Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias :
usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ ?
Vox enim annuntiantis a Dan,
et notum facientis idolum de monte Ephraim.
Dicite gentibus [2].
Ecce auditum est in Jerusalem, custodes venire de terra longinqua,
et dare (*Al.* dederunt) super civitates Juda vocem suam.
Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro :
quia me ad iracundiam provocavit, ait Dominus.
Viæ tuæ et cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi :
ista malitia tua, quia amara,
quia (*Al. tacet* quia) tetigit cor tuum.
Ventrem meum, ventrem meum doleo,
sensus cordis mei turbati sunt in me :
Non tacebo,
quoniam vocem buccinæ audivit anima mea, clamorem prælii.
Contritio super contritionem vocata est,
et vastata est omnis terra :
Repente vastata sunt tabernacula mea,
subito pelles meæ.

utrumque exemplar Canonis, et mss. omnes
s Bibliorum, uno excepto recentiori, qui legit
ris. In Commentariis quoque vorbum *rever-*
riptum habetur: sed perinde est; eligat unus-
ie quod voluerit ; quando in sensu nullum est
m. MART.

[2] Miror quid causæ exstiterit ut, pro *dicite gentibus*, legatur in Canone et cæteris ms. *concitate gentes ;* maxime cum in editis et ms. libris Commentariorum Hieronymus legat, *dicite gentibus*. MART.

Usquequo videbis fugientem,
audiam vocem buccinæ?
Quia stultus populus meus me non cognovit :
filii insipientes sunt, et vecordes :
Sapientes sunt, ut faciant mala,
bene autem facere nescierunt.
Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihil ;
et cœlos, et non erat lux in eis.
Vidi montes, et ecce movebantur :
et omnes colles conturbati sunt.
Intuitus sum, et non erat homo
et omne volatile cœli recessit.
Aspexi, et ecce Carmelus desertus :
et omnes urbes ejus destructæ sunt a facie Domini,
et a facie iræ furoris ejus.
Hæc enim dicit Dominus :
Deserta erit omnis terra,
Sed tamen consummationem non faciam.
Lugebit terra et mœrebunt cœli desuper :
eo quod locutus sum (*Al.* sim) ;
cogitavi, et non pœnituit me,
nec aversus sum ab eo.
A voce equitis et mittentis sagittam, fugit omnis civitas :
ingressi sunt ardua, et ascenderunt rupes :
Universæ urbes derelictæ sunt,
et non habitat in eis homo.
Tu autem vastata quid facies?
cum vestieris te coccino,
cum ornata fueris monili aureo,
et pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris?
Contempserunt te amatores tui
animam tuam quærent.
Vocem enim quasi parturientis audivi,
angustias ut puerperæ :
Vox filiæ Sion intermorientis expandentisque [1] manus suas :
væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.
(*Cap.* V). Circuite vias Jerusalem,
et aspicite, et considerate,
et quærite in plateis ejus,
an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem :
et propitius ero ejus.
Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint :
et hoc falso jurabunt.
Domine, oculi tui respiciunt fidem :
percussisti eos, et non doluerunt :
attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam :
Induraverunt facies suas super petram,
et noluerunt reverti.
Ego autem dixi :
Forsitan pauperes sunt et stulti,
ignorantes viam Domini, judicium Dei sui.
Ibo igitur ad optimates, et loquar eis ;
ipsi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei sui.
Et ecce magis hi simul confregerunt jugum,
ruperunt vincula.
Idcirco percussit eos leo de silva,
lupus ad vesperam vastavit eos,
pardus vigilans supra civitates eorum :
Omnis, qui egressus fuerit ex eis, capietur :
quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum,
confortatæ sunt aversiones eorum.
Super quo propitius tibi esse potero?
filii tui dereliquerunt me,
A et jurant in his qui non sunt dii :
Saturavi eos, et mœchati sunt,
et in domo meretricis luxuriabantur.
Equi amatores et emissarii facti sunt [2].
Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.
Nunquid super his non visitabo? dicit Dominus.
et in gente tali non ulciscetur anima mea?
Ascendite muros ejus, et dissipate,
consummationem autem nolite facere :
Auferte propagines ejus,
quia non sunt Domini.
Prævaricatione enim prævaricata est in me domus Israel,
et domus Juda, ait Dominus.
Negaverunt Dominum, et dixerunt :
Non est ipse (*Al. add.* locuti) :
neque veniet super nos malum :
gladium et famem non videbimus.
Prophetæ fuerunt in ventum.
B et responsum non fuit in eis :
hæc ergo evenient illis.
Hæc dicit Dominus Deus exercituum :
Quia locuti estis verbum istud :
ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem,
et populum istum ligna (*Al.* in ligna), et vorabit eos.
Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo domus Israel, ait Dominus ;
gentem robustam, gentem antiquam,
gentem, cujus ignorabis linguam,
nec intelliges quid loquatur.
Pharetra ejus quasi sepulcrum patens
universi fortes.
Et comedet segetes tuas, et panem tuum :
devorabit filios tuos et filias tuas :
comedet gregem tuum et armenta tua :
comedet vineam tuam et ficum tuam :
et conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio.
C Verumtamen in diebus illis, ait Dominus,
non faciam vos in consummationem.
Quod si dixeritis : Quare fecit Dominus Deus noster nobis hæc omnia?
dices ad eos :
Sicut dereliquistis me, et servistis deo alieno in terra vestra,
sic servietis alienis in terra non vestra.
Annuntiate hoc domui Jacob,
et auditum facite in Juda, dicentes :
Audi, populo stulte, qui non habes cor :
qui habentes oculos, non videtis :
et aures, et non auditis.
Me ergo non timebitis, ait Dominus :
et a facie mea non dolebitis?
Qui posui arenam terminum mari,
præceptum sempiternum, quod non præteribit :
D Et commovebuntur, et non poterunt :
et intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud :
Populo autem huic factum est cor incredulum et exasperans,
recesserunt et abierunt.
Et non dixerunt in corde suo :
Metuamus Dominum Deum nostrum,
qui dat nobis pluviam temporaneam et serotinam in tempore suo,
plenitudinem annuæ messis custodientem nobis.
Iniquitates vestræ [3] declinaverunt hæc :

[1] Minus bene lectum in Commentario, *inter morientes expandentesque*, etc.

[2] Additur in comment. *in feminas*, et in fine versus, *mihi*, ex LXX ; neque enim sonant eæ voces in Hebræo archetypo.

[3] Manuscripti omnes codices Bibliorum pro secunda persona primam habent, nempe *iniquitates nostræ* : idque manifestus est error exscriptorum : uti ex consequentibus facile probari potest. MART.

et peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis :
Quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes
quasi aucupes,
laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros.
Sicut decipula plena avibus,
sic domus eorum plenæ dolo :
ideo magnificati sunt et ditati.
Incrassati sunt et impinguati :
et præterierunt sermones meos pessime.
Causam non judicaverunt [1],
causam pupilli non direxerunt,
et judicium pauperum non judicaverunt.
Nunquid super his non visitabo? dicit Dominus,
aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur
anima mea?
Stupor et mirabilia facta sunt in terra :
Prophetæ prophetabant mendacium,
et sacerdotes applaudebant manibus suis.
Et populus meus dilexit talia :
quid igitur fiet in novissimo ejus?
(*Cap.* VI.) Confortamini, filii Benjamin, in medio
Jerusalem,
et in Thecua clangite buccina,
et super Bethacharem levate vexillum :
Quia malum visum est ab aquilone,
et contritio magna.
Speciosæ et delicatæ assimilavi filiam Sion.
Ad eam venient pastores, et greges eorum :
fixerunt in ea tentoria in circuitu :
pascet unusquisque eos qui sub manu sua
sunt.
Sanctificate super eam bellum :
consurgite, et ascendamus in meridie :
Væ nobis, quia declinavit dies,
quia longiores factæ sunt umbræ vesperi.
Surgite, et ascendamus in nocte,
et dissipemus domos ejus.
Quia hæc dicit Dominus exercituum :
Cædite lignum ejus,
et fundite circa Jerusalem aggerem :
Hæc est civitas visitationis,
omnis calumnia in medio ejus.
Sicut frigidam facit cisterna aquam suam,
sic frigidam fecit malitiam suam :
Iniquitas et vastitas audietur in ea,
coram me semper infirmitas et plaga.
Erudire, Jerusalem,
ne forte recedat anima mea a te,
ne forte ponam te desertam,
terram inhabitabilem.
Hæc dicit Dominus exercituum :
Usque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israel :
Converte manum tuam quasi vindemiator ad cartallum.
Cui loquar?
et quem contestabor, ut audiat?
Ecce incircumcisæ aures eorum,
et audire non possunt :
Ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium,
et non suscipient illud.
Idcirco furore Domini plenus sum,
laboravi sustinens :
Effunde super parvulum foris,
et super consilium juvenum simul :
Vir enim cum muliere capietur,
senex cum pleno dierum.
Et transibunt domus eorum ad alteros,
A agri et uxores pariter :
Quia extendam manum meam super habitantes
terram,
dicit Dominus.
A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ
student :
et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.
Et curabant contritionem filiæ populi mei cum
ignominia, dicentes :
Pax, pax ;
et non erat pax.
Confusi sunt,
quia abominationem fecerunt :
Quin potius confusione non sunt confusi,
et erubescere nescierunt
Quam ob rem cadent inter ruentes :
in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.
B Hæc dicit Dominus :
State super vias, et videte,
et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via
bona, et ambulate in ea :
Et invenietis refrigerium animabus vestris.
Et dixerunt : Non ambulabimus.
Et constitui super vos speculatores.
Audite vocem tubæ.
Et dixerunt : Non audiemus.
Ideo audite, gentes, et cognosce, congregatio,
quanta ego faciam eis.
Audi, terra :
Ecce ego adducam mala super populum istum,
fructum cogitationum ejus ;
Quia verba mea non audierunt,
et legem meam projecerunt.
Ut quid mihi thus de Saba affertis,
et calamum suave olentem de terra longinqua?
Holocautomata vestra non sunt accepta,
et victimæ vestræ non placuerunt mihi.
C Propterea hæc dicit Dominus :
Ecce ego dabo in populum istum ruinas,
Et ruent in eis patres et filii simul,
vicinus et proximus peribunt.
Hæc dicit Dominus,
Ecce populus venit de terra aquilonis ;
et gens magna consurget a finibus terræ.
Sagittam et scutum arripiet :
crudelis est, et non miserebitur.
Vox ejus quasi mare sonabit :
et super equos ascendent,
præparati quasi vir ad prælium,
adversum te, filia Sion.
Audivimus famam ejus,
dissolutæ sunt manus nostræ :
tribulatio apprehendit nos,
dolores ut parturientem,
Nolite exire ad agros,
et in via ne ambuletis
D quoniam gladius inimici, pavor in circuitu.
Filia populi mei, accingere cilicio,
et conspergere cinere :
Luctum unigeniti fac tibi,
planctum amarum.
quia repente veniet vastator super nos.
Probatorem dedi te in populo meo robustum,
et scies, et probabis viam eorum.
Omnes isti principes declinantes,
ambulantes fraudulenter ;
Æs et ferrum :
universi corrupti sunt.

[1] Nomen *viduæ*, quod hic in exemplaribus Canonis, inque nonnullis aliis mss. codicibus scriptum reperitur, abest in textu Hebraico : nec illud repræsentavit Speculum sancti Augustini, nec Commentaria sancti Hieronymi vocis hujus meminere. Adscitum puto, sive additum librariorum errore : hoc enim manifeste probant quædam exemplaria sacrorum Bibliorum, ubi recentiori manu superadditum deprehendimus verbum jam dictum. MART.

Defecit sufflatorium,
in igne consumptum est plumbum,
Frustra conflavit conflator :
malitiæ enim eorum non sunt consumptæ.
Argentum replorum vocate eos,
quia Dominus projecit illos.
(*Cap.* VII.) Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino dicens :
Sta in porta domus Domini,
et prædica ibi verbum istud, et dic :
Audite verbum Domini, omnis Juda,
qui ingredimini per portas has,
ut adoretis Dominum.
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Bonas facite vias vestras et studia vestra :
et habitabo vobiscum in loco isto.
Nolite confidere in verbis mendacii (*Al.* mendacibus), dicentes :
Templum Domini,
templum Domini,
templum Domini, est.
Quoniam si bene direxeritis vias vestras et studia vestra :
si feceritis judicium inter virum et proximum ejus, advenæ, et pupillo, et viduæ non feceritis calumniam,
nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, et post deos alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis :
Habitabo vobiscum in loco isto,
in terra quam dedi patribus vestris a sæculo et usque in sæculum.
Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis
Furari,
occidere,
adulterari,
jurare mendaciter,
libare Baalim,
et ire post deos alienos, quos ignoratis.
Et venistis, et stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, et dixistis :
Liberati sumus,
eo quod fecerimus omnes abominationes istas.
Ergo spelunca latronum facta est domus ista,
in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris ?
Ego, ego, sum :
ego vidi, dicit Dominus.
Ite ad locum meum in Silo,
ubi habitavit nomen meum a principio,
et videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel :
Et nunc, quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus,
et locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens, et non audistis :
Et vocavi vos,
et non respondistis,
Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam,
et loco, quem dedi vobis et patribus vestris,
sicut feci Silo.
Et projiciam vos a facie mea,
sicut projeci omnes fratres vestros,
universum semen Ephraim.
Tu ergo noli orare pro populo hoc,
nec assumas pro eis laudem et orationem,
Et non obsistas mihi :
quia non exaudiam te.
Nonne vides quid isti faciant in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem ?
Filii colligunt ligna,
et patres succendunt ignem,
et mulieres conspergunt adipem,
ut faciant placentas reginæ cœli,
et libent diis alienis,
A et me ad iracundiam provocent.
Nunquid me ad iracundiam provocant ? dicit Dominus.
nonne semetipsos in confusionem vultus sui ?
Ideo hæc dicit Dominus Deus,
Ecce furor meus, et indignatio mea conflatur (*Al.* conflata est) super locum istum,
super viros et super jumenta,
et super lignum regionis,
et super fruges terræ,
et succendetur, et non exstinguetur.
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Holocautomata vestra addite victimis vestris,
et comedite carnes.
Quia non sum locutus cum patribus vestris,
et non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti ;
de verbo holocautomatum et victimarum.
Sed hoc verbum præcepi eis, dicens :
B Audite vocem meam, et ero vobis Deus ;
et vos eritis mihi populus :
Et ambulate in omni via quam mandavi vobis, ut bene sit vobis.
Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam:
Sed abierunt in voluntatibus.
et pravitate cordis sui mali :
Factique sunt retrorsum et non in ante,
a die qua egressi sunt patres eorum de terra Ægypti, usque ad diem hanc.
Et misi ad vos omnes servos meos prophetas, per diem consurgens diluculo, et mittens.
Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam:
Sed induraverunt cervicem (*Al. add.* suam) :
et pejus operati sunt quam patres eorum.
Et loqueris ad eos omnia verba hæc, et non audient te :
et vocabis eos, et non respondebunt tibi :
Et dices ad eos :
C Hæc est gens quæ non audivit vocem Domini Dei sui,
nec recepit disciplinam
Periit fides,
et ablata est de ore eorum.
Tonde capillum tuum, et projice,
et sume in directum planctum :
Quia projecit Dominus, et reliquit generationem furoris sui :
quia fecerunt filii Juda malum in oculis meis, dicit Dominus·
Posuerunt offendicula sua in domo in qua invocatum est nomen meum,
ut polluerent eam :
Et ædificaverunt excelsa Thopheth, quæ est in valle filii Ennom :
ut incenderent filios suos et filias suas igni:
quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo.
Ideo ecce dies venient, dicit Dominis,
D et non dicetur amplius, Thopheth, et vallis filii Ennom :
sed vallis Interfectionis :
Et sepelient (*Al.* sepelientur) in Thopheth,
eo quod non sit locus :
Et erit morticinum populi hujus in cibum volucribus cœli, et bestiis terræ.
et non erit qui abigat.
Et quiescere faciam de urbibus Juda, et de plateis Jerusalem, vocem gaudii, et vocem lætitiæ, vocem sponsi, et vocem sponsæ :
In desolationem enim erit terra,
(*Cap.* VIII) In illo tempore, ait Dominus :
Ejicient ossa regum Juda, et ossa principum ejus, et ossa sacerdotum,
et ossa prophetarum,
et ossa eorum qui habitaverunt Jerusalem, de sepulcris suis :
Et pandent (*Al.* expandent) ea ad solem, et lunam,
et omnem militiam cœli, quæ dilexerunt,

et quibus servierunt;
et post quæ ambuaverunt,
et quæ quæsierunt, et adoraverunt.
Non colligentur, et non sepelientur:
in sterquilinium super faciem terræ erunt.
Et eligent magis mortem quam vitam
omnes [1] qui residui fuerint de cognatione hac pessima
in universis locis, quæ derelicta sunt, ad quæ ejeci eos, dicit Dominus exercituum.
Et dices ad eos:
Hæc dicit Dominus:
Nunquid qui cadit (*Al.* cadet), non resurget?
et qui aversus est, non revertetur?
Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa?
Apprehenderunt mendacium,
et noluerunt reverti:
Attendi, et auscultavi:
nemo quod bonum est loquitur;
Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens:
Quid feci?
Omnes conversi sunt ad cursum suum,
quasi equus impetu vadens in prælio.
Milvus in cœlo cognovit tempus suum;
turtur,
et hirundo,
et ciconia,
custodierunt tempus adventus sui:
Populus autem meus,
non cognovit judicium Domini.
Quomodo dicitis: Sapientes nos sumus,
et lex Domini nobiscum est?
Vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum,
Confusi sunt sapientes,
perterriti et capti sunt:
Verbum enim Domini projecerunt,
et sapientia nulla est in eis.
Propterea dabo mulieres eorum exteris,
agros eorum hæredibus:
Quia a minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur (*Al.* avaritiæ student):
a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium.
Et sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes:
Pax, pax,
cum non esset pax.
Confusi sunt,
quia abominationem fecerunt:
Quinimo confusione non sunt confusi,
et erubescere nescierunt:
Idcirco cadent inter corruentes,
in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.
Congregans congregabo eos, ait Dominus:
Non est uva in vitibus,
et non sunt ficus in ficulnea;
Folium defluxit:
et dedi eis quæ prætergressa sunt.
Quare sedemus?
convenite, et ingrediamur civitatem munitam,
et sileamus ibi:
Quia Dominus Deus noster silere nos fecit,
et potum dedit nobis aquam fellis:
Peccavimus enim Domino.
Exspectavimus pacem,
A et non erat bonum;
Tempus medelæ,
et ecce formido.
A Dan auditus est fremitus equorum ejus,
a voce hinnituum pugnatoruum ejus commota est omnis terras;
Et venerunt, et devoraverunt terram et plenitudinem ejus;
urbem et habitatores ejus.
Quia ecce ego mittam vobis serpentes regulos quibus non est incantatio:
et mordebunt vos, ait Dominus.
Dolor meus super dolorem,
in me cor meum mœrens.
Ecce vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua:
Nunquid Dominus non est in Sion,
aut rex ejus non est in ea?
Quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in
B sculptilibus suis,
et in vanitatibus alienis?
Transiit messis,
finita est æstas,
et nos salvati non sumus.
Super contritione filiæ populi mei contritus sum et contristatus,
stupor obtinuit me.
Nunquid resina non est in Galaad?
aut medicus non est ibi?
Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?
(*Cap.* IX.) Quis dabit capiti meo aquam,
et oculis mei fontem lacrymarum?
Et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.
Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum,
et derelinquam populum meum, et recedam ab eis?
C Quia omnes adulteri sunt,
cœtus prævaricatorum,
Et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii et non veritatis:
Confortati sunt in terra,
quia de malo ad malum egressi sunt,
et me non cognoverunt, dicit Dominus.
Unusquisque se a proximo suo custodiat,
et in omni fratre suo non habeat fiduciam.
Quia omnis frater supplantans (*Al.* supplantatione) supplantabit,
et omnis amicus fraudulenter incedet.
Et vir fratrem suum deridebit,
et veritatem non loquentur:
Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium:
ut inique agerent. laboraverunt.
Habitatio tua in medio idoli:
in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus.
Propterea hæc dicit Dominus exercituum:
Ecce ego conflabo, et probabo eos:
D quid enim aliud faciam a facie filiæ populi mei?
Sagitta vulnerans lingua eorum,
dolum locuta est:
In ore suo pacem cum amico suo loquitur,
et occulte ponit ei insidias.
Nunquid super his non visitabo? dicit Dominus.
aut gentem hujusmodi non ulciscetur anima mea?
Super montes assumam fletum et lamentum,
et super speciosa deserti planctum:
Quoniam incensa sunt, eo quod non sit vir pertransiens:

[1] Novem sequentes versus agnoscit S. Augustinus in Speculo, ac totidem esse definivit usque ad hæc verba: *Quomodo dicitis*, etc. Hinc videas quam longe sint a vero nuperi quidam scriptores, cum temere docent singulos versus, quos sæpissime appellant auctores ecclesiastici, sex dictiones habuisse continuas. Contrarium nunc evincunt prophetæ versibus descripti, sed et infraidem evidentissime demonstratur ex Jobi, Davidis, et Salomonis operibus, quæ στιχηρῶς reperiuntur descripta in utroque exemplari Canonis Hebraicæ veritatis, MART.

et non audierunt vocem possidentis :
volucri cœli usque ad pecora
transmigraverunt et recesserunt.
Et dabo Jerusalem in acervos arenæ,
et cubilia draconum :
Et civitates Juda dabo in desolationem :
ec quod non sit habitator.
Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc,
et ad quem verbum oris Domini fit ut annuntiet istud ?
Quare perierit (*Al.* periit) terra, et exusta sit (*Al.* est) quasi desertum,
eo quod non sit qui pertranseat ?
Et dixit Dominus :
Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis,
et non audierunt vocem meam, et non ambulaverunt in ea :
Et abierunt post pravitatem cordis sui,
et post Baalim :
quod (*Al.* quos) didicerunt a patribus suis.
Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Ecce ego cibabo populum istum absinthio [1],
et potum dabo eis aquam fellis.
Et dispergam eos in gentibus quas non noverunt ipsi et patres eorum :
et mittam post eos gladium, donec consumantur.
Hæc dicit Dominus exercituum :
Contemplamini,
et vocate lamentatrices, et veniant :
et ad eas, quæ sapientes sunt, mittite, et properent :
festinent, et assumant super nos lamentum :
Deducant oculi nostri lacrymas, et palpebræ nostræ defluant aquis.
Quia vox lamentationis audita est de Sion :
Quomodo vastati sumus et confusi vehementer ?
quia dereliquimus terram,
quoniam dejecta sunt tabernacula nostra.
Audite ergo, mulieres, verbum Domini :
et assumant aures vestræ sermonem oris ejus :
Et docete filias vestras lamentum,
et unaquæque proximam suam planctum.
Quia ascendit mors per fenestras nostras :
ingressa est domos nostras,
disperdere parvulos deforis,
juvenes de plateis.
Loquere :
Hæc dicit Dominus :
Et cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis,
et quasi fenum post tergum metentis,
et non est qui colligat.
Hæc dicit Dominus :
Non glorietur sapiens in sapientia sua,
et non glorietur fortis in fortitudine sua,
et non glorietur dives in divitiis suis :
Sed in hoc gloriatur, qui glorietur,
scire et nosse me, quia ego sum Dominus qui facio misericordiam, et judicium et justitiam in terra :
Hæc enim placent mihi [2], ait Dominus ;
Ecce dies veniunt, dicit Dominus :
et visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium,
Super Ægyptum,
et super Judam,
et super Edom,
et super filios Ammon,
A et super Moab,
et super omnes qui attonsi sunt in comam,
habitantes in deserto :
Quia omnes gentes habent præputium,
omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde,
(*Cap.* X.) Audite verbum
quod locutus est Dominus super vos, domus Israel.
Hæc dicit Dominus :
Juxta vias gentium nolite discedere :
et a signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes :
Quia leges populorum vanæ sunt :
Quia lignum de saltu præcidit opes manuum artificis in ascia.
Argento et auro decoravit illud :
clavis et malleis compegit, ut non dissolvatur
In similitudinem palmæ fabricata sunt,
et non loquentur :
B Portata tollentur,
quia incedere non valent.
Nolite ergo timere ea,
quia nec male possunt facere, nec bene.
Non est similis tui, Domine :
magnus tu, et magnum nomen tuum in fortitudine.
Quis non timebit te, o rex gentium ?
tuum est enim decus :
Inter cunctos sapientes gentium,
et in universis regnis eorum nullus est similis tui.
Pariter insipientes [3] et fatui probabuntur :
doctrina vanitatis eorum lignum est.
Argentum involutum de Tharsis affertur,
et aurum de Ophaz :
opus artificis, et manus ærarii.
Hyacinthus et purpura indumentum eorum.
Opus artificum universa hæc.
Dominus autem Deus verus est :
ipse (*Al.* iste) Deus vivens, et rex sempiternus.
C Ab indignatione ejus commovebitur terra :
et non sustinebunt gentes comminationem ejus.
Sic ergo dicetis eis.
Dii, qui cœlos et terram non fecerunt,
pereant de terra, et de his quæ sub cœlo sunt.
Qui facit terram in fortitudine sua,
præparat orbem in sapientia sua,
et prudentia sua extendit cœlos.
Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cœlo,
et elevat nebulas ab extremitatibus terræ :
Fulgura in pluviam facit,
et educit ventum de thesauris suis.
Stultus factus est omnis homo a scientia (*Al add.* sua),
confusus est artifex omnis in sculptili :
Quoniam falsum est quod conflavit,
et non est spiritus in eis.
Vana sunt, et opus risu dignum :
in tempore visitationis suæ peribunt,
D Non est his similis pars Jacob :
qui enim formavit omnia, ipse est,
et Israel virga hæreditatis ejus.
Dominus exercituum nomen est illi :
Congrega de terra confusionem tuam,
quæ habitas in obsidione.
Quia hæc dicit Dominus :
Ecce ego longe projiciam habitatores terræ in hac vice ;
et tribulabo eos, ita ut inveniantur [4].

[1] Pressius ad Hebræum exemplar posuit S. Pater in Commentar. *Cibabo eos, populum istum*, siquidem et Hebraice habet מאכילם את-העם הזה.

[2] Lege hic in *Speculo* S. Augustini, *Et post* 13 *versus*, non *post* 16. MART.

[3] In Com., *Fatui et sapientes*. Vid. quæ ibi annotantur.

[4] In omnibus mss. et in Canone addita reperitur particula negativa, *ita ut non inveniantur*. At Hieronymus ipse lib. II Comment. in Jeremiam absque tali negatione legendum docuit. *Sic eos*, inquit, *obsideri faciam, sicque tribulabo, et coangustabo, ut omnes in urbe reperiantur, et effugere nequeant malum*. MART.

Væ mihi super contritione mea,
pessima plaga mea.
Ego autem dixi :
Plane hæc infirmitas mea est,
et portabo illam.
Tabernaculum meum vastatum est,
omnes funiculi mei disrupti sunt,
filii mei exierunt a me, et non subsistunt :
Non est qui extendat ultra tentorium meum, et erigat pelles meas.
Quia stulte egerunt pastores,
et Dominum non quæsierunt :
Propterea non intellexerunt,
et omnis grex eorum dispersus est.
Vox auditionis ecce venit,
et commotio magna de terra aquilonis :
Ut ponat civitates Juda (*Al. add.* in) solitudinem,
et habitaculum draconum.
Scio, Domine, quia non est hominis via ejus :
nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos.
Corripe me, Domine,
veruntamen in judicio, et non in furore tuo,
ne forte ad nihilum redigas me.
Effunde indignationem tuam super gentes quæ non cognoverunt te,
et super provincias quæ nomen tuum non invocaverunt ;
Quia comederunt Jacob, et devoraverunt eum,
et consumpserunt illum (*Al.* locum).
et decus ejus dissipaverunt.
(*Cap.* XI.) Verbum quod factum est a Domino ad Jeremiam dicens :
Audite verba pacti hujus,
et loquimini ad viros Juda, et ad habitatores Jerusalem,
et dices ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus Israel :
Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus,
quod præcepi patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti.
de fornace ferrea, dicens :
Audite vocem meam, et facite omnia quæ præcipio vobis,
et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum :
Ut suscitem juramentum, quod juravi patribus vestris,
daturum me eis terram fluentem lacte et melle,
sicut est dies hæc.
Et respondi, et dixi :
Amen, Domine.
Et Dixit Dominus ad me :
Vociferare omnia verba hæc in civitatibus Juda,
et foris Jerusalem, dicens :
Audite verba pacti hujus, et facite illa ;
quia contestans contestatus sum patres vestros,
in die qua eduxi eos de terra Ægypti, usque ad diem hanc.
Mane surgens contestatus sum,
et dixi :
Audite vocem meam :
et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam
Sed abierunt unusquisque in pravitate cordis sui mali :
Et induxi super eos omnia verba pacti hujus, quod præcipi ut facerent,
et non fecerunt.
Et dixit Dominus ad me :
Inventa est conjuratio in viris Juda,
et in habitatores Jerusalem.
Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum priores,
qui noluerunt audire verba mea.
Et hi ergo abierunt post deos alienos,
A ut servirent eis.
Irritum fecerunt domus Israel et domus Juda pactum meum,
quod pepigi cum patribus eorum.
Quam ob rem hæc dicit Dominus :
Ecce ego inducam (*Al.* induo) super eos mala, de quibus exire non poterunt ;
clamabunt ad me, et non exaudiam eos :
Et ibunt civitates Juda, et habitatores Jerusalem,
et clamabunt ad deos quibus libant.
et non salvabunt eos in tempore afflictionis eorum.
Secundum numerum enim civitatum tuarum, erant dii tui, Juda :
et secundum numerum viarum Jerusalem, posuisti aras confusionis,
aras ad libandum Baalim.
Tu ergo noli orare pro populo hoc,
et ne assumas pro eis laudem, et orationem.
Quia non exaudiam in tempore clamoris eorum
B ad me.
in tempore afflictionis eorum.
Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa ?
nunquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es ?
Olivam uberem,
pulchram,
fructiferam
speciosam,
vocavit Dominus nomen tuum :
Ad vocem loquelæ, grandis exarsit ignis in ea,
et combusta sunt fruteta ejus :
Et Dominus exercituum, qui plantavit te, locutus est super te malum,
pro malis domus Israel et domus Juda,
quæ fecerunt sibi ad irritandum me, libantes Baalim.
Tu autem, Domine, demonstrasti mihi, et cognovi.
Tunc [1] ostendisti mihi studia eorum
C Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam :
et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes [2] :
Mittamus lignum in panem ejus,
et eradamus (*Al.* conteramus) eum de terra viventium,
et nomen ejus non memoretur amplius.
Tu autem, Domine sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda,
videam ultionem tuam ex eis :
tibi enim revelavi causam meam.
Propterea hæc dicit, Dominus ad viros Anathoth,
qui quærunt animam tuam, et dicunt :
Non prophetabis in nomine Domini,
et non morieris in manibus nostris.
Propterea hæc dicit Dominus exercituum :
Ecce ego visitabo super eos.
juvenes morientur in gladio,
D filii eorum et filiæ eorum morientur in fame :
et reliquiæ non erunt ex eis.
Inducam enim malum super viros Anathoth,
annum visitationis eorum.
(*Cap.* XII.) Justus quidem tu es, Domine,
si disputem tecum :
Verumtamen (*Al. add.* judicia) justa loquar ad te.
Quare via impiorum prosperatur :
bene est omnibus, qui prævaricantur et inique agunt ?
Plantastique eos, et radicem miserunt,
proficiunt, et faciunt fructum :
Prope es tu ori eorum,
et longe a renibus eorum.
Et tu, Domine, nosti me,

[1] Minus bene lectum in Commentar. *Tu* pro *Tunc*, quod est in Hebræo. TN.

[2] Neque Hebræus textus addit, *dicentes*, neque in Commentar. S. Pater verbum hoc posuit.

vidisti me, et probasti cor meum tecum :
Congrega [1] eos quasi gregem ad victimam,
et sanctifica eos in die occisionis.
Usquequo lugebit terra,
et herba omnis regionis siccabitur,
propter malitiam habitantium in ea?
Consumptum est animal, et volucre,
quoniam dixerunt :
Non videbit novissima nostra
Si cum peditibus currens laborasti,
quomodo contendere poteris cum equis?
Cum autem in terra pacis securus fueris (*Al.* Si in terra pacis confisa es),
quid facies in superbia Jordanis?
Nam et fratres tui, et domus patris tui,
etiam ipsi pugnaverunt adversum te,
et clamaverunt post te plena voce :
Ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona.
Reliqui domum meam,
dimisi hæreditatem meam,
dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.
Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva :
dedit contra me vocem,
ideo odivi eam.
Nunquid avis discolor hæreditas mea mihi?
numquid avis tincta per totum?
Venite, congregamini, omnes bestiæ terræ,
properate ad devorandum.
Pastores multi demoliti sunt vineam meam,
conculcaverunt partem meam :
dederunt portionem meam desiderabilem, in desertum solitudinis.
Posuerunt eam in dissipationem,
luxitque super me :
Desolatione desolata est omnis terra,
quia nullus est qui recogitet corde.
Super omnes vias deserti venerunt vastatores.
quia gladius Domini devorabit (*Al.* devoravit ab extremo terræ usque ad extremum ejus :
non est pax universæ carni.
Seminaverunt triticum et spinas messuerunt,
hæreditatem acceperunt, et non eis proderit :
Confundemini a fructibus vestris,
propter iram furoris Domini.
Hæc dicit Dominus adversum omnes vicinos meos pessimos,
qui tangunt hæreditatem, quam distribui populo meo Israel :
Ecce ego evellam eos de terra eorum,
et domum Juda evellam de medio eorum.
Et cum evulsero eos, convertar, et miserebor eorum :
et reducam eos, virum ad hæreditatem suam (*Al.* in hæreditate sua)
et virum in terram suam.
Et erit : si eruditi didicerint vias populi mei,
ut jurent in nomine meo, Vivit Dominus,
sicut docuerunt populum meum jurare in Baal :
ædificabuntur in medio populi mei.
Quod si non audierint,
evellam gentem illam evulsione et perditione,
ait Dominus.
(*Cap.* VIII.) Hæc dicit Dominus ad me :
Vade, et posside tibi lumbare lineum,
et pones illud super lumbos tuos,
et in aquam non inferes illud.
Et possedi lumbare juxta verbum Domini,
et posui circa lumbos meos.
Et factus est sermo Domini ad me, secundo, dicens :
Tolle lumbare, quod possedisti, quod est circa lumbos tuos.
et surgens vade ad Euphratem,
A et absconde illud ibi in foramine petræ.
Et abii, et abscondi illud in Euphrate,
Sicut præceperat mihi Dominus.
Et factum est post dies plurimos,
dixit Dominus ad me :
Surge, vade ad Euphratem ;
et tolle inde lumbare, quod præcepi tibi ut absconderes illud ibi.
Et abii ad Euphratem, et fodi,
et tuli lumbare de loco ubi absconderam illud ;
Et ecce computruerat lumbare,
ita ut nullo usui aptum esset.
Et factum est verbum Domini ad me, dicens :
Hæc dicit Dominus :
Sic putrescere faciam superbiam Juda.
et superbiam Jerusalem multam.
Populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea,
et ambulant in pravitate cordis sui (*Al add.* pessimi) :
B Abieruntque post deos alienos,
ut servirent eis, et adorarent eos :
Et erunt sicut lumbare istud,
quod nullo usui aptum est.
Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri
sic agglutinavi mihi omnem domum Israel, et omnem domum Juda, dicit Dominus :
ut essent mihi in populum, in nomen, et in laudem, et in gloriam :
et non audierunt.
Dices ergo ad eos sermonem istum :
Hæc dicit Dominus Deus Israel :
Omnis laguncula implebitur vino.
Et dicent ad te :
Nunquid ignoramus, quia omnis laguncula implebitur (*Al.* impleatur) vino?
Et dices ad eos :
Hæc dicit Dominus :
C Ecce ego implebo omnes habitatores terræ hujus.
et reges qui sedent de stirpe David super thronum ejus,
et sacerdotes, et prophetas, et omnes habitores Jerusalem, ebrietate :
Et dispergam eos, virum a fratre suo,
et patres et filios pariter, ait Dominus :
Non parcam, et non concedam :
neque miserebor ut non disperdam eos.
Audite, et auribus percipite :
Nolite elevari, quia Dominus locutus est :
Date Domino Deo vestro gloriam antequam contenebrescat,
et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos :
Exspectabitis lucem,
Et ponet eam in umbram mortis, et in caliginem.
Quod si hoc non audieritis,
in abscondito plorabit anima mea (*Al.* vestra) a facie superbiæ :
D Plorans plorabit (*Al add.* Jerusalem), et deducet oculus meus lacrymam,
quia captus est grex Domini.
Dic regi, et dominatrici :
Humiliamini, sedete :
Quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ.
Civitates Austri clausæ sunt,
et non est qui aperiat :
Translata est omnis Juda (*Al.* Judæa) transmigratione perfecta.
Levate oculos vestros,
et videte qui venitis ab aquilone :
Ubi est grex qui datus est tibi,
pecus inclytum tuum :
Quid dices cum visitaverit te?

[1] In Commentar., *congregabo eos* : Hebraice תאספם quod est *avelle eos*, etc.

n docuisti (*Al.* doces) eos adversum te,
listi (*Al.* erudis) eos in caput tuum.
non dolores apprehendent te,
mulierem parturientem?
dixeris in corde tuo :
nerunt mihi hæc?
r multitudinem iniquitatis tuæ revelata
verecundiora tua,
ıæ sunt plantæ tuæ,
e potest Æthiops pellem suam, aut pardus
ıtates suas :
ı poteritis benefacere, cum didiceritis
ım.
ninabo eos quasi stipulam,
ınto raptatur in deserto.
s tua, parsque mensuræ tuæ a me, dicit
ıinus,
blita es mei, et confisa es in mendacio.
ego nudavi femora (*Al.* et posteriora) tua
ra faciem tuam,
aruit ignominia tua,
ia tua, et hinnitus tuus,
fornicationis tuæ.
lles in agro
ominationes tuas.
Jerusalem,
undaberis post me :
uo adhuc?
V.) Quod factum est verbum Domini ad
miam de sermonibus siccitatis.
dæa, et portæ ejus corruerunt, et obscu-
sunt in terra,
ıor Jerusalem ascendit.
miserunt minores suos ad aquam :
nt ad hauriendum, et non invenerunt
ım,
rtaverunt vasa sua vacua;
ıunt et afflicti,
uerunt capita sua.
erræ vastitatem, quia non venit pluvia in
ım,
i sunt agricolæ,
runt capita sua.
erva in agro peperit, et reliquit :
on herba.
i steterunt in rupibus,
ınt ventum quasi dracones;
unt oculi eorum, quia non erat herba.
tates nostræ responderint nobis :
e, fac propter nomen tuum,
m multæ sunt aversiones nostræ :
ccavimus.
tio Israel,
r ejus in tempore tribulationis :
ıasi colonus futurus es in terra,
ıi viator declinans ad manendum?
turus es velut vir vagus,
aut) fortis qui non potest salvare?
ı in nobis es, Domine,
ıen tuum invocatum est super nos,
ılinquas nos.
t Dominus populo huic, qui (*Al.* quia) di-
movere pedes suos,
quievit, et Domino non placuit :
ordabitur iniquitatum eorum,
abit peccata eorum,
Dominus ad me :
are pro populo isto in bonum.
naverint,
audiam preces eorum :
ulerint holocautomata, et victimas,
scipiam ea :
gladio, et fame, et peste consumam eos.

Domine Deus :
ı dicunt eis :
debitis gladium,
et fames non erit in vobis,
sed pacem veram dabit vobis in loco isto.
Et dixit Dominus ad me,
Falso prophetæ vaticinantur in nomine meo;
non misi eos, et non præcepi eis,
neque locutus sum ad eos;
Visionem mendacem, et divinationem, et fraudulentiam (*Al.* fraudulentam),
et seductionem cordis sui prophetant vobis.
Idcirco hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes :
Gladius et fames non erit in terra hac :
In gladio et fame consumentur prophetæ illi,
et populi, quibus prophetant, erunt projecti in viis Jerusalem præ fame et gladio,
et non erit qui sepeliat eos;
Ipsi et uxores eorum,
filii et filiæ eorum,
et effundam super eas malum suum.
Et dices ad eos verbum istud :
Deducant oculi mei lacrymam per noctem et diem, et non taceant :
quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei,
plaga pessima vehementer :
Si egressus fuero ad agros,
ecce occisi gladio;
Et si introiero civitatem,
ecce attenuati fame.
Propheta quoque et sacerdos abierunt in terram, quam ignorabant.
Nunquid projiciens abjecisti Judam?
aut Sion abominata est anima tua?
Quare ergo percussisti nos,
ita ut nulla sit sanitas?
Exspectavimus pacem,
et non est bonum :
Et tempus curationis,
et ecce turbatio.
Cognovimus, Domine, impietates nostras,
iniquitates patrum nostrorum, quia peccavimus tibi :
Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum,
neque facias nobis contumeliam solii gloriæ tuæ :
Recordare,
ne irritum facias fœdus tuum nobiscum.
Nunquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant?
aut cœli possunt dare imbres?
Nonne tu es, Dominus Deus noster, quem (*Al.* Domine Deus, quem, *etc.*) exspectavimus?
tu enim fecisti omnia hæc :
(*Cap.* XV.) Et dixit Dominus ad me :
Si steterit Moses et Samuel coram me,
non est anima mea ad populum istum.
Ejice illos a facie mea,
et egrediantur.
Quod si dixerint ad te :
Quo egrediemur?
dices ad eos :
Hæc dicit Dominus :
Qui ad mortem,
ad mortem,
Et qui ad gladium,
ad gladium :
Et qui ad famem,
ad famem :
Et qui ad captivitatem,
ad captivitatem,
Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus :
Gladium ad occisionem,
et canes ad lacerandum,
et volatilia cœli et bestias terræ ad devorandum et dissipandum.
Et dabo eos in fervorem universis regnis terræ :
propter Manassem filium Ezechiæ regis Juda,

super omnibus quæ fecit in Jerusalem.
Quis enim miserebitur tui, Jerusalem?
aut quis contristabitur pro te?
aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?
Tu reliquisti me, dicit Dominus,
retrorsum abiisti :
Et extendam manum meam super te,
et interficiam te :
laboravi rogans.
Et dispergam eos ventilabro in portis terræ,
interfeci, et disperdidi (*Al.* perdidi) populum meum,
et tamen a viis suis non sunt reversi
Multiplicatæ sunt mihi viduæ ejus super arenam maris :
induxi ei super matrem adolescentis vastatorem meridie :
misi super civitates repente terrorem.
Infirmata est quæ peperit septem,
defecit anima ejus :
Occidit ei sol, cum adhuc esset dies :
confusa est, et erubuit :
Et residuos ejus in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum, ait Dominus.
Væ mihi, mater mea :
quare genuisti me, virum rixæ,
virum discordiæ in universa terra?
Non feneravi, nec feneravit mihi quisquam :
omnes maledicunt mihi.
Dicit Dominus :
Si non reliquiæ tuæ in bonum,
si non occurri tibi in tempore afflictionis,
et in tempore tribulationis adversus inimicum [1].
Nunquid fœderabitur ferrum ferro ab aquilone,
et æs?
Divitias tuas et thesauros tuos in direptionem dabo gratis,
in omnibus peccatis tuis, et in omnibus terminis tuis.
Et adducam inimicos tuos de terra quam nescis;
quia ignis succensus est in furore meo, super vos ardebit.
Tu scis, Domine,
recordare mei, et visita me,
et tuere me ab his qui persequuntur me.
Noli in potentia tua suscipere me
scito quoniam sustinui propter te opprobrium.
Inventi sunt sermones tui, et comedi eos,
et factum est mihi verbum tuum in gaudium et in lætitiam cordis mei :
Quoniam invocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum.
Non sedi in consilio ludentium,
et gloriatus sum a facie manus tuæ :
Solus sedebam,
quoniam comminatione (*Al.* amaritudine) replesti me.
Quare factus est dolor meus perpetuus;
et plaga me desperabilis renuit curari?
Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.
Propter hoc hæc dicit Dominus :
Si converteris,
convertam te,
et ante faciem meam stabis.
Et si separaveris pretiosam a vili,
quasi os meum eris :
Convertentur ipsi ad te,
et tu non converteris ad eos.
Et dabo te populo huic in murum æreum fortem;
et bellabunt adversum te, et non prævalebunt :
quia ego tecum sum, ut salvem te, et eruam te (*Al. tacet* te),
dicit Dominus.
Et liberabo te de manu pessimorum.
A et redimam te de manu fortium.
(*Cap.* XVI.) Et factum est verbum Domini ad me, dicens :
Non accipies (*Al.* noli accipere) uxorem,
et non erunt (*Al.* sint) tibi filii et filiæ in loco isto.
Quia hæc dicit Dominus super filios et super filias, qui generantur in loco isto,
et super matres eorum, quæ genuerunt eos :
et super patres eorum, de quorum stirpe sunt nati in terra hac :
Mortibus ægrotationum morientur :
non plangentur, et non sepelientur :
in sterquilinium super faciem terræ erunt
et gladio et fame consumentur
et erit cadaver (*Al.* erunt cadavera) eorum in escam volatilibus cœli, et bestiis terræ.
Hæc enim dicit Dominus :
Ne ingrediaris domum convivii,
neque vadas ad plangendum,
B neque consoleris eos :
Quia abstuli pacem meam a populo isto, dicit Dominus,
misericordiam et miserationes.
Et morientur grandes et parvi in terra ista
non sepelientur neque plangentur,
et non se incident, neque calvitium fiat pro eis.
Et non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo :
et non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo et matre.
Et domum convivii non ingrediaris (*Al.* ingredieris), ut sedeas cum eis, et comedas et bibas :
Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Ecce ego auferam de loco isto in oculis vestris, et in diebus vestris,
vocem gaudii, et vocem lætitiæ,
vocem sponsi et vocem sponsæ.
Et cum annuntiaveris populo huic omnia verba
C hæc et dixerint tibi :
Quare locutus est Dominus super nos omne malum grande istud?
quæ iniquitas nostra?
et quod peccatum nostrum, quod peccavimus Domino Deo nostro?
Dices ad eos :
Quia dereliquerunt me patres vestri, ait Dominus,
et abierunt post deos alienos, et servierunt eis, et adoraverunt eos :
et me dereliquerunt, et legem meam non custodierunt.
Sed et vos pejus operati estis
quam patres vestri :
Ecce enim ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali,
ut me non audiat.
Et ejiciam vos de terra hac, in terram quam ignoratis vos, et patres vestri :
D et servietis ibi diis alienis die ac nocte,
qui non dabunt vobis requiem.
Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus,
et non dicetur ultra :
Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti,
sed, vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis.
et de universis terris ad quas ejeci eos :
Et reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum.
Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus;
et piscabuntur eos :
Et post hæc mittam eis multos venatores,
et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum.
Quia oculi mei super omnes vias eorum :

[1] *In* Comment. **additur,** ***et angustiæ :*** **pressius Hebræo** בעת רעה ובעת צרה.

absconditæ (*Al.* abscondite ea) a facie
iit occultata iniquitas eorum ab oculis
primum duplices iniquitates, et peccata
. quibus) contaminaverunt terram meam
rticinis idolorum suorum :
inationibus suis impleverunt hæredita-
ieam.
rtitudo mea, et robur meum,
ium meum in die tribulationis :
es venient ab extremis terræ, et dicent :
lacium possederunt patres nostri,
m, quæ eis non profuit,
faciet sibi homo deos ?
ion sunt dii.
e ego ostendam eis per vicem hanc.
m eis manum meam, et virtutem meam :
t quia nomen mihi Dominus.
.) Peccatum Juda scriptum est stylo fer-
ungue adamantino.
n super latitudinem cordis eorum,
rnibus ararum eorum.
dati fuerint filii eorum ararum suarum,
orum suorum, lignorumque frondentium,
ibus excelsis, sacrificantes in agro :
iem tuam, et omnes thesauros tuos in
tionem dabo,
tua propter peccata in universis finibus
ieris sola ab hæreditate tua, quam dedi
re te faciam inimicis tuis in terra quam
as :
ignem succendisti in furore meo,
n æternum ardebit.
Dominus ;
s homo qui confidit in homine,
carnem brachium suum,
mino recedit cor ejus.
m quasi myricæ in deserto,
videbit cum venerit bonum :
tabit in siccitate in deserto,
salsuginis, et inhabitabili.
is vir, qui confidit in Domino,
Dominus fiducia (*Al.* spes) ejus.
asi lignum quod transplantatur (*Al.* trans-
atum est) super aquas,
l humorem mittit radices suas,
timebit cum venerit æstus.
ium ejus viride,
mpore siccitatis non erit sollicitum, nec
ando desinet facere fructum.
st cor omnium, et inscrutabile :
gnoscet illud ?
nus scrutans cor, et probans renes :
unicuique juxta viam, suam et juxta fru-
uduventionum suarum.
it quæ non peperit :
vitias (*Al. add.* suas) et non in judicio
o dierum suorum derelinquet eas,
vissimo suo erit insipiens.
oriæ altitudinis a principio,
anctificationis nostræ.
io Israel, Domine :
ui te derelinquunt, confundentur :
tes a te [1], in terra scribentur :
n derelinque unt venam aquarum viven-
Dominum.
Domine, sanabor :
me fac, et salvus ero :
n laus mea tu es.
dicunt ad me :

A Ubi est verbum Domini ? veniat.
Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens :
et diem hominis non desideravi. Tu scis :
Quod egressum est de labiis meis,
rectum in conspectu tuo fuit.
Non sis mihi tu (*Al. tacet* tu) formidini,
spes mea tu in die afflictionis.
Confundantur qui me persequuntur, et non con-
fundar ego :
paveant illi, et non paveam ego :
Induc super eos diem afflictionis,
et duplici contritione contere eos.
Hæc dicit Dominus ad me :
Vade, et sta in porta filiorum populi per quam
ingrediuntur reges Juda, et egrediuntur,
et in cunctis portis Jerusalem :
et dices ad eos
Audite verbum Domini, reges Juda, et omnis Juda :
cunctique habitatores Jerusalem, qui ingredimini
B per portas istas ;
Hæc dicit Dominus :
Custodite animas vestras,
et nolite portare pondera in die Sabbati, nec in-
feratis per portas Jerusalem.
Et nolite ejicere onera de domibus vestris in die
sabbati,
et omne opus non facietis :
Sanctificate diem sabbati,
sicut præcepi patribus vestris.
Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam :
sed induraverunt cervicem suam, ne audirent me,
et ne acciperent disciplinam.
Et erit : Si audieritis me dicit Dominus, ut non
inferatis onera per portas civitatis hujus in die
sabbati :
et si sanctificaveritis diem sabbati, ne faciatis in
ea omne opus :
Ingredientur per portas civitatis hujus reges et
C principes, sedentes super solium David,
et ascendentes in curribus et equis,
ipsi principes eorum,
viri Juda, et habitatores Jerusalem :
et habitabitur civitas hæc in sempiternum.
Et venient de civitatibus Juda, et de circuitu Jeru-
salem,
et de terra Benjamin, et de campestribus, et de
montuosis, et ab austro,
portantes holocaustum, et victimam, et sacrifi-
cium, et thus,
et inferent oblationem in domum Domini.
Si autem non audieritis me ut sanctifiectis diem
sabbati,
et ne portetis onus, et ne inferatis, per portas Je-
rusalem in die sabbati :
Succendam ignem in portis ejus,
et devorabit domos Jerusalem,
et non exstinguetur,
D (*Cap.* XVIII.) Verbum, quod factum est ad Jere-
miam a Domino, dicens :
Surge, et descende in domum figuli,
et ibi audies verba mea.
Et descendi in domum figuli,
et ecce ipse faciebat opus super rotam.
Et dissipatum est vas,
quod ipse faciebat e luto manibus suis :
Conversusque fecit illud vas alterum.
sicut placuerat in oculis ejus ut faceret.
Et factum est verbum Domini ad me, dicens :
Nunquid sicut figulus iste, non potero (*Al.* possum)
vobis facere, domus Israel ? ait Dominus.
Ecce sicut lutum in manu figuli,
sic vos in manu mea, domus Israel.
Repente loquar adversus gentem et adversus regnum
ut eradicem, et destruam, et disperdam illuc.

[1] præo tantum est וכור vel יכורו, absque *te*, quas voculas neque in Comment. Hieronymus agno-

Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam :
agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei.
Et subito loquar de gente et de regno,
ut ædificem et (*Al.* ut) plantem illud.
Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam :
pœnitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei.
Nunc ergo dic viro Juda, et habitatoribus (*Al.* habitatori) Jerusalem, dicens :
Hæc dicit Dominus :
Ecce ego fingo contra vos malum,
et cogito contra vos cogitationem :
Revertatur unusquisque a via sua mala,
et dirigite vias vestras et studia vestra.
Qui dixerunt : Desperavimus :
post cogitationes enim nostras ibimus,
et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus :
Ideo hæc dicit Dominus :
Interrogate gentes :
Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israel ?
Nunquid deficiet de petra agri nix Libani ?
aut evelli possunt aquæ erumpentes frigidæ, et defluentes ?
Quia oblitus est mei populus meus.
frustra libantes, et impingentes in viis suis, et in semitis sæculi,
ut ambularent per eas in itinere non trito :
Ut fieret terra eorum in desolationem,
et in sibilum sempiternum :
Omnis qui præterierit (*Al.* præterit) per eam obstupescet,
et movebit caput suum.
Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico :
dorsum, et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.
Et dixerunt :
Venite, et cogitemus contra Jeremiam cogitationes :
Non enim peribit lex a sacerdote,
neque consilium a sapiente,
nec sermo a propheta :
Venite, et percutiamus eum (*Al. add.* in) lingua,
et non attendamus ad universos sermones ejus.
Attende, Domine, ad me.
et audi vocem adversariorum meorum.
Nunquid redditur pro bono malum,
quia foderunt foveam animæ meæ ?
Recordare quod steterim in conspectu tuo,
ut loquerer pro eis bonum,
et averterem indignationem tuam ab eis.
Propterea da filios eorum in famen,
et deduc eos in manus gladii ;
Fiant uxores eorum absque liberis, et viduæ :
et viri earum interficiantur morte :
juvenes eorum confodiantur gladio in prælio.
Audiatur clamor de domibus eorum :
Reduces enim super eos latronem repente :
quia foderunt foveam, ut caperent me,
et laqueos absconderunt pedibus meis.
Tu autem, Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem :
ne propitieris iniquitati eorum,
et peccatum eorum a facie tua non deleatur :
Fiant corruentes in conspectu tuo,
in tempore furoris tui abutere eis.
(*Cap.* XIX.) Hæc dicit Dominus :
Vade, et accipe [*Al.* sume] lagunculam figuli testeam a senioribus populi, et a senioribus sacerdotum :
et egredere ad vallem filii Ennom, quæ est juxta introitum portæ fictilis :
Et prædicabis ibi verba quæ ego loquar ad te; et *dices :*

A Audite verbum Domini, reges Juda,
et habitatores Jerusalem :
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Ecce ego inducam afflictionem super locum istum,
ita ut omnis qui audierit illam, tinniant aures ejus.
Eo quod dereliquerint me,
et alienum fecerint locum istum ;
Et libaverunt (*Al.* libaverint) in eo diis alienis,
quos nescierunt ipsi, et patres eorum, et reges Juda :
et repleverunt locum istum sanguine innocentium.
Et ædificaverunt excelse Baalim, ad comburendos filios suos igni in holocaustem
Baalim :
quæ non præcepi, non locutus sum,
nec ascenderunt in cor meum.
Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus :
et non vocabitur locus iste amplius Thopheth, et
B vallis filii Ennom,
sed vallis Occisionis.
Et dissipabo consilium Juda et Jerusalem in loco isto:
et subvertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum,
et in manu quærentium animas eorum :
Et dabo cadavera eorum, escam volatilibus cœli et bestiis terræ :
et ponam civitatem hanc in stuporem, et in sibilum :
Omnis qui præterierit (*Al.* præterit) per eam, obstupescet,
et sibilabit super universa plaga ejus :
Et cibabo eos carnibus filiorum suorum, et carnibus filiarum suarum,
et unusquisque carnes amici sui comedet in obsidione, et in angustia,
in qua concludent eos inimici eorum, et qui quærunt animas eorum.
C Et conteres lagunculam in oculis virorum, qui ibunt tecum, et dices ad eos :
Hæc dicit Dominus exercituum :
Sic conteram populum istum, et civitatem istam,
sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari :
Et in Thopheth sepelientur,
eo quod non sit alius locus ad sepeliendum.
Sic faciam loco huic, ait Dominus, et habitatoribus ejus.
et ponam civitatem istam sicut Thopheth,
Et erunt domus Jerusalem, et domus regum Juda,
sicut locus Thopheth, immundæ :
Omnes domus in quarum domatibus sacrificaverunt omni militiæ cœli,
et libaverunt libamina diis alienis.
Venit autem Jeremias de Thopheth, quo miserat eum Dominus ad prophetandum,
et stetit in atrio domus Domini,
et dixit ad omnem populum :
D Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Ecce ego inducam super civitatem hanc, et super omnes urbes ejus,
universa mala quæ locutus sum adversum eam.
Quoniam induraverunt cervicem suam,
ut non audirent sermones meos.
(*Cap.* XX.) Et audivit Phassur filius Emmer sacerdos, qui constitutus erat princeps in domo Domini,
Jeremiam prophetantem sermones istos.
Et percussit Phassur Jeremiam prophetam,
et misit eum in nervum, quod erat in porta Benjamin superiori, in domo Domini.
Cumque illuxisset crastinum,
eduxit Phassur Jeremiam de nervo ;
Et dixit ad eum Jeremias :
Non Phassur vocavit Dominus nomen tuum, sed pavorem undique.
Quia hæc dicit Dominus ;

labo te in pavorem,
icet te) et omnes amicos tuos :
at gladio inimicorum suorum,
tui videbunt:
i Judam dabo in manum regis Babylonis:
icet eos in Babylonem,
itiet eos gladio.
iiversam substantiam civitatis hujus, et
m laborem ejus,
ie pretium, et cunctos thesauros regum
dabo in manu inimicorum eorum [1]:
ient eos, et tollent, et ducent in Babylo-

, Phassur, et omnes habitatores domus
ibitis in captivitatem:
ibylonem venies, et ibi morieris,
sepelieris tu, et omnes amici tui,
prophetasti mendacium.
me Domine, et seductus sum :
me fuisti, et invaluisti :
m in derisum tota die,
sabsannant me.
olim loquor, vociferans iniquitatem,
tatem clamito:
est mihi sermo Domini in opprobrium,
risum tota die.

:dabor ejus,
loquar ultra in nomine illius :
ia) factus est in corde meo quasi ignis
tuans,
que in ossibus meis :
i, ferre non sustinens.
im contumelias multorum,
rem in circuitu :
mini, et persequamur eum :
ibus viris (*Al.* omnes viri), qui erant pa-
mei, et custodientes latus meum :
nodo decipiatur, et prævaleamus adversus

equamur ultionem ex eo.
autem mecum est quasi bellator fortis :
qui persequuntur me, cadent,
mi erunt :
ntur (*Al.* confundantur) vehementer,
n intellexerunt opprobrium sempiternum,
l nunquam delebitur.
mine exercituum, probator justi,
es renes et cor :
quæso, ultionem tuam ex eis :
im revelavi causam meam.
Domino,
e Dominum :
beravit animam pauperis de manu malo-
(*Al.* pessimorum).
a dies, in qua natus sum ;
qua peperit me mater mea, non sit bene-
t.
us vir, qui annuntiavit patri meo, dicens :
est tibi puer (*Al.* filius) masculus
si gaudio lætificavit eum.
ille ut sunt civitates, quas subvertit Do-
us,
pœnituit eum :
lamorem mane,
atum in tempore meridiano :
me interfecit a vulva,
et mihi mater mea sepulcrum.
a ejus conceptus æternus.
vulva egressus sum, ut viderem laborem
olorem,

A et consumerentur in confusione dies mei?
(*Cap.* XXI.) Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino,
quando misit ad eum rex Sedecias Phassur filium Melchiæ,
et Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, dicens:
Interroga pro nobis Dominum,
quia Nabuchodonosor rex Babylonis præliatur adversum nos :
si forte faciat Dominus nobiscum secundum omnia mirabilia sua,
et recedat a nobis.
Et dixit Jeremias ad eos :
Sic dicetis Sedeciæ :
Hæc dicit Dominus Deus Israel :
Ecce ego convertam vasa belli quæ in manibus vestris sunt,
et quibus vos pugnatis adversus regem Babylonis, et Chaldæos,
B qui obsident vos in circuitu murorum :
Et congregabo ea in medio civitatis hujus. Et debellabo ego vos in manu extenta, et in brachio forti,
et in furore, et in indignatione, et in ira grandi.
Et percutiam habitatores civitatis hujus,
homines et bestiæ pestilentia magna morientur.
Et post hæc ait Dominus :
dabo Sedeciam regem Juda, et servos ejus, ut populum ejus,
et qui derelicti sunt in civitate hac a peste, et gladio, et fame,
in manu Nabuchodonosor regis Babylonis,
et in manu inimicorum eorum,
et in manu quærentium animam eorum,
Et percutiet eos in ore gladii,
et non flectetur [2], neque parcet, nec miserebitur.
Et ad populum hunc dices :
Hæc dicit Dominus :
C Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et viam mortis.
Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, et fame, et peste :
qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldæos, qui obsident vos, vivet,
et erit ei anima sua, quasi spolium.
Posui enim faciem meam super civitatem hanc in malum, et non in bonum, ait Dominus :
in manu regis Babylonis dabitur, et exuret eam igni.
Et domui regis Juda :
Audite verbum Domini, domus David,
hæc dixit Dominus :
Judicate mane judicium,
et eruite vi oppressum de manu calumniantis :
Ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur,
et non sit qui exstinguat, propter malitiam studiorum vestrorum.
D Ecce ego ad te habitatricem vallis solidæ atque campestris, ait Dominus,
qui dicitis :
Quis percutiet nos?
Et quis ingredietur domos nostras?
Et visitabo super vos juxta fructum studiorum vestrorum, dicit Dominus :
et succendam ignem in saltu ejus :
et devorabit omnia in circuitu ejus.
(*Cap.* XXII,) Hæc dicit Dominus :
Descende in domum regis Juda,
et loqueris ibi verbum hoc, et dices,
Audi verbum Domini, rex Juda, qui sedes super so-

se lectum a Martianæo, *meorum* pro *eorum*, tibus aliis libris, cum primis Hebr. איביהם n San-Germanensis et alii mss. codices, *vebitur, neque parces*, etc. MART. — Palatin, aliique Martian. mss. *non movebitur*, pro *non flectetur*. Hebræus plus habet לא יהום עליהם, ad verbum, *non indolescet super eos*.

lium David ;
tu et servi tui, et populus tuus, qui ingredimini per portas istas.
Hæc dicit Dominus :
Facite judicium et justitiam,
et liberate vi oppressum de manu calumniatoris :
Et advenam, et pupillum et viduam nolite contristare, neque opprimatis inique.
et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto.
Si enim facientes feceritis verbum istud,
ingredientur per portas domus hujus reges sedentes de genere David super thronum ejus :
et ascendentes currus et equos,
ipsi et servi, et populus eorum.
Quod si non audieritis verba hæc :
in (*Al.* per) memetipsum juravi, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus hæc.
Quia hæc dicit Dominus super domum regis Juda:
Galaad, tu mihi caput Libani :
si non posuero te solitudinem, urbes inhabitabiles.
Et sanctificabo super te, interficientem virum et arma ejus :
et succident electas cedros tuas,
et præcipitabunt in ignem.
Et pertransibunt gentes multæ per civitatem hanc:
Et dicet unusquisque proximo suo :
Quare fecit Dominus sic civitati huic grandi ?
Et respondebunt,
eo quod dereliquerint pactum Domini Dei sui,
et adoraverint deos alienos, et servierint eis.
Nolite flere mortuum,
neque lugeatis super eum fletu [1].
Plangite eum, qui egreditur,
quia non revertetur ultra,
nec videbit terram nativitatis suæ.
Quia hæc dicit Dominus ad Sellum filium Josiæ regis
(*Al.* regem) Juda, qui regnavit pro Josia patre suo,
qui egressus est de loco isto,
Non revertetur huc amplius :
sed in loco,ad quem transtuli eum,ibi morietur,
et terram istam non videbit amplius.
Væ qui ædificant domum suam in injustitia,
et cœnacula sua non in judicio :
Amicum suum opprimet (*Al.* opprimit) frustra,
et mercedem ejus non reddet (*Al.* reddit) ei,
Qui dicit :
Ædificabo mihi domum latam,
et cœnacula spatiosa :
Qui aperuit sibi fenestras et facit laquearia cedrina,
pingitque sinopide.
Nunquid regnabis
quoniam confers te cedro ?
Pater tuus nunquid (*Al.* nonne) non comedit et bibit,
et feci judicium et justitiam tunc cum bene erat ei?
Judicavit causam pauperis et egeni in bonum suum :
Nunquid non ideo quia cognovit me ? dicit Dominus.
Tui vero oculi et cor ad avaritiam,
et ad sanguinem innocentem fundendum,
et ad calumniam, et ad cursum mali operis.
Propterea hæc dicit Dominus ad Joachim filium Josiæ regem Juda :
Non plangent eum :
A Væ, frater [2], et væ, soror :
non concrepabant ei :
Væ, domine,
et væ inclyte.
Sepultura asini sepelietur,
putrefactus et projectus extra portas Jerusalem.
Ascende Libanum, et clama :
et in Basan da vocem tuam,
et clama ad transeuntes,
quia contriti sunt omnes amatores tui.
Locutus sum ad te in abundantia tua,
et dixisti : Non audiam :
Hæc est via ab adolescentia tua,
quia non audisti vocem meam.
Omnes pastores tuos pascet ventus,
et amatores tui in captivitatem ibunt :
Et tunc confunderis,
et erubesces ab omni malitia tua.
Quæ sedes in Libano, et nidificas in cedris,
B quomodo congemuisti, cum venissent tibi dolores, quasi dolores parturientis?
Vivo ego, dicit Dominus :
quia si fuerit Jechonias filius Joacim regis Juda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.
Et dabo te in manu quærentium animam tuam,
et in manu quorum tu formidas faciem.
et in manu Nabuchodonosor regis Babylonis,
et in manu Chaldæorum.
Et mittam te, et matrem tuam quæ genuit te, in terram alienam in qua nati non estis,
ibique moriemini :
Et in terram ad quam ipsi levant animam suam ut revertantur,
illuc non revertentur.
Nunquid vas fictile atque contritum vir iste Jechonias ?
nunquid vas absque omni voluptate ?
Quare abjecti sunt ipse et semen ejus,
C et projecti in terram, quam ignoraverunt ?
Terra, terra, terra.
audi sermonem Domini.
Hæc dicit Dominus :
Scribe virum sterilem,
virum qui in diebus suis non prosperabitur :
Nec enim erit de semine ejus vir,qui sedebat super solium David,
et potestatem habeat ultra (*Al. add.*) in] Juda.
(*Cap.* XXIII.) Væ pastoribus qui disperdunt et dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus.
Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores qui pascunt populum meum :
Vos dispersistis gregem meum,
ejecistis eos, et non visitastis eos (*Al. tacit* eos) :
Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus.
Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus
D terris ad quas ejecero eos illuc :
et convertam eos ad rura sua :
et crescent et multiplicabuntur.
Et suscitabo super eos pastores, et pascent eos :
non formidabunt ultra, et non pavebunt :
et nullus quæretur ex numero, dicit Dominus.
Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum :
et regnabit rex, et sapiens erit :
et faciet judicium et justitiam in terra :
In diebus illis salvabitur Juda,

[1] Alio ordine prælegit in Comment.S.ipse Interpres : *Neque lugeatis super eum. Plangite fletu eum, qui egreditur :* propius ad Hebræum textum, בכו לחי ובכו לתו.

[2] Aliter exemplaria Canonis et cunctorum codicum nostrorum mss. ubi hæc leguntur : *Væ, frater, et* væ, *fratres*. At hunc exscriptorum errorem manifeste redarguunt Commentaria Hieronymiana in præsentem locum. « Hoc quod non de Hebraico posuimus, inquit S. Doctor, *Non plangent eum. Væ, frater, et* væ, *soror*, in LXX non habetur. » Marr.

et Israel habitabit confidenter :
Et hoc est nomen, quod vocabunt eum,
Dominus justus noster.
Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus,
et non dicent ultra ;
Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti :
Sed : Vivit Dominus, qui eduxit et adduxit semen domus Israel de terra aquilonis,
et de cunctis terris, ad quas ejeceram eos illuc.

AD PROPHETAS.

Contritum est cor meum in medio mei,
contremuerunt omnia ossa mea :
Factus sum quasi vir ebrius,
et quasi homo madidus vino,
a facie Domini, et a facie verborum sanctorum ejus.
Quia adulteris repleta est terra,
quia a facie maledictionis luxit terra,
arefacta sunt arva deserti :
Factus est cursus eorum malus,
et fortitudo eorum dissimilis.
Propheta namque et sacerdos polluti sunt :
et in domo mea inveni malum (*Al.* mala) eorum, ait Dominus.
Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris,
impellentur enim,
et corruent in ea :
Afferam enim super eos mala,
annum visitationis eorum, ait Dominus.
Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem :
prophetabant in Baal,
et decipiebant populum meum Israel.
Et in prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium (*Al.* adulterium),
et iter mendacii :
Et confortaverunt manus pessimorum,
ut non converteretur unusquisque a malitia sua:
Facti sunt mihi omnes Sodoma [1],
et habitatores ejus quasi Gomorrha.
Propterea hæc dicit Dominus exercituum ad prophetas :
Ecce ego cibabo eos absinthio,
et potabo eos felle :
A prophetis enim Jerusalem,
egressa est pollutio super omnem terram.
Hæc dicit Dominus exercituum :
Nolite audire verba prophetarum,
qui prophetant vobis, et decipiunt vos :
Visionem cordis sui loquuntur,
non de ore Domini.
Dicunt his, qui blasphemant me :
Locutus est Dominus : Pax erit vobis :
Et omni, qui ambulat in pravitate cordis sui, dixerunt :
Non veniet super vos malum (*Al.* male) ;
Quis enim affuit in concilio Domini,
et vidit,
et audivit sermonem ejus ?
Quis consideravit verbum illius
et audivit ?
Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur,
et tempestas erumpens super caput impiorum veniet.
Non revertetur furor Domini,
usque dum faciat,
et usque dum compleat cogitationem cordis sui.
In novissimis diebus
intelligetis consilium ejus.
Non mittebam prophetas,
et ipsi currebant :
A Non loquebar ad eos,
et ipsi prophetabant.
Si stetissent in consilio meo, et nota fecissent verba mea populo meo,
avertissem utique eos a via sua mala,
et a pessimis cogitationibus suis.
Putasne, (*Al.* nunquid) Deus e vicino ego sum, dicit Dominus,
et non Deus de longe ?
Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum ? dicit Dominus.
Nunquid non cœlum, et terram ego impleo ? dicit Dominus.
Audivi quæ dixerunt prophetæ,
prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes,
Somniavi,
somniavi.
Usquequo istud in corde est prophetarum vaticinantium mendacium,
B et prophetantium seductiones cordis sui ?
Qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei,
propter somnia eorum quæ narrat unusquisque ad proximum suum :
sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Baal.
Propheta, qui habet somnium,
narret somnium ;
Et qui habet sermonem meum,
loquatur vere sermonem meum :
Quid paleis ad triticum ? dicit Dominus.
Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, ait Dominus,
et quasi malleus conterens petram ?
Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dominus,
qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo.
C Ecce ego ad prophetas, ait Dominus,
qui assumunt linguas suas, et aiunt : Dicit Dominus.
Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus,
qui narraverunt (*Al.* narrant) eam,
et seduxerunt (*Al.* seducunt) populum meum in mendacio suo (*Al.* mendaciis suis), et in miraculis suis :
Cum ego non misissem eos, nec mandassem eis,
qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus.
Si igitur interrogaverit te populus iste, vel propheta, aut sacerdos, dicens :
Quod est onus Domini (*Al.* Dei) ?
dices ad eos :
Ut quid vobis onus [2] ?
Projiciam quippe vos, dicit Dominus.
Et propheta, et sacerdos, et populus, qui dicit : Onus Domini :
visitabo super virum illum, et super domum ejus.
D Hæc dicetis unusquisque ad proximum (*Al.* amicum suum), et ad fratrem suum :
Quid respondit Dominus ?
et quid locutus est Dominus ?
Et onus Domini ultra non memorabitur : quia onus erit unicuique sermo suus :
Et pervertistis (*Al.* pervertitis) verba Dei viventis, Domini exercituum Dei nostri.
Hæc dices ad prophetam :
Quid respondit tibi Dominus ?
et quid locutus est Dominus ?
Si autem onus Domini dixeritis :
propter hoc hæc dicit Dominus :
Quia dixistis sermonem istum : Onus Domini :

[1] Supple *ut* voculam, aut *quasi*, quemadmodum ipse habet in Commentario S. Pater. Hebræus quoque, כסדם.

[2] Vulgati libri, *Vos estis onus*. Hebræus ad verbum ; *Quod onus ?* אות-מה-משא.

et misi ad vos, dicens : Nolite dicere : Onus Domini :
Propterea ecce ego tollam vos portans,
et derelinquam (*Al.* projiciam) vos, et civitatem quam dedi vobis et patribus vestris, a facie mea.
Et dabo vos in opprobrium sempiternum,
et in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.
(*Cap.* XXIV.) Ostendit mihi Dominus :
et ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templum Domini :
Postquam transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis Jechoniam filium Joacim, regem Juda, et principes ejus,
et fabrum, et inclusorem, de Jerusalem, et adduxit eos in Babylonem.
Calathus unus ficus bonas habebat nimis,ut solent ficus esse primi temporis :
Et calathus unus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eo quod essent malæ.
Et dixit Dominus ad me :
Quid tu vides, Jeremia?
Et dixi :
Ficus, ficus (*Al. semel habet* ficus),
bonas, bonas valde ;
et malas, malas valde,
quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ.
Et factum est verbum Domini ad me, dicens :
Hæc dicit Dominus Deus Israel :
Sicut ficus hæ bonæ :
sic cognoscam transmigrationem Judæ, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, in bonum
Et ponam oculos meos super eos ad placandum (*Al.* in bonum).
et reducam eos in terram hanc :
Et ædificabo eos, et non destruam :
et plantabo eos, et non evellam.
Et dabo eis cor ut sciant me, quia ego sum Dominus : et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum :
Quia revertentur ad me in toto corde suo.
Et sicut ficus pessimæ, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ :
Hæc dicit Dominus, sic dabo Sedeciam regem Juda et principes ejus,
et reliquos de Jerusalem, qui remanserunt in urbe hac,
et qui habitant in terra Ægypti.
Et dabo eos in vexationem,afflictionemque omnibus regnis terræ,
in opprobrium, et in parabolam, et in proverbium, et in maledictionem in universis locis,ad quæ ejeci eos.
Et mittam in eis gladium, et famem, et pestem : donec consumantur de terra quam dedi eis et patribus eorum.
(*Cap.* XXV.) Verbum,quod factum est ad Jeremiam de omni populo Judæ,
in anno quarto Joacim filii Josiæ regis Juda (ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis),
Quod locutus est Jeremias propheta ad omnem populum Juda,
et ad universos habitatores Jerusalem, dicens :
A tertio decimo anno Josiæ filii Ammon regis Juda usque ad diem hanc :
iste est tertius et vicesimus annus :
factum est verbum Domini ad me,
et locutus sum ad vos de nocte consurgens, et loquens :
et non audistis.
Et misit Dominus ad vos omnes servos suos prophetas, consurgens diluculo, mittensque :
et non audistis,
neque inclinastis aures vestras ut audiretis :
Cum diceret (*Al.* dicerem) : Revertimini (*Al. add.* ad me) unusquisque a via sua mala, et a pessimis cogitationibus vestris ;
et habitabitis in terra quam dedit Dominus vobis et patribus vestris,
a sæculo et usque in sæculum.
Et nolite ire post deos alienos,ut serviatis eis : adoretisque eos :
neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum vestrarum, et non affligam vos.
Et non audistis me, dicit Dominus,
ut me ad iracundiam provocaretis in operibus manuum vestrarum, in malum vestrum.
Propterea hæc dicit Dominus exercituum :
Pro eo quod non audistis verba mea :
Ecce ego mittam, et assumam universas cognationes aquilonis, ait Dominus,
et Nabuchodonosor [1] regem Babylonis servum meum :
Et adducam eos super terram istam, et super habitatores ejus,
et super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt :
Et interficiam eos, et ponam eos in stuporem et in sibilum,
et in solitudines sempiternas.
Perdamque ex eis vocem gaudii, et vocem lætitiæ, vocem sponsi, et vocem sponsæ,
vocem molæ,
et lumen lucernæ.
Et erit universa terra hæc (*Al.* ejus) in solitudinem.
et in stuporem :
et servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis.
Cumque impleti fuerint septuaginta anni,
visitabo super regem Babylonis, et super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum,
et super terram Chaldæorum :
et ponam illam in solitudines sempiternas.
Et adducam super terram illam omnia verba mea, quæ locutus sum contra eam,
omne quod scriptum est in libro isto,
quæcunque prophetavit Jeremias adversum omnes gentes :
Quia servierunt eis,
cum essent gentes multæ, et reges magni :
Et reddam eis secundum opera eorum,
et secundum facta manuum suarum.
Quia sic dicit Dominus exercituum (*Al. tacet* exercituum) Deus Israel (*Al. add.* ad me) :
Sume calicem vini furoris hujus de manu mea :
et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te.
Et bibent et turbabuntur (*Al.* inebriabuntur), et insanient a facie gladii,
quem ego mittam inter eos.
Et accepi calicem de manu Domini,
et propinavi cunctis gentibus ad quas misit me Dominus :
Jerusalem, et civitatibus Juda,
et regibus ejus, et principibus ejus :
ut darem eos in solitudinem, et in stuporem,
et in sibilum, et in maledictionem,
sicut est dies ista :
Pharaoni regi Ægypti, et servis ejus, et principibus

[1] Canon San-Germanensis cum ms. codice Corbeiensi num. 12 *ad Nabuchodonosor*, juxta Hebræum, qui legit præpositionem בן *el*, id est *ad*, quam tamen lectionem minime sequendam duximus, tum quod secunda manu posita reperiatur in jam dictis mss. codicibus, tum maxime quod eam non agnoscat sanctus Hieronymus in Commentariis suis. MART.

st omni populo ejus,
rsis generaliter :
gibus terræ Ausitidis,
is regibus terræ Philisthim,
i,
,
oni,
iis Azoti :
,
,
Ammon :
regibus Tyri,et cunctis regibus Sidonis:
is terræ [1] insularum, qui sunt trans mare:
et Thema [2], et Buz.
rsis qui attonsi sunt in comam :
regibus Arabiæ,
is regibus Occidentis,qui habitant in de-
:
regibus Zamri,
is regibus Elam,
is regibus Medorum,
is regibus aquilonis de prope et de longe,
contra fratrem suum :
ous regnis terræ, quæ super faciem ejus

esach bibet post eos,
i eos :
it Dominus exercituum Deus Israel :
nebriamini :
e, et cadite,
rgatis (*Al.* et nolite consurgere) a facie
, quem ego mittam inter (*Al.* in) vos.
oluerint accipere calicem de manu tua ut
,
eos :
Dominus exercituum :
ibetis ;
e in civitate, in qua invocatum est nomen
, ego incipio affligere,
isi innocentes et immunes eritis ?
is immunes :
enim ego voco super omnes habitatores
,
minus exercituum.
hetabis ad eos omnia verba hæc, et dices
os :
de excelso rugiet,
abitaculo sancto suo dabit vocem suam :
per decorem suum :
a quasi calcantium concinetur adversus
s habitatores terræ :
onitus usque ad extrema terræ :
dicium Domino cum gentibus :
ipse cum omni carne :
tradidi gladio, dicit Dominus.
Dominus exercituum :
ctio egredietur de gente in gentem :
magnus egredietur a summitatibus terræ.
interfecti Domini in die illa a summo
usque ad summum ejus :
ngentur, et non colligentur, neque sepe-
ur :
quilinium super faciem terræ jacebunt.

A Ululate pastores, et clamate :
et aspergite vos cinere, optimates gregis :
Quia completi sunt dies vestri, ut interficiamini,
et dissipationes vestræ,
et cadetis quasi vasa pretiosa.
Et peribit fuga a pastoribus,
et salvatio ab optimatibus gregis.
Vox clamoris pastorum, et ululatus optimatum gregis :
quia vastavit Dominus pascua eorum:
Et continuerunt arva pacis a facie iræ furoris Domini,
Dereliquit quasi leo umbraculum suum,
quia [3] facta est terra eorum in desolationem a facie iræ columbæ,
et a facie iræ furoris Domini.
(*Cap.* XXVI.) In principio regni Joacim filii Josiæ regis Juda,
factum est verbum istud a Domino, dicens :
B Hæc dicit Dominus :
Sta in atrio domus Domini,
et loqueris ad omnes civitates Juda,
de quibus veniunt, ut adorent in domo Domini,
universos sermones,
quos ego mandavi tibi ut loquaris ad eos :
Noli subtrahere verbum,
si forte audiant, et convertantur unusquisque a via sua mala :
et pœniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum.
Et dices ad eos :
Hæc dicit Dominus :
Si non audieritis me,ut ambuletis in lege mea,quam dedi vobis,
ut audiatis sermones servorum meorum prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, et dirigens,
et non audistis :
C Dabo domus istam sicut Silo,
et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ.
Et audierunt sacerdotes, et prophetæ, et omnis populus, Jeremiam loquentem verba hæc in domo Domini.
Cumque complesset Jeremias, loquens omnia quæ præceperat ei Dominus, ut loqueretur ad universum populum,
Apprehenderunt eum sacerdotes, et prophetæ, et omnis populus, dicens :
Morte morietur (*Al.* moriatur).
Quare prophetavit in nomine Domini, dicens :
Sicut Silo erit domus hæc :
et urbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator?
Et congregatus est omnis populus adversus Jeremiam in domo Domini.
Et audierunt principes Juda verba hæc :
D et ascenderunt de domo regis in domum Domini,
et sederunt in introitu portæ domus (*Al. tac.* domus) Domini novæ.
Et locuti sunt sacerdotes et prophetæ ad principes, et ad omnem populum, dicentes :
Judicium mortis est viro huic :

habet Hebræus textus *terræ*, sed neque in Commentario nomen istud interserit. *an* habent exemplaria Canonis, et mss. Bibliorum : cui lectioni favet etiam interus, apud quem תימנא, *Thaimno* legimus. et Hebræus hodiernus legunt *Thama*. Falso Martianæus ex aliquot mss.substituit non animadvertens aliam esse *Theman*. Hæc Palæstinæ regio dicitur in orientali ve Arabia Deserta ; illa vero inclyta Idu- ; civitas in Arabia Petræa Boream versus, t cum ex aliis Scripturæ testimoniis, tum ex ipso Jeremia inferius cap. XLIX, 7 : *Ad Idumæam. Hæc dicit Dominus exercituum : Nunquid non ultra est sapientia in Theman?* Præterea et Hebræus textus, et libri plerique omnes hic habent, תימא seu *Thema*, non *Theman*.

[3] Abest in exemplaribus Canonis Hebr. veritat. ac in mss.Bibliorum sacrorum codicibus particula causalis *quia*, nec eam agnoscit S. Hieronymus hunc versum Commentariis suis illustrans:etsi posita legatur in textu eorumdem Commentariorum. in Vulgata Latina, et in Hebræorum voluminibus. MART.

quia prophetavit adversus civitatem istam,
sicut audistis auribus vestris.
Et ait Jeremias ad omnes principes,
et ad universum populum, dicens :
Dominus misit me, ut prophetarem ad domum
istam, et ad civitatem hanc,
omnia verba quæ audistis.
Nunc ergo bonas facite vias vestras, et studia vestra,
et audite vocem Domini Dei vestri :
et pœnitebit Dominum mali quod locutus est
adversum vos.
Ego autem ecce in manibus vestris sum :
facite mihi quod bonum et rectum est in oculis
vestris :
Verumtamen scitote et cognoscite,
quod si occideritis me, sanguinem innocentem
tradetis contra vosmetipsos,
et contra civitatem istam, et habitatores ejus.
In veritate enim misit me Dominus ad vos,
ut loquerer in auribus vestris omnia verba hæc:
Et dixerunt principes, et omnis populus,
ad sacerdotes et prophetas :
Non est viro judicium mortis :
quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad
nos.
Surrexerunt ergo viri de senioribus terræ :
et dixerunt ad omnem cœtum populi, loquentes:
Michas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiæ
regis Juda,
et ait ad omnem populum Juda, dicens :
Hæc dicit Dominus exercituum :
Sion quasi ager arabitur :
et Jerusalem in acervum lapidum erit :
et mons domus in excelsa silvarum.
Nunquid morte condemnavit eum Ezechias rex
Juda, et omnis Juda?
nunquid non timuerunt Dominum, et deprecati
sunt faciem Domini :
Et pœnituit Dominus mali quod locutus erat ad-
versum eos?
Itaque nos facimus malum grande contra animas
nostras.
Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini,
Urias filius Semel de Cariath-Iarim :
et prophetavit adversus civitatem istam, et ad-
versus terram hanc, juxta omnia verba Jere-
miæ.
Et audivit rex Joacim, et omnes potentes, et prin-
cipes ejus, verba hæc :
et quæsivit rex interficere eum.
Et audivit Urias, et timuit,
fugitque et ingressus est Ægyptum.
Et misit rex Joacim viros in Ægyptum,
Elnathan filium Achobor, et viros eum eo in Ægy-
ptum.
Et eduxerunt Uriam de Ægypto :
et eduxerunt eum ad regem Joacim,
et percussit eum gladio :
et projecit cadaver ejus in sepulcris vulgi igno-
bilis.
Igitur [*Al.* Verumtamen] manus Abicam filii Sa-
phan fuit cum Jeremia;
ut non traderetur in manus populi, et interfice-
rent eum.
(*Cap.* XXVII). In principio regni Joacim filii Josiæ
regis Juda,
factum est verbum istud ad Jeremiam a Domino,
dicens :
Hæc dicit Dominus ad me :
Fac tibi vincula et catenas :
et pones eas in colle tuo.
Et mittes eas ad regem Edom,
et ad regem Moab,
et ad regem filiorum Ammon,
et ad regem Tyri,
et ad regem Sidonis;
in manu nuntiorum, qui venerunt Jerusalem ad
A Sedeciam regem Juda.
Et præcipies eis ut ad dominos suos loquantur :
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Hæc dicetis ad dominos vestros :
Ego feci terram, et homines, et jumenta, quæ sunt
super faciem terræ, in fortitudine mea magna,
et in brachio meo extento :
et dedi eam ei, qui (*Al.* cui placuit in oculis meis.
Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu
Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei
insuper et bestias agri dedi ut serviant illi.
Et servient ei omnes gentes, et filio ejus, et filio
filii ejus :
donec veniat tempus terræ ejus et ipsius :
et servient ei gentes multæ, et reges magni.
Gens autem et regnum, quod non servierit Nabu-
chodonosor regi Babylonis,
et quicunque non curvaverit collum suum sub
jugo regis Babylonis :
B In gladio, et in fame, et in peste visitabo super
gentem illam, ait Dominus,
donec consumam eos in manu ejus.
Vos ergo nolite audire prophetas vestros et divi-
nos, et somniatores, et augures, et meleficos,
Qui dicunt vobis : Non servietis regi Babylonis.
Quia mendacium prophetant vobis :
ut longe faciant vos de terra vestra,
et ejiciant vos, et pereatis.
Porro gens quæ subjecerit cervicem suam sub jugo
regis Babylonis, et servierit ei :
dimittam eam in terra sua, dicit Dominus :
et colet eam, et habitabit in ea.
Et ad Sedeciam regem Juda locutus sum secundum
omnia verba hæc, dicens :
Subjicite colla vestra sub jugo regis Babylonis,
et servite ei, et populo ejus,
et vivetis.
Quare moriemini tu, populus tuus, gladio, fame, et
C peste,
sicut locutus est Dominus ad gentem quæ ser-
vire noluerit regi Babylonis?
Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis:
Non servietis (*Al.* Nolite servire) regi Babylonis,
quia mendacium ipsi loquuntur vobis.
Quia non misi eos, ait Dominus :
et ipsi prophetant in nomine meo mendaciter:
Ut ejiciant vos, et pereatis,
tam vos, quam prophetæ qui vaticinantur vobis.
Et ad sacerdotes, et ad populum istum locutus sum,
dicens :
Hæc dicit Dominus :
Nolite audire verba prophetarum vestrorum,
qui prophetant vobis dicentes :
Ecce vasa Domini revertentur de Babylone nunc
cito,
mendacium enim prophetant vobis.
Nolite ergo audire eos,
sed servite regi Babylonis, ut vivatis :
D Quare datur hæc civitas in solitudinem?
Et si prophetæ sunt, et est verbum Domini in eis:
occurrant Domino exercituum,
ut non veniant vasa, quæ derelicta fuerant in
domo Domini :
et in domo regis Juda, et in Jerusalem, in Baby-
lonem.
Quia hæc dicit Dominus exercituum ad columnas,
et mare, et ad bases,
et ad reliqua vasorum quæ remanserunt in ci-
vitate hac :
quæ non tulit Nabuchodonosor rex Babylonis,
cum transferret Jechoniam filium Joacim re-
gem Juda de Jerusalem in Babylonem,
et omnes optimates Juda et Jerusalem.
Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ad
vasa,
quæ derelicta sunt in domo Domini, et in domo
regis Juda et Jerusalem :

onem transferentur,
erunt usque ad diem visitationis suæ, dicit
inus,
rri faciam ea,
itui in loco isto.
XVIII.) Et factum est in anno illo,
icipio regni Sedeciæ regis Juda, in anno
to, in mense quinto,
d me Ananias filius Azur propheta de Ga-
, in domo Domini,
sacerdotibus et omni populo dicens :
i Dominus exercituum Deus Israel :
vi jugum regis Babylonis.
uo anni dierum,
referri faciam ad locum istum omnia vasa
us (*Al. tac.* domus) Domini,
(*Al.* transtulit) Nabuchodonosor rex Baby-
de loco isto,
stulit ea in Babylonem.
niam filium Joacim regem Juda, et omnem
migrationem Juda,
gressi sunt in Babylonem,
verlam ad locum istum, ait Dominus :
im enim jugum regis Babylonis.
eremias propheta ad Ananiam prophetam,
ulis sacerdotum,
ulis omnis populi, qui stabat in domo Do-
.
emias propheta : Amen,
at Dominus :
Dominus verba tua, quæ prophetasti,
rantur vasa in domum Domini,
s transmigratio de Babylone (*Al.* Babylo-
d locum istum.
nen audi verbum hoc, quod ego loquor in
us tuis,
bus universi populi.
qui fuerunt ante me et ante te ab initio,
hetaverunt super terras multas, et super
magna,
io, et de afflictione, et de fame.
qui vaticinatus est pacem ;
nerit verbum ejus,
propheta, quem misit (*Al.* miserit) Domi-
n veritate.
nanias propheta catenam de collo Jere-
prophetæ,
egit eam,
nias in conspectu omnis populi dicens :
it Dominus :
ngam jugum Nabuchodonosor regis Baby-
post duos annos dierum de collo omnium
um.
Jeremias propheta (*Al. tac.* propheta) in
suam.
im est verbum Domini ad Jeremiam,
m confregit Ananias propheta catenam
llo Jeremiæ prophetæ, dicens :
lices Ananiæ :
it Dominus :
gneas contrivisti :
s pro eis catenas (*Al.* furcas) ferreas.
dicit Dominus exercituum Deus Israel :
reum posui super collum cunctarum gen-
istarum,
ant Nabuchodonosor regi Babylonis,
ent ei :
et bestias terræ dedi ei :
eremias propheta ad Ananiam prophetam :
nia :
te Dominus,
onfidere fecisti populum istum in men-
.

A Idcirco hæc dicit Dominus :
Ecce ego mittam te a facie terræ :
hoc anno morieris :
adversum Dominum enim locutus es.
Et mortuus est Anania propheta in anno illo,
mense septimo.
(*Cap.* XXIX.) Et hæc sunt verba libri quem misit
Jeremias propheta de Jerusalem ad reliquias
seniorum transmigrationis
et ad sacerdotes, et ad prophetas,
et ad omnem populum, quem traduxerat Nabu-
chodonosor de Jerusalem in Babylonem ;
Postquam egressus est Jechonias rex, et domina, et
eunuchi, et principes Juda et Jerusalem,
et faber et inclusor de (*Al.* artifices de) Jeru-
salem :
in manu Elasa filii Saphan, et Gamariæ filii
Helciæ,
quos misit Sedecias rex Juda ad Nabuchodonosor
B regem Babylonis in Babylonem dicens :
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel omni
transmigrationi,
quam transtuli de Jerusalem in Babylonem :
Ædificate domos, et habitate :
et plantate hortos,
et comedite fructum eorum.
Accipite uxores,
et generate filios et filias :
Date filiis uxores,
et filias vestras date viris, et pariant filios et
filias :
et multiplicamini ibi (*Al. tac* ibi), et nolite esse
pauci numero.
Et quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare
vos feci (*Al.* transtuli vos) :
et orate pro ea ad Dominum :
quia in pace illius erit pax vobis.
Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Israel :
C Non vos seducant prophetæ vestri, qui sunt in me-
dio vestrum,
et divini vestri :
Et ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis
quia falso (*Al.* falsa) ipsi prophetant vobis in
nomine meo :
et non misi eos, dicit Dominus.
Quia hæc dicit Dominus :
Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni;
visitabo vos, et suscitabo super vos verbum
meum [1] bonum,
ut reducam vos ad locum istum.
Ego enim scio cogitationes
quas cogito super vos, ait Dominus :
Cogitationes pacis, et non afflictionis,
ut dem vobis finem et patientiam.
Et invocabitis me, et ibitis :
et orabitis me, et ego exaudiam vos.
Quæretis me, et invenietis,
D cum quæsieritis me in toto corde vestro.
Et inveniar a vobis, ait Dominus :
et reducam captivitatem vestram,
et congregabo vos de universis gentibus, et de
cunctis locis ad quæ expuli vos, dicit Dominus:
Et reverti vos faciam de loco ad quem transmi-
grare vos feci.
Quia dixistis : suscitavit nobis Dominus prophetas
in Babylone.
Quia hæc dicit Dominus ad regem qui sedet super
solium David,
et ad omnem populum habitatorem urbis hujus.
et fratres vestros, qui non sunt egressi vobiscum
in transmigrationem,
Hæc dicit Dominus exercituum :
Ecce mittam in eos gladium, et famem, et pestem:

[1] Martianæus : *Suscitabo super verbum* cum ex aliis libris suffecimus, tum ex auctoritate
. prætermisso, *vos*, pronomine, quod nos Hebræi textus, עליכם.

et ponam eos quasi ficus malas, quæ comedi non possunt,
eo quod pessimæ sint.
Et persequare eos in gladio, et in fame, et in pestilentia:
et dabo eos in vexationem universis regnis terræ;
in maledictionem, et in stuporem:
et in sibilum, et in opprobrium cunctis gentibus,
ad quas ejeci (*Al.* ejiciam) eos:
Eo quod non audierint verba mea, dicit Dominus:
quæ misi ad eos per servos meos prophetas, de nocte consurgens, et mittens:
et non audistis, dicit Dominus.
Vos ergo audite verbum Domini, omnis transmigratio,
quam emisi de Jerusalem in Babylonem:
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ad Ahab filium Colia.
et ad Sedeciam filium Maasiæ,
qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter:
Ecce ego tradam eos in manu Nabuchodonosor regis Babylonis:
et percutiet eos in oculis vestris.
Et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Juda, quæ est in Babylone, dicentium:
Ponat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Ahab quos frixit rex Babylonis in igne:
pro eo quod fecerint stultitiam in Israel,
et mœchati sunt uxores amicorum suorum,
et locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis:
Ego sum judex et testis, dicit Dominus.
Et ad Semeiam Neelamitem dices:
Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel.
Pro eo quod misisti in nomine tuo libros ad omnem populum, qui est in Jerusalem,
et ad Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem,
ut ad universos sacerdotes, dicens:
Dominus dedit te sacerdotem pro Joiade sacerdote,
ut sis dux in domo Domini super omnem virum arreptitium et prophetantem,
ut mittas eum in nervum et in carcerem:
Et nunc quare non increpasti Jeremiam Anathothiten, qui prophetat vobis?
Quia super hoc misit ad nos, in Babylonem, dicens:
Longum est:
ædificate domos, et habitate:
et plantate hortos,
et comedite fructum eorum.
Legit ergo Sophonias sacerdos librum istum in auribus Jeremiæ prophetæ.
Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens:
Mitte ad omnem transmigrationem, dicens
Hæc dicit Dominus ad Semeiam Neelamitem:
Pro eo quod prophetavit vobis Semeias, et ego non misi eum:
et fecit vos confidere in mendacio:
idcirco hæc dicit Dominus:
Ecce ego visitabo super Semeiam Neelamitem,
et super semen ejus:
Non erit ei vir sedens in medio populi hujus,
et non videbit bonum quod ego faciam populo meo, ait Dominus,
quia prævaricationem locutus est adversus Dominum.
(*Cap.* XXX.) Hoc verbum quod actum est ad Jeremiam a Domino, dicens:
Hæc dicit Dominus Deus Israel, dicens:
Scribe tibi omnia verba quæ locutus sum ad te, in libro.
Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus:
et convertam conversionem populi mei (*Al.* in terra) Israel et Juda, ait Dominus:
et convertam eos ad terram quam dedi patribus eorum:
et possidebunt eam.
Et hæc verba quæ locutus est Dominus ad Israel et ad Judam:
Quoniam hæc dicit Dominus:
Vocem terroris audivimus:
formido, et non est pax.
Interrogate, et videte si generat masculus: quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis (*Al.* parientis),
et conversæ sunt universæ facies in aurugine[m]?
Væ! quia magna dies illa,
nec est similis ejus:
Tempusque tribulationis est Jacob,
et ex ipso salvabitur.
Et erit in die illa, ait Dominus exercituum.
conteram jugum ejus de collo tuo, et vincula ejus disrumpam,
et non dominabuntur ei amplius alieni:
Sed servient Domino Deo, suo,
et David regi suo, quem suscitabo eis.
Tu ergo ne timeas, serve meus Jacob, ait Dominus,
neque paveas, Israel:
Quia ecce ego salvabo te de terra longinqua.
et semen tuum de terra captivitatis eorum:
Et revertitur Jacob, et quiescet,
et cunctis affluet bonis,
et non erit quem formidet:
Quoniam tecum ego sum, ait Dominus, ut salvem te,
Faciam enim consummationem in cunctis gentibus: in quibus dispersi te:
te autem non faciam in consummationem;
Sed castigabo te in judicio,
ut non videaris tibi innoxius.
Quia hæc dicit Dominus:
Insanabilis fractura tua,
pessima plaga tua.
Non est est qui judicet judicium tuum ad alligandum: curationem utilitas non est tibi.
Omnes amatores qui obliti sunt tui,
teque non quærent:
Plaga enim inimici percussi te, castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua.
Quid clamas super contritione tua?
insanabilis est dolor tuus:
Propter multitudinem iniquitatis tuæ,
et propter dura peccata tua feci hæc tibi.
Propterea omnes qui comedunt te, devorabuntur,
et universi hostes tui in captivitatem ducentur:
Et qui te vastant, vastabuntur,
cunctosque prædatores tuos dabo in prædam.
Obducam enim cicatricem tibi,
et a vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus.
Hæc est, quæ, non habeat requirentem
Quia ejectam vocaverunt te, Sion:
Hæc dicit Dominus:
Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Jacob,
et tectis ejus (*Al.* eorum) miserebor:
et ædificabitur civitas in excelso suo,
et templum juxta ordinem suum fundabitur.
Et egredietur de eis laus, voxque ludentium:
et multiplicabo eos, et non minuentur;
et glorificabo eos, et non attenuabuntur.
Et erunt filii ejus sicut a principio,
et cœtus ejus coram me permanebit:
et visitabo adversum omnes qui tribulant eum.
Et erit dux ejus ex eo:
et princeps de medio ejus producetur:
et applicabo eum et accedet ad me.
Quis enim iste est, qui applicet cor suum ut appropinquet ad me, ait Dominus:
Et eritis mihi in populum,
et ego ero vobis in Deum.
Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens,
in capite impiorum conquiescet,
Non avertet iram indignationis Dominus, donec faciat et compleat cogitationem cordis sui:
in novissimo dierum intelligetis ea.

XVI.) In tempore illo, dicit Dominus :
leus universis cogitationibus Israel,
i erunt mihi in populum.
iit Dominus :
gratiam in deserto populus,qui remanserat
ladio :
et (*Al.* vadat) ad requiem suam Israel.
Dominus apparuit mihi.
aritate perpetua dilexi te :
ittraxi, te miserans.
que ædificabo te,
ificaberis, virgo Israel :
rnaberis tympanis tuis,
edieris in choro ludentium.
lantabis vineas in montibus Samariæ :
abunt plantantes [1],
ec tempus veniat, non vindemiabunt.
t dies in qua clamabunt custodes in monte
raim :
et ascendamus in Sion ad Dominum Deum
trum.
c dicit Dominus :
te in lætitia Jacob,
nite contra caput gentium :
nate et canite, et dicite :
Domine, populum tuum, reliquias Israel.
adducam eos de terra aquilonis :
gregabo eos ab extremis terræ :
quos erunt cæcus et claudus,
gnans et pariens simul,
magnus (*Al.* ecclesia magna) revertentium
.
venient,
precibus deducam (*Al.* misericordia redu-
eos :
cam eos per torrentes aquarum in via recta,
impingent in ea :
tus sum Israeli pater,
raim primogenitus meus est.
erbum Domini, gentes,
nuntiate insulis quæ procul sunt, et dicite:
ersit Israel, congregabit eum :
todiet eum sicut pastor gregem suum.
(*Al.* redemit) enim Dominus Jacob,
rabit (*Al.* liberavit) eum de manu poten-
is.
nt, et laudabunt in monte Sion :
fluent ad bona Domini, super frumento, et
o et oleo,
u peccorum et armentorum :
anima eorum quasi hortus irriguus,
ra non esurient.
tabitur virgo in choro,
es et senes simul :
ertam luctum eorum in gaudium,
solabor eos, et lætificabo a dolore suo.
iabo animam sacerdotum pinguedine :
ulus meus bonis meis adimplebitur, ait
ninus :
it Dominus :
xcelso audita est lamentationis,
et luctus, Rachel plorantis filios suos,
lentis (*Al.* noluit) consolari super eis (*Al.*
er filiis suis), quia non sunt.
it Dominus :
t vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis :
est merces operi tuo, ait Dominus.
tentur de terra inimici,

A et est (*Al.*erit) spes novissimis tuis, ait Dominus,
et revertentur filii ad terminos suos.
Audiens audivi Ephraim transmigrantem :
Castigasti me,
et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus :
Converte me, et convertar :
quia tu Dominus Deus meus.
Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam :
et postquam ostendisti mihi (*Al.*cognovi),percussi
femur meum.
Confusus sum, et erubui,
Quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.
Si filius honorabilis mihi Ephraim,
Si puer delicatus :
quia ex quo locutus sum de eo,
adhuc recordabor (*Al. add.* recordans) ejus.
Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum ;
miserans miserebor ejus, ait Dominus :
Statue tibi speculam,
B pone tibi amaritudines ;
Dirige cor tuum in viam rectam,
in qua ambulasti ;
Revertere, virgo Israel,
revertere ad civitates tuas istas.
Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga?
quia creavit Dominus novum super terram :
Femina circumdabit virum.
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Adhuc dicet verbum istud in terra Juda et in urbi-
bus ejus,
cum convertero captivitatem eorum :
Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ,
mons sanctus :
Et habitabunt in eo Judas et omnes civitates ejus
simul,
agricolæ et minantes greges.
Quia inebriavi animam lassam,
et omnem animam esurientem saturavi.
C Ideo quasi de somno suscitatus sum (*Al.* experge-
factus sum) :
et vidi, et somnus meus dulcis mihi.
Ecce dies veniunt, dicit Dominus :
et seminabo domum Israel et domum Juda semine
hominis,
et semine jumentorum.
Et sicut vigilavi super eos ut evellerem, et demo-
lirer, et dissiparem, et disperderem, et affli-
gerem :
sic vigilabo super eos ut ædificem, et plantem,
ait Dominus.
In diebus illis non dicent ultra :
Patres comederunt uvam acerbam,
et dentes filiorum obstupuerunt (*Al.* obstupe-
scent).
Sed unusquisque in iniquitate sua morietur :
omnis homo qui comederit uvam acerbam, ob-
stupescent dentes ejus.
D Ecce dies venient (*Al.* veniunt), dicit Dominus.
et feriam domui Israel et domui Juda fœdus no-
vum :
Non secundum pactum quod pepigi cum patribus
vestris [2],
in die qua apprehendi manum eorum, ut educe-
rem eos de terra Ægypti :
pactum, quod irritum fecerunt,
et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus.
Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel
post dies illos, dicit Dominus :

esis commentaria, et quæ ad hunc locum
notamus.
modo legunt exemplaria Canonis, omnes-
lices mss. sacrorum Bibliorum, quos in-
us. Idem pronomen secundæ personæ con-
retinent Commentaria S. Hieronymi, tam
is quam in manuscriptis libris. Hebræus tamen hodiernus habet אבותם, *avotham*, id est, *patribus eorum* ; sed lapsu temporum omissa videtur littera כ, *Kaph*, ex affixo secundæ personæ pluralis, cum Hieronymus in suo exemplari repererit אבותכם, *avotechem*, hoc est, *patribus vestris*. MART.

Dabo legem meam in visceribus eorum,
et in corde eorum scribam eam :
Et ero eis in Deum.
et ipsi erunt mihi in populum.
Et non docebunt ultra vir (*Al.* unusquisque) proximum suum.
et vir (*Al.* unusquisque) fratrem suum, dicens :
Cognoscite Dominum :
Omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus :
quia propitiabor iniquitati eorum,
et peccati eorum non ero memor amplius.
Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei,
ordinem lunæ et stellarum in lumine noctis :
Qui turbat mare, et sonant fluctus ejus.
Dominus exercituum nomen illi.
Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus :
tunc et semen Israel deficiet,
ut non sit gens coram me cunctis diebus.
Hæc dicit Dominus :
Si mensurari potuerint cæli sursum,
et investigari fundamenta terræ deorsum :
et ego abjiciam universum semen Israel, propter omnia quæ fecerunt, dicit Dominus.
Ecce dies veniunt, dicit Dominus.
et ædificatur civitas Domino, a turre Anancel usque ad portam anguli.
Et exibit ultra norma mensuræ in conspectu ejus super collem Gareb :
et circuibit Goatha,et omnem vallem cadaverum (*Al.* ruinarum), et cineris,
et universam regionem mortis,neque ad torrentem Cedron,
et usque ad angulum portæ equorum orientalis, sanctum Domini :
non evelletur, et non destruetur ultra in perpetuum.
(*Cap.* XXXII.) Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino, in anno decimo Sedeciæ regis Juda :
ipse est annus octavus decimus Nabuchodonosor:
Tunc exercitus regis Babylonis obsidebat Jerusalem;
et Jeremias propheta erat clausus in atrio carceris, qui erat in domo regis Juda.
Clauserat enim eum Sedecias rex Juda, dicens :
Quare vaticinaris, dicens :
Hæc dicit Dominus :
Ecce ego dabo civitatem istam in manu regis Babylonis, et capiet eam?
Et Sedecias rex Juda non effugiet de manu Chaldæorum :
Sed tradetur in manu regis Babylonis :
et loquetur os ejus cum ore illius,
et oculi ejus oculos illius videbunt.
Et in Babylonem ducet Sedeciam :
et ibi erit, donec visitem eum, ait Dominus.
Si autem dimicaveritis adversum Chaldæos,
nihil prosperum habebitis.
Et dixit Jeremias :
Factum est verbum Domini ad me, dicens :
Ecce Anemeel filius Sellum patroclis tuus veniet (*Al.* venit) ad te, dicens :
Eme tibi agrum meum, qui est in Anathoth;
tibi enim competit ex propinquitate ut emas (*Al.* emptio).
Et venit ad me Anemeel filius patrui mei secundum verbum Domini ad vestibulum carceris,
et ait ad me :
Posside egrum meum,qui est in Anathoth in terra Benjamin :
quia tibi competit hæreditas,
et tu es propinquus ut possideas :
Intellexi autem quod verbum Domini esset :

A Et emi agrum ab Anemeel filio patrui mei, qui est in Anathoth :
et appendi ei argentum septem stateres,et decem argenteos.
Et scripsi in libro, et signavi,
et adhibui testes :
Et appendi argentum in statera :
Et accepi librum possessionis signatum,
stipulationes, et signa forinsecus [1].
Et dedi librum possessionis Baruch filio Neri filii Maasiæ, in oculis Anemeel patruelis mei.
et in oculis testium qui scripti erant in libro emptionis,
et in oculis omnium Judæorum qui sedebant in atrio carceris.
Et præcepit Baruch coram eis dicens :
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Sume libros istos,librum emptionis hunc signatum
et librum hunc qui apertus est :
B Et pone illos in vase fictili,
ut permanere possint diebus multis.
Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Adhuc posidebuntur domus,
et agri, et vineæ in terra ista.
Et oravi ad Dominum,
postquam tradidi librum Possessionis Baruch filio Neri, dicens :
Heu, heu, heu, Domine Deus :
Ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna,
et in brachio tuo extento :
Non erit tibi difficile omne verbum :
Qui facis misericordiam in millibus,
et reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos :
Fortissime,
magne,
potens,
Dominus exercituum nomen tibi :
C Magnus consilio,
et incomprehensibilis cogitatu :
Cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam,
ut reddas unicuique secundum vias suas,
et secundum fructum adinventionum ejus [*Al.* suarum].
Qui posuisti signa et portenta in terra Ægypti usque ad diem hanc,
et in Israel, et in hominibus,
et fecisti tibi nomen sicut est dies hæc.
Et eduxisti populum tuum Israel de terra Ægypti, in signis, et in portentis,
et in manu robusta, et in brachio extento,
et in terrore magno.
Et dedisti eis terram hanc, quam jurasti patribus eorum, ut dares eis
terram fluentem lacte et melle.
D Et ingressi sunt, et possederunt eam :
et non obedierunt voci tuæ,
et in lege tua non ambulaverunt :
Omnia quæ mandasti eis ut facerent non fecerunt:
et evenerunt eis omnia mala hæc.
Ecce munitiones exstructæ sunt adversum civitatem, ut capiatur :
et urbs data est in manus Chaldæorum, qui præliantur adversus eam a facie gladii,et famis, et pestilentiæ :
Et quæcunque locutus es, acciderunt,
ut tu ipse cernis.
Et tu dicis mihi, Domine Deus :
Eme agrum argento, et adhibe testes :
cum urbs data sit in manus Chaldæorum?
Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens:

[1] Canon San-Germanensis sic legit hoc loco : *Signatum stipulatione rata, et signata forinsecus.* MART.

Ecce ego Dominus Deus universæ carnis :
nunquid mihi difficile erit omne verbum ?
Propterea hæc dicit Dominus :
Ecce ego tradam civitatem istam in manus Chaldæorum,
et in manus regis Babylonis,
et capiet eam,
Et[1] venient Chaldæi prælianles adversus urbem hanc,
Et succendent eam igni, et comburent eam,
et domos, in aquarum domatibus sacrificabant Baal ;
et libabant diis alienis libamina ad irritandum me.
Erant enim filii Israel, et filii Juda,
jugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua.
Filii Israel,
qui usque nunc exacerbant me in opere manuum suarum, dicit Dominus.
Quia in furore et in indignatione mea facta est mihi civitas hæc,
a die qua ædificaverunt eam, usque ad diem istam qua auferetur (*Al.* aufertur) de conspectu meo.
Propter malitiam filiorum Israel, et filiorum Juda, quam fecerunt ad iracundiam me provocantes, ipsi et reges eorum,
principes eorum, et sacerdotes, et prophetæ eorum,
viri Juda et habitatores Jerusalem,
Et verterunt ad me terga et non facies :
cum docerem eos diluculo, et erudirem,
et nollent audire, ut acciperent disciplinam.
Et posuerunt idola sua in domo in qua invocatum est nomen meum,
ut polluerent eam.
Et ædificaverunt excelsa Baal, quæ sunt in valle filii Ennom,
ut initiarent filios suos et filias suas Moloch :
Quod non mandavi eis, nec ascendit in cor meum, ut facerent abominationem hanc,
et in peccatum deducerent Judam.
Et nunc propter ista, hæc dicit Dominus Deus Israel ad civitatem hanc.
de qua vos dicitis quod tradetur (*Al.* tradatur) in manus regis Babylonis in gladio, et in fame, et in peste :
Ecce ego congregabo eos de universis terris, ad quas ejeci eos in furore meo, et in ira mea, et in indignatione grandi.
et reducam eos ad locum istum,
et habitare eos faciam confidenter.
Et erunt mihi in populum,
et ego ero eis in Deum.
Et dabo eis cor unum, et viam unam,
ut timeant me universis diebus :
et bene sit eis et filiis eorum post eos,
Et feriam eis pactum sempiternum,
et non desinam eis benefacere :
Et timorem meum dabo in corde eorum ut non recedant a me.
Et lætabor super eos, cum bene eis fecero,
Et plantabo eos in terra ista in veritate,
in toto corde meo et in tota anima mea.
Quia hæc dicit Dominus :
Sicut adduxi super populum istum omne malum hoc grande :
sic adducam super eos omne bonum, quod ego loquar ad eos.
Et possidebuntur agri in terra ista,

A de qua vos dicitis, quod deserta sit,
eo quod non remanserit homo et jumentum.
et data sit in manu Chaldæorum.
Agri ementur pecunia, et scribentur in libro.
et imprimetur signum (*Al.* signaculum), et testis adhibebitur ;
in terra Benjamin, et in circuitu Jerusalem, in civitatibus Juda,
et in civitatibus montanis,
in civitatibus campestribus,
et in civitatibus quæ ad austrum sunt :
Quia convertam captivitatem eorum, ait Dominus.
(*Cap.* XXXIII). Et factum est verbum Domini ad Jeremiam secundo,
cum adhuc clausus esset in atrio carceris, dicens :
Hæc dicit Dominus
qui facturus est, et formaturus illud, et paraturus,
B Dominus nomen ejus.
Clama ad me, et exaudiam te :
et annuntiabo tibi grandia, et firma quæ nescis.
Quia hæc dicit Dominus Deus Israel in domos urbis hujus, et ad domos regis Juda, quæ destructæ sunt,
et ad munitiones, et ad gladium venientium, ut dimicent cum Chaldæis,
et impleant eas cadaveribus hominum,
quos percussi in furore meo et in indignatione mea,
abscondens faciem meam, a civitate hac ;
propter omnem malitiam eorum :
Ecce ego obducam eis cicatricem et sanitatem, et curabo eos :
et revelabo illis deprecationem pacis et veritatis.
Et convertam conversionem Juda, et conversionem Jerusalem :
et ædificabo eos sicut a principio,
Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in quas
C peccaverunt mihi :
et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum,
in quibus deliquerunt mihi, et spreverunt me.
Et erit mihi in (*Al. tacet* in) nomen, et in gaudium,
et in laudem, et in exsultationem cunctis gentibus terræ,
quæ audierint omnia bona quæ ego facturus sum eis :
Et pavebunt, et turbabuntur in universis bonis, et in omni pace, quam ego faciam eis.
Hæc dicit Dominus :
Adhuc audietur in loco isto, quem vos dicitis esse desertum,
eo quod non sit homo, nec jumentum,
in civitatibus, Juda et foris Jerusalem,
quæ desolatæ sunt absque homine, et absque habitatore, et absque pecore,
vox gaudii et vox lætitiæ,
vox sponsi et vox sponsæ,
D vox dicentium :
Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus.
quoniam in æternum misericordia ejus :
et portantium vota in domum Domini :
Reducam enim conversionem terræ
sicut a principio, dicit Dominus.
Hæc dicit Dominus exercituum.
Adhuc erit in loco isto deserto absque homine, et absque jumento,
et in cunctis civitatibus ejus,
habitaculum pastorum accubantium gregum.

[1] Ipsum præstat audire S. Interpretem de hac disserentem lectione in Comment. : « Melius, ait, Aquila qui pro eo quod scriptum est, *venient*, transtulit εἰσελεύσονται, hoc est, *ingredientur civitatem*. Neque enim absentes erant ut venirent, quippe qui circumdederant Jerusalem : *Tunc enim exercitus regis Babylonis obsidebat Jerusalem.* Ac deinde : *Ecce munitiones exstructæ sunt adversum civitatem, ut capiatur, et urbs data est in manus Chaldæorum.* Quomodo igitur venient, qui præsentes erant ? Sed hi qui obsidebant urbem, ingredientur, inquit, et capient eam, et succendent, et ad solum usque comburent : verbum enim Hebraicum בּאוּ ambiguitate sui, et *venient*, et *ingredientur* sonat.

In civitatibus montuosis, et in civitatibus campestribus,
et in civitatibus quæ ad austrum sunt ;
Et in terra Benjamin, et in circuitu Jerusalem, et in civitatibus Juda,
adhuc transibunt greges ad manum numerantis, ait Dominus.
Ecce dies veniunt, dicit Dominus :
et suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel et ad domum Juda.
In diebus illis, et in tempore illo,
germinare faciam David germen justitiæ :
et faciet judicium et justitiam in terra.
In diebus illis salvabitur Juda,
et Jerusalem habitabit confidenter.
Et hoc est quod vocabit eam [1],
Dominus justus noster.
Quia hæc dicit Dominus :
Non interibit de David vir,
qui sedeat super thronum domus Israel.
Et de sacerdotibus et de Levitis non interibit vir a facie mea,
qui offerat bolocautomata,
et incendat sacrificium, et cædat victimas cunctis diebus.
Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens :
Hæc dicit Dominus :
Si irritum fieri potest pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte,
ut non sit dies et nox in tempore suo :
Et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo,
ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus,
et Levitæ et sacerdotes ministri mei :
Sicut enumerari non possunt stellæ cœli, et metiri arena maris ;
sic multiplicabo semen David servi mei, et Levitas ministros meos.
Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens :
Numquid non vidisti quid populus hic locutus sit, dicens :
Duæ cognationes, quas elegerat Dominus, abjectæ sunt :
et populum meum despexerunt, eo quod non sit ultra gens coram eis ?
Hæc dicit Dominus :
Si pactum meum inter diem et noctem,
et leges cœlo et terræ non posui :
equidem et semen Jacob et David servi mei projiciam,
ut non assumam de semine ejus principes seminis Abraam, et Isaac, et Jacob.
Reducam enim conversionem eorum, et miserebor eis.
(*Cap.* XXXIV). Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino,
quando Nabuchodonosor rex Babylonis, et omnis exercitus ejus,
universaque regna terræ, quæ erant sub potestate manus ejus,
et omnes populi bellabant contra Jerusalem,
et contra omnes urbes ejus, dicens,
Hæc dicit Dominus Deus Israel :
Vade, et loquere ad Sedeciam regem Juda :
et dices ad eum :
Hæc dicit Dominus :

A Ecce ego tradam civitatem hanc in manus regis Babylonis,
et succendet eam igni.
Et tu non effugies de manu ejus.
sed comprehensione capieris
et manu ejus traderis :
Et oculi tui oculos regis Babylonis videbunt,
et os ejus cum ore tuo loquetur,
et Babylonem introibis.
Attamen audi verbum Domini, Sedecia rex Juda :
Hæc dicit Dominus ad te :
Non morieris in gladio,
sed in pace morieris :
Et secundum combustiones patrum tuorum regum priorum, qui fuerunt ante te,
sic comburent te :
Et væ, Domine, plangent te :
quia verbum ego locutus sum, dicit Dominus.
Et locutus est Jeremias propheta ad Sedeciam re-
B gem Juda universa verba hæc in Jerusalem.
Et exercitus regis Babylonis pugnabat contra Jerusalem,
et contra omnes civitates Juda, quæ reliquæ erant,
Contra Lachis, et contra Azecha :
hæ enim supererant de civitatibus Juda, urbes munitæ.
Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, postquam percussit rex Sedecias fœdus cum omni populo in Jerusalem ;
Prædicans, ut dimitteret unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam suam, Hebræum et Hebræam, liberos.
Et nequaquam dominarentur eis,
id est in Judæo et fratre suo.
Audierunt ergo omnes principes et universus populus, qui inierant pactum ut dimitteret unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam
C suam liberos [2],
et ultra non dominarentur in (*Al. tacet* in) eis :
Audierunt igitur, et dimiserunt :
et conversi sunt deinceps :
Et retraxerunt servos et ancillas suas,
quos dimiserant liberos,
et subjugaverunt in famulos et in famulas.
Et factum est verbum Domini ad Jeremiam a Domino, dicens :
Hæc dicit Dominus Deus Israel :
Ego percussi fœdus cum patribus vestris, in die quo eduxi eos de terra Ægypti,
de domo servitutis, dicens :
Cum completi fuerint septem anni,
dimittat unusquisque fratrem suum Hebræum, qui venditus est ei,
et serviet tibi sex annis :
et dimittes eum a te liberum :
Et non audierunt patres vestri me,
D nec inclinaverunt aurem suam.
Et conversi estis vos hodie,
et fecistis quod rectum est in oculis meis,
ut prædicaretis libertatem unusquisque ad amicum suum :
Et inistis pactum in conspectu meo,
in domo in qua invocatum est nomen meum super eam.
Et reversi estis, et commaculastis nomen meum :

[1] Sic uterque Canon Hebraicæ veritatis, Carcassonensis videlicet et San-Germanensis noster qui genuinam ac primævam retinent lectionem Hieronymianam : in Hebræo enim scriptum est וזה אשר יקרא לה יהוה צדקנו, *veze oser iecra la Iab sadikenu*, sive, ut hodie legunt, *vezeh ascher iera lah Iehova tsidkenu*, quod interpretantur nonnulli : *Et iste qui vocabit eam, Dominus justitia nostra*. Chaldæus *et Syrus : Et hoc est nomen quo vocabunt eam.* Huic lectioni Vulgata nostra consentit. Huc refer quæ supra cap. XXIV, 6, scripta reperiuntur, quanquam nonnihil sit discrepantiæ inter utrumque locum prophetæ, ut statim legenti planum erit. MART.

[2] Aliter Canon S. Germani, ubi legimus : *Ut dimitteret unusquisque servum suum Hebræum, et unusquisque ancillam suam Hebræam liberos.* MART.

et reduxistis unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam suam, quos dimiseratis ut essent liberi et suæ potestatis :
et subjugastis eos ut sint vobis servi et ancillæ.
Propterea hæc dicit Dominus :
Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri suo, et unusquisque amico suo:
Ecce ego prædico vobis libertatem [1], ait Dominus,
ad gladium, et pestem, et famem :
et dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ.
Et dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum,
et non observaverunt verba fœderis,
quibus assensi sunt in conspectu meo,
Vitulum quem conciderunt in duas partes,
et transierunt inter divisiones ejus :
Principes Juda et principes Jerusalem,
eunuchi et sacerdotes,
et omnis populus terræ, qui transierunt inter divisiones vituli :
Et dabo eos in manu inimicorum suorum,
et in manu quærentium animam eorum :
Et erit morticinum eorum in escam volatilibus cœli et bestiis terræ.
Et Sedeciam regem Juda, et principes ejus, dabo in manu inimicorum suorum.
et in mane quærentium animam eorum,
et in manu exercituum regis Babylonis, qui recesserunt a vobis.
Ecce ego præcipio, dicit Dominus,
et reducam eos in civitatem hanc,
et prœliabuntur adversus eam, et capient eam, et incendent igni :
Et civitates Juda dabo in solitudinem,
eo quod non sit habitator.
(*Cap.* XXXV.) Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino,
in diebus Joacim filii Josiæ, regis Juda, dicens :
Vade ad domum Rechabitarum, et loquere eis :
et introduces eos in domum Domini, in unam exedram thesaurorum,
et dabis eis bibere vinum.
Et assumpsi Jezoniam filium Jeremiæ filii Absaniæ,
et fratres ejus,
et omnes filios ejus, universam domum Rechabitarum ;
Et introduxi eos in domum Domini ad gazophylacium filiorum Anan filii Jegedeliæ hominis Dei,
quod erat juxta gazophylacium principum, super thesaurum Maasiæ filii Sellum,
qui erat custos vestibuli.
Et posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, et calices :
et dixi ad eos ;
Bibite vinum.
Qui responderunt :
Non bibemus vinum :
Quia Jonadad filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens :
Non bibetis vinum, vos, et filii vestri, usque in sempiternum :
et domum non ædificabitis,
et sementem non seretis,
et vineas non plantabitis, nec habebitis ;
Sed in tabernaculis habitabitis, cunctis diebus vestris, ut viratis diebus multis super faciem terræ in qua vos peregrinamini.
Obedivimus ergo voci Jonadab filii Rechab, patris nostri, in omnibus quæ præcepit nobis,
ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos,
et mulieres nostæ,
filii, et filiæ nostræ :
et non ædificaremus domos ad habitandum :
A et vineam, et agrum, et sementem non habuimus:
Sed habitavimus in tabernaculis,
et obedientes fecimus (*Al.* fuimus) juxta omnia quæ præcepit nobis Jonadab pater noster.
Cum autem ascendisset Nabuchodonosor rex Babylonis ad terram nostram,
Diximus :
Venite, et ingrediamur Jerusalem a facie exercitus Chaldæorum, et a facie exercitus Syriæ :
et mansimus in Jerusalem.
Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens :
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Vade, et dic viris Juda,
et habitatoribus Jerusalem :
Nunquid non recipietis disciplinam, ut obediatis verbis meis ? dicit Dominus ;
Prævaluerunt sermones Jonadab filii Rechab, quos præcepit filiis suis, ut non biberent vinum,
et non biberunt usque ad diem hanc,
B quia obedierunt præcepto patris sui ;
Ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens et loquens,
et non obedistis mihi.
Misique ad vos omnes servos meos prophetas consurgens diluculo,
mittensque, et dicens :
Convertimini unusquisque a via sua pessima,
et bona facite studia vestra :
Et nolite sequi deos alienos, neque colatis eos :
et habitabitis in terra quam dedi vobis et patribus vestris :
et non inclinastis aurem vestram, neque audistis me.
Firmaverunt igitur filii Jonadab filii Rechab præceptum patris sui, quod præceperat eis :
populus autem iste non obedivit mihi.
Idcirco hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel:
Ecce ego adducam super Juda, et super omnes habitatores Jerusalem, universam afflictionem
C quam locutus sum adversum eos :
eo quod locutus sim ad illos, et non audierunt :
Vocavi illos,
et non responderunt mihi.
Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias :
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ;
Pro eo quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri, et custodistis omnia mandata ejus,
et fecistis universa quæ præcepit vobis :
Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel
Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab,
stans in conspectu meo cunctis diebus.
(*Cap.* XXXVI.) Et factum est in anno quarto Joacim filii Josiæ regis Juda :
factum est verbum hoc ad Jeremiam a Domino, dicens :
Tolle volumen libri,
et scribes in eo omnia verba quæ locutus sum tibi adversum Israel et Judam, et adversum
D omnes gentes ;
a die qua locutus sum ad te,
ex diebus Josiæ usque ad diem hanc :
Si forte, audiente domo Juda, universa mala quæ ego cogito facere eis,
revertatur unusquisque a via sua pessima :
et propitius ero iniquitati, et peccato eorum,
Vocavit ergo Jeremias Baruch filium Neriæ :
et scripsit Baruch ex ore Jeremiæ, omnes sermones Domini quos locutus est ad eum :
in volumine libri :
Et præcepit Jeremias Baruch, dicens :
Ego clausus sum,
nec valeo ingredi domum Domini.
Ingredere ergo tu,

[1] Exemplaria Canonis cum aliquot codicibus mss. non legunt pronomen *vobis*, sed hoc modo : *Ecce ego prædico libertatem.* Hebræus tamen habet לכם *lachem*, id est *vobis*. MART.

et lege de volumine in quo scripsisti ex ore meo, verba Domini.
audiente populo in domo Domini, in die jejunii:
Insuper et audiente universo Juda,
qui veniunt de civitatibus suis,
leges eis :
Si forte cadat oratio eorum in conspectu Domini,
et revertatur unusquisque a via sua pessima :
Quoniam magnus furor et indignatio,
quam locutus est Dominus adversus populum hunc
Et fecit Baruch filius Neriæ, juxta omnia quæ præceperat ei Jeremias propheta,
legens ex volumine sermones Domini in domo Domini.
Factum est autem in anno quinto Joacim filii Josiæ regis Juda, in mense nono
prædicaverunt jejunium in conspectu Domini omni populo in Jerusalem,
et universæ multitudini, quæ confluxerat de civitatibus Juda in Jerusalem,
Legitque Baruch ex volumine sermones Jeremiæ in domo Domini,
in gazophylacio Gamariæ filii Saphan scribæ,
in vestibulo superiori, in introitu portæ novæ domus Domini.
audiente omni populo.
Cumque audisset Michæas filius Gamariæ filii Saphan omnes sermones Domini ex libro :
descendit in domum regis ad gazophylacium scribæ
Et ecce ibi omnes principes sedebant :
Elisama scriba,
et Dalaias filius Semeiæ,
et Elnathan filius Achobor,
et Gamarias filius Saphan,
et Sedecias filius Ananiæ,
et universi principes.
Et nuntiavit eis Michæas omnia verba
quæ audivit, legente Baruch ex volumine in auribus populi.
Miserunt itaque omnes principes ad Baruch,
Judi filium Nathaniæ, filii Selemiæ, filii Chusi dicentes :
Volumen, ex quo legisti, audiente populo,
sume in manu tua, et veni.
Tulit ergo Baruch filius Neriæ volumen in manu sua, et venit ad eos.
Et dixerunt ad eum :
Sede,
et lege hæc in auribus nostris.
Et legit Baruch in auribus eorum.
Igitur cum audissent omnia verba,
obstupuerunt unusquisque ad proximum suum,
et dixerunt ad Baruch :
Nuntiare debemus regi omnes sermones istos.
Et interrogaverunt eum dicentes :
Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore ejus.
Dixit autem eis Baruch :
Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos :
et ego scribebam in volumine atramento ;
Et dixerunt principes ad Baruch :
Vade, et abscondere tu et Jeremias,
et nemo sciat ubi sitis.
Et ingressi sunt ad regem in atrium :
porro volumen commendaverunt in gazophylacio Elisamæ scribæ :
Misitque rex Judi, ut sumeret volumen :
qui tollens illud de gazophylacio Elisamæ scribæ,
legit, audiente rege, et universis principibus qui stabant circa regem,
Rex autem sedebat in domo hyemali in mense nono:
et posita erat coram eo arula plena prunis.
Cumque legisset Judi tres pagellas vel quatuor,
scidit illud scapello scribæ,
et projecit in ignem, qui erat super arulam, donec consumeretur omne volumen igni qui erat in arula.
Et non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua,
rex et omnes servi ejus :
qui audierunt universos sermones istos.
Verumtamen Eleathan, et Dalaias, et Gamarias.
contradixerunt regi, ne combureret librum :
et non audivit eos.
Et præcepit rex Jeremiel filio Ammelech,
et Saraiæ filio Ezriel,
et Selemiæ filio Abdeel,
ut comprehenderent Baruch scribam, et Jeremiam prophetam :
Abscondit autem eos Dominus.
Et factum est verbum Domini ad Jeremiam [*Al.add* prophetam], postquam combusserat rex volumen,
et sermones quos scripserat Baruch ex ore Jeremiæ, dicens :
Rursum tolle volumen aliud :
et scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in volumine primo, quod combussit Joacim rex Juda.
Et ad Joanin regem Juda dices :
Hæc dicit Dominus :
Tu combussisti volumen illud, dicens :
Quare scripsisti in eo annuntians :
Festinus veniet rex Babylonis, et vastabit terram hanc,
et cessare faciet ex illa hominem, et jumentum ?
Propterea hæc dicit Dominus contra Joacim regem Juda :
Non erit ex eo qui sedeat super solium David :
et cadaver ejus projicietur ad æstum per diem,
et ad gelu per noctem.
Et visitabo contra eum, et contra semen ejus,
et contra servos ejus, iniquitates suas.
Et adducam super eos, et super habitatores Jerusalem, et super viros Juda,
omne malum, quod locutus sum ad eos,
et non audierunt.
Jeremias autem tulit volumen aliud,
et dedit illud Baruch filio Neriæ scribæ :
qui scripsit in eo ex ore Jeremiæ omnes sermones libri, quem combusserat Joacim rex Juda igni:
Et insuper additi sunt sermones multo plures,
quam antea fuerant.
(*Cap.* XXXVII.) Et regnavit rex Sedecias filius Josiæ pro Jechonia filio Joacim :
quem constituit regem Nabuchodonosor rex Babylonis in terra Juda.
Et non obedivit ipse, et servi ejus, et populus terræ, verbis Domini,
Quæ locutus est in manu Jeremiæ prophetæ.
Et misit rex Sedecias Juchal filium Selemiæ,
et Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem,
ad Jeremiam prophetam, dicens :
Ora pro nobis Dominum Deum nostrum,
Jeremias autem libere ambulabat in medio populi:
non enim miserant eum in custodiam carceris.
Igitur exercitus Pharaonis egressus est de Ægypto:
et audientes Chaldæi, qui obsidebant Jerusalem hujuscemodi nuntium,
recesserunt ab Jerusalem.
Et factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam, dicens :
Hæc dicit Dominus Deus Israel :
Sic dicetis regi Juda,
qui misit vos ad me interrogandum :
Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est vobis in auxilium,
revertetur in terram suam Ægyptum.
Et redient Chaldæi, et bellabunt contra civitatem hanc,
et capient eam, et incendent (*Al.* succendent eam) igni.
Hæc dicit Dominus :
Nolite decipere animas vestras, dicentes :

Euntes abibunt, et recedent a nobis Chaldæi ; quia non abibunt :
Sed et si percusseritis omnem exercitum Chaldæorum, qui prælian[illegible]ur adversum vos, et relicti fuerint, ex eis aliqui vulnerati :
Singuli de tentorio suo consurgent, et incendent civitatem hanc igni.
Ergo cum recessisset exercitus Chaldæorum ab Jerusalem propter exercitum Pharaonis,
egressus est Jeremias de Jerusalem, ut iret in terram Benjamin,
et dividerent ibi possessionem in conspectu civium.
Cumque pervenisset ad Portam in Benjamin.
erat ibi custos portæ per vices, nomine Jerias, filius Selemiæ filii Ananiæ,
et lapprehendit Jeremiam prophetam, dicens :
Ad Chaldæorum profugis,
Et respondit Jeremias :
Falsum est,
non fugio ad Chaldæos.
Et non audivit eum :
sed comprehendit Jerias Jeremiam.
et adduxit eum ad principes.
Quam ob rem irati principes contra Jeremiam, cæsum eum miserunt in carcerem, qui erat in domo Jonathan scribæ :
ipse enim præpositus erat super carcerem :
Itaque ingressus est Jeremias in domum laci et in ergastulum :
sedit ibi Jeremias diebus multis.
Mittens autem rex Sedecias tulit eum :
et interrogavif eum in domo sua abscondite, et dixit :
Putasne est sermo a Domino ?
Et dixit Jeremias : Est ;
et ait :
In manu regis Babylonis traderis.
Et dixit Jeremias ad regem Sedeciam :
Quid peccavi tibi, et servis tuis, et populo tuo, quia misisti me in domum carceris ?
Ubi sunt prophetæ vestri, qui prophetabant vobis, et dicebant :
Non veniet rex Babylonis super vos, et super terram hanc ?
Nunc ergo audi obsecro, domine mi rex,
Valeat deprecatio mea in conspectu tuo :
et ne me remittas in domum Jonathan scribæ, ne moriar ibi,
Præcepit ergo rex Sedecias, ut traderetur Jeremias in vestibulo carceris :
et daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento,
donec consumerentur omnes panes de civitate :
Et mansit Jeremias in vestibulo carceris.
(*Cap.* XXXVIII.) Audivit autem Saphatias filius Mathan, et Gedelias filius Phassur, et Juchal filius Selemiæ, et Phassur filius Melchiæ,
sermones, quos Jeremias loquebatur ad omnem populum, dicens :
Hæc dicit Dominus :
Quicunque manserit in civitate hac,
morietur gladio, et fame, et peste :
Qui autem profugerit ad Chaldæos, vivet,
et erit anima ejus sospes et vivens.
Hæc dicit Dominus :
Tradendo tradetur civitas hæc in manu exercitus regis Babylonis,
et capiet eam.
Et dixerunt principes regi :
Rogamus ut occidatur homo iste :
de industria enim dissolvit manus virorum bellantium, qui remanserunt in civitate hac,
et manus universi populi,
A loquens ad eos juxta verba hæc :
Siquidem homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum.
Et dixit rex Sedecias :
Ecce ipse in manibus vestris est :
nec enim fas est regem vobis quidquam negare,
Tulerunt ergo Jeremiam.
et projecerunt eum in lacum Melchiæ filii Amelech, qui erat in vestibulo carceris :
Et submiserunt Jeremiam in funibus :
et in lacu non erat aqua[1], sed lutum :
Descendit itaque Jeremiam in cœnum.
Audivit autem Abdemelech, Æthiops vir eunuchus qui erat in domo regis,
quod misissent Jeremiam in lacum :
porro rex sedebat in porta Benjamin.
Et egressus est Abdemelech de domo regis,
et locutus est ad regem, dicens :
Domine mi rex,
B malefecerunt viri isti omnia quæcunque perpetrarunt contra Jeremiam prophetam,
mittentes eum in lacum,
ut moriatur ibi fame,
non sunt enim panes ultra in civitate.
Præcepit itaque rex Abdemelech Æthiopi, dicens :
Tolle tecum hinc triginta viros,
et leva Jeremiam prophetam de lacu antequam moriatur.
Assumptis ergo Abdemelech secum viris,
ingressus est domum regis quæ erat sub cellario :
et tulit inde veteres pannos, et antiqua quæ computruerant,
et submisit ea ad Jeremiam in lacum per funiculos.
Dixitque Abdemelech Æthiops ad Jeremiam :
Pone veteres pannos,
et hæc scissa et putrida, sub cubito manuum tuarum, et subter[2] funes.
C Fecit ergo Jeremias sic.
Et extraxerunt Jeremiam funibus.
et eduxerunt eum de lacu :
Mansit autem Jeremias in vestibulo carceris.
Et misit rex Sedecias,
et tulit ad se Jeremiam prophetam ad ostium tertium, quod erat in domo Domini :
Et dixit rex ad Jeremiam :
Interrogo ego te sermonem,
ne abscondas a me aliquid.
Dixit autem Jeremias ad Sedeciam :
Si annuntiavero tibi nunquid non interficies me ?
et si consilium tibi dedero,
non me audies.
Juravit ergo rex Sedecias Jeremiæ clam, dicens :
Vivit Dominus, qui fecit nobis animam hanc,
si occidero te, et si tradidero te in manu virorum istorum, qui quærunt animam tuam.
Et dixit Jeremias ad Sedeciam :
D Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Si profectus exieris ad principes regis Babylonis,
vivet anima tua,
et civitas hæc non succendetur igni :
et salvus eris tu, et domus tua.
Si autem non exieris ad principes regis Babylonis,
tradetur civitas hæc in manus Chaldæorum,
et succedent eam igni :
et tu non effugies de manu eorum.
Et dixit rex Sedecias ad Jeremiam :
Sollicitus suum propter Judæos qui transfugerunt ad Chaldæos :
ne forte tradar in manus eorum, et illudant mihi.
Respondit autem Jeremias :
Non te tradent,
audi, quæso, vocem Domini, quam ego loquor ad te,

[1] Alias Vulgati, *Submiserunt Jeremiam funibus in Lacum, in quo non erat aqua*, etc., longius ab Hebræo.

[2] In aliis libris *super*, contradicente Hebræo [illegible]

et bene tibi erit.
et vivet anima tua.
Quod si nolueris egredi :
iste est sermo, quem ostendit mihi Dominus :
Ecce, omnes mulieres quæ remanserunt in domo regis Juda,
educentur ad principes regis Babylonis :
Et ipsæ dicent : Seduxerunt te,
et prævaluerunt adversum te viri pacifici tui,
demerserunt in cœno et in lubrico pedes tuos, et recesserunt a te.
Et omnes uxores tuæ et filii tui educentur ad Chaldæos :
et non effugies manus eorum,
Sed in manu regis Babylonis capieris :
et civitatem hanc comburet igni.
Dixit ergo Sedecias ad Jeremiam ;
Nullus sciat verba hæc,
et non morieris,
Si autem audierint principes quia locutus sum te- B
cum, et venerint ad te, et dixerint tibi :
Indica nobis quid locutus sis cum rege, ne celes nos, et non te interficiemus ;
et quid locutus est tecum rex :
Dices ad eos :
Prostravi ego preces meas coram rege,
ne me reduci juberet in domum Jonathan, et ibi morerer,
Venerunt ergo omnes principes ad Jeremiam,
et interrogaverunt eum :
Et locutus est eis :
juxta omnia verba quæ præceperat ei rex,
Et cessaverunt ab eo :
nihil enim fuerat auditum,
Mansit vero Jeremias in vestibulo carceris usque ad diem quo capta est Jerusalem :
et factum est ut caperetur Jerusalem.
(*Cap.* XXXIX.) Anno nono Sedeciæ regis Juda, mense decimo, venit Nabuchodonosor rex Babylonis et omnis exercitus ejus ad Jerusalem, C
et obsidebant eam.
Undecimo autem anno Sedeciæ, mense quarto, quinta mensis, aperta est civitas.
Et ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, et sederunt in porta media :
Neregel, Sereser, Semergarnabu, Sarsachim, Rabsares, Neregel, Sereser, Rebmag,
et omnes reliqui principes regis Babylonis.
Cumque vidisset eos Sedecias rex Juda, et omnes viri bellatores,
fugerunt :
Et egressi sunt nocte de civitate per viam horti regis, et per portam quæ erat inter duos muros, et egressi sunt ad viam deserti.
Persecutus est autem eos exercitus Chaldæorum :
et comprehenderunt Sedeciam in campo solitudinis Jerichuntinæ,
et captum adduxerunt ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra D
Emath :
Et locutus est ad eum judicia,
Et occidit rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha, in oculis ejus :
et omnes nobiles Juda occidit rex Babylonis.
Oculos quoque Sedeciæ eruit :
et vinxit eum compedibus, ut duceretur in Babylonem.
Domum quoque regis, et domum vulgi succenderunt Chaldæi igni,
et murum Jerusalem subverterunt.
Et reliquias populi, quæ remanserunt in civitate, et perfugas, qui transfugerant ad eum :
et superfluos vulgi, qui remanserant,
transtulit Nabuzardan magister militum in Babylonem.
Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant dimisit Nabuzardam magister militum in terra Juda: A
et dedit eis vineas et cisternas in die illa,
Præceperat autem Nabuchodonosor rex Babylonis de Jeremia Nabuzardam magistro militiæ, dicens :
Tolle illum.
et pone super eum oculos tuos,
nihilque ei mali facias :
sed ut voluerit, sic facias ei.
Misit ergo Nabuzardam princeps militiæ, et Nabuzerban, et Rabsares, et Neregel, et Sereser, et Rebmag, et omnes optimates regis Babylonis,
miserunt, et tulerunt Jeremiam de vestibulo carceris.
et tradiderunt eum Godoliæ filio Ahicam filii Saphan.
ut intraret domum, et habitaret in populo.
Ad Jeremiam autem factus fuerat sermo Domini, cum clausus esset in vestibulo carceris, dicens :
Vade, et dic Abdemelech Æthiopi, dicens :
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : B
Ecce ego inducam sermones meos super civitatem hanc in malum, et non in bonum :
et erunt in conspectu tuo in die illa.
Et liberabo te in die illa, ait Dominus :
et non traderis in manus virorum quos tu formidas. Sed eruens liberabo te,
et gladio non cades :
Sed erit tibi anima tua in salutem,
quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus,
(*Cap.* XL.) Sermo, qui factus est ad Jeremiam a Domino, postquam dimissus est a Nabuzardan magistro militiæ de Rama,
quando tullit eum vinctum catenis in medio omnium, qui migrabant de Jerusalem et Juda,
et ducebantur in Babylonem.
Tollens ergo princeps militiæ Jeremiam, dixit ad eum :
Dominus Deus tuus locutus est malum hoc super locum istum : C
et adduxit, et fecit Dominus sicut locutus est :
quia peccastis Domino, et non audistis vocem ejus, et factus est vobis sermo hic.
Nunc ergo ecce solvi te hodie de catenis
quæ sunt in manibus tuis :
Si placet tibi, ut venias mecum in Babylonem, veni,
et ponam oculos meos super te :
Si autem displicet tibi venire meum in Babylonem, reside :
Ecce omnis terra in conspetu tuo est :
quod elegeris, et quo placuerit tibi ut vadas illuc perge.
Et mecum noli venire,
sed habita apud Godoliam filium Ahicam filii Saphan,
quem præposuit rex Babylonis civitatibus Juda.
Habita ergo cum eo in medio populi :
vel quocunque placuerit tibi, ut vadas, vade.
Dedit quoque ei magister militiæ cibaria, et munuscula, D
et dimisit eum.
Venit autem Jeremias ad Godoliam filium Ahicam in Masphath.
et habitavit cum eo in medio populi qui relictus fuerat in terra.
Cum ergo audissent omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant per regiones, ipsi et socii eorum,
quod præfecisset rex Babylonis Godoliam filium Ahicam, terræ,
et quod commendasset ei viros, et mulieres, et parvulos,
et de pauperibus terræ, qui non fuerant translati in Babylonem :
Venerunt ad Godoliam in Masphath ;
et Ismael filius Nathaniæ, et Joannam et Jonathan filii Caree, et Sareas filius Thanecmeth, et filii Ophi, qui erant de Netophati,
et Jezonias filius Maachati : ipsi et viri eorum.

Et juravit eis Godolias filius Ahicam filii Saphan, A
et comitibus eorum, dicens :
Nolite timere servire Chaldæis,
habitate in terra, et servite regi Babylonis,
et bene erit vobis.
Ecce ego habito in Masphat,
ut respondeam præcepto Chaldæorum, qui mittuntur ad nos :
Vos autem colligite vindemiam, et messem, et oleum, et condite in vasis vestris,
et manete in urbibus vestris quas tenetis.
Sed et omnes Judæi, qui erant in Moab, et in filiis Ammon, et in Idumæa, et in universis regionibus,
audito quod dedisset rex Babylonis reliquias in Judæa :
et quod præposuisset super eos Godoliam filium Ahicam filii Saphan :
reversi sunt, inquam, omnes Judæi de universis locis ad quæ profugerant,
et venerunt in terram Juda ad Godoliam in Masphat :
et collegerunt vinum, et messem multam nimis.
Johannan autem filius Caree, et omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant in regionibus,
venerunt ad Godoliam in Masphat. Et dixerunt ei :
Scito quia Baalis rex filiorum Ammon misit Ismael filium Nathaniæ percutere animam tuam.
Et non credidit eis Godolias filius Ahicam.
Joannan vero filius Caree dixit ad Godoliam seorsum in Masphath, loquens :
Ibo, et percutiam Ismael filium Nathaniæ, nullo sciente,
ne interficiat animam tuam,
et dissipentur omnes Judæi, qui congregati sunt ad te,
et peribunt reliquiæ Juda,
Et ait Godolias filius Ahicam ad Johannan filium Caree : C
Noli facere verbum hoc :
falsum enim tu loqueris de Ismael.
(*Cap.* XLI.) Et factum est in mense septimo,
venit Ismael filius Nathaniæ, filii Elisama de semine regali,
et optimates regis, et decem viri cum eo, ad Godoliam filium Ahicam in Masphat :
et comederunt ibi panes simul in Masphat.
Surrexit autem Ismael filius Nathaniæ et decem viri qui erant cum eo,
et percusserunt Godoliam filium Ahicam filii Saphan gladio,
et interfecerunt eum, quem præfecerat rex Babylonis, terræ.
Omnes quoque Judæos, qui erant cum Godolia in Masphath,
et Chaldæos, qui reperti sunt ibi,
et viros bellatores percussit Ismael.
Secundo autem die postquam occiderat Godoliam, D
nullo adhuc sciente,
venerunt viri de Sichem, et de Silo, et de Samaria octoginta viri,
rasi barba, et scissis vestibus, et squalentes :
et munera et thus habebant in manu,
ut offerrent in domo Domini.
Egressus ergo Ismael filius Nathaniæ in occursum eorum de Masphat,
incedens et plorans ibat ;
cum autem occurrisset eis,
dixit ad eos :
Venite ad Godoliam filium Ahicam.
Qui cum venissent ad medium civitatis
interfecit eos Ismael filius Nathaniæ circa medium laci,
ipse, et viri qui erant cum eo.
Decem autem viri reperti sunt inter eos,
qui dixerunt ad Ismael :
Noli occidere nos :
quia habemus thesauros in agro,
frumenti, et hordei, et olei, et mellis.
Et cessavit,
et non interfecit eos cum fratribus suis.
Lacus autem, in quem projecerit Ismael omnia cadavera virorum quos percussit propter Godoliam.
ipse est, quem fecit rex Asa propter Baasa regem Israel :
ipsum replevit Ismael filius Nathaniæ occisis.
Et captivas duxit Ismael omnes reliquias populi, qui erant in Masphat :
filias regis, et universum populum, qui remanserat in Masphat :
quos commendaverat Nabuzardan princeps militiæ Godoliæ filio Ahicam.
Et cepit eos Ismael filius Nathaniæ,
et abiit ut transiret ad filios Ammon.
Audivit autem Johannan filius Caree, et omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, omne B
malum quod fecerat Ismael filius Nathaniæ.
Et assumptis universis viris, profecti sunt, ut bellarent adversum Ismael, filium Nathaniæ,
et invenerunt eum ad aquas multas,
quæ sunt in Gabaon.
Cumque vidisset omnis populus, qui erat cum Ismael, Johannan filium Caree, et universos principes bellatorum qui erant cum eo,
lætati sunt.
Et reversus est omnis populus, quem ceperat Ismael, in Masphat :
reversusque abiit ad Johannan filium Caree.
Ismael autem filius Nathaniæ fugit cum octo viris a facie Johannan,
et abiit ad filios Ammon.
Tulit ergo Johannan filius Caree, et omnes principes bellatorum, qui erant cum eo,
universas reliquias vulgi, quas reduxerat ab Ismael filio Nathaniæ de Masphat. C
postquam percussit Godoliam filium Ahicam :
fortes viros ad prælium, et mulieres, et pueros, et eunuchos, quos reduxerat de Gabaon.
Et abierunt, et sederunt peregrinantes in Chamaam quæ est juxta Beth-Leem.
ut pergerent et introirent Ægyptum a facie Chaldæorum :
Timebant enim eos,
quia percusserat Ismael filius Nathaniæ Godoliam filium Ahicam,
quem præposuerat rex Babylonis in terra Juda.
(*Cap.* XLII.) Et accesserunt omnes principes bellatorum, et Johannan filius Caree, et Jezonias filius Osaiæ,
et reliquum vulgus a parvo usque ad magnum :
Dixeruntque ad Jeremiam prophetam :
Cadat oratio nostra in conspectu tuo :
et ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, pro universis reliquis istis : D
Quia derelicti sumus pauci de pluribus,
sicut oculi tui nos intuentur ;
Et annuntiet nobis Dominus Deus tuus viam per quam pergamus,
et verbum quod faciamus.
Dixit autem ad eos Jeremias propheta :
Audivi :
Ecce ego oro ad Dominum Deum vestrum secundum verba vestra.
Omne verbum quodcunque responderit mihi, indicabo vobis,
nec celabo vos quidquam.
Et illi dixerunt ad Jeremiam :
Sit Dominus inter nos testis veritatis et fidei,
si non juxta omne verbum, in quo miserat te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus.
Sive bonum est, sive malum,
voci Domini Dei nostri, ad quem mittimus te,

obediemus :
ut bene sit nobis cum audierimus vocem Domini Dei nostri.
Cum autem completi essent decem dies,
factum est verbum Domini ad Jeremiam.
Vocavitque Johannan filium Caree, et omnes principes bellatorum, qui erant cum eo,
et universum populum a minimo usque ad magnum.
Et dixit ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus Israel, ad quem misistis me,
ut prosternerem preces vestras in conspectu ejus:
Si quiescentes manseritis in terra hac,
ædificabo, vos et non destruam,
Plantabo,
et non evellam :
Jam enim placatus sum super malo quod feci vobis.
Nolite timere a facie regis Babylonis, quem vos pavidi formidatis :
nolite metuere eum, dicit Dominus :
quia vobiscum sum ego, ut salvos faciam vos, et eruam de manu ejus.
Et dabo vobis misericordias, et miserebor vestri,
et habitare vos faciam in terra vestra.
Si autem dixeritis vos :
Non habitabimus in terra ista,
nec audiemus vocem Domini Dei nostri, dicentes:
Nequaquam,
sed ad terram Ægypti pergemus :
ubi non videbimus bellum,
et clangorem tubæ non audiemus,
et famem non sustinebimus,
et ibi habitabimus.
Propter hoc nunc audite verbum Domini, reliquiæ Juda :
Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel :
Si posueritis faciem vestram, ut ingrediamini Ægyptum,
et intraveritis, ut ibi habitetis :
Gladius, quem vos formidatis,
ibi comprehendet vos in terra Ægypti :
et fames, pro qua estis solliciti,
adhærebit vobis in Ægypto,
et ibi moriemini.
Omnesque viri qui posuerunt faciem suam ut ingrediantur Ægyptum,
et (*Al.* ut) habitent ibi,
morientur gladio, et fame, et peste :
Nullus de eis remanebit,
nec effugiet a facie mali quod ego afferam super eos.
Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Sicut conflatus est furor meus, et indignatio mea super habitatores Jerusalem :
sic conflabitur indignatio mea super vos, cum ingressi fueritis Ægyptum,
et eritis in jusjurandum,
et in stuporem, et in maledictum, et in opprobrium :
et nequaquam ultra videbitis locum istum.
Verbum Domini super vos, reliquiæ Juda :
Nolite intrare Ægyptum :
scientes scietis quia obtestatus sum vos hodie,
quia decepistis animas vestras.
Vos enim misistis me ad Dominum Deum nostrum, dicentes :
Ora pro nobis ad Dominum Deum nostrum,
et juxta omnia quæcunque dixerit tibi Dominus Deus noster
Sic annuntia nobis, et faciemus.
Et annuntavi vobis hodie, et non audietis vocem Domini Dei vestri,
Super universis pro quibus misit me ad vos.
Nunc ergo scientes scietis quia gladio, fame, et peste moriemini in loco
ad quem voluistis intrare, ut habitaretis ibi.

A (*Cap.*. XLIII.) Factum est autem, cum complesset Jeremias loquens ad populum universos sermones Domini Dei eorum,
pro quibus miserat eum Dominus Deus eorum ad illos, omnia verba hæc :
Dixit Azarias filius Osaiæ, et Johannan filius Caree, et omnes viri superbi,
dicentes ad Jeremiam :
Mendacium tu loqueris :
non misit te Dominus Deus noster, dicens :
Ne ingrediamini Ægyptum, ut habitetis illic.
Sed Baruch filius Neriæ incitat te adversum nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum.
ut interficiat nos, et traduci faciat in Babylonem.
Et non audivit Johannan filius Caree, et omnes principes bellatorum, et universus populus, vocem Domini,
ut maneret in terra Juda.
Sed tollens Johannan filius Caree, et universi principes bellatorum, universos reliquiarum Juda,
B qui reversi fuerant de cunctis gentibus ad quas fuerant ante dispersi, ut habitarent in terra Juda : viros et, mulieres et, parvulos, et filias regis,
et omnem animam, quam reliquerat
Nabuzardan princeps militiæ cum Godolia filio Ahicam filii Saphan,
et Jeremiam prophetam, et Baruch filium Neriæ,
Ingressi sunt terram Ægypti, quia non obedierunt voci Domini :
et venerunt usque ad Taphnis.
Et factus est sermo Domini ad Jeremiam in Taphnis, dicens :
Sume lapides grandes in manu tua,
et abscondes eos in crypta quæ est sub muro latericio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Judæis :
Et dices ad eos :
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
C Ecce ego mittam, et assumam Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum :
et ponam thronum ejus super lapides istos, quos abscondi,
et statuet solium suum super eos.
Veniensque percutiet terram Ægypti :
Quos in mortem,
in mortem :
Et quos in captivitatem,
in captivitatem ;
Et quos in gladium,
in gladium.
Et succendet ignem in delubris deorum Ægypti: et cumburet ea,
et captivos ducet illos :
Et amicietur terra Ægypti, sicut amicitur pastor pallio suo :
et egredietur inde in pace.
Et conteret statuas domus solis, quæ sunt in terra Ægypti.
D et delubra deorum Ægypti comburet igni.
(*Cap.* XLIV.) Verbum, quod factum est per Jeremiam ad omnes Judæos, qui habitabant in terra Ægyti,
habitantes in Magdalo, et in Saphnis, et in Memphis,
et in terra Phatures, dicens :
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Vos vidistis omne malum istud, quod adduxi super Jerusalem et super omnes urbes Juda :
et ecce sunt desertæ hodie,
et non est in eis habitator ;
Propter malitiam, quam fecerunt, ut me ad iracundiam provocarent,
et irent, et (*Al.* ut) sacrificarent, et colerent deos alienos,
quos nesciebant et illi, et vos, et patres vestri,
Et misi ad vos omnes servos meos prophetas, de nocte consurgens,

mittensque et dicens :
Nolite facere verbum abominationis hujuscemodi, quam odivi.
Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, ut converterentur a malis suis.
et non sacrificarent diis alienis.
Et conflata est indignatio mea et furor meus,
et succensa est in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem :
Et versæ sunt in solitudinem et in vastitatem, secundum diem hanc.
Et nunc hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Quare vos facitis malum grande (*Al. add.* hoc) contra animas vestras,
ut intereat ex vobis vir et mulier,
parvulus et lactens de medio Judæ,
ne relinquatur vobis quidquam residuum ;
Provocantes me in operibus manuum vestrarum,
sacrificando diis alienis, in terra Ægypti,
in quam ingressiestis, ut habitetis ibi :
et dispereatis, et satis in maledictionem,
et in opprobrium cunctis gentibus terræ ?
Numquid obliti estis mala patrum vestrorem, et mala regum Juda,
et mala uxorum ejus,
et mala vestra,
et mala uxorum vestrarum,
quæ fecerunt in terra Juda, et in regionibus Jerusalem ?
Non sunt mundati usque ad diem hanc :
et non timuerunt,
et non ambulaverunt in lege Domini.
et in præceptis meis,
quæ dedi coram vobis et coram patribus vestris.
Ideo hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel.
Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum :
et disperdam omnem Judam.
Et assumam reliquias Judæ, qui posuerunt facies suas ut ingrederentur terram Ægypti,
et habitarent ibi :
Et consumentur omnes in terra Ægypti :
cadent in gladio et in fame :
et consumentur a minimo usque ad maximum,
in gladio et in fame morientur :
Et erunt in jusjurandum, et in miraculum, et in maledictionem,
et in opprobrium
Et visitabo super habitatores terræ Ægypti,
sicut visitavi super Jerusalem,
in gladio, et fame, et in peste.
Et non erit qui effugiat, ut sit residuus de reliquiis Judæorum,
qui vadunt, ut peregrinentur in terra Ægypti :
Et revertantur in terram Juda,
ad quam ipsi elevant animas suas, ut revertantur, et habitent ibi :
non revertentur, nisi qui fugerint.
Responderunt autem Jeremiæ omnes viri, scientes quod sacrificarent uxores eorum diis alienis,
et universæ mulieres, quarum stabat multitudo grandis,
et omnis populus habitantium in terra Ægypti in Phatures, dicentes :
Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te :
sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro.
ut sacrificemus reginæ cœli, et libemus ei libamina,
sicut fecimus nos, et patres nostri,
reges nostri, et principes nostri,
in urbibus Juda, et in plateis Jerusalem :
Et saturati sumus panibus, et bene nobis erat, malumque non vidimus :
Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare reginæ cœli, et libare ei libamina,
indigemus omnibus,
et gladio et fame consumpti sumus.
Quod si nos sacrificamus reginæ cœli, et libamus ei libamina :
numquid sine viris nostris fecimus ei placentas, ad colendum eam, et libandum ei libamina ?
Et dixit Jeremias ad omnem populum, adversum viros, et adversum mulieres,
et adversum universam plebem,
qui responderant ei verbum, dicens :
Numquid non sacrificium quod sacrificastis in civitatibus Juda. et in plateis Jerusalem,
vos et patres vestri,
reges vestri, et principes vestri,
et populus terræ,
horum recordatus est Dominus,
et ascendit super cor ejus ?
Et non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum,
et propter abominationes quas fecistis.
Et facta est terra vestra in desolationem,
et in stuporem, et in maledictum,
eo quod non sit habitator sicut est dies hæc.
Propterea quod sacrificaveritis idolis,
et peccaveritis Domino, et non audieritis vocem Domini,
et in lege, et in præceptis, et in testimoniis ejus non ambulaveritis :
Idcirco evenerunt vobis mala hæc,
sicut est dies hæc.
Dixit autem Jeremias ad omnem populum, et ad universas mulieres :
Audite verbum Domini, omnis Juda,
qui estis in terra Ægypti :
Hæc inquit Dominus exercituum Deus Israel, dicens:
Vos et uxores vestræ, locuti estis ore vestro,
et manibus vestris implestis, dicentes :
Faciamus vota nostra, quæ vovimus,
ut sacrificemus reginæ cœli, et libemus ei libamina.
Implestis vota vestra,
et opere perpetrastis ea.
Ideo audite verbum Domini, omnis Juda,
qui habitatis in terra Ægypti :
Ecce ego juravi in nomine meo magno, ait Dominus:
quia nequaquam ultra nomen meum vocabitur ex ore omnis viri Judæi dicentis :
Vivit Dominus Deus, et in omni terra Ægypti.
Ecce ego vigilabo super eos in malum, et non in bonum :
et consumentur omnes viri Juda, qui sunt in terra Ægypti, gladio et fame,
donec penitus consumantur.
Et qui fugerint gladium,
revertentur de terra Ægypti in terram Juda viri pauci :
Et scient omnes reliquiæ Juda ingredientium terram Ægypti, ut habitent ibi,
cujus sermo compleatur, meus, an illorum,
Et hoc vobis signum, ait Dominus,
quod visitem ego super vos in loco isto :
ut sciatis quia vere complebuntur sermones mei contra vos in malum.
Hæc dicit Dominus :
Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regem Ægypti in manu inimicorum ejus, et in manu quærentium animam illius :
Sicut tradidi Sedeciam regem Juda in manu Nabuchodonosor regis Babylonis inimici sui,
et quærentis animam ejus.
(*Cap.* XLV.) Verbum quod locutus est Jeremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cum scripsisset verba hæc in libro de ore Jeremiæ,
anno quarto Joacim filii Josiæ regis Juda, dicens:
Hæc dicit Dominus Deus Israel ad te, Baruch :
Dixisti :
Væ mihi misero
quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo,

Laboravi in gemitu meo,
et requiem non inveni,
Hæc dices ad eum [1] :
Sic dicit Dominus :
Ecce quos ædificavi, ego destruo :
et quos plantavi, ego evello,
et universam terram hanc.
Et tu quæris tibi grandia ?
noli quærere :
Quia ecce ego adducam malum super omnem carnem, ait Dominus :
et dabo tibi animam tuam in salutem,
in omnibus locis, ad quæcunque perrexeris.
(*Cap.* XLVI.) Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam contra gentes ad Ægytum,
adversum exercitum Pharaonis Nechao regis Ægypti,
qui erat juxta fluvium Euphraten in Charcamis,
quem percussit Nabuchodonosor rex Babylonis,
in quarto anno Joacim filii Josiæ regis Juda.
Præparate scutum et clypeum,
et procedite ad bellum.
Jungite equos, et ascendite equites :
state in galeis,
polite lanceas,
induite vos loricis.
Quid igitur ? vidi ipsos pavidos, et terga vertentes,
fortes eorum cæsos :
Fugerunt conciti, nec respexerunt :
terror undique, ait Dominus.
Non fugiat velox,
nec salvari se putet fortis : Ad aquilonem juxta flumen Euphraten victi sunt,
et ruerunt.
Quis est iste, qui quasi flumen ascendit :
et veluti fluviorum, intumescunt gurgites ejus ?
Ægyptus fluminis instar ascendet
et velut flumina movebuntur fluctus ejus, et dicet :
Ascendens operiam terram :
perdam civitatem, et habitatores ejus.
Ascendite equos, et exsultate in curribus,
et procedant fortes,
Æthiopia et Lybies tenentes scutum,
et Lydii arripientes et jacientes sagittas.
Dies autem ille Domini Dei exercituum, dies ultionis,
ut sumat vindictam de inimicis suis.
Devorabit gladius, et saturabitur,
et inebriabitur sanguine eorum :
Victima enim Domini (*Al. add.* Dei)exercituum in terra aquilonis juxta flumen Euphraten.
Ascende in Galaad,
et tolle resinam, virgo filia Ægypti :
Frustra multiplicas medicamina,
sanitas non erit tibi.
Audierunt gentes ignominiam tuam,
et ululatus tuus replevit terram :
Quia fortis impegit in fortem,
et ambo pariter conciderunt.
Verbum quod locutus est Dominus ad Jeremiam prophetam,
super eo quod venturus esset (*Al.* est) Nabuchodonosor rex Babylonis,
et percussurus terram Ægypti.
Annuntiate Ægypto,
et auditum facite Magdalo,
et resonet in Memphis,
et in Thaphnis dicite.
Sta, et præpara te :
quia devorabit gladius ea quæ per circuitum tuum sunt.
Quare computruit fortis tuus ?
A non stetit : quoniam Dominus subvertit eum.
Multiplicavit ruentes,
ceciditque vir ad proximum suum :
et dicent :
Surge, et revertamur ad populum nostrum,
et ad terram nativitatis nostræ,
a facie gladii columbæ.
Vocate nomen Pharao regi Ægypti,
Tumultum adduxit tempus.
Vivo ego, inquit rex,
Dominus exercituum nomen ejus :
Quoniam sicut Thabor in montibus
et sicut Charmelus in mari, veniet.
Vasa transmigrationis fac tibi habitatrix filia Ægypti ;
quia Memphis in solitudinem erit, et deseretur inhabitabilis.
Vitula elegans atque formosa Ægyptus ; stimulator ab aquilone veniet ei.
B Mercenarii quoque ejus, qui versabantur in *medio* ejus,
quasi vituli saginati versi sunt,
et fugerunt simul, nec stare potuerunt :
Quia dies interfectionis eorum venit super eos,
tempus visitationis eorum.
Vox ejus quasi æris sonabit :
quoniam cum exercitu properabunt,
et cum securibus venient ei, quasi ligna cædentes.
Succiderunt saltum ejus, ait Dominus,
qui supputari non potest :
Multiplicati sunt super locustas,
et non est eis numerus.
Confusa est filia Ægypti,
et tradita in manu populi aquilonis.
Dixit Dominus exercituum Deus Israel :
Ecce ego visitabo super tumultum Alexandriæ,
et super Pharao, et super Ægyptum,
C et super deos ejus,
et super reges ejus,
et super Pharao, et super eos qui confidunt in eo.
Et dabo eos in manu quærentium animam eorum,
et in manu Nabuchodonosor regis Babylonis,
et in manu servorum ejus :
Et post hæc habitabitur sicut diebus pristinis, ait Dominus.
Et tu ne timeas, serve meus Jacob, et ne paveas, Israel :
quia ecce ego salvum te faciam de longinquo,
et semen tuum de terra captivitatis suæ (*Al.* tuæ):
Et revertetur Jacob, et requiescet, et prosperabitur ;
et non erit qui exterreat eum.
Et tu noli timere, serve meus Jacob, ait Dominus :
quia tecum ego sum, quia consumam ego cunctas gentes, ad quas ejeci te.
Te vero non consumam, sed castigabo te in judicio,
nec quasi innocenti parcam tibi.
(*Cap.* XLVII.) Quod factum est verbum Domini ad
D Jeremiam prophetam contra Palæstinos
antequam percuteret Pharao Gazam :
Hæc dicit Dominus :
Ecce aquæ ascendunt ab aquilone, et erunt quasi torrens inundans,
et operient terram et plenitudinem ejus, urbem et habitatores ejus.
Clamabunt homines, et ululabunt omnes habitatores terræ,
ab strepitu pompæ armorum, et bellatorum ejus,
a commotione quadrigarum ejus,
et multitudine rotarum illius.
Non respexerunt patres filios manibus dissolutis pro adventu diei,
in quo vestabuntur omnes Philistim, et dissipabitur Tyrus et Sidon.

[1] Alii libri, *Hæc dicit Dominus : Sic dices ad eum.*

cum omnibus reliquis auxiliis suis.
Depopulatus est enim Dominus Palæstinos, reliquias insulæ Cappadociæ.
Venit calvitium super Gazam :
conticuit Ascalon, et reliquiæ vallis earum :
usquequo concideris ?
O mucro Domini, usquequo non quiesces ?
Ingredere in vaginam tuam,
refrigerare, et sile.
Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei adversus Ascalonem, et adversus maritimas ejus regiones,
ibique condixerit illi ?

AD MOAB.

(*Cap.* XLVIII). Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Væ super Nabo ! quoniam vastata est, et confusa :
capta est Cariathaim :
confusa est fortis, et tremuit.
Non est ultra exsultatio in Moab,
contra Esebon cogitaverunt malum.
Venite, et disperdamus eam de gente.
Ergo silens conticesces,
sequeturque te gladius.
Vox clamoris de Oronaim :
vastitas, et contritio magna.
Contrita est Moab :
annuntiate clamorem parvulis ejus.
Per ascensum enim Luith plorans ascendet in fletu :
quoniam in descensu Oronaim hostes ululatum contritionis audierunt :
Fugite, salvate animas vestras :
et eritis quasi myrice in deserto.
Pro eo enim quod habuisti fiduciam in munitionibus, et in thesauris tuis,
tu quoque capieris :
Et ibit Chamos in transmigrationem,
sacerdotes ejus, et principes ejus simul.
Et veniet prædo ad omnem urbem,
et urbs nulla salvabitur :
Et peribit vallis, et dissipabuntur campestria :
quoniam dixit Dominus :
Date florem Moab, quia florens egredietur :
et civitates ejus desertæ erunt, et inhabitabiles.
Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter [1] :
et maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine.
Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua,
et requievit in fæcibus suis :
Nec transfusus est de vase in vas,
et in transmigrationem non abiit :
Idcirco permansit gustus ejus in eo,
et odor ejus non est immolatus.
Propterea ecce dies venient, et dicit Dominus :
et mittam ei ordinatores, stratores lagunculorum,
et sternent eum,
et vasa ejus exhaurient,
et lagenas eorum collident.
Et confundentur Moab a Chamos,
sicut confusa est domus Israel a Bethel, in quam habebat fiduciam,
Quomodo dicitis :
Fortes sumus, et viri robusti ad præliandum ?
Vastata est Moab,
et civitates illius ascenderunt (*Al.* succiderunt),
et electi juvenes ejus descenderunt in occisionem :
A ait rex, Dominus exercituum nomen ejus.
Prope est interitus Moab, ut veniat :
et malum ejus velociter accurate nimis :
Consolamini eum omnes, qui estis in circuitu ejus;
et universi, qui scitis nomen ejus, dicite :
Quomodo confracta est virga fortis,
baculus gloriosus ?
Descende de gloria,
et sede in siti, habitatio filiæ Dibon :
Quoniam vastator Moab ascendit ad te, dissipavit munitiones tuas.
In via sta, et prospice, habitatio Aroer : interroga fugientem, et eum (*Al.* ei) qui evasit, dic :
Quid accidit ?
Confusus est Moab,
quoniam victus est :
Ululate, et clamate,
annuntiate in Arnon, quoniam vastata est Moab.
Et judicium venit ad terram campestrem ; super
B Elon, et super Jasa, et super Mephath, et super Dibon, et super Nabo,
et super domum Deblathaim, et super Chariathaim, et super Beth-Gamul,
et super Beth-Maon, et super Carioth, et super Bosra,
et super omnes civitates terræ Moab, quæ longe, et quæ prope sunt.
Abscissum est cornu Moab,
et brachium ejus contritum est, ait Dominus.
Inebriate eum, quoniam contra Dominum erectus est :
et allidet manum Moab in vomitu suo,
et erit in derisum etiam ipse.
Fuit enim tibi in derisum Israel,
quasi inter fures reperisses eum :
Propter verba ergo tua quæ adversus illum locutus es, captivus duceris.
Relinquite civitates, et habitate in petra, habitatores Moab :
C et estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.
Audivimus superbiam Moab,
superbus est valde ;
Sublimitatem ejus, et arrogantiam, et superbiam, et altitudinem cordis illius.
Ego scio, ait Dominus, jactantiam ejus : et quod non sit juxta eam virtus ejus, nec juxta quod poterat conata sit facere.
Ideo super Moab ejulabo,
et ad Moab universam clamabo,
ad viros muri fictilis lamentantes.
De planctu Jazer plorabo tibi, vinea Sabama :
propagines tuæ transierunt mare,
usque ad mare Jazer pervenerunt :
Super messem tuam et vindemiam tuam, prædo irruit.
Ablata est lætitia et exsultatio de Charmelo et de terra Moab,
D et vinum de torcularibus sustuli :
nequaquam calcator uvæ solitum celeuma cantabit.
De clamore Esebon usque Eleale, et Jasa, dederunt vocem suam,
A Segor usque ad Oronaim, vitula conternante [2] :
aquæ quoque Nemrim pessimæ erunt :
Et auferam de Moab, ait Dominus, offerentem in excelsis,

[1] Exscriptores Canonis Heb. ver. addiderunt de suo aliud adverbium, *desidiose* scilicet, quod manu recentiori superpositum etiam reperitur in ms. codice Corbeiensi, num. 12. At mss. Regius et Colbertinus Aniciensis purum habent sacrum contextum sine tali additamento. MART.

[2] *Vitulam conternantem*, in quarto casu legunt exemplaria Canonis ac mss. omnes, uno excepto Colbertino Aniciensi, qui sextum retinet casum cum Vulgata Latina nostra, ut sit sensus, *a Segor vitula conternante usque ad Oronaim*, id enim nominis et appellationis obtinet Segor, non Oronaim, Isai. cap. xv. Latini tamen versio Pagnina, quam vocant interlinearem, eamdem habet lectionem quarti casus, *vitulam conternantem*, quod sua non caret probabilitate. MART.

et sacrificantem diis ejus.
Propterea cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit et cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum :
Quia plus fecit quam potuit,
idcirco perierunt.
Omne enim caput calvitium, et omnis barba rasa erit :
In cunctis manibus colligatio,
et super omne dorsum cilicium.
Super omnia tecta Moab, et in plateis ejus omnis planctus :
quia contrivi Moab sicut vas inutile, ait Dominus.
Quomodo victa est, et ululaverunt ?
quomodo dejecit cervicem Moab, et confusus est ?
Eritque Moab in derisum,
et in exemplum omnibus in circuitu suo :
Hæc dicit Dominus :
Ecce quasi aquila volabit,
et extendet alas suas ad Moab.
Capta est Carioth,
et munitiones comprehensæ sunt :
Et erit cor fortium Moab in die illa,
sicut cor mulieris parturientis.
Et cessabit Moab esse populus :
quoniam contra Dominum gloriatus est.
Pavor, et fovea, et laqueus super te, o habitator Moab, ait Dominus.
Qui fugerit a facie pavoris cadet in foveam ;
et qui conscenderit de fovea, capietur laqueo :
Adducam enim super Moab annum visitationis eorum, dicit Dominus.
In umbra Esebon steterunt de laqueo fugientes [1] :
quia ignis egressus est de Esebon, et flamma de medio Seon,
et devorabit partem Moab, et verticem filiorum tumultus.
Væ tibi, Moab,
periisti, populc Chamos :
Quia comprehensi sunt filii tui, et filiæ tuæ in captivitatem.
Et convertam captivitatem Moab in novissimis diebus, ait Dominus.

Huc usque judicia Moab.

AD FILIOS AMMON.

(*Cap.* XLIX). Hæc dicit Dominus :
Numquid filii non sunt Israel ?
aut hæres non est ei ?
Cur igitur hæreditate possedit Melchom, Gad :
et populus ejus in urbibus ejus habitavit ?
Ideo ecce dies veniunt, dicit Dominus :
et auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum prælii,
et erit in tumulum dissipata,
Filiæque ejus igni succendentur,
et possidebit Israel possessores suos, ait Dominus.
Ulula. Esebon,
quoniam vastata est Ai :
Clamate, filiæ Rabbath,
accingite vos ciliciis :
Plangite et circuite per sepes :
quoniam Melchom in transmigrationem ducetur,
sacerdotes ejus et principes ejus simul.
Quid gloriaris in vallibus ?
defluxit vallis tua, filia delicata,
quæ confidebas in thesauris tuis, et dicebas :
Quis veniet ad me ?
Ecce ego inducam super te terrorem, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus qui sunt in circuitu tuo :
A et dispergemini singuli a conspectu vestro :
nec erit qui congreget fugientes.
Et post hæc reverti factam captivos filiorum Ammon, ait Dominus.

AD IDUMÆAM.

Hæc dicit Dominus exercituum :
Numquid non est ultra sapientia in Theman ?
Periit consilium a filiis,
inutilis facta est sapientia eorum.
Fugite, terga vertite, descendite in voraginem, habitatores Dedan :
Quoniam perditionem Esau adduxi super eum,
tempus visitationis ejus.
Si vindemiatores venissent super te,
non reliquissent racemum :
Si fures in nocte,
rapuissent quod sufficeret sibi.
Ego vero discooperui Esau,
revelavi abscondita ejus,
B et celari non poterit :
Vastatum est semen ejus, et fratres ejus, et vicini ejus : et non erit.
Relinque pupillos tuos :
ego faciam eos vivere :
et viduæ tuæ in me sperabunt.
Quia hæc dicit Dominus :
Ecce quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent :
Et tu quasi innocens relinqueris ?
non eris innocens,
sed bibens bibes.
Quia per memetipsum juravi, dicit Dominus,
quod in solitudinem, et in opprobrium, et in desertum, et in maledictionem erit Bosra :
et omnes civitates ejus erunt in solitudines sempiternas.
Auditum audivi a Domino,
et legatus ad gentes missus est :
C Congregamini, et venite contra eam, et consurgamus in prælium :
Ecce enim parvulum dedi te in gentibus, contemptibilem inter homines.
Arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui :
qui habitas in cavernis petræ,
et apprehendere niteris altitudinem collis.
Cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum,
inde detraham te, dicit Dominus.
Et erit Idumæa deserta :
omnis qui transibit per eam, stupebit,
et sibilabit super omnes plagas ejus.
Sicut subversa est Sodoma, et Gomorrha, et vicinæ ejus, ait Dominus :
non habitabit ibi vir, et non incolet eam filius hominis.
Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam :
quia subito currere eum faciam ad illam :
D et quis erit electus, quem præponam ei ?
Quis enim similis mei ?
et quis sustinebit me ?
Et quis est iste pastor,
qui resistat vultui meo ?
Propterea audite consilium Domini, quod iniit de Edom ;
et cogitationes ejus, quas cogitavit de habitatoribus Theman :
Si non dejecerint eos parvuli gregis,
nisi dissipaverint cum eis habitaculum eorum.
A voce ruinæ eorum commota est terra :
clamor in mari Rubro auditus est vocis ejus
Ecce quasi aquila ascendet, et avolabit :

[1] Scriptum in Hebræo est מכוח, quod est, *a vi, puta* hostium, sive, ut LXX, ἀπὸ δυνάμεως, S. *vero Pater medias litteras* כ pro unica acceperit ם, aut properante oculo, aut quod in suo ita invenerit Hebraico exemplari scriptum, מפח, quod interpretatur, revera, *a laqueo.*

et expandet alas suas super Bosran :
Et erit cor fortium Idumææ in die illa, quasi cor mulieris parturientis.

AD DAMASCUM.

Confusa est Emath, et Arphad :
quia auditum pessimum audierunt ;
Turbati sunt in mari :
Præ sollicitudine quiescere non potui.
Dissoluta est Damascus versa in fugam,
tremor apprehendit eam :
angustia et doloros tenuerunt eam quasi parturientem.
Quomodo dereliquerunt civitatem laudabilem,
urbem lætitiæ ?
Ideo cadent juvenes ejus in plateis ejus :
et omnes viri prælii conticescent in die illa, ait Dominus exercituum.
Et succendam ignem in muro Damasci,
et devorabit mœnia Benadad [1].

AD CEDAR, ET AD REGNA ASOR,
Quæ percussit Nabuchodonosor rex Babylonis.

Hæc dicit Dominus :
Surgite, et ascendite ad Cedar,
et vastate filios orientis.
Tabernacdula eorum, et greges eorum capient :
pelles eorum, et omnia vasa eorum,
et camelos eorum tollent sibi :
et vocabunt super eos formidinem in circuitu
Fugite, abite vehementer,
in voraginibus sedete, qui habitatis Asor, ait Dominus :
Iniit enim contra vos Nabuchodonosor rex Babylonis consilium,
et cogitavit adversum vos cogitationes.
Consurgite, et ascendite ad gentem quietam,
et habitantem confidenter, ait Dominus :
Non ostia, nec vectes eis :
soli habitant.
Et erunt cameli eorum in dereptionem,
et multitudo jumentorum in prædam :
Et dispergam eos in omnem ventum, qui sunt attonsi in comam :
et ex omni confinio eorum adducam interitum super eos, ait Dominus.
Et erit Asor in habitaculum draconum,
deserta usque in æternum :
non manebit ibi vir,
nec incolet eam filius hominis.
Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam adversus Elam,
in principio regni Sedeciæ regis Juda, dicens :
Hæc dicit Dominus exercituum :
Ecce ego confringam arcum Elam,
et summam fortitudinem eorum.
Et inducam super Elam quatuor ventos a quatuor plagis cœli :
et ventilabo eos in omnes ventos istos :
et non erit gens, ad quam non perveniant profugi Elam.
Et pavere faciam Elam coram inimicis suis,
et in conspectu quærentium animam eorum :
Et adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus :
et mittam post eos gladium donec consumam eos.
Et ponam solium meum in Elam,
Et perdam inde reges et principes, ait Dominus.
In novissimis autem diebus reverti faciam captivos Elam,
(*Cap.* L.) Verbum quod locutus est Dominus de Babylone, et de terra Chaldæorum,
in manu Jeremiæ prophetæ.

A Annuntiate in gentibus,
et auditum facite :
Levate signum,
prædicate, et nolite celare :
Dicite :
Capta est Babylon,
confusus est Bel,
victus est Marodach.
confusa sunt sculptilia ejus,
superata sunt idola eorum.
Quoniam ascendit contra eam gens ab aquilone,
quæ ponet terram ejus in solitudinem :
Et non erit qui habitet in ea ab homine usque ad pecus : et moti sunt, et abierunt.
In diebus illis, et in tempore illo, ait Dominus :
venient filii Israel, ipsi et filii Juda simul :
Ambulantes et flentes properabunt.
et Dominum Deum suum quærent.
In Sion interrogabunt viam,
B huc facies eorum.
Venient et apponentur ad Dominum fœdere sempiterno,
quod nulla oblivione delebitur.
Grex perditus factus est populus meus :
pastores eorum seduxerunt eos,
fecerunt que vagari in montibus :
De monte in collem transierunt,
obliti sunt cubilis sui.
Omnes qui invenerunt, comederunt eos :
et hostes eorum dixerunt : Non peccavimus :
Pro eo quod peccaverunt Domino decori justitiæ,
et exspectationi patrum eorum Domino.
Recedite de medio Babylonis,
et de terra Chaldæorum egredimini :
et estote quasi hædi ante greges.
Quoniam ecce ergo suscito, et adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum de terra aquilonis :
C et præparabuntur adversus eam,
et inde capietur :
Sagitta ejus, quasi viri fortis interfectoris,
non revertetur vacua,
Et erit Chaldæa in prædam :
omnes vastantes eam replebuntur, ait Dominus.
Quoniam exsultatis, et magna loquimini, diripientes hæreditatem meam :
Quoniam effusi estis sicut vitulus super herbam,
et mugistis ut tauri.
Confusa est mater vestra nimis,
et adæquata pulveri, quæ genuit vos
Ecce novissima erit in gentibus,
deserta, invia, et arens.
Ab ira Domini non habitabitur,
sed redigetur tota in solitudinem ;
Omnis, qui transibit per Babylonem, stupebit,
et sibilabit super universis plagis ejus.
Præparamini contra Babylonem per circuitum omnes qui tenditis arcum ;
D debellate eam :
Non parcatis jaculis :
quia Domino peccavit.
Clamate adversus eam :
ubique dedit manum,
ceciderunt fundamenta ejus,
destructi sunt muri ejus,
quoniam ultio Domini est.
Ultionem accipite de ea ;
sicut fecit, facite ei.
Disperdite satorem de Babylone,
et tenentem falcem in tempore messis :
A facie gladii columbæ unusquisque ad populum suum convertetur,
et singuli ad terram suam fugient,
Grex dispersus Israel,

[1] Solus Canon Ecclesiæ Carcassonensis retinet hic veram lectionem, nempe *Benadab* : alii omnes mss, codices corrupte legunt *Benadab*. MART.

leones ejecerunt eum :
Primus comedit eum rex Assur
iste novissimus exossavit eum. Nabuchodonosor rex Babylonis.
Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Ecce ego visitabo regem Babylonis, et terram ejus,
sicut visitavi regem Assur :
et reducam Israel ad habitaculum suum :
et pascetur Charmelum et Basan,
et in montem Ephraim et Galaad saturabitur anima ejus.
In diebus illis, et in tempore illo, ait Dominus,
quæretur iniquitas Israel, et non erit,
et peccatum Juda, et non invenietur :
Quoniam propitius ero eis, quos reliquero.
Super terram dominantium ascende.
et super habitatores ejus visita ;
Dissipa, et interfice quæ post eos sunt, ait Dominus :
et fac juxta omnia quæ præcepi tibi.
Vox belli in terra,
et contritio magna.
Quomodo confractus est et contritus malleus universæ terræ ?
quomodo versa est in desertum Babylon in gentibus.
Illaqueavi te,
et capta es Babylon, et nesciebas :
Inventa es et apprehensa :
quoniam Dominum provocasti.
Aperuit Dominus thesaurum suum,
et protulit vasa iræ suæ :
quoniam opus est Dominus Deo exercitum in terra Chaldæorum,
Venite ad eam ab extremis finibus,
aperite ut exeant qui conculcent eam :
Tollite de via lapides, et redigite in acervos,
et interficite eam :
nec sit quidquam reliquum,
Dissipate universos fortes ejus,
descendant in occisionem.
Væ eis, quia venit dies eorum,
tempus visitationis eorum.
Vox fugientium, et eorum qui evaserunt de terra Babylonis,
ut annuntient in Sion ultionem Domini Dei nostri, ultionem templi ejus.
Annuntiate in Babylonem plurimis,
omnibus qui tendunt arcum :
Consistite adversus eam per gyrum,
et nullus evadat :
Reddite ei secundum opus suum : juxta
omnis quæ fecit, facite illi :
quia contra Dominum erecta est, adversus sanctum Israel.
Idcirco cadent juvenes ejus in plateis ejus
et omnes viri bellatores ejus conticescent in die illa, ait Dominus.
Ecce ego ad te, superbe, dicit Dominus Deus exercituum :
quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ.
Et cadet superbus, et corruet,
et non erit qui suscitet eum :
Et succendam ignem in urbibus ejus,
et devorabit omnia in circuitu ejus.
Hæc dicit Dominus exercituum ;
Calumniam sustinent filii Israel,
et filii Juda simul ;
Omnes, qui ceperunt eos, tenent,
A nolunt dimittere eos.
Redemptor eorum fortis,
Dominus exercituum nomen ejus ;
In judicio defendet causam eorum,
ut exterreat terram, et commoveat habitatores Babylonis.
Gladius ad Chaldæos, ait Dominus,
et ad habitatores Babylonis, et ad principes, et ad sapientes ejus.
Gladius ad divinos ejus, qui stulti erunt :
gladius ad fortes illius, qui timebunt :
Gladius ad equos ejus, et ad currus ejus,
et ad omne vulgus, quod est in medio ejus :
et erunt quasi mulieres :
Gladius ad thesauros ejus,
qui deripientur.
Siciitas super aquas ejus erit, et arescent,
quia terra sculptilium est, et in portentis gloriantur.
B Propterea habitabunt draconescum faunis ficariis[1] :
et habitabunt in ea struthiones :
Et non inhabitabitur ultra usque ad sempiternum
nec exstruetur usque ad generationem et generationem.
Sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, et vicinas ejus, ait Dominus :
non habitabit ibi vir, et non incolet eam filius hominis :
Ecce populus venit ab aquilone, et gens magna,
et reges multi consurgent a finibus terræ.
Arcum et scutum apprehendent :
crudeles sunt et immisericordes :
Vox eorum quasi sonabit :
et super equos ascendent,
sicut vir paratus ad prælium contra te, filia Babylon,
Audivit rex Babylonis famam eorum,
et dissolutæ sunt manus ejus :
C Angustia apprehendit eum,
dolor quasi parturientem.
Ecce quasi leo ascendit de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam :
quia subito currere eum faciam ad illam.
Et quis erit electus, quem præponam ei ?
Quis enim similis mei ? et quis sustinebit me ?
et quis est iste pastor, qui resistat vultui meo ?
Propterea audite consilium Domini, quod mente concepit adversum Babylonem.
et cogitationes ejus quas cogitavit super terram Chaldæorum :
Nisi detraxerint eos parvuli gregum,
nisi dissipatum fuerit cum ipsis habitaculum eorum.
A voce captivitatis Babylonis commota est terra,
et clamor inter gentes auditus est.
(*Cap.* LI.) Hæc dicit Dominus :
Ecce ego suscitabo super Babylonem,
D et super habitatores ejus,
qui cor suum levaverunt contra me, quasi ventum pestilentem.
Et mittam in Babylonem ventilatores, et ventilabunt eam, et demolientur terram ejus :
quoniam venerunt super eam undique in die afflictionis ejus.
Non tendat qui tendit arcum suum,
et non ascendat loricatus ;
interficite omnem militiam ejus.
Nolite parcere juvenibus ejus,
Et cadent interfecti in terra Chaldæorum,
et vulnerati in regionibus ejus.

[1] Vetustiores libri alii, ut et Biblia Complutensia et Sixti V, *fatuis* pro *faunis* : alii *sicariis* pro *ficariis* legunt. Geminus huic locus est Isaiæ cap. XIII, 21, in quem S. Interpres in Commentario, « Incubones, *ait, vel* satyros, vel sylvestres quosdam homines, quos nonnulli fatuos ficarios vocant, aut dæmonum genera intelligunt.» Videsis quæ nobis adnotata sunt ad Vitam sancti Pauli Eremitæ, tom. II, col. 7. not. cap. Impressa hic lectio post Clementis VIII emendationem una obtinet.

Quoniam non fuit viduatus Israel et Juda a Deo suo Domino exercituum :
terra autem eorum repleta est delicto a sancto Israel.
Fugite de medio Babylonis,
et salvet unusquisque animam suam :
Nolite tacere super iniquitatem ejus :
quoniam tempus ultionis est Domino [*Al.* a Domino],
vicissitudinem ipse retribuet ei.
Calix aureus Babylon in manu Domini,
inebrians omnem terram :
De vino ejus biberunt gentes,
et ideo commotæ sunt.
Subito cecidit Babylon,
et contrita est :
Ululate super eam,
tollite resinam ad dolorem ejus,
si forte sanetur.
Curavimus Babylonem, et non est sanata :
derelinquamus eam, et eamus unusquisque in terram suam :
Quoniam pervenit usque ad cœlos judicium ejus :
et elevatum est usque ad nubes.
Protulit Dominus justitias nostras :
venite, et narremus in Sion opus Domini Dei nostri.
Acuite sagittas,
implete pharetras :
Suscitavit Dominus spiritum regum Medorum :
et contra Babylonem mens ejus ut perdat eam,
quoniam ultio Domini est,
ultio templi sui.
Super muros Babylonis levate signum,
augete custodiam :
Levate custodes,
præparate insidias :
Quia cogitavit Dominus,
et fecit quæcunque locutus est contra habitatores Babylonis.
Quæ habitas super aquas multas, locuples in thesauris,
venit finis tuus pedalis præcisionis tuæ.
Juravit Dominus exercituum per animam suam :
Quoniam replebo te hominibus quasi brucho,
et super te celeuma cantabitur.
Qui fecit terram in fortitudine sua,
præparavit orbem in sapientia sua,
et in prudentia sua extendit cœlos.
Dante eo vocem,
Multiplicantur aquæ in cœlo :
Qui levat nubes ab extremo terræ,
fulgura in pluviam fecit :
et produxit ventum de thesauris suis.
Stultus factus est omnis homo a scientia :
confusus est omnis conflator in sculptili,
quia mendax conflatio ejus [*Al.* eorum],
nec est spiritus in eis.
Vana sunt opera, et risu digna,
in tempore visitationis suæ peribunt.
Non sicut hæc, pars Jacob :
quia qui fecit omnia, ipse est,
et Israel sceptrum hæreditatis ejus ;
Dominus exercituum nomen ejus.
Collidis tu mihi vasa belli,
et ego collidam in te gentes,
et disperdam in te regna :
Et collidam in te equum et equitem ejus,
et collidam in te currum et ascensorem ejus.
Et collidam in te virum et mulierem :
et collidam in te senem et puerum,
et collidam in te juvenem et virginem,
et collidam in te pastorem et gregem ejus,
et collidam in te agricolam et jugales ejus.
Et collidam in te duces et magistratus.
Et reddam Babyloni, et cunctis habitatoribus Chaldææ, omne malum suum quod fecerunt in Sion,
in oculis vestris, ait Dominus.

A Ecce ego ad te, mons pestifer, ait Dominus,
qui corrumpis universam terram :
Et extendam manum meam super te,
et evolvam te de petris ;
Et dabo te in montem combustionis :
et non tollent de te lapidem in angulum, et lapidem in fundamenta,
sed perditus in æternum eris, ait Dominus.
Levate signum in terra :
clangite buccina in gentibus,
sanctificate super eam, gentes :
Annuntiate contra illam, regibus Ararat, Menni, et Aschenez :
numerate contra eam Taphsar,
adducite equum quasi bruchum aculeatum.
Sanctificate contra eam gentes,
reges Mediæ, duces ejus, et universos magistratus ejus,
cunctamque terram potestatis ejus.
B Et commovebitur terra, et turbabitur :
quia evigilabit contra Babylonem cogitatio Domini,
ut ponat terram Babylonis desertam et inhabitabilem.
Cessaverunt fortes Babylonis a prælio,
habitaverunt in præsidiis :
Devoratum est robur eorum,
et facti sunt quasi mulieres,
Incensa sunt tabernacula ejus,
contriti sunt vectes ejus.
Currens obviam currenti veniet :
et nuntius obvius nuntianti :
Ut annuntiet regi Babylonis,
quia capta est civitas ejus a summo
usque ad summum :
Et vada præoccupata sunt,
et palupes incensæ sunt igni,
et viri bellatores conturbati sunt.
Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel.
Filia Babylonis quasi area, tempus trituræ ejes :
C adhuc modicum, et veniet tempus messionis ejus.
Comedit me,
devoravit me Nabuchodonosor rex Babylonis :
Reddidit me quasi vas inane,
absorbuit me quasi draco ;
Replevit ventrem suum teneritudine mea,
et ejecit me.
Iniquitas adversum me,
et caro mea super Babylonem, dicit habitatio Sion.
Et sanguis meus super habitatores Chaldææ :
dicit Jerusalem.
Propterea hæc dicit Dominus :
Ecce ego judicabo causam tuam, et ulciscar ultionem tuam,
et desertum faciam mare ejus,
et siccabo venam ejus.
Et erit Babylon in tumulos,
habitatio draconum, stupor, et sibilus, eo quod
D non sit habitator.
Simul et leones rugient,
excutient comas veluti catuli leonum.
In calore eorum ponam potus eorum,
et inebriabo eos, ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum,
et non consurgant, dicit Dominus.
Deducam eos quasi agnos ad victimam
et quasi arietes cum hædis.
Quomodo capta est Sesach,
et comprehensa est inclyta universæ terræ ?
Quomodo facta est in stuporem Babylon inter gentes ?
Ascendit super Babylonem mare,
multitudine fluctuum ejus operta est.
Factæ sunt civitates ejus in stuporem,
terra inhabitabilis et deserta,
terra in qua nullus habitet,
nec transeat per eam filius hominis.
Et visitabo super Bel in Babylone,

et ejiciam quod absorbuerat de ore ejus,
et non confluent ad eum ultra gentes :
Siquidem et murus Babylonis corruet.
Egredimini de medio ejus, populus meus :
ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini.
Et ne forte mollescat cor vestrum, et timeatis auditum, qui audietur in terra :
Et veniet in anno auditio,
et post hunc annum auditio, et iniquitas in terra,
et dominator super dominatorem.
Propterea ecce dies veniunt,
et visitabo super sculptilia Babylonis :
Et omnis terra ejus confundetur,
et universi interfecti ejus cadent in medio ejus.
Et laudabunt super Babylonem cœli et terra, et omnia quæ in eis sunt :
quia ab aquilone venient ei prædones, ait Dominus.
Et quomodo fecit Babylon, ut caderent occisi in Israel :
sic de Babylone cadent occisi in universa terra.
Qui fugistis gladium,
Venite, nolite stare :
Recordamini procul Domini,
et Jerusalem ascendat super cor vestrum.
Confusi sumus, quoniam audivimus opprobrium :
operuit ignominia facies nostras,
quia venerunt alieni super sanctificationem domus Domini.
Propterea ecce dies veniunt, ait Dominus :
et visitabo super sculptilia ejus,
et in omni terra ejus mugiet vulneratus.
Si ascenderit Babylon in cœlum, et firmaverit in excelso robur suum :
a me venient vastatores ejus, ait Dominus.
Vox clamoris de Babylone :
et contritio magna de terra Chaldæorum :
Quoniam vastavit Dominus Babylonem,
et perdidit ex ea vocem magnam :
Et sanabunt fluctus eorum quasi aquæ multæ :
dedit sonitum vox eorum.
Quia venit super eam, id est, super Babylonem, prædo,
et apprehensi sunt fortes ejus;
Et emarcuit arcus eorum,
quia fortis ultor Dominus reddens retribuet.
Et inebriabo principes ejus, et sapientes ejus,
et duces ejus, et magistratus ejus, et fortes ejus.
Et dormient somnum sempiternum,
et non expergiscentur, ait rex,
Dominus exercituum nomen ejus.
Hæc dicit Dominus exercituum :
Murus Babylonis ille latissimus suffossione suffodietur,
et portæ ejus excelsæ igni comburentur,
et labores populorum ad nihilum,
et gentium in ignem erunt, et disperibunt.
Verbum quod præcepit Jeremias propheta, Saraiæ filio Neriæ filii Maasiæ,
cum pergeret cum Sedecia rege in Babylonem,
in anno quarto [1] regni ejus :
Saraias autem erat princeps prophetiæ.
Et scripsit Jeremias omne malum, quod venturum erat super Babylonem, in libro uno :
omnia verba hæc, quæ scripta sunt contra Babylonem.
Et dixit Jeremias ad Saraiam :
Cum veneris in Babylonem, et videris, et legeris omnia verba hæc, dices :
Domine, tu locutus es contra locum istum ut disperderes eum :
ne sit qui in eo habitet ab homine usque ad pecus,
et ut sit perpetua solitudo.
Cumque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem,
et projicies illum in medium Euphraten, et dices:
Sic submergetur Babylon,
et non consurget a facie afflictionis, quam ego adduco super eam,
et dissolvetur.

Huc usque verba Jeremiæ.

(*Cap.* LII.) Filius viginti et unius anni Sedecias cum regnare cœpisset : et undecim annis regnavit in Jerusalem, et nomen matris ejus Amital, filia Jeremiæ de Lobna. Et fecit malum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Joacim. Quoniam furor Domini erat in Jerusalem et in Juda, usquequo projiceret eos a facie sua : et recessit Sedecias a rege Babylonis. Factum est autem in anno nono regni ejus, in mense decimo, decima mensis : Venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse et omnis exercitus ejus, adversus Jerusalem, et obsederunt eam, et ædificaverunt contra eam munitiones in circuitu. Et fuit civitas obsessa usque in undecimum annum regis Sedeciæ. Mense autem quarto, nona mensis, obtinuit fames civitatem : et non erant alimenta populo terræ. Et dirupta est civitas, et omnes viri bellatores ejus fugerunt, exieruntque de civitate nocte, per viam portæ, quæ est inter duos muros, et ducit ad hortum regis (Chaldæis obsidentibus urbem in gyro) et abierunt per viam, quæ ducit in eremum. Persecutus est autem exercitus Chaldæorum regem, et apprehenderunt Sedeciam in deserto, quod est juxta Jericho : et omnis comitatus ejus diffugit ab eo. Cumque comprehendissent regem, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath : et locutus est ad eum judicia. Et jugulavit rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis ejus : sed et omnes principes Juda occidit in Reblatha. Et oculos Sedeciæ eruit, et vinxit eum compedibus, et adduxit eum rex Babylonis in Babylonem, et posuit eum in domo carceris usque in diem mortis ejus. In mense autem quinto decima mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor regis Babylonis : venit Nabuzardan princeps militiæ qui stabat coram rege Babylonis in Jerusalem. Et incendit domum Domini, et domum regis, et omnes domos Jerusalem, et omnem domum magnam igni combussit. Et totum murum Jerusalem per circuitum destruxit, cunctus exercitus Chaldæorum, qui erat cum magistro militiæ. De pauperibus autem populi, et de reliquo vulgo, quod remanserat in civitate, et de perfugis, qui transfugerant ad regem Babylonis, et cæteros de multitudine, transtulit Nabuzardan princeps militiæ. De pauperibus vero terræ reliquit Nabuzardan princeps militiæ in vinitores, et in [*Al. tacet* in] agricolas. Columnas quoque æreas, quæ erant in domo Domini, et bases, et mare

[1] Notatum Martianæo, Syrum legere, *anno undecimo*, quod nihil hic scire interest. Pulchre enim *anno quarto*, cum Hebræo est textu, בשנחה רבעית.

ım, quod erat in domo Domini, confregerunt A et scribam principem militum, qui probabat tyrones ; et sexaginta viros de populo terræ, qui inventi sunt in medio civitatis. Tulit autem eos Nabuzardan magister militiæ, et duxit eos ad regem Babylonis in Reblatha· Et percussit eos rex Babylonis, et interfecit eos in Reblatha in terra Ematha : et translatus est Juda de terra sua. Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor ; in anno septimo, Judæos tria millia et viginti tres ; in anno octavo decimo Nabuchodonosor, de Jerusalem animas octingentas triginta duas ; in anno vicesimo tertio Nabuchodonosor, transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Judæorum septingentas quadraginta quinque. Omnes ergo animæ, quatuor millia sexcentæ. Et factum est in tricesimo septimo anno transmigrationis Joiachim regis Juda, duodecimo mense, vicesima quinta mensis, elevavit Evilmerodach rex Babylonis ipso anno regni sui, caput Joiachim regis Juda, et eduxit eum de domo carceris. Et locutus est cum eo bona, et posuit thronum ejus super thronos regum, qui erant post se in Babylone. Et mutavit vestimenta carceris ejus, et comedebat panem coram eo semper cunctis diebus vitæ suæ [1]. Et cibaria ejus, cibaria perpetua dabantur ei a rege Babylonis, statuta per singulos dies, usque ad diem mortis suæ, cunctis diebus vitæ ejus.

idæi, et tulerunt omne æs eorum in Babylonem.
ıbetes, et creagras, et psalteria, et phialas, et
tariola, et omnia vasa ærea, quæ in ministerio
ant, tulerunt : et hydrias, et thymiamateria, et
os, et pelves, et candelabra, et mortaria, et
hos : quotquot aurea, aurea, et quotquot ar-
ea, argentea, tulit magister militiæ : columnas
s et mare unum, et vitulos duodecim æreos,
erant sub basibus, quas fecerat rex Salomon
omo Domini : non erat pondus æris omnium
ırum horum. De columnis autem, decem et
cubiti altitudinis erant in columna una, et
culus duodecim cubitorum circumibat eam :
o grossitudo ejus quatuor digitorum, et intrinıs cava erat, Et capitella super utramque ærea: B
udo capitelli unius quinque cubitorum ; et re-
ula, et malogranata super coronam in circuitu,
ıia ærea. Similiter columnæ secundæ et malo-
ıata. Et fuerunt malogranata nonaginta sex
ndentia : et omnia malogranata centum retias circumdabantur. Et tulit magister militiæ
ım sacerdotem primum, et Sophoniam sacer-
m secundum, et tres custodes vestibuli. Et de
ate tulit eunuchum unum, qui erat præpositus
r viros bellatores : et septem viros de his, qui
bant faciem regis, qui inventi sunt in civitate,

Post ultimum hoc caput prophetiæ Jeremiæ, Jeremiæ prophetæ. Ad notitiam autem legentium
r Baruch descriptus reperitur contra mentem hic scripta sunt, quia multa de Christo, novissimis-
onymi in utroque exemplari Canonis Hebraicæ que temporibus indicant. » Notandum vero quod
tatis : nbi adnotatio isthæc præmissa est ab eo, in Canone Carcassonensi hæc ad modum tituli de-
temere partem hanc editionis antiquæ ex LXX C scribantur in medio paginæ, in nostro autem Ca-
ovam, seu Hieronymianam ad Hebræos codices none San-Germanensi eadem verba in margine le-
innatam invexit : « Liber iste qui Baruch no- guntur ; et quidem minutulis litterarum formis, ut
prænotatur, in Hæbræo Canone non habetur, et alia scholia marginalia critica ejusdem libri.
antum in Vulgata editione, similiter et epistola MART.

INCIPIUNT CINOTH,

ID EST,

LAMENTATIONES JEREMIÆ PROPHETÆ [1].

h.) Quomodo sedet sola civitas plena populo : D Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxilcta est quasi vidua domina gentium : lis ejus :
inceps provinciarum facta est sub tributo. non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus;

Exemplaria Canonis Hebraicæ veritatis cum fatiunculæ lineas obelis jugulavit ; sicque manifeis sacrorum Bibliorum codicibus ms. hoc modo stum facit hæc aliena esse in versione Hieronymi, ibunt Lamentationes Jeremiæ : *Incipit ejus-* mutuata vero e LXX Seniorum interpretatione *Lamentatio, quod est in titulo Chinoth cum* Græca.
utione litterarum Hebraicarum. Deinde sub- Meminerit lector metris esse scriptas Lamentant præfatiunculam, quæ legitur apud LXX tiones, ac per Alphabetum digestas, ut his verbis pretes, ac in Vulgata Latina : sed vetustiores testatur S. Hieronymus : « Habes, inquit, et in mss. Versionis Hieronymianæ nihil præferunt Lamentationibus Jeremiæ quatuor alphabeta, e quibus er ea quæ leguntur in textu Hebraico. Unde in duo prima quasi Saphico metro scripta sunt : quia o codice, qui tanquam tertium exemplar Ca- tres versiculos, qui sibi connexi sunt, et ab una s Heb. ver. merito suscipi debet, et in Colber- tantum littera incipiunt, Heroici comma concludit. Aniciensi optimæ notæ, nihil prorsus exstat Tertium vero alphabetum trimetro scriptum est, et ecemodi additamentorum. Corbeiensis autem a ternis litteris, sed eisdem terni versus incipiunt. . 2 scriptus tempore Caroli Magni, omnes præ- Quartum alphabetum simile est primo et secundo. »

omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.
(*Gimel.*) Migravit Juda propter afflictionem et multitudinem servitutis :
habitavit inter gentes, nec invenit requiem :
omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter augustias.
(*Daleth.*) Viæ Sion fugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem :
omnes portæ ejus destructæ : sacerdotes ejus gementes :
virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine.
(*He.*) Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt :
quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus :
parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.
(*Vav.*) Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus: B
facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua :
et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.
(*Zain.*) Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ, et prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis,
cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator :
viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus.
(*Heth.*) Pecatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est,
omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus :
ipsa autem gemens et conversa retrorsum.
(*Teth.*) Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui :
deposita est vehementer, non habens consolatorem :
vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. C
(*Jod.*) Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus :
quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam.
(*Chaph.*) Omnis populus ejus gemens, et quærens panem :
dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam.
Vide, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis.
(*Lamed.*) O vos omnes, qui transitis per viam,
attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus :
quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui.
(*Mem.*) De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me :
expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum : D
posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.
(*Nun.*) Vigilavit jugum iniquitatum mearum.
in manu ejus convolutæ sunt, impositæ collo meo : infirmata est virtus mea :
dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.
(*Samech.*) Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei : A vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos :
torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda.
(*Ain.*) Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas :
quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam :
facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus.
(*Phe.*) Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam :
mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu ejus hostes ejus :
facta est Jerusalem quasi polluta menstruis inter eos.
(*Sade*) Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi.
Audite, obsecro, universi populi, et videte dolorem meum :
virgines meæ et juvenes mei abierunt in captivitatem.
(*Coph.*) Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me:
sacerdotes mei et senes mei in urbe consumpti sunt
quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam.
(*Res.*) Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus :
subversum est cor meum in memetipsa,
quoniam amaritudine plena sum.
foris interficit gladius, et domi mors similis est.
(*Sin.*) Audierunt quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me :
omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti :
adduxisti diem consolationis, et fient similes mei.
(*Thav.*) Ingrediatur omne malum eorum coram te:
et vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas :
multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens.
(*Cap.* II. *Aleph.*) Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion :
projecit de cœlo in terram inclytam Israel,
et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui.
(*Beth.*) Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Jacob :
destruxit in furore suo munitiones virginis Juda,
et dejecit in terram : polluit regnum, et principes ejus.
(*Gimel.*) Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel :
avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici:
et succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.
(*Daleth.*) Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis ;
et occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion,
effudit quasi ignem indignationem suam.
(*He.*) Factus est Dominus velut inimicus :
præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus :
dissipavit munitiones ejus, et replevit in filia Juda humiliatum et humiliatam.
(*Vav.*) Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum :
oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem

Consule epist. ad Paulam Urbicam, et Prolegomena nostra, ubi de metris Hebræorum disputatio instituitur. MART.

— Palatin. ms. quemadmodum alii apud Martianæum codices hanc præferunt inscriptionem : *Incipit ejusdem Lamentatio, quod est titulo Chinoth cum absolutione literarum Hebraicarum*. Procemium quoque illud, sive argumentum libri præponunt: *Et factum est postquam in captivitatem reductus est Israel*, etc. quæ ex Septuagintavirali interpretatione in Vulgata Latina editione recepta sunt. Nuspiam vero in Hebræo leguntur, Chaldæo aut Syro, aut, quod rei caput est, in vetustioribus, meliorisque notæ codicibus Hieronymianæ versionis.

et sabbatum;
et opprobrio, in indignatione furoris sui, regem et sacerdotem.
(*Zain.*) Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ:
tradidit in manu inimici muros turrium ejus:
et vocem dederunt in domo Domini sicut in die solemni.
(*Heth.*) Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion:
tetendit funiculum suum, et non avertit manum suam a perditione:
luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est.
(*Theth.*) Defixæ in in terra portæ ejus:
perdidit, et contrivit vectes ejus: regem ejus et principes ejus in gentibus:
non est lex, et prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino.
(*Jod.*) Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion:
conspersérunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis,
abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem.
(*Chaph.*) Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea:
effusum est in terra jecur meum super contritione filii populi mei,
cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi.
(*Lamed.*) Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum et vinum?
cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis:
cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.
(*Mem.*) Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem?
cui exæquabo te, et consolabor te, virgo filia Sion?
magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?
(*Nun.*) Prophetæ tui viderunt tibi falsa, et stulta,
nec aperiebant iniquitatem, tuam ut te ad pœnitentiam provocarent:
viderunt autem tibi assumptiones falsas, et ejectiones.
(*Samech.*) Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam:
sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem:
Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris gaudium universæ terræ?
(*Phe*[1].) Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui:
sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus:
en ista est dies, quam exspectabamus, invenimus, vidimus,
(*Ain.*) Fecit Dominus quæ cogitavi, complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis:
destruxit, et non pepercit, et lætificavit super te inimicum,
et exaltavit cornu hostium tuorum.
(*Sade.*) Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion:
Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem et noctem:
non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.
(*Coph.*) Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum:
effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini:
leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.
(*Res.*) Vide, Domine, et considera que vindemiaveris ita:
ergone comedent mulieres fructum suum parvulos ad mensuram palmæ?
si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, et propheta?
(*Sin.*) Jacuerunt in terra foris puer et senex:
virgines meæ, et juvenes mei ceciderunt in gladio:
interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es.
(*Thau.*) Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me de circuitu,
et non fuit in die furoris Domini qui effugeret, et relinqueretur,
quos educavi, et enutrivi, inimicus meus consumpsit eos,
(*Cap.* III. *Aleph.*) Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.
Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.
Tantum in me vertit, et convertit manum suam tota die.
(*Beth.*) Vetustam fecit pellem meam, et carnem meam, contrivit ossa mea.
Ædificavit in gyro meo, et circundedit me felle et labore.
In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.
(*Gimel.*) Circumædificavit adversum me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum,
Sed et cum clamavero, etrogavero exclusit orationem meam.
Clonclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.
(*Daleth.*) Ursus insidians factus est mihi: leo in absconditis.
Semitas meas subvertit, et confregit me: posuit me desolatam.
Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam.
(*He.*) Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.
Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.
Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.
(*Vav.*) Et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere.
Et repulsa est a pace anima mea, oblitus sum bonorum.
Et dixi: Periit finis meus, et spes mea a Domino.

[1] Observavit ante nos vir eruditus, in secundo, tertio, et quarto capite Lamentationum, inversum esse ordinem litterarum *phe* et *ain*. Nam cum soleat apud Hebræos *ain* præcedere, *phe* sequi, hic contra sit, ut *phe* præcedat, *ain*, sequatur. Id minime assequentes librarii veteres, ac cæteri scriptores linguæ Hebræicæ imperiti, ad ordinem primi alphabeti omnia recudere tentarunt, expugentes nonnunquam litteram *Ain*. vel eam omittentes in serie alpheti. Nonnulli tamen codices rectum ordinem sequuntur, ut in Hæbræo exstat positus. MART.

— Disquirunt critici quid causæ sit, cui inverso ordine *phe* litteram hoc hoc, et duobus, quæ subsequuntur, capitibus ante *ain* posuerit Jeremias, qui priori tamen capite perpetuo retentam Hebraici alphabeti regulam observat. Nobis post Martianæum satis est, lectorem ad hunc locum monuisse, veterum scribarum eam esse in plerisque libris temeritatem, ut dum vulgatum alphabeti ordinem restituunt, sensum, ipsa repugnante contextus serie, penitus evertant.

(*Zain.*) Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absynthii, et fellis.
Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.
Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo.
(*Heth.*) Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus.
Novi diluculo, multa est fides tua.
Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea exspectabo eum :
(*Teth.*) Bonus est Dominus superantibus in eum, animæ quærenti illum.
Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.
Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.
(*Jod.*)Sedebit solitarius, et tacebit : quia levavit super se.
Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes.
Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.
(*Chaph.*) Quia non repellet in sempiternum Dominus.
Quia si abjecit, et miserabitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.
Non enim humiliavit ex corde suo, et abjecit filios hominum.
(*Lamed.*) Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ.
Ut declinaret judicium viri in conspectu vultus Altissimi.
Ut perveteret hominem in judicio suo, Dominus ignoravit.
(*Mem.*) Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non jubente ?
Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona ?
Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis?
(*Nun.*) Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum.
Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos.
Nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus : idcirco tu inexorabilis es.
(*Samech.*) Operuisti in furore, et percussisti nos : occidisti, nec pepercisti.
Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.
Eradicationem, et abjectionem posuisti me in medio populorum.
(*Phe.*) Apueruerunt super nos os suum omnes inimici.
Formido et laqueus facta est nobis vaticinatio, et contritio.
Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei.
(*Ain.*) Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies.
Donec respiceret, et videret Dominus de cœlis.
Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.
(*Sade.*) Venatione ceperunt me qua avem inimici mei gratis.
Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me.
Inundaverunt aquæ super caput meum : dixi : Perii.
(*Coph.*) Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo.
Vocem meam audisti : ne avertas aurem tuam a singultu meo, et clamoribus.
Appropinquasti in die, quando invocavi te : dixisti: ne timeas.
(*Res.*) Judicasti, Domine, causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ.

A Vidisti, Domine, iniquitatem eorum adversum me: judica judicium meum.
Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me.
(*Sin.*) Audisti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversum me.
Labia insurgentium mihi, et meditationes eorum. adversum me tota die.
Sessionem eorum et resurrectionem eorum, vide, ego sum psalmus eorum.
(*Thav.*) Reddes eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum.
Dabis eis scutum cordis laborem tuum [1].
Persequeris in furore, et conteres eos sub cœlis, Domine.
(*Cap.* IV. *Aleph.*) Quomodo obscuratum est aurum mutatus est color optimus,
dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum ?
B (*Beth.*) Filii Sion inclyti, et amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea opus manuum figuli ?
(*Gimel.*) Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lectaverunt catulos suos :
filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.
(*Daleth.*) Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti :
parvuli petierunt panem,
et non erat qui frangeret eis.
Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis,
amplexati sunt stercora.
(*Vav.*) Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei, peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento,
et non ceperunt in ea manus.
(*Zain.*) Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte,
C rubicundiores ebore antiquo,
sapphiro pulchriores.
(*Heth.*) Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis :
adhæsit cutis eorum ossibus :
aruit, et facta est quasi lignum.
(*Teth.*) Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame :
quoniam isti extabuerunt consumpti
a sterilitate terræ.
(*Jod.*) Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos :
facti sunt cibus earum,
in contritione filiæ populi mei.
(*Chaph.*) Complevit Dominus furorem suum.
effudit iram indignationis suæ :
et succendit ignem in Sion, et devoravit fundamenta ejus.
D (*Lamed.*) Non crediderunt reges terræ,
et universi habitatores orbis,
quoniam ingrederetur hostis et inimicus per portas Jerusalem.
(*Mem.*) Propter peccata prophetarum ejus,
et iniquitates sacerdotum ejus,
qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum,
(*Nun.*) Erraverunt cæci in plateis,
polluti sunt in sanguine :
cumque non possent, tenuerunt lacinias suas.
(*Samech.*) Recedite, polluti, clamaverunt eis: recedite, abite, nolite tangere :
jurgati quippe sunt,
et commoti dixerunt inter gentes : Non addet ultra ut habitet in eis.

[1] *Hebræus habet* תלאתך, *quæ vox proprie sonat* exsecrationem tuam : *videtur vero S. Hieronymus in suo exemplari legisse* תארתך, *quæ unius litterulæ* metathesi ab ea differt, significatque revera *laborem, molestiam*, atque bis similia.

acies Domini divisit eos, non addet ut iciat eos :
sacerdotum non erubuerunt,
senum miserti sunt.
ım adhuc subsisteremus, defecerunt oculi
ri ad auxilium nostrum vanum,
ɜspiceremus attenti ad gentem,
ılvare non poterat.
Lubricaverunt vestigia nostra in itinere
earum nostrarum,
ɔinquavit finis noster;
eti sunt dies nostri,quia venit finis noster.
Velociores fuerunt persecutores nostri
llis cœli :
montes persecuti sunt nos,
erto insidiati sunt nobis.
ɔiritus oris nostri Christus Dominus
ı est in peccatis nostris :
ɪimus:In umbra tua vivemus in gentibus.
ıude, et lætare, filia Edom, quæ habitas in
a Hus :
ɹuoque perveniet calix,
aberis, atque nudaberis.
Completa est iniquitas tua, filia Sion, non
ultra ut transmigret te :
ɔit iniquitatem tuam, filia Edom,
peruit peccata tua.

INCIPIT
ORATIO [1] JEREMIÆ
PROPHETÆ.

) Recordare, Domine, quid acciderit
, intuere, et respice opprobrium nostrum.
ıs nostra versa est ad alienos,domus nostræ
ɜxtraneos.
facti sumus absque patre, matres nostræ
si viduæ.

ionis Jeremiæ meminit S. Hieronymus in Scripturarum, libris Regum præfixo, proginti et duas litteras esse apud Hebræos ex luabus incisionibus,quæ supputanturin hac ɔratione. Porro numeri Græci quibus utimur ɜnti editione, eodem modo reperiuntur den exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis.

ıus est doctis viris S. Pater in Prologo ad Regum hanc quoque dixisse Jeremiæ Oracrosticho ordine,ad Lamentationum instar ım esse, ubi *Jeremiæ*, inquit, *Lamentatioratio ejusdem numeri texuntur alphabeto.* ro hæc aliter, id est, nullo ad alphabeti ı respectu habito, fuerit ab auctore exarata, S. Doctorem insimulant. Verum non ut illi nt, ab alphabeti elementis ex ordine, ut ationum capita, ipsam quoque orationem it S. Pater: sed viginti duobus eam contineri ɜ, quot numero sunt litteræ in alphabeto : ɜst, *ejusdem numeri alphabeto* comprehendi,

A Aquam nostram pecunia bibimus : ligna nostra pretio comparavimus.
Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.
Ægypto dedimus manum, et Assyriis ut saturaremur pane.
Patres nostri peccaverunt, et non sunt, et nos iniquitates eorum portavimus.
Servi dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum.
In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto,
Pellis nostra, quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis.
Mulieres in Sion humiliaverunt, et virgines in civitatibus Juda.
Principes manu suspensi sunt : facies senum non erubuerunt.
Adolescentibus impudice abusi sunt, et pueri in
B ligno corruerunt.
Senes de portis defecerunt, juvenes de choro psallentium.
Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster.
Cecidit corona capitis nostri : væ nobis, quia peccavimus.
Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri.
Propter montem Sion, quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.
Tu autem,Domine,in æternum permanebis, solium tuum in generationem et generationem :
Quare in perpetuum oblivisceris nostri? derelinques nos in longitudine dierum ?
Converi nos, Domine, ad te, et convertemur : innova dies nostros, sicut a principio.
Sed projiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer [2].

C quo et Lamentationes: quamquam istæ id præterea habeant, quod juxta litterarum seriem vel singuli quique, vel bini versus ab earum una ex ordine inchoantur. Nempe id sibi unum proposuerat eo loco ostendere, viginti duas esse Hebraicas litteras,quod tum aliis exemplis, tum hoc ipso Lamentationum atque orationis Jeremiæ satis vere atque erudite demonstravit. Cæterum adeo certum est, non nisi Lamentationes acrosticho illo artificio compositas sensisse, ut quoties alibi sermo est illi hac de re, *quadruplex* tantum laudet Jeremiæ *alphabetum diversis metris*, quo nomine quatuor duntaxat Lamentationum capita ejus esse scriptionis designat. Videsis epist. 53 *ad Paulinum*, et 30 *ad Paulam*, num. 3. Porro Græca elementa singulis versibus apposita ex antiquo ms. post Martianæum retinuimus,quod numerum designent, non initialem archetypi litteram.

D [2] In Palatino ms. addit antiquarium : *Hieremias habet versus IIII. CCCCL.*

Explicit Jeremias propheta.

PRÆFATIO HIERONYMI IN EZECHIELEM

—

iel propheta cum Joachin rege Juda captitus est in Babylonem : ibique iis qui cum eo *l.* captivi) fuerant, prophetavit, pœnitentibus quod ad Jeremiæ vaticinium se ultra adversariis tradidissent, et viderent adhuc urbem Jerosolymam stare [1], quam ille casuram esse prædixerat.

ıior manus in codice Palatino erasit verbum hoc *stare.*

Trigesimo autem ætatis suæ anno [1], et captivitatis quinto, exorsus est ad concaptivos loqui. Et eodem tempore, licet posterior, hic in Chaldæa, Jeremias in Judæa prophetaverunt. Sermo ejus nec satis disertus nec admodum rusticus est, sed ex utroque medie temperatus. Sacerdos et ipse, sicut e. Jeremias: principia voluminis et finem magnis habens obscuritatibus involuta. Sed et Vulgata ejus editio non multum distat ab Hebraico. Unde satis miror quid causæ exstiterit, ut si eosdem in universis libris habemus interpretes, in aliis eadem, in aliis diversa transtulerint. Legite igitur et hunc juxta translationem nostram; quia per cola scriptus et commata, manifestionem legentibus sensum tribuit. Si autem amici mei et hunc subsannaverint, dicite eis quod nemo eos compellat ut scribant [2]. Sed vereor, ne illud eis eveniat quod Græce significantius dicitur, ut vocentur φαγολοίδοροι, [3], id est manducantes sannas.

[1] Hoc vero ipsum negat S. Pater in commentario primis statim verbis: *Tricesimus*, inquiens, *annus, non ut plerique æstimant, ætatis prophetæ dicitur;* Tum quæ propior ad fidem sententia est, mavult ipse tricesimum annum ab renovato sub Josia fœdere Judæorum cum Deo supputare, cum jam annos quinque egisset Ezechiel in captivitate.

[2] Hic iterum sequioris critici manus expertus cod. Palatin., *ut scripta mea legant*, pro *scribant*. Optimo vero ad Hieronymi mentem habet impressa lectio. Quid quod Græcus optimus scriptor Pamphilus e martyr in *Apologia pro Origene*, sophistas conviciantes, aliosque maledicos scriptores ait nominatos *a Græcis* φαγολοιδόρους.

[3] Hanc Græcam vocem repræsentant omnes mss. codices, quæ, etsi in nonnullis paululum depravata legatur, facile a quolibet linguæ Græcæ non imperito restitui poterat: sed mirus est æstus, ac fluctuatio Interpretum ejusdem verbi. In antiquis manuscriptis exemplaribus triplex hæc affertur interpretatio Latina: φαγολοιδοροι, *quod est apud nos, manducans senecias, quod est, manducans senecias, hoc est manducans senedas.* Quid sint autem *seneciæ*, vel *senedæ* prorsus ignoramus, cum nec Græce, nec Latine, aliquid sibi velint hæc verba. Bene igitur docuit Marianus legendum esse, *manducantes sannas*, non *manducantes senecias*, aut *conviciis gaudentes*. Subdit idem Marianus hunc loquendi modum a Demosthene Hieronymum accepisse. ille enim in oratione περὶ Στεφάνου, vocat Æschinem adversarium suum ἰαμβόφαγον quod ei obtrectando conviciis vesceretur, ac saturaretur. Id si ita est, quare non dixit Hieronymus: *Sed vereor, ne illud eis veniat, quod Græce significantius dicitur, ut vocentur* ἰαμβόφαγοι? In promptu erat verbum istud ἰαμβόφαγοι: quid igitur necesse fuit ad aliam verbi Græci compositionem confugere, cum eadem sit ἰαμβόφαγοι, et φαγολοίδοροι significantia? Facilius crediderim modum loquendi Syrorum expressisse Hieronymum: Syris namque familiare est, ut vocent Diabolum artificem omnis calumniæ, אכלקרצא *ocelkartso*, id est, *Edentem criminationem*, quod vocabulum ex æquo respondet dictioni Græcæ φαγολοίδορος, tam in sensum, quam in specie compositionis. MART.

— Hæc omnium, quot vidimus, codicum lectio est, tametsi Latinis sæpe litteris paulo corruptius scribatur *fagolidari*. Neque adeo bene Erasmus legendum conjecerat φαγολοίδοροι, siquidem et veterum librorum scriptura abhorret, et subnexa ejus verbi interpretatio, *manducantes sannas*, etiamsi Clerico, id temere contendenti demus, ab Hieronymo additam non fuisse, sed a librario aliquo, vel studioso: indicio tamen manifesto sit, jam diu olim ita scriptum exstitisse, φαγολοίδοροι: non enim a φίλος voce, *diligentes*, sed a φάγος, *manducantes*, derivatur. Nec diffitemur, communi Græci idiomatis analogiæ compositionem eam repugnare, usuque receptum non esse bonis scriptoribus præponere vocem φάγος, quam econtrario constat sexcentis exemplis postponi. Verum, quod ante nos fere conjecerat Martianæus, factum videtur studiose ab Hieronymo, ut vocabulo ferme ipso uteretur, quo Syri, apud quos degebat, calumniarum patrem, et κατ' ἐξοχήν calumniatorem diabolum. Vocant vero אכלקרצא, quod nimirum est *manducantem sannas*, sive *edentem calumnias*, ab אכל, quod est, *manducare*, et קרצא, quod est, *obtrectatio*. Quamquam non ipsum Hieronymum ita reddidisse nomen illud in Græco arbitramur, sed a Græcorum in Syriam adventitio vulgo, a quo Syri innumera propemodum vocabula accepta referunt, sic efformatum retinuisse. Fastidiosum adeo se nimis agit Clericus, qui primæ Græcitatis elegantiam, et grammatices analogiam requirit in ejus inquisitione vocabuli, quod a vulgo usurpatum, inventumque est, sequiore ævo, peregrino in solo, demum et alterius ingenium linguæ. Id genus alia nec sane pauca reperire est in Glossariis, quæ nemo, ut de hoc ille sentit, quasi imperitorum σφάλματα, respuere ausus est.

INCIPIT

LIBER EZECHIELIS PROPHETÆ.

(*Cap.* I.) Et factum est in tricesimo anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei.

In quinta mensis,
ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachin.

Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldæorum, juxta flumen Chobar:
et facta est super eum ibi manus Domini.

Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone; et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circuitu ejus:

Et de medio ejus quasi species electri, id est, de medio ignis:

Et in medio ejus similitudo quatuor animalium [1]: et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.

[1] Locus corruptus in exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis, ac in omnibus aliis mss. ubi hæc

Et quatuor facies uni,
et quatuor pennæ uni.
Et pedes eorum pedes recti,
et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli,
et scintillæ quasi aspectus æris candentis.
Et manus hominis sub penis eorum in quatuor partibus :
et facies et pennas per quatuor partes habebant.
Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum.
Non revertebantur cum incederent :
sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.
Similitudo autem vultus eorum :
facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor ;
facies autem bovis, a sinistris ipsorum quatuor,
et facies aquilæ (*Al. add.* desuper) ipsorum quatuor.
Et facies eorum,et pennæ eorum extentæ desuper:
duæ pennæ singulorum jungebantur,
et duæ tegebant corpora eorum :
et unumquodque coram facie sua ambulabat (*Al.* gradiebatur) :
Ubi erat impetus spiritus, illud gradiebantur,
nec revertebantur cum ambularent.
Et similitudo animalium, aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium,
et quasi aspectus lampadarum.
Hæc erat visio discurrens in medio animalium,
splendor ignis ;
et de igne fulgur egrediens.
Et animalia ibant et revertebantur,
in similitudinem fulguris coruscantis.
Cumque aspicerem animalia,
apparuit rota una super terram juxta animalia, habens (*Al.* habentia) quatuor facies.
Et aspectus rotarum, et opus earum,
quasi visio maris :
Et una similitudo ipsarum quatuor :
et aspectus earum et opera,
quasi sit rota in medio rotæ.
Per quatuor partes earum euntes ibant,
et non revertebantur cum ambularent.
Statura quoque erat rotis.
et altitudo, et horribilis aspectus
et totum corpus plenum oculis in circuitu ipsarum quatuor.
Cumque ambularent animalia,
ambulabant pariter et rotæ juxta ea :
Et cum elevarentur animalia de terra,elevabantur simul et rotæ.
Quocunque ibat spiritus,
illuc eunte spiritu, et rotæ pariter levabantur, sequentes eum.
Spiritus enim vitæ
erat in rotis.
Cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant :
et cum elevatis a terra, pariter elevabantur et rotæ, sequentes ea :
quia spiritus vitæ erat in rotis.
Et similitudo super capita (*Al.* caput) animalium firmamenti,
quasi aspectus crystalli horribilis,
et extensi super capita eorum desuper,
Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum :
unumquodque duabus alis velabat corpus suum
et alterum similiter velabatur.
Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum,
quasi sonum sublimis Dei :
Cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis
ut sonus castrorum.

A Cumque starent,
demittebantur pennæ eorum.
Nam cum fieret vox supra firmamentum,quod erat super caput eorum,
stabant, et submittebant alas suas.
Et super firmamentum,quod erat imminens capiti eorum,
quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni:
et super similitudinem throni,
similitudo quasi aspectus hominis desuper.
Et vidi quasi speciem electri.
velut aspectum ignis,intrinsecus ejus per circuitum :
A lumbis ejus et desuper,
et a lumbis ejus usque deorsum,
Vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu :
velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluviæ.
Hic erat aspectus splendoris per gyrum.
B (*Cap.* II.) Hæc visio similitudinis gloriæ Domini,
et vidi, et cecidi in faciem meam,
et audivi vocem loquentis.
Et dixit ad me :
Fili hominis,
sta super pedes tuos, et loquar tecum [*Al.* tibi].
Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi,
et statuit me supra pedes meos :
et audivi loqnentem ad me, et dicentem :
Fili hominis,
mitto ego te ad filios Israel,ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a me :
ipsi et patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc,
Et filii dura facie,et indomabili corde sunt,ad quos ego mitto te :
et dices ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus.
C Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant,
quoniam domus exasperans est :
et scient quia propheta fuerit in medio eorum.
Tu ergo, fili hominis, ne timeas eos,
neque sermones eorum metuas :
Quoniam increduli et subversores sunt tecum,
et cum scorpionibus habitas.
Verba eorum ne timeas,
et vultus eorum ne formides,
quia domus exasperans est.
Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant ;
quoniam irritatores sunt.
Tu autem, fili hominis, audi quæcunque loquor ad te,
et noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est ;
Aperi os tuum et comede quæcunque ego do tibi.
D Et vidi,et ecce manus missa ad me,in qua erat involutus liber :
et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris :
et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ.
(*Cap.* III.) Et dixit ad me :
Fili hominis,
quodcunque inveneris, comede :
Comede volumen istud.
et vadens loquere ad filios Israel.
Et aperui os meum,
et cibavit me volumine illo :
Et dixit ad me :
Fili hominis,

leguntur,*Et ex medio eorum similitudo quatuor animalium.*Quæ quam sint contraria interpretationibus sancti Hieronymi, videsis lib. 1 Comment.in Ezechielem. Codex Colbertinus Aniciensis,et antiquus San-Germanensis num. 3. puram retinent lectionem, sed ex secunda manu. MART.

venter tuus comedet,
et viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi.
Et comedi illud :
et factum est in ore meo sicut mel dulce.
Et dixit ad me :
Fili hominis,
vade ad domum [1] Israel,
et loqueris verba mea ad eos.
Non enim ad populum profundi sermonis et ignotæ (*Al.* difficilis) linguæ tu mitteris, ad domum Israel :
neque ad populos multos profundi sermonis et ignotæ linguæ, quorum (*Al.* et ignoti sermonis, quorum) non possis audire sermones :
Et si ad illos mittereris,
ipsi audirent te.
Domus autem Israel nolunt audire te :
quoniam nolunt audire me.
Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et duro corde.
Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum,
et frontem tuam duriorem frontibus eorum.
Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam :
Ne timeas eos, neque metuas a facie eorum :
quia domus exasperans est,
Et dixit ad me :
Fili hominis,
omnes sermones meos, quos loquor ad te, assume in corde tuo,
et auribus tuis audi :
Et vade, ingredere ad transmigrationem, ad filios populi tui,
et loqueris ad eos, et dices eis :
Hæc dicit Dominus Deus :
si forte audiant et quiescant.
Et assumpsit me spiritus.
Et audivi post me vocem commotionis magnæ :
Benedicta gloria Domini de loco suo :
Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram,
et vocem rotarum sequentium animalia,
et vocem commotionis magnæ.
Spiritus quoque levavit me, et assumpsit me :
et abii amarus in indignatione spiritus mei :
Manus enim Domini erat mecum,
confortans me,
Et veni ad transmigrationem, acervum novarum frugum, ad eos qui habitabant juxta Chobar,
et sedi ubi illi sedebant :
et mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum.
Cum autem pertransissent septem dies,
factum est verbum Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
speculatorem dedi te domui Israel :
et audies de ore meo verbum,
et annuntiabis eis ex me :
Si dicente me ad impium : Morte morieris,
non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via sua impia, et vivat :
Ipse impius in iniquitate sua morietur,
sanguinem autem ejus de manu tua requiram.
Si autem tu annuntiaveris impio,
et ille non fuerit conversus ab impietate (*Al.* iniquitate) sua, et a via sua impia :
Ipse quidem in iniquitate sua morietur,
tu autem animam tuam liberasti.
Sed et si conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem :
ponam offendiculum coram eo
A ipse morietur, quia non annuntiasti ei :
In peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit :
sanguinem vero ejus de manu tua requiram.
Si autem tu annuntiaveris justo, ut non peccet justus,
et ille non peccaverit :
Vivens vivet, quia annuntiasti ei,
et tu animam tuam liberasti.
Et facta est [2] super me manus Domini,
et dixit ad me :
Surgens egredere in campum,
et ibi loquar tecum.
Et surgens egressus sum in campum,
et ecce ibi gloria Domini stabat.
quasi gloria, quam vidi juxta fluvium Chobar
et cecidi in faciem meam,
Et egressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos :
B et locutus est mihi, et dixit ad me :
Ingredere, et includere in medio domus tuæ.
Et tu, fili hominis,
ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis :
et non egredieris in (*Al.* de) medio eorum.
Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus,
nec quasi vir objurgans [3] :
quia domus exasperans est.
Cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, et dices ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus :
Qui audit, audiat :
et qui quiescit, quiescat :
quia domus exasperans est.
(*Cap.* IV.) Et tu, fili hominis,
sume tibi laterem, et pones cum coram te :
et describes in eo civitatem Jerusalem.
C Et ordinabis adversus eam obsidionem,
et ædificabis munitiones, et comportabis aggerem,
et dabis contra eam castra,
et pones arietes in gyro.
Et tu, sume tibi sartaginem ferream,
et pones eam in murum ferreum inter te et inter civitatem :
Et obfirmabis faciem tuam ad eam,
et erit in obsidionem, et circumdabis eam :
signum est domui Israel.
Et tu dormies super latus tuum sinistrum,
et pones iniquitates domus Israel super eo,
numero dierum quibus dormies super illud,
et assumes iniquitatem eorum.
Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum,
numero dierum trecentos et nonaginta dies :
et portabis iniquitatem domus Israel.
Et cum compleveris hæc,
D dormies super latus tuum dexterum secundo :
et assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus.
Diem pro anno,
diem, inquam, pro anno dedi tibi.
Et ad obsidionem Jerusalem convertes faciem tuam,
et brachium tuum erit extentum (*Al.* exertum).
et prophetabis adversus eam.
Ecce circumdedi te vinculis,
et non te convertes a latere tuo in latus aliud,
donec compleas dies obsidionis tuæ.
Et tu sume tibi frumentum, et hordeum,
et labam, et lentem, et milium, et viciam :
Et mittes ea in vas unum,

[1] In commentario : *Vade, et ingredere ad domum*, etc.; pressius Hebræo לֵךְ בֹּא.
[2] Interserit S. Interpres in commentario, *ibi*, quod et in Hebræo resonat שָׁם.
[3] Hic quoque proprius ad Hebræum additur pro nomen *eos*.

et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum :
trecentis et nonaginta diebus comedes illud,
Cibus autem tuus quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die :
a tempore usque ad tempus comedes illud.
Et aquam in mensura bibes, sextam partem hin :
a tempore usque ad tempus bibes illud.
Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud:
et stercore, quod egreditur de homine (*Al.* humano.)
operies illud in oculis eorum.
Et dixit Dominus :
Sic comedent filii Israel panem suum pollutum inter gentes,
ad quas ejiciam eos.
Et dixi : A a a, Domine Deus,
ecce anima mea non est polluta ;
et morticinum, et laceratum a bestiis non comedi ab infantia mea usque nunc,
et non est ingressa in os meum omnis caro immunda.
Et dixit ad me :
Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis :
et facies panem tuum in eo.
Et dixit ad me :
Fili hominis :
Ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem :
Et comedent panem in pondere, et in sollicitudine:
Et aquam in mensura, et in angustia bibent :
Ut, deficientibus pane et aqua, corruat unusquisque ad fratrem suum :
et contabescant in iniquitatibus suis.
(*Cap.* V.) Et tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem pilos :
et assumes eum, et duces per caput tuum, et per barbam tuam.
Et assumes tibi stateram ponderis,
et divides eos.
Tertiam partem igni combures in medio civitatis, juxta completionem dierum obsidionis (*Al.* conclusionis) :
Et assumens tertiam partem, concides gladio in circuitu ejus :
tertiam vero aliam disperges in ventum,
et gladium nudabo post eos.
Et sumes inde parvum numerum :
et ligabis eos in summitate pallii tui.
Et ex eis rursum tolles, et projicies (*Al. add.* eos) in medio ignis, et combures eos igni (*Al. tac.* igni) ;
et ex eo egredietur in omnem domum Israel.
Hæc dicit Dominus Deus :
Ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terras :
Et contempsit judicia mea,
ut plus esset impia quam gentes
et præcepta mea,
ultra quam terræ quæ in circuitu ejus sunt.
Judicia enim mea projecerunt,
et in præceptis meis non ambulaverunt :
Idcirco hæc dicit Dominus Deus.
Quia superastis gentes, quæ in circuitu vestro sunt:
et in præceptis meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis,
et juxta judicia gentium, quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati :
Ideo hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego ad te,
Et ipse ego faciam in medio tui judicia in oculis gentium.

A Et faciam in te quod non feci, et quibus similia ultra non faciam,
propter omnes abominationes tuas.
Ideo patres comedent filios in medio tui, et filii comedent patres suos,
et faciam in te judicia,
et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum.
Idcirco vivo ego.
dicit Dominus Deus :
Nisi pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, et in omnibus abominationibus tuis :
ego quoque confringam (*Al. add.* te), et non parcet oculus meus, et non miserebor.
Tertia tui pars peste morietur,
et fame consumetur in medio tui :
Et tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo :
tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam,
B et gladium evaginabo post eos.
Et complebo furorem meum ;
et requiscere faciam indignationem meam in eis, et consolabor :
Et scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cum implevero indignationem meam in eis.
Et dabo te in desertum et in opprobrium gentibus, quæ in circuitu tuo sunt,
in conspectu omnis prætereuntis.
Et eris opprobrium, et blasphemia,
exemplum, et stupor in gentibus quæ in circuitu tuo sunt,
cum fecero in te judicia in furore, et in indignatione, et in increpationibus iræ.
Ego Dominus locutus sum :
Quando misero sagittas famis [1] pessimas in eos (*Al. tac.* in eos),
quæ erunt mortiferæ,
et quas mittam ut disperdam vos :
C Et famem congregabo super vos,
et conteram vobis (*Al. tac.* vobis) baculum panis.
Et immittam in vos famem,
et bestias pessimas usque ad internecionem :
Et pestilentia et sanguis transibunt per te,
et gladium inducam super te.
Ego Dominus locutus sum,
(*Cap.* VI.) et factus est sermo Domini ad me dicens:
Fili hominis, pone faciem tuam ad montes Israel, et prophetabis ad eos, et dices :
Montes Israel, audite verbum Domini Dei.
Hæc dicit Dominus Deus montibus, et collibus, rupibus et vallibus :
Ecce ego inducam super vos gladium,
et disperdam excelsa vestra ;
Et demoliar aras vestras,
et confringentur simulacra vestra :
dejiciam interfectos vestros ante idola vestra.
D Et dabo cadavera filiorum Israel ante faciem simulacrorum vestrorum :
et dispergam ossa vestra circum aras vestras, in omnibus habitationibus vestris.
Urbes desertæ erunt,
et excelsa demolientur, et dissipabuntur :
Et interibunt aræ vestræ, et confringentur :
et cessabunt idola vestra,
et conterentur delubra vestra,
et delebuntur opera vestra.
Et cadet interfectus in medio vestri :
et scietis quoniam ego Dominus.
Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in gentibus,
cum dispersero vos in terris.

[1] Addunt hoc loco exemplaria Canonis verbum, ***bestias***, ut sit sensus : *Quando misero sagitas famis, **bestias pessimas** in eos* ; quod sumptum est e versu sequenti, ubi post *famis* cladem memorantur *bestiæ pessimæ*. MART.

Et recordabuntur mei liberati vestri in gentibus, ad quas captivi ducti sunt :
quia contrivi cor eorum fornicans, et recedens a me ;
et oculos eorum fornicantes post idola sua :
Et displicebunt sibimet super malis quæ fecerant in universis abominationibus suis.
Et scient quia ego Dominus non frustra locutus sum, ut facerem eis malum hoc.
Hæc dicit Dominus Deus :
Percute manum tuam (*Al.* manu tua),
et allide pedem tuum, et dic :
Heu, [1] ad omnes abominationes malorum domus Israel,
quia (*Al.* qui) gladio, fame et peste ruituri sunt.
Qui longe est, peste morietur :
qui autem prope, gladio corruet :
Et qui relictus fuerit, et obsessus (*Al.* circumdatus) fame morietur :
et complebo indignationem meam in eis.
Et scietis quia ego Dominus,
cum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum,
in circuitu ararum vestrarum,
in omni colle excelso :
et in cunctis summitatibus montium,
et subtus omne lignum nemorosum.
et subtus universam quercum frondosam,
locum [2] ubi accenderunt thura redolentia universis idolis suis.
Et extendam manum meam super eos :
et faciam terram desolatam et destitutam,
a deserto Deblatha,
in omnibus habitationibus eorum :
et scient quia ego Dominus.
(*Cap.* VII.) Et factus est sermo Domini ad me dicens :
Et tu, fili hominis,
Hæc dicit Dominus Deus terræ Israel :
Finis venit, :
venit finis super quatuor plagas (*Al.* alas) terræ.
Nunc finis super te,
et emittam furorem meum in te,
Et judicabo te juxta vias tuas :
et ponam contra te omnes abominationes tuas.
Et non parcet oculus meus super te, et non miserebor :
sed vias tuas ponam super te,
et abominationes tuæ in medio tui erunt :
et scietis quia ego Dominus.
Hæc dicit Dominus Deus :
Afflictio una,
Afflictio ecce venit.
Finis venit,
venit finis,
evigilavit adversum te :
ecce venit.
Venit contritio [3] super te, qui habitas in terra :
venit tempus, prope est dies occisionis,
A et non gloriæ montium.
Nunc de propinquo effundam iram meam super te, et complebo (*Al.* replicabo) furorem meum in te:
Et judicabo te juxta vias tuas,
et imponam tibi omnia scelera tua [*Al.* omnes abominationes tuas] :
Et non parcet oculus meus, nec miserebor,
sed vias tuas imponam tibi,
et abominationes tuæ in medio tui erunt :
et scietis quia sum Dominus percutiens.
Ecce dies, ecce venit :
egressa est contritio [4],
floruit virga,
germinavit superbia :
iniquitas surrexit in virga impietatis :
non ex eis, et non ex populo, neque ex sonitu eorum :
et non erit requies in (*Al.* tac. in) eis.
Venit tempus, appropinquavit dies :
B qui emit, non lætetur :
et qui vendit, non lugeat :
quia ira super omnem populum ejus.
Quia qui vendit, ad id quod vendidit,
non revertetur.
et adhuc in viventibus vita eorum.
Visio enim ad omnem multitudinem ejus non regredietur :
et vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur.
Canite tuba, præparentur omnes.
et non est qui vadat ad prælium :
ira enim mea super universum populum (*Al.* omnem multitudinem) ejus,
Gladius foris, et pestis et fames intrinsecus : qui in agro est, gladio morietur :
et qui in civitate, pestilentia et fame devorabuntur.
Et salvabuntur qui fugerint ex eis :
et erunt in montibus quasi columbæ convallium, omnes trepidi.
C et unusquisque in iniquitate sua.
Omnes manus dissolventur,
et omnia genua fluent aquis,
Et accingent se ciliciis,
et operiet eos formido,
et in omni facie confusio,
et in universis capitibus eorum (*Al. tac.* eorum) calvitium.
Argentum eorum foras projicietur,
et aurum eorum in sterquilinium erit.
Argentum eorum, et aurum eorum
non valebit liberare eos in die furoris Domini.
Animam suam non saturabunt,
et ventres eorum non implebuntur :
quia scandalum iniquitatis eorum factum est.
Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt,
et imagines abominationum suarum et simulacrorum fecerunt ex eo :
propter hoc dedi eis illud in immunditia.
D Et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum,

[1] Eadem exemplaria ter habent verbum *Heu* repetitum hic loci, etsi alii codices mss. semel tantum *Heu* legant juxta Hieronymum in Commentariis. Quia vero frequenter occurunt in prophetis similes locutiones, huc ex Jeremia, vel e capite nono hujus libri facile transferri potuit *Heu* repetitum. MART.

[2] Non *locum*, sed *lucum* legimus in utroque exemplari Canonis : lignum vero nemorosum idem est quod *lucus*, unde sat commodus sensus exprimitur in Canone, quamvis Hebræus, *locum* habeat. MART. — Mendose *lucum* pro *locum* quos laudat Martian. mss. præferunt, cum appertissime tamen in Hebræo sit, מקום. Ansam criticorum temeritati dederint ea Hieronymianæ expositionis verba : *in excelsis collibus, inter ipsa idolorum altaria* LUCOSque, *quæ appellantur ligna nemorosa.*

[3] Suspicari licet, hoc ita mutatum a criticis, sive a libraris nomen fuisse : siquidem tum ex hujus prælectione loci in commentariis, cum ex ipsa expositione constat, lectum a S. Interprete, *contractio* quam vocem et tertio ab hoc versu retinet, ut mox dicemus. Nec profecto abludit Hebraicum verbum הצפנרה, quod proprie *circulum* sive *periodum* sonnat,

[4] Diximus, hic quoque positum ab Hieronymo, *contractio* pro *contritio* : quod manifestissime iterum liquet ex ejus expositionis contextu, ubi sic interpretatur : *Contracta est dies et abbreviata*, etc., quæ videsis. Martianæus, haud scimus quo auctore, vocem eam mutat in *confractio* : nec rectorem da nova lectione sua monet.

npiis terræ in prædam, et
ninabunt illud.
am faciem meam ab eis,
abunt arcanum meum :
bunt in illud emissarii,
taminabunt illud.
nclusionem,
im terra plena est judicio sanguinum,
tas plena iniquitate.
:am pessimos de gentibus,
si:lebunt domos eorum :
cere faciam superbiam potentium, et pos-
int sanctuaria eorum.
ı superveniente, requirent pacem, et non

rbatio super conturbationem veniet,
itus super auditum :
ent visionem de propheta,
peribit a sacerdote,
silium a senioribus.
ibit, et princeps induetur mœrore, et ma-
)puli terræ conturbabuntur.
m viam eorum faciam eis.
ndum judicia eorum judicabo eos : et scient
go Dominus.
(I.) Et factum est in anno sexto, in sexto
, in quinta mensis :
iebam in domo mea,
:s Juda sedebant coram me,
dit super me ibi manus Domini Dei :
:t ecce similitudo quasi aspectus
b aspectu lumborum ejus, et deorsum ignis:
mbis ejus, et sursum,
aspectus splendoris,
o electri.
a similitudo manus apprehendit me in
inno capitis mei :
avit me spiritus inter terram et cœlum :
:it me in Jerusalem in visione Dei,
)stium interius, quod respiciebat ad aqui-
m,
it statutum idolum zeli ad provocandam
ılationem,
bi gloria Dei Israel,
lum visionem, quam videram in campo.
ad me :
inis,
:ulos tuos ad viam aquilonis :
oculos meos ad viam aquilonis :
ı ab aquilone portæ altaris,
ı zeli in ipso introitu,
ad me :
inis,
ıe, vides tu quid isti faciant, abominationes
nas,
lomus Israel facit hic, ut procul recedam
nctuario meo ?
uc conversus videbis abominationes ma-
s.
luxit me ad ostium atrii :
et ecce foramen unum in pariete.
ad me :
inis, fode parietem.
perfodissem parietem,
ıit ostium unum.
it ad me :
lere, et vide abominationes pessimas, quas
faciunt hic.
ssus vidi,
) omnis similitudo reptilium et animalium,
minatio,
versa idola domus Israel depicta erant in
ete in circuitu per totum.
aginta viri de senioribus domus Israel,
)nias filius Saphan stabat in medio eorum
ıtium ante picturas :

A Et unusquisque habebat thuribulum in manu sua :
et vapor nebulæ de thure consurgebat.
Et dixit ad me :
Certe vides, fili hominis, quæ seniores domus Israel
faciunt in tenebris,
unusquisque in abscondito cubiculi sui.
Dicunt enim :
Non videt Dominus nos,
dereliquit Dominus terram.
Et dixit ad me :
Adhuc conversus videbis abominationes majores,
quas isti faciunt.
Et introduxit me per ostium portæ domus Domini,
quod respiciebat ad aquilonem :
et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Ado-
nidem.
Et dixit ad me :
Certe vidisti, fili hominis :
adhuc conversus videbis abominationes majores
B his.
Et introduxit me in atrium domus Domini interius :
et ecce in ostio templi Domini inter vestibulum
et altare, quasi viginti quinque viri,
dorsa habentes contra templum Domini, et facies
ad orientem :
et adorabant ad ortum solis.
Et dixit ad me :
Certe vidisti, fili hominis :
Nunquid leve est hoc domui Juda,
ut facerent abominationes istas, quas fecerunt
hic : qui replentes terram iniquitate conversi sunt
ad irritandum me ?
et ecce applicant ramum ad nares suas.
Ergo et ego faciam in furore :
non parcet oculus meus, nec miserebor,
et cum clamaverint ad aures meas voce magna,
non exaudiam eos.
(*Cap.* IX.) Et clamavit in auribus meis voce magna,
C dicens :
Appropinquaverunt visitationes urbis,
et unusquisque vas interfectionis habet in manu
sua.
Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris,
quæ respicit ad aquilonem :
et unusquisque vas interitus in manu ejus :
Vir quoque unus in medio eorum vestitus lineis,
et atramentarium scriptoris ad renes ejus.
Et ingressi sunt,
et steterunt juxta altare æreum :
Et gloria Domini (*Al.* Dei) Israel assumpta est de
cherub,
quæ erat super eum ad limen domus :
Et vocavit virum, qui indutus erat lineis, et atra-
mentarium scriptoris habebat in lumbis suis.
Et dixit Dominus ad eum :
Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem :
et signa thau super frontem virorum gementium
D et dolentium super cunctis abominationibus
quæ fiunt in medio ejus.
Et illis dixit, audiente me :
Transite per civitatem sequentem eum, et percutite :
non parcat oculus vester, neque misereamini.
Senem, adolescentulum,
et virginem, parvulum, et mulieres,
interficite usque ad internecionem ;
Omnem autem, super quem videritis thau, ne oc-
cidatis,
et a sanctuario meo incipite.
Cœperunt ergo a viris senioribus
qui erant ante faciem domus.
Et dixit ad eos :
Contaminate domum,
et implete atria interfectis :
egredimini :
Et egressi sunt,
et percutiebat eos qui erant in civitate.

Et, cæde completa, remansi ego :
ruique super faciem meam, et clamans aio :
Heu, heu, heu (*Al.* heu *semel*), Domine Deus :
ergone disperdes omnes reliquias Israel,
effundens furorem tuum super Jerusalem ?
Et dixit ad me :
Iniquitas domus Israel et Juda magna est nimis valde,
et repleta est terra sanguinibus,
et civitas repleta est aversione :
Dixerunt enim :
Dereliquit Dominus terram,
et Dominus non videt.
Igitur et meus non parcet oculus, neque miserebor :
viam eorum super caput eorum reddam,
Et ecce vir qui indutus erat lineis,
qui habebat attramentarium in dorso suo (*Al.* lumbis suis),
respondit verbum (*Al. tac.* verbum), dicens :
Feci sicut præcepisti mihi.
(*Cap.* X.) Et vidi, et ecce in firmamento, quod erat super caput cherubim, quasi lapis sapphirus.
quasi species similitudinis solii.
apparuit super ea.
Et dixit ad virum qui indutus erat lineis, et ait :
ingredere in medio rotarum quæ sunt subtus cherubim.
et imple manum tuam prunis ignis quæ sunt inter cherubim,
et effunde super civitatem.
Ingressusque est in conspectu meo,
cherubim autem stabant a dextris domus cum ingrederetur vir,
et nubes implevit atrium interius.
Et elevata est gloria Domini desuper cherub ad limen domus.
et repleta est domus nube,
et atrium repletum est splendore gloriæ Domini.
Et sonitus alarum cherubim audiebatur usque ad atrium exterius,
quasi vox Dei omnipotentis loquentis.
Cumque præcepisset viro, qui indutus erat lineis dicens :
Sume ignem de medio rotarum quæ sunt inter cherubim :
ingressus ille stetit juxta rotam.
Et extendit cherub manum de medio cherubim, ad ignem qui erat inter cherubim :
et sumpsit, et dedit in manus ejus qui indutus erat lineis :
qui accipiens egressus est.
Et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum.
Et vidi, et ecce quatuor rotæ juxta cherubim :
rota una juxta cherub unum,
et rota alia juxta cherub unum :
Species autem rotarum erat quasi visio lapidis chrysolithi.
Et aspectus earum similitudo una quatuor :
quasi sit rota in medio rotæ.
Cumque ambularent, in quatuor partes gradiebantur : non revertebantur ambulantes,
sed ad locum, ad quem ire declinabat quæ prima erat, sequebantur et cæteræ, nec convertebantur.
Et omne corpus earum, et colla, et manus, et pennæ, et circuli,
plena erant oculis, in circuitu quatuor rotarum.
Et rotas istas vocavit volubiles, audiente me.
Quatuor autem facies habebat unum
facies una, facies cherub :
et facies secunda, facies hominis :
et in tertio facies leonis :
et in quarto facies aquilæ.
Et elevata (*Al.* elevati) sunt cherubim :
ipsum est animal quod videram juxta flumen *Chobar.*

A Cumque ambularent cherubim, ibant pariter et rotæ juxta ea (*Al.* eos) :
et cum elevarent cherubim alas suas ut exaltarentur de terra,
non residebant rotæ, sed et ipsæ juxta erant.
Stantibus illis, stabant :
et cum elevatis elevabantur.
Spiritus enim vitæ erat in eis.
Et egressa est gloria Domini a limine templi :
et stetit super cherubim.
Et elevantia cherubim alas suas, exaltata sunt a terra coram me :
et illis egredientibus, rotæ quoque subsecutæ sunt :
Et stetit in introitu portæ domus Domini orientalis :
Et gloria Dei Israel erat super ea,
Ipsum est animal quod vidi subter Deum Israel juxta fluvium Chobar :
et intellexi quia cherubim essent.
B Quatuor, per quatuor, vultus uni,
et quatuor alæ uni ;
et similitudo manus hominis sub alis eorum.
Et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos videram juxta fluvium Chobar,
et intuitus eorum, et impetus singulorum ante faciem suam ingredi.
(*Cap.* XI.) Et elevavit me spiritus,
et introduxit me ad portam domus Domini orientalem, quæ respicit solis ortum.
Et ecce in introitu portæ viginti quinque viri :
et vidi in medio eorum Jezoniam filium Azur, et Pheltiam filium Banaiæ,
principes populi.
Dixitque ad me :
Fili hominis,
hi sunt viri qui cogitant iniquitatem,
et tractant consilium pessimum in urbe ista, dicentes :
C Nonne dudum ædificatæ sunt domus ?
hæc est lebes,
nos autem carnes.
Idcirco vaticinare de eis,
vaticinare, fili hominis.
Et irruit in me spiritus Domini, et dixit ad me :
Loquere :
Hæc dicit Dominus :
Sic locuti estis, domus Israel,
cogitationes cordis vestri ego novi :
Plurimos occidistis in urbe hac,
Et implestis vias ejus interfectis.
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
interfecti vestri, quos posuistis in medio ejus,
hi sunt carnes,
et hæc est lebes :
et educam vos de medio ejus.
Gladium metuistis,
et gladium inducam super vos, ait Dominus Deus.
D Et ejiciam vos de medio ejus,
daboque vos in manu hostium,
et faciam in vobis judicia.
Gladio cadetis :
in finibus Israel judicabo vos,
et scietis quia ego Dominus.
Hæc non erit vobis in lebetem,
et vos non eritis in medio ejus in carnes :
in finibus Israel judicabo vos.
Et scietis quia ego Dominus :
quia præceptis meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis,
sed juxta judicia gentium, quæ in circuitu vestro sunt, estis operati.
Et factum est, cum prophetarem,
Pheltias filius Banaiæ mortuus est :
Et cecidi in faciem meam clamans voce magna, et dixi :
Heu, heu, heu, Domine Deus :

nationem tu facis reliquiarum Israel.
est verbum Domini ad me, dicens :
inis.
ui, fratres tui,
ɔinqui tui, et omnis domus Israel, uni-

lixerunt habitatores Jerusalem :
ɔdite a Domino,
ıta est terra in possessionem.
hæc dicit Dominus Deus,
ge feci eos in gentibus,
lispersi (*Al.* dissipavi) eos in terris :
sanctificationem modicam in terris, ad
'enerunt (*Al.* venerint).
loquere :
Dominus Deus :
o vos de populis,
.bo de terris in quibus dispersi estis,
vobis humum Israel.
ɛntur illuc :
nt omnes offensiones,cunctasque abomi-
es ejus (*Al. tacet* ejus) de illa.
ɜ cor unum
ım novum tribuam in visceribus eorum:
ı cor lapideum de carne eorum,
eis cor carneum :
eptis meis ambulent,
ı mea custodiant, faciantque ea,
ıi in populum,
m eis in Deum.
r post offendicula et abominationes suas
at,
iam in capite suo ponam :
ninus Deus.
'unt cherubin alas suas et rotæ cum eis:
Dei Israel erat super ea.
t gloria Domini de medio civitatis,
ɜ super montem qui est ad orientem

levavit me,
ue in Chaldæam ad transmigrationem,
ıe, in spiritu Dei :
ıa est a me visio, quam videram.
sum ad transmigrationem omnia verba
ıi,
ɜnderat mihi.
Et factus est sermo Domini ad me, di-

is, in medio domus exasperantis tu ha-
qui oculos habent ad videndum, et non
:et aures ad audiendum,et non audiunt:
omus exasperans est.
ii hominis,fac tibi vasa transmigrationis,
ısmigrabis per diem coram eis :
abis autem de loco tuo ad locum alterum,
ɜpectu eorum,
ıspiciant :
ıus exasperans est.
'oras vasa tua quasi vasa transmigrantis
em in conspectu eorum :
ı egredieris vespere coram eis, sicut
tur migrans.
s eorum perfode tibi parietem :
ieris per eum :
:tu eorum in humeris portaberis,
ne effereris :
am velabis, et non videbis terram :
'tentum dedi te domui Israel.
ɜicut præceperat mihi :
a protuli quasi vasa transmigrationis per
:
perfodi mihi parietem manu :
ne egressus sum,
meris portatus in conspectu eorum.
ɜst sermo Domini ad me mane, dicens :
ıis,
l non dixerunt ad te domus Israel, domus

A exasperans :
Quid tu facis?
Dic ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus :
Super ducem onus istud, qui est in Jerusalem,
et super omnem domum Israel,quæ est in medio
eorum.
Dic : Ego portentum vestrum :
quomodo feci, sic illis :
in transmigrationem, et in captivitatem ibunt.
Et dux,qui est in medio eorum, in humeris por-
tabitur,
in caligine egredietur :
Parietem perfodient, ut educant eum,
facies ejus operietur,ut non videat oculo terram,
Et extendam rete meum super illum,
Et capietur in sagena mea :
Et adducam eum in Babylonem in terram Chaldæo-
rum :
B et ipsam non videbit, ibique morietur.
Et omnes qui circa eum sunt, præsidium ejus, et
agmina ejus, disperdam in omnem ventum :
et gladium evaginabo post eos.
Et scient quia ego Dominus :
quando dispersero illos in gentibus, et dissemi-
navero eos in terris.
Et reliquam ex eis viros paucos, a gladio, et fame,
et pestilentia :
ut enarrent omnia scelera eorum in gentibus ad
quas ingredientur :
et scient quia ego Dominus.
Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis.
panem tuum in conturbatione comede :
sed (*Al. tacet* sed) et aquam tuam in festinatione
et mœrore bibe.
Et dices ad populum terræ :
Hæc dicit Dominus Deus ad eos qui habitant in Je-
C rusalem, in terra Israel :
Panem suum in sollicitudine comedent,
et aquam suam in desolatione bibent :
Ut desoletur terra a multitudine sua,
propter iniquitatem omnium qui habitant in ea.
Et civitates quæ nunc habitantur, desolatæ erunt,
terraque deserta :
scietis quia ego Dominus.
Et factus est sermo Domini ad me, dicens.
Fili hominis,
quod est proverbium istud vobis in terra Israel,
dicentium :
In longum differentur dies, et peribit omnis visio?
Ideo dic ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus :
Quiescere faciam proverbium istud :
neque vulgo dicetur ultra in Israel.
Et loquere ad eos quod appropinquaverint dies et
sermo omnis visionis.
Non enim erit ultra omnis visio cassa,neque divi-
D natio ambigua in medio filiorum Israel.
Quia ego Dominus loquar quodcunque locutus fuero
verbum: et fiet,
et non prolongabitur amplius :
Sed in diebus vestris, domus exasperans, loquar
verbum, et faciam illud,
dicit Dominus Deus.
Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
ecce domus Israel dicentium :
Visio, quam hic videt, in dies multos :
et in tempora longa iste prophetat.
Propterea dic ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus :
Non prolongabitur ultra omnis sermo meus :
verbum, quod locutus fuero, complebitur, dicit
Dominus Deus.
(*Cap.* XIII.) Et factus est sermo Domini ad me,
dicens :

Fili hominis,
vaticinare ad prophetas Israel, qui prophetant
et dices prophetantibus de corde suo :
Audite verbum Domini :
Hæc dicit Dominus Deus :
Væ prophetis insipientibus,
qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.
Quasi vulpes in desertis,
Prophetæ tui, Israel, erant (*Al.* erunt).
Non ascendistis ex adverso :
neque opposuistis murum pro domo Israel,
ut staretis in prælio in die Domini.
Vident vana, et divinant mendacium, dicentes :
Ait Dominus :
cum Dominus non miserit eos :
et perseveraverunt confirmare sermonem.
Nunquid non visionem cassam vidistis,
et divinationem mendacem locuti estis :
et dicitis : Ait Dominus,
cum ego non sim locutus?
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Quia locuti estis vana, et vidistis mendacium :
ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus :
Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana
et divinant mendacium :
in consilio populi mei non erunt,
et in scriptura domus Israel non scribentur,
nec in terram Israel ingredientur,
et scietis quia ego Dominus Deus.
Eo quod deceperint populum meum, dicentes :
Pax, et non est pax,
Et ipse ædificabat parietem,
illi autem liniebant eum luto absque paleis.
Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quod
casurus sit :
erit enim imber inundans,
et dabo lapides prægrandes desuper irruentes,
et ventum procellæ dissipantem.
Siquidem ecce cecidit paries :
nunquid non dicetur vobis : Ubi est litura, quam
linistis?
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Et erumpere faciam spiritum tempestatum in indi-
gnatione mea,
et imber inundans in furore meo erit :
et lapides grandes in ira in consummationem.
Et destruam parietem quem linistis absque tempe-
ramento :
et adæquabo eum terræ,
et relevabitur fundamentum ejus :
Et cadet, et consumetur in medio ejus :
et scietis quia ego sum Dominus.
Et complebo indignationem meam in pariete,
et in his qui liniunt eum absque temperamento,
dicamque vobis :
Non est paries,
et non sunt qui liniunt eum.
Prophetæ Israel, qui prophetant ad Jerusalem,
et vident ei visionem pacis :
et non est pax, ait Dominus Deus.
Et tu, fili hominis, pone faciem tuam contra filias
populi tui, quæ prophetant de corde suo :
et vaticinare super eas, et dic :
Hæc dicit Dominus Deus :
Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus:

A et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad
capiendas animas :
Cum caperent animas populi mei,
vivificabant animas eorum :
Et violabant ad populum meum propter pugillum
hordei et fragmen panis,
ut interficerent animas quæ non moriuntur,
et vivificarent animas quæ non vivunt, menti-
entes populo meo credenti mendaciis.
Propter hoc hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis
animas volantes :
et dirumpam eos de brachiis vestris :
et dimittam animas, quas vos capitis, animas ad
volandum.
Et dirumpam cervicalia vestra,
liberabo populum meum de manu vestra,
neque erunt ultra in manibus vestris ad prædan-
dum :
B et scietis quia ego Dominus.
Pro eo quod mœrere fecistis cor justi mendaciter,
quem ego non contristavi,
et confortastis manus impii,
ut non reverteretur a via sua mala, et viveret.
Propterea vana non videbitis,
et divinationes non divinabitis amplius;
Et eruam populum meum de manu vestra :
et scietis quia ego Dominus.
(*Cap.* XIV.) Et venerunt ad me viri seniorum Israel,
et sederunt coram me.
Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus
suis,
et scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra
faciem suam :
nunquid interrogatus respondebo eis?
Propter hoc loquere eis, et dices ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus :
C Homo homo de domo Israel, qui posuerit immun-
ditias suas in corde suo,
et scandalum iniquitatis suæ statuerit (*Al.add.* ei)
contra faciem suam,
et venerit ad prophetam, interrogans per eum
me [1] :
Ego Dominus respondebo ei in multitudine immun-
ditiarum suarum :
ut capiatur domus Israel in corde suo, quo re-
cesserunt a me in cunctis idolis suis.
Propterea dic ad domum Israel :
Hæc dicit Dominus Deus :
Convertimini et recedite ab idolis vestris,
et ab universis contaminationibus vestris avertite
facies vestras.
Quia homo homo de domo Israel, et de proselytis
quicunque advena fuerit in Israel,
si alienatus fuerit a me, et posuerit idola sua in
corde suo,
D et scandalum iniquitatis suæ statuerit contra
faciem suam,
et venerit ad prophetam, ut interroget per eum
me :
ego Dominus respondebo ei per me.
Et ponam faciem meam super hominem illum, et
faciam eum in exemplum, et in proverbium,

[1] Brevis isthæc pericope, *interrogans per eum me*, hic ex veteri Latina versione ab ipso, ut videtur, Hieronymo retenta est : eam enim etiam in commentario prælegit tum ex Hebræo, *interrogans eum per me*, cum ex LXX, *ut interroget eum in me*. Et tamen hic loci neque in Hebræo est, neque apud LXX, in ullo quod sciam exemplari Græco. Habetur vero in utroque textu infra semel, suoque in loco versic. 7, et in Hebræo quidem, לדרש-לו בי, *ad interrogandum eum in me*, itemque in Græco, τοῦ ἐπερωτῆσαι αὐτὸν ἐν ἐμοί : Hieronymus iterum ibi paulo aliter : *ut interroget per eum me*. Quod igitur hoc quoque in loco eam præponit sententiam, quam pari consensu originales libri reticent, non alia est de causa, quam quod eam, in veteri Latina Vulgata repererit : hancque hujus prophetæ versionem ex præconcepta opinione existimarit satis conformem Hebraico textui, ut ipsemet profitetur in prologo.

et disperdam eum de medio populi mei :
et scietis quia ego Dominus.
Et propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum :
ego Dominus decepi prophetam illum :
Et extendam manum meam super illum,
et delebo eum de medio populi mei Israel.
Et portabunt iniquitatem suam :
juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetæ erit :
Ut non erret ultra (*Al. tac.* ultra) domus Israel a me,
neque polluatur in universis prævaricationibus suis :
sed sint mihi in populum,
et ego sim eis in Deum,
ait Dominus exercituum.
Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
terra cum peccaverit mihi, ut prævaricetur prævaricans,
extendam manum meam [*Al. tac.* meam] super eam, et conteram virgam panis ejus :
Et immittam in eam famem,
et interficiam de ea hominem et jumentum
Et si fuerint tres viri isti in medio ejus.
Noe, Daniel, et Job :
ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.
Quod si et bestias pessimas induxero super terram, ut vastem eam,
et fuerit invia, eo quod non sit pertransiens propter bestias :
et tres viri isti fuerint in ea ;
Vivo ego, dicit Dominus Deus,
quia nec filios, nec filias liberabunt :
Sed ipsi soli liberabuntur,
terra autem desolabitur.
Vel si gladium induxero super terram illam, et dixero gladio :
Transi per terram :
Et interfecero de ea hominem, et jumentum ; et tres viri isti fuerint in medio ejus :
Vivo ego, dicit Dominus Deus,
non liberabunt filios, neque filias :
sed ipsi soli liberabuntur.
Si autem et pestilentiam immisero super terram illam,
et effudero indignationem meam super eam in sanguine, ut auferam ex ea hominem et jumentum :
Et Noe, et Daniel, et Job fuerint in medio ejus :
Vivo ego, dicit Dominus Deus,
quia filium et filiam non liberabunt :
sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas.
Quoniam hæc dicit Dominus Deus :
Quod si et quatuor judicia mea pessima, gladium, et famem, ac bestias malas, et pestilentiam, misero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus :
tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios et filias :
Ecce ipsi egredientur ad vos,
et videbitis viam eorum et adinventiones eorum,
et consolabimini super malo quod induxi in Jerusalem,
in omnibus quæ importavi super eam.
Et consolabuntur vos, cum videritis viam eorum et adinventiones eorum :
et cognoscetis quod non frustra fecerim omnia quæ feci in ea, ait Dominus Deus.

A (*Cap.* XV). Et factus est sermo Domini ad me, dicens,
Fili hominis,
quid fiet ligno (*Al.* de ligno) vitis [1], ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna silvarum?
Nunquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus ;
aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcunque vas?
Ecce igni datum est in escam :
utramque partem ejus consumpsit ignis,
et medietas ejus redacta est in favillam :
nunquid utile erit ad opus?
Etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus:
quanto magis cum ignis illud devoraverit, et combusserit, nihil ex eo fiet operis?
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Quomodo lignum vitis inter ligna silvarum, quod dedi igni ad devorandum.
sic tradidi (*Al.* tradam) habitatores Jerusalem.
B Et ponam faciem meam in eos :
de igne egredientur, et ignis consumet eos.
Et scietis quia ego Dominus.
cum posuero faciem meam in eos,
et dedero terram inviam et desolatam,
eo quod prævaricatores exstiterint, dicit Dominus Deus.
(*Cap.* XVI [2]). Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
notas fac Jerusalem abominationes suas :
et dices :
Hæc dicit Dominus Deus Jerusalem :
Radix tua et generatio tua de terra Chananæa :
pater tuus Amorrhæus, et mater tua Hetthæa.
Et quando nata es, in die ortus tui,
non est præcisus umbilicus tuus,
et in aqua non es lota in salutem,
nec sale salita,
C nec involuta pannis.
Non pepercit super te oculus, ut faceret tibi unum de his, misertus tui :
sed projecta es super faciem terræ in abjectione animæ tuæ, in die qua nata es.
Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo.
Et dixi tibi cum esses in sanguine tuo : Vive.
Dixi, inquam, tibi : In sanguine tuo vive.
Multiplicatam quasi germen agri dedi te :
et multiplicata es, et grandis effecta,
et ingressa es, pervenisti ad mundum muliebrem :
Ubera tua intumerunt,
et pilus tuus germinavit,
et eras nuda et confusione plena.
Et transivi per te, et vidi te,
et ecce tempus tuum, tempus amantium.
Et expandi amictum meum super te,
et operui ignominiam tuam,
Et juravi tibi, et ingressus sum tecum pactum, ait
D Dominus Deus,
et facta es mihi.
Et lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te,
et unxi te oleo.
Et vestivi te discoloribus, et calceavi te janthinc :
et cinxi te bysso, et indui te subtilibus.
Et ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis,
et torquem circa collum tuum.
Et dedi inaurem super os tuum,
et circulos auribus tuis,
et coronam decoris in capite tuo.
Et ornata es auro et argento,

[1] Editi, *Quid fiet de ligno vitis:* exemplaria tamen Canonis et universi codices mss. legunt, *ligno vitis*, absque ulla præpositione. Cui lectioni consentiunt Commentaria sancti Hieronymi. MART.

[2] Notat ipse S. Hieronymus lib. IV Comment. in Ezechielem vaticinium hujus capitis XVI, *Pene usque ad ducentorum versuum numerum extendi.* MART.

et vestita es bysso et polymito, et multis coloribus :
Similam, et mel, et oleum comedisti,
et decora facta es vehementer nimis :
et profecisti in regnum,
et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam :
quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus Deus :
Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo :
et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres.
Et sumens de vestimentis tuis, fecisti tibi excelsa hinc inde consuta :
et fornicata es super eis.
sicut non est factum, neque futurum est.
Et tulisti vasa decoris tui de auro meo et argento meo, quæ dedi tibi :
et fecisti tibi imagines masculinas,
et fornicata es in eis.
Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria et operuisti illas :
et oleum meum, et thimiama meum posuisti coram eis.
Et panem meum, quem dedi tibi,
similam, et oleum, et mel, quibus enutrivi te,
posuisti (*Al. add.* ea) in conspectu eorum in odorem suavitatis,
et factum est, ait Dominus Deus.
Et tulisti filios tuos, et filias tuas, quas generasti mihi :
et immolasti eis ad devorandum.
Nunquid parva est fornicatio tua?
Immolasti (*Al.* immolantis) filios meos, et dedisti, illos consecrans, eis.
Et post omnes abominationes tuas et fornicationes, non es recordata dierum adolescentiæ tuæ,
quando eras nuda, et confusione plena, conculcata in sanguine tuo.
Et accidit post omnem malitiam tuam
(væ, væ tibi, ait Dominus Deus),
Et ædificasti tibi lupanar,
et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis.
Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ,
et abominabilem fecisti decorem tuum :
Et divisisti pedes tuos omni transeunti,
et multiplicasti fornicationes tuas.
Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium :
et multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me.
Ecce ego extendam (*Al.* extendi) manum meam super te, et auferam jus tuum :
et dabo te in animas odientium te filiarum Palæstinarum,
quæ erubescunt in via tua scelerata.
Et fornicata es in filiis Assyriorum,
eo quod necdum fueris expleta :
et postquam fornicata es, nec sic es satiata.
Et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldæis :
et nec sic satiata es.
In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus :
cum facias omnia hæc opera mulieris meretricis, et procacis?
Quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ, et excelsum tuum fecisti in omni platea :
nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium.
Sed quasi mulier adultera,
quæ super virum suum inducit alienos.
Omnibus meretricibus dantur mercedes :
tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis,
et donabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum.
Factumque est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis,
et post te non erit fornicatio :
In eo enim quod dedisti mercedes, et mercedes non accepisti,
factum est in te contrarium.
Propterea, meretrix, audi verbum Domini.
Hæc dicit Dominus Deus :
Quia effusum est æs tuum,
et revelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super amatores tuos,
et super idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis :
Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commista es :
et omnes quos dilexisti, cum universis quos oderas :
Et congregabo eos super te undique,
et nudabo ignominiam tuam coram eis,
et videbunt omnem turpitudinem tuam.
Et judicabo te judiciis adulterarum et effundentium sanguinem :
et dabo te in sanguinem furoris et zeli.
Et dabo te in manus eorum,
et destruent lupanar tuum :
et demolientur prostibulum tuum :
Et denudabunt te vestimentis tuis,
et auferent vasa decoris tui :
et derelinquent te nudam plenamque ignominia :
Et adducent super te multitudinem,
et lapidabunt te lapidibus,
et trucidabunt te gladiis suis.
Et comburent domos tuas igni.
et facient in te judicia in oculis mulierum plurimarum :
et desines fornicari,
et mercedes ultra non dabis.
Et requiescet indignatio mea in te :
et auferetur zelus meus a te, et quiescam :
nec irascar amplius.
Eo quod non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ :
et provocasti me in omnibus his.
Quapropter et ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus,
et non feci juxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis.
Ecce omnis qui dicit vulgo proverbium,
in te assumet illud, dicens :
Sicut mater, ita et filia ejus.
Filia matris tuæ es tu,
quæ projecit virum suum, et filios suos :
Et soror sororum tuarum es tu,
quæ projecerunt viros suos et filios suos :
Mater vestra Hetthæa, et pater vester Amorrhæus.
Et soror tua major, Samaria,
ipsa et filiæ ejus quæ habitant ad sinistram tuam:
Soror autem tua minor te, quæ habitat a dextris tuis,
Sodoma, et filiæ ejus.
Sed nec in viis earum ambulasti,
neque secundum scelera earum fecisti pauxillum minus :
Pene sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis.
Vivo ego, dicit Dominus Deus,
quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, et filiæ ejus, sicut fecisti tu, et filiæ tuæ.
Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ,
superbia,
saturitas panis et abundantia,
et otium ipsius, et filiarum ejus :
Et manum egeno et pauperi non porrigebant.
Et elevatæ sunt, et fecerunt abominationes coram me :

et abstuli eas, sicut vidi [1].
Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit :
sed vicisti eas sceleribus tuis,
et justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es.
Ergo et tu porta confusionem tuam, quæ vicitis sorores tuas peccatis tuis,
sceleratius agens ab eis :
justificatæ sunt enim a te :
Ergo et tu confundere,
et porta ignominiam tuam,
quæ justificasti sorores tuas.
Et convertam restituens eas conversatione Sodomorum cum filiabus suis,
et conversione Samariæ et filiarum ejus :
Et convertam reversionem tuam in medio earum,
ut portes ignominiam tuam,
et confundaris in omnibus, quæ fecisti consolans eas.
Et soror tua Sodoma, et filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam :
et Samaria et filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam :
et tu, et filiæ tuæ revertemini ad antiquitatem vestram.
Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo, in die superbiæ tuæ,
antequam revelaretur malitia tua :
Sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ,
et cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæstinarum,
quæ ambiunt te per gyrum.
Scelus tuum et ignominiam tuam tu portasti,
ait Dominus Deus,
Quia hæc dicit Dominus Deus.
Et faciam tibi, sicut despexisti juramentum,
ut irritum faceres pactum :
Et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ :
Et suscitabo tibi pactum sempiternum.
Et recordaberis viarum tuarum, et confunderis :
cum receperis sorores tuas te (*Al.* tecum) majores cum minoribus tuis :
Et dabo eas tibi in filias,
sed non ex pacto tuo.
Et suscitabo ego (*Al.* tibi) pactum meum tecum :
et scies quia ego Dominus,
ut recorderis, et confundaris,
et non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua,
cum placatus fuero tibi in omnibus quæ fecisti,
ait Dominus Deus :
(*Cap.* XVII.) Et factum est verbum Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
propone ænigma,
et narra parabolam ad domum Israel, et dices :
Hæc dicit Dominus Deus :
Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu,
plena plumis et varietate,
venit ad Libanum, et tulit medullam cedri.
Summitatem frondium ejus evellit :
et transportavit eam in terram Chanaan,
in urbe negotiatorum posuit illam.
Et tulit de semine terræ,
et posuit illud in terra pro semine,
ut firmaret radicem super aquas multas :
in superficie posuit illud.
A Cumque germinasset, crevit in vineam latiorem humili statura,
respicientibus ramis ejus ad eam :
et radices ejus sub illa erant.
Facta est ergo vinea,
et fructificavit in palmites, et emisit propagines.
Et facta est aquila altera grandis,
magnis alis, multisque plumis :
Et ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam,
palmites suos extendit ad illam,
ut irrigaret eam de areolis germinis sui.
In terra bona super aquas multas plantata est (*Al.* plantavit eam).
ut faciat frondes, et portet fructum,
ut sit in vineam grandem.
Dic :
Hæc dicit Dominus Deus :
Ergone prosperabitur?
B nonne radices ejus evellet, et fructum ejus distringet,
et siccabit omnes palmites germinis ejus, et arescet?
Et non in brachio grandi,
neque in populo multo,
ut evelleret eam radicitus?
ce plantata est :
ergone prosperabitur?
Nonne cum tetigerit eam ventus urens siccabitur,
et in areis germinis sui arescet?
Et factum est verbum Domini ad me dicens :
Dic ad domum exasperantem :
Nescitis quid ista significent?
Dic :
Ecce venit rex Babylonis in Jerusalem :
et assumet regem, et principes ejus,
et adducet eos ad semetipsum in Babylonem.
Et tollet de semine regni,
C feriętque cum eo fœdus :
et accipiet ab eo jusjurandum.
Sed et fortes terræ tollet,
ut sit regnum humile, et non elevetur,
sed custodiat pactum ejus, et serviet illud.
Qui recedens ab eo misit nuntios ad Ægyptum.
ut daret sibi equos, et populum multum.
Nunquid prosperabitur, vel consequetur salutem qui fecit hæc?
et qui dissolvit pactum, nunquid effugiet?
Vivo ego, dicit Dominus Deus,
quoniam in loco regis, qui constituit eum regem,
cujus fecit irritum juramentum, et solvit pactum, quod habebant cum eo,
in medio Babylonis morietur.
Et non in exercitu grandi,
neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium :
In jactu aggeris, et in exstructione vallorum,
ut interficiat animas multas.
D Spreverat enim juramentum ut solveret fœdus,
et ecce dedit manum suam :
et cum omnia hæc fecerit, non effugiet.
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Vivo ego, quoniam juramentum quod sprevit,
et fœdus quod prævaricatus est, ponam in caput ejus.
Et expandam super eum rete meum,
et comprehendetur in sagena mea :
Et adducam eum in Babylonem,
et judicabo eum ibi, in prævaricatione qua despexit me,
Et omnes profugi ejus cum universo agmine suo,

[1] Ita Hæbræus et Canon San-Germanensis. Cæteri omnes mss. codices cum editis libris retinent secundam personam, *vidisti*. Utraque lectio verum congruumque efficit sensum ; *vidi* enim ad Deum referri debet, qui abstulit urbes Sodomorum et Samaritarum sicut ipsi visum est, et sicut placuit in oculis ejus. *Vidisti* autem refertur ad Judæorum gentem, quia ipsi testes fuerunt subversionis urbium jam dictarum. MART. — Vulgati cum aliquot mss., *vidisti*, dissentiente Hæbro ראיתי.

gladio cadent :
residui autem in omnem ventum dispergentur :
et scietis quia ego Dominus locutus sum.
Hæc dicit Dominus Deus :
Et sumam ego de medulla cedri sublimis,et ponam
de vertice ramorum ejus tenerum distringam,
et plantabo super montem excelsum et eminentem.
In monte sublimi Israel plantabo illud,
et erumpet in germen, et faciet fructum,
et erit in cedrum magnam :
Et habitabunt sub ea omnes volucres,
et universum volatile sub umbra frondium ejus nidificabit,
Et scient omnia ligna regionis,
quia ego Dominus humiliavi lignum sublime,
et exaltavi (*Al.* elevavi) lignum humile :
Et siccavi lignum viride,
et frondere feci lignum aridum.
Ego Dominus locutus sum, et feci.
(*Cap.* XVIII.) Et factus est sermo Domini ad me dicens :
Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes :
Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt (*Al.* obstupuerunt) ?
Vivo ego, dicit Dominus Deus,
si erit vobis ultra parabola hæc in proverbium in Israel.
Ecce omnes animæ meæ sunt :
ut anima patris, ita et anima filii mea est :
Anima, quæ peccaverit,
ipsa morietur.
Et vir si fuerit justus,
et fecerit judicium et justitiam,
In montibus non comederit,
et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel:
Et uxorem proximi sui non violaverit,
et ad mulierem menstruatam non accesserit :
Et hominem non contristaverit:
pignus debitori reddiderit,
per vim nihil rapuerit :
Panem suum esurienti dederit,
et nudum operuerit vestimento :
Ad usuram non commodaverit,
et amplius non acceperit :
Ab iniquitate averterit manum suam,
judicium verum fecerit inter virum et virum :
In præceptis meis ambulaverit,
et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem :
Hic justus est,
vita vivet, ait Dominus Deus.
Quod si genuerit filium latronem effundentem sanguinem.
et fecerit unum de istis :
Et hæc quidem omnia non facientem,
sed in montibus comedentem ;
et uxorem proximi sui polluentem :
Egenum et pauperem contristantem,
rapientem rapinas.
pignus non reddentem,
Et ad idola levantem oculos suos,
abominationem facientem :
Ad usuram dantem,
et amplius accipientem :
Nunquid vivet ?
Non vivet.
Cum universa detestanda hæc fecerit, morte morietur,
sanguis ejus in ipso erit,
Quod si genuerit filium,
qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, et non fecerit simile (*Al.* similiter) eis :
Super montes non comederit,
et oculos suos non levaverit ad idola domus *Israel*,
A Et uxorem proximi sui non violaverit :
Et virum non contristaverit,
pignus non retinuerit,
et rapinam non rapuerit,
Panem suum esurienti dederit,
et nudum operuerit vestimento,
A pauperis injuria averterit manum suam,
usuram et superabundantiam non acceperit,
judicia mea fecerit.
in præceptis meis ambulaverit :
Hic non morietur in iniquitate patris sui sed vita vivet.
Pater ejus quia (*Al.* qui) calumniatus est, et vim fecit fratri,
et malum operatus est in medio populi sui.
ecce (*Al.* hic) mortuus est in iniquitate sua. :
Et dicitis :
Quare non portavit filius iniquitatem patris ?
Videlicet, quia filius judicium et justitiam operatus
B est.
omnia præcepta mea custodivit, et fecit illa,
vita vivet.
Et anima, quæ peccaverit,
ipsa morietur :
Filius non portabit iniquitatem patris,
et pater non portabit iniquitatem filii :
Justitia justi super eum erit.
et impietas impii erit super eum.
Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est,
et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam :
vita vivet, et non morietur,
Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor :
in justitia sua, quam operatus est, vivet.
Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus,
et non ut convertatur a viis suis, et vivat ?
C Si autem averterit se justus a justitia sua,
et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius,
nunquid vivet ?
Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur (*Al.* erunt in memoria),
in prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur,
Et dixistis :
Non est æqua via Domini.
Audite ergo, domus Israel :
Nunquid via mea non est æqua,
et non magis viæ vestræ pravæ sunt ?
Cum enim averterit se justus a justitia sua,
et fecerit iniquitatem,
morietur in eis :
in injustitia, quam operatus est, morietur.
Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam
D operatus est.
et fecerit judicium et justitiam :
ipse animam suam vivificabit.
Considerans enim, et avertens se ab omnibus iniquitatibus, suis, quas operatus est,
vita vivet, et non morietur.
Et dicunt filii Israel :
Non est æqua via Domini.
Nunquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel,
et non magis viæ vestræ pravæ?
Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo, domus Israel, ait Dominus Deus.
Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris :
et non erit vobis in ruinam iniquitas.
Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis,
et facite vobis cor novum et spiritum novum :
Et quare moriemini, domus Israel ?
Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus,

revertimini, et vivite.
(*Cap.* XIX.) Et tu [1], assume planctum super principes Israel, et dices :
Quare mater tua leæna inter leones cubavit,
in medio leunculorum enutrivit catulos suos ?
Et eduxit unum de leunculis suis ?
leo factus est :
et didicit capere prædam, hominemque comedere.
Et audierunt de eo gentes,
et non absque vulneribus suis ceperunt eum,
et adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti.
Quæ cum vidisset quoniam infirmata est, et periit exspectatio ejus :
tulit unum de leunculis suis, leonem constituit eum.
Qui incedebat inter leones,
et factus est leo :
et didicit prædam capere, et homines devorare ;
Didicit viduas facere,
et civitates eorum in desertum adducere :
Et desolata est terra, et plenitudo ejus, a voce rugitus illius.
Et convenerunt adversus eum gentes undique de provinciis,
et expanderunt super eum rete suum,
in vulneribus earum captus est.
Et miserunt eum in caveam [2],
et in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis :
Miseruntque eum in carcerem,
ne audiretur vox ejus ultra semper montes Israel.
Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata :
fructus ejus, et frondes ejus creverunt ex aquis multis.
Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium,
et exaltata est statura ejus inter frondes :
Et vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum.
Et evulsa est in ira, in terramque projecta,
et ventus urens siccavit fructum ejus :
Marcuerunt, et arefactæ sunt virgæ roboris ejus : ignis comedit eam.
Et nunc transplantata est in desertum,
in terra invia et sitienti.
Et egressus est ignis de virga ramorum ejus,
qui fructum ejus comedit :
Et non fuit in ea virga fortis,
sceptrum dominantium. [3].
Planctus est,
et erit in planctum.
(*Cap.* XX.) Et factum est in anno septimo, in quinto, in decima mensis :
venerunt viri de senioribus Israel, ut interrogarent Dominum,
et sederunt coram me :
Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
loquere senioribus Israel, et dices ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus :
Num ad interrogandum me vos venistis ?
Vivo ego quia non respondebo vobis, ait Dominus Deus.
Si judicas eos, si judicas, fili hominis,
abominationes patrum eorum (*Al.* suorum) ostende eis.
Et dices ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus :

A In die, qua elegi Israel,
levavi manum meam pro stirpe domus Jacob,
et apparui eis in terra Ægypti.
et levavi manum meam pro eis, dicens :
Ego Dominus Deus vester :
In die illa levavi manum meam pro eis,
ut educerem eos de terra Ægypti in terram,
quam provideram eis, fluentem lacte et melle :
quæ est egregia inter omnes terras.
Et dixi ad eos :
Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat,
et in idolis Ægypti nolite pollui :
Ego Dominus Deus vester.
Et irritaverunt me,
noluerunt que me audire,
unusquisque abominationes oculorum suorum non projecit,
nec idola Ægypti reliquerunt :
Et dixi, ut effunderem indignationem meam super
B eos, et implerem iram meam in eis, in medio terræ Ægypti.
Ejeci ergo eos de terra Egypti,
Et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus, in quarum medio erant,
et inter quas apparui eis, ut educerem eos de terra Ægypti.
et eduxi in desertum.
Et dedi eis, præcepta mea,
et judicia mea ostendi eis,
quæ faciat homo, et vivat in eis.
Insuper et sabbata mea dedi eis,
ut esset signum inter me et eos :
et scirent quia ego Dominus sanctificans eos.
Et irritaverunt me domus Israel in deserto,
in præceptis meis non ambulaverunt,
et judicia mea projecerunt,
quæ faciens homo vivet in eis :
et sabbata mea violaverunt vehementer :
C Dixi ergo, ut effunderem furorem meum super eos in deserto,
et consumerem eos,
Et feci propter nomen meum, ne violaretur coram gentibus.
de quibus ejeci eos in conspectu earum.
Ego igitur levavi manum meam super eos in deserto,
ne inducerem (*Al.* educerem) eos in terram,
quam dedi eis, fluentem lacte et melle,
præcipuam terrarum omnium :
Quia judicia mea projecerunt,
et in præceptis meis non ambulaverunt,
et sabbata mea violaverunt :
post idola enim cor eorum gradiebatur.
Et pepecit oculus meus super eos, ut interficerem eos,
nec consumpsi eos in deserto.
Dixi autem ad filios eorum in solitudine :
In præceptis patrum vestrorum nolite incedere,
D nec judicia eorum custodiatis,
nec in idolis eorum polluamini.
Ego Dominus Deus vester :
in præceptis meis ambulate,
judicia mea custodite et facite ea :
Et sabbata mea sanctificate,
ut sit signum inter me et vos,
et sciatis (*Al.* sciatur) quia ego sum Dominus Deus vester.
Et exacerbaverunt me filii,
in præceptis meis non ambulaverunt,
et judicia mea non custodierunt ut facerent ea :

[1] In exemplaribus Canonis, *Et tu, fili hominis* quod Syrus et Arabs retinent. Hebræus tamen. Commentaria S. Hieronymi, tresque antiquissimi mss. codices sacrorum Bibliorum, nihil amplius legunt præter id, quod e nobis positum legitur. MART.

[2] Palatin. ms. aliique penes Martian. Hebræo pressius, *In caveam in catenis, et adduxerunt eum*, etc.

[3] Canon San-Germanensis et ms. Corbiensis prima manu, *In sceptrum dominantium*. MART.

quæ cum fecerit homo, vivet in eis :
et sabbata mea violaverunt :
Et comminatus sum ut effunderem furorem meum super eos,
et implerem iram meam in eis in deserto.
Averti autem manum meam,
et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus,
de quibus ejeci eos in oculis earum.
Iterum levavi manum meam in eos in solitudine,
ut dispergerem illos in nationes, et ventilarem in terras :
Eo quod judicia mea non fecissent,
et præcepta mea reprobassent,
et sablata mea violassent,
et post idola patrum suorum fuissent oculi eorum.
Ergo et ego dedi eis præcepta non bona,
et judicia in quibus non vivent.
Et pollui eos in muneribus suis.
cum offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta sua :
et scient quia ego Dominus.
Quamobrem loquere ad domum Israel, fili hominis, et dices ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus :
Adhuc et in hoc blasphemaverunt me patres vestri, cum sprevissent me contemnentes :
Et induxissem eos in terram, super quam levavi manum meam, ut darem illam eis.
Viderunt omnem collem excelsum, et omne lignum nemorosum,
et immolaverunt ibi victimas suas ;
et dederunt ibi irritationem oblationis suæ,
et posuerunt ibi odorem suavitatis suæ.
et libaverunt (*Al. add.* ibi) libationes suas.
Et dixi ad eos :
Quid est excelsum, ad quod vos ingredimini ?
et vocatum est nomen ejus : Excelsum, usque ad hanc diem.
Propterea dic ad domum Israel :
Hæc dicit Dominus Deus :
Certe (*Al. tac.* certe) in via patrum vestrorum vos polluimini, et post offendicula eorum vos fornicamini :
Et in oblatione donorum vestrorum,
cum transducitis filios vestros per ignem,
vos polluimini in omnibus idolis vestris usque hodie :
Et ego respondebo vobis, domus Israel ?
Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis.
Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium :
Erimus sicut gentes, et sicut cognationes terræ, ut colamus ligna et lapides.
Vivo ego, dicit Dominus Deus.
quoniam in manu forti, et brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos.
Et educam vos de populis :
et congregabo vos de terris, in quibus, dispersi estis : in manu valida, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos.
Et adducam vos in desertum populorum,
et judicabor vobiscum ibi facie ad faciem.
Sicut judicio contendi adversum patres vestros in deserto terræ Ægypti,
si judicabo vos, dicit Dominus Deus.
Et subjiciam vos sceptro meo,
et inducam vos in vinculis fœderis.
Et eligam de vobis transgressores et impios,
et de terra incolatus eorum educam eos,
et terram Israel non ingredientur :
et scietis quia ego Dominus.
Et vos, domus Israel,
Hæc dicit Dominus Deus :
Singuli post idola vestra ambulate, et servite eis.
Quod si et in hoc non audieritis me,
et nomen meum sanctum polluetis ultra in mu-

A neribus vestris, et in idolis vestris :
In monte sancto meo, in monte excelso Israel, et ait Dominus Deus,
ibi serviet mihi omnis domus Israel ;
Omnes, inquam, in terra, in qua placebunt mihi.
et ibi quæram primitias vestras, et initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris.
In odorem suavitatis suscipiam vos,
cum eduxero vos de populis, et congregavero vos de terris in quas dispersi estis,
et sanctificabor, in vobis in oculis nationum.
Et scietis quia ego Dominus,
cum induxero vos ad terram Israel,
in terram pro qua levavi manum meam, ut darem eam patribus vestris.
Et recordabimini ibi viarum vestrarum, et omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis : et displecibitis vobis in conspectu vestro in
B omnibus malitiis vestris, quas fecistis.
Et scietis quia ego Dominus,
cum benefecero vobis propter nomen meum,
et non secundum vias vestras malas,
neque secundum scelera vestra pessima, domus Israel, ait Dominus Deus.
Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
pone faciem tuam contra viam Austri, et stilla ad Africum,
et propheta ad saltum agri meridiani.
Et dices saltui meridiano :
Audi verbum Domini :
Hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego succendam in te ignem,
et comburam in te omne lignum viride, et omne lignum aridum.
Non exstinguetur flamma succensionis :
et comburetur in ea omnis facies ab Austro usque ad Aquilonem.
C Et videbit universa caro, quia ego Dominus succendi eam,
nec exstinguetur.
Et dixi :
A a a, Domine Deus
Ipse dicunt de me :
Nunquid non per parabolas loquitur iste ?
(*Cap.* XXI.) Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
pone faciem tuam ad Jerusalem, et stilla ad sanctuaria,
et propheta contra humum Israel :
Et dices terræ Israel :
Hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego ad te,
et ejiciam gladium meum de vagina sua,
et occidam in te justum et impium.
Pro eo autem quod occidisti in te justum et impium,
D idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro ad Aquilonem :
Ut sciat (*Al.* et sciet) omnis caro quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem.
Et tu, fili hominis,
ingemisce in contritione lumborum,
et in amaritudinibus ingemisce coram eis.
Cumque dixerunt ad te :
Quare tu gemis ?
dices :
Pro auditu : quia venit
Et tabescet omne cor, et dissolventur universæ manus,
et infirmabitur omnis spiritus, et per cuncta genua fluent aquæ.
Ecce venit, et fiet, ait Dominus Deus (*Al. tac.* Deus).
Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,

propheta, et dices :
Hæc dicit Dominus Deus :
Loquere :
Gladius, gladius exacutus est, et limatus.
Ut cædat victimas, exacutus est :
ut splendeat, limatus est :
Qui moves sceptrum filii mei,
succidisti omne lignum.
Et dedi eum ad levigandum, ut teneatur manu :
iste exacutus est gladius, et iste limatus,
ut sit in manu interficientis.
Clama, et ulula, fili hominis,
quia hic factus est in populo meo,
hic in cunctis ducibus Israel qui fugerant :
Gladio traditi sunt cum populo meo,
idcirco plaude super femur, qui probatus est :
et hoc, cum sceptrum subverterit, et non erit,
dicit Dominus Deus.
Tu ergo, fili hominis, propheta, et percute manu ad manum,
et duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum :
Hic est gladius occisionis magnæ,
qui obstupescere eos facit, et corde tabescere, et multiplicat ruinas.
In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti, et limati ad fulgendum,
amicti ad cædem.
Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram,
quocunque faciei tuæ est appetitus.
Quin et ego p'audam manu ad manum,
et implebo indignationem meam,
ego Dominus locutus sum.
Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Et tu, fili hominis,
pone tibi duas vias, ut veniat gladius regis Babylonis :
De terra una egredientur ambæ :
et manu capiet conjecturam,
in capite viæ civitatis conjiciet.
Viam pones ut veniat gladius ad Rabbath aliorum Ammon,
et ad Judam in (*Al.* et ad) Jerusalem munitissimam.
Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens,
commiscens sagittas : interrogavit idola,
exta consuluit.
Ad dexteram ejus facta est divinatio super Jerusalem,
ut ponat arietes,
ut aperiat os in cæde,
ut elevet vocem in ululatu,
ut ponat arietes contra portas,
ut comportet aggerem,
ut ædificet munitiones.
Eritque quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum,
et sabbatorum otium imitans :
Ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum.
Idcirco hæc dicit Dominus Deus :
Pro eo quod recordati estis iniquitatis vestræ, et revelastis prævaricationes vestras,
et apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris :
Pro eo, inquam, quod recordati estis, manu capiemini.
Tu autem, profane, impie, dux Israel,
cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita:
Hæc dicit Dominus Deus :
Aufer cidarim, tolle coronam :
nonne hæc est, quæ humilem sublevavit, et sublimem humiliavit ?

A Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam :
et hoc non factum est, donec veniret (*Al.* fiet *et* veniat) cujus est judicium,
et tradam ei.
Et tu, fili hominis, propheta, et dic :
Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon,
et ad opprobrium eorum, et dices :
Mucro, mucro, evagina te ad occidendum,
lima te, ut interficias, et fulgeas,
Cum tibi viderentur vana, et divinarentur mendacia [1],
ut daretis super colla vulneratorum impiorum :
quorum venit dies tempore iniquitatis præfinita.
Revertere ad vaginam tuam, in loco in quo creatus es,
in terra nativitatis tuæ judicabo te,
et effundam super te indignationem meam :
In igne furoris mei sufflabo in te,
daboque te in manus hominum insipientium
B (*Al.* stultorum), et fabricantium interitum (*Al.* corruptionem).
Igni eris cibus,
sanguis tuus erit in medio terræ,
oblivioni traderis :
quia ego Dominus locutus sum.
(*Cap.* XXII). Et factum est verbum Domini ad me, dicens :
Et tu, fili hominis,
num judicas, num judicas civitatem sanguinum ?
Et ostendes (*Al.* ostennis) ei omnes abominationes suas, et dices :
Hæc dicit Domiuus Deus :
Civitas effundens sanguinem in medio sui, ut veniat tempus ejus :
et quæ fecit idola contra semetipsam, ut polluеretur.
In sanguine tuo, qui a te effusus est, deliquisti :
C et in idolis tuis, quæ fecisti, polluta es :
Et appropinquare fecisti dies tuos,
et adduxisti tempus annorum tuorum ;
Propterea dedi te opprobrium gentibus,
et irrisionem universis terris.
Quæ juxta sunt, et quæ procul a te, triumphabunt de te :
sordida, nobilis, grandis interitu.
Ecce principes Israel singuli in brachio suo fuerunt in te,
ad effundendum sanguinem.
Patrem et matrem contumeliis affecerunt in te,
advenam calumniati sunt in medio tui,
pupillum et viduam contristaverunt apud te :
Sanctuaria mea sprevisti (*Al.* sprevistis), (*Al.* polluistis),
et sabbata mea polluisti.
Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem,
D et super montes comederunt in te,
scelus operati sunt in medio tui.
Verecundiora patris discooperuerunt in te,
immunditam menstruatæ humiliaverunt in te :
Et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem,
et sorcer nurum suam polluit nefarie,
frater sororem suam, filiam patris sui oppressit in te.
Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem :
Usuram et superabundantiam accepisti,
et avare proximos tuos calumniabaris
meique oblita es, ait Dominus Deus :
Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam quam fecisti,

[1] Consutum hic habet Canonis San-Germanensis textus sacer scholion istud sequens : « Non est dæmonum divinatio, sed Dei judicium, qui perfectæ malitiæ dedit finem. » Unde fluxerit sententia hæc : Nostrum non est divinare. MART.

et super sanguinem qui effusus est in medio tui.
Nunquid sustinebit cor tuum,aut prævalebunt manus tuæ, in diebus quos ego faciam tibi ?
ego Dominus locutus sum, et faciam.
Et dispergam te in nationes, et ventilabo te in terras.
et deficere faciam immunditiam tuam a te.
Et possidebo, te in conspectum gentium :
et scies quia ego Dominus.
Et factum est verbum Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
versa est mihi domus Israel in scoriam :
Omnes isti æs,et stannum,et ferrum,et plumbum in medio fornacis :
scoria argenti facti sunt.
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Eo quod versi estis omnes in scoriam,
propterea ecce ego congregabo vos in medio Jerusalem,
congregatione argenti, et æris, et ferri,et stanni, et plumbi in medio fornacis :
ut succendam in ea ignem ad conflandum.
Sic congregabo in furore meo, et in ira mea, et requiescam :
et conflabo vos.
Et congregabo vos,
et succendam vos in igne furoris mei,
et conflabimini in medio ejus.
Ut conflatur argentum in medio fornacis,sic eritis in medio ejus :
et scietis quia ego Dominus,cum effuderim indignationem meam super vos.
Et factum est verbum Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
dic ei :
Tu es terra immunda,
et non compluta in die furoris.
Conjuratio prophetarum in medio ejus.
sicut leo rugiens, rapiensque prædam,
animam devoraverunt,
opes et pretium acceperunt,
viduas ejus multiplicaverunt in medio illius.
Sacerdotes ejus contempserunt legem meam,
et polluerunt sanctuaria mea :
inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam :
et inter pollutum et mundum non intellexerunt:
et a sabbatis meis averterunt oculos suos,
et coinquinabar in medio eorum.
Principes ejus in medio illius,quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem.
et ad perdendas animas et avare ad sectanda lucra.
Prophetæ autem ejus liniebant eos absque temperamento.
videntes vana, et divinantes eis mendacium, dicentes :
Hæc dicit Dominus Deus,
cum Dominus non sit locutus.
Populi terræ calumniabantur calumniam,
et rapiebant violenter :
Egenum et pauperem affligebant,
et advenam opprimebant calumnia absque judicio.
Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem,
et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam :
et non inveni.
Et effudi super eos indignationem meam,
in igne iræ meæ consumpsi eos :
Viam eorum in caput eorum reddidi,
ait Dominus Deus.
(*Cap.* XXIII.) Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
duæ mulieres filiæ unius matris fuerunt,
et fornicatæ sunt in Ægypto,
in adolescentia sua fornicatæ sunt :
Ibi subacta sunt ubera earum,
et fractæ sunt mammæ pubertatis earum,
Nomina autem earum,Oolla major,et Ooliba soror ejus :
et habui eas, et pepererunt filios et filias.
Porro earum nomina, Samaria Oolla,
et Jerusalem Ooliba.
Fornicata est igitur Oolla super me,
et insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes (*Al. add.* ei.)
vestitos hyacintho,
principes, et magistratus, juvenes cupidinis,
universos equites, ascensores equorum.
Et dedit fornicationes suas super eos electos, filios Assyriorum universos :
Et in omnibus in quos insanivit,
in immunditiis eorum polluta est.
Insuper et fornicationes suas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit :
nam et illi dormierant cum ea in adolescentia ejus,
et illi confregerant ubera pubertatis ejus,
et affuderant fornicationem suam super eam.
Proptera tradidi eam in manus amatorum suorum,
in manus filiorum Assur,
super quorum insanivit libidine.
Ipsi discooperuerunt ignominiam ejus,
filios et filias ejus tulerunt,
et ipsam occiderunt gladio ;
Et factæ sunt famosæ mulieres,
et judicia perpetraverunt in ea.
Qod cum vidisset soror ejus Ooliba, plusquam illa insanivit libidine :
et fornicationem suam super fornicationem sororis suæ ad filios Assyriorum præbuit impudenter,
ducibus et magistratibus ad se venientibus, indutis veste varia,
equitibus, qui vectabantur equis, et adolescentibus forma cunctis egregia.
Et vidi quod polluta esset via una ambarum.
Et auxit fornicationes suas :
cumque vidisset viros depictos in pariete,
imagines Chaldæorum expressas coloribus,
et accinctos balteis renes,
et tiaras tinctas in capitibus eorum,
formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis,
terræque Chaldæorum, in qua orti sunt,
Et insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum,
et misit nuntios ad eos in Chaldæam.
Cumque venissent ad eam filii Babylonis ad cubile mammarum, polluerunt eam stupris suis,
et polluta est ab eis, et saturata est anima ejus ab illis.
Denudavit quoque fornicationes suas, et discooperuit ignominiam suam :
et recessit anima mea ab ea,
sicut recesserat anima mea a sorore ejus,
Multiplicavit enim fornicationes suas,
recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti.
Et insanivit libidine super concubitum eorum,
quorum carnes sunt, ut carnes asinorum :
et sicut fluxus equorum, fluxus eorum.
Et visitasti scelus adolescentiæ tuæ,
quando subacta sunt in Ægypto ubera tua,
et confractæ mammæ pubertatis tuæ.
Propterea, Ooliba,
hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te,
de quibus satiata est anima tua :
et congregabo eos adversum te in circuitu ;
Filios Babylonis, et universos Chaldæos,
nobiles, tyrannosque et principes,
omnes filios Assyriorum, juvenes forma egregia,

:t magistratus universos, principes princi-
,
inatos ascensores equorum :
it super te instructi curru et rota, multi-
populorum :
et clypeo, et galea armabuntur contra te
que :
:oram (*Al. tacet* coram) eis judicium,
cabunt te judiciis suis.
ı zelum meum in|te, quem exercent tecum
rore :
tuum et aures tuas præcident :
remanserint, gladio concident.
ı tuos et filias tuas capient ;
ssimum tuum devorabitur igni.
abunt te vestimentis tuis,
nt vasa gloriæ tuæ.
escere faciam (*Al.* facient) scelus tuum
ı,
ıcationem tuam de terra Ægypti :
'abis oculos tuos ad eos,
pti non recordaberis amplius.
dicit Dominus Deus :
tradam te in manus eorum, quos odisti :
us, de quibus satiata est anima tua.
tecum in odio,
nt omnes labores tuos,
ttent te nudam et ignominia plenam.
bitur ignominia fornicationum tuarum,
tuum et fornicationes tuæ.
hæc tibi, quia fornicata es post gentes,
uas polluta es in idolis earum.
roris tuæ ambulasti,
) calicem ejus in manu tua.
t Dominus Deus :
)ororis tuæ bibes profundum et latum :
derisum et in subsannationem, quæ est
cissima.
et dolore repleberis ;
nœroris et tristitiæ,
)ororis tuæ Samariæ.
illum, et epotabis usque ad fæces,
menta ejus devorabis,
'a tua lacerabis :
o locutus sum, ait Dominus Deus [*Al. tacet*
].
ı hæc dicit Dominus Deus :
ita es mei, et projecisti me post corpus
ı,
ıue porta scelus tuum et fornicationes tuas.
minus ad me, dicens :
nis,
d judicas Oollam, et Oolibam,
ıntias eis scelera earum ?
lteratæ sunt,
;uis in manibus earum,
idolis suis fornicatæ sunt :
:t filios suos, quos genuerunt mihi,
'unt eis ad devorandum,
c fecerunt mihi :
'unt sanctuarium meum in die illa,
'ata mea profanaverunt.
mmolarent filios suos idolis suis,
)derentur sanctuarium meum in die illa, ut
erent illud :
ıæc fecerunt in medio domus meæ.
ad viros venientes de longe,
s nuntium [1] miserant :
ce venerunt, quibus te lavisti, et circumli-
stibio [2] oculos tuos,
ta es mundo muliebri.
lecto pulcherrimo,

A et mensa ordinata est ante te
thymiama meum, et unguentum meum posuisti
super eam.
Et vox multitudinis exsultantis erat in ea ;
et in viris, qui de multitudine hominum adduce-
bantur, et veniebant de deserto,
posuerunt armillas in manibus eorum,
et coronas speciosas in capitibus eorum,
Et dixi ei, quæ attrita est in adulteriis :
Nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc.
Et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretri-
cem :
Sic ingrediebantur ad Oollam et Oolibam, mulieres
nefarias.
Viri ergo isti (*Al. tacet* isti) justi sunt :
hi judicabunt eas judicio adulterarum,
et judicio effundentium sanguinem :
Quia adulteræ sunt,
et sanguis in manibus earum.
B Hæc enim dicit Dominus Deus :
Adduc ad eas multitudinem,
et trade eas in tumultum et in rapinam.
Et lapidentur lapidibus populorum,
et confodiantur gladiis eorum.
Filios et filias earum interficient,
et domos earum igne succendent.
Et auferam scelus de terra,
et discent omnes mulieres, ne faciant secundum
scelus earum.
Et dabunt scelus vestrum super vos,
et peccata idolorum vestrorum portabitis :
et scietis quia ego Dominus Deus.
(*Cap.* XXIV.) Et factum est verbum Domini ad me,
in anno nono in mense decimo, in decima
mensis, dicens.
Fili hominis,
scribe tibi nomen diei hujus, in qua confirmatus
est rex Babylonis adversum Jerusalem hodie.
C Et dices per proverbium ad domum irritatricem
parabolam,
et loqueris ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus :
Pone ollam,
Pone inquam, et mitte in eam aquam.
Congere frusta ejus in eam,
omnem partem bonam,
femur et armum,
electa et ossibus plena.
Pinguissimum pecus assume,
compone quoque strues ossium sub ea :
Efferbuit coctio ejus,
et discocta sunt ossa illius in medio ejus.
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Væ civitati sanguinum, ollæ,
cujus rubigo in ea est,
et rubigo ejus non exivit de ea :
Per partes et per partes suas ejice eam,
non cecidit super eam sors.
D Sanguis enim ejus in medio ejus est,
super limpidissimam petram effudit illum :
non effudit illum super terram, ut possit operiri
pulvere.
Ut superinducerem indignationem meam, et vindi-
cta ulciscerer :
dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam,
ne operiretur.
Propter hæc dicit Dominus Deus :
Væ civitati sanguinum,
cujus ego grandem faciam pyram.
Congere ossa, quæ in igne succendam :
consumentur carnes, et concoquetur universa
compositio,
et ossa tabescent.

:mplaribus Canonis et in mss. Colbertino
, et Corbeiensi num. 1 legimus *nuntios*.
bet S. Hieronymus in expositione hujus pericopes. Consule lib. VII Comment. MART.

[2] Vocem *stibio* nec Hebræus addit, nec S. Pater in commentario.

Pone quoque eam super prunas vacuam,
ut incalescat, et liquefiat æs ejus :
Et confletur in medio ejus (*Al. tacet* ejus) inquinamentum ejus,
et consumatur rubigo ejus :
Multo labore sudatum est,
et non exivit de nimia rubigo ejus,
neque per ignem.
Immunditia tua exsecrabilis :
quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis :
Sed nec mundaberis prius,
donec quiescere faciam indignationem meam in te.
Ego Dominus locutus sum :
Venit, et faciam :
non transeam, nec parcam, nec placabor :
Juxta vias tuas, et juxta adinventiones tuas judicabo [*Al.* judicavi] te, dicit Dominus.
Et factum est verbum Domini ad me dicens:
Fili hominis,
ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga :
et non planges, neque plorabis, et non fluent lacrymæ tuæ.
Ingemisce tacens,
mortuorum luctum non facies :
Corona tua circumligata sit tibi,
et calceamenta tua erunt in pedibus tuis,
nec amictu ora velabis,
nec cibos lugentium comedes.
Locutus sum ergo ad populum mane,
et mortua est uxor mea vespere :
fecitque (*Al.* fecique) mane sicut præceperat mihi.
Et dicit ad me populus :
Quare non indicas nobis, quid ista significent, quæ tu facis ?
Et dixi ad eos :
Sermo domini factus est ad me dicens :
Loquere domui Israel :
Hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperii vestri, et desiderabile oculorum vestrorum,
et super quo pavet anima vestra,
et filii vestri, et filiæ vestræ, quas reliquistis, gladio cadent.
Et facietis sicut feci :
Ora amictu non velabitis,
et cibos lugentium non comedetis.
Coronas habebitis in capitibus vestris,
et calceamenta in pedibus :
Non plangetis neque flebitis,
sed et tabescetis in iniquitatibus vestris,
et unusquisque gemet ad fratrem suum.
Eritque Ezechiel vobis in portentum :
juxta omnia quæ fecit, facietis cum venerit istud:
et scietis quia ego Dominus Deus.
Et tu, fili hominis.
ecce in die, qua tollam ab eis fortitudinem eorum,
et gaudium dignitatis, et desiderium oculorum eorum,
super quo requiescunt animæ eorum,
filios et filias eorum :
In die illa cum venerit fugiens ad te, ut annuntiet tibi :
In die, inquam, illa aperietur os tuum cum eo qui fugit :
et loqueris, et non silebis ultra :
Erisque eis in portentum,
et scietis quia ego Dominus.
(*Cap.* XXV.) Et factus est sermo Domini ad me dicens :
Fili hominis,
pone faciem tuam contra filios Ammon, et prophetabis de eis.
Et dices filiis Ammon :
A audite verbum Domini Dei :
Hæc dicit Dominus Deus :
Pro eo quod dixisti :
Euge, euge super sanctuarium meum, quia pollutum est,
et super terram Israel, quoniam desolata est :
et super domum Juda, quoniam ducti sunt in captivitatem :
Idcirco ego tradam te filiis orientalibus in hæreditatem,
et collocabunt caulas suas in te,
et ponent in te tentoria sua.
Ipsi comedent fruges tuas :
et ipsi bibent lac tuum (*Al. tacet* tuum).
Daboque Rabbath in habitaculum camelorum,
et filios Ammon in cubile pecorum :
et scietis quia ego Dominus :
Quia hæc dicit Dominus Deus :
Pro eo quod plausisti mane et percussisti pede,
et gavisa es ex toto affectu super terram Israel :
B Idcirco ecce ego extendam manum meam super te,
et tradam te in direptionem gentium,
et interficiam te de populis, et perdam de terris,
et conteram :
et scies quia ego Dominus,
Hæc dicit Dominus Deus.
Pro eo quod dixerunt Moab et Seir :
Ecce sicut omnes gentes, domus Juda :
Idcirco ecce ego aperiam humerum Moab de civitatibus,
de civitatibus, inquam, ejus, et de finibus ejus,
inclyta terræ Beth-Jesimoth et Beel-Meon et Cariathaim,
Filiis orientis cum filiis Ammon,
et dabo eam in hæreditatem :
ut non sit ultra memoria filiorum Ammon in gentibus.
Et in Moab faciam judicia :
et scient quia ego Dominus.
C Hæc dicit Dominus Deus :
Pro eo quod fecit Idumæa ultionem, ut se vindicaret de filiis Juda,
peccavitque delinquens, et vindictam expetivit de eis,
Idcirco hæc dicit Dominus Deus :
Extendam manum meam super Idumæam,
et auferam de ea hominem et jumentum,
et faciam eam desertam ab austro :
et qui sunt (*Al.* desunt in Dedan, gladio cadent.
Et dabo ultionem meam super Idumæam per manum populi mei Israel :
et facient (*Al.* faciam) in Edom juxta iram meam,
et furorem meum :
et scient vindictam (*Al.* indignationem) meam, dicit Dominus Deus.
Hæc dicit Dominus Deus :
Pro eo quod fecerunt Palæstini in vindictam,
et ulti se sunt toto animo, interficientes et im-
D plentes inimicitias veteres :
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego extendam manum meam super Palæstinos, et interficiam interfectores,
et perdam reliquias maritimæ regionis :
Faciamque in eis ultiones magnas arguens in furore:
et scient quia ego Dominus,
cum dedero vindictam meam super eos.
(*Cap.* XXVI.) Et factum est in undecimo anno primæ mensis, factus est sermo Domini ad me, dicens:
Fili hominis,
pro eo quod dixit Tyrus de Jerusalem :
Euge, confractæ sunt portæ populorum,
conversa est ad me :
implebor, deserta est.
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego super te, Tyre,
et ascendere faciam ad (*Al.* super) te gentes multas sicut ascendit mare fluctuans.

Et dissipabunt muros Tyri, et destruent turres ejus: A
et radam pulverem ejus de ea, et dabo eam in limpidissimam petram.
Siccatio sagenarum erit in medio maris,
quia ego locutus sum, ait Dominus Deus:
Et erit in direptionem gentibus.
Filiæ quoque ejus, quæ sunt in agro, gladio interficientur:
et scient quia ego Dominus.
Quia hæc dicit Deus (*Al. tacet* Deus):
Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab aquilone, regem regum,
cum equis, et curribus, et equitibus, et cœtu, populoque magno.
Filias tuas, quæ sunt in agro, gladio interficiet:
et circumdabit te munitionibus, et comportabit aggerem in gyro.
et levabit contra te clypeum.
Et vineas [1], et arietes temperabit in muros tuos,
et turres tuas destruet in armatura sua. B
Inundatione equorum ejus aperiet te pulvis eorum:
a sonitu equitum, et rotarum, et curruum, movebuntur muri tui,
dum ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum urbis dissipatæ.
Ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas:
populum tuum gladio cædet,
et statuæ tuæ nobiles in terram corruent.
Vastabunt opes tuas,
diripient negotiationes tuas:
Et destruent muros tuos,
et domos tuas præclaras subvertent:
Et lapides tuos, et ligna tua,
et pulverem tuum in medio aquarum ponent.
Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum,
et sonitus citharārum tuarum non audientur amplius.
Et dabo te in limpidissimam petram,
siccatio sagenarum eris,
nec ædificaberis ultra:
quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.
Hæc dicit Dominus Deus Tyro:
Nunquid non a sonitu ruinæ tuæ, et gemitu interfectorum tuorum,
cum occisi fuerunt in medio tui,
commovebuntur insulæ?
Et descendent de sedibus suis omnes principes maris:
et auferent exuvias suas,
et vestimenta sua varia abjicient,
et induentur stupore:
In terra sedebunt:
et attoniti super repentino casu tuo admirabuntur.
Et assumentes super te lamentum,
dicent tibi:
Quomodo peristi quæ habitas in mari, urbs inclyta,
quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant universi?
Nunc stupebunt naves in die pavoris tui:
et turbabuntur insulæ in mari,
eo quod nullus egrediatur ex te.
Quia hæc dicit Dominus Deus (*Al tacet.* Deus):
Cum dedero te urbem desolatam, sicut civitates quæ non habitantur;
et adduxero super te abyssum,
et operuerint te aquæ multæ:
Et detraxero te cum his qui descendunt in lacum ad populum sempiternum.
et collocavero te in terra novissima sicut solitudines veteres, cum his qui deducuntur in lacum, ut non habiteris:
Porro cum dedero (*Al.* Et dedero) gloriam in terra viventium.
In nihilum redigam te, et non eris,
et requisita non invenieris ultra in sempiternum,
dicit Dominus Deus.
(*Cap.* XXVII.) Et factum est verbum Domini ad me, dicens:
Tu ergo, fili hominis.
assume super Tyrum lamentum:
Et dices Tyro, quæ habitat in introitu maris,
negotiationi populorum ad insulas multas:
Hæc dicit Dominus Deus:
O Tyre, tu dixisti: Perfecti decoris ego sum,
et in corde maris sita.
Finitimi tui [2], qui te ædificaverunt.
impleverunt decorem tuum:
Abietibus de Sanir exstruxerunt te
cum omnibus tabulis maris [3]: C
Cedrum de Libano tulerunt
ut facerent tibi malum.
Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos:
transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico,
et prætoriola de insulis Italiæ.
Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum
ut poneretur in malo:
Hyacinthus et purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum.
Habitatores Sidonis et Aradii (h. Arvad [4]) fuerunt remiges tui:
sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui.
Senes Biblii [5], et prudentes ejus, præbuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ:

[1] Verbum istud *vineas* non intelligentes veteres librarii mutarunt in mss aliquot codicibus in *lineas* Est autem *vineas* instrumentum bellicum sub quo oppugnantes urbem tutius ad muros subvertendos pugnant. MART.

[2] Quod habet Hebr. סניך ac proprie sonat, *ædificatores tui*; si aliis punctis instruatur, satis commode redditur, *filii tui;* quod præferunt LXX, υἱοί σου. Hieronymus, qui *finitimi* interpretatus est, dicitur doctis viris utramque lectionem servare voluisse; quod tamen qua ratione intelligant, non video: ut enim demus utcunque filiis finitimos, comparari, ab ædificationibus nomen illud abludit immane quantum. Ego eam esse arbitror veterem lectionem Latinam, quam S. Pater duxit retinendam; nam et Græcum celebre exemplar Parisiensium Jesuitarum, in Hexaplicis a Montefauconio laudatum præfert sub asterisco οἱ ὅμοροι, *contermini*, sive *finitimi*.

[3] Uno verbo legitur in Hebr. לחותים, quod sonat *duplicibus*, nempe *tabulis*. Hieronymus non inerudite verbum illud in duo est dispertitus, legitque, nulla mutatione literarum factæ לחות ים, *tabulis maris*.

[4] Scholia marginalia, quæ deinceps occurrunt in Ezechie propheta, desumpta sunt e Canone Ecclesiæ Carcassonensis: exemplar enim San-Germanense nostrum nihil habet ad margines librorum propheticorum præter quasdam variantes lectiones levioris momenti. MART. D

[5] Ita legunt omnes mss. codices Bibliorum, nullo excepto ex iis quos inspeximus. Variant solummodo in voce *præbuerunt*; quia plures retinent corruptam lectionem *habuerunt*. In cunctis quoque mss. exemplaribus Commentariorum S. Hieronymi in Ezechielem, ter hoc modo positum invenimus: *Senes Byblii et prudentes ejus præbuerrnt nautas*. etc. Mirumque nobis est viros doctos adeo falsos esse hic loci, ut putarint propter Hebræum hodiernum זקני גבל *zecne gebal*, id est, *senes Giblii*, in libris LXX errore librariorum Βιβλίων legi. pro Γιβλίων; et Gebalitas a propheta nunc memoratos, ingeniosos fuisse architectos, qui in exstructione templi Salomonici celebrantur. Quod

omnes naves maris, et nautæ earum, fuerunt in populo negotiationis tuæ.
Persæ, et Lydia, et Libyes erant in exercitu tuo viri bellatores tui :
clypeum et galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo,
Filii Aradii (h. Arvad) cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu :
sed et Pygmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum :
ipsi compleverunt pulchritudinem tuam.
Carthaginenses negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum,
argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas.
Græcia, Thubal, et Mosoch, ipsi institores tui :
mancipia, et vasa ærea adduxerunt populo tuo.
De domo Thogorma, equos, et equites,
et mulos adduxerunt ad forum tuum.
Filii Dedan negotiatores tui :
et insulæ multæ, negotiatio manus tuæ,
dentes eburneos et ebeninos commutaverunt in pretio tuo.
Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum,
gemmam (*Al.* guttam), et purpuram, et scutulata, et byssum, et sericum, et coccum (h. chad chod [1]) proposuerunt in mercatu tuo.
Juda et terra Israel ipsi institores tui in frumento primo,
balsamum, et mel, et oleum, et resinam proposuerunt in nundinis tuis.
Damascenus negotiator tuus
in multitudine operum tuorum, in multitudine (*Al.* copia) diversarum opum,
in vino pingui, in lanis coloris optimi.
Dan et Græcia, et Mosel (h. Muzal),
in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum :
stacte et calamus in negotiatione tua.
Dedan institores tui
in tapetibus ad sedendum
Arabia, et universi principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuæ :
cum agnis. et arietibus, et hædis venerunt ad te negotiatores tui.
Venditores Saba, et Reema (h. Raama), ipse negotiatores tui ;
cum universis primis aromatibus, et lapide pretioso (*Al.* pretiosissimo), et auro, quod proposuerunt in mercatu tuo.
Haran, et Chenne, et Eden, negotiatores tui ;
Saba, Assur, et Chelmad, venditores tui.
Ipsi negotiatores tui
multifariam involucris hyacinthi, et polymitorum gazarumque pretiosarum, quæ obvolutæ et astrictæ erant funibus :
cedros quoque habebant in negotiationibus tuis.
Naves maris, principes tui in negotiatione tua :
et repleta es, et glorificata nimis in corde maris.
In aquis multis adduxerunt te remiges tui :
ventus auster contrivit te in corde maris,
Divitiæ tuæ, et thesauri tui, et multiplex instrumentum tuum :
nautæ tui, gubernatores tui, qui tenebant supellectilem tuam, et populo tuo præerant ;
viri quoque bellatores tui, qui erant in te,
cum universa multitudine tua, quæ est in medio tui,
cadent in corde maris in die ruinæ tuæ.
A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes ;
Et descendent in navibus suis omnes qui tenebant remum ;
Nautæ et universi gubernatores maris in terra stabunt ;
et ejulabunt super te voce magna, et clamabunt amare,
et superjacient pulverem capitibus suis, et cinere conspergentur.
Et radent super te calvitium, et accingentur ciliciis,
et plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amarissimo.
Et assument super te carmen lugubre, et plangent te ;
Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris?
Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos :
in multitudine divitiarum tuarum et populorum tuorum, ditasti reges terræ (*Al.* multos).
Nunc contrita es a mari ;
in profundis aquarum opes tuæ,
et omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui, ceciderunt.
Universi habitores insularum obstupuerunt super te ; et reges earum omnes tempestate perculsi mutaverunt vultus.
Negotiatores populorum (*Al.* gentium) sibilaverunt super te ;
ad nihilum deducta es, et non eris (*Al. add.* ultra) usque in perpetuum.
(*Cap.* XXVIII.) Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
dic principi Tyri :
Hæc dicit Dominus Deus :
Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti :
Deus ego sum, et in cathedra Dei sedeo (*Al.* sedi) in corde maris ;
Cum sis homo, et non Deus ;
et dedisti cor tuum quasi cor Dei ;
Ecce sapientior es tu Daniele ;
omne secretum non est absconditum a te.
In sapientia et prudentia tua fecisti tibi fortitudinem,
et acquisisti aurum et argentum in thesauris tuis.
In multitudine sapientiæ tuæ, et in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem :
et elevatum est cor tuum in robore tuo.
Propterea hæc dicit Dominus Deus (*Al tacet* Deus);
Eo quod elevatum est cor tuum quasi cor Dei ;
idcirco ecce ego adducam super te alienos, robustissimos gentium ;
et nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ,
et polluent decorem tuum.
Interficient et detrahent (*Al.* tradent) te :
et morieris in interitu occisorum in corde maris.

ex ipsa Scriptura refelli potest ; nam hoc loco de nautis sermo est ac de navibus, non de ædificiis et architectis. Præbebant igitur Tyro *Biblii* sive *Byblii* nautas peritissimos ad scissuras navium sarciendas juxta litteram Hebraicam ; id nos dicimus Gallice, *pour calfater les vaisseaux*. Cæterum *Giblii* iidem sunt qui *Biblii* : *Gibel* namque apud Geographos est *Gebala*, urbs Phœniciæ, aliis *Byblos*, sive *Byblus*, quæ *Giblet* dicitur, teste Bocharto. At *quid Lexicorum* geographicorum auxilia quærimus? In promptu nobis est liber S. Hieronymi de locis Hebraicis ubi recensens nomina quæ ab elemento Bincipiunt in Regnorum libris, hæc ab eo posita leguntur : *Biblos, civitas Phœnicis, cujus meminit Ezechiel ; pro qua in Hebraico continetur* GOBEL. Consule etiam scholia Canonis Hebraicæ veritatis lib. I Malachim (*III Reg.*) cap. v.

MART.

[1] Aliquot mss. habent in contextu sacro scholion istud marginale ; *chod chod*. MART

Nunquid dicens loqueris : Deus ego sum :
coram interficientibus te;
cum sis homo, et non Deus,
in manu occidentium te?
Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum;
quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.
Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
leva planctum super regem Tyri :
et dices ei :
Hæc dicit Dominus Deus :
Tu signaculum similitudinis,
plenus sapientia, et perfectus decore,
in deliciis paradisi Dei fuisti;
omnis lapis pretiosus operimentum tuum;
sardius, topazius, et jaspis, et chrysolytus, onyx,
et beryllus, sapphirus,et carbunculus,et smaragdus; aurum, opus decoris tui;
et foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt,
Tu cherub extentus, et protegens,
et posui te in monte sancto Dei,
in medio lapidum ignitorum ambulasti.
Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ,
donec inventa est iniquitas in te.
In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti;
et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, o cherub protegens, de medio lapidum ignitorum.
Et elevatum est cor tuum in decore tuo :
perdidisti sapientiam tuam in decore tuo (*Al.* in pulchritudine tua),
in terram projeci te;
ante faciem regum dedi te, ut cernerent te.
In multitudine iniquitatum tuarum et iniquitate negotiationis tuæ,
polluisti sanctificationem tuam :
producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, et dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te.
Omnes, qui viderint te in gentibus, obstupescent super te;
nihili factus es, et non eris in perpetuum.
Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
pone faciem tuam contra Sidonem;
et prophetabis de ea, et dices :
Hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego ad te, Sidon, et glorificabor in medio tui:
et scient quia ego Dominus,
cum fecero in ea judicia, et sanctificatus fuero in ea.
Et immittam ei pestilentiam et sanguinem in plateis ejus :
et corruent interfecti in medio ejus gladio per circuitum,
et scient quia ego Dominus.
Et non erit ultra domui Israel offendiculum amaritudinis,
et spina dolorem inferens undique per circuitum eorum, qui adversantur eis :
et sient quia ego Dominus Deus.
Hæc dicit Dominus Deus :
A Quando congregavero domum Israel de populis, in quibus dispersi sunt,sanctificabor in eis coram gentibus :
et habitabunt in terra sua,quam dedi servo meo Jacob.
Et habitabunt in ea securi :
et ædificabunt domos, et plantabunt vineas, et habitabunt confidenter,
cum fecero judicia in omnibus qui adversantur eis (*Al. tacet* eis) per circuitum.
Et scient quia ego Dominus Deus eorum.
(*Cap.* XXIX.) In anno decimo [1], in decimo mense, undecima die mensis,
Factum est verbum Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
pone faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti,
et prophetabis de eo, et Ægypto universa :
Loquere, et dices :
B Hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego ad te, Pharao, rex Ægypti, draco magne,
qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis :
Meus est fluvius, et ego feci memetipsum.
Et ponam frenum in maxillis tuis :
et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis.
Et extraham te de medio fluminum tuorum,
et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt.
Et projiciam te in desertum,et omnes pisces fluminis tui :
super faciem terræ cades,
non colligeris, neque congregaberis.
Bestiis terræ, volatibus cœli,
dedi ad devorandum.
Et scient omnes habitatores Ægypti quia ego Dominus :
pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel.
C Quando apprehenderunt te manu (*Al. add.* sua), et confractus es,
et lacerasti omnem humerum eorum.
Et innitentibus eis super te, comminutus es,
et dissolvisti omnes renes eorum.
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego adducam super te gladium,
et interficiam de te hominem et jumentum.
Et erit terra Ægyptii in desertum,et in solitudinem,
et scient quia ego Dominus :
pro (*Al. tacet* pro) eo quod dixeris : Fluvius meus est, et ego feci eum.
Idcirco ecce ego ad te, et ad flumina tua :
daboque terram Ægypti in solitudines, gladio dissipatam,
a turre Syenes, usque ad terminos Æthiopiæ.
Non pertransibit eam pes hominis,
neque pes jumenti gradietur in ea.
et non habitabitur quadraginta annis.
D Daboque terram Ægypti desertam in medio terrarum desertarum,
et civitates ejus in medio urbium subversarum.
Et erunt desolatæ quadraginta annis,
et dispergam Ægyptios in nationes, ventilabo eos in terras.
Quia hæc dicit Dominus Deus :

[1] *In anno decimo.* Locus multum implicatus propter diversionem lectionum. In Hebræo hodierno legimus : *In anno decimo, in decimo, in duodecimo mensis.* Apud LXX vere : *In anno duodecimo, in decimo mense, una mensis.* Ms. Alex. : *In anno decimo, in undecimo mense*, etc. Porro S. Hieronymus textum hujus capituli lib. IX in Ezechielem sic affert : *In anno decimo (sive juxta LXX duodecimo) in decimo mense (sive juxta Hebræum, duodecimo) : in prima (sive una) mensis*, etc. Postea tamen edisserens caput tricesimum ejusdem prophetæ, codicum Latinorum veritatem manifeste comprobat his verbis : « Post vicesimum et septimum annum captivitatis regis Joachim, revertitur ad præsens tempus, quando contra Ægyptum cœperat prophetare, id est, ad annum decimum,et decimum mensem,undecimam mensis diem, etc. Hæc, ni fallor,plane evincunt genuinam esse lectionem, quam repræsentant exemplaria Latinorum ; alias autem lectiones fuisse permistas atque vitiatas, ut ex contentione earumdem facile liquet. MART.

Post finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis in quibus dispersi fuerant,
Et reducam captivitatem Ægypti,
et collocabo eos in terra Phatures (h. Phathroz), in terra nativitatis suæ,
et erunt ibi in regnum humile :
Inter cætera regna erit humillima,
et non elevabitur ultra super nationes,
et imminuam eos ne imperent gentibus.
Neque erunt ultra domui Israel in confidentia, ducentes iniquitatem, ut fugiant et sequantur eos :
et scient quia ego Dominus Deus.
Et factum est in vicesimo et septimo anno, in primo, in una mensis,
factum est verbum Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum:
Omne caput decalvatum,et omnis humerus depilatus est :
et merces non est reddita ei,
neque exercitui ejus, de Tyro, pro servitute qua servivit mihi adversus eam.
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti)
et accipiet (*Al.* auferet) multitudinem ejus,
et deprædabitur manubias ejus,
et diripiet spolia ejus.
Et erit merces (*Al.* in mercedem) exercitui illius.
Et operi, pro (*Al. tacet* pro) quo servivit (*Al. add.* mihi) adversus ad eam.
Dedi et terram Ægypti,
pro eo quod laboraverit (*Al.* laboraverunt) mihi, ait Dominus Deus.
In die illo pullulabit cornu domui (*Al.* domus) Israel, et tibi dabo apertum os in medio eorum ;
et scient quia ego Dominus.
(*Cap.* XXX.) Et factum est verbum Domini ad me, dicens :
Fili hominis, propheta, et dic :
Hæc dicit Dominus Deus :
Ululate, væ, væ diei;
quia juxta est dies,et appropinquat dies Domini; dies nobis, tempus gentium erit.
Et veniet gladius in Ægyptum :
et erit pavor in Æthiopia,
Cum ceciderint vulnerati in Ægypto,
et ablata fuerit multitudo illius,
et destructa fundamenta ejus.
Æthiopia, et Libya, et Lydii, et omne reliquum vulgus, et Chub, et filii terræ fœderis,
cum eis gladio cadent.
Hæc dicit Dominis Deus :
Et corruent fulcientes Ægyptum,
et destruetur superbia imperii ejus :
a turre Syenes (h. Zevene [1]) gladio cadent in ea, ait Dominus Deus exercituum [2].
Et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum,
et urbes ejus in medio civitatum desertarum erunt.
Et scient quia ego Dominus :
cum dedero ignem in Ægypto,
et attriti fuerint omnes auxiliatores ejus.
In die illa egredientur nuntii a facie mea in trieribus,

A ad conterendam Æthiopiæ confidentiam ;
Et erit pavor in eis in die Ægypti,
quia absque dubio veniet.
Hæc dicit Dominus Deus :
Cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis.
Ipse et populus ejus cum eo, fortissimi gentium, adducentur ad disperdendum terram :
Et evaginabunt gladius super Ægyptum,
et implebunt terram interfectis.
Et faciam alveos fluminum aridos,
et tradam terram in manu pessimorum.
Et dissipabo terram et plenitudinem ejus in manu alienorum,
ego Dominus locutus sum.
Hæc dicit Dominus Deus.
Et disperdam simulacra,et cessare faciam idola de Memphis (h. Noph).
et dux de terra (*Al.* terræ) Ægypti [3] non erit
B amplius,
et dabo terrorem in terra Ægypti.
Et disperdam terram Phatures (h. Phathroz),
et dabo ignem in Taphnis,
et faciam judicia in Alexandria [4].
Et effundam indignationem meam super Pelusium robur Ægypti,
et interficiam multitudinem Alexandriæ,
et dabo ignem in Ægypto :
Quasi parturiens delebit Pelusium,
et Alexandria erit dissipata,
et in Memphis [h. Noph] angustiæ quotidianæ.
Juvenes Heliopoleos et Buhasti (h. Phibezeth) gladio cadent,
et ipsæ captivæ ducentur.
Et in Taphnis nigrescet dies.
Cum contrivero ibi sceptra Ægypti,
et defecerit in ea superbia potentiæ ejus :
Ipsam nubes operiet,
filiæ autem ejus in captivitatem ducentur.
C Et judicia faciam in Ægypto;
et scient quia ego Dominus.
Et factum est in undecimo anno, in primo mense, in septima mensis,
factum est verbum Domini ad me dicens :
Fili hominis, brachium Pharaonis regis Ægypti confregi,
et ecce non est obvolutum ut restitueretur ei sanitas,
ut ligaretur pannis,et fasciaretur (*Al.* sarciretur) linteolis,
ut recepto robore, posset tenere gladium.
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego ad Pharaonem regem Ægypti,
et comminuam brachium ejus forte, sed confractum,
et dejiciam gladium de manu ejus :
Et dispergam Ægyptum in gentibus,
et ventilabo eos in terris.
D Et confortabo brachia regis Babylonis,
daboque gladium meum in manu ejus.
Et confringam brachia Pharaonis,
et gement gemitibus interfecti coram facie ejus.
Et confortabo brachia regis Babylonis,
et brachia Pharaonis concident :
Et scient quia ego Dominus,
cum dedero gladium meum in manu regis Babylonis,

[1] Advertant lectores Scholiasten Canonis legere ס *Samech* Hebræam ut ז nostrum : *Zevene* pro *Sevene*; *Phatroz* pro *Phatros*. MART.

[2] Non addit Hebr. *exercituum :* et hoc tamen etiam in Comment. Hieron. nomen retinet, expuncto altero *Deus*.

[3] *Exemplaria* Canonis, *dux terræ Ægypti*. Apud *Hieronymum* in Commentariis, *dux in terra Ægypti*. MART.

[4] Pristinum nomen fuit נא *No :* « Nos autem, inquit Hieronymus, pro *No*.Alexandriam posuimus per anticipationem, quæ Græce πρόληψις appellatur.... ut manifestior locus fieret lectoris intelligentiæ. » Vide lib. IX Comment. in Ezechielem. MART.

et extenderit eum super terram Ægypti.
Et dispergam (*Al.* disperdam) Ægyptum in nationes,
et ventilabo eos in terras,
et scient quia ego Dominus.
(*Cap.* XXXI.) Et factum est in undecimo anno, tertio, una mensis,
factum est verbum Domini ad me dicens :
Fili hominis, dic Pharaoni regi Ægypti, et populo ejus :
Cui similis factus es in magnitudine tua ?
Ecce Assur quasi cedrus in Libano,
pulcher ramis, et frondibus nemorosus,
excelsusque altitudine,
et inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus.
Aquæ nutrierunt illum.
abyssus exaltavit (*Al.* elevavit) illum :
Flumina ejus manabant in circuitu radicum ejus,
et rivos suos emisit ad universa ligna regionis.
Propterea elevata est altitudo ejus super omnia ligna regionis :
et multiplicata sunt arbusta ejus,
et elevati sunt rami ejus præ aquis multis,
Cumque extendisset (h. extendit) umbram suam,
in ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cœli,
et sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltuum,
et sub umbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum (*Al.* universarum.)
Eratque pulcherrimus in magnitudine sua, et in dilatatione arbustorum suorum :
erat enim radix illius juxta aquas multas.
Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei,
abietes non adæquaverunt summitatem ejus,
et platani non fuerunt æquæ frondibus illius :
omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, et pulchritudini ejus,
Quoniam speciosum feci eum, et multis condensisque frondibus :
et æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei.
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Pro eo quod sublimatus est in altitudine,
et dedit summitatem suam virentem atque condensam,
et elevatum est cor ejus in altitudine sua.
Tradidi eum in manu fortissimi gentium ; faciens faciet ei :
Juxta impietatem ejus ejeci eum.
Et succident illum alieni et crudelissimi nationum,
et projicient eum super montes,
et in cunctis convallibus corruent rami ejus,
et confringentur arbusta ejus in universis rupibus terræ :
Et recedent de umbraculo ejus omnes populi terræ,
et relinquent eum.
In ruina ejus habitaverunt omnia volatilia cœli,
et in ramis ejus fuerunt universæ bestiæ regionis.
Quam ob rem non elevabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum,
nec ponent sublimitatem suam inter nemorosa atque frondosa,
nec stabunt in sublimitate eorum omnia quæ irrigantur aquis :
Quia omnes traditi sunt in mortem ad terram ultimam, in medio filiorum hominum,
ad eos qui descendunt in lacum.
Hæc dicit Dominus Deus :
In die quando descendit ad inferos, indixi (*Al.* induxi) luctum, operui eum abysso :
Et prohibui flumina ejus,
et coercui aquas multas :
Contristatus (*Al.* contritus) est super eum Libanus,
et omnia ligna agri concussa sunt.
A sonitu ruinæ ejus commovi gentes,
cum deducerem eum ad infernum cum his qui descendebant in lacum :
Et consolata sunt in terra infirma omnia ligna voluptatis, egregia atque præclara in Libano,
universa quæ irrigabantur aquis.
Nam et ipsi cum eo descendent in infernum ad interfectos gladio :
et brachium uniuscujusque sedebit sub umbraculo [1] ejus in medio nationum.
Cui assimilatus es, o inclyto atque sublimis, inter ligna voluptatis ?
Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam,
in medio incircumcisorum dormies,
cum eis qui interfecti sunt gladio :
Ipse est Pharao (*Al.* Sic Pharao), et omnis multitudo ejus, dicit Dominus Deus.
(*Cap.* XXXII.) Et factum est, duodecimo anno, in mense duodecimo, in una mensis,
factum est verbum Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
assume lamentum super Pharao regem Ægypti, et dices ad eum :
Leoni gentium assimilatus es,
et draconi qui est in mari :
Et ventilabas cornu in fluminibus tuis,
et conturbabas aquas pedibus tuis,
et conculcabas flumina eorum.
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum,
et extraham te in sagena mea.
Et projiciam te in terram (*Al.* in te terram),
super faciem agri abjiciam te :
Et habitare faciam super te omnia volatilia cœli,
et saturabo de te bestias universæ terræ.
Et dabo carnes tuas super montes,
et implebo colles tuos sanie tua.
Et irrigabo terram fetore sanguinis tui super montes,
et valles implebuntur ex te.
Et operiam, cum exstinctus fueris, cœlos,
et nigrescere faciam stellas ejus :
Solem nube tegam,
et luna non dabit lumen suum.
Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te :
et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus [2].
Et irritabo cor populorum multorum,
cum induxero contritionem tuam in gentibus super terras quas nescis.
Et stupescere faciam super te populos multos :
et reges eorum horrore nimio formidabunt super te,
cum volare cœperit gladius meus super facies eorum :
et obstupescent repente singuli pro anima sua in die ruinæ tuæ.

[1] Vide quæ observamus in Comment. ad hunc locum.

[2] Addunt vulgati libri, *Cum ceciderint vulnerati tui in medio terræ :* quæ in Hebræo tamen, Chaldæo, atque ipsis Septuaginta, denique in melioris notæ Hieronymianis codicibus, cum editis tum mss., desiderantur. Videtur superioris capituli xxx, 4, respexisse, qui hanc addidit Latinæ interpretationi pericopen. Si Hebraice haberetur, his fere scribi debuisset verbis, בנפר חֲרִיךְ בתוך ארץ, quæ nimium ab his superioris proxime incisi, ונתתי השך על ראצאך longe differunt, ut, quod suspicabamur, existimari possit illa ejusdem in Hebræo sententiæ, ob lectionis varietatem, diversa tantum interpretatio.

Quia hæc dicit Dominus Deus :
Gladius regis Babylonis veniet tibi,
in gladiis fortium dejiciam multitudinem tuam :
inexpugnabiles omnes gentes hæ :
Et vastabunt superbiam Ægypti,
et dissipabitur multitudo ejus.
Et perdam omnia jumenta ejus, quæ erant super aquas plurimas ;
et non conturbabit eas pes hominis ultra,
neque ungula jumentorum turbabit eas.
Tunc purissimas reddam aquas eorum,
et flumina eorum quasi oleum adducam, ait Dominus Deus :
Cum dedero terram Ægypti desolatam : deseretur autem terra a plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores ejus et scient quia ego Dominus.
Planctus est, et plangent eum :
filiæ gentium plangent eum super Ægyptum,
et super multitudinem ejus plangent eum, ait Dominus Deus.
Et factum est in duodecimo anno, in quinta decima mensis,
factum est verbum Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
cane lugubre super multitudinem Ægypti :
Et detrahe eam ipsam, et filias gentium robustarum ad terram ultimam,
cum his qui descendunt in lacum.
Quo pulchrior es,
descende, et dormi cum incircumcisis.
In medio interfectorum gladio cadent :
gladius datus est,
attraxerunt eam, et omnes populos ejus.
Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni,
qui cum auxiliatoribus ejus descenderunt,
et dormierunt incircumcisi, interfecti (*Al.* cum incircumcisis interfectisque) gladio.
Ibi Assur, et omnis multitudo ejus,
in circuitu illius sepulcra ejus.
omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio.
Quorum data sunt sepulcra in novissimis laci :
et facta est multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus :
Universi interfecti, cadentesque gladio,
qui dederant quondam formidinem in terra viventium.
Ibi Ælam, et omnis multitudo ejus per gyrum sepulcri sui (*Al.* illius) :
Omnes hi interfecti, ruentesque gladio :
qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam :
Qui posuerunt terrorem suum in terra viventium,
et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum.
In medio interfectorum posuerunt cubile ejus in universis populis ejus :
in circuitu ejus sepulcrum illius :
Omnes hi incircumcisi, interfectique gladio.
Dederunt enim terrorem suum (*Al. tacet* suum) in terra viventium,
et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum :
in medio interfectorum positi sunt.
Ibi Mosoch (h. Mesech), et Thubal, et omnis multitudo ejus : in circuitu ejus sepulcra illius :
Omnes hi incircumcisi, interfectique et cadentes gladio :
quia dederunt formidinem suam in terra viventium.
Et non dormient cum fortibus, cadentibusque et incircumcisis,
qui descenderunt ad infernum cum armis suis,
et posuerunt gladios suos sub capitibus suis,
et fuerunt iniquitates eorum in essibus eorum :
qui terror fortium facti sunt in terra viventium.

A Et tu ergo in medio incircumcisorum contereris, et dormies cum interfectis gladio :
Ibi Idumæa, et reges ejus,
omnes duces ejus, qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio :
et qui cum incircumcisis dormierunt,
et cum his qui descendunt (*Al.* descenderunt in lacum.
Ibi principes aquilonis omnes, et universi venatores : qui deducti sunt cum interfectis, paventes, et in sua fortitudine confusi :
Qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio,
et portaverunt confusionem suam cum his qui descendunt in lacum.
Vidit eos Pharao,
et consolatus est super universa multitudine sua, quæ interfecta est gladio :
Pharao, et omnis exercitus ejus, ait Dominus Deus;
Quia dedi terrorem meum in terra viventium,
B et dormivit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio,
Pharao, et omnis multitudo, ait Dominus Deus.
(*Cap.* XXXIII.) Et factum est verbum Domini ad me, dicens :
Fili hominis, loquere ad filios populi tui, et dices ad eos :
Terra cum induxero super eam gladium,
et tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis,
et constituerit eum super se speculatorem :
Et ille viderit gladium venientem super terram, et cecinerit buccina, et annuntiaverit populo;
Audiens autem, quisque ille est, sonitum buccinæ, et non se observaverit,
veneritque gladius, et tulerit eum :
sanguis ipsius super caput ejus erit.
Sonum buccinæ audivit, et non se observavit,
sanguis ejus in ipso erit :
Si autem se custodierit,
C animam suam salvabit :
Quod si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina :
et populus se non custodierit,
veneritque gladius, et tulerit de eis animam :
Ille quidem in iniquitate sua captus est,
sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.
Et tu, fili hominis,
speculatorem dedi te domui Israel :
Audiens ergo ex ore meo sermonem,
annuntiabis eis ex me.
Si dicente me ad impium : impie, morte morieris;
non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua :
Ipse impius in iniquitate sua morietur,
sanguinem autem ejus de manu tua requiram.
Si autem, annuntiante te ad impium, ut a viis suis convertatur,
D non fuerit conversus a via sua :
Ipse in iniquitate sua morietur :
porro tu animam tuam liberasti.
Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Israel :
Sic locuti estis, dicentes :
Iniquitates nostræ, et peccata nostra super nos sunt,
et in ipsis nos tabescimus :
quomodo ergo vivere poterimus ?
Dic ad eos :
Vivo ego, dicit Dominus Deus :
nolo mortem impii,
sed ut revertatur impius a via sua, et vivat.
Convertimini,
convertimini, a viis vestris pessimis :
et quare moriemini, domus Israel ?
Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui :
Justitia justi non liberabit eum in quacunque die peccaverit :

et impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua :
Et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacunque die peccaverit.
Etiam si dixero justo quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem :
Omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et iniquitate sua,quam operatus est,in ipsa morietur.
Si autem dixero impio : Morte morieris : et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum : vita vivet, et non morietur.
Omnia peccata ejus (*Al. tacet* ejus) quæ peccavit, non imputabuntur ei. judicium et justitiam fecit, vita vivet.
Et dixerunt filii populi tui : Non est æqui ponderis via Domini, et ipsorum via injusta est.
Cum enim recesserit justus a justitia sua,feceritque iniquitates, morietur in eis.
Et cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque judicium et justitiam, vivet in eis.
Et dicitis : Non est recta via Domini.
Unumquemque juxta vias suas judicabo de vobis (h. vos), domus Israel.
Et factum est in duodecimo anno, in decimo (*Al. add.* mense), in quinta mensis transmigrationis nostræ, venit ad me qui fugerat de Jerusalem, dicens : Vastata est civitas.
Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere, antequam veniret qui fugerat :
Aperuitque os meum donec veniret ad me mane, et aperto ore meo, non silui amplius.
Et factum est verbum Domini, ad me dicens :
Fili hominis, qui habitant in ruinosis his super humum Israel, loquentes aiunt :
Unus erat Abraham, et hæreditate possedit terram :
Nos autem multi (*Al. add.* sumus), nobis data est terra in possessionem.
Idcirco dices ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus :
Qui in sanguine comeditis [1], et oculos vestros levatis ad immunditias vestras, et sanguinem funditis : nunquid terram hæreditate possidebitis ?
Stetistis in gladiis vestris, fecistis abominationes, et unusquisque uxorem proximi sui polluit : et terram hæreditate possidebitis ?
Hæc dices ad eos :
Sic dicit Dominus Deus :
Vivo ego, quia qui in ruinosis habitant, gladio cadent : et qui in agro est, bestiis tradetur ad devorandum :
Qui autem in præsidiis et in speluncis sunt, peste morientur.

A Et dabo terram in solitudinem, et in desertum, et deficiet superba fortitudo ejus :
Et desolabuntur montes Israel, eo quod nullus sit qui per eos transeat.
Et scient quia eo Dominus, cum dedero terram (*Al. add.*. eorum) desolatam et desertam, propter universas abominationes suas, quas operati sunt,
Et tu, fili hominis : filii populi tui,qui loquuntur de te juxtas muros, et in ostiis domorum, et dicunt unus ad alterum,vir ad proximum suum loquentes : Venite, et audiamus quis sit sermo egrediens a Domino.
Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus, et sedent coram te populus meus :
Et audiunt sermones tuos, et non faciunt eos :
B quia in canticum oris sui vertunt illos, et avaritiam suam sequitur cor eorum.
Et es eis quasi carmen musicum,quod suavi dulcique sono canitur : et audient verba tua, et non facient ea.
Et cum venerit quod prædictum est (ecce enim venit), tunc scientquod prophetes fuerit inter eos (*Al.* in medio eorum).
(*Cap.* XXXIV.) Et factum est verbum Domini ad me dicens :
Fili hominis. propheta de pastoribus Israel ; propheta, et dices pastoribus :
Hæc dicit Dominus Deus :
Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos nonne greges pascuntur a pastoribus ?
Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat, occidebatis :
C gregem autem meum non pascebatis,
Quod infirmum fuit, non consolidastis, et quod ægrotum, non sanastis, quod fractum est (*At.* erat), non alligastis, et quod abjectum est, non reduxistis, et quod perierat, non quæsistis ;
Sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia.
Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor : et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt.
Erraverunt greges mei in cunctis montibus, et in universo colle excelso : et super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, et non erat qui requireret. non erat, inquam, qui requireret.
Propterea, pastores, audite verbum Domini :
D Vivo ego, dicit Dominus Deus :
quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam [2], et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor :
Neque enim quæsierunt pastores mei (*Al.tacet* mei) gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos,
Propterea, pastores, audite verbum Domini,
Hæc dicit Dominus Deus :

[1] Huc refert insigne S. Patris testimonium de veteri versuum partitione ex ejus Commentario in hunc locum : « Sciendum est, inquit, quod octo plus vel minus versus ab eo loco quem posuimus: *Qui in sanguine comeditis, et oculos vestros levatis ad immunditias vestras*, usque ad eum locum ubi scriptum est : *Hæc dices ad eos : Sic dicit Dominus Deus :* in LXX non habentur. » Nimirum totidem in hac editione nostra juxta Hieronymi recensionem versiculi numerantur.

[2] Mss. legunt absque illo pronomine, *grege*: *in rapinam*. MART.— Palatinus quoque ms. pronomen *mei*, reticet, quod est tamen in originalibus libris.

Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum,
et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem (*Al. add.* meum),
nec pascant amplius pastores semetipsos :
Et liberabo gregem meum de ore eorum :
et non erit ultra eis in escam.
Quia hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego ipse requiram oves meas,
et visitabo eas.
Sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum :
sic visitabo oves meas et liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis et caliginis.
Et educam eas de populis, et congregabo eas de terris,
et inducam eas in terram suam :
Et pascam eas in montibus Israel,
in rivis, et in cunctis sedibus terræ.
In pascuis uberrimis pascam eas,
et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum
Ibi requiescent in herbis virentibus,
et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel.
Ego pascam oves meas,
et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.
Quod perierat, requiram,
et quod abjectum erat, reducam,
et quod confractum fuerat, alligabo,
et quod infirmum fuerat, consolidabo,
et quod pingue et forte, custodiam :
et pascam illas in judicio.
Vos autem, greges mei, hæc dicit Dominus Deus.
Ecce ego judico inter pecus et pecus, arietum et hircorum,
Nonne satis vobis erat pascuam bonam depasci?
insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcatis pedibus vestris :
Et cum purissimam aquam biberetis,
reliquam pedibus vestris turbabatis.
Et oves meæ his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur :
et quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant.
Propterea hæc dicit Dominus Deus ad eos :
Ecce ego ipse judico inter pecus pingue, et macilentum
pro eo quod lateribus et humeris impingebatis,
et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora,
donec dispergerentur foras :
Salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam,
et judicabo inter pecus et pecus.
Et susitabo super ea pastorem unum, qui pascat ea, servum meum David :
ipse pascet ea, et ipse erit eis in pastorem.
Ego autem Dominus ero eis in Deum : et servus meus David princeps in medio eorum :
ego Dominus locutus sum.
Et faciam pactum pacis cum eis,
et cessare faciam bestias pessimas de terra :
et qui habitant (*Al.* habitabant) in deserto, securi dormient in saltibus.
Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem:
et deducam imbrem in tempore suo :
pluviæ benedictionis erunt.
Et dabit lignum agri fructum suum, terra dabit germen suum.
et erunt in terra sua absque timore :
et scient quia ego Dominus,
cum contrivero catenas jugi eorum.
et eruero eos de manu imperantium sibi.
Et non erunt ultra in rapinam gentibus,
neque bestiæ devorabunt eos :
sed habitabunt confidenter absque ullo terrore.
Et suscitabo eis germen nominatum
et non erunt ultra imminuti fame in terra,
neque portabunt amplius opprobria gentium.
Et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis,
et ipsi populus meus domus Israel : ait Dominus Deus,
Vos autem greges mei, greges (*Al.* grex) pascuæ meæ, homines estis :
et ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus,
(*Cap.* XXXV.) Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
pone faciem tuam adversum montem Seir,
et prophetabis de eo, et dices illi :
Hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego ad te, mons Seir
et extendam manum meam super te,
et dabo te desolatum atque desertum
Urbes tuas demoliar,
et tu desertus eris :
scies quia ego Dominus,
Eo quod fueris inimicus sempiternus
et concluseris filios Israel in manu gladii in tempore afflictionis eorum.
in tempore iniquitatis extremæ.
Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus :
quoniam sanguini tradam te, et sanguis te persequetur :
et cum sanguinem oderis, sanguis persequetur te.
Et dabo montem Seir desolatum atque desertum :
et auferam de eo euntem et redeuntem.
Et implebo montes ejus occisorum suorum :
in collibus tuis, et in vallibus tuis, atque in torrentibus interfecti gladio cadent.
in solitudines sempiternas tradam te, et civitates tuæ non habitabuntur :
et scietis quia ego Dominus Deus (*Al. tacet* Deus).
Eo quod dixeris : Duæ gentes, et duæ terræ meæ erunt,
et hæreditate possidebo eas :
cum Dominus esset ibi.
Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus,
quia faciam juxta iram tuam et secundum zelum tuum, quem fecisti odio habens eos ;
et notus efficiar per eos, cum (*Al.* tibi cum) te judicavero.
Et scies quia ego Dominus (*Al.* sum Dominus) audivi universa opprobria tua, quæ locutus es de montibus Isral, dicens :
Deserti nobis dati sunt ad devorandum.
Et surrexisti super me ore vestro,
et derogastis adversum me verba vestra :
ego audivi,
Hæc dicit Dominus Deus :
Lætante universa terra, in solitudinem te redigam.
Sicuti gavisus es super hæreditatem domus Israel, eo quod fuerit dissipata,
sic faciam tibi :
Dissipatus eris, mons Seir, Idumæa omnis :
et scient quia ego Dominus.
(*Cap.* XXXVI.) Tu autem, fili hominis, propheta super montes Israel, et dices :
Montes Israel : audite verbum Domini :
Hæc dicit Dominus Deus :
Eo quod dixerit inimicus de vobis :
Euge, altitudines sempiternæ in hæreditatem (*Al.* possessionem) datæ sunt nobis.
Propterea vaticinare, et dic :
Hæc dicit Dominus Deus :
Pro eo quod desolati estis, et conculcati per circuitum,
et facti in hæreditatem reliquis gentibus,
et ascendistis super labium linguæ, et opprobrium
populi (*Al.* populis) :
Propterea, montes Israel, audite verbum Domini Dei :
Hæc dicit Dominus Deus montibus, et collibus, tor-

rentibus, vallibusque, et desertis, parietinis, et urbibus derelictis,
quæ depopulatæ sunt, et subsannatæ a reliquis gentibus per circuitum.
Propterea hæc dicit Dominus Deus:
Quoniam in igne zeli mei locutus sum de reliquis gentibus et de Idumæa universa,
quæ dederunt terram meam sibi in hæreditatem cum gaudio, et toto corde, et ex animo:
et ejecerunt eam ut vastarent:
Idcirco vaticinare super humum Israel,
et dices montibus et collibus: jugis et vallibus:
Hæc dicit Dominus Deus:
Ecce ego in zelo meo, et in furore meo locutus sum eo quod confusionem gentium sustinueritis.
Idcirco hæc dicit Dominus Deus:
Ego levavi manum meam,
ut gentes, quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam portent.
Vos autem, montes Israel, ramos vestros germinetis.
et fructum vestrum afferatis populo meo Israel:
prope est enim ut veniat:
Quia ecce ego ad vos, et convertar ad vos,
et arabimini, et accipietis sementem.
Et multiplicabo in vobis homines, omnemque domum Israel:
et habitabuntur civitates, et ruinosa instaurabuntur:
Et replebo vos hominibus: et jumentis:
et multiplicabuntur, et crescent,
Et habitare vos faciam sicut a principio,
bonisque donabo majoribus, quam habuistis ab initio:
et scietis quia ego Dominus.
Et adducam super vos homines, populum meum Israel:
et hæreditate possidebunt te:
Et eris in hæreditatem (*Al.* possessionem),
et non addes ultra ut absque eis sis.
Hæc dicit Dominus Deus:
Pro eo quod dicunt de vobis:
Devoratrix hominum es, et suffocans gentem tuam,
Propterea homines non comedes amplius,
et gentem tuam ultra non necabis, ait Dominus Deus:
Nec auditam faciam in te amplius confusionem gentium,
et opprobrium populorum nequaquam portabis,
et gentem tuam non amittes amplius, ait Dominus Deus.
Et factum est verbum Domini ad me, dicens:
Fili hominis,
domus Israel habitaverunt in humo sua,
et polluerunt eam in viis suis, et in studiis suis,
juxta immunditiam menstruatæ facta est via eorum coram me.
Et effudi indignationem meam super eos pro sanguine quem fuderunt super terram,
et in idolis suis polluerunt eam.
Et dispersi eos in gentes, et ventilati sunt in terras:
juxta vias eorum et adinventiones eorum judicavi eos.
Et ingressi sunt ad gentes ad quas introierunt,
et polluerunt nomen sanctum meum,
cum diceretur de eis: Populus Domini iste est,
et de terra ejus egressi sunt.
Et peperci nomini meo sancto,
quod polluerat domus Israel in gentibus ad quas ingressi sunt.
Idcirco dices domui Israel:
Hæc dicit Dominus Deus:
Non propter vos ego faciam, domus Israel,
sed propter nomen sanctum meum, quod polluisti in gentibus ad quas intrasti.
Et sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes,
quod polluistis in medio eorum:
Ut sciant gentes (*Al. tacet* gentes) quia ego Dominus, ait Dominus exercituum,
cum sanctificatus fuero in vobis coram eis.
Tollam quippe vos de gentibus,
et congregabo vos (*Al. tacet* vos) de universis terris,
et adducam vos in terram vestram,
Et effundam super vos aquam mundam,
et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris
et ab universis idolis vestris mundabo vos.
Et dabo vobis cor novum,
et spiritum novum ponam in medio vestri:
Et auferam cor lapidum de carne vestra,
et dabo vobis cor carneum.
Et spiritum meum ponam in medio vestri:
et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et
judicia mea custodiatis et operemini (*Al. add.* ea).
Et habitabitis in terra quam dedi patribus vestris:
et eritis mihi in populum,
et ego ero vobis in Deum.
Et salvabo vos ex universis inquinamentis vestris:
et vocabo frumentum, multiplicabo illud,
et non imponam vobis [1] famem.
Et multiplicabo fructum ligni et genimina agri,
ut non portetis ultra opprobrium famis in gentibus
Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum. studiorumque non bonorum;
et displicebunt vobis iniquitates vestræ, et scelera vestra.
Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis:
Confundimini, et erubescite super viis vestris, domus Israel.
Hæc dicit Dominus Deus:
In die, qua mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris.
et inhabitari fecero urbes, et instauravero ruinosa,
et terra deserta fuerit exculta,
quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris,
dicent:
Terra illa inculta, facta est ut hortus voluptatis:
et civitates desertæ, et destitutæ atque suffossæ, munitæ sederunt.
Et scient gentes quæcunque derelictæ fuerint in circuitu vestro,
quia ego Dominus ædificavi dissipata, plantavique inculta,
ego Dominus locutus sim, et fecerim.
Hæc dicit Dominus Deus:
Adhuc in hoc invenient me domus Israel, ut faciam in (*Al. tacet* in) eis:
Multiplicabo eos sicut gregem hominum, ut gregem sanctum,
ut gregem Jerusalem in solemnitatibus ejus.
Sic erunt civitates desertæ, plenæque gregibus hominum:
et scient quia ego Dominus.
(*Cap.* XXXVII.) Facta est super me manus Domini, et eduxit me in spiritu Domini.
et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus:
Et circumduxit me per ea in gyro:
erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer..
Et dixit ad me:
Fili hominis,
putasne vivent ossa ista?
Et dixi:
Domine Deus, tu nosti.
Et dixit ad me:

[1] Canon Sans-Germanensis, *imponam in vobis*. Colbertinus codex Aniciensis, *imponam in vos*. MART

Vaticinare de ossibus istis : et dices eis :
Ossa arida, audite verbum Domini.
Hæc dicit Dominus Deus ossibus his :
Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis :
et dabo super vos nervos,
et succrescere faciam super vos carnes,
et superextendam in vobis cutem :
Et dabo vobis spiritum, et vivetis,
et scietis quia ego Dominus.
Et prophetavi sicut præceperat mihi :
factus est autem sonitus, prohetante me,
et ecce commotio :
Et accesserunt ossa ad ossa,
unumquodque ad juncturam suam.
Et vidi, et ecce super ea nervi et carnes ascenderunt, et extenta est in eis cutis desuper,
et spiritum non habebant.
Et dixit ad me :
Vaticinare ad spiritum,
vaticinare, fili hominis
et dices ad spiritum :
Hæc dicit Dominus Deus :
A quatuor ventis veni, spiritus,
et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.
Et prophetavi sicut præceperat mihi :
et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt :
steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde.
Et dixit ad me :
Fili hominis,
ossa hæc universa, domus Israel est :
Ipsi dicunt : Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra.
et abscissi sumus.
Propterea vaticinare, et dices ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego aperiam tumulos vestros.
et educam vos de sepulcris vestris, populus meus
et inducam vos in terram Israel.
Et scietis quia ego Dominus.
cum aperuero sepulcra vestra,
et eduxero vos de tumulis vestris, populus meus :
Et dedero spiritum meum in vobis, et vixeritis,
et requiescere vos faciam super humum vestram:
et scietis quia ego Dominus locutus sum, et feci ait Dominus Deus.
Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Et tu, filii hominis, sume tibi lignum unum,
et scribe super illud :
Judæ, et filiorum Israel sociorum (*Al* sociis) ejus [1]:
Et tolle lignum alterum,
et scribe super illud :
Joseph lignum Ephraim, et cunctæ domus Israel [2], sociorumque ejus.
Et adjunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum :
et erunt in unionem in manu tua.
Cum autem dixerint ad te filii populi tui loquentes;
Nonne indicas nobis quid in his tibi velis ?
Loqueris ad eos :
Hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego assumam lignum Joseph, quod est in manu Ephraim,
et tribus Israel, quæ ei sunt junctæ :
Et dabo eas pariter cum ligno Juda, et faciam eas in lignum unum :
et erunt unum in manu ejus.
Erunt autem ligna, super quæ scripseris in manu tua,
in oculis eorum.
Et dices ad eos :

A Hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum ad quas abierunt :
et congregabo eos undique,
et adducam eos ad humum suam.
Et faciam eos gentem unam in terra in montibus Israel,
et rex unus erit omnibus imperans ;
Et non erunt ultra duæ gentes,
nec dividentur amplius in duo regna.
Neque polluentur ultra in idolis suis, et abominationibus suis, et cunctis iniquitatibus suis:
et salvos eos faciam de universis sedibus suis, in quibus peccaverunt,
et mundabo eos :
et erunt mihi in populum,
et ego ero eis in Deum.
Et servus meus David rex super eos,
et pastor unus erit omnium eorum :
B In judiciis meis ambulabunt,
et mandata mea custodient, et facient ea.
Et habitabunt super terram quam dedi servo meo Jacob,
in qua habitaverunt patres vestri,
Et habitabunt super eam ipsi, et filii eorum.
et filii filiorum eorum, usque in sempiternum.
Et David servus meus princeps eorum in perpetuum.
Et percutiam illis fœdus pacis,
pactum sempiternum erit eis :
Et fundabo eos, et multiplicabo,
et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum.
Et erit tabernaculum meum in eis :
et ero eis Deus.
et ipsi erunt mihi populus :
et scient gentes quia ego Dominus sanctificator Israel,
cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.
C (*Cap.* XXXVIII.) Et factus est sermo Domini ad me, dicens :
Fili hominis,
pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch (h. Mesech) et Thubal:
et vaticinare de eo, et dices ad eum :
Hæc dicit Dominus Deus ;
Ecce ego ad te, Gog.
principem capitis Mosoch. (h. Mesech) et Thubal.
Et circumagam te, et ponam frenum in maxillis tuis:
et educam te, et omnem exercitum tuum,
equos et equites vestitos loricis universos,
multitudinem magnam, hastam et clypeum arripientium, et gladium :
Persæ, Æthiopes, et Lybyes cum eis,
omnes scutati et galeati.
Gomer, et universa agmina ejus,
domus Thogorma, latera aquilonis,
et totum robur ejus, populique multi tecum.
D Præpara, et instrue te,
et omnem multitudinem tuam, quæ coacervata est ad te :
et esto eis in præceptum.
Post dies multos visitaberis :
in novissimo annorum venies ad terram, quæ reversa est a gladio,
et congregata est de populis multis ad montes Israel,
qui fuerunt deserti jugiter :
Hæc de populis educta est,
et habitabunt in ea confidenter universi.

[1] Non *sociarum ejus*, sed *sociis ejus* legunt mss. quamplures. MART.

[2] Ita examplaria Canonis cum omnibus ms. Bibliorum sacrorum codicibus. Editi tertium casum retinem, *ligno Ephraim et cunctæ domui Israel.* MART.
— Palatin. sicut et quos laudat Martianæus mss. offert S. quoque Pater in Comment. *lignum Ephraim et omnis domus Israel.* Græcus accusandi casum, Vulgati Latini tertium præferunt.

Ascendens autem quasi tempestas venies, et quasi nubes,
ut operias terram tu,
et omnia agmina tua, et populi multi tecum.
Hæc dicit Dominus Deus.
In die illa ascendent sermones super cor tuum,
et cogitabis cogitationem pessimam :
et dices :
Ascendam ad terram absque muro :
veniam ad quiescentes, habitantesque secure :
Omnes hi (*Al. tacet* hi) habitant sine muro,
vectes et portæ non sunt eis :
Ut diripias spolia, et invadas prædam,
ut inferas manum tuam super eos, qui deserti fuerant, et postea restituti,
et super populum, qui est congregatus ex gentibus,
qui possidere cœpit, et esse habitator umbilici terræ [1].
Saba, et Dedan, et negotiatores Tharsis,
et omnes leones ejus dicent tibi :
Nunquid ad sumenda spolia tu venis?
ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam,
ut tollas argentum, et aurum.
et auferas supellectilem, atque substantiam,
et diripias manubias infinitas.
Propterea vaticinare, fili hominis,
et dices ad Gog :
Hæc dicit Dominus Deus :
Nunquid non in die illo, cum habitaverit populus meus Israel confidenter, scies?
Et venies de loco tuo a lateribus aquilonis tu, et populi multi tecum,
ascensores equorum universi,
cœtus magnus, et exercitus vehemens.
Et ascendes super populum meum Israel quasi nubes,
ut operias terram.
In novissimis diebus eris,
et adducam te super terram meam :
Ut sciant (*Al. add.* omnes) gentes me,
cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum, o Gog.
Hæc dicit Dominus Deus :
Tu ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis,
in manu servorum meorum prophetarum Israel,
qui prophetaverunt in diebus illorum temporum [*Al.* diebus illis atque temporibus], ut adducerem te super eos.
Et erit in die illa, in die adventus Gog, super terram Israel, ait Dominus Deus,
ascendet indignatio mea in furore meo.
Et in zelo meo,
in igne iræ meæ locutus sum.
Quia in die illa erit commotio magna super terram Israel :
et commovebuntur a facie mea pisces maris, et volucres cœli, et bestiæ agri,
et omne reptile quod movetur super humum,
cunctique homines qui sunt super faciem terræ:
Et subvertentur montes, et cadent sepes,
et omnis murus in terram corruet.
Et convocabo adversus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus :
gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigetur.
Et judicabo cum peste, et sanguine,
et imbre vehementi, et lapidibus immensis :
Ignem et sulphur pluam super eum, et super exercitum ejus,
et super populos multos, qui sunt cum eo.

A Et magnificabor, et sanctificabor :
et notus ero in oculis gentium multarum,
et scient quia ego Dominus.
(*Cap.* XXXIX.) Tu autem, fili hominis, vaticinare adversum Gog, et dices :
Hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego super te, Gog.
principem capitis Mosoch et Thubal :
Et circummagam te, et educam (*Al.* reducam) te,
et ascendere te faciam de lateribus aquilonis :
et adducam te super montes Israel.
Et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua,
et sagittas tuas de manu dextera tua dejiciam (*Al.* Et dejiciam te super).
Super montes Israel cades tu, et omnia agmina tua,
et populi tui (*Al. tacet* tui), qui sunt tecum :
Feris, avibus, omnique volatili, et bestiis terræ,
dedi te devorandum.
Super faciem agri cades :
B quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.
Et immittam ignem in Magog,
et in his qui habitant in insulis confidenter :
et scient quia ego Dominus,
Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israel,
et non polluam nomen sanctum meum amplius:
et scient gentes quia ego Dominus sanctus Israel.
Ecce venis, et factum est, ait Dominus Deus (*Al. tacet* Deus);
hæc est dies de qua locutus sum.
Et egredientur habitatores de civitatibus (*Al.* urbium) Israel,
et succendent, et comburent arma,
clypeum et hastas, arcum et sagittas,
et baculos manuum, et contos,
et succendent ea igni septem annis.
Et non portabunt ligna de regionibus,
neque succident de saltibus ;
C Quoniam arma succendent igne,
et deprædabuntur eos quibus prædæ fuerant,
et diripient vastatores suos, ait Dominus Deus.
Et erit in die illa :
dabo Gog locum nominatum sepulcrum in Israel :
vallem viatorum ad orientem maris,
quæ obstupescere faciet (*Al.* facit) prætereuntes :
Et sepelient ibi Gog,
et omnem multitudinem ejus,
et vocabitur vallis multitudinis Gog.
Et sepelient eos domus Israel,
ut mundent terram septem mensibus.
Sepeliet autem (*Al. add.* eos) omnis populus terræ,
et erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum,
ait Dominus Deus.
Et viros jugiter constituent lustrantes terram,
qui sepeliant et requirant eos qui remanserant super faciem terræ,
ut emundent eam :
D Post menses autem septem quærere incipient :
et circuibunt peragrantes terram :
Cumque viderint os hominis, statuent juxta illud titulum,
donec speliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog.
Nomen autem civitatis Amona,
et mundabunt terram.
Tu ergo, fili hominis,
hæc dicit Dominus Deus :
Dic omni volucri, et universis avibus, cunctisque bestiis agri :
Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo (*Al.* immo-

[1] Sunt alii libri, qui ferunt *Habitatores Jerusalem umbilici terræ*. Martianæus in suis aliquot invenit, *esse de Jerusalem habitator umbilici terræ*. Hebraice est עַל-טַבּוּר הָאָרֶץ יֹשְׁבֵי, *habitatores super fartigium terræ*. Cætera notum est, Hierosolymam terræ centrum ab antiquis habitam : unde et Ezechiel supra, cap. v : *Ista est Jerusalem : in medio gentium posui eam.*

lavi) vobis,
victimam grandem super montem Israel.
ut comedatis carnem, et bibatis sanguinem.
Carnes fortium comedetis,
et sanguinem principum terræ bibetis,
arietum, agnorum, et hircorum, taurorumque,
altilium, et pinguium omnium.
Et comedetis adipem in saturitatem,
et bibetis sanguinem in ebrietatem,
de victima, quam ego immolabo (*Al.* immolavi) vobis :
Et saturabimini super mensam meam de equo, et equite forti,
et de universis viris bellatoribus, ait Dominus Deus.
Et ponam gloriam meam in gentibus :
et videbunt omnes gentes judicium meum, quod fecerim :
et manum meam, quam posuerim super eos.
Et scient domus Israel, quia ego Dominus Deus eorum,
a die illa, et deinceps.
Et scient (*Al. add.* omnes) gentes quoniam in iniquitate sua (*Al.* propter iniquitates suas) capta sit domus Israel,
eo quod dereliquerint me, et absconderim faciem meam ab eis :
et tradiderim eos in manus hostium,
et ceciderint in gladio universi.
Juxta immunditiam eorum et scelus feci eis,
et abscondi faciem meam ab illis.
Propterea hæc dicit Dominus Deus.
Nunc reducam captivitatem Jacob,
et miserebor omnis domus (*Al.* omni domui) Israel :
et assumam zelum pro nomine sancto meo.
Et portabunt confusionem suam,
et omnem prævaricationem, qua prævaricati sunt in me,
cum habitaverint in terra sua confidenter nemi- C
nem formidantes :
et reduxero eos de populis,
et congregavero de terris inimicorum suorum,
et sanctificatus fuero in eis, in oculis gentium plurimarum.
Et scient quia ego Dominus Deus eorum,
eo quod (*Al.* cum) transtulerim eos in nationes,
et congregaverim (*Al.* congregavero) eos super terram suam,
et non dereliquerim ex eis quemquam ibi.
Et non abscondam ultra faciem meam ab eis,
eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus.
(*Cap.* XL.) In vicesimo et quinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis, quarto decimo anno postquam percussa est civitas :
in ipsa hac die facta est super me manus Domini, D
et adduxit me illuc.
In visionibus Dei adduxit me in terram Israel,
et dimisit me super montem excelsum nimis :
super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad austrum.
Et introduxit me illuc :
et ecce vir cujus erat species quasi species æris,
et funiculus lineus in manu ejus,
et calamus mensuræ in manus ejus :
Stabat autem in porta :
et locutus est ad me idem vir :
Fili hominis,
vide oculis tuis, et auribus tuis audi,
et pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi :
quia ut ostendantur tibi adductus es huc :
annuntia omnia, quæ tu vides, domui Israel.
Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique,
A et in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, et palmo :
Et mensus est latitudinem ædificii calamo uno,
altitudinem quoque calamo uno.
Et venit ad portam quæ respiciebat viam orientalem,
et ascendit per gradus ejus :
Et mensus est limen portæ calamo uno latitudinem,
id est, limen unum calamo uno in latitudinem :
Et thalamum uno calamo in longum,
et uno calamo in latum :
et inter thalamos, quinque cubitos :
Et limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus calamo uno.
Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum,
et frontem ejus duobus cubitis :
vestibulum autem portæ erat intrinsecus.
Porro thalami portæ ad viam orientalem, tres hinc et tres inde :
B mensura una trium,
et mensura una frontium ex utraque parte.
Et mensus est latitudinem liminis portæ decem cubitorum,
et longitudinem portæ tredecim cubitorum :
Et marginem ante thalamos cubiti unius :
et cubitus unus finis utrinque :
thalami autem sex cubitorum erant hinc et inde.
Et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum ejus,
latitudinem viginti et quinque cubitorum :
ostium contra ostium.
Et fecit frontes per sexaginta cubitos :
et ad frontrem atrium portæ undique per circuitum
Et ante faciem portæ, quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris,
quinquaginta cubitos.
Et fenestras obliquas in thalamis,
et in frontibus eorum, quæ erant intra portam undique per circuitum :
Similiter autem erant et in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus,
et ante frontes pictura palmarum.
Et eduxit me ad atrium exterius,
et ecce gazophylacia,
et pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum :
triginta gazophylacia in circuitu pavimenti.
Et pavimentum in fronte portarum,
secundum longitudinem portarum erat inferius.
Et mensus est latitudinem a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii inferioris extrinsecus,
centum cubitos ad orientem, et ad aquilonem.
Portam quoque, quæ respiciebat viam aquilonis atrii exterioris,
mensus est tam in longitudine, quam in latitudine.
Et thalamos ejus tres hinc, et tres inde :
et frontem ejus, et vestibulum ejus secundum mensuram portæ prioris,
quinquaginta cubitorum longitudinem ejus,
et latitudinem viginti quinque cubitorum.
Fenestræ autem ejus, et vestibulum,
et sculpturæ secundum mensuram portæ quæ respiciebat ad orientem :
Et septem graduum erat ascensus ejus,
et vestibulum ante eam.
Et porta atrii interioris contra portam aquilonis, et orientalem.
et mensus est a porta usque ad portam centum cubitos.
Et eduxit me ad viam australem,
et ecce porta quæ respiciebat ad austrum :
et mensus est frontem ejus, et vestibulum ejus, juxta mensuras superiores.
Et fenestras ejus, et vestibula in circuitu, sicut fenestras cæteras :
quinquaginta cubitorum longitudine

et latitudine viginti quinque cubitorum (*Al.* in qua erat 50 cubitorum longitudo, et latitudo 25, *absque* cubitorum).
Et in gradibus septem ascendebatur ad eam :
et vestibulum ante fores ejus :
et cælatæ palmæ erant, una hinc, et altera inde in fronte ejus.
Et porta atrii inferioris in via australi :
et mensus est a porta usque ad portam in via australi, centum cubitos.
Et introduxit me in atrium interius ad portam australem :
et mensus est portam juxta mensuras superiores.
Thalamum ejus, et frontem ejus,
et vestibulum ejus eisdem mensuris :
et fenestras ejus, et vestibulum ejus in circuitu,
quinquaginta cubitos longitudinis,
et latitudinis viginti quinque cubitos.
Et vestibulum per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum,
et latitudine quinque cubitorum.
Et vestibulum ejus ad atrium exterius,
et palmas ejus in fronte,
et octo gradus erant (*Al. add.* ejus), quibus ascendebatur per (*Al.* ad) eam.
Et introduxit me in atrium interius per viam orientalem :
et mensus est portam secundum mensuras superiores.
Thalamum ejus, et frontem ejus,
et vestibulum ejus, sicut supra :
et fenestras ejus, et vestibula ejus in circuitu,
longitudine quinquaginta cubitorum,
et latitudine viginti quinque cubitorum.
Et vestibulum ejus, id est atrii exterioris :
et palmæ cælatæ in fronte ejus hinc et inde :
et in octo gradibus ascensum ejus.
Et introduxit me ad portam quæ respiciebat ad aquilonem :
et mensus est secundum mensuras superiores,
Thalamum ejus, frontem ejus,
et vestibulum ejus,
et fenestras ejus per circuitum,
longitudine quinquaginta cubitorum,
et latitudine viginti quinque cubitorum.
Et vestibulum ejus respiciebat ad atrium exterius:
et cælatura psalmarum in fronte ejus hinc et inde:
et in octo gradibus ascensus ejus.
Et per singula gazophylacia ostium in frontibus (*Al.* foribus) portarum :
ibi lavabant holocaustum.
Et in vestibulo portæ, duæ mensæ hinc, et duæ mensæ inde :
ut immolelur super eas holocaustum et pro peccato, et pro delicto.
Et ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ quæ pergit ad aquilonem, duæ mensæ :
et ad latus alterum ante vestibulum portæ, duæ mensæ ;
Quatuor mensæ hinc, et quatuor mensæ inde;
per latera portæ octo mensæ erant, super quas immolabant :
Quatuor autem mensæ ad holocaustum, de lapidibus quadris exstructæ :
longitudine cubiti unius et dimidii :
et latitudine cubiti unius et dimidii :
et altitudine cubiti unius :
super quas ponant (*Al.* ponent) vasa, in quibus immolatur holocaustum, et victima.
Et labia earum palmi unius, reflexa, introrsecus per circuitum :

A super mensas autem oblationis.
Et extra portam interiorem,
gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad aquilonem:
Et facies eorum contra viam australem,
una ex latere portæ orientalis, quæ respiciebat ad viam aquilonis.
Et dixit ad me :
Hoc est gazophylacium, quod respicit viam meridianam ;
sacerdotum erit (*Al. lacet* erit), qui excubant in custodiis templi.
Porro gazophylacium, quod respicit ad viam aquilonis, sacerdotum erit,
qui excubant ad ministerium altaris.
Isti sunt filii Sadoc,
qui accedunt de filiis Levi ad Dominum ut ministrent ei.
Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum,
B et latitudine centum cubitorum per quadrum :
et altare ante faciem templi.
Et introduxit me in vestibulum templi :
et mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde :
et latitudinem portæ trium cubitorum hinc, et trium cubitorum inde.
Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum,
et latitudinem undecim cubitorum,
et octo gradibus ascendebatur ad eam [1].
Et columnæ erant (*Al.* earum) in frontibus :
una hinc, et altera inde.
(*Cap.* XLI.) Et introduxit me in templum,
et mensus est frontes, sex cubitos latitudinis hinc, et sex cubitos latitudinis inde,
latitudinem tabernaculi.
Et latitudo portæ, decem cubitorum erat :
et latera portæ, quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde :
C Et mensus est longitudinem ejus quadraginta cubitorum,
et latitudinem viginti cubitorum.
Et introgessus intrinsecus mensus est in fronte portæ duos cubitos :
et portam, sex cubitorum :
et latitudinem portæ, septem cubitorum.
Et mensus est longitudine mejus viginti cubitorum,
et latitudinem viginti cubitorum, ante faciem templi:
Et dixit ad me :
Hoc est Sanctum sanctorum.
Et mensus est parietem domus sex cubitorum :
et latitudinem lateris quatuor cubitorum undique per circuitum domus.
Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria :
et erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circuitum,
ut continerent, et non attingerent parietem templi.
Et platea erat in rotundum, ascendens sursum per cochleam,
D et in cœnaculum templi deferebat per gyrum :
Idcirco latius erat templum in superioribus :
et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium.
Et vidi in domo altitudinem per circuitum,
fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio.
Et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum :
et interior domus in lateribus domus.
Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique,
et ostium lateris ad orationem :

[1] Pro hoc numero in Hebræo est pronomen relativum אשר. *qui*, quod cum δίκα, *decem* interpretentur LXX, lectum ab eis עשר pro אשר, perspicuum est: eaque demum videtur germana lectio. At, qui *octo* Hieronymus interpretatur post Symmachum, atque alia ex parte Aquilæ secunda editio, ac Theodotio, qui *undecim* vertunt, aliter se atque aliter legisse indicant, et obvia illa emendatione Hebræi codicis salvam rem esse non sinunt.

ostium unum ad viam aquilonis,
et ostium unum ad viam australem :
et latitudinem loci ad orationem, quinque cubitorum in circuitu.
Et ædificium quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum.
Paries autem ædificii, quique cubitorum latitudinis per circuitum :
et longitudo ejus nonaginta cubitorum.
Et mensus est domus longitudinem, centum cubitorum :
et quod separatum erat ædificium, et parietes ejus, longitudinis centum cubitorum.
Latitudo autem ante faciem domus,
et ejus quod erat separatum contra orientem, centum cubitorum.
Et mensus est longitudinem ædificii contra faciem ejus, quod erat separatum ad dorsum,
ecthetas [1] ex utraque parte centum cubitorum :
et templum interius, et vestibula atrii.
Limina, et fenestras obliquas, et ecthetas in circuitu per tres partes, contra uniuscujusque limen,
stratumque ligno per gyrum in circuitu :
terra autem usque ad fenestras, et fenestræ clausæ super ostia.
Et usque ad domum interiorem,
et forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus,
et forinsecus, ad mensuram.
Et fabrefacta cherubim et palmæ :
et palma inter cherub et cherub,
duasque facies habebat cherub.
Faciem hominis juxta palmam ex hac parte,
et faciem leonis juxta palmam ex alia parte,
expressam per omnem domum in circuitu.
De terra usque ad superiora portæ
cherubim et palmæ cælatæ erant in pariete templi.
Limen quadrangulum,
et facies Sanctuarii, aspectus contra aspectum.
Altaris lignei trium cubitorum altitudo,
et longitudo ejus duorum cubitorum :
Et anguli ejus, et longitudo ejus :
et parietes ejus lignei.
Et locutus est ad me :
Hæc est mensa coram Domino,

A Et duo ostia erant in templo, et in Sanctuario.
Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur :
bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum.
Et cælata erant in ipsis ostiis templi cherubim, et sculpturæ palmarum,
sicut in parietibus quoque expressæ erant :
quam ob rem erant et grossiora ligna in vestibuli fronte forinsecus.
Super quæ fenestræ obliquæ,
et similitudo palmarum hinc atque inde in humerulis vestibuli,
secundum latera domus latitudinemque parietum.
(*Cap.* XLII.) Et eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad aquilonem,
et introduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium,
et contra ædem vergentem ad aquilonem,
In facie longitudinis, centum cubitos ostii aquilonis :
B et latitudinis quinquaginta cubitos,
contra viginti cubitos atrii interioris,
et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris,
ubi erat porticus juncta porticui triplici.
Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis,
ad interiora respiciens viæ cubiti unius :
Et ostia eorum ad aquilonem :
Ubi erant gazophilacia in superioribus humiliora : quia supportabant porticus quæ ex illis eminebant de inferioribus et de mediis ædificii.
Tristega enim erant, et non habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum :
propterea eminebant de inferioribus et de mediis a terra cubitis quinquaginta.
Et peribolus exterior secundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia : longitudo ejus quinquaginta cubitorum.
C Quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris, quinquaginta cubitorum :
et longitudo ante faciem templi, centum cubitorum.
Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab oriente ingredientium in ea de atrio exteriori.
In latitudine periboli atrii, quod erat contra viam

[1] Regius ms. codex Bibliorum antiquissimus n. 3563 EKTHETAS legit; Colbertinus Aniciensis n. 157, *hæctetas*, cum diphthongo et aspiratione, quod retinent duo San-Germanenses num. 3 et 16; exemplaria canonis. *ethetas*, *hecthetas*, vel *et zethas* habent. Recentiores duo mss. codices Bibliorum San-Germanenses nostri num. 3 et 164 legunt, *et theeas*. In sacro contextu Commentariorum S. Hieronymi in Ezechielem, hanc Græcam vocem Græce scriptam invenimus in vetustissimo exemplari ms. Corbeiensi litteris Longobardicis descripto, eKΘeTaC *ex utraque parte... et* eKΘeTaC *in circuitu*, etc. Cui lectioni omnino consentieus reperitur expositio ipsa in eisdem Commentariis : « eCΘeTas autem, inquit Hieronymus, Romæ appellant solaria de cœnaculorum parietibus eminentia, sive Meniana, ab eo qui primus ea invenit, quæ nonnulli Græcorum ἐξώστρας vocant. » Idem verbum ita scriptum reperi in tribus aliis mss. libris Commentariorum, uno Colbertino, altero abbatiæ Cluniacensis, et tertio monasterii S. Cygiranni. Itaque immerito repreheddunturGermani quidam viri docti a Mariano Victorio, dum ait de Reuklino et aliis : « At non solum vocem non agnoverunt, sed corrupte magis ἐκθέτας Græcam dictionem ex suo supposuerunt cerebro, » etc. Non ex suo cerebro supponunt quod anteoctingentos annos ita scriptum legebatur in libris emendatioribus S. Hieronymi : sed hallucinatus est ipse Marianus ex similitudine dictionis Hebraice אתוקים et אתוקיה : *athikim* et *athukiah* cum verbo *ethecas*, quod Marianus substituendum duxit, putans hoc loco retenta esse verba Hebraica ab ipso Hieronymo. Cæterum ἔκθεμα tabula est apud Græcos exposita oculis prætereuntium, qua aliquid significatur ac declaratur. Ἔκθεται igitur loca significant exposita, sive meniana, quæ Gallice vocamus *balcons*. MART.

D — Diximus nec semel alibi, præsertim vero in epist. 106 *ad Sunniam et Fretelam*, num. 63, de ecthetis quæ ex ipsiusmet Hieronymi testimonio, « Romæ appellabantur solaria, sive meniana, ab eo qui ea primum invenit. » Nec fere est dubium quin ex Hebraico nomine אתוקים, vel אתוקיה *athikim*, vel *athukiah*, vox ea derivetur, quanquam non *ethecas*, ut Victorius contendebat, sed *ecthetas*, recta sit Latinorum codicum scriptio. Quod vero aiunt vulgo interpretes, ejus significationem vocis non nisi divinando assignari, nec traditæ abs Hieronymo expositioni consentaneum esse, quod capite sequenti vox illa ipsa *porticus* interpretatur : facile, opinor, explicari et conciliari potest, si quæ porticibus imponuntur rostra, sive rostratus superne porticus in quibus apricari liceat, codici vocabulo intelligas. S. quoque Isidorus, lib. XV *Origin.* cap. 3 ex veteri grammatico tradit, *Meniana*, id est *ecthetas*, in porticibus ædificata.

orientalem,
in faciem ædificii separati,
et erant ante ædificium gazophylacia.
Et via ante faciem eorum,
juxta similitudinem gazophylaciorum quæ erant in via aquilonis;
Secundum longitudinem eorum, sic et latitudo eorum:
et omnis introitus eorum, et similitudines, et ostia eorum.
Secundum ostia gazophylaciorum quæ erant in via respicientes ad notum.
ostium in capite viæ:
quæ via erat ante vestibulum separatum per viam orientalem ingredientibus.
Et dixit ad me:
Gazophylacia aquilonis, et gazophylacia austri,
quæ sunt ante ædificium separatum:
Hæc sunt gazophylacia sancta,
in quibus vescuntur sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum in Sancta sanctorum:
Ibi ponent Sancta sanctorum,
et oblationes pro peccato et pro delicto:
locus enim sanctus est.
Cum autem ingressi fuerint sacerdotes.
non egredientur de sanctis in atrium exterius:
Et ibi reponent vestimenta sua in quibus ministrant,
quia sancta sunt:
Vestienturque vestimentis aliis,
et sic procedent ad populum.
Cumque complesset mensuras domus interioris,
eduxit me per viam portæ quæ respiciebat ad viam orientalem:
et mensus est eam undique per circuitum.
Mensus autem est contra ventum orientalem calamo mensuræ,
quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum.
Et mensus est contra ventum aquilonis.
quingentos calamos in calamo mensuræ per gyrum:
Et ad ventum australem
mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum.
Et ad ventum occidentalem
mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ.
Per quatuor ventos mensus est illud (*Al. tacet* illud) murum ejus undique per circuitum longi.
tudine quingentorum cubitorum,
et latitudine quingentorum cubitorum,
dividentem inter Sanctuarium et vulgi locum.
(*Cap.* XLIII.) Et duxit me ad portam quæ respiciebat ad viam orientalem.
Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem:
Et vox erat ei quasi vox aquarum multarum,
et terra splendebat a majestate ejus.
Et vidi visionem secundum speciem quam videram,
quando venit, ut disperderet civitatem:
Et species secundum aspectum quem videram juxta fluvium Chobar:
et cecidi super faciem meam.
Et majestas Domini ingressa est templum per viam portæ.
quæ respiciebat ad orientem.
Et levavit me spiritus,
et introduxit me in atrium interius:
et ecce repleta erat gloria Domini domus.
Et audivi loquentem ad me de domo.
et vir qui stabat juxta me, dixit ad me:
Fili hominis,
locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum.

A ubi habito in medio filiorum Israel in æternum.
Et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum,
ipsi et reges eorum in fornicationibus suis,
et in ruinis regum suorum, et in excelsis.
Qui fabricati sunt limen suum juxta limen meum,
et postes suos juxta postes meos:
et murus erat inter me et eos:
Et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerunt:
propter quod consumpsi eos in ira mea.
Nunc ergo repellant procul fornicationem suam,
et ruinas regum suorum a me:
et habitabo in medio eorum semper.
Tu autem, fili hominis, ostende domui Israel templum,
et confundantur ab iniquitatibus suis.
et metiantur fabricam:
et erubescant ex omnibus quæ fecerunt:
B Figuram domus, et fabricæ ejus exitus, et introitus.
et omnem descriptionem ejus,
et universa præcepta ejus, cunctumque ordinem ejus (*Al. tacet* ejus),
et omnes leges ejus ostende eis,
et scribes in oculis eorum:
Ut custodiant omnes descriptiones (*Al.* distributiones) ejus, et præcepta illius,
et faciant ea.
Ista est lex domus in summitate montis:
Omnis finis ejus in circuitu, Sanctum sanctorum est (*Al.* erit):
hæc ergo est lex domus.
Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum et palmum:
In sinu ejus erat cubitus, et cubitus in latitudine,
et definitio ejus usque ad labium ejus in circuitu, palmus unus (*Al.* palmi unius.)
Hæc quoque erat fossa altaris.
C Et de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam duo cubiti,
et latitudo cubiti unius:
Et a crepidine minore usque ad crepidinem majorem [1] quatuor cubiti,
et latitudo cubiti unus,
Ipse autem Ariel quatuor cubitorum:
et ab Ariel ad sursum, cornua quatuor.
Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis:
quadrangulatum æquis lateribus.
Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis.
per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis ejus:
Et corona in circuitu ejus dimidii cubiti,
et sinus ejus unius cubiti per circuitum,
gradus autem ejus versi ad orientem.
Et dixit ad me:
Fili hominis,
hæc dicit Dominus:
D Hi sunt ritus altaris, in quacunque die fuerit fabricatum:
ut offeratur super illud holocaustum, et effundatur sanguis,
Et dabis sacerdotibus, et Levitis, qui sunt de semine Sadoc,
qui accedunt ad me, ait Dominus Deus,
ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato.
Et assumens de sanguine ejus, pones super quatuor cornua ejus,
et super quatuor angulos crepidinis,
et super coronam in circuitu:
et mundabis illud, et expiabis.
Et tolles vitulum, qui oblatus fuerit pro peccato:
et combures eum in separato loco domus extra sanctuarium.

[1] Manuscripti codices ordinem verborum habent inversum *a crepidine majori usque ad crepidinem minorem*. MART.

Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato :
et expiabunt altare, sicut expiaverunt in vitulo.
Cumque compleveris expians illud,
offeres vitulum de armento immaculatum,
et arietem de grege immaculatum.
Et offeres eos in conspectu Domini ;
et mittent sacerdotes super eos sal,
et offerent eos holocaustum Domino.
Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie :
et vitulum de armento,
et arietem de pecoribus,
immaculatos offerent.
Septem diebus expiabunt altare, et mundabunt illud : et implebunt manum ejus.
Expletis autem diebus,
in die octavo et ultra,
facient sacerdotes super altare holocausta vestra,
et quæ pro pace offerunt :
et placatus ero vobis, ait Dominus Deus.
(*Cap.* XLIV.) Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem :
et erat clausa.
Et dixit Dominus ad me :
Porta hæc clausa erit :
non aperietur, et vir non transibit per eam :
quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam,
eritque clausa principi.
Princeps ipse sedebit in ea,
ut comedat panem coram Domino ;
Per viam vestibuli portæ ingredietur,
et per viam ejus egredietur.
Et adduxit me per viam portæ aquilonis in conspectu domus :
et vidi, et ecce implevit gloria Domini domum Domini,
et cecidi in faciem meam.
Et dixit ad me Dominus :
Fili hominis, pone cor tuum,
et vide oculis tuis,
et auribus tuis audi omnia quæ ego loquor ad te de universis cæremoniis domus Domini,
et de cunctis legibus ejus :
Et pones cor tuum in viis templi
per omnes exitus Sanctuarii,
Et dices ad exasperantem me domum Israel :
Hæc dicit Dominus Deus :
Sufficiant vobis omnia scelera vestra, domus Israel : eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, et incircumcisos carne,
ut sint in Sanctuario meo, et polluant domum meam :
Et offertis panes meos, adipem, et sanguinem :
et dissolvitis (*Al.* dissolvistis) pactum meum in omnibus sceleribus vestris ;
Et non servastis præcepta Sanctuarii mei :
et posuistis custodes observationum mearum in Sanctuario meo vobismetipsis.
Hæc dicit Dominus Deus :
Omnis alienigena incircumcisus corde, et incircumcisus carne,
non egredietur Sanctuarium meum,
omnis filius alienus qui est in medio filiorum Israel.
Sed et Levitæ, qui longe recesserunt a me in errore : filiorum Israel,
et erraverunt a me post idola sua,
et portaverunt (*Al.* portabunt) iniquitatem suam :
erant (*Al.* qui erant) in sanctuario meo æditui, janitores portarum domus,
et ministri domus :
Ipsi mactabant (*Al.* mactabant) holocausta, et victimas populi :
et ipsi stabunt in conspectu eorum, ut ministrent eis (*Al.* stabant ante eos ut ministrarent pro illis).
Pro eo quod ministraverunt illis (*Al.* pro eis) in conspectu idolorum suorum,
et facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis :
Idcirco levavi manum meam super eos, ait Dominus Deus,
et portabunt (*Al.* portaverunt) iniquitatem suam :
Et non appropinquabunt ad me, ut sacerdotio fungantur mihi,
neque accedent ad omne Sanctuarium meum juxta Sancta sanctorum :
Sed portabunt confusionem suam,
et scelera sua quæ fecerunt.
Et dabo eos janitores domus in omni ministerio ejus et in universis quæ fient (*Al.* fiunt) in ea.
Sacerdotes autem et Levitæ filii Sadoc,
qui custodierunt cæremonias Sanctuarii mei, cum errarent filii Israel a me,
ipsi accedent ad me, ut ministrent mihi :
Et stabunt in conspectu meo,
ut offerant mihi adipem, et sanguinem, ait Dominus Deus,
Ipsi ingredientur Sanctuarium meum,
et ipsi accedent ad mensam meam, ut ministrent mihi,
et custodiant cæremonias meas.
Cumque ingredientur portas atrii interioris, vestibus lineis induentur :
nec ascendet super eos quidquam laneum,
quando ministrant in portis atrii interioris et intrinsecus.
Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum,
et feminalia linea erunt in lumbis eorum,
et non accingentur in sudore.
Cumque egredientur atrium exterius ad populum,
exuent se vestimentis suis, in quibus ministraverant,
et reponent ea in gazophylacio Sanctuarii,
et vestient se vestimentis aliis :
et non sanctificabunt populum in vestibus suis.
Caput autem suum non radent, neque comam nutrient :
sed tondentes attondent capita sua.
Et vinum non bibet omnis sacerdos,
quando ingressurus est atrium interius.
Et viduam et repudiatam non accipient uxores,
sed virgines de semine domus Israel :
sed et viduam, quæ fuerit vidua a sacerdote, accipient,
Et populum meum docebunt quid sit inter sanctum et pollutum,
et inter mundum et immundum ostendent eis.
Et cum fuerit controversia,
stabunt in judiciis meis, et judicabunt :
Leges meas et præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient,
et Sabbata mea sanctificabunt.
Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur,
nisi ad patrem et matrem.
et filium et filiam,
et fratrem et sororem,
quæ alterum virum non habuerit [1] :
in quibus contaminabuntur.
Et postquam fuerit emundatus.
septem dies numerabuntur ei.
Et in die introitus sui in Sanctuarium ad atrium interius, ut ministret mihi in sanctuario,
offeret pro peccato suo, ait Dominus Deus (*Al.* Domino Deo).

[1] Vox *alterum* neque additur in Hebræo, neque ab Hieronymo in Comment. agnoscitur. Vide quæ ibi adnotamus.

Non erit autem eis hæreditas,
ego hæreditas eorum :
et possessionem non dabitis eis in Israel,
ego enim possessio eorum.
Victimam et pro peccato et pro delicto ipsi comedent :
et omne votum in Israel ipsorum erit.
Et primitiva omnium primogenitorum ;
et omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur, sacerdotum erunt :
Et primitiva ciborum vestrorum dabitis sacerdoti, ut reponat benedictionem domui tuæ (*Al.* suæ).
Omne morticinum, et captum a bestia de avibus et de pecoribus
non comedent sacerdotes.
(*Cap.* XLV.) Cumque cœperitis terram dividere sortito (*Al.* in possessionem),
separate primitias Domino, sanctificatum de terra, longitudine viginti quinque millia,
et latitudene decem millia :
Sanctificatum erit in omni termino ejus per circuitum.
Et erit ex omni parte sanctificatum
quingentos per quingentos,
quadrifariam per circuitum :
et quinquaginta cubitis in suburnana ejus per gyrum
Et a mensura ista mensurabis longitudem viginti quinque millium,
et latitudinem decem millium
et in ipso erit templum, Sanctumque sanctorum.
Sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris Sanctuarii, qui accedunt ad ministerium Domini ;
et erit eis locus in domos, et in Sanctuarium sanctitatis.
Viginti quinque autem millia longitudinis,
et decem millia latitudinis erunt Levitis, qui (*Al.* Levitæ autem qui) ministrant domui :
ipsi possidebunt viginti gazophylacia.
Et possessionem civitatis dabitis quinque millia latitudinis,
et longitudinis viginti quinque millia,
secundum separationem Sanctuarii,
omni domui Israel.
Principi quoque hic, et inde in separationem Sanctuarii,
et in possessionem civitatis,
contra faciem separationis Sanctuarii,
et contra faciem possessionis urbis :
A latere maris usque ad mare,
et a latere orientis usque ad orientem :
Longitudinis autem[1] juxta unamquamque partem,
a termino occidentali usque ad terminum orientalem.
De terra (*Al.* Terræ) erit ei possessio in Israel :
et non depopulabuntur ultra principes populum meum :
sed terram dabunt domui Israel, secundum tribus eorum.
Hæc dicit Dominus Deus :
Sufficiat vobis, principes Israel :
iniquitatem et rapinas intermittite,
et judicium et justitiam facite :
separate confinia vestra a populo meo, ait Dominus Deus.
Statera justa, et ephi justum et batus justus erit vobis.
Ephi et batus æqualia, et unius mensuræ erunt :
Ut captat decimam partem cori batus,
et decimam partem cori ephi ;
juxta mensuram cori erit aqua libratio eorum.
Siclus autem viginti obolos habeat (*Al.* habet).
Porro viginti sicli, et viginta quinque sicli, et quindecim sicli minam facient (*Al.* faciunt).
Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis :
A sextam partem ephi de coro frumenti,
et sextam partem ephi de coro hordei.
Mensura quoque olei, batus olei, decima pars cori est :
et decem bati corum faciunt :
quia decem bati implent corum.
Et arietem unum de grege ducentorum,
de his quæ nutriunt (*Al.* nutrit) Israel in sacrificium, et in holocaustum, et in pacifica,
ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus.
Omnis populus terræ.
tenebitur primitiis his principi in Israel.
Et super principem erunt holocausta, et sacrificium, et libamina in solemnitatibus, et in kalendis et in sabbatis,
in universis solemnitatibus domus Israel :
Ipse faciet pro peccato sacrificium, et holocaustum, et pacifica.
ad expiandum pro domo Israel.
B Hæc dicit Dominus Deus :
In primo mense una mensis, sumes vitulum de armento immaculatum :
et expiabis Sanctuarium.
Et tollet sacerdos de sanguine, quo erit pro peccato :
et ponet in postibus domus,
et in quatuor angulis crepidinis altaris,
et in postibus portæ atrii interioris.
Et sic facies in septima mensis, pro unoquoque, qui ignoravit (*Al.* ignoraverit), et errore deceptus est,
et expiabis (*Al.* expiabitis) pro domo.
In primo mense, quarta decima die mensis, erit vobis Paschæ solemnitas :
septemdiebus azyma comedentur (*Al.* comedent).
Et faciet princeps in die illa pro se, et pro universo populo terræ, vitulum pro peccato.
Et in septem dierum solemnitate faciet holocaustum
C Domino septem vitulos,
et septem arietes immaculatos quotidie septem diebus :
et pro peccato hircum caprarum quotidie.
Et sacrificium ephi per vitulum,
et ephi per arietem faciet :
et olei hin per singula ephi.
Septimo mense, quinta decima die mensis in solemnitate,
faciet sicut supra dicta sunt per septem dies, tam pro peccato, quam pro holocausto,
et in sacrificio, et in oleo.
(*Cap.* XLVI.) Hæc Dicit Dominus Deus :
Porta atrii interioris, quæ respicit ad orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit,
die autem sabbati aperietur,
sed et in die kalendarum aperietur,
Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, et stabit in limine portæ ;
D et facient sacerdotes holocaustum ejus, et pacifica ejus :
Et adorabit super limen portæ, et egredietur :
porta autem non claudetur usque ad vesperam.
Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in sabbatis,
et in kalendis, coram Domino.
Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino :
in die sabbati sex agnos immaculatos, et arietem immaculatum :
Et sacrificium ephi per arietem :
in (*Al. tacet* in) agnis autem sacrificium, quod dederit manus ejus,
et olei hin per singula ephi.
In die autem kalendarum vitulum de armento immaculatum :
et sex agni et arietes immaculati erunt.
Et ephi per vitulum,

[1] *Longitudinem autem,* pro *longitudinis autem,* legimus in mss. omnibus. MART.

ephi quoque per arietem faciet sacrificium :
De (*Al. tace:* De) agnis autem, sicut invenerit manus ejus :
et olei hin per singula ephi.
Cumque ingressurus est princeps,
per viam vestibuli portæ ingrediatur, et per eamdem viam exeat.
Et cum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnitatibus,
qui ingreditur per portam aquilonis ut adoret,
egreditur per viam portæ meridianæ :
Porro qui ingreditur per viam portæ meridianæ,
egrediatur per viam portæ aquilonis :
Non revertetur per viam portæ, per quam ingressus est.
sed e regione illius egredietur.
Princeps autem in medio eorum cum ingredientibus ingredietur,
et cum egredientibus egredietur,
Et in nundinis, et in solemnitatibus erit sacrificium
ephi per vitulum,
et ephi per arietem :
Agnis autem erit sacrificium sicut invenerit manus ejus :
et olei hin per singula ephi.
Cum autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino ;
aperietur ei porta quæ respicit ad orientem,
et faciet holocaustum suum, et pacifica sua,
sicut fieri solet in die sabbati :
et egredietur, claudeturque porta postquam exierit.
Et agnum ejusdem anni (*Al.* anniculum) immaculatum faciet holocaustum quotidie Domino :
semper mane faciet illud.
Et sacrificium faciet super eo cata (*Al. tacet* cata) mane mane sextam partem ephi,
et de oleo tertiam partem hin, ut (*Al.* et) misceatur similæ :
Sacrificium Domino legitimum,
juge atque perpetuum,
Faciet (*Al.* Facietis) agnum, et sacrificium, et oleum cata (*Al. tacet* cata) mane mane :
holocaustum sempiternum,
Hæc dicit Dominus Deus :
Si dederit princeps donum alicui de filiis suis :
hæreditas ejus, filiorum suorum erit,
possidebunt eam hæreditarie.
Si autem dederit legatum de hæreditate sua uni servorum suorum,
erit illius usque ad annum remissionis, et [*Al.* sed] revertetur ad principem :
hæreditas autem ejus, filiis ejus erit.
Et non accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam, et de possessione eorum :
sed de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis :
ut non dispergatur populus meus unusquisque a possessione sua.
Et introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portæ,
in gazophylacia sanctuarii ad sacerdotes,
quæ (*Al.* qui) respiciebant ad aquilonem :
et (*Al. add.*) ecce erat ibi locus vergens ad occidentem.
Et dixit ad me :
Iste est locus ubi coquent sacerdotes pro delicto, et pro peccato :
ubi coquent sacrificium, ut non efferant in atrium exterius,
et sanctificetur populus.
Et eduxit me in atrium exterius,
et circumduxit me per quatuor angulos atrii ;
Et ecce atriolum erat in angulo atrii.
atriola singula per angulos atrii :
In quatuor angulis atrii atriola disposita,
quadraginta cubitorum per longum,
et triginta per latum :
mensuræ unius quatuor erant.
Et paries per circuitum ambiens quatuor atriola :
et culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum.
Et dixit ad me :
Hæc est domus culinarum,
in qua coquent ministri domus Domini. (*Al. tacet* Domini) victimas populi.
(*Cap.* XLVII.) Et convertit (*Al.* converti) me ad portam domus,
et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientem :
facies enim domus respiciebat ad orientem :
aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris.
Et eduxit me per viam portæ aquilonis,
et converti me ad viam foras portam exteriorem,
viam quæ respiciebat ad orientem :
et ecce aquæ redundantes a latere dextro.
Cum egrederetur vir ad orientem, qui habebat funiculum in manu sua.
et mensus est mille cubitos :
et transduxit me per aquam usque ad talos.
Rursumque mensus est mille,
et transduxit me per aquam usque ad genua :
Et mensus est mille,
et transduxit me per aquam usque ad renes.
Et mensus est mille,
torrentem, quem non potui pertransire :
quoniam intumuerant aquæ profundæ torrentis,
qui non potest (*Al.* poterat) transvadari.
Et dixit ad me :
Certe vidisti, fili hominis.
Et eduxit me,
et convertit ad ripam torrentis.
Cumque me convertissem,
ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte.
Et ait ad me :
Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos soli orientalis,
et descendunt ad plana deserti,
intrabunt mare, et exibunt,
et sanabuntur aquæ.
Et omnis anima vivens, quæ serpit quocunque venerit torrens,
vivet :
Et erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istæ,
et sanabuntur et vivent omnia, ad quæ venerit torrens.
Et stabunt super illas piscatores,
ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit :
Plurimæ species erunt piscium ejus,
sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ :
In littoribus autem ejus, et in palustribus non sanabuntur,
quia in salinas dabuntur.
Et super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum :
non defluet folium ex eo,
et non deficiet fructus ejus :
Per singulos menses afferet primitiva,
quia aquæ ejus de sanctuario egredientur :
Et erunt fructus ejus in cibum,
et folia ejus ad medicinam,
Hæc dicit Dominus Deus :
Hic est terminus, in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israel :
quia Joseph duplicem funiculum habet.
Possidebitis autem eam singuli æque ut frater suus ;
super (*Al.* in) quam levavi manum meam, ut darem patribus vestris :
et cadet terra hæc vobis in possessionem.
Hic est autem terminus terræ :

ad plagam septentrionalem, a mari magno via Ethalon [1], venientibus Sadada,
Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter terminum (*Al.* medium) Damasci et confinium Emath, domus Atthicon [2],
quæ est juxta terminum Auran.
Et erit terminus a mari usque ad atrium Enon terminus Damasci,
et ab aquilone ad aquilonem, ut terminus Emath: plaga autem (*Al. tacet* autem) septentrionalis.
Porro plaga orientalis de medio Auran,
et de medio Damasci, et de medio Galaad, et de medio terræ Israel,
Jordanis disterminans ad mare orientale.
metiemini etiam plagam orientalem.
Plaga autem australis meridiana,
a Thamar usque ad aquas contradictionis Cades:
et (*Al.* Cades quoque est) torrens usque ad mare magnum:
et (*Al.* hæc est) plaga ad meridiem australis:
Et plaga maris,
mare magnum a confinio per directum donec venias Emath:
hæc est plaga maris.
Et dividetis terram istam vobis per tribus Israel:
et mittetis eam hæreditatem vobis,
et advenis, qui accesserint ad vos,
qui genuerint filios in medio vestrum:
Et erunt vobis sicut indigenæ inter filios Israel:
vobiscum divident possessionem in medio tribuum Israel.
In tribus autem quacunque fuerit advena,
ibi dabitis possessionem illi, ait Dominus Deus.
(*Cap.* XLVIII.) Et hæc nomina tribuum a finibus aquilonis juxta viam Ethalon pergentibus Emath,
atrium Enon terminus Damasci ad aquilonem juxta Emath,
Et erit ei plaga orientalis (*Al.* a plaga orientali) mare, Dan una.
Et ad terminum (*Al.* a termino) Dan,
a plaga orientali usque ad plagam maris, Aser una.
Et super terminum Aser,
a plaga orientali usque ad plagam maris,
Nephthali una.
Et super terminum Nephthali,
a plaga orientali usque ad plagam maris, Manasse una.
Et super terminum Manasse,
a plaga orientali usque ad plagam maris, Ephraim una.
Et super terminum Ephraim,
a plaga orientali usque ad plagam maris, Ruben una.
Et super terminum Ruben,
a plaga orientali usque ad plagam maris, Juda una.
Et super terminum Juda,
a plaga orientali usque ad plagam maris, erunt primitiæ, quas separabitis,
viginti quinque millibus latitudinis et longitudinis, sicut singulæ partes a plaga orientali usque ad plagam maris:
Et erit sanctuarium in medio ejus.
Primitiæ, quas separabitis Domino,
longitudo viginti quinque millibus,
et latitudo decem millibus.
Hæ autem erunt primitiæ sanctuarii sacerdotum:
ad aquilonem longitudinis viginti quinque millia,
et ad mare latitudinis decem millia,
sed et ad orientem latitudinis decem millia,
et ad meridiem longitudinis vinginti quinque millia;
Et erit sanctuarium Domini in medio ejus.

A Sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sadoc, qui custodierunt cæremonias meas,
et non erraverunt cum errarent filii Israel, sicut erraverunt et Levitæ.
Et erunt eis primitiæ de primitiis terræ Sanctum sanctorum,
juxta terminum Levitarum.
Sed et Levitis similiter juxta fines sacerdotum viginti quinque millia longitudinis,
et latitudinis decem millia.
Omnis longitudo viginti et quinque millia,
Et latitudo decem millium.
Et non venundabunt ex eo, neque mutabunt,
nec transferentur primitiæ terræ,
quia sanctificatæ sunt Domino.
Quinque millia autem quæ supersunt in latitudine per viginti quinque millia,
profana erunt urbis in habitaculum, et in suburbana:
B et erit civitas in medio ejus:
Et hæ mensuræ ejus:
ad plagam septentrionalem quingenti et quatuor millia:
et ad plagam meridianam quingenti et quatuor millia:
et ad plagam orientalem quingenti et quatuor millia:
et ad plagam occidentalem quingenti et quatuor millia:
Erunt autem suburbana civitatis ad aquilonem ducenti quinquaginta,
et ad meridiem ducenti quinquaginta,
et ad orientalem ducenti quinquaginta,
et ad mare ducenti quinquaginta.
Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundum primitias Sanctuarii,
decem millia in orientem,
et decem millia ad occidentem,
C erunt sicut primitiæ Sanctuarii:
et erunt fruges ejus in panes (*Al.* cibum his), qui serviunt civitati.
Servientes autem civitati,
operabuntur ex omnibus tribubus Israel.
Omnes primitiæ viginti quinque millium,
per viginti quinque millia in quadrum, separabuntur in primitias Sanctuarii,
et in possessionem civitatis.
Quod autem reliquum fuerit,
principis erit ex omni parte primitiarum Sanctuarii,
et possessionis civitatis regione viginti quinque millium primitiarum usque ad terminum orientalem:
Sed et ad mare (*Al.* a mari), e regione viginti quinque millium usque ad terminum maris,
similiter in partibus principis erit:
Et erunt primitiæ Sanctuarii,
D et Sanctuarium templi in medio ejus.
De possessione autem Levitarum, et de possessione civitatis in medio partium principi:
erit inter terminum Juda, et inter terminum Benjamin,
et ad principem pertinebit.
Et reliquis tribubus:
A plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Benjamin una.
Et contra terminum Benjamin,
a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Simeon una.
Et super terminum Simeonis,
a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Issachar una.
Et super terminum Issachar,

[1] Hic corrupte mss. codices legunt *Bethalon*, deinde sequentis capituli versu primo idem nomen, *Ethlon* et *Æthelon* scribitur in eisdem libris. MART.

[2] Rectius fortasse lectum in Commentario a S. Doctore est, *atrium Thicon*. Hebræus quoque habet תער חיונן.

a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Zabulon una.
Et super terminum Zabulon,
a plaga orientali usque ad plagam maris, Gad una.
Et super terminum Gad, ad plagam austri in meridie :
et erit finis de Thamar usque ad aquas contradictionis Cades,
hæreditas contra mare magnum.
Hæc est terra, quam mittetis (*Al.* metiemini) in sortem tribubus Israel :
et hæ partitiones earum, ait Dominus Deus.
Et hi (*Al. tacet* hi) egressus civitatis :
A plaga septentrionali quingentos et quatuor millia mensuris.
Et portæ civitatis in nominibus (*Al.* ex hominibus) tribuum Israel,
portæ tres a septentrione,
porta Ruben una
porta Juda una,
porta Levi una.
Et ad plagam orientalem, quingentos et quatuor millia :
et portæ tres,
porta Joseph una,
porta Benjamin una,
porta Dan una.
Et ad plagam meridianam, quingentos et quatuor millia metieris :
et portæ tres,
porta Simeonis una,
porta Issachar una,
porta Zabulon una.
Et ad plagam occidentalem, quingentos et quatuor millia, et portæ eorum tres,
porta Gad una,
porta Aser una,
porta Nephthali una.
Per circuitum, decem et octo millia :
et nomem civitatis ex illa die, Dominus ibidem.

Explicit liber Ezechielis prophetæ.

PRÆFATIO S. HIERONYMI IN DUODECIM PROPHETAS.

Non idem ordo est duodecim prophetarum apud Hebræos, qui et (*Al.* est apud nos[1]. Unde secundum id quod ibi legitur, hic quoque dispositi sunt. Osee commaticus est, et quasi per sententias loquens. Joel planus in principiis : in fine obscurior. Et usque ad Malachiam, habent singuli proprietates suas[2] : quem Esdram scribam, legisque doctorem Hebræi autumant. Et quia longum est nunc de omnibus dicere : hoc tantum vos, o Paula et Eustochium[3], admonitas volo, unum librum esse duodecim prophetarum : et Osee σύγχρονον Isaiæ : Malachiam vero Aggæi et Zachariæ fuisse temporibus. In quibus autem tempus non præfertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus et hi qui ante eos habent titulos, prophetaverunt.

[1] Scilicet in Græcis exemplaribus, ad quorum erat exacta regulam vulgata Latina interpretatio, secundus est Amos, tertius Michæas, quartus Joel, quintus Abdias, sextus Jonas : in reliquis percensendis cum Hebræo faciunt. Vide præfationem Commentar. in Joelem.

[2] Hæc verba, *Habent singuli proprietates suas*, luxata videntur nobis, et postponenda ad periodi finem verbo *autumant*. Certe concinnior multo et magis erit perspicuus sensus.

[3] Palatin. ms. *vos admonitas scire volo*, etc.

INCIPIT

LIBER OSEE PROPHETÆ.

(*Cap.* I.) Verbum Domini[1], quod factum est ad Osee filium Beeri,
in diebus Osiæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ regum Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel. Principium loquendi Domino in Osee;
Et dixit Dominus ad Osee :
Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum :
Quia fornicans fornicabitur terra a Domino.
Et abiit, et accepit Gomer filiam Debelaim ;

[1] Invenit Martian. in utroque exemplari Canonis Hebraicæ veritatis sequentem adnotationem : « Duplex est apud Hebræos de his quatuor versibus, qui a capite prænotati sunt, sententia. Plerique enim dicunt, quod ab Ezdra scriba in omnibus prophetis sic fuerit titulatum, ut præscripto cujusque nomine, prophetia, cujus sit, sequens noscatur. Ipse autem est Ezdras, qui ultimus prophetarum scribitur Malachiæ nomine. Ali vero dicunt quod ab ipsis prophetis per Spiritum sanctum, ut cætera sunt conscripta. » Atque hanc quidem sententiam recentiores multi docti viri amplexati sunt, his præcipue argumentis : quod tandiu sub his regibus prophetasse Oseam minime probari possit : deinde quod sub regum Juda nominibus, sub quorum dominatione ipse non fuit, haud credibile sit illum suas prophetias inscripsisse : denique quod quatuor isti versiculi facile totius operis duodecim prophetarum lemma videantur : quod vero sequitur, *Principium loquendi*, proprie sit peculiaris Osee prophetiæ initium. Adito, si lubet criticos sacros.

et concepit, et peperit ei filium.
Et dixit Dominus ad eum :
Voca nomen ejus Jezrael :
quoniam adhuc modicum.
et visitabo sanguinem Jezrael super domum Jeu,
et quiescere faciam regnum domus Israel [1].
Et in die illa conteram arcum Israel in valle Jezrael.
Et concepit adhuc, et peperit filiam.
Et dixit ei :
Voca nomen ejus; Absque misericordia :
quia non addam ultra misereri domui Israel,
sed oblivione obliviscar eorum.
Et domui Juda miserebor,
et salvabo eos in Domino Deo suo :
Et non salvabo eos in arcu, et gladio,
et in bello, et in equis, et in equitibus.
Et ablactavit eam, quæ erat absque misericordia,
Et concepit et peperit filium.
Et dixit :
Voca nomen ejus, Non populus meus :
quia vos non populus meus,
et ego non ero vester.
Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris,
quæ sine mensura est,
et non numerabitur.
Et erit in loco ubi dicetur eis, Non populus meus vos :
dicetur eis : Filii Dei viventis.
Et congregabuntur filii Juda, et filii Israel pariter :
et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra :
quia magnus dies Jezrael.
(*Cap.* II.) Dicite fratribus vestris : Populus meus :
et sorori vestræ : Misericordiam consecuta.
Judicate matrem vestram, judicate :
quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus.
Auferat fornicationes suas a facie sua,
et adulteria sua de medio uberum suorum.
Ne forte exspoliem eam nudam,
et statuam eam secundum diem nativitatis suæ :
Et ponam eam quasi solitudinem,
et statuam eam velut terram inviam,
et interficiam eam in siti.
Et filiorum illius non miserebor :
quoniam filii fornicationum sunt.
Quia fornicata est mater eorum,
confusa est quæ concepit eos :
Quia dixit : Vadam post amatores meos,
qui dant panes mihi, et aquas meas,
lanam meam, et linum meum,
oleum meum, et potum meum.
Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis,
et sepiam eam maceria,
et semitas suas non inveniet.
Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos,
et quæret eos, et non inveniet,
et dicet :
Vadam, et revertar ad virum meum priorem :
quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.
Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum et vinum et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal.
Idcirco convertar (*Al.* revertar),
et sumam frumentum meum in tempore suo, et

A vinum meum in tempore suo,
et liberabo lanam meam et linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus,
Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus :
et vir non eruet eam de manu mea :
Et cessare faciam omne gaudium ejus,
solemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus,
et omnia festa tempora ejus.
Et corrumpam vineam ejus, et ficum ejus :
de quibus dixit : Mercedes hæ meæ sunt,
quas dederunt mihi amatores mei :
Et ponam ea (*Al.* eam) in saltum [2],
et comedet illa (*Al.* eam) bestia agri.
Et visitabo super eam dies Baalim, quibus ascendebat incensum.
et ornabatur inaure sua, et monili suo,
et ibat post amatores suos, et mei oblivisecebatur,
B dicit Dominus :
Propter hoc, ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem :
et loquar ad cor ejus.
Et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco,
et vallem Achor ad aperiendam spem,
Et canet ibi juxta dies juventutis suæ,
et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.
Et erit in die illa, ait Dominus :
vocavit me : Vir meus :
et non vocabit me ultra, Baali [3].
Et auferam nomina Baalim de ore ejus,
et non recordabitur ultra nominis eorum.
Et percutiam eis fœdus in die illa,
cum bestia agri, et cum volucre cœli,
et cum reptili terræ :
Et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra,
et dormire eos faciam fiducialiter.
Et sponsabo te mihi in sempiternum :
C et sponsabo te mihi in justitiam, et judicio,
et in misericordia, et miserationibus :
Et sponsabo te mihi in fide :
et scies quia ego Dominus.
Et erit in die illa :
Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos,
et illi exaudient terram.
Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum :
hæc exaudient Jezrael.
Et seminabo eam mihi in terra,
et miserebor ejus, quæ fuit absque misericordia.
Et dicam non populo meo : Populus meus es tu :
et ipse dicet : Deus meus es tu :
(*Cap.* III.) Et dixit Dominus ad me :
Adhuc vade, et dilige mulierem dilectam amico et adulteram :
sicut diligit Dominus filios Israel,
et ipsi respiciunt ad deos alienos, et diligunt vinacia uvarum,
D Et fodi eam mihi quindecim argenteis,
et coro hordei, et dimidio coro hordei.
Et dixi ad eam :
Dies multos exspectabis me :
non fornicaberis, et non eris viro :
sed et ego exspectabo te.
Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe.
et sine sacrificio, et sine altari [4],

[1] Canon San-German., *de domo Israel.* MART.

[2] Eo modo legit Canon San-Germanensis castigatus : alii mss. habent femininum, *eam in saltum et comedat eam*, etc. MART.

[3] Pro *Baali* legimus in omnibus mss. *Baalim;* quod exscriptores ita depravarunt propter imperitiam linguæ Hebraicæ. *Baali* enim interpretatur *dominus meus*, seu, *vir meus* : id est *habens me* : *Baalim* vero nomen est dæmoniorum. MART.

[4] Sane perquam erudite Hieronymus in suo legit Hebraico exemplari מדבה pro ea, quæ nunc obtinet, simillima atque earumdem penem litterarum voce מופת. Nempe illa *altare* significat, quo ut et reliquis veræ religionis instrumentis diu multumque Hebræos carituros, ad prophetæ mentem, totiusque contextum prophetiæ dicitur : altera, sive מופת sonat *statuam*, quo vocabulo notatur idololatriæ exercitium : neque porro credere par est,

et sine ephod, et sine theraphim.
Et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, David regem suum :
et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus, in novissimo dierum.
(*Cap.* IV.) Audite verbum Domini, filii Israel,
quia judicium Domino cum habitatoribus terræ :
Non est enim veritas, et non est misericordia,
et non est scientia Dei in terra.
Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt,
et sanguis sanguinem tetigit.
Propter hoc lugebit terra.
et infirmabitur omnis qui habitat in ea,
in bestia agri, et in volucre cœli :
sed et pisces maris congregabuntur.
Veruntamen unusquique non judicet :
et non arguatur vir :
Populus enim tuus,
sicut hi, qui contradicunt sacerdoti.
Etiam propheta tecum :
Et corrues hodie, et corruet etiam propheta tecum :
nocte tacere feci matrem tuam.
Conticuit populus meus,
eo quod non habuerit scientiam :
Quia tu scientiam repulisti, repellam te (*Al. add.* et ego), ne sacerdotio fungaris mihi :
Et oblita es legis Dei tui,
obliviscar filiorum tuorum et ego.
Secundum multitudinem eorum,
sic peccaverunt mihi :
gloriam eorum ignominiam commutabo.
Peccata populi mei comedent,
et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.
Et erit sicut populus,
sic sacerdos :
Et visitabo super eum viam ejus,
et cogitationes ejus reddam ei,
Et comedent,
et non saturabuntur :
Fornicati sunt,
et non cessaverunt :
quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo.
Fornicatio, et vinum, et ebrietas aufert cor.
Populus meus in ligno suo interrogavit,
et baculus ejus annuntiavit ei :
Spiritus enim fornicationum decepit eos,
et fornicati sunt a Deo suo.
Super capita montium sacrificabant,
et super colles accendebant thymiama :
Subtus quercum, et populum, et terebinthum,
quia bona erat umbra ejus :
Ideo fornicabuntur filiæ vestræ,
et sponsæ vestræ adulteræ erunt.
Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ,
et super sponsas vestras cum adulteraverint.
Quoniam ipsi cum meretricibus versabantur.
et cum effeminatis sacrificabant,
et populus non intelligens vapulabit.

A Si fornicaris tu, Israel,
non delinquat saltem Juda ;
Et nolite ingredi in Calgala,
et ne ascenderitis in Beth-Aven,
neque juraveritis : Vivit Dominus.
Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel ;
nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine.
Particeps idolorum Ephraim,
dimitte eum.
Separatum est convivium eorum,
fornicatione fornicati sunt :
dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus.
Ligavit eam spiritus in (*Al.* cum) alis suis,
et confundentur a sacrificiis suis.
(*Cap.* V.) Audite hoc, sacerdotes :
et attendite, domus Israel,
et domus regis (*Al. add.* auribus) auscultate :
Quia vobis judicium est,
B quoniam laqueus facti estis speculationi,
et rete expansum super Thabor.
Et victimas declinastis in profundum :
et ego eruditor omnium eorum [1] (*Al.* vestrum).
Ego scio Ephraim,
et Israel non est absconditus a me :
Quia nunc fornicatus est Ephraim,
contaminatus est Israel.
Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum :
quia spiritus fornicationum in medio eorum,
et Dominum non cognoverunt.
Et respondebit arrogantia Israel in facie ejus :
et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua,
ruet etiam Juda cum eis.
In gregibus suis, et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum,
et non invenient :
ablatus est ab eis.
C In Dominum prævaricati sunt,
quia filios alienos genuerunt :
nunc devorabit eos mensis cum partibus suis [2].
Clangite buccina in Gabaa,
tuba in Raama :
Ululate in Beth-Aven.§
post tergum tuum, Benjamin.
Ephraim in desolatione erit in die correptionis :
in tribubus Israel ostendi fidem.
Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum :
super eos effundam quasi aquam iram meam.
Calumniam patiens est Ephraim, fractus judicio :
quoniam cœpit abire post sordem.
Et ego quasi tinea Ephraim :
et quasi putredo domui Juda.
Et vidit Ephraim languorem suum,
et Juda vinculum suum :
Et abiit Ephraim ad Assur,
et misit ad regem ultorem :
D Et ipse non poterit sanare vos,
nec solvere poterit a vobis vinculum.
Quoniam ego quasi leæna Ephraim,
et quasi catulus leonis domui Juda :

falsorum numinum desuetudinem, quasi gravissimum quoddam calamitatis genus, prophetam populo minitari. Cæterum et LXX ante Hieronymum eodem atque ille modo legerant cum vertunt θυσιαστηρίου.

[1] Aliquot mss. retinent ex LXX *omnium vestrum*, pro *omnium eorum*. MART.

[2] Hic posuerunt exscriptores librorum non quod inveniebant, sed quod intelligebant. In Canone Carcassonensi scriptum est : *Nunc devorabit eos Memphis cum patribus suis.* In nostro San-Germanensi, *mensis cum participibus suis.* Colbertinus Aniciensis codex legit, *messis cum patribus suis :* noster num. 16 *mensit cum patribus suis.* Regius omnino purus est. MART.

— Palatinus, ut et alius apud Martian. mss.; *messis*, vitiose tamen. Quod vero miratur S. Pater in Comment. cur LXX *rubiginem transtulerint*, id est, ἐρυσίβη quæ *Hhasil* חסיל Hebraice appellatur : factum ego opinor ea de causa, quod mediam litteram vocis חרש, pro ל, quæ parum ab ea differt, acceperint, ac porro tertiam ש pro א : legerintque תלא, quod *rubiginem*, sive *æruginem* sonat, ut Ezechiel XXVII, 6) atque alibi ipsimet interpretantur. Econtrario vox חסיל pro חרש legi atque haberi omnino non potuit.

o capiam, et vadam :
n; et non est qui eruat.
revertar ad locum meum :
deficiatis,
eratis faciem meam.
I.) In tribulatione sua mane consurgent ad
:
et revertamur ad Dominum :
ie cepit, et sanabit nos :
tiet, et curabit nos.
bit nos post duos dies :
tertia suscitabit nos,
mus in conspectu ejus ;
,
murque ut cognoscamus Dominum :
iluculum præparatus est egressus ejus,
iet quasi imber nobis temporaneus, et se-
nus terræ.
iam tibi, Ephraim ?
faciam tibi, Juda ?
rdia vestra quasi nubes matutina,
si ros mane pertransiens,
hoc dolavi in prophetis,
t eos in verbis oris mei :
icia tua quasi lux egredientur.
sericordiam voluit (*Al.* volo), et non sacri-
m :
ntiam Dei, plusquam holocausta.
tem sicut Adam transgressi sunt pactum,
aricati sunt in me.
civitas operantium idolum,
ntata sanguine.
fauces virorum latronum, particeps sacer-
m,
interficientium pergentes de Sichem :
celus operati sunt.
Israel vidi horrendum :
rnicationes Ephraim :
minatus est Israel.
uda pone (h. ponet[1]) messem tibi,
convertero captivitatem populi mei.
II.) Cum sanare vellem Israel,
ta est iniquitas Ephraim, et malitia Sama-
uia operati sunt mendacium :
gressus est spolians,
culus foris.
orte dicant in cordibus suis, omnem mali-
a eorum me recordatum :
circumdederunt eos adinventiones suæ,
facie mea factæ (h. facti) sunt.
titia sua lætificaverunt regem :
mendaciis suis principes.
adulterantes, quasi clibanus succensus a
uente :
t paululum civitas a commixtione fermenti,
fermentaretur totum.
gis nostri cœperunt principes furere a vino
lit manum suam cum illusoribus.
plicuerunt quasi clibanum cor suum, cum
diaretur eis :
octe dormivit coquens eos,
ipse succensus quasi ignis flammæ.
calefacti sunt quasi clibanus,
voraverunt judices suos :
reges eorum ceciderunt :
st qui clamet in eis ad me.
a in populis ipse commiscebatur :

A Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur.
Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit :
sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit.
Et humiliabitur superbia Israel in facie ejus :
nec reversi sunt ad Dominum Deum suum,
et non quæsierunt eum in omnibus his.
factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor :
Ægyptum invocabant,
ad Assyrios abierunt.
et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum :
quasi volucrem cœli detraham eos,
cædam eos secundum auditionem cœtus eorum.
Væ eis, quoniam recesserunt a me :
vastabuntur, quia prævaricati sunt in me :
et ego redemi eos :
et ipsi locuti sunt contra me mendacia.
B Et non clamaverunt ad me in corde suo,
sed ululabant in cubilibus suis :
super triticum et vinum ruminabant, recesserunt a me.
Et ego erudivi eos, et confortavi brachia eorum :
et in me cogitaverunt malitiam.
Reversi sunt, ut essent absque jugo :
facti sunt quasi arcus dolosus :
Cadent in gladio principes eorum, a furore linguæ suæ.
Ista subsannatio eorum in terra Ægypti.
(*Cap.* VIII.) In gutture tuo fit tuba quasi aquila super domum Domini :
pro eo quod trangressi sunt fœdus meum,
et legem meam prævaricati sunt.
Me invocabunt :
Deus meus, cognovimus te, Israel.
Projecit Israel bonum,
inimicus persequetur eum.
C Ipsi regnaverunt, et non ex me :
principes extiterunt, et non cognovi :
Argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola ut interirent :
Projectus est vitulus tuus Samaria,
iratus est furor meus in eos[2],
Usquequo non poterunt emundari ?
Quia ex Israel et ipse est :
artifex fecit illum, et non est Deus :
quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ
Quia ventum seminabunt, et turbinem metent :
culmus stans : non est in eo germen, non faciet farinam.
Quod si et fecerit alieni comedent eam.
Devoratus est Israel :
nunc factus est in nationibus quasi vas immundum.
Quia ipsi accenderunt ad Assur,
onager solitarius sibi :
D Ephraim munera dederunt amatoribus.
Sed et cum mercede conduxerint (*Al.* conduxerunt) nationes, nunc congregabo eos :
et quiescent paulisper ab onere regis, et principum.
Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum,
factæ sunt ei aræ in delictum.
Scribam ei multiplices leges meas,.
quæ velut alienæ computatæ (*Al.* putatæ) sunt.
Hostias afferent[4],

itur vero hic auctor hujus et subsequentis
quæ duo ex San-Germanensi ms. protulit
æus ; quippe cum luculentissime sit in He-
, *pone*.
ecto *dies* restituimus pro *die*, quod Martian.
fragantibus libris omnibus, et recto sensu.
codex, *in eis*, sed corrupte, ut ex commen-
ieronymianis certum exstat. MART.

[4] Aliter plures mss., ibi leguunt : *Hostias afer, afer ; immolabunt carnes*, etc Quam interpretationem ex Hebræo הבהבי, sine punctis vocalibus sumpto, derivari nihil vetat. Porro lectionem hujusmodi præferunt canon San-Germanensis, codex Corbeiensis n. 3, 8. German. n. 2 et 10. et Colbertinus Aniciensis prima manu. Alii leguntut nos posuimus. MART.

immolabunt carnes, et comedent:
Dominus non suscipiet eas.
Nunc recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum:
ipsi ad Ægyptum convertentur.
Et oblitus est Israel factoris sui, ædificavit delubra:
et Judas multiplicavit urbes munitas:
Et mittam ignem in civitates ejus,
et devorabit ædes illius,
(*Cap.* IX.) Noli lætari, Israel noli exsultare sicut populi:
quia fornicatus es a Deo tuo.
dilexisti mercedem super omnes areas tritici:
Area et torcular non pascet eos,
et vinum mentietur eis.
Non habitabunt in terra Domini:
reversus est Ephraim in Ægyptum,
et in Assyriis pollutum comedit.
Non libabunt Domino vinum, et non placebunt ei: sacrificia eorum, quasi panis lugentium.
Omnes qui comedent (*Al.* comeduni) eum, contaminabuntur:
Quia panis eorum animæ ipsorum,
non intrabit (*Al.* intrabunt) in domum Domini.
Quid facietis in die solemni,
in die festivitatis Domini?
Ecce enim profecti sunt a vastitate:
Ægyptus congregabit eos,
Memphis sepeliet eos:
Desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit.
lappa in tabernaculis eorum.
Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis:
scitote Israel stultum prophetam, insanum virum spiritualem,
propter multitudinem iniquitatis tuæ, et multitudinem amentiæ.
Speculator Ephraim cum Deo meo:
propheta laqueus ruinæ factus est (*Al. tacet* factus est) super omnes vias ejus.
insania in domo Dei ejus.
Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa:
recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum.
Quasi uvas in deserto inveni Israel:
quasi prima poma ficulneæ in cacumine ejus, vidi patres eorum:
Ipsi autem intraverunt ad Beel-Phegor, et abalienati sunt in confusionem,
et facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt
Ephraim quasi avis avolavit,
gloria eorum a partu, et ab utero, et a conceptu.
Quod si et enutrierint filios suos,
absque liberis eos faciam in hominibus:
sed et væ eis, eum recessero ab eis:
Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine:
et Ephraim educet ad interfectorem filios suos.
Da eis, Domine,
Quid dabis eis?
Da eis vulvam sine liberis [1],
et ubera arentia.
Omnes nequitiæ eorum in Galgal,
quia ibi exosos habui eos:

A Propter malitiam adinventionum eorum, de domo mea ejiciam eos:
non addam, ut diligam eos.
omnes principes eorum recedentes.
Percussus est Ephraim,
radix eorum exsiccata est:
fructum nequaquam facient.
Quod et si genuerint,
interficiam amantissima uteri eorum.
Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum
et erunt vagi in nationibus.
(*Cap.* X.) Vitis frondosa Israel,
fructus adæquatus est ei:
Secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria,
juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris.
Divisum est cor eorum, nunc interibunt,
ipse confringet simulacra eorum, depopulabitur aras eorum.
B Quia nunc dicent: Non est rex nobis:
non enim timemus Dominum:
et rex quid faciet nobis?
Loquimini verba visionis inutilis, et ferietis fœdus:
et germinabit quasi amaritudo judicium super sulcos agri.
Vaccas Beth-Aven coluerunt habitatores Samariæ:
quia luxit super eum populus ejus,
et æditui ejus super eum exsultaverunt in gloria ejus,
quia migravit ab eo.
Siquidem et ipse in Assur delatus est, munus regi ultori:
confusio Ephraim capiet,
et confundetur Israel in voluntate sua.
Transire fecit Samaria regem suum
quasi spumam super faciem aquæ.
Et disperdentur excelsa idoli, pecatum Israel:
lappa et tribulus ascendet super aras eorum:
C Et dicent montibus: Operite nos;
et collibus: Cadite super nos.
Et diebus Gabaa, peccavit Israel, ibi steterunt:
non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis,
Juxta desiderium meum corripiam eos:
congregabuntur super eos populi,
cum corripientur propter (*Al.* super) duas iniquitates suas,
Ephraim vitula docta diligere trituram,
et ego transivi super pulchritudinem colli ejus:
Ascendam super Ephraim,
arabit Judas.
contringet sibi sulcos Jacob.
Seminate vobis in justitia,
et metite in ore misericordiæ
innovate vobis novale:
Tempus autem requirendi Dominum,
cum venerit qui docebit vos justitiam.
D Arastis impietatem,
iniquitatem messuistis.
Comedistis frugem mendacii:
quia confisus es in viis tuis,
in multitudinem fortium tuorum.
Consurget tumultus in populo tuo,
et omnes multitudines tuæ vastabuntur,
Sicut vastatus est Salmana a domo ejus [1],

[1] Exemplaria canonis duplicem ejusdem Hebrææ vocis Latinam habent interpretationem. *Da eis vulvam sterilem sine liberis*, etc. Sterilis enim vulva, et vulva sine liberis sunt synonyma. MART.

— Perperam aliquot penes Martian. mss. interserunt *sterilem*, glossema subsequentis interpretationis *sine liberis*, quam unice refert Hebræa vox, משכיל.

[2] Canon San-Germanensis addit nomen *Hierobaat*: *sicut vastatus est Salmana a domo ejus Hierobaal, qui judicavit Baal*, etc. Quod e libro tertio Commentariorum Hieronymi in Osee mutuari potuit, quia ibi legimus: *Et vastatus est, ut in Hebræo continetur ab* ARBEL, *id ipsum significante quod et Jerobaal, sed, breviori disertiorique sermone.* MART.

— Pro verbis *ejus qui judicavit Baal*, tantum est in Heb. ארבאל: in Græco τῶν LXX tantum Ἱερόβααλ quod nomen Græci itidem ex Hebraica etymologia exponunt, *qui judicavit Baal*, ut videre est in ipso Hieronymiano *Nominum* libro. Videtur adeo ex ejus Versionis lectione, et pervulgata nominis significatu

qui judicavit Baal in die prælii,
matre super filios allisa.
Sic fecit vobis Beth-El.
a facie malitiæ nequitiarum vestrarum.
(*Cap.* XI.) Sicuti mane transit,
pertransiit rex Israel.
Quia puer Israel, et dilexi eum :
et ex Ægypto vocavi filium meum.
Vocaverunt eos,
sic abierunt a facie eorum :
Baalim immolabant,
et simulacris sacrificabant.
Et ego quasi nutritius Ephraim,
portabam eos in brachiis meis :
et nescierunt quod curarem eos.
In funiculis Adam traham eos,
in vinculis charitatis :
Et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum :
et declinavi ad eum, ut vesceretur.
Non revertetur in terram Ægypti,
et Assur ipse est rex ejus :
quoniam noluerunt converti.
Cepit gladius in civitatibus ejus,
et consumet electos ejus,
et comedet capita eorum.
Et populus meus pendebit ad reditum meum :
jugum autem imponetur eis simul,
quod non auferetur.
Quomodo [1] dabo te, Ephraim ;
protegam te, Israel ?
Quomodo dabo te sicut Adama,
ponam te ut Seboim ?
Conversum est in me cor meum,
pariter conturbata est pœnitudo mea.
Non faciam furorem iræ meæ :
non convertar ut disperdam Ephraim :
Quoniam Deus ego,
et non homo :
In medio tui sanctus,
et non ingrediar civitatem.
Post Dominum ambulabunt,
quasi leo rugiet ;
Quia ipse rugiet,
et formidabunt filii maris.
Et avolabunt quasi avis ex Ægypto,
et quasi columba de terra Assyriorum :
et collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.
Circumdedit me in negatione (*Al. add.* sua) Ephraim,
et in dolo domus Israel :
Judas autem testis descendit cum Deo,
et cum sanctis fidelis.

A (*Cap.* XII.) Ephraim pascit ventum,
et sequitur æstum :
tota die mendacium et vastitatem multiplicat :
Et fœdus cum Assyriis iniit.
et oleum in Ægyptum ferebat.
Judicium ergo Domini cum Juda,
et visitatio super Jacob
Juxta vias ejus,
et juxta adinventiones ejus reddet ei.
In utero supplantavit fratrem suum :
et in fortitudine sua directus est cum angelo.
Et invaluit ad angelum,
et confortatus est :
Flevit,
et rogavit eum :
In Beth-El invenit eum,
et ibi locutus est nobiscum,
Et Dominus Deus exercituum,
Dominus memoriale ejus,
B Et tu ad Deum tuum converteris :
misericordiam et judicium custodi,
et spera in Deo tuo semper :
Chanaam, in manu ejus statera dolosa,
calumniam dilexit.
Et dixit Ephraim :
Verum tamen dives effectus sum,
inveni idolum mihi :
Omnes labores mei
non invenient mihi iniquitatem, quam peccavi.
Et ego Dominus Deus tuus (*Al. add.* eduxi) ex terra Ægypti,
adhuc sedere te faciam in tabernaculis,
sicut in diebus festivitatis.
Et locutus sum super prophetas,
et ego visionem multiplicavi,
et in manu prophetarum assimilatus sum.
Si Galaad idolum,
tamen (*Al.* ergo) frustra erant in Galgal bobus
C immolantes :
nam et altaria eorum quasi acervi super fulcos agri.
Fugit Jacob in regionem Syriæ.
et servivit Israel in uxore,
et in uxore servavit.
In propheta autem eduxit Dominus Israel de Ægypto :
et in propheta servatus est.
Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis,
et sanguis ejus super eum veniet,
et opprobrium ejus restituet ei Dominus suus.
(*Cap.* XIII.) Loquente Ephraim,
horror invasit Israel,
et deliquit in Baal,

Latinum Interpretem hic reddidisse, *ejus qui judicavit Baal ;* quanquam Martianæus unum laudat codicem San-Germanensem, qui pressius adhuc Græco habet, *domo Jerobaal* Et hoc quidem cognomentum Gedeonis fuit Judicum lib. VI, v. 32, quam et alludi historiam a propheta, Interpretes plerique omnes post Hieronymum sentiunt. Movet me vero tanta Hebræi nominis ארבאל differentia a Græcorum lectione ירבעל. Cæterum pro *judicavit*, constanter Hieronymus in Commentario legit, exponitque *vindicavit.*

[1] Locus insigniter depravatus in mss. codicibus. Canon San-Germanensis hoc modo egit : *Quomodo dabo te, Ephraim ; expugnabo te, Israel ?* Exemplar vero Carcassonensis Ecclesiæ : *Quomodo dabo te, Ephraim ; expugnabo, protegam Israel ?* Colbertinus codex Aniciensis habebat verbum *expugnabo*, quod manus posterior erasit uti factum conspicitur in vetustissimo San Germanensi, n. 3 Unde ambo nunc legunt ut nos posuimus ipsum Hieronymum secuti quia lib. III Commentariorum in Osee hanc ipsemet suam esse interpretationem agnoscit, quamvis eam postea non penitus comprobet : « In eo loco, inquit, ubi et D nos et LXX interpretati sumus : *Protegam te Israel* in Hebraico scriptum est AMAGGENACH quod Aquila transtulit ὅπλῳ κυκλώσω σε, id est *scuto circumdabo te.* Quod cum in bonam partem putaremus intelligi, et significare protectionem : ex editione Symmachi contrarius nobis sensus subjicitur dicentis ἐκδώσω σε, id est *tradam te.* Ex translatione quoque Theodotionis, non prospera, sed adversa demonstrantur, ἀφοπλίσω σε, quod significat, *nudabo te, et auferam a te* ὅπλον, hoc est, scutum quo te antea protexeram. Et hic sensus magis convenit Domino comminanti. » MART.

— Accedit fidejussor S. ipse Interpres in Comment., « In eo, inquiens, loco, ubi et nos et LXX interpretati sumus, *protegam te, Israel*, in Hebraico scriptum est *Ammagenach*, etc. » Martian. qui et locum hunc integrum laudat, *expugnabo* in aliis ms. invenerat, pro *protegam* : in aliis eidem verbo una junctum.

et mortuus est.
Et nunc addiderunt ad peccandum,
feceruntque sibi conflatile de argento suo
quasi similitudinem idolorum,
factura artificum totum est.
His ipsi dicunt :
Immolate homines [1], vitulos adorantes.
Idcirco erunt quasi nubes matutina,
et sicut ros matutinus præteriens,
sicut pulvis turbine raptus ex area,
et sicut fumus de fumario.
Ego autem Dominus Deus tuus (*Al. add.* qui eduxi te) ex terra Ægypti :
et Deum absque me nescies,
et salvator non est præter me.
Ego cognovi te in deserto,
in terra solitudinis.
Juxta pascua sua adimpleti sunt,
et saturati sunt :
Et levaverunt cor suum.
et obliti sunt mei.
Et ero eis quasi leæna,
sicut pardus in via Assyriorum.
Occurram eis quasi ursa raptis catulis,
et disrumpam interiora jecoris eorum :
Et consumam eos ibi quasi leo.
bestia agri scindet eos.
Perditio tua, Israel :
tantummodo in me auxilium tuum.
Ubi est rex tuus ?
maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis.
et judices tui, de quibus dixisti :
Da mihi regem, et principes.
Dabo tibi regem in furore meo,
et auferam in indignatione mea,
Colligata est iniquitas Ephraim,
absconditum peccatum ejus.
Dolores parturientis venient ei :
ipse filius non sapies ;
nunc enim non stabit in contritione filiorum.
De manu mortis liberabo eos,
de morte redimam eos.
Ero mors tua, o mors ;
ero morsus tuus, inferne :
Consolatio abscondita est ab oculis meis.

A Quia ipse inter fratres dividet :
adducet urentem Dominus de deserto
ascendentem.
Et siccabit venas ejus,
et desolabit fontem ejus,
et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.
(*Cap.* XIV.) Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum :
In gladio pereant [2],
parvuli eorum elidantur,
et fetæ ejus discindantur.
Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum :
quoniam corruisti in iniquitate tua.
Tollite vobiscum verba,
et convertimini ad Dominum :
Dicite ei : Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum :
et reddemus vitulos labiorum nostrorum.
B Assur non salvabit nos,
super equum non ascendemus,
Nec dicemus ultra : Dii nostri opera manuum nostrarum ;
quia ejus, qui in te est, misereberis pupilli.
Sanabo contritiones eorum [3],
diligam eos spontanee :
quia aversus est furor meus ab eis.
Ero quasi ros.
Israel germinabit quasi lilium,
et erumpet radix ejus ut Libani.
Ibunt rami ejus,
et erit quasi oliva gloria ejus,
et odor [4] ejus ut Libani.
Convertentur sedentes in umbra ejus :
vivent tritico, et germinabunt quasi vinea :
memoriale ejus sicut vinum Libani.
Ephraim, quid mihi ultra idola ?
ego exaudiam,
C et dirigam eum ego ut abietem virentem :
ex me fructus tuus tuus inventus est.
Quis sapiens, et intelliget ista ?
intelligens, et sciet hæc ?
Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis :
prævaricatores vero corruent in eis.

[1] Aliter ex Hebræo vertit S. ipse Pater, ubi in Commentar. in cap. LVIII (vers. 5) Isaiæ, hunc Oseæ locum recitans, *ut in Hebræo*, inquit, *scriptum est, immolantes homines, vitulos adoratis*. Atque ita quidem sonat Hebræus ad verbum זבחי אדם עגלים ישקון quanquam alias interpretationes eum admittere non diffiteamur.

[2] In exemplaribus Canonis, *in gladio pereat*.

MART.

[3] Pro eo, quod habet Hebræus textus, verbo משיבתם, scilicet, *conversionem eorum*, videtur in suo legisse exemplari S. Pater משברתם, quod *confractiones*, sive *contritiones eorum* sonat.

[4] Vitiose lectum a Martianæo est, *dolor* : contradicentibus Hebræo cæterisque libris, imo et recto sensu.

Explicit liber Osee prophetæ.

INCIPIT

LIBER JOEL PROPHETÆ.

(*Cap.* I.) Verbum Domini, quod factum est ad Joel filium Phatuel.
Audite hoc, senes,
et auribus percipite, omnes habitatores terræ :
si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum ?
Super hoc filiis vestris narrate,
et filii vestri filiis suis,
et filii eorum generationi alteræ,
D Residuum erucæ comedit locusta,
et residuum locustæ comedit bruchus,
et residuum bruchi comedit rubigo,
Expergiscimini, ebrii, et flete,
et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine :
quoniam periit ab ore vestro.
Gens enim ascendit super terram meam, fortis et innumerabilis :

ejus ut dentes leonis :
ares ejus, ut catuli leonis.
ineam meam in desertum,
m meam decorticavit :
s spoliavit eam, et projecit :
.cti sunt rami ejus.
uasi virgo accincta sacco super virum pu-
atis suæ (*Al.* tuæ).
orificium et libatio de domo Domini :
nt sacerdotes ministri Domini.
ulata est regio,
iumus :
i devastatum est triticum,
ium est vinum,
iit oleum :
sunt agricolæ.
erunt vinitores super frumento et hordeo,
eriit messis agri.
n fusa est et ficus elanguit :
ranatum, et palma, et malum, et omnia
a agri aruerunt :
onfusum est gaudium a filiis hominum.
e vos, et plangite, sacerdotes, ululate, mi-
ri altaris :
nini, cubate in sacco, ministri Dei mei :
am interiit de domo Dei vestri sacrificium
ibatio.
ate jejunium,
e cœtum,
egate senes,
s habitatores terræ in domum Dei vestri :
mate ad Dominum
diei
prope est dies Domini,
si vastitas a potente veniet.
d non coram oculis vestris (*Al.* nostris) ali-
ta perierunt de domo Dei nostri,
i et exsultatio ?
ruerunt jumenta in stercore suo,
lita sunt horrea,
atæ sunt apothecæ :
am confusum est triticum.
gemuit animal,
erunt greges armenti ?
n est pascua eis ;
t greges pecorum disperierunt.
Domine, clamabo :
ignis comedit speciosa deserti,
mma succendit omnia ligna regionis.
estiæ agri, quasi area sitiens imbrem,
xerunt ad te :
n exsiccati sunt fontes aquarum,
gnis devoravit speciosa deserti.
) Canite tuba in Sion,
te in monte sancto meo,
rbentur omnes habitatores terræ :
nit dies Domini,
prope est dies tenebrarum et caligis,
ubis et turbinis.
ane expansum super montes populus mul-
fortis :
is ei non fuit a principio,
st eum non erit usque in annos generatio-
et generationis.
ciem ejus ignis vorans.
st eum exurens flamma :
ortus voluptatis terra coram eo,
st eum solitudo deserti,
e est qui effugiat eum,

A Quasi aspectus equorum, aspectus eorum :
et quasi equites sic current,
sicut sonitus quadrigarum super capita montium exsilient,
sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam,
velut populus fortis præparatus ad prælium.
A facie ejus cruciabuntur populi :
omnes vultus redigentur in ollam.
Sicut fortes current,
quasi viri bellatores ascendent (*Al.* ascenderunt) murum.
et non declinabunt a semitis suis.
Vir (*Al.* Viri) In viis suis gradietur (*Al.* gradientur),
Unusquique fratrem suum non coarctabit,
singuli in calle suo ambulabunt :
Sed et per fenestras cadent,
et non demolientur.
Urbem ingredientur,
in muro current.
B Domos conscendent,
per fenestras intrabunt quasi fur.
A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli :
sol et luna obtenebrati sunt,
et stellæ retraxerunt splendorem suum.
Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui :
quia multa sunt nimis castra ejus,
quia fortia et facientia verbum ejus :
Magnus enim dies Domini, et terribilis valde:
et quis sustinebit eum ?
Nunc ergo dicit Dominus :
Convertimini ad me in toto corde vestro,
in jejunio, et in fletu, et in planctu.
Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra:
et convertimini ad Dominum Deum vestrum :
Quia benignus et misericors est,
patiens et multæ misericordiæ [1],
et præstabilis [2] super malitia :
C Quis scit si convertatur, et ignoscat,
et relinquat post se benedictionem, sacrificium et libamen Domino Deo vestro (*Al.* nostro) ?
Canite tuba in Sion,
sanctificate jejunium.
vocate cœtum,
congregate populum,
sanctificate Ecclesiam,
coadunate senes,
congregate parvulos, et sugentes ubera :
Egrediatur sponsus de cubili suo,
et sponsa de thalamo suo,
Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini,
et dicent :
Parce, Domine, parce (*Al. tacet* parce) populo tuo :
et ne des hæreditatem tuam in opprobrium,
ut dominentur eis nationes.
D Quare dicunt in populis :
Ubi est Deus eorum ?
Zelatus est Dominus terram suam,
et pepercit populo suo :
Et respondit Dominus,
et dixit populo suo :
Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum,
et replebimini eo :
Et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus.
Et eum, qui ab aquilone est procul faciam a vobis:
et expellam eum in terram inviam et desertam :

itini mss. quibus in Commentariis recogno-
usi sumus, in textu præferunt, *et multus*
rdia et deprecabilis. Martianæus quoque in
erove ms. *deprecabilis*, loco *præstabilis* in-
febræa vox אפים proprie *pœnitentem* sonat.
exemplari Canonis Hebr. verit. nostro San-
Germanensi legitur in textu, *præstabilis*, et in margine pro variante lectione, *deprecabilis*. At in contextu Canonis Carcassonensis legitur *deprecabilis*, absque ulla variante lectione marginali. MART.

faciem ejus contra mare orientale.
et extremum ejus contra mare novissimum :
Et ascendet fetor ejus,
et ascendet putredo ejus quia (*Al.* qui) superbe egit.
Noli timere, terra,
exsulta, et lætare :
quoniam magnificavit Dominus, ut faceret.
Nolite timere, animalia regionis :
quia germinaverunt speciosa deserti.
quia lignum attulit fructum suum,
ficus et vinea dederunt virtutem suam.
Et, filii Sion, exultate, et lætamini in Domino Deo vestro :
quia dedit vobis doctorem justitiæ,
et descendere facietad vos imbrem matutinum et serotinum, sicut (*Al. tacet* sicut) in principio.
Et implebuntur areæ frumento.
et redundabunt torcularia vino et oleo.
Et reddam vobis annos,
quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca :
fortitudo mea magna, quam misi in vos.
Et comedetis vescentes et saturabimini :
et laudabitis nomen Domini (*Al. tacet* Domini) Dei vestri, qui fecit vobiscum (*Al.* nobiscum) mirabilia :
et non confundetur populus meus in sempiternum.
Et scietis quia in medio Israel ego sum :
et ego Dominus Deus vester, et non est amplius :
et non confundetur populus meus in æternum.
Et erit post hæc :
effundam spiritum meum super omnem carnem.
Et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ :
senes vestri somnia somniabunt,
et juvenes vestri visiones videbunt.
Sed et super servos meos et super ancillas[1]
in diebus illis effundam spiritum meum.
Et dabo prodigia in cœlo,
et in terra, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi.
Sol vertetur in tenebras,
et luna in sanguinem :
antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis.
Et erit :
omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit,
Quia in monte Sion, et in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus,
(*Cap.* III.) Quia ecce in diebus illis, et in tempore illo.
cum convertero captivitatem Juda et Jerusalem :
Congregabo omnes gentes,
et deducam eas in vallem Josaphat :
Et disceptabo cum eis ibi super populo meo, et hæreditate mea, Israel,
quos disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt.
Et super populum meum miserunt sortem :
et posuerunt puerum in prostibulo,
et puellam vendiderunt pro vino, ut biberent.
Verum quid vobis et mihi, Tyrus et Sidon,
et omnis terminus Palæstinorum ?
A nunquid ultionem vos reddetis mihi
Et si ulciscimini vos contra me.
cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.
Argentum enim meum et aurum (*Al. add.* meum) tulistis :
et desiderabilia mea et pulcherrima intulistis in delubra vestra.
Et filios Juda et filios Jerusalem vendidistis filiis Græcorum :
ut longe faceretis eos de finibus suis.
Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos :
et convertam retributionem vestram in caput vestrum.
Et vendam filios vestros, et filias vestras in manibus filiorum Juda,
et venundabunt eos Sabæis, genti longinquæ,
quia Dominus locutus est,
B Clamate hoc in gentibus,
sanctificate bellum,
suscitate robustos :
Accedant, ascendant omnes viri bellatores.
Concidite aratra vestra in gladios,
et ligones vestros in lanceas.
Infirmus dicat :
Quia fortis ego sum,
Erumpite, et venite omnes gentes de circuitu, et congregamini :
ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.
Consurgant, et ascendant gentes in vallem Josaphat:
quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu.
Mittite falces, quoniam maturavit messis :
venite, et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia :
quia multiplicata est malitia eorum.
Populi populi in valle concisionis. :
C quia juxta est dies Domini in valle concisionis.
Sol et luna obtenebrati sunt,
et stellæ retraxerunt splendorem suum.
Et Dominus de Sion rugiet,
et de Jerusalem dabit vocem suam :
Et movebuntur cœli, et terra :
et Dominus spes populi sui,
et fortitudo filiorum Israel.
Et scietis quia ego Dominus Deus vester.
habitans in Sion in monte sancto meo :
Et erit Jerusalem sancta,
et alieni non transibunt per eam amplius :
Et erit in die illa :
stillabunt montes dulcedinem :
et colles fluent lacte :
et per omnes rivos Juda ibunt aquæ :
Et fons de domo Domini egredietur,
et irrigabit torrentem spinarum.
Ægyptus in desolationem erit,
Et idumæa in desertum perditionis :
D Pro eo quod inique egerint in filios Juda,
et effuderunt sanguinem innocentem in terra sua
Et Judæa in æternum habitabitur,
et Jerusalem in generationem et generationem.
Et mundabo sanguinem eorum, quem [*Al.* quos] non mundaveram :
et Dominus commorabitur in Sion.

Explicit liber Joel prophetæ.

[1] Quidam mss., quos inter et Palatina, addunt, *meas*, quod pronomen Hebræus nedum hic, sed ad vocem quoque *servos* tacet.

INCIPIT

LIBER AMOS PROPHETÆ

. Verba Amos qui fuit in pastoribus[1] de
ecue :
vidit super Israel in diebus Oziæ regis Juda,
in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel,
duos annos terræ motus.
t :
inus de Sion rugiet,
Jerusalem dabit vocem suam :
runt speciosa pastorum,
sicatus est vertex Carmeli.
cit Dominus :
tribus sceleribus Damasci, et super quatuor
n convertam eum :
iod trituraverint in plaustris ferreisGalaad.
tam ignem in domum Azael :
evorabit domos Benadad.
eram vectem Damasci :
isperdam habitatorem de campo idoli.
nentem sceptrum de domo voluptatis :
insferetur populus Syriæ Cyrenen, dicit Do-
us.
cit Dominus :
tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non
nvertam eum :
iod transtulerint captivatem perfectam, ut
ncluderent eam in Idumæa.
tam ignem in murum Gazæ,
vorabit ædes ejus.
erdam habitatorem de Azoto,
nentem sceptrum de Ascalone :
ertam manum meam super Accaron,
ribunt reliqui Philisthinorum,dicit Dominus
us (*Al. tacet.* Deus).
cit Dominus :
tribus sceleribus Tyri, et super quatuor non
nvertam eum :
uod concluserint captivitatem perfectam in
umæa,
n sint recordati fœderis fratrum :
am ignem in murum Tyri,
vorabit ædes ejus.
cit Dominus :
tribus sceleribus Edom, et super quatuor
n convertam eum :
iod persecutus sit in gladio fratrem suum,
laverit misericordiam ejus, et tenuerit ultra
rorem suum,
dignationem suam servaverit usque in finem.
ignem in Theman :
vorabit ædes Bosræ,
cit Dominus :
tribus sceleribus filiorum Ammon,
per quatuor non convertam eum :
uod dissecuerit prægnantes Galaad ad dila-
ndum terminum suum.

A Et succendam ignem in muro Rabba :
et devorabit ædes ejus in ululatu in die belli,
et in turbine in die commotionis.
Et ibit Melchom in captivitatem,
ipse et principes ejus simul, dicit Dominus.
(*Cap.* II.) Hæc dicit Dominus :
Super tribus sceleribus Moab : et super quatuor non
convertam eum :
eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad
cinerem.
Et mittam ignem in Moab,
et devorabit ædes Carioth :
et morietur in sonitu Moab, et in clangore tubæ :
Et disperdam judicem de medio ejus.
omnes principes ejus interficiam cum eo, dicit
Dominus :
Hæc dicit Dominus :
Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non
convertam eum :
B eo quod abjecerit legem Domini,
et mandata ejus non custodierit :
Deceperunt enim eos idola sua,
post quæ abierant patres eorum.
Et mittam ignem in Judam,
et devorabit ædes Jerusalem.
Hæc dicit Dominus :
Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non
convertam eum :
Pro eo quod vendiderit pro (*Al. tacet* pro) argento
justum,
et pauperem pro calceamentis.
Qui conterunt super pulverem terræ capita paupe-
rum,
et viam humilium declinat ;
Et filius ac pater ejus abierunt (*Al.* introierunt) ad
puellam,
ut violarent (*Al.* polluerent) nomen sanctum
meum.
C Et super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta
omne altare,
et vinum damnatorem bibebant in domo Dei sui.
Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum :
cujus altitudo, cedrorum altitudo ejus,
et fortis ipse quasi quercus :
Et contrivi[2] fructum ejus desuper,
et radices ejus subter.
Ego sum, qui ascendere vos feci de terra Ægypti,
et duxi vos in deserto quadraginta annis,
ut possideretis terram Amorrhæi.
Et suscitavi de filiis vestris in prophetas,
et de juvenibus vestris Nazaræos :
Nunquid non ita est, filii Israel, dicit Dominus,
Et propinabatis Nazaræis vinum :
et prophetis mandabatis, dicentes
Ne prophetetis.

Hebræo ita se vertisse asserit Hieronymus
Commentariorum in Amos, eoque modo
m reperimus in omnibus exemplaribus mss.
s, et sacrorum Bibliorum. Editi legunt, *in*
bus. At de his, audiendus Hieronymus : « In
m loco, inquit, ubi LXX transtulerunt, *in*
, Theodotio ipsum verbum Hebraicum po-
CEDIM, quod Aquila vertit ἐν ποιμανοτρόφοις,
in pastoralibus. Symmachus et quinta edi-
D tio ἐν τοῖς προιμίοιν, id est, *in pastoribus*. Et puto propter DALETH et RES litterarum similitudinem hic quoque deceptos : quanquam in principio nominis ZUM littera nullam excusationem relinquat erroris. Accarim autem usque in præsentiarum Hebræum esse non legi; MART.

[2] Falso legerat Martianæus, *continui* : contra librorum omnium fidem, et sacri contextus seriem.

Ecce ego stridebo subter vos,
sicut stridet plaustrum omnustum feno.
Et peribit fuga a veloce,
et fortis non obtinebit virtutem suam,
et robustus non salvabit animam suam :
Et tenens arcum non stabit,
et velox pedibus suis non salvabitur :
et ascensor equi non salvabit animam suam :
Et robustus corde inter fortes.
nudus figiet in die illa, dicit Dominus.
(*Cap.* III.) Audite verbum, quod locutus est Dominus super vos, filii Israel :
super omni cognatione, quam eduxi de terra Ægypti, dicens :
Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ :
idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.
Nunquid ambulabunt duo pariter,
nisi convenerit eis ?
Numquid rugiet leo in saltu,
nisi habuerit prædam ?
Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo,
nisi aliquid apprehenderit?
Nunquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe ?
Numquid auferetur laqueus in terra antequam quid ceperit ?
Si clanget tuba in civitate,
et populus non expavescet ?
Si erit malum in civitate,
quod Dominus non fecerit (*Al.* fecit) ?
Quia non facit (*Al.* faciet) Dominus Deus verbum,
nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.
Leo rugiet, quis non timebit?
Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit ?
Auditum facite in ædibus Azoti,
et in ædibus terræ Ægypti : et dicite :
Congregamini super montes Samariæ,
et videte insanias multas in medio ejus,
et calumniam patientes in penetralibus ejus.
Et nescierunt facere rectum, dicit Dominus :
thesaurizantes iniquitatem et rapinas in ædibus suis.
Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Tribulabitur, et circumietur terra :
et detrahetur ex te fortitudo tua,
et diripientur ædes tuæ.
Hæc dicit Dominus :
Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura,
aut extremum auriculæ :
Sic eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli,
et in Damasci grabato.
Audite, et contestamini in domo Jacob,
dicit Dominus Deus exercituum :
Quia in die cum visitare cœpero prævaricationes Israel,
super eum visitabo, et super altaria Beth-El :
Et amputabuntur cornua altaris,
et cadent in terram.
Et percutiam domum hiemalem cum domo æstiva :
et peribunt domus eburneæ,
et dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.
(*Cap.* IV,) Audite verbum hoc vaccæ pingues,
quæ estis in monte Samariæ :
quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes :
quæ dicitis dominis vestris : Afferte, et bibemus.
Juravit Dominus Deus in sancto suo :
quia ecce dies venient super vos,
et levabunt vos in contis,
et reliquias vestras in ollis ferventibus.
Et per aperturas exibitis altera contra alteram,
et projiciemini in Armon, dicit Dominus.
Venite ad Beth-El, et impie agite :
A ad Galgalam, et multiplicate prævaricationem.
Et afferte mane victimas vestras,
tribus diebus decimas vestras.
Et sacrificate de fermentato (*Al.* fermento) laudem,
et vocate voluntarias oblationes, et annuntiate: sic enim voluistis, filii Israel, dicit Dominus Deus.
Unde et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris,
et indigentiam panum in omnibus locis vestris :
et non estis reversi ad me, dicit Dominus.
Ego quoque prohibui a vobis imbrem,
cum adhuc tres menses superessent usque ad messem.
Et plui super civitatem unam ;
et super civitatem alteram non plui :
Pars una compluta est,
et pars (*Al. add.* una), super quam non plui, aruit.
Et venerunt duæ et tres civitates ad civitatem unam,
B ut biberent aquam,
et non sunt satiatæ :
et non redistis ad me, dicit Dominus.
Percussi vos in vento urente,
et in aurugine multitudinem hortorum vestrorum et vinearum vestrarum :
Oliveta vestra, et ficeta vestra comedit eruca ;
et non redistis ad, me dicit Dominus.
Misi in vos mortem in via Ægypti,
percussi in gladio juvenes vestros, usque ad captivitatem equorum vestrorum :
Et ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras :
et non redisti ad me, dicit Dominus.
Subverti vos, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham,
et facti estis quasi torris raptus de incendio :
et non redistis ad me, dicit Dominus :
Quapropter hæc faciam tibi, Israel :
C postquam autem hoc fecero tibi,
præparare in occursum Dei tui, Israel.
Quia ecce formans montes, et creans ventum,
et annuntians homini eloquium suum,
faciens matutitam nebulam,
et gradiens super excelsa terræ :
Dominus Deus exercituum nomen ejus.
(*Cap.* V.) Audite verbum istud, quod ego levo super vos planctum, domus Israel.
Cecidit, non adjiciet, ut resurgat virgo Israel :
Projecta est in terram suam,
non est qui suscitet eam.
Quia hæc dicit Dominus Deus :
Urbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum :
et de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel :
Quia hæc dicit Dominus domui Israel :
Quærite me, et vivetis.
D Et nolite quærere Beth-El, et in Galgalam nolite intrare,
et in Ber-Sabee non transibitis (*Al.* ne transieritis) :
quia Galgala captiva ducetur, et Beth-El erit inutilis.
Quærite Dominum, et vivite :
ne forte comburatur ut ignis domus Joseph,
et devorabit, et non erit (*Al.* sit) qui exstinguat Beth-El :
Qui convertitis in absinthium judicium
et justitiam in terra relinquitis.
Facientem Arcturum et Orionem,
et convertentem in mane tenebras, et diem in noctem mutantem :
Qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ :
Dominus nomen ejus.
Qui subridet vastitatem super robustum,
et depopulationem super potentem affert.

Odio habuerunt in porta corripientem :
et loquentem perfecte abominati sunt.
Idcirco, pro eo quod diripiebatis pauperem;
et prædam electam tollebatis ab eo :
Domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis :
Vineas amantissimas plantabitis,
et non bibetis vinum earum.
Quia cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra :
hostes justi accipientes munus, et pauperes in porta deprimentes :
Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.
Quærite bonum, et non malum, ut vivatis :
et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis :
Odite malum, et diligite bonum,
et constituite in porta judicium :
si forte misereatur Dominus Deus exercituum B reliquiis Joseph.
Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator :
In omnibus plateis planctus :
et in cunctis, quæ foris sunt, dicitur væ, væ :
et vocabunt agricolam ad luctum,
et ad planctum eos qui sciunt plangere.
Et in omnibus vineis erit planctus :
quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus.
Væ desiderantibus diem Domini :
ad quid eam vobis?
dies Domini ista, tenebræ, et non lux.
Quomodo si fugiat vir a facie leonis,
et occurrat ei ursus :
Et ingrediatur domum :
et innitatur manu sua super parietem,
et mordeat eum coluber.
Numquid non tenebræ dies Domini, et non lux :
et caligo, et non splendor in ea?
Odi, et projeci festivitates vestras :
et non capiam odorem cœtuum vestrorum.
Quod si obtuleritis (*Al.* attuleritis) mihi holocautomata, et munera vestra, non suscipiam :
et vota pinguium vestrorum non respiciam.
Aufer a me tumultum carminum tuorum :
et cantica lyræ tuæ non audiam.
Et revelabitur quasi aqua judicium,
et justitia quasi torrens fortis.
Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel?
Et portatis tabernaculum Moloch vestro,
et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis,
Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus,
Deus exercituum nomen ejus.
(*Cap.* VI.) Væ qui opulenti estis in Sion,
et confiditis in montem Samariæ :
optimates capita populorum.
ingredientes pompatice domum Israel.
Transite in Chalanne, et videte,
et ite inde in Emath magnam :
et descendite in Geth Palæstinorum :
et ad optima quæque regna horum;
si latior terminus eorum termino vestro est.
Qui separati estis in diem malum :
et appropinquatis solio iniquitatis.
Qui dormitis in lectis eburneis,
A et lascivitis in stratis vestris :
Qui comeditis agnum de grege,
et vitulos de medio armenti.
Qui canitis ad vocem psalterii :
sicut David putaverunt se habere vasa cantici.
Bibentes in phialis vinum,
et optimo unguento delibuti :
et nihil patiebantur super contritione Joseph.
Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium :
et auferetur factio lascivientium.
Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum :
Detestor ego superbiam Jacob, et domos ejus odi,
et tradam civitatem cum habitatoribus suis.
Quod si reliqui fuerint decem viri in domo una,
et ipsi morientur.
Et tollet eum propinquus suus,
et comburet eum, ut efferat ossa de domo :
Et dicet ei, qui in penetralibus domus est :
Numquid adhuc est apud te?
Et respondebit :
Finis est,
Et dicet ei :
Tace, et non recorderis nominis Domini.
Quia ecce Dominus mandabit,
et percutiet domum majorem ruinis,
et domum minorem scissionibus.
Numquid currere queunt in petris equi,
aut arari potest in bubalis,
quoniam convertistis in amaritudinem judicium,
et fructum justitiæ in absinthium?
Qui lætamini in nihilo :
qui dicitis :
Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?
Ecce enim suscitabo super vos, domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, gentem :
C et conterent vos ab introitu Emat usque ad torrentem deserti.
(*Cap.* VII.) Hæc ostendit mihi Dominus Deus :
et ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris,
et ecce serotinus [1] post tonsionem regis.
Et factum est :
cum consummasset comedere herbam terræ,
et dixi :
Domine Deus, propitius esto, obsecro :
quis suscitabit Jacob, quia parvulus est?
Misertus est Dominus super hoc :
non erit, dixit Dominus.
Hæc ostendit mihi Dominus Deus :
et ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus :
et devoravit (*Al.* devorabit) abyssum multam,
et comedit (*Al.* comedet) simul partem.
D Et dixi :
Domine Deus, quiesce, obsecro :
quis suscitabit Jacob, quia parvulus est?
Misertus est Dominus super hoc :
Sed et istud non erit, dixit Dominus Deus.
Hæc ostendit mihi :
et ecce Dominus stans super murum litum,
et in manu ejus trulla cæmentarii.
Et dixit Dominus ad me :
Quid tu vides, Amos?
Et dixi : Trullam cæmentarii.

[1] Non *tonsionem regis*, sed *tonsorem gregis* legunt omnes codices mss. In Hebræo hodierno scriptum est גז־המלך *gizze hammelech;* quod Hieronymus legebat in singulari, *gozi ammelech*. Vid. lib. III Commentariorum in mss. libris, quia in multis discrepant ab editorum depravatione, et a punctis vocalibus Massoretharum. MARX.

— Maluisse videtur Hieronymus in Comment. *post serotinum tonsor*, sive *tonsura regis*. In Cisterciensi ms. nos invenimus, *serotinus post tonsorem*, sive *tonsuram regis*. Ad quod in suis omnibus reperit Martianæus, *gregis*, pro *regis*, manifestum est librariorum aut paulo audacioris critici mendum.

Et dixit Dominus :
Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel :
non adjiciam ultra superinducere eum.
Et demolientur excelsa idoli,
et sanctificationes Israel desolabuntur :
et consurgam super domum Jeroboam in gladio.
Et misit Amasias sacerdos Beth-El ad Jeroboam regem Israel, dicens :
Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel :
non poterit terra sustinere universos sermones ejus.
Hæc enim dicit Amos :
In gladio morietur Jeroboam,
et Israel captivus migrabit de terra sua :
Et dixit Amasias ad Amos :
Qui vides, gradere,
fuge in terram Juda :
et comede ibi panem, et ibi prophetabis.
Et in Beth-El non adjicies ultra ut prophetes :
qui sanctificatio regis est,
et domus regni est.
Et respondit Amos, et dixit ad Amasiam :
Non sum propheta, et non sum filius prophetæ,
sed armentarius (*Al.* opilio) ego sum vellicans sycomoros.
Et tulit me Dominus cum sequerer gregem :
et dixit ad me Dominus (*Al. tacet* Dominus)
Vade, propheta ad populum meum Israel.
Et nunc audi verbum Domini :
Tu dicis : Non prophetabis super Israel,
et non stillabis super domum idoli.
Propter hoc hæc dicit Dominus :
Uxor tua in civitate fornicabitur :
et filii tui et filiæ tuæ in gladio cadent,
et humus tua funiculo metietur :
Et tu in terra polluta morieris,
et Israel captivus migrabit de terra sua.
(*Cap.* VIII.) Hæc ostendit mihi Dominus Deus :
et ecce uncinus pomorum.
Et dixit : Quid tu vides, Amos?
Et dixi : Uncinum pomorum.
Et dixit Dominus ad me :
Venit finis super populum meum Israel :
non adjiciam ultra, ut pertranseam eum.
Et stridebunt cardines Templi in die illa, dicit Dominus Deus :
multi morientur :
in omni loco projicietur silentium.
Audite hoc qui conteritis pauperem,
et deficere facitis egenos terræ, dicentes :
Quando transibit mensis, et venundabimus merces,
et sabbatum, et aperiemus frumentum
ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum,
et supponamus stateras dolosas,
ut possideamus in argento egenos et pauperes pro calceamentis,
et quisquilias frumenti vendamus?
Juravit Dominus in superbiam (*Al.* superbia) Jacob :
Si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum.
Numquid super isto non commovebitur terra
et lugebit omnis habitator ejus :
et ascendet quasi fluvius universus,
et ejicietur, et defluet quasi rivus Ægypti?
Et erit in die illa, dicit Dominus Deus (*Al. tacet* Deus) :
occidet sol in meridie,
et tenebrescere faciam terram in die luminis :
Et convertam festivitates vestras in luctum,
et omnia cantica vestra in planctum :
Et inducam super omne dorsum vestrum saccum.
et super omne caput calvitium :
Et ponam eam quasi luctum unigeniti,
et novissima ejus quasi diem amarum

A Ecce dies veniunt, dicit Dominus :
et mittam famem in terram :
non famem panis, neque sitim aquæ,
sed audiendi verbum Domini.
Et commovebuntur a mari usque ad orientem :
et ab aquilone usque ad orientem :
circuibunt quærentes verbum Domini, et non invenient.
In die illa deficient virgines pulchræ,
et adolescentes in siti.
Qui jurant in delicto Samariæ, et dicunt :
Vivit Deus tuus, Dan, et vivit via Ber-Sabe :
et cadent, et non resurgent ultra.
(*Cad.* IX.) Vidi Dominum stantem super altare, et dixit :
Percute cardinem, et commoveantur superliminaria:
Avaritia enim in capite omnium.
et novissimum eorum in gladio interficiam :
Non erit fuga eis, qui fugient,
B et non salvabitur ex eis qui fugerit.
Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos :
et si ascenderint usque ad cœlum, inde detraham eos.
Et si absconditi fuerint in vertica Carmeli, inde scrutans auferam eos :
et si celaverint se ab oculis meis in fundo maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos.
Et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, et occidet eos :
et ponam oculos meos super eos in malum, et non in bonum.
Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, et tabescet :
et lugebunt omnes habitantes in ea :
Et ascendet sicut rivus omnis,
et defluet sicut fluvius Ægypti.
Qui ædificat in cœlo ascensionem suam,
et fasciculum suum super terram fundavit :
C Qui vocat aquas maris,
et effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen ejus,
Nunquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel? ait Dominus.
Nunquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti :
et Palæstinos de Cappadocia,
et Syros de Cyrene?
Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans,
et conteram illud a facie terræ.
Verumtamen conterens non conteram domum Jacob, dicit Dominus.
Ecce enim ego mandabo,
et concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum [1] in cribro :
et non cadet lapillus super terram.
In gladio morientur omnes peccatores populi mei :
qui dicunt : Non appropinquabit, et non veniet super nos malum.
D In die illo suscitabo tabernaculum David, quod cecidit :
et reædificabo aperturas murorum ejus,
et ea quæ corruerant, instaurabo :
et reædificabo illud sicut in diebus antiquis.
Ut possideant reliquias Idumææ, et omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum, super eos :
dicit Dominus faciens hæc.
Ecce dies veniunt, dicit Dominus,
et comprehendet arator messorem,
et calcator uvæ mittentem semen :
Et stillabunt montes dulcedinem,
et omnes colles culti erunt.
Convertam captivitatem populi mei Israel :
et ædificabunt civitates desertas, et habitabunt :
Et plantabunt vineas, et bibent vinum earum :

[1] Vox *triticum* neque ab Hieronymo in Commentario legitur, neque in Hebræo revera est textu, sed tantum יגוע בכברה, *concutitur in cribro*, nec plus ipsi habent LXX.

et facient hortos, et comedent fructus eorum.
Et plantabo eos super humum suam :
A et non evellam eos ultra de terra sua : quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.

Explicit liber Amos prophetæ.

INCIPIT

LIBER ABDIÆ PROPHETÆ.

Visio Abdiæ.
Hæc dicit Dominus Deus ad Edom :
Auditum audivimus a Domino,
et legatum ad gentes misit :
Surgite,
et consurgamus adversus eum in prælium.
Ecce parvulum te dedi in gentibus :
contemptibilis tu es valde.
Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum (*Al.* petræ.)
exaltantem solium suum (*Al.* tuum), qui dicis in corde tuo :
Quis detrahet me in terram ?
Si exaltatus fueris ut aquila,
et si inter sidera posueris nidum tuum :
inde detraham te, dicit Dominus.
Si fures introissent ad te, si latrones per noctem,
quomodo conticuisses ?
nonne furati essent sufficientia sibi ?
Si vindemiatores introissent ad te,
nunquid (*Al. add.* non) saltem racemos reliquissent tibi ?
Quomodo scrutati sunt Esau,
investigaverunt abscondita ejus ?
Usque ad terminum emiserunt omnes viri fœderis tui illuserunt tibi,
invaluerunt adversum te viri pacis tuæ :
Qui comedunt tecum, ponent insidias subter te :
non est prudentia in eo.
Nunquid non in die illa, dicit Dominus : perdam sapientes de Idumæa,
et prudentiam de monte Esau ?
Et timebunt fortes tui a meridie,
ut intereat vir de monte Esau.
Propter interfectionem, et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob,
operiet te confusio, et peribis in æternum.
In die cum stares adversus [1],
quando capiebant alieni exercitum ejus,
et extranei ingrediebantur portas ejus,
et super Jerusalem mittebant sortem :
tu quoque eras quasi unus ex eis.
Et non despicies in die fratris tui,
in die peregrinationis ejus :
Et non lætaberis super filios Juda in die perditionis eorum :
et non magnificabis os tuum in die angustiæ.
Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum :
neque despicies et tu in malis ejus in die vastitatis illius :
B et non emitteris adversus exercitum ejus in die vastitatis illius.
Neque stabis in exitibus, ut interficias eos qui fugerint :
et non concludes reliquos ejus in die tribulationis
Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes,
sicut fecisti, fiet tibi :
retributionem tuam convertet in caput tuum.
Quomodo enim bibisti (*Al.* bibistis) super montem sanctum meum,
bibent omnes gentes jugiter :
Et bibent, et absorbebunt,
et erunt quasi non sint.
Et in monte Sion erit salvatio, et erit sanctus :
et possidebit domus Jacob eos, qui se possederant.
Et erit domus Jacob ignis,
et domus Joseph flamma,
et domus Esau stipula ;
Et succendentur in eis, et devorabunt eos :
C et non erunt reliquiæ domus Esau,
quia Dominus locutus est.
Et hæreditabunt hi qui ad austrum sunt, montem Esau,
et qui in campestribus Philisthim :
Et possidebunt regionem Ephraim, et regionem Samariæ.
et Benjamin possidebit Galaad.
Et transmigratio exercitus hujus (*Al.* ejus) filiorum Israel,
omnia Chananæorum usque ad Sarephtam :
Et transmigratio Jerusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates austri.
Et ascendent salvatores in montem Sion
judicare montem Esau :
et erit Domino regnum.

[1] Addunt vulgati libri atque ispe Hieron. in Commentario *eum*, quod tamen in Hebræo pronomen non est.

Explicit liber Abdiæ prophetæ.

INCIPIT

LIBER JONÆ PROPHETÆ.

(*Cap.* I.) Et factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens :
Surge, vade in Niniven, civitatem grandem, et
D prædica in ea : quia ascendit malitia ejus coram me.
Et surrexit Jonas,

ut fugeret in Tharsis a facie Domini :
Et descendit in Joppen,
et invenit navem euntem in Tharsis :
Et dedit naulum ejus,
et descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini.
Dominus autem nisit ventum magnum in mare
et facta est tempestas magna in mari,
et navis periclitabatur conteri.
Et timuerunt nautæ,
et clamaverunt viri ad Deum suum :
Et miserunt vasa, quæ erant in navi, in mare,
ut alleviaretur ab eis ;
Et Jonas descendit ad interiora navis,
et dormiebat sopore gravi.
Et accessit ad eum gubernator, et dixit ei :
Quid tu sopore deprimeris ?
surge, invoca Deum tuum,
si forte recogitet Deus de nobis, et non pereamus.
Et dixit vir ad collegam suum :
Venite, et mittamus sortes,
et sciamus quare hoc malum sit (*Al.* fit) nobis.
Et miserunt sortes :
et cecidit sors super Jonam.
Et dixerunt ad eum :
Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis :
quod est opus tuum ?
quæ terra tua, et quo vadis?
vel ex quo populo es tu ?
Et dixit ad eos : Hebræus ego sum,
et Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare et aridam.
Et timuerunt viri timore magno,
et dixerunt ad eum :
Quid hoc fecisti ?
Cognoverant enim viri quod a facie Domini fugeret, quia indicaverat eis.
Et dixerunt ad eum :
Quid faciemus tibi, et cessabit mare a nobis ?
quia mare ibat, et intumescebat.
Et dixit ad eos :
Tollite me, et mittite (*Al add.* me) in mare,
et cessabit mare a vobis :
scio enim ego quoniam propter me tempestas grandis hæc venit (*Al.* est) super vos.
Et remigabant viri, ut reverterentur ad aridam, et non valebant :
quia mare ibat, et intumescebat super eos.
Et clamaverunt ad Dominum, et dixerunt ;
Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius,
et ne des super nos sanguinem innocentem :
quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti.
Et tulerunt Jonam, et miserunt in mare :
et stetit mare a fervore suo.
Et timuerunt viri timore magno Dominum,
et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota.
(*Cap.* II.) Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam :
et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus.
Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis.
Et dixit :
Clamavi de tribulatione mea ad Dominum,
et exaudivit me :
De ventre inferi clamavi,
et exaudisti vocem meam.
Et projecisti me in profundum in corde maris,
et flumen circumdedit me :
Omnes gurgites tui, et fluctus tui
super me transierunt.

A Et ego dixi : Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum :
vertumtamen rursus videbo templum sanctum tuum,
Circumdederunt me aquæ usque ad animam (*Al. add.* meam) :
abyssus vallavit me, pelagus cooperuit caput meum.
Ad extrema montium descendi :
terræ vectes concluserunt me in æternum.
Et sublevabis de corruptione vitam meam,
Domine, Deus meus,
Cum augustiaretur in me anima mea,
Domini recordatus sum :
ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.
Qui custodiunt vanitates frustra,
misericordiam suam derelinquunt,
Ego autem in voce laudis immolabo tibi :
B quæcunque vovi, reddam pro salute Domino.
Et dixit Dominus pisci :
et evomuit Jonam in aridam.
(*Cap.* III.) Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo, dicens :
Surge et vade in Niniven civitatem magnam :
et prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te.
Et surrexit Jonas, et abiit in Niniven juxta verbum Domini :
et Ninive erat civitas magna [1] itinere dierum trium.
Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius : et clamavit, et dixit :
Adhuc quadraginta dies,
et Ninive subvertetur.
Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum :
et prædicaverunt jejunium,
et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem.
C Et pervenit verbum ad regem Ninive :
et surrexit de solio suo,
et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco,
et sedit in cinere.
Et clamavit, et dixit in Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens :
Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam :
nec pascantur et aquam non bibant.
Et operiantur saccis homines et jumenta,
et clament ad Deum (*Al.* Dominum) in fortitudine, et convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum.
Quis scit si convertatur et ignoscat Deus :
et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus ?
Et vidit Deus opera eorum, qui conversi sunt de via sua mala :
D et misertus est Deus super malitia, quam locutus fuerat ut faceret eis.
et non fecit.
(*Cap.* IV.) Et afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est :
Et oravit ad Dominum, et dixit :
Obsecro, Domine,
nunquid non hoc est verbum meum, eum adhuc essem in terra mea :
Propter hoc præoccupavi, ut fugerem in Tharsis.
Scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia.
Et nunc, Domine, tolle, quæso, animam meam a me : quia melior est mihi mors quam vita.
Et dixit Dominus :
Putasne, bene irasceris tu ?

mentario addito *Dei* legit S. ipse interpres in Com.

[1] *Cum urbs magni Dei* : juxta Hebr. עיר גדולה לאלהים quæ ejus est linguæ ὑπερβολή, cum rei alicujus amplitudinem ac præstantiam commendat.

Et egressus est Jonas de civitate,
et sedit contra orientem civitatis;
Et fecit sibimet ibi umbraculum,
et sedebat subter illud in umbra,
donec videret quid accideret civitati.
Et præparavit Dominus Deus [1] hederam,
et ascendit super caput Jonæ,
ut esset umbra super caput ejus, et protegeret eum
(laboraverat enim),
et lætatus est Jonas super hedera, lætitia magna.
Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum;
et percussit hederam, et exaruit.
Et cum ortus fuisset sol,
præcepit Dominus vento calido et urenti;
Et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat;
A et petivit animæ, ut moreretur, et dixit:
Melius est mihi mori, quam vivere.
Et dixit Dominus ad Jonam;
Putasne, bene irasceris tu super hedera?
Et dixit:
Bene irascor ego usque ad mortem.
Et dixit Dominus:
Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret.
Quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte periit.
Et ego non parcam Ninive civitati magnæ,
in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum,
qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam,
et jumenta multa?

[1] Recole S. Interpretem in Commentario, ubi de hac sua interpretatione disserens, *Seculi*, inquit, *sumus veteres translatores, qui et ipsi hederam interpretati sunt, quæ Græce appellantur* κισσός *aliud* B *enim quod dicerent, non habebant.* Vide quæ et nobis adnotata sunt ad hunc locum.

Explicit liber Jonæ prophetæ,

INCIPIT

LIBER MICHÆÆ PROPHETÆ.

(*Cap.* I.) Verbum Domini, quod factum est ad Michæam Morasthiten,
in diebus Joatham, Ahaz, et Ezechiæ, regum Juda;
quod vidit super Samariam, et Jerusalem,
Audite, populi omnes,
et attendat terra, et plenitudo ejus:
Et sit Dominus Deus vobis in testem,
Dominus de templo sancto suo.
Quia ecce Dominus egreditur (*Al.* egredietur) de loco suo:
et descendet, et calcabit super excelsa terræ.
Et consumentur montes subtus eum:
et valles sciendentur sicut cera a facie ignis,
sicut aquæ, decurrunt in præceps.
In scelere Jacob omne istud,
et in peccatis domus Israel.
Quod scelus Jacob?
nonne Samaria?
Et quæ excelsa Judæ?
nonne Jerusalem?
Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro cum plantatur vinea:
et detraham in vallem lapides ejus, et fundamenta ejus revelabo.
Et omnia sculptilia ejus concidentur,
et omnes mercedes ejus comburentur igne.
et omnia idola ejus ponam in perditionem:
Quia de mercedibus meretricis congregata sunt,
et usque ad mercedem meretricis revertentur.
Super hoc plangam, et ululabo:
vadam spoliatus, et nudus:
Faciam planctum velut draconum,
et luctum quasi struthionum,
Quia desperata est plaga ejus,
quia venit usque ad Judam,
tetigit portam populi mei usque ad Jerusalem.
In Geth nolite annuntiare,
lacrymis ne ploretis,
in domo Pulveris pulvere vos conspergite,
Et transite vobis habitatio Pulchra (*Al.* Saphir),
confusa ignominia:
non est egressa quæ habitat in exitu (*Al.* Sennan):
Planctum domus vicinæ (*Al.* Asel) accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet.
Quia infirmata est in bonum, quæ habitat in amaritudinibus (*Al.* Maroth):
quia descendit malum a Domino in portam Jerusalem.
Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis:
principium peccati est filiæ Sion,
quia in te inventa sunt scelera Israel.
Propterea dabit emissarios super hæreditatem Geth: domus (*Al.* domo) mendacii in deceptionem regibus Israel.
C Adhuc hæredem adducam tibi quæ habitas in Maresa: usque ad Odollam veniet gloria Israel.
Decalvare et tondere super filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum sicut aquila:
quoniam captivi ducti sunt ex te.
(*Cap.* II.) Væ qui cogitatis inutile,
et operamini malum in cubilibus vestris:
In luce matutina faciunt illud,
quoniam contra Deum est manus eorum.
Et concupierunt agros, et violenter tulerunt,
et domos rapuerunt:
Et calumniabantur virum et domum ejus;
virum et hæreditatem ejus.
Idcirco hæc dicit Dominus:
Ecce ego cogito super familiam istam malum:
unde non auferetis colla vestra, et non ambulabitis superbi,
quoniam tempus pessimum est.
In die illa sumetur super vos parabola,
D et cantabitur canticum cum suavitate, dicentium:
Depopulatione vastati sumus:
Pars populi mei commutata est:
quomodo recedet a me, cum revertatur, qui regiones nostras dividat?
Propter hoc non erit tibi mittens faniculum sortis in cœtu Domini.
Ne loquamini loquentes:
Non stillabit super istos, non comprehendet confusio.
Dicit domus Jacob:
Nunquid abbreviatus est spiritus Domini,

aut tales sunt cogitationes ejus?
Nonne verba mea bona sunt cum eo, qui recte graditur?
Et e contrario populus meus in adversarium consurrexit:
desuper tunica pallium sustulistis:
et eos, qui simpliciter transibant, convertistis in bellum.
Mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum:
a parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum.
Surgite, et ite,
quia non habetis hic requiem:
Propter immunditiam ejus corrumpetur putredine pessima.
Utinam non essem vir habens spiritum,
et mendacium potius loquerer,
Stillabo tibi in vinum et in ebrietatem:
et erit super quem stillatur populus iste.
Congregatione congregabo, Jacob, totum te:
in unum conducam reliquias Israel,
pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum,
tumultuabuntur a multitudine hominum.
Ascendet enim pandens iter ante eos:
dividentes, et transibunt portam, et egredientur per eum:
Et transibit rex eorum coram eis,
et Dominus in capite (*Al.* capita) eorum.
(*Cap.* III.) Et dixi: Audite, principes Jacob, et duces domus Israel:
Nunquid non vestrum est scire judicium,
qui odio habetis bonum, et diligitis malum?
Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis,
et carnes eorum desuper ossibus eorum.
Qui comederunt carnem populi mei,
et pellem eorum desuper excoriaverunt:
Et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebete,
et quasi carnem in medio ollæ.
Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos:
et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo,
sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis.
Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum:
qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem:
Et si quis non dederit in ore eorum quidpiam,
sanctificant super eum prælium.
Propterea nox vobis pro visione erit,
et tenebræ vobis pro divinatione:
Et occumbet sol super prophetas,
et obtenebrabitur super eos dies.
Et confundentur qui vident visiones,
et confundentur divini:
Et operient vultus suos omnes,
quia non est responsum Dei.
Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio et virtute:
ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum.
Audite hoc, principes domus Jacob et judices domus Israel:
qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis.
Qui ædificatis Sion in sanguinibus,
et Jerusalem in iniquitate.
Principes ejus in muneribus judicabant,
et sacerdotes ejus in mercede docebant:
et prophetæ ejus in pecunia divinabant:
Et super Dominum requiescebant, dicentes:
Nunquid non Dominus in medio nostrum?
non venient super nos mala.
propter hoc, causa vestri, Sion quasi ager arabitur:
et Jerusalem quasi acervus lapidum erit.
et mons Templi in excelsa silvarum.
(*Cap.* IV.) Et erit:
In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium,
et sublimis super colles:
et fluent ad eum populi.
Et properabunt gentes multæ, et dicent:
Venite, ascendamus ad montem Domini,
et ad domum Dei Jacob:
Et docebit nos de viis suis,
et ibimus in semitis ejus:
Quia de Sion egredietur lex,
et verbum Domini de Jerusalem.
Et judicabit inter populos multos
et corripiet gentes fortes usque in longinquum:
Et concident gladios suos in vomeres,
et hastas suas in ligones:
Non sumet gens adversus gentem gladium:
et non discent ultra belligerare.
Et sedebit vir subtus vineam suam, et subtus ficum suam,
et non erit qui deterreat (*Al.* exterreat):
quia os Domini exercituum locutum est.
Quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui:
nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum et ultra.
In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem:
et eam, quam ejeceram, colligam,
et quam afflixeram:
Et ponam claudicantem in reliquias:
et eam, quæ laboraverat, in gentem robustam:
Et regnabit Dominus super eos in monte Sion,
ex hoc nunc et usque in æternum.
Et tu, turris gregis, nebulosa filia Sion usque ad te veniet,
et veniet potestas prima regnum filiæ Jerusalem.
Nunc quare mœrore contraheris?
nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit,
quia comprehendit te dolor sicut parturientem?
Dole, et satage, filia Sion, quasi parturiens:
quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione,
et venies usque ad Babylonem:
Ibi liberaberis,
ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.
Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur:
et aspiciat in Sion oculus noster.
Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini,
et non intellexerunt consilium ejus:
quia congregavit eos quasi fenum areæ.
Surge et tritura, filia Sion;
quia cornu tuum ponam ferreum,
et ungulas tuas ponam æreas.
Et comminues populos multos,
et interficiam [1] Domino rapinas eorum,
et fortitudinem eorum Domino universæ terræ,
(*Cap.* V.) Nunc vastaberis, filia latronis:
obsidionem posuerunt super nos,
in virga percutient maxillam judicis Israel:
Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda:
ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel,
et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.
Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet:
et reliquiæ fratrum ejus convertantur ad filios

[1] Mirum quod in secunda persona præferunt libri omnes Latini, *interficies*, et Græci ἀναθήσεις: cum in Hebr. tamen sit in prima והחרמתי quod est *interficium*, seu verius *anathemate devovebo*.

Israel [1].
Et stabit, et pascet in fortitudine Domini,
in sublimitate nominis Domini Dei sui :
Et convertentur,
quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ
Et erit iste pax :
Assyrius cum venerit in terram nostram,
et quando calcaverit in domibus nostris :
Et suscitabimus super eum septem pastores,
et octo primates homines.
Et pascent terram Assur in gladio,
et terram Nemrod in lanceis ejus :
Et liberabit ab Assur cum venerit in terram nostram,
et cum calcaverit in finibus nostris.
Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum, quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam,
quæ non exspectat virum, et non præstolatur filios hominum.
Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus in medio populorum multorum,
quasi leo in jumentis silvarum,
et quasi catulus leonis in gregibus pecorum :
qui cum transierit, et conculcaverit, et ceperit, non est qui eruat.
Exaltabitur manus tua super hostes tuos,
et omnes inimici tui interibunt.
Et erit in die illa, dicit Dominus :
Auferam equos tuos de medio tui,
et disperdam quadrigas tuas.
Et perdam civitates terræ tuæ, et destruam omnes munitiones tuas,
et auferam maleficia de manu tua, et divinationes non erunt in te.
Et perire faciam sculptilia tua et statuas tuas de medio tui :
et non adorabis ultra opera manuum tuarum.
Et evellam lucos tuos de medio tui :
et conteram civitates tuas.
Et faciam in furore et in indignatione ultionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.
(*Cap.* VI.) Audite quæ Dominus loquitur :
Surge, contende judicio adversum montes,
et audiant colles vocem tuam.
Audiant (*Al.* Audite) montes judicium Domini, et fortia fundamenta terræ;
quia judicium Domini cum populo suo et cum Israel dijudicabitur.
Populo meus, quid feci tibi, et quid molestus fui tibi ?
responde mihi.
Quia eduxi te de terra Ægypti,
et de domo servientium liberavi te [2] :
Et misi ante faciem tuam Mosen,
et Aaron, et Mariam ?
Populo meus, memento, quæso, quid cogitaverit [3] Balac rex Moab,
et quid responderit ei Balaam filius Beor,
de Settim usque ad Galgalam,
ut cognoscerés [4] justitias Domini.
Quid dignum offeram Domino ?
curvabo genu Deo excelso ?
nunquid offeram ei holocautomata, et vitulos anniculos ?
Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum,
aut in multis millibus hircorum pinguium ?
Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo,
fructum ventris mei pro peccato animæ meæ ?
Indicabo tibi, o homo, qui sit bonum,
et quid Dominus quærat a te :
Utique facere judicium, et diligere misericordiam,
et sollicitum ambulare cum Deo tuo :
Vox Domini ad civitatem clamat,
et salus erit timentibus nomen tuum :
Audite, tribus,
et quis approbabit illud ?
Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis *Al.* impietatis).
et mensura minor iræ plena.
Nunquid justificabo stateram impiam,
et sacelli pondera dolosa ?
In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate,
et habitantes in ea loquebantur mendacium,
et lingua eorum frandulenta in ore ipsorum.
Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis.
Tu comedes, et non saturaberis.
et humiliatio tua in medio tui :
Et apprehendes, et non salvabis :
et quos salvaveris, in gladium dabo.
Tu seminabis, et non metes ;
tu calcabis olivam, et non ungeris oleo :
et mustum, et non bibes vinum.
Et custodisti præcepta Amri, et omne opus domus Ahab :
Et ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te in perditionem,
et habitantes in ea in sibilum,
et opprobrium populi mei portabitis.
(*Cap.* VII.) Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ :
non est botrus ad comedendum,
præcoquas ficus [5] desideravit anima mea.
Periit sanctus de terra,
et rectus in hominibus non est :
Omnes in sanguine insidiantur,
vir fratrem suum venatur ad (*Al.* in) mortem.
Malum manuum suarum dicunt bonum :
princeps postulat, et judex in reddendo est :
Et magnus locutus est desiderium animæ suæ,
et conturbaverunt eam.
Qui optimus in eis est, quasi paliurus :
et qui rectus, quasi spina de sepe.
Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit :
nunc erit vastitas eorum.
Nolite credere amico :
et nolite confidere in duce :
Ab ea quæ dormit in sinu tuo,
custodi claustra oris tui.
Quia filius contumeliam facit patri ;
filia consurgit adversus matrem suam :
nurus contra socrum suum :
inimici hominis domestici ejus.
Ego autem ad Dominum aspiciam,

[1] Ut ut ipse ita legat S. Pater in Commentar., Symmachi aliam interpretationem videtur probasse magis. « *Et convertentur*, inquit, sive, ut melius interpretatus est Symmachus, *habitabunt*. Jasubu enim verbum Hebraicum utrumque significat. Habitabunt autem in Ecclesia Domini, etc.

[2] Canon 8. Germani et ms. num. 3, *et de domo servitutis*, quod in Commentariis retinet S. Hieronymus. MART.

[3] Addunt alii libri *contra te*, quemadmodum ipse etiam prælegit Commentar. S. Pater. Sunt vero ea verba ex Græco κατά σού derivata, quibus nihil est quod in Hebraico respondeat,

[4] In eodem Canone tertia persona exprimitur, *ut cognosceret*, etc. ; at manifesto exscriptoris errore. MART.

[5] Ecclesiæ Carcassonensis Canon legit *immaturas ficus*. In textu autem Commentariorum scriptum legimus *primitivas ficus*, deinde in explanationibus, *immaturas ficus*. *Frustra*, inquit Hieronymus disserendo, volui... quasi extremos racemos requirere, et cum non sit botrus ad comedendum, saltem immaturas ficus, quas Hebræi BECCHORA בכור vocant, id est, grossos ficorum, cibo sumere. MART.

exspectabo Deum salvatorem meum :
audiet me Deus meus.
Ne læteris, inimica mea, super me, quia cecidi :
consurgam, cum sedero in tenebris,
Dominus lux mea est.
Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec judicet causam meam, et faciat judicium meum :
Educet me in lucem,
videbo justitiam ejus.
Et aspiciet inimica mea,
et operietur confusione, quæ dicit ad me :
Ubi est Dominus Deus tuus ?
Oculi mei videbunt in (*Al. tacet* in) eam :
nunc erit in conculcationem ut lutum platearum,
Dies, ut ædificentur maceriæ tuæ :
in die illa longe fiet lex.
In die illa et usque ad te veniet de Assur, et usque ad civitates munitas ;
et a civitatibus munitis usque ad flumen, et ad mare de mari, et ad montem de monte.
Et erit terra in desolationem propter habitatores suos,
et propter fructum cogitationum eorum.
Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ.
habitantes solos in saltu, in medio Carmeli :
Pascentur Basan et Galaad juxta dies antiquos.
Secundum dies egressionis tuæ de terra Ægypti, ostendam ei mirabilia.
Videbunt gentes, et confundentur super omni fortitudine sua :
ponent manum super os,
aures eorum surdæ erunt.
Lingent pulverem sicut serpens,
velut reptilia terræ proturbabuntur de ædibus suis :
Dominum Deum nostrum pavebunt [1] (*Vulg.* formidabunt),
et timebunt te.
Quis, Deus, similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ?
Non immittet ultra furorem suum,
quoniam volens misericordiam est.
Revertetur, et miserebitur nostri :
deponet iniquitates nostras et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.
Dabis veritatem (*Al. add.* in) Jacob,
misericordiam Abraham :
quæ jurasti [2] patribus nostris a diebus antiquis.

[1] Pro *Dominum Deum nostrum pavebunt*, quatuor mss. id est, uterque Canonis Heb. verit. codex : ac duo Colbertini, Aniciensis et alter num. 75 scriptum habent, *Dominum Deum nostrum desiderabunt*: quæ lectio nullatenus probatur e Commentariis L. Hieronymi, neque ex Hebræis voluminibus. MART.

[2] Præfert ipse Hieron. in Comment. *quam jurasti*.

Explicit liber Michææ prophetæ.

INCIPIT

LIBER NAHUM PROPHETÆ.

(*Cap.* I.) Onus Ninive.
Liber visionis Nahum Elcesæi.
Deus æmulator et ulciscens Dominus :
ulciscens Dominus, et habens furorem :
Ulciscens Dominus in hostes suos :
et irascens ipse inimicis suis.
Dominus patiens, et magnus fortitudine,
et mundans non faciet innocentem.
Dominus in tempestate et turbine via ejus,
et nebulæ pulvis pedum ejus.
Increpans mare, et exsiccans illud :
et omnia flumina ad desertum deducens.
Infirmatus est Basan, et Carmelus :
et flos Libani elanguit.
Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt:
et contremuit terra a facie ejus, et orbis, et omnes habitantes in eo.
Ante faciem indignationis ejus quis stabit?
et quis resistet in ira furoris ejus ?
Indignatio ejus effusa est ut ignis :
et petræ dissolutæ sunt ab eo.
Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis
et sciens sperantes in se.
Et in diluvio prætereunte, consummationem faciet loci ejus :
et inimicos ejus persequuntur tenebræ.
Quid cogitatis contra Dominum ?
consummationem ipse faciet :
non consurget duplex tribulatio.
Quia sicut spinæ se invicem complectuntur,
sic convivium eorum pariter potantium :
consumentur quasi stipula ariditate plena.
Ex te exivit cogitans contra Dominum malitiam:
mente pertractans prævaricationem.
Hæc dicit Dominus :
Si perfecti fuerint, et ita plures ;
sic quoque attondentur, et pertransibit :
Afflixi te,
et non affligam te ultra.
Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo,
et vincula tua disrumpam.
Et præcipiet super (*Al.* contra) te Dominus,
non seminabitur ex nomine tuo amplius.
De domo Dei tui interficiam sculptile, et conflatile,
ponam sepulcrum tuum, quia inhonoratus es.
Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem :
celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua :
Quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial:
universus interiit.
(*Cap.* II.) Ascendit qui dispergat coram te,
qui custodiat obsidionem (*Al.* in facie tua custodiens) :
Contemplare viam,
conforta lumbos,
robora virtutem valde.
Quia reddidit Dominus superbiam Jacob,
sicut superbiam Israel (*Al.* Quoniam sicut reddidit Dominus superbiæ Jacob : sic reddet superbiæ Isral) :
quia vastatores dissipaverunt eos, et propagines eorum corruperunt.
Clypeus fortium ejus ignitus,

viri exercitus in coccineis.
Igneæ habenæ currus in die præparationis ejus,
et agitatores[1] consopiti sunt :
In itineribus conturbati sunt
quadrigæ collisæ sunt in plateis :
Aspectus eorum quasi lampades,
quasi fulgura discurrentia.
Recordabitur fortium suorum,
ruent in itineribus suis :
Velociter ascendent muros ejus,
et præparabitur umbraculum.
Portæ fluviorum apertæ sunt,
et templum ad solum dirutum.
Et miles captivus abductus est :
et ancillæ ejus minabantur gementes ut columbæ,
murmurantes in cordibus suis.
Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus :
ipsi vero fugerunt :
State, state,
et non est qui revertatur.
Diripite argentum, diripiet aurum :
et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus.
Dissipata est, et scissa, et dilacerata :
et cor tabescens, et dissolutio geniculorum, et defectio in cunctis renibus :
et facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.
Ubi est habitaculum leonum,
et pascua catulorum leonum, ad quam ivit leo ut ingrederetur illuc,
catulus leonis, et non est qui exterreat?
Leo cœpit sufficienter catulis suis, et necavit leænis suis :
et implevit præda speluncas suas, et cubile suum rapina.
Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum,
et succendam usque ad fumum quadrigas tuas,
et leunculos (*Al.* catulos) tuos comedet gladius :
Et exterminabo de terra prædam tuam,
et non audietur ultra vox nuntiorum tuorum.
(*Cap.* III.) Væ, civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena :
non recedet a te rapina.
Vox flagelli, et vox impetus rotæ, et equi frementis,
et quadrigæ ferventis, et equitis ascendentis : et micantis gladii, et fulgurantis hastæ.
et multitudinis interfectæ, et gravis ruinæ :
Nec est finis cadaverum.
et corruent in corporibus suis.
Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, et gratæ, et habentis maleficia,
quæ vendidit gentes in fornicationibus suis,
et familias in maleficiis suis :
Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum,
et revelabo pudenda tua in facie tua,
et ostendam (*Al. add.* in] gentibus nuditatem tuam,
et regnis ignominiam tuam.

A Et projiciam super te abominationes,
et contumeliis te afficiam,
et ponam te in exemplum.
Et erit : omnis, qui viderit te, resiliet a te,
et dicet : Vastata est Ninive :
Quis commovebit super te caput :
unde quæram consolatorem tibi?
Nunquid melior es ab (*Al.* Amon quam) Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus?
aquæ in circuitu ejus :
cujus divitiæ, mare : aquæ, muri ejus.
Æthiopia fortitudo ejus, et Ægyptus,
et non est finis :
Aphrica et Lybies fuerent in auxilio tuo :
Sed et ipsa in transmigrationem ducta est (*Al.* transmigrationem ducitur) in captivitatem :
parvuli ejus elisi sunt (*Al.* elidentur) in capite omnium viarum,
et super inclytos ejus miserunt (*Al.* mittent) sortem,
B et omnes optimates ejus confixi sunt (*Al.* affigentur) in compedibus.
Et tu ergo inebriaberis, et eris despecta :
et tu quæres auxilium ab inimico.
Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis :
si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.
Ecce populus tuus mulieres in medio tui :
inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ,
devorabit ignis vectes tuos.
Aquam propter obsidionem hauri tibi,
exstrue munitiones tuas :
Intra in lutum, et calca,
subigens tene laterem.
Ibi comedet te ignis :
peribis, gladio devorabit te ut bruchus.
Congregare (*Al. add.* ergo) ut bruchus :
multiplicare ut locusta.
C Plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sunt cœli :
bruchus expansus est, et avolavit.
Custodes tui quasi locustæ :
et parvuli tui[2] quasi locustæ locustarum,
quæ confidunt in sepibus in die frigoris ;
Sol ortus est, et avolaverunt,
et non est cognitus locus earum ubi fuerunt.
Dormitaverunt pastores tui, rex Assur :
sepelientur principes tui :
Latitavit populus tuus in montibus (*Al.* dispersus.., super montes),
et non est qui congreget.
Non est obscura contritio tua,
pessima est plaga tua :
Omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te :
quia super quem non transiit malitia tua semper?
D

[1] Videtur S. interpres pro eo quod nunc habet Hebræus textus, verbo, והברושים, quod est, *et abietes*, legisse non usque adeo dissimili scriptura, sensus autem oppido concinniori, atque erudito, והרכבים quod est *et aurigæ*, sive *et agitatores* equorum. Liquet profecto ex contextu, archetypi lectionem obscuriorem paulo sententiam reddere, ac videri scribarum incuria, et longævi temporis vitio depravatam. Nam et LXX duxerunt licere sibi aliam substituere, aut certe aliter atque in hodierno est textu legerunt והפרשים siquidem interpretati sunt, καὶ οἱ ἱππεῖς, *et equites* ; quæ sane commoda versio est, et ad quam proxime videtur accessisse seque comformasse Hironymus.

[2] Aliter Hebræus habet וטפסריך, quod est *satrapes* ; Hieronymus similem huic vocem subtituit, vel properante oculo, vel quod ita scriptum in suo exemplari invenerit ; legit enim : טפפיך, *parvuli tui*, pro טפסריך, *strapes tui*, Thaphsar Assyriæ dignitatis est nomen, ex quo Græci satrapas suos excuderunt.

Explicit liber Nahum prophetæ.

INCIPIT

LIBER HABACUC PROPHETÆ.

(*Cap.* I.) Onus, quod vidit Habacuc propheta.
Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis?
Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem (*Al.* dolorem).
videre prædam et injustitiam contra me ?
Et factum est judicium,
et contradictio potentior,
Propter hoc lacerata est lex.
et non pervenit usque ad finem judicium :
Quia impius prævalet adversus justum,
propterea egreditur judicium perversum,
Aspicite in gentibus, et videte :
et admiramini, et obstupescite :
Quia opus factum est in diebus vestris,
quod nemo credet cum narrabitur.
Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem,
ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua.
Horribilis, et terribilis est :
et ex semetipsa judicium, et onus ejus egredietur.
Leviores pardis equi ejus :
et velociores lupis vespertinis :
Et diffundentur equites ejus :
equites namque ejus de longe venient,
volabunt quasi aquila festinans ad comedendum,
Omnes ad prædam venient,
facies eorum ventus urens :
et congregabit quasi arenam, captivitatem.
Et ipse de regibus triumphabit,
et tyranni ridiculi ejus erunt :
Ipse super omnem munitionem ridebit,
et comportabit aggerem, et capiet eam.
Tunc mutabitur spiritus, et pertransibit et corruet :
hæc est fortitudo ejus dei sui.
Nunquid non tua[1] principio, Domine Deus meus, sancte meus,
et non moriemur?
Domine, in judicium posuisti eum :
et fortem, ut corriperes, fundasti eum :
Mundi sunt oculi tui ne videas malum ;
et respicere ad iniquitatem non poteris (*Al.* potes).
Quare respicis[2] super iniqua agentes,
et taces devorante impio justiorem se?
Et facies homines quasi pisces maris,
et quasi reptile non habens principem.
Totum in hamo sublevavit,
traxit ille in sagena sua,
et congregavit in rete suum.
Super hoc lætabitur et exultabit.
Propterea immolabit sagenæ suæ,
et sacrificabit reti suo :
Quia in ipsis incrassata est pars ejus,
et cibus ejus electus.
Propter hoc ergo expandit sagenam suam,
et semper interficere gentes non parcet (*Al.* cessat).
(*Cap.* II). Super custodiam meam stabo,
et figam gradum super munitionem :
Et contemplabor, ut videam quid dicatur mihi,
A et quid respondeam ad arguentem me.
Et respondit mihi Dominus, et dixit :
Scribe visum, et explana eum super tabulas,
ut percurrat qui legerit eum.
Quia adhuc visus procul,
et apparebit in finem, et non mentientur.
Si moram fecerit expecta eum :
quia veniens veniet, et non tardabit.
Ecce qui incredulus est non erit recta anima ejus in semetipso :
Justus autem in fide sua vivet.
Et quomodo vinum potantem decipit :
sic erit vir superbus, et non decorabitur :
Qui dilatavit quasi infernus animam suam :
et ipse quasi mors, et non adimpletur :
Et congregabit ad se omnes gentes,
et coacervabit ad se omnes populos.
Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument, et loquelam ænigmatum ejus :
B et dicetur : Væ ei qui multiplicat non sua?
usquequo et aggravat contra se densum lutum?
Nunquid non repente consurgent qui mordeant te:
et suscitabuntur lacerantes te
et eris in rapinam eis?
Quia tu spoliasti gentes multas,
spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis.
propter sanguinem hominis,
et iniquitatem terræ civitatis et omnium habitantium in ea.
Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ,
ut sit in excelso nidus ejus,
et liberari se putat de manu mali.
Cogitasti confusionem domui tuæ,
concidisti populos multos, et peccavit anima tua,
Quia lapis de pariete clamabit :
et lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit :
C Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus;
et præparat urbem in iniquitate.
Nunquid non hæc a Domino sunt exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne,
et gentes in vacuum, et deficient.
Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini,
quasi aquæ operientes mare.
Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum,
et inebrians, ut aspiciat nuditatem ejus.
Repletus est ignominia pro gloria :
bibe tu quoque, et consopire :
Circumdabit te calix dexteræ Domini,
et vomitus ignominiæ super gloriam tuam.
Quia iniquitas Libani operiet te,
et vastitas animalium (*Al.* jumentorum) deterrebit eos de sanguinibus hominum, et iniquitate terræ, et civitatis.
et omnium habitantium in ea.
D Quid prodest sculptile,
quia sculpsit illud fictor suus conflatile, et imaginem falsam?
Quia speravit in figmento fictor ejus,
ut faceret simulacra muta.

[1] Vitiose legerat Martianæus *tui* pro *tua*.

[2] Nonnulli mss. et Vulgati libri, ut et ipse Hieronymus in commentario, interserunt negandi particulam : *Quare non respicis*, etc. Hebræus tamen duntaxat habet למה תביט, ad verbum. *Quare respicies*, etc.

Væ qui dicit ligno : Expergiscere;
Surge, lapidi tacenti :
nunquid ipse docere poterit ?
Ecce iste coopertus est auro et argento :
et omnis spiritus non est in visceribus ejus.
Dominus autem in templo sancto suo :
sileat a facie ejus omnis terra,

ORATIO HABACUC
PRO IGNORATIONIBUS[1].

(*Cap.* III.) Domine, audivi auditionem tuam, et timui.
Domine, opus tuum,
in medio annorum vivifica illud.
In medio annorum notum facies :
cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.
Deus ab austro veniet,
et sanctus de monte Pharan. SEMPER [1].
Operuit cœlos gloria ejus :
et laudis ejus plena est terra.
Splendor ejus ut lux erit :
Cornua in manibus ejus :
Ibi abscondita est fortitudo ejus :
ante faciem ejus ibit mors.
Et egredietur diabolus ante pedes ejus.
Stetit, et mensus est terram.
Aspexit, et dissolvit gentes :
et contriti sunt montes sæculi.
Incurvati sunt colles mundi,
ab itineribus æternitatis ejus.
Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ,
turbabuntur pelles terræ Madian.
Nunquid in fluminibus iratus es, Domine ?
aut in fluminibus furor tuus ?
vel in mari indignatio tua ?
Quia ascendes super equos tuos :
et quadrigæ tuæ salvatio.
Suscitans suscitabis arcum tuum,
A juramenta tribubus quæ locutus es. SEMPER.
Fluvios scindes terræ :
viderunt te, et doluerunt montes :
gurges aquarum transiit.
Dedit abyssus vocem suam :
altitudo manus suas levavit.
Sol et luna steterunt in habitaculo suo,
in luce sagittarum tuarum ibunt
in splendore fulgurantis hastæ tuæ.
In fremitu conculcabis terram :
in furore obstupefacies gentes,
Egressus es in salutem populi tui,
in salutem cum Christo tuo.
Percussisti caput de domo impii
denudasti fundamentum usque ad collum. SEMPER.
Maledixisti sceptris ejus,
capiti bellatorum ejus,
venientibus ut turbo ad dispergendum me.
Exsultatio eorum,
B sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito
Viam fecisti in mari equis tuis,
in luto aquarum multarum.
Audivi, et conturbatus est venter meus.
ad vocem (*Al.* a voce) contremuerunt labia mea.
Ingrediatur putredo in ossibus meis,
et subter me scateat.
Ut requiescam in die tribulationis [2]
ut ascendam ad populum accinctum nostrum.
Ficus enim non florebit :
Et non erit germen in vineis.
Mentietur opus olivæ :
et arva non afferent cibum.
Abscindetur de ovili pecus :
et non erit armentum in præsepibus
Ego autem in Domino gaudebo :
et exsultabo in Deo Jesu meo.
Deus Dominus fortitudo mea :
et ponet pedes meos quasi cervorum.
C Et super excelsa mea deducet me victor,
in Psalmis canentem

[1] Palatin. ms. *pro ignorantibus ;* alii quidam *pro ignorantiis*. Notatum quoque Rabbano, LXX loco *Pro ignorationibus*, legere *cum cantico. Sed melius*, inquit, *juxta Hebraicam veritatem legitur : Oratio Habacuc prophetæ pro ignorationibus.* Sic ipse Hieronymus in Commentario, et luculentius in fine Dialogi primi contra Pelagian. : « Habacuc propheta Canticum suum hoc inscribit titulo : *Oratio Habacuc prophetæ pro ignorationibus.* » Verbum Hebraicum שגיונות, quod illi respondet, quid proprie significet, ignorare se interpretes profitentur. Licet vero illud satis commode derivare a שגה, radice quæ sonat *errare*, *oberrare*, aut etiam ignoratione labi. Hinc שגיון, cantio dicitur erratica seu vaga, et mista : pluralis autem ejus numerus, hic ipse est שגיונות.

[2] Canon San-Germanensis retinet hic in Oratione Habacuc *Diapsalma* LXX interpretum ; At Canon Carcassonensis *semper* habet cum aliis mss. sacrorum Bibliorum exemplaribus. De Diapsalmate, quod Hebraice dicitur סלה *Selu*, plenius disputatum est in Psalterio, inquit sanctus Hieronymus. Vide Commentaria ejusdem S. Doctoris in hunc locum, et epistolas ad Marcellam scriptas. MART.

Prius istud, et quod proxime sequitur, *Semper*, Palatin. ms. cum Vulgatis libris prætermittit. Nec tamen, quod alii autumant, fuisse eam vocem abs Hieronymo neglectam utpote otiosam, arbitramus.

[3] Palatin ms. atque ipse in commentar. Hieron. addunt hic, *meæ*, pronomen, quod reticet Hebræus textus.

Explicit liber Habacuc prophetæ.

INCIPIT

LIBER SOPHONIÆ PROPHETÆ.

(*Cap.* I.) Verbum Domini, quod factum est ad Sophoniam, filium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ [1], filii Ezechiæ,
In diebus Josiæ filii Ammon regis Judæ.
D Congregans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus :
Congregans hominem et pecus,
congregans volatile cœli et pisces maris :

[1] *Amasiam* pro *Amaria* errore exscriptorum positum reperimus in utroque exemplari canonis MART.

Et ruinæ impiorum erunt :
et disperdam homines a facie terræ, dicit Dominus.
Et extendam manum meam super Judam,
et super omnes habitantes Jerusalem :
Et disperdam de loco hoc reliquias Baal,
et nomina ædituorum cum sacerdotibus :
Et eos qui adorant super tecta militiam cœli,
et adorant, et jurant in Domino,
et jurant in Melchom.
Et qui avertuntur de post tergum Domini,
et qui non quæsierunt Dominum nec investigaverunt eum,
Silete a facie Domini Dei ;
quia juxta est dies Domini,
quia præparavit Dominus hostiam,
sanctificavit vocatos suos.
Et erit :
In die hostiæ Domini, visitabo super principes, et super filios regis,
et super omnes, qui induti sunt veste peregrina:
Et visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur
super limen in die illa :
qui complent domum Domini Dei sui iniquitate et dolo.
Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris a porta piscium.
et ululatus a Secunda,
et contritio magna a collibus.
Ulalute, habitatores Pilæ :
conticuit omnis populus Chanaan,
disperierunt omnes involuti argento.
Et erit in tempore illo :
scrutabor Jerusalem in lucernis :
Et visitabo super viros defixos in fæcibus suis : qui dicunt in cordibus suis :
Non faciet bene Dominus, et non faciet male.
Et erit fortitudo eorum in direptionem,
et domus eorum in desertum :
Et ædificabunt domos, et non habitabunt :
et plantabunt vineas, et non hibent vinum earum.
Juxta est dies Domini magnus,
juxta est et velox nimis :
Vox diei Domini amara,
tribulabitur ibi fortis.
Dies iræ, dies illa,
dies tribulationis et angustiæ,
dies calamitatis et miseriæ,
dies tenebrarum et caliginis
dies nebulæ et turbinis ;
Dies tubæ et clangoris super civitates munitas,
et super angulos excelsos.
Et tribulabo homines,
et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt:
Et effundetur sanguis eorum, sicut humus,
et corpora eorum sicut stercora.
Sed et argentum eorum, et aurum eorum
non poterit liberare eos in die furoris Domini [1] :
In igne zeli ejus devorabitur omnis terra,
quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terra.
(*Cap.* II.) Convenite, et congregamini, gens non amabilis :
Priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem,
ante quam veniat super vos ira furoris Domini,
A antequam veniat super vos dies furoris (*Al.* ira indignationis) Domini.
Quærite Dominum, omnes mansueti terræ, qui judicium estis operati :
quærite justum, quærite mansuetum :
si quo modo abscondamini in die furoris Domini.
Quia Gaza destructa erit,
et Ascalon in desertum,
Azotum in meridie ejicient,
et Accaron eradicabitur.
Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum:
Verbum Domini super vos, Chanaan, terra Philistinorum,
et disperdam te, ita ut non sit inhabitator,
Et erit funiculus maris requies pastorum,
et caulæ peccorum :
Et erit funiculus ejus, qui remanserit de domo Juda :
ibi pascentur,
B in domibus Ascalonis ad vesperam requiescent:
Quia visitabit eos Dominus Deus eorum,
et avertet captivitatem eorum,
Audivi opprobium Moab, et blasphemias filiorum Ammon :
quæ exprobraverunt populo meo,
et magnificati sunt super terminos eorum,
Propterea vivo ego, dicit Dominus (*Al. add.* Deus) exercituum Deus Israel,
quia Moab ut Sodoma erit,
et filii Ammon quasi Gomorrha ;
Siccitas spinarum, et acervi salis,
et desertum usque in æternum :
Reliquiæ populi mei deripient eos,
et residui gentis meæ possidebunt illos.
Hoc eis eveniet pro superbia sua :
quia blasphemaverunt, et magnificati sunt super populum Domini exercituum.
Horribilis Dominus super eos,
C et attenuabit omnes deos terræ :
Et adorabunt eum viri de loco suo,
omnes insulæ gentium.
Sed et vos, Æthiopes,
interfecti gladio meo eritis.
Et extendet manum suam super aquilonem,
et perdet Assur :
Et ponet speciosam in solitudinem,
et in invium, et quasi desertum.
Et accubabunt in medio ejus greges,
omnes bestiæ gentium :
Et onocrotalus et ericius in liminibus ejus morabuntur :
vox cantantis in fenestra,
corvus in superliminari,
quoniam attenuabo robur ejus.
Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia :
quæ dicebat in corde suo : Ego sum,
et extra me non est alia amplius :
D Quomodo facta est in desertum cubile bestiæ?
Omnis qui transit per eam, sibilabit,
et movebit manum suam.
(*Cap.* III.) Væ, provocatrix [2], et redempta civitas columba.
Non audivit vocem, et non suscepit disciplinam ;
In Domino non est confisa,
ad Deum tuum non appropinquavit.
Principes ejus in medio ejus
quasi leones rugientes :
Judices ejus lupi vespere,

[1] Canonis exemplaria addunt nomen *iræ*, *in die iræ furoris Domini*, sed superfluum est. MART.

[2] Nemo, qui Hebraice nonnihil sciat, dubitabit pro eo quod scriptum in archetypo est מוראה, et *spectata* seu *famosa*, atque *illustris* dicitur, lectum abs Hieronymo, una minus litterula, מורה, aut מרה. *quod est, provocatrix, contumax*, sive *exacerbans*, ac meliorem fortasse reddit sententiam. Porro ipsum hoc velim summæ ejus eruditioni, atque Hebræi sermonis peritiæ tribui : neque enim qui eum præcesserunt Græci alii interpretes, certe non LXX, qui vertunt ἐπιφανής, facem ei, ad reformandam Hebræi textus lectionem, prætulerunt.

non relinquebant in mane.
Prophetæ ejus vesani,
veri infideles :
Sacerdotes ejus polluerunt sanctum,
injuste egerunt contra legem.
Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem : mane, mane judicium suum dabit in lucem, et non abscondetur ;
Nescivit autem iniquus confusionem.
Disperdidit gentes, et dissipati sunt anguli earum ; desertas feci vias eorum, dum non est qui transeat :
desolatæ sunt civitates eorum, non remanente viro, nec ullo habitatore.
Dixi : Attamen timebis me, suscipies disciplinam : et non peribit habitaculum ejus, propter omnia in quibus visitavi eam :
Verumtamen diluculo surgentes
corruperunt omnes cogitationes suas.
Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum,
quia judicium meum ut congregem gentes, et colligam regna :
Et effundam super eos (*Al.* Ut.... eas) indignationem meam, omnem iram furoris mei :
In igne enim zeli mei
devorabitur omnis terra.
Quia tunc reddam populis labium electum,
ut invocent omnes in nomine (*Al.* nomen) Domini,
et serviant ei humero uno.
Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei,
filii dispersorum meorum, deferunt munus mihi:
In die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis,
quibus prævaricata es in me :
Quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ,
et non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo,
Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum,
et sperabunt in nomine Domini.
Reliquiæ Israel non facient iniquitatem,
nec loquentur mendacium,
et non invenietur in ore eorum lingua dulosa.
Quoniam ipsi pascentur et accubabunt,
et non erit qui exterreat.
Lauda, filia Sion :
jubilate, Israel [1] :
lætare, et exsulta in omni corde, filia Jerusalem.
Abstulit Dominus judicium tuum,
avertit inimicos tuos :
Rex Israel Dominus in medio tui,
non timebis malum ultra.
In die illa dicetur Jerusalem : Noli timere,
Sion, non dissolvantur manus tuæ.
Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit;
gaudebit super te in lætitia,
silebit in dilectione sua [2] (*Al.* tua),
exsultabit super te in laude.
Nugas, qui a lege recesserant, congregabo, quia ex te erant,
ut non ultra habeas super eis opprobrium.
Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in tempore illo ;
et salvabo claudicantem ;
et eam, quæ ejecta fuerat, congregabo :
Et ponam eos in laudem, et in nomen, in omni terra confusionis eorum :
In tempore illo, quo adducam vos ;
et in tempore, quo congregabo vos.
Dabo enim vos in nomen et in laudem omnibus populis terræ,
cum convertero captivitatem vestram.
coram oculis vestris, dicit Dominus.

[1] Vulgati, *Jubila, Israel :* plurium autem numero in Hebræo est חדיעו, *Jubilate :* unus penes Martian. ms. *Jubila tu.*

[2] Tria exemplaria mss. *in dilectione tua.* Pronomen quoque secundæ personæ retinet editus textus sacer in Commentariis Hieronymianis; quod tamen stare non potest cum ipsa expositione S. Doctoris, ubi ait : *Et hæc faciet in dilectione sua, non tuo merito, sed misericordia sua.* MART.

Explicit liber Sophoniæ prophetæ.

INPICIT

LIBER AGGÆI PROPHETÆ.

(*Cap.* I.) In anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis,
Factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ,
ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Juda,
et ad Jesum, filium Josedec, sacerdotem magnum, dicens :
Hæc ait Dominus exercituum, dicens :
Populus iste dicit :
Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.
Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens :
Nunquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta ?
Et nunc hæc dicit Dominus exercituum ;
Ponite corda vestra super vias vestras,
Seminastis multum, et intulistis parum :
comedistis, et non estis saliati :
bibistis, et non estis inebriati :
operuistis vos, et non estis calefacti
et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.
Hæc dicit Dominus exercituum :
Ponite corda vestra super vias vestras :
Ascendite in montem, portate lignum, et ædificate domum :
et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus.
Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus et intulistis in domum, et exsuffiavi illud :
Quam ob causam ? dicit Dominus exercituum ;
quia domus mea deserta est,
et vos festinatis unusquisque in domum suam.
Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem,
et terra prohibita est (*Al.* continuit germen\, ne

daret germen suum :
Et vocavi siccitatem [1] super terram, et super montes,
et super triticum, et super vinum, et super oleum,
et quæcunque profert humus,
et super homines, et super jumenta,
et super omnem laborem manuum.
Et audivit Zorobabel filius Salathiel, et Jesus filius Josedec sacerdos magnus,
et omnes reliquiæ populi,
vocem Domini [*Al. tac.* Domini] Dei sui, et verba Aggæi prophetæ,
sicut misit eum Dominus Deus eorum ad ipsos;
et timuit populus a facie Domini :
Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini, populo dicens :
Ego vobiscum sum, dicit Dominus.
Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel filii Salathiel, ducis Juda,
et spiritum Jesu filii Josedec sacerdotis magni,
et spiritum reliquorum de omni populo :
et ingressi sunt,
et faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui.
(*Cap.* II.) In die vicesima et quarta mensis, in sexto mense,
in anno secundo Darii regis.
In septimo mense, vicesima et prima mensis,
factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens :
Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Juda,
et ad Jesum filium Josedec sacerdotem magnum,
et ad reliquos populi, dicens :
Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima?
et quid vos videtis hanc nunc?
nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?
Et nunc confortare, Zorobabel, dicit Dominus :
et confortare, Jesu, fili Josedec sacerdos magne,
et confortare, omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum :
Et facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum)
verbum quod pepigi vobiscum cum egrederemini de terra Ægypti :
Et spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere.
Quia hæc dicit Dominus exercituum :
Adhuc unum modicum est,
et ego commovebo cœlum, et terram, et mare, et aridam.
Et movebo omnes gentes :
Et veniet desideratus cunctis gentibus :
et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.
Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum.
Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum :

A et in loco ipso dabo pacem, dicit Dominus exercituum.
In vicesima et quarta noni mensis, in anno secundo Darii regis [2],
factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens :
Hæc dicit Dominus exercituum :
Interroga sacerdotes legem, dicens :
Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui,
et tetigerit de summitate ejus panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum :
nunquid sanctificabitur?
Respondentes autem sacerdotes,
dixerunt : Non.
Et dixit Aggæus :
Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, nunquid contaminabitur?
B Et responderunt sacerdotes,
et dixerunt : Contaminabitur.
Et respondit Aggæus, et dixit :
Sic populus iste, et sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus,
et sic omne opus manuum eorum :
Et omnia quæ obtulerint ibi,
contaminata erunt.
Et nunc ponite corda vestra a die hac et supra,
antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini.
Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, et fierent decem :
intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, et fiebant viginti.
Percussi vos vento urente, et aurigine, et grandine omnia opera manuum vestrarum :
et non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dicit Dominus.
C Ponite corda vestra ex die ista et in futurum,
a die vicesima et quarta noni mensis :
A die, qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum.
Nunquid jam semen in germine est,
et adhuc vinea, et ficus, et malogranatum, et lignum olivæ non floruit?
ex die ista benedicam.
Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vicesima et quarta mensis, dicens,
Loquere ad Zorobabel ducem Juda, dicens,
Ego mobebo cœlum pariter et terram.
Et subvertam solium regnorum.
et conteram fortitudinem regni gentium,
Et subvertam quadrigam, et ascensorem ejus,
et descendent equi, et ascensores eorum :
vir in gladio fratris sui.
In die illa dicit Dominus exercituum,
assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus,
D dicit Dominus :
Et ponam te quasi signaculum,
quia te elegi, dicit Dominus exercituum.

[1] Audiendus hoc loco S. ipse Interpres in Commentario : Pro *siccitate*, inquit, LXX ῥομφαιαν, id est, *gladium* transtulerunt, sed in Hebraico tribus litteris scriptum reperi, *hhethires beth*, quod si *hhareb* legimus, *gladium* sonat; si *oreb*, καύσωνα, quod nos transtulimus, *siccitatem;* licet melius in urentem ventum transferri possit. Et revera quoniam sermo de terra est, et agrorum sterilitat magis mihi videtur ventus urens in præsenti loc intelligi quam gladius, » etc.

[2] Non addit Hebræus textus *regis*, quod nomen neque ipse in Commentariis Hieronymus hic novit.

Explicit liber Aggæi prophetæ.

INCIPIT

LIBER ZACHARIÆ PROPHETÆ.

(*Cap.* I.) In mense octavo, in anno secundo Darii, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ, filii [*Al.* filium] Addo, prophetam, dicens :
Iratus est Dominus super patres vestros iracundia.
Et dices ad eos :
Hæc dicit Dominus exercituum :
Convertimini ad me, ait Dominus exercituum :
et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.
Ne sitis sicut patres vestri,
ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes :
Hæc dicit Dominus exercituum :
Convertimini de viis vestris malis, et de cogitationibus vestris pessimis :
et non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus.
Patres vestri ubi sunt ?
et prophetæ nunquid in sempiternum vivent ?
Veruntamen verba mea, et legitima mea, quæ mandavi servis meis prophetis,
nunquid non comprehenderunt patres vestros,
et conversi sunt, et dixerunt :
Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras.
et secundum adinventiones nostras, fecit nobis?
In die vicesima et quarta undecimi mensis Sabath, in anno secundo Darii,
factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ, filii Addo, prophetam, dicens :
Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum,
et ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo :
et post eum equi rufi, varii, et albi.
Et dixi :
Quid sunt isti, domine mi?
Et dixit ad me Angelus qui loquebatur in me :
Ego ostendam tibi quid sint hæc.
Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, et dixit:
Isti sunt, quos misit Dominus, ut perambulent [*Al.* perambularent] terram.
Et responderunt angelo Domini, qui stabat inter myrteta, et dixerunt :
Perambulavimus terram,
et ecce omnis terra habitatur, et quiescit.
Et respondit angelus Domini, et dixit :
Domine exercitnum, usquequo tu non misereberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es ?
Iste septuagesimus annus est.
Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba bona,
verba consolatoria.
Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me :
Clama, dicens :
Hæc dicit Dominus exercituum :
Zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno,
Et ira magna ego irascor super gentes opulentas :
Quia ego iratus sum parum,
ipsi vero adjuverunt in malum.
Proptera hæc dicit Dominus :
Revertar ad Jerusalem in misericordiis :
Et domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum :
et perpendiculum extendetur super Jerusalem.
Adhuc clama, dicens :
Hæc dicit Dominus exercituum :
Adhuc effluent civitates meæ bonis :
et consolabitur Dominus adhuc Sion,
et eliget adhuc Jerusalem.
Et levavi oculos meos, et vidi :
et ecce quatuor cornua.
Et dixi ad angelum, qui loquebatur in me :
Quid sunt hæc ?
et dixit ad me :
Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam, et Israel, et Jerusalem.
Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros.
Et dixi :
Quid isti veniunt facere ?
Qui ait, dicens :
Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam per singulos viros,
et nemo eorum levavit caput suum :
Et venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu super terram Juda ut dispergerent eam.
(*Cap.* II.) Et levavi oculos meos, et vidi :
et ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum.
Et dixi :
Quo tu vadis ?
Et dixit ad me :
Ut metiar Jerusalem,
et videam quanta sit latitudo ejus,
et quanta longitudo ejus.
Et ecce angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur,
et angelus alius egrediebatur in occursum ejus.
Et dixi ad eum :
Curre, loquere ad puerum istum, dicens :
Absque muro habitabitur Jerusalem,
præ multitudine hominum et jumentorum in medio ejus.
Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu :
et in gloria ero in medio ejus.
O, o fugite de terra aquilonis, dicit Dominus [1] :
quoniam in quatuor ventos cœli dispersi vos, dicit Dominus.
O Sion,
fuge [*Al.* surge], quæ habitas apud filiam Babylonis :
Quia hæc dicit Dominus exercituum :
Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos :
Qui enim tetigerit vos,
tangit pupillam oculi mei [2] :
Quia ecce levo manum meam super eos,

[1] Post hæc verba, aliud comma additum legitur in exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis : *Ex quatuor ventis cœli colligam vos :* quod quidem in contextu prima manu positum invenimus in ms. San-Germanensi ; in Carcassonensi vero supra contextum et secunda manu. MART.

[2] Cum Hebræus textus עינו tum illo pressius S. Interpres in Commentario, *oculi ejus* præferunt.

et erunt prædæ his qui serviebant sibi :
et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.
Lauda, et lætare, filia Sion:
quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus.
Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa,
et erunt mihi in populum :
Et habitabo in medio tui :
et scies quia Dominus exercituum misit me ad te.
Et possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata ;
et eliget adhuc Jerusalem.
Sileat omnis caro a facie Domini :
quia consurrexit de habitaculo sancto tuo.
(*Cap.* III.) Et ostendit mihi Dominus (*Al. tac.* Dominus) Jesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini :
et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei.
Et dixit Dominus ad Satan :
Increpet Dominus in te, Satan :
Et increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem :
Nunquid non iste torris est erutus de igne?
Et Jesus erat indutus vestibus sordidis?
et stabat ante faciem angeli.
Qui respondit, et ait ad eos qui stabant coram se, dicens :
Auferte vestimenta sordida ab eo.
Et dixit ad eum :
Ecce abstuli a te iniquitatem tuam,
et indui te mutatoriis,
Et dixit :
Ponite cidarim mundam super caput ejus.
Et posuerunt cidarim mundam super caput ejus,
et induerunt eum vestibus ;
et angelus Domini stabat.
Et contestabatur angelus Domini Jesum, dicens :
Hæc dicit Dominus exercituum :
Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodieris :
tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea,
et dabo tibi ambulantes de his, qui nunc his assistunt.
Audi, Jesu, sacerdos magne,
tu et amici tui, qui habitant coram te,
quia viri portendentes sunt.
Ecce enim ego : Adducam servum meum orientem.
Quia ecce lapis, quem dedi coram Jesu :
super lapidem unum septem oculi sunt :
Ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum :
et auferam iniquitatem terræ illius in die una.
In die illa, dicit Dominus exercituum,
vocabit vir amicum suum subter vineam
et subter ficum.
(*Cap.* IV.) Et reversus est angelus, qui loquebatur in me,
et suscitavit me, quasi virum qui suscitatur de somno suo.
Et dixit ad me :
Quid tu vides?
Et dixi :

A vidi et ecce candelabrum aureum totum,
et lampas ejus super caput ipsius,
et septem lucernæ ejus super illud :
et septem [1] infusoria lucernis, quæ erant super caput ejus.
Et duæ olivæ super illud :
una a dextris lampadis, et una a sinistris ejus,
Et respondi, et aio ad angelum, qui loquebatur in me, dicens :
Quid sunt hæc, domine mi?
Et respondit angelus, qui loquebatur in me, et dixit ad me :
Nunquid nescis quid sunt hæc?
Et dixi :
Non, domine mi.
Et respondit, et ait ad me, dicens :
Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens :
Non in exercitu, neque in robore [2],
sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum,
B Quis tu, mons magne, coram Zorobabel in planum?
Et educet lapidem primarium,
et exæquabit gratiam gratiæ ejus.
Et factum est verbum Domini ad me, dicens :
Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam :
et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos.
Quis enim despexit dies parvos?
et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel.
Septem isti oculi (*Al. add.* sunt) Domini,
qui discurrunt in universam terram.
Et respondi, et dixi ad eum :
Quid sunt duæ olivæ istæ, ad dexteram candelabri, et ad sinistram ejus?
Et respondi secundo, et dixi ad eum :
Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta
C duo rostra aurea,
in quibus sunt suffusoria ex auro?
Et ait ad me, dicens :
Nunquid nescis quid sunt hæc?
Et dixi :
Non, domine mi.
Et dixit :
Isti sunt duo filii olei qui assistunt Dominatori universæ terræ.
(*Cap.* V.) Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi,
et ecce volumen volans.
Et dixit ad me :
Qui tu vides?
Et dixi :
Ego video volumen volans :
longitudo ejus viginti cubitorum,
et latitudo ejus decem cubitorum.
Et dixit ad me :
D Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ
Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur :
et omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur :
Educam illud, dicit Dominus exercituum
et veniet ad domum furis.
et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter :
Et commorabitur in medio domus ejus,
et consumet eam, et ligna ejus, et lapides ejus,
Et egressus est angelus, qui loquebatur in me :

[1] Rectius videtur S. ipse interpres in Commentario bis *septem*, legere : *Septem et septem infusoria*, etc. Sic nempe in ipso est Hebraico exemplari שבעה ושבעה מוצקות ad verbum *septem et septem infusoria*, etc. Fortasse autem ad Græcæ versionis normam, ubi semel est, καὶ ἑπτὰ ἐπαρυστρίδες, hic quoque positum est semel.

[2] Solidus hic versus, *Non in exercitu, nec in robore :* in Martianæi editione decrat, Quem quidem typographorum facile puto esse lapsum, cujus generis tametsi plures occurrerint, nullum fere indicavimus ad destinandam ejus nominis invidiam, cum satis fuit lectori emendasse. Hunc vero ea de causa notamus, ut si qua nostræ etiam editioni typographica menda insederint, det veniam, qui graviora interdum peccasse Parisiensem typographum scierit.

et dixit ad me :
Leva oculos tuos,
et vide quid est hoc, quod egreditur,
Et dixi :
Quidnam est?
Et ait :
Hæc es amphora egrediens :
Et dixit :
Hæc est oculus eorum in universa terra.
Et ecce talentum plumbi portabatur,
et ecce mulier una sedens in medio amphoræ.
Et dixit :
Hæc est impietas.
Et projecit eam in medio amphoræ,
et misit massam plumbeam in os ejus.
Et levavi oculos meos, et vidi :
et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum,
et habebant alas quasi alus milvi :
et levaverunt amphoram inter terram et cœlum.
Et dixi ad angelum, qui loquebatur in me :
Quo istæ deferunt amphoram?
Et dixit ad me :
Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar,
et stabiliatur, et ponatur ibi super basem suam.
(*Cap.* VI.) Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi :
et ecce quatuor quadrigæ egredientes de (*Al.* in) medio duorum montium :
et montes, montes ærei.
In quadriga prima equi rufi,
et in quadriga secunda equi nigri,
et in quadriga tertia equi albi,
et in quadriga quarta equi varii fortes.
Et respondi, et dixi ad angelum, qui loquebatur in me :
Qui sunt hæc, domini mi?
Et respondit angelus, et ait ad me :
Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur, ut stent coram Dominatore omnis terræ.
In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram aquilonis :
et albi egressi sunt post eos :
et varii egressi sunt ad terram austri.
Qui autem erant robustissimi, exierunt,
et quærebant ire et discurrere per omnem terram.
Et dixit :
Ite, perambulate terram :
et perambulaverunt terram :
Et vocavit me, et locutus est ad me dicens ;
Ecce qui egrediuntur in terram aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra aquilonis.
Sume a transmigratione, ab Holdai, et a Tobia, et ab Idaia ;
Et venies tu in die illa,
et intrabis domum Josiæ, filii Sophoniæ, qui venerunt de Babylone,
Et sumes argentum, et aurum :
et facies coronas, et pones in capite Jesu, filii Josedec, sacerdotiis magni ;
et loqueris ad eum dicens :
Hæc ait Dominus exercituum, dicens;
Ecce vir oriens nomen ejus :
et subter eum orietur, et ædificabit templum Domino.
Et ipse estruet templum Domino :
et ipse portabit gloriam,
et sedebit, et dominabitur super solio suo :
Et erit sacerdos super solio suo,
et consilium pacis erit inter illos duos.
Et coronæ erunt Helem, et Tobiæ et Idaiæ[1] et Hen, filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.
Et qui procul sunt, venient, et ædificabunt in templo Domini :
et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos.
Erit autem hoc,
si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.
(*Cap.* VII.) Et factum est in anno quarto Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam,
in quarta mensis noni, qui est Casleu.
Et miserunt ad domum Dei, Sarasar, et Rogommelech, et viri qui erant cum eo.
ad deprecandam faciem Domini :
Ut dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum, et prophetis, loquentes :
Nunquid flendum mihi et in quinto mense,
vel sanctificare me debeo, sicut feci jam multis annis?
Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens :
Loquere ad omnem populum terræ, et ad sacerdotes, dicens :
Cum jejunaretis, et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos :
nunquid jejunium jejunastis mihi?
Et cum comedistis et bibistis ;
nunquid non vobis comedistis, et vobismetipsis bibistis?
Numquid non sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum,
cum adhuc Jerusalem habitaretur, et esset opulenta,
ipsa et urbes (*Al. add.* illius) in circuitu ejus, et ad austrum, et in campestribus habitaretur?
Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens:
Hæc ait Dominus exercituum, dicens :
Judicium verum judicate,
et misericordiam et miserationes facite, unusquisque cum fratre suo.
Et viduam et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari :
et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo.
Et noluerunt attendere, et verterunt scapulam recedentem[2],
et aures suas aggravaverunt, ne audirent.
Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem,
Et verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum,
et facta est indignatio magna a Domino exercituum.
Et factum est sicut locutus est, et non audierunt :
sic clamabunt, et non exaudiam, dicit Dominus exercituum.
Et dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt :
et terra desolata est ab eis, eo quod non esset

[1] Propria hæc nomina, *Helemo, Tobiæ, Idaiæ*, etc. לחלם ולטוביה ולידעיה, etc., Septuaginta interpretes juxta Hebraicam etymologiam transferunt τοῖς ὑπομένουσιν, καὶ τοῖς χρησίμοις αὐτῆς, καὶ τοῖς ἐπεγνωκόσιν αὐτήν, etc. Quod igitur in uno alterove ms. invenit Martianæus hic aditum. *eis qui sustinent*, etc., glossema est nominis *Helem* ex septuaginta derivatum, ac pridem, ut videtur, ascriptum in libri margine, deinde intrusum temere in textum.

[2] Ita Canon San Germanensis noster cum aliis omnibus mss. codicibus sacrorum Bibliorum, uno excepto Carcassonensi, qui legit *averterunt* : contra quod S. Hieronymus docuit lib. II. Comment. in Zachariam, dicens : « Cum ergo ista præceperim, illi attendere noluerunt, et verterunt *scapulam recedentem*, sive dorsum contemnens; ex habitu corporis mea imperia respuentes. Solemus enim quando, rugata fronte et nare contracta, contemnimus admonentes, dorsum vertere, juxta illud quod scriptum est : Verterunt ad me dorsa et non facies suas, etc. » MART.

transiens et revertens :
et posuerunt terram desiderabilem in desertum.
(*Cap.* VIII.) Et factum est verbum Domini exercituum, dicens :
Hæc dicit Dominus exercituum :
Zelatus sum Sion zelo magno,
et indignatione magna zelatus sum eam.
Hæc dicit Dominus exercituum :
Reversus sum ad Sion, et habitabo in medio Jerusalem :
et vocabitur Jerusalem civitas veritatis,
et mons Domini exercituum mons sanctificatus.
Hæc dicit Dominus exercituum :
Adhuc habitabunt senes et anus in plateis Jerusalem:
et vir, baculus in manu ejus præ multitudine dierum [1].
Et plateæ civitatis complebuntur infantibus et puellis ludentibus in plateis ejus.
Hæc dicit Dominus exercituum :
Si difficile videbitur in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis,
nunquid in oculis meis difficile erit ? dicit Dominus exercituum.
Ecce ego salvabo populum meum de terra orientis, et de terra occasus solis.
Et adducam eos, et habitabunt in medio Jerusalem:
et erunt mihi in populum,
et ego ero eis in veritate et justitia.
Hæc dicit Dominus exercituum :
Confortentur manus vestræ, qui auditis in diebus his sermones istos per os prophetarum,
in die qua fundata est domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur,
Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces jumentorum erat ;
Neque introeunti et exeunti erat pax præ tribulatione,
et dimisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum.
Nunc autem non juxta dies priores ego faciam reliquiis populi hujus, dicit Dominus exercituum,
sed semen pacis erit :
Vinea dabit fructum suum,
et terra dabit germen suum,
et cœli dabunt rorem suum,
et possidere faciam reliquias populi hujus universa hæc.
Et erit :
sicut eratis maledictio in gentibus, domus Juda et domus Israel :
sic salvabo vos, et eritis benedictio.
Nolite timere,
confortentur manus vestræ.
Quia hæc dicit Dominus exercituum :
Sicut cogitavi, ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocassent me patres vestri, dicit Dominus,
et non sum misertus.
Sic conversus cogitavi in diebus istis, ut benefaciam et Jerusalem, et domui Juda :
nolite timere.
Hæc sunt ergo verba, quæ facietis.
Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo :
veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris,
Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris :
et juramentum mendax ne diligatis ;
omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.
Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens :
Hæc dicit Dominus exercituum :
Jejunium quarti
et jejunium quinti
et jejunium septimi,
et jejunium decimi,
et erit domui Juda in gaudium et lætitiam,
et in solemnitates præclaras :
Veritatem tantum et pacem diligite.
Hæc dicit Dominus exercituum :
Usquequo veniant populi,
et habitent in civitatibus multis,
et vadant habitatores, unus ad alterum, dicentes :
Eamus, et deprecemur faciem Domini,
et quæramus Dominum exercituum ;
vadam etiam ego.
Et veniunt populi multi, et gentes robustæ,
ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, et deprecandam faciem Domini.
Hæc dicit Dominus exercituum :
In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium,
et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes:
Ibimus vobiscum,
audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.
(*Cap.* IX.) Onus verbi Domini in terra Adrach,
et Damasci requiei ejus :
quia Domini est oculus hominis, et omnium tribuum Israel.
Emath quoque in terminis ejus, et Tyrus, et Sidon :
assumpserunt quippe sibi sapientiam valde.
Et ædificavit Tyrus munitionem suam,
et coacervavit argentum quasi humum, et aurum ut lutum platearum.
Ecce Dominus possidebit ea,
et percutiet in mari fortitudinem ejus,
et hæc igni devorabitur.
Videbit Ascalon et timebit,
et Gaza, et dolebit nimis,
et Accaron, quoniam confusa est spes ejus
Et peribit rex de Gaza,
et Ascalon non habitabitur,
Et sedebit separator in Azoto,
et disperdam superbiam Philistinorum.
Et auferam sanguinem ejus de ore ejus.
et abominationes ejus de medio dentium ejus.
Et relinquetur etiam ipse Deo nostro,
et erit quasi dux in Juda,
et Accaron quasi Jebusæus.
Et circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes et revertentes,
et non transibit ultra super eos exactor : quia nunc vidi in oculis meis.
Exsulta satis, filia Sion,

[1] Phrasis Hebræa, quam retinent Canon Ecclesiæ Carcassonensis, et ms. codex Commentariorum S. Hieronymi in minores prophetas, qui tam admirabili diligentia exscriptus est, ut totum contextum sacrum minorum prophetarum, quos complectitur, prius secundum veritatem Hebraicam, dein secundum LXX Interpretum translationem, in fronte librorum repræsentet. Egregium istud exemplar manuscriptum ad nos transmissum est e monasterio nostro S. Albini Andegavensis, ubi exstat adhuc non exigua ms. voluminum copia, quæ labores antiquorum monachorum, ad invidiam prodat oblocutorum hujus temporis. At ut ad superiora redeamus, sensus videtur liquidior in aliis mss. codicibus, legunt enim : *Et viri baculus in manu ejus præ multitudine dierum.* Quod minus sapit Hebraicum idioma quam, *hic vir, baculus in manu ejus*, etc. Id vero juxta proprietatem linguæ Latinæ significat, quod unusquisque tenebit baculum in manu sua præ dierum multitudine. MART.

jubila, filia Jerusalem
Ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvator :
ipse pauper, et ascendens super asinum, et super pullum filium asinæ.
Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem,
et dissipabitur arcus belli.
Et loquetur pacem gentibus,
et potestas ejus a mari usque ad mare,
et a fluminibus usque ad fines terræ.
Tu quoque in sanguine testamenti tui,
emisisti vinctos tuos de lacu (*Al.* in lacum), in quo non est (*Al.* erat) aqua [1].
Convertimini ad munitionem vincti spei,
hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.
Quoniam extendi mihi Judam quasi arcum,
implevi Ephraim :
Et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia :
et ponam te quasi gladium fortium.
Et Dominus Deus super eos videbitur,
et exibit ut fulgur jaculum ejus :
Et Dominus Deus in tuba canet,
et vadet in turbine austri.
Dominus exercituum proteget eos :
et devorabunt, et subjicient lapidibus fundæ :
Et bibentes inebriabuntur quasi a vino,
et replebuntur ut phialæ,
et quasi cornua altaris.
Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui :
quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus.
Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus,
nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ?
(*Cap.* X.) Petite a Domino pluviam in tempore serotino,
et Dominus faciet nives,
et pluviam imbris dabit eis,
singulis herbam in agro.
Quia simulacra locuta sunt inutile,
et divini viderunt mendacium,
et somniatores frustra locuti sunt.
Vane consolabantur :
idcirco abducti sunt quasi grex :
affligentur, quia non est eis pastor.
Super pastores iratus est furor meus,
et super hircos visitabo :
Quia visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Juda,
et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.
Ex ipso angulus,
ex ipso paxillus,
ex ipso arcus prælii,
ex ipso egredietur omnis exactor simul.
Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio :
et bellabunt, quia Dominus cum eis :
et confundentur ascensores equorum.
Et confortabo domum Juda,
et domum Joseph salvabo,
et convertam eos, quia miserebor eorum :
Et erunt sicut fuerunt quando non projeceram eos :
ego enim Dominus Deus eorum, et exaudiam eos.
Et erunt quasi fortes Ephraim,
et lætabitur cor eorum quasi a vino.
Et filii eorum videbunt, et lætabuntur,
et exsultabit cor eorum in Domino.
Sibilabo eis, et congregabo illos, quia redemi eos :
et multiplicabo eos sicut ante fuerant multiplicati.
Et seminabo eos in populis,
et de longe recordabuntur mei :
et vivent cum filiis suis, et revertentur.
Et reducam eos de terra Ægypti,
et de Assyriis congregabo eos.
Et ad terram Galaad et Libani adducam eos,
et non invenietur eis locus.
Et transibit in maris freto,
et percutiet in mari fluctus ;
Et confundentur omnia profunda fluminis,
et humiliabitur superbia Assur,
et sceptrum Ægypti recedet.
Confortabo eos in Domino,
et in nomine ejus ambulabunt, dicit Dominus.
(*Cap.* XI.) Aperi, Libane, portas tuas,
et comedat ignis cedros tuas.
Ulula, abies, quia cecidit cedrus.
quoniam magnifici vastati sunt :
Ululate, quercus Basan,
quoniam succisus est saltus munitus.
Vox ululatus pastorum,
quia vastata est magnificentia eorum :
Vox rugitus leonum,
quoniam vastata est superbia Jordanis.
Hæc dicit Dominus Deus meus :
Pasce pecora occisionis,
quæ qui possederant, occidebant, et non dolebant,
et vendebant ea, dicentes :
Benedictus Dominus,
divites facti sumus ;
Et pastores eorum non parcebant eis.
Et ego non parcam ultra super habitantes terram. dicit Dominus :
Ecce ego tradam homines,
unumquemque in manu proximi sui, et in manu regis sui :
Et concident terram,
et non eruam de manu eorum.
Et pascam pecus occisionis propter hoc,
o pauperes gregis !
Et assumpsi mihi duas virgas,
unam vocavi Decorem,
et alteram vocavi Funiculum [2],
et pavi gregem.
Et succidi tres pastores in mense uno
et contracta est anima mea in eis :
siquidem anima eorum variavit in me.
Et dixi : Non pascam vos ;
quod moritur, moriatur ;
et quod succiditur, succidatur
et reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui.
Et tuli virgam meam, quæ vocabatur Decus :
et abscidi eam, ut irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis.
Et in irritum deductum est in die illa :
et cognoverunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi,
quia verbum Domini est.
Et dixi ad eos :
Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam,
et si non, quiescite.
Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.
Et dixit Dominus ad me :
Projice illud (*Al.* illos) ad statuarium,
decorum pretium, quod appretiatus sum ab eis.
Et tuli triginta argenteos,
et projeci illos in domum Domini ad statuarium

[1] Colbertinus codex Aniciensis legit contrario sensu, *emisisti vinctos tuos in lacum*. Aliquot mss. consequuntur *in quo non erat aqua*. MART.

[2] Plurium numero legit S. ipse Interpres in Commentario *Funiculos*. Et Hebraice quoque est, חבלים.

Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus,
ut dissolverem germanitatem inter Judam et inter Israel.
Et dixit Dominus ad me :
Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti.
Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra,
qui derelicta non visitabit,
dispersum non quæret,
et contritum non sanabit,
et id quod stat non enutriet,
et carnes pinguium comedet,
et ungulas eorum dissolvet.
O pastor, et idolum, derelinquens gregem :
gladius super brachium ejus,
et super oculum dextrum ejus :
Brachium ejus ariditate siccabitur,
et oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.
(*Cap.* XII.) Onus verbi Domini super Israel.
Dixit Dominus extendens cœlum, et fundans terram,
et fingens spiritum hominis in eo.
Ecce ego ponam Jerusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu;
sed et Juda erit in obsidione contra Jerusalem.
Et erit :
In die illa ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis;
omnes, qui levabunt (*Al.* levaverunt) eam, concisione lacerabuntur;
et colligentur adversus eam omnia regna (*Al.* omnes gentes) terræ.
In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem,
et ascensorem ejus in amentiam :
Et super Domum Juda aperiam oculos meos,
et omnem equum populorum percutiam cæcitate.
Et dicent duces Juda in corde suo :
Confortentur mihi habitatores Jerusalem in Domino exercituum Deo eorum.
In die illa ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis,
et sicut facem [1] ignis in feno :
Et devorabunt ad dexteram et ad sinistram omnes populos in circuitu :
et habitabitur Jerusalem rursus in loco suo in Jerusalem.
Et salvabit Dominus tabernacula Juda sicut in principio :
ut non magnifice glorietur domus David,
et gloria habitantium Jerusalem contra Judam.
In die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem,
et erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi David :
Et domus David quasi Dei,
sicut angelus Domini in conspectu eorum [2].
Et erit in die illa :
quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Jerusalem.
Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem,
spiritum gratiæ et precum :
Et aspicient ad me, quem confixerunt,
et plangent eum planctu quasi super unigenitum,
et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.
In die illa magnus erit planctus in Jerusalem,
sicut planctus Adredemmon in campo Mageddon.
Et planget terra.

familiæ et familiæ seorsum ;
Familiæ domus David seorsum,
et mulieres eorum seorsum :
Familiæ domus Nathan seorsum,
et mulieres eorum seorsum :
Familiæ domus Levi seorsum,
et mulieres eorum seorsum :
Familiæ Semei seorsum,
et mulieres eorum seorsum,
Omnes familiæ reliquæ,
familiæ et familiæ seorsum,
et mulieres eorum seorsum.
(*Cap.* XIII.) In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem,
in ablutionem peccatoris et menstruatæ.
Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum,
Disperdam nomina idolorum de terra,
et non memorabuntur ultra :
Et pseudoprophetas [3],
et spiritum immundum auferam de terra.
Et erit, cum prophetavit quispiam ultra,
dicent ei pater ejus et mater ejus, qui genuerunt eum :
Non vives : quia mendacium locutus est in nomine Domini,
et configent eum pater ejus et mater ejus, genitores ejus (*Al.* qui genuerunt eum), cum prophetaverit.
Et erit :
In die illa confundentur prophetæ, unusquisque ex visione sua cum prophetaverit :
nec operientur pallio saccino, ut mentiantur :
Sed dicet : Non sum propheta,
homo agricola ego sum :
quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.
Et dicetur ei :
Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ?
Et dicet :
His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.
Framea suscitare super pastorem meum,
et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum :
Percute pastorem, et dispergentur oves; et convertam manum meam ad parvulos.
Et erunt in omni terra, dicit Dominus :
partes duæ in ea dispergentur, et deficient;
et tertia pars relinquetur in ea.
Et ducam tertiam partem per ignem,
et uram eos sicut uritur argentum,
et probabo eos sicut probatur aurum.
Ipse vocabit nomen meum,
et ego exaudiam eum.
Dicam : Populus meus es :
et ipse dicet, Dominus Deus meus.
(*Cap* XIV.) Ecce venient (*Al.* veniunt) dies Domini,
et dividentur spolia tua in medio tui.
Et congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium,
et capietur civitas,
et vastabuntur domus,
et mulieres violabuntur :
Et egredietur media pars civitatis in captivitatem,
et reliquum populi non auferetur ex urbe.
Et egredietur Dominus, et præliabitur contra gentes illas,
sicut præliatus est in die certaminis.
Et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum,
qui est contra Jerusalem ad orientem :

[1] Lectum antea, typographi, ut videtur, errore, *famem* pro *facem*.
[2] Exemplaria Canonis, *in conspectu ejus*. MART.
[3] Vocat vero ἁπλῶς in Commentario *Prophetas* : hocque ipsum nomen edisserens ex Græco : « Pro *pseudoprophetis*, inquit, in Hebraico absolute leguntur *prophetæ*, id est, NEBIN, qui et ipsi pseudoprophetas significant; sed tamen et ab ethnicis sacerdotes idolorum vocantur *prophetæ*. »

nons Olivarum ex media parte sui ad
et occidentem,
andi valde :
mons ad aquilonem [1],
ejus ad meridiem.
vallem montium eorum,
njungetur vallis montium usque ad
l :
it fugistis a facie terræmotus in diebus
s Juda :
minus Deus meus, omnesque sancti

illa :
t, sed frigus et gelu.
na, quæ nota est Domino,
que nox :
re vesperi erit lux.
illa :
æ vivæ de Jerusalem :
n ad mare orientale,
earum ad more novissimum,
in hieme erunt.
us rex super omnem terram :
Dominus unus, et erit nomen ejus

omnis terra usque ad desertum,
mmon ad austrum Jerusalem :
, et habitabit in loco suo,
jamin usque ad locum portæ prioris,
portam angulorum :
naneel usque ad torcularia regis.
; in ea,
a non erit amplius :
Jerusalem secura.
laga, qua percutiet Dominus omnes
æ pugnaverunt adversus Jerusalem :
ro uniuscujusque stantis super pedes

s contabescent in foraminibus suis,
rum contabescet in ore eorum.
t tumultus Domini magnus in eis :
det vir manum proximi sui,

et conseretur manus ejus super manum proximi sui.
Sed et Judas pugnabit adversus Jerusalem :
et congregabuntur divitiæ omnium gentium in circuitu,
aurum, et argentum et vestes multæ satis.
Et sic erit ruina equi et muli,
cameli et asini,
et omnium jumentorum, quæ fuerint in castris illis,
sicut ruina hæc.
Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus, quæ venerint contra Jerusalem,
ascendent ab anno in annum, ut adorent regem Dominum exercituum,
et celebrent festivitatem tabernaculorum.
Et erit :
qui non ascenderit de familiis terræ ad Jerusalem, ut adoret regem Dominum exercituum,
non erit super eos imber.
Quod et si familia Ægypti non ascenderit, et non venerit :
nec super eos erit,
sed erit ruina, quia percutiet Dominus omnes gentes,
quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum.
Hoc erit peccatum Ægypti,
et hoc peccatum omnium gentium,
quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum.
In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Domino :
et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari.
Et erit omnis lebes in Jerusalem et in Juda sanctificatus Domino exercituum :
et venient omnes immolantes, et sument ex eis, et coquent in eis :
et non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo.

ulgati, atque ipse, ut videtur, S. Pater
omment., *medium montis*, pro *mons*.

Certe in archetypo quoque Hebræo est שבלים, *medium montis*.

Explicit liber Zachariæ prophetæ.

INCIPIT

LIBER MALACHIÆ PROPHETÆ.

—

us verbi Domini ad Israel in manu Ma-

ic it Dominus ;
: in quo dilexisti nos ?
r erat Esau Jacob, dicit Dominus
acob, Esau autem odio habui ?
ntes ejus in solitudinem,
tatem ejus in dracones deserti.
erit Idumæa : Destructi sumus,
entes ædificabimus, quæ destructa sunt
ominus exercituum :
bunt, et ego destruam :
ntur termini impietatis,
is cui iratus est Dominus usque in æter-

stri videbunt :
icetis :
ir Dominus super terminum Israel.

Filius honorat patrem,
et servus dominum suum :
Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?
et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?
dicit Dominus exercituum :
Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum,
et dixistis : in quo despeximus nomen tuum?
Offertis super altare meum panem pollutum,
et dicitis : In quo polluimus te?
In eo quod dicitis :
Mensa Domini despecta est.
Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est ?
et offeratis claudum, et languidum, nonne malum est?
Offer illud duci tuo, si placuerit ei,
aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.

Et nunc deprecamini vultum Dei, ut misereatur vestri.
(de manu enim vestra factum est hoc),
si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum.
Quis est in vobis, qui claudat ostia.
et incendat altare meum gratuito?
Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum:
et munus non suscipiam de manu vestra.
Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus:
et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda,
quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.
Et vos polluistis illud in eo quod dicitis:
Mensa Domini contaminata est:
et quod superponitur, contemptibile est, cum igne qui illud devorat.
Et dixistis: Ecce de labore,
et exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum;
Et intulistis de rapinis claudum, et languidum,
et intulistis munus:
Numquid suscipiam illud de manu vestra? dicit Dominus.
Maledictus dolosus,
qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino:
Quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum,
et nomen meum horribile in gentibus.
(*Cap.* II.) Et nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes,
Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor,
ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum:
Mittam in vos egestatem,
et maledicam benedictionibus vestris,
et maledicam illis;
quoniam non posuistis super cor.
Ecce ego projiciam vobis brachium,
et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum,
et assumet vos secum.
Et scietis quia misi ad vos mandatum istud,
ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum.
Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis:
et dedi ei timorem, et timuit me,
et a facie nominis mei pavebat.
Lex veritatis fuit in ore ejus,
et iniquitas non est inventa in labiis ejus:
In pace et in æquitate ambulavit mecum,
et multos avertit ab iniquitate.
Labia enim sacerdotis custodient scientiam,
et legem requirent ex ore ejus:
quia angelus Domini exercituum est.
Vos autem recessistis de via,
et scandalizastis plurimos in lege:
Irritum fecistis pactum Levi,
dicit Dominus exercituum.
Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis,
sicut non servastis vias meas,
et accepistis faciem in lege.
Numquid non pater unus omnium nostrum?
Numquid non Deus unus creavit nos?
Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum,
violans pactum patrum nostrorum?
Trangressus est Juda,

A et abominatio facta est in Israel et in Jerusalem
Quia contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit:
et habuit filiam dei alieni.
Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob,
et offerentem munus Domino exercituum.
Et hoc rursum fecistis.
operiebatis lacrymis altare Domini, fletu, et mugitu [2],
ita ut ultra non respiciam ad sacrificium,
nec accipiam placabile quid de manu vestra.
Et dixistis: Quam ob causam?
quia Dominus testificatus est inter te,
et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti:
et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui.
Nonne unus fecit,
et residuum spiritus ejus est?
Et quid unus quærit nisi semen Dei?
B Custodite ergo spiritum vestrum,
et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.
Cum odio habueris, dimitte,
dicit Dominus Deus Israel:
Operiet autem iniquitas vestimentum ejus,
dicit Dominus exercituum;
Custodite spiritum vestrum,
et nolite despicere.
Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris,
et dixistis: In quo eum fecimus laborare?
In eo cum diceretis (*Al.* quod dicitis):
Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent:
aut certe ubi est Deus judicii?
(*Cap.* III.) Ecce ego mitto angelum meum,
et præparabit viam ante faciem meam.
Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis:
et angelus testamenti, quem vos vultis.
C Ecce venit, dicit Dominus exercituum:
et quis poterit cogitare diem adventus ejus,
et quis stabit ad videndum eum?
Ipse enim quasi ignis conflans,
et quasi herba fullonum:
Et sedebit conflans, et emundans (*Al. add.* quasi) argentum,
et purgabit filios Levi,
et colabit eos quasi aurum et quasi argentum,
et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.
Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem,
sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui:
Et accedam ad vos in judicio,
et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris,
et qui calumniantur mercedem mercenarii,
viduas, et pupillos,
et opprimunt peregrinum,
nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.
D Ego enim Dominus, et non mutor:
et vos filii Jacob non estis consumpti.
A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis,
et non custodistis:
Revertimini ad me,
et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum.
Et dixistis: In quo revertemur?
Si affliget homo Deum,
quia vos configitis me?
Et dixistis: In quo confiximus te?
In decimis, et in primitivis.
Et in penuria vos maledicti, estis
et vos me confixistis, gens tota.
Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus

[1] In Commentariis incipit ab hoc versu alterum caput: a qua tamen divisione textus alii originales dissentiunt.

[2] Al. *gemitu*: in Hebræo est, אנקה, quod quidem plus quam gemitum sonat, ac proprie est clamor intermorientis, seu fremitus.

in domo mea,
et probate me super hoc, dicit Dominus:
Si non aperuero vobis cataractas cœli,
et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam,
Et increpabo pro vobis devorantem, et non corrumpet fructum terræ vestræ:
nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum.
Et beatos vos dicent ommes gentes:
eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum.
Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus.
Et dixistis:
Quid locuti sumus contra te?
Dixistis:
Vanus est, qui servit Deo:
Et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus,
et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum?
Ergo nunc beatos dicimus arrogantes:
siquidem ædificati sunt facientes impietatem;
et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt.
Tunc locuti sunt timentes Dominum (*Al.* Deum unusquisque cum proximo suo:
Et attendit Dominus, et audivit:
et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum,
et cogitantibus nomem ejus.
Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua
A ego facio, in peculium:
parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi.
Et convertemini, et videbitis quid sit inter justum et impium.
et inter servientem Deo, et non servientem ei.
(*Cap.* IV.) Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus:
et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula:
Et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum,
quæ non relinquet eis radicem et germen.
Et orientur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ,
et sanitas in pennis ejus:
et egrediemni, et salietis sicut vituli de armento.
Et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum,
B in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.
Mementote legis Mosi, servi mei,
quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta et judicia.
Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam,
antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis.
Et convertet cor patrum ad filios,
et cor filiorum ad patres eorum:
Ne forte veniam,
et percutiam terram anathemate.

Explicit liber Matachiæ prophetæ

S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDODENSIS PRESBYTERI

DIVINÆ BIBLIOTHECÆ

PARS PRIMA.

ORDO TERTIUS, HAGIOGRAPHORUM.

PRÆFATIO S HIERONYMI IN LIBRUM JOB.

Cogor per singulos Scripturæ divinæ [2] libros adversariorum respondere maledictis: qui interpretationem meam, reprehensionem Septuaginta in-
C terpretum criminantur: quasi non et apud Græcos Aquila, Symmachus, et Theodotio, vel verbum e verbo, vel sensum e sensu, vel ex utroque [3] com-

[1] Jobi librum, ut et sequentem Estheræ cum altero Palatino-Vaticano. contulimus, qui numero 24 prænotatur, et totus majusculis, ut vocant, litteris exaratus, tantam et vetustatis et probæ notæ præ se fert speciem, ut si Veronensem excipias, qui libros Regum exhibet, ex omnibus fere, quos vidi, aliis Bibliorum codicibus principem locum obtinere possit. Hinc eum et paulo religiosius tractamus, quam cæteros, ut levioris etiam interdum momenti variantes lectiones, aut mendosas quoque adnotare non omittamus.

[2] Palatinus ms. *in Scripturam divinam.*

[3] Idem ms. *et Theodotion vel verbo, vel sensu, vel ex utroque*, etc., quod tamen improbarim. Paule quoque post, *Testamenti* habet pro *Instrumenti.*

mistum, et medie temperatum genus translationis expresserint: et omnia Veteris Instrumenti volumina Origenes obelis asteriscisque distinxerit, quos vel additos, vel de Theodotione sumptos, translationi antiquæ inseruit, probans defuisse quod additum est. Discant igitur obtrectatores mei recipere in toto, quod in partibus susceperunt, aut interpretationem meam eum asteriscis suis radere. Neque enim fieri potest, ut quos plura intermisisse perspexerint [1], non eosdem etiam in quibusdam errasse fateantur, præcipue in Job : cui si ea quæ sub asteriscis addita sunt, subtraxeris, pars maxima voluminis [2] detruncabitur : et hoc duntaxat apud Græcos. Cæterum apud Latinos, ante eam translationem, quam sub asteriscis et obelis nuper edidimus, septingenti ferme aut octingenti versus desunt [3]; ut decurtatus et laceratus corrosusque liber, fœditatem sui publice legentibus præbeat. Hæc autem translatio nullum de veteribus sequitur [4] interpretum : sed ex ipso Hebraico Arabicoque sermone, et interdum Syro, nunc verba, nunc sensus, nunc simul utrumque resonabit. Obliquus enim etiam apud Hebræos totus liber fertur et lubricus; et quod Græce rhetores [5] vocant, ἐσχηματισμένος, dumque aliud loquitur, aliudagit : ut si velis anguillam aut murænulam [6] strictis tenere manibus, quanto fortius presseris, tanto citius elabitur. Memini me ob intelligentiam hujus voluminis, Lyddæum quemdam [7] præceptorem, quid apud Hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis : cujus doctrina an aliquid profecerim, nescio : hoc unum scio, non potuisse me interpretari, nisi quod ante intellexeram. A principio itaque voluminis, usque ad verba Job, apud Hebræos prosa oratio est [8] Porro a verbis Job, in quibus ait,

Pereat dies, in qua natus suum,
et nox, in qua dictum est, conceptus est homo,

usque ad eum locum ubi ante finem voluminis scriptum est :

Pdcirco ipse me reprehendo,
et ago pœnitentiam in favilla et cinere :

hexametri versus sunt [9], dactylo spondæoque currentes : et propter linguæ idioma, crebro recipientes et alios pedes, non earumdem syllabarum, sed eorumdem temporum. Interdum quoque rhythmus ipse dulcis et tinnulus fertur numeris lege metri [10] solutis : quod metreci magis, quam simplex lector

[1] Vitiose lectum a Martianæo *susceperint*, quod nullum reddit, aut certe incommodum sensum. In Apologia S. Patris contra Rufinum lib. II num. 29, ubi Præfationem hanc suam verbo tenus repetit, restituimus pridem *perspexerint*, quod verbum et recte habet cum sensu, et in iis etiam, quos editor Benedictinus consuluit, mss. codicibus reperitur. Nihilosecius nunc malim ad antiquissimi Palatini fidem quidquid illud est verbi, penitus hinc loci exsulare : ut multo elegantius subintelligas pro eo, *fatentur*, ex subsequenti isocolo : sensusque sit, licri non posse ut quos fatentur, plura intermisisse, non eosdem fateantur, in quibusdam aberrasse.

[2] Abest a Palatino ms. τό *voluminis*, integro tamen sensu. Mox quoque *ante editionem* legitur, pro *ante eam translationem*.

[3] Falsus est hic nuperus auctor, ut in aliis locis bene multis, cum opinationis propriæ commenta tanquam intelligentiæ leges nobis definire præsumit. Ait igitur lib. I, pag. 6, Historiæ suæ criticæ Veteris Testamenti, hoc modo legendum : *Septuaginta ferme aut octoginta versus desunt*, non *septuaginti ferme aut octingenti*. Scilicet, legerat epistolam Usserii Amarchani ad Ludovicum Capellum in qua vir doctus de versibus, seu στίχοις libri Job disserens, apposite istud observat : « Hesychius, inquit, vel quicunque ineditarum in libros sacros Hypothesium auctor fuit, distinctione hic adhibita, librum Job sine asteriscis quidem 1600, στίχοις habuisse notat, cum asteriscis vero 2200. » Quod perfecte quadrat ad vetustissima antiquitatis monumenta : nam Catalogus librorum Scripturæ sacræ concinnatus ad vetustiorem Hieronymo Latinam editionem, et ante annos mille exscriptus in fine nostri voluminis Epistolarum S. Pauli, tribuit libro Job numerum M DC versuum, id est, 1600. In exemplaribus autem Canonis hebraicæ veritatis, quæ στιχηρῶς Jobi volumen habent distinctum ac descriptum, numerantur per cola et commata versus *duo millia ducenti viguti septem vel amplius*. Unde manifestum exstat librum Job apud Latinos mutilum fuisse septingentis ferme versibus ante eam translationem, quam sub asteriscis et obelis Hieronymus edidit. Fatetur quoque hujusmodi defectus Origenes in epistola ad Africanum, præsertim cum de medio libri Job, ait : « Rursum plurima per medium totum apud Hebræos posita reperiuntur, non item apud nos : sæpius quatuor vel tres (versus desunt) interdum et quatuordecim, sedecim et novemdecim. Et quid me oportet hæc enumerare, quæ multo labore collegimus, ne nos lateret discrimen Judaicorum nostrorumque exemplarium ? » Cæterum nonnulli mss. hanc præferunt eodem in loco variantem lectionem : *Septingenti ferme aut octingenti versus sunt, quibus decurtatus et laceratus*, etc. MART.

[4] Verbum *sequitur*, in Palatino ms. hic tacet : mox *renovavit* legitur pro *resonabit*. Cæterum et S. Gregorius Magnus Jobi librum ex Hebræo et Arabico sermone constare tradit.

[5] Palatin. ms., *Græci rhetores*.

[6] Restituimus *murænulam*, quam vocem et mss. omnes et vetustiores editiones præferunt. Sic etiam Beda, atque alii mediæ ætatis scriptores apud Hieronymum legunt. Martianæus autem *muræna* rescribi voluit, hac ductus ratione, quod *murænula* ὑποκοριστικῶς catenula diceretur a similitudine piscis sic dicta. Quasi minus de pisce, quam de ejusmodi catenula, quæ et in Canticis canticorum (*Cap.* I, *vers.* 10) memoratur, ex nominis analogia posset diminutivo modo appellari.

— In editis, inque pluribus mss. pro *muræna*, corrupte *murenulam* legimus. et quis nesciat *muræna* esse piscem non dissimilem anguillæ, *murænulam* autem colli aurum quod ita nuncupat vulgus, Hieronymo tradente : quia scilicet metallo in virgulas lentescente quædam ordinis flexuosi catena contexitur, ex piscis utique imagine vocabulo conformato. Vide epist. De laudibus Asellæ ad Marcellam. MART.

[7] Ms. Palatin, *Judæum quemdam*, etc. Dicimus eo de homine in S. Doctoris Vita.

[8] Mss. aliquot, *prosaica oratio est*. MART.

[9] De istiusmodi versibus ac metris Scripturarum divinarum plenius disputatum est in Prolegomenis hujus Bibliothecæ. MART.

— Quid nobis videatur de metris hisce Hebræi textus, in Præfatione explicamus.

[10] Ita ms. Bibliorum sacrorum codex Ecclesiæ Narbonensis, alii non habent verbum *metri*, sed

intelligunt, A supradicto autem versu usque ad finem libri, parvum comma quod remanet, prosa oratione contexitur. Quod si cui videtur incredulum, metra scilicet esse apud Hebræos, et in morem nostri Flacci, Græcique Pindari, et Alcæi, et Sappho [1], vel Psalterium, vel Lamentationes Jeremiæ, vel omnia ferme Scripturarum cantica comprehendi, legat Philonem [2], Josephum, Origenem, Cæsariensem Eusebium, et eorum testimonio me verum dicere comprobabit. Audiant quapropter canes mei, idcirco me in hoc volumine laborasse, non ut interpretationem antiquam reprehenderem, sed ut ea, quæ in illa aut obscura sunt, aut omissa [3], aut certe scriptorum vitio depravata, manifestiora nostra interpretatione fierent: qui et Hebræum (*Al.* ut qui Hebræorum) sermonem ex parte didicimus, et in Latino pene ab ipsis incunabulis inter grammaticos et rhetores et philosophos detriti sumus. Quod si apud Græcos, post, Septuaginta editionem jam Christi Evangelio coruscante, Judæus Aquila, Symmachus, et Theodotio, judaizantes hæretici, sunt recepti, qui multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt, et tamen in Ἑξαπλοῖς, habentur apud Ecclesias, et explanantur ab ecclesiasticis viris: quanto magis ego Christianus, de parentibus Christianis natus [4] et vexillum crucis in mea fronte portans, cujus studium fuit omissa repetere, depravata corrigere et sacramenta [5] Ecclesiæ puro ac fideli aperire sermone, vel a fastidiosis, vel a malignis lectoribus [6] non debeo reprobari? Habeant qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos [7], vel uncialibus [8], ut vulgo aiunt, litteris, onera magis exarata, quam codices, dummodo mihi meisque permittant pauperes habere schedulas, et non tam pulchros codices, quam emendatos. Utraque editio, et Septuaginta juxta Græcos [9], et mea juxta Hebræos, in Latinum meo labore translata est. Eligat unusquique quod vult: et studiosum me magis, quam malevolum probet [10].

solummodo, *numeris lege solutis*. Diversam valde lectionem retinet exemplar Biblicum ms. monasterii nostri B. Mariæ Deauratæ Tolosanæ, in quo scriptum reperi: « Interdum quoque rhythmus ipse dulcis, et tinnulus fertur numerus, quod metricus magis quam simplex lector intelligit. » MART.

— Illud *metri* in Palatin. ms. desideratur, ut et in plerisque aliis codd. Martianæo inspectis. Olim pro *metri* erat *pedum*. Præstabat vero utramque vocem inducere; aperte enim S. Doctor alludit illud Horatianum de Pindaro: *Numerisque fertur lege solutis*.

[1] Sic efferunt pari consensu editi ac mss. libri. Jubet vero Clericus ad grammaticæ leges, *Sapphus* rescribi, aut *Sapphonis*.

[2] De metris Hymnorum aut Psalmorum locutus est Philo ubi de Essenis sermonem instituit: Josephus autem versus in Scripturis hexametros agnoscit *Antiquitatum Judaicarum* lib. II, cap. 7. Nihil id genus legi apud Origenem usque in præsens: at apud Eusebium Cæsariensem conceptis verbis scripta leguntur isthæc *Præparationis Evangelicæ* lib. XI, cap. 5. MART.

— Recole Præfationem in Chronicum Eusebii, eaque in primis verba: « Quid perfectius Job? Quæ omnia hexametris, et pentametris versibus, ut Josephus et Origenes scribunt, apud suos composita decurrunt. » Scriptorum quoque testimonia, ex quorum sententia hic loquitur S. Pater, ibi adnotantur.

[3] Voces *aut omissa*, nescit Palatin. ms. qui et mox legit, *quia Hebræorum sermonem*, etc.

[4] Iterum ignorat idem ms. hic vocem *natus*. Quod porro ait S. Pater vexillum se crucis in fronte portare, illud proprie innuit *crucis signum, quod cum odore chrismatis signamus in fronte*, in baptismo ut loquitur Justus Urgelitanus. Id ipsum notat sæpe alibi, et in cap. IX (vers. 4), Ezechielis de crucis *signo quod in Christianorum frontibus pingitur*. Et Ennodus Epigram. XVII:

Nos frontis signo credimur esse Dei.

[5] Hæc quoque verba, *corrigere et sacramenta*, absunt a Palatino codice, amanuensium, ut videtur, incuria.

[6] Solus Canon San-Germanensis, *a meledicis lectoribus*. MART.

[7] Ejusmodi codicum in membranis purpureis, litterisque ex argento descriptus unus apud nos superest in Veronensis Ecclesiæ bibliotheca, qui Evangeliorum versionem Latinam ante Hieronymianam continet, de quo et subsequenti tomo dicemus.

[8] Duo aut tres mss. pro *uncialibus*, legunt eodem sensu, *initialibus*. MART.

— Unciales quas vocat Hieronymus, litteras, Glossa in cod. Vaticano 135 exponit *longas*. Budæus de Asse lib. I, illas vult pollicis crassitudine exaratas. Multo autem est verosimilius, sic dictas certæ magnitudinis litteras, quæ ad unciæ granditatem proportione quadam accederent, quarum specimen in antiquioribus nonnullis codicibus videre est. Eo pacto *cubitales* eas vulgo dicimus, quæ in lapidibus superne locandis et longius ab oculorum acie, grandiores quasi ad cubiti speciem exarantur. Illud vero aperte mendosum est, quod præferunt quidam mss· *initialibus*: ac frustra sunt tum Martianæus, qui ejus nominis eumdem esse sensum autumat, tum alii, qui eas putant litteras indicari, quæ initio periodi aut capitis grandiores scriberentur, minusculo, ut vocant, charactere jam introducto: quod Hieronymianis temporibus probe sciunt non convenire, qui ejus ævi scripturam callent.

[9] Hanc Jobi versionem Latinam ex Græco abs Hieronymo annotatam, tomo sequenti cum aliis ejusdem libris suo loco exhibemus.

[10] Utrumque exemplar Canonis cum duodecim aliis mss. codicibus scriptum habet *se* pro *me*, *et studiosum se magis, quam malivolum probet*. Eligat igitur unusquisque quod vult inter variantes istas lectiones. MART.

INCIPIT

LIBER JOB[1].

(*Cap.* I.) Vir erat in terra Hus, nomine Job, et erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo : natique sunt ei septem filii, et tres filiæ. Et fuit possessio ejus, septem millia ovium, et tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, et quingentæ asinæ, ac familia multa nimis : eratque vir ille magnus inter omnes orientales. Et ibant filii ejus, et faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent et biberent cum eis. Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, et sanctificabat illos consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos (*Al.* pro) singulis. Dicebat enim : Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus. Quadam autem die, cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus : Unde venis? Qui respondens, ait : Circuivi terram, et perambulavi eam. Dixitque Dominus ad eum : Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, et rectus, et timens Deum, ac recedens a malo? Cui respondens Satan, ait : Numquid frustra timet Job Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixisti, et possessio illius crevit in terra? Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, nisi in facie tua (*Al.* faciem tuam) benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan : Ecce, universa quæ habet, in manu tua sunt : tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan a facie Domini. Cum autem quadam die filii et filiæ ejus comederent et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuntius venit ad Job, qui diceret : Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos, et irruerunt Sabæi tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, et dixit : Ignis Dei cecidit e cœlo, et tactas oves puerosque consumpsit, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi. Sed et illo adhuc loquente, venit alius, et dixit : Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos, necnon et pueros percusserunt gladio, et ego fugi solus ut nuntiarem tibi. Adhuc loquebatur ille, et ecce alius intravit, et dixit : Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi. Tunc surrexit Job et scidit tunicam suam [2], et tonso capite corruens in terram, adoravit, et dixit : Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus et (*Al.* et nudus) revertar illuc : Dominus dedit Dominus abstulit : Sit nomen Domini benedictum [3]. In omnibus his non peccavit Job [4], neque stultum quid contra Deum locutus est.

(*Cap.* II.) Factum est autem, cum quadam die venissent filii Dei, et starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, et staret in conspectu ejus, ut diceret Dominus ad Satan : Unde venis? Qui respondens ait : Circuivi terram, et perambulavi eam. Et dixit Dominus ad Satan : Nunquid considerasti servum meum Job : quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem illum frustra. Cui respondens Satan, ait : Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua : alioquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, et tunc videbis quod in facie tua benedicat [5] tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan :

[1] Palatino hactenus laudato ms. alterum nunc jungimus ex eadem Vaticana bibliotheca, qui olim reginæ Suecorum fuit, num. 7 prænotatum, sane perantiquum atque emendatum.

[2] Palatin. ms. cum vulgatis *vestimenta sua.*

[3] Duo hic retinentur additamenta, non solum in editis libris ac quampluribus mss., sed etiam in exemplari Canonis S. Germani, ubi Scholiastes more suo criticus apposuit hujusmodi adnotationes in margine : « H. non habet, *Sicut Domino placuit ita factum est.* » et deinde : « H. non habet, *labiis suis.* » In canone Carcass abest ultimum additamentum, *labiis suis* : in codice autem regio Bibliorum exstrinsecus hæc posita leguntur et secunda manu. Denique codex Corbeiensis litteris uncialibus descriptus ante nongentos annos, qui in bibliotheca S. Germani habet numerum 660, nihil retinet alienum a textu Hebraico, sed puram hic repræsentat versionem Hieronymianam, ut nos edidimus: porro additamentum prius desumptum est ex LXX interpretibus, posterius e versu 10 capituli subsequentis. MART.

— Illud sententiolæ additicium, *sicut Domino placuit, ita factum est,* quod hic ex Græco interserunt nedum vulgati libri, sed et plerique omnes, quos Martian. laudat, mss. penitus ignorat ad Hebraici contextus fidem antiquiss. Palatinus. sequiori autem manu in altero reginæ Suecorum ascribitur.

[4] Hic quoque addunt Vulgati *labiis suis,* quas voces ex subsequentis capituli versu decimo derivari perspicuum est, cum no ipsi quidem LXX habeant. Sunt nihilominus in uno Palatino ms.

[5] Idem Palat. ms. cum Vulg. libris *in faciem benedicit.*

Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius A serva. Egressus igitur Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ejus : qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. Dixit autem illi uxor sua : Adhuc tu permanes (*Al.* permanens tu) in simplicitate tua? Benedic Deo, et morere. Qui ait ad illam : Quasi una de stultis [1] locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis. Igitur audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphas Themanites, et Baldad Suites, et Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes [visitarent eum, et consolarentur. Cumque levassent procul oculos suos, non cognoverunt, scissisque vestibus B sparserunt pulverem super caput suum in cœlum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum : videbant enim dolorem esse vehementem :

POST HÆC APERUIT JOB OS SUUM, ET MALEDIXIT DIEI SUO, ET LOCUTUS EST.

(*Cap.* III.) Pereat dies in qua natus sum,
et nox in qua dictum est : Conceptus est homo.
Dies ille vertatur in tenebras,
non requirat eum Deus desuper,
et non illustret (*Al.* illustretur) lumine.
Obscurent eum tenebræ, et umbra (*Al.* umbræ) mortis,
occupet eum caligo, et involvatur amaritudine.
Noctem illam tenebrosus turbo possideat,
non computetur in diebus anni,
nec numeretur in mensibus.
Sit nox illa solitaria
nec laude digna :
Maledicant ei qui maledicunt diei,
qui parati sunt suscitare Leviathan.
Obtenebrentur stellæ caligine ejus :
exspectet lucem, et non videat,
nec ortum surgentis auroræ :
Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me,
nec abstulit mala ab oculis meis.
Quare non in vulva mortuus sum,
egressus ex utero non statim perii?
Quare exceptus genibus?
cur lactatus uberibus?
Nunc enim dormiens silerem,
et somno meo requiescerem :
Cum regibus et consulibus terræ,
qui ædificant sibi solitudines :
Aut cum principibus, qui possident aurum,
et replent domos suas argento :
Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem,
vel qui concepti non viderunt lucem. (*Al.* solem.)
Ibi impii cessaverunt a tumultu,
et ibi requieverunt fessi robore.
Et quondam vincti pariter sine molestia,
non audierunt vocem exactoris.
Parvus et magnus ibi sunt,
et servus liber a domino suo [2].
Quare data est misero lux,
et vita his, qui in amaritudine animæ sunt?
Qui exspectant mortem, et non venit [3], quasi effodientes thesaurum :
Gaudentque vehementer
cum invenerint sepulcrum.
Viro cujus abscondita est via,
et circumdedit eum Deus tenebris?
Antequam comedam, suspiro :
et tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus :
Quia timor, quem timebam, evenit mihi :
et quod verebar, accidit.
Nonne dissimulavi?
nonne silui?
nonne quievi?
et venit super me indignatio.

RESPONDENS AUTEM ELIPHAZ THEMANITES, DIXIT :

(*Cap.* IV.) Si cœperimus loqui tibi (*Al.* tecum,) forsitan moleste accipies,
sed conceptum sermonem tenere quis possit (*Al.* poterit)? B
Ecce docuisti multos,
et manus lassas roborasti :
Vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti (*Al.* confirmasti) :
Nunc autem venit super te plaga, et defecisti :
tetigit te, et conturbatus es.
Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua (*Al.* patientia tua, fortitudo tua),
et perfectio viarum tuarum?
Recordare, obsecro te, quis unquam innocens perierit?
aut quando recti deleti sunt (*Al.* sint)?
Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem,
et seminant dolores, et metunt eos,
Flante Deo, perisse,
et spiritu iræ ejus [4] esse consumptos :
Rugitus leonis, et vox leænæ,
et dentes catulorum leonum contriti sunt. C
Tigris periit, eo quod non haberet prædam,
et catuli leonis dissipati sunt.
Porro ad me dictum est verbum absconditum,
et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.
In horrore visionis nocturnæ,
quando solet sopor occupare homines :
Pavor tenuit me, et tremor,
et omnia ossa mea perterrita sunt :
Et cum spiritus, me præsente, transiret,
inhorruerunt pili carnis meæ.
Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum,
imago coram oculis meis,
et vocem quasi auræ lenis audivi.
Numquid homo, Dei comparatione justificabitur,
Aut factore suo purior erit vir?
Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles :
et in angelis suis reperit pravitatem :
Quanto magis hi qui habitant domos luteas, D
qui terrenum habent fundamentum,
consumentur velut a tinea?
De mane usque ad vesperam succidentur :
et quia nullus intelligit, in æternum peribunt.
Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis :
morientur, et non in sapientia.
(*Cap.* V.) Voca ergo, si est qui tibi respondeat,
et ad aliquem sanctorum convertere.
Vere stultum interficit iracundia,
et parvulum occidit invidia.

[1] Enucleatius cum Vulgatis habet Reginæ ms. *de stultis mulieribus* : in Hebræo tamen *mulieribus* proprie non est additum.

[2] Mss. Colbertinus codex Aniciensis sextam hic loci adhibet divisionem, quam inscribit titulo *libri sexti* : quasi in plures libros partitum esset volumen Jobi. MART.

[3] Haud bene Regin. ms. *Non inveniunt.* Satis autem curiose subsequentes duos versus, voce *Thesaurum* exclusa, ita affert Palatinus : *Quasi qui effodientes gaudent vehementer*, etc. Et est tamen in Hebræo ממטמונים quod nomen, sin minus fortasse *thesaurum*, certe reconditum aliquid occultumque sonat.

[4] In eodem ms. *oris ejus*, pro *ira* legitur, dissentiente Hebræo textu.

Ego vidi stultum firma radice,
et maledixi pulchritudini ejus statim,
Longe fient filii ejus a salute,
et conterentur in porta, et non erit qui eruat.
Cujus messem famelicus comedet.
et ipsum rapiet armatus,
et ebibent sitientes divitias ejus.
Nihil in terra sine causa fit,
et de humo non oritur dolor.
Homo ad laborem nascitur,
et avis ad volatum.
Quamobrem ego deprecabor Dominum,
et ad Deum ponam eloquium meum :
Qui facit magna et inscrutabilia,
et mirabilia absque numero :
Qui dat pluviam super faciem terræ,
et irrigat aquis universa :
Qui ponit humiles in sublimi,
et mœrentes erigit sospitate :
Qui dissipat cogitationes malignorum,
ne possint implere manus eorum quod ceperant.
Qui apprehendit sapientes in astutia eorum,
et consilium pravorum dissipat :
Per diem incurrent tenebras,
et quasi in nocte sic palpabunt in meridie.
Porro salvum faciet (*Vulg. interserunt* egenum) a gladio oris eorum [1]
et de manu violenti pauperem.
Et erit egeno spes,
iniquitas autem contrahet os suum.
Beatus homo, qui corripitur a Deo :
increpationem ergo Domini ne reprobes :
Quia ipse vulnerat, et medetur :
percutit, et manus ejus sanabunt.
In sex tribulationibus liberabit te,
et in septima non tanget te malum.
In fame eruet te de morte [2]
et in bello de manu gladii.
A flagello linguæ absconderis,
et non timebis calamitatem cum venerit
In vastitate et fame ridebis,
et bestias (*Al.* bestiam) terræ non formidabis.
Sec cum lapidibus regionum pactum tuum,
et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.
Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum,
et visitans speciem tuam, non peccabis.
Scies quoque quoniam multiplex erit semen tuum,
et progenies tua quasi herba terræ [3]
Ingredieris in abundantia sepulcrum,
sicut infertur acervus in tempore suo [4].
Ecce, hoc, ut investigamus, ita est :
quod auditum, mente pertracta.

RESPONDENS AUTEM JOB DIXIT :

(*Cap.* VI.) Utinam appenderentur peccata mea,
A quibus iram merui :
et calamitas, quam patior, in statera,
quasi arena maris hæc gravior appareret :
Unde, et verba mea dolore [5] sunt plena :
quia sagittæ Domini in me sunt :
Quarum indignatio ebibit spiritum meum,
et terrores Domini militant contra me.
Numquid rugiet onager cum habuerit herbam ?
aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit ?
Aut poterit comedi insulsum, quod non sale conditum ?
aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem [6] ?
Quæ prius tangere nolebat anima mea,
nunc præ angustia, cibi mei sunt.
Quis det, ut veniat petitio mea :
et quod exspecto, tribuat mihi Deus ?
et qui cœpit, ipse me conterat ?
B Solvat manum suam, et succidat me ?
Et hæc mihi sit consolatio,
ut affligens me dolore, non parcat,
nec contradicam sermonibus Sancti.
Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam ?
aut quis finis meus, ut patienter agam ?
Nec fortitudo lapidum fortitudo mea,
nec caro mea ænea (*Al.* ærea) est.
Ecce, non est auxilium mihi in me,
et necessarii quoque mei recesserunt a me.
Qui tollit ab amico suo misericordiam.
timorem Domini derelinquit.
Fratres mei præterierunt me,
sicut torrens qui raptim transit in convallibus.
Qui timent pruinam, irruet super eos nix,
tempore, quo fuerint dissipati, peribunt :
et ut incaluerit (*Al.* incaluerint), solventur de loco suo.
Involutæ sunt semitæ gressuum eorum :
ambulabunt in vacuum, et peribunt.
C Considerate semitas Thema (*Al.* Theman), itinera Saba (*Al.* Sabain),
et exspectate (*Al.* spectate) paulisper,
Confusi sunt, quia speraverunt (*Al.* speravi)
venerunt quoque usque ad me, et pudore cooperti sunt.
Nunc venistis :
et modo videntes plagam meam, timetis.
Numquid dixi : Afferte mihi,
et de substantia vestra donate mihi ?
Vel, Liberate me de manu hostis,
et de manu robustorum eruite me ?
Docete me, et ego tacebo :
et si quid forte ignoravi, instruite me :
Quare detraxistis sermonibus veritatis,
cum e vobis nullus sit qui possit arguere (*Al. add.*

[1] Regius codex addidit *egenum*, quod abest in Hebræo, ut et in Canone S. Germani, et aliis mss. codicibus melioris notæ. MART.

[2] Verba *de morte, et in bello* antiquarii oscitantia desiderantur, quem ejusdem *de* voculæ recursus deceperit.

[3] Idem ms. *quasi arena*, pro *herba* : haud vere.

[4] Quidam Vulgati libri addunt *iiritic*, et vero est in Hebræo, כעלות גדיש..

[5] Quod habet hic Palatin. ms., *dolo* pro *dolore*, antiquarii culpæ tribuo, nisi si quis de industria eam vocem mutaverit criticus, qui observarit apud LXX φαῦλα verba hæc dici, id est *mala*, non *dolore plena*. Hebr. vocat *absorpta*.

[6] Post ista iusertus legitur in utroque exemplari Canonis sequens versiculus : *Animæ enim esurienti etiam amara dulcia esse videntur.* Quæ verba emendator codicis San-Germanensis litura delevit. Huc translata videntur e capite XVII Proverbiorum, *quis vers.* 7 eadem sententia posita reperitur : *Et* D *anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Veteres Bibliorum Concordantiæ monent jam dictum versiculum exstare Job VI, 6 MART.

— Verba textus חלמות בריר, se legisse aliter S. Pater, id est, בריה למות, notat hac ipsa interpretatione sua, *affert mortem*. Hebræa vero lectio tametsi varie ab interpretibus redditur, ac sunt qui *Chalamuth* velint *albumen ovi* significare : fere tamen exponitur concinniori sensu de saliva dormientis : nam *Chalamoth* proprie *somnia* interpretantur. Atque hæc quidem sententia exsurget : *Aut potest aliquis gustare salivam somniorum*, id est, *salivam cum dormit*. Porro e nostris mss. subjungit Palatinus eum versiculum, *Animæ enim esurienti etiam amara dulcia esse videntur*, quem et Martian. in uno alteroque e suis invenit, monueratque ex cap. XXVII, vers. 7. Proverbium desumptum esse, hucque translatum ; tametsi Bibliorum concordantiæ pro genuino hujus apud Jobum loci laudent.

me)?
Ad increpandum tantum eloquia concinnatis,
et in ventum verba profertis.
Super pupillum irruitis,
et subvertere nitimini amicum vestrum.
Verumtamen quod cœpistis, explete:
præbete aurem, et videte an mentiar.
Respondete, obsecro, absque contentione:
et loquentes id quod justum est, judicate.
Et non invenietis in lingua mea iniquitatem,
nec in faucibus meis stultitia personabit.
(*Cap.* VII.) Militia est vita hominis super terram:
et sicut dies mercenarii dies ejus.
Sicut servus desiderat umbram,
et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui
Sic et ego habui menses vacuos,
et noctes laboriosas enumeravi mihi.
Si dormiero, dico (*Al.* dicam): Quando consurgam?
et rursum exspectabo vesperam [1],
et replebor doloribus usque ad tenebras.
Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris,
cutis mea aruit, et contracta est.
Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur,
et consumpti sunt absque ulla spe.
Memento quia ventus est vita mea,
et non revertetur oculus meus, ut videat bona.
Nec aspiciet me visus hominis:
oculi tui in me, et non subsistam.
Sicut consumitur [2] nubes, et pertransit:
sic qui descenderit ad inferos, non ascendet.
Nec revertetur ultra in domum suam,
neque cognoscet eum amplius locus ejus.
Quapropter et ego non parcam ori meo
loquar in tribulatione spiritus mei:
confabulabor cum amaritudine [3] animæ meæ.
Numquid mare sum ego, aut cetus,
quia circumdedisti me carcere?
Si dixero: Consolabitur me lectulus meus,
et revelabor loquens mecum in stratu meo:
Terrebis me per somnia,
et per visiones horrore concuties.
Quam ob rem elegit suspendium anima mea,
et mortem ossa mea.
Desperavi, nequaquam ultra jam vivam:
parce mihi, nihil enim sunt dies mei.
Id est homo, quia magnificas eum?
aut quia ponis (*Al.* quid appones) erga eum [4] cor tuum?
Visitas eum diliculo,
et subito probas illum:
Usquequo non parcis mihi,
nec dimittis me ut glutiam salivam meam?
Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum?
quare posuisti me contrarium tibi,
et factus sum mihimetipsi gravis?
Cur non tollis peccatum meum,
et quare non aufers iniquitatem meam?
Ecce, nunc in pulvere dormiam:
Et si mane me quæsieris, non subsistam.

A RESPONDENS AUTEM BALDAD SUITES, DIXIT:
(*Cap.* VIII.) Usquequo loqueris talia,
et spiritus multiplex sermones oris tui?
Numquid Deus supplantat judicium:
et omnipotens subvertit quod justum est?
Etiam si filii tui peccaverunt ei,
et dimisit eos in manu iniquitatis suæ:
Tu tamen si diluculo consurrexeri ad Deum,
et Omnipotentem fueris deprecatus:
Si mundus et rectus incesseris [5],
statim evigilabit ad te,
et peccatum reddet habitaculum justitiæ tuæ:
In tantum, ut priora tua fuerint parva,
et novissima tua multiplicentur nimis.
Interroga [6] enim generationem pristinam,
et diligenter investiga patrum memoriam:
(hesterni quippe sumus, et ignoramus quoniam
sicut umbra dies nostri sunt super terram.)
Et ipsi docebunt te:
B loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia
Numquid virere potest scirpus absque humore:
aut crescere [7] biblus sine aqua:
Cum adhuc sit in (*Al.* adhæsit in) flore, nec carpatur manu,
ante omnes herbas arescit:
Sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum,
et spes hypocritæ peribit:
Non ei placebit vecordia sua,
et sicut tela aranearum fiducia ejus.
Innitetur super domum suam, et non stabit:
fulciet eam, et non consurget:
Humectus videtur antequam veniat sol,
et in ortu suo germen ejus egredietur (*Al.* egredietur.)
Super acervum petrarum radices ejus densabuntur
et inter lapides commorabitur.
Si absorbuerit eum de loco suo,
negabit eum, et dicet: Non novi (*Al.* vidi) te.
C Hæc est enim lætitia viæ ejus.
ut rursum (*Al.* sursum) de terra alii germinentur
Deus non projiciet simplicem,
nec porriget (*Al.* porrigit) manum malignis:
Donec impleatur risu os tuum,
et labia tua jubilo.
Qui oderunt te, induentur confusione:
et tabernaculum impiorum non subsistet.

ET RESPONDENS [8], AIT:
(*Cap.* IX.) Vere scio quod ita sit,
et quod non justificetur homo compositus (*Al.* comparatus) Deo.
Si voluerit contendere cum eo,
non poterit ei respondere unum pro mille.
Sapiens corde est, et fortis robore:
quis restitit (*Al.* resistet) ei, et pacem habuit?
Qui transtulit montes, et nescierunt
hi quos subvertit in furore suo,
D Qui commovet (*Al.* commovit) terram de loco suo,
et columnæ ejus concutiuntur.
Qui præcipit soli, et non oritur (*Al.* orietur),

[1] Reginæ ms. *ad vesperam*, quam vocem mox ipse Palatin. præfert pro *ad tenebras*.
[2] Haud bene ad seriem contextus et mss. fidem legerat Martian. *si consumitur*. Mox habet Regin. ms. *descendit* pro *descenderit*.
[3] Codex Palatin. *confabu'or in amaritudine*
[4] Idem ms. *ponis circa eum*: et paulo post, *Non parces mihi, nec dimitis mihi, ut*, etc.
[5] Iterum amanuensis sive incuria, sive perversa cura in Palatin. ms. solidus iste versiculus, *Si mundus et rectus incesseris*, desideratur. Vulg. autem libri *incesserit* legunt.
[6] Reginæ ms. *Interrogavi*, moxque cohærenter, *investigavi*: haud vere.
[7] Hebraico אחו *ahhu* seu *achou*, quod Hieronymus Genes. XLI, 18 *loca palustria* interpretatur: hic autem *biblum* vertit juxta fidem utriusque exemplaris Canonis Hebraicæ veritatis. Septuaginta cum *ahi* legissent in libro Geneseos, *pratum* hoc loco interpretati sunt. De *ahu* vero iterum audiendus Hieronymus in *Quæst. Hebraicis*: « Bis, inquit, in Genesi scriptum est *achi*, et neque Græcus sermo est, nec Latinus. Sed et Hebræus ipse corruptus est: dicitur enim *in ahu*, hoc est *in palude*. Sed quia VAU littera apud Hebræos, et IOD similes sunt et magnitudine differunt: pro *ahu achi* Septuaginta Interpretes transtulerunt, et secundum consuetudinem suam ad exprimendam duplicem aspirationem HETH in Hebræo, χ Græcam litteram copulaverunt. MART.
[8] Addit Regin. mss. *Job* nomen, quod et in Hebraico exemplari hic resonat.

stellas claudit quasi sub signaculo :
Qui extendit cœlos solus,
et graditur super fluctus maris.
Qui facit Arcturum, et Oriona, et Hyadas.
et interiora austri.
Qui facit magna, et incomprehensibilia,
et mirabilia, quorum non est numerus.
Si venerit ad me, non videbo : si abierit, non intelligam eum,
Si repente interroget, quis respondebit ei ?
vel quis dicere potes : Cur (*Al. add.* ita) facis ?
Deus, cujus nemo iræ resistere potest,
et sub qua curvantur (*Al.* turbantur) qui portant orbem.
Quantus ergo sum ego, qui respondeam ei,
et loquar verbis meis cum eo ?
Qui etiam si habuero quidpiam justum, non respondebo,
sed meum judicem deprecabor ;
et cum invocantem exaudierit me,
non credo quod audierit (*Al.* exaudierit) vocem meam.
In turbine enim conteret me,
et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.
Non concedit requiescere spiritum meum,
et implet me amaritudinibus.
Si fortitudo quæritur, robustissimus est :
si æquitas judicii, nemo pro me audet testimonium dicere.
Si justificare me voluero, os meum condemnabit me : si innocentem ostendere, pravum me comprobabit.
Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea,
et tædebit me vitæ meæ.
Unum est quod locutus sum,
et innocentem et impium ipse consumit.
Si flagellat, occidat semel,
et non de pœnis innocentium rideat.
Terra data est in manu (Al. manus) impii,
vultum judicium ejus operit.
Quod si non ille est, quis ergo est ?
Dies mei velociores fuerunt cursore :
fugerunt, et non viderunt bonum.
Pertransierunt quasi naves poma portantes,
sicut aquila volans ad escam.
Cum dixero : Nequaquam ita loquar :
commuto faciem meam, et dolore torqueor.
Verebar omnia opera mea,
sciens quod non parceres delinquenti.
Si autem et sic impius sum,
quare frustra laboravi ?
Si lotus fuero quasi aquis nivis,
et fulserint velut mundissimæ manus meæ :
Tanem sordibus intinges me,
et abominabuntur me vestimenta mea.
Neque enim viro qui similis mei est, respondebo :
nec qui mecum in judicio ex æquo possit audiri.
Non est qui utrumque valeat arguere,
et ponere manum suam in ambobus.
Auferat a me virgam suam,
et pavor ejus non me terreat.
Loquar, et non timebo eum :
neque enim possum metuens respondere.
(*Cap.* X.) Tædet animam meam vitæ meæ,
dimittam adversum me eloquium meum,
loquar in amaritudine animæ meæ.
Dicam Deo : Noli me condemnare :
indica mihi cur me ita judices ?
Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris (*Al. add.* me).
et opprimas me opus manuum tuarum,
et consilium impiorum adjuves ?

A Numquid oculi carnei tibi sunt ?
aut sicut videt homo, et tu videbis [1] (*Al.* vides) ?
Numquid sicut dies hominis dies tui,
et anni tui sicut humana sunt tempora,
Ut quæras iniquitatem meam,
et peccatum meum scruteris ?
Et scias quia nihil impium fecerim,
cum sit nemo qui de manu tua possit eruere (*Al.* evadere.)
Manus tuæ plasmaverunt me,
et fecerunt me totum in circuitu (*Al.* gyro) :
et sic repente præcipitas me ?
Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me,
et in pulverem reduces me.
Nonne sicut lac mulsisti me,
et sicut caseum me coagulasti !
Pelle et carnibus vestisti me,
et ossibus et nervis compegisti me :
Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio
B tua custodivit spiritum meum.
Licet hæc celes in corde tuo,
tamen scio quia universorum memineris.
Si peccavi, et ad horam pepercisti mihi :
cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris ?
Et si impius fuero, væ mihi est :
et si justus, non levabo caput,
saturatus afflictione et miseria.
Et propter superbiam quasi leænam capies me,
reversusque mirabiliter me crucias.
Instauras testes tuos contra me,
et multiplicas iram tuam adversus me,
et pœnæ militant in me.
Quare de vulva eduxisti me ?
qui utinam consumptus essem,
ne oculus me (*Al.* meus) videret.
Fuissem quasi non essem,
de utero translatus ad tumulum.
C Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi ?
dimitte ergo me, ut plangam pandulum dolorem meum :
Antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam,
et opertam mortis caligine :
Terram miseriæ et tenebrarum,
Ubi umbra mortis [2] et nullus ordo,
et sempiternus horror inhabitans (*Al.* inhabitat)

RESPONDENS AUTEM SOPHAR NAAMATHITES, DIXIT :

(*Cap.* XI.) Numquid qui multa loquitur, et non audiet ?
aut vir verbosus justificabitur ?
Tibi soli tacebunt homines ?
et cum cæteros irriseris, a nullo confutaberis ?
Dixisti enim : Purus est sermo meus,
et mundus sum in conspectu tuo.
D Atque utinam Deus loqueretur tecum,
et aperiet labia sua tibi.
Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ,
et quod multiplex esset lex ejus :
Et intelligeres quod multo minora exigaris a Deo (*Al.* ab eo),
quam meretur iniquitas tua.
Forsitan vestigia Dei comprehendes,
et usque ad perfectum Omnipotentem reperies ?
(h. Numquid) vestigia Dei comprehendes, aut
usque ad perfectum Omnipotentem reperies ?
Excelsior cœlo est et quid facies ?
profundior inferno, et unde cognosces ?
Longior terra mensura ejus,
et latior mari.
Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit.

[1] Canon Carcassonensis, *Et tu vides* ? Idem post septem versus, *Et fecerunt me totum in gyro* ? MART.
[2] *Palatin.* ms., *sub umbra mortis.*

quis contradicet ei ?
Ipse enim novit hominum vanitatem ;
et videns iniquitatem, nonne considerat ?
Vir vanus in superbiam erigitur,
et tanquam pullum onagri se liberum natum putat.
Tu autem firmasti cor tuum,
et expandisti ad eum manus tuas.
Si iniquitatem, quæ est in manu tua [1], abstuleris a te
et non manserit in tabernaculo tuo injustitia :
Tunc levare poteris faciem tuam absque macula,
et eris stabilis, et non timebis.
Miseriæ quoque oblivisceris,
et quasi aquarum quæ præterierunt, recordaberis.
Et quasi meridianus (*Al.* medianus) fulgor consurget tibi ad vesperam,
et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.
Et habebis fiduciam, proposita tibi spe,
et defossus securus dormies.
Requiesces, et non erit qui te exterreat :
et deprecabuntur faciem tuam plurimi.
Oculi autem impiorum deficient,
et effugium peribit ab eis,
et spes eorum abominatio animæ.

RESPONDENS AUTEM JOB, DIXIT :

(*Cap.* XII.) Ergo vos estis soli homines,
et vobiscum morietur [2] sapientia :
Et mihi est cor, sicut et vobis,
nec inferior vestri sum :
quis enim hæc, quæ notis, ignorat ?
Qui deridetur ab amico suo sicut ego,
invocabit Deum et exaudiet (*Al.* exaudit) eum :
deridetur enim justi simplicitas.
Lampas contempta apud cogitationes divitum,
parata ad tempus statutum (*Al.* constitutum).
Abundant tabernacula prædonum,
et audacter provocant Deum,
cum ipse dederit omnia in manibus eorum,
Nimirum interroga jumenta, et docebunt te :
et volatilia cœli, et indicabunt tibi.
Loquere terræ, et respondebit tibi ;
et narrabunt [3] pisces maris.
Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?
In cujus manu anima omnis viventis,
et spiritus universæ carnis hominis.
Nonne auris verba dijudicat,
et fauces comedentis, saporem ?
In antiquis est sapientia,
et in multo tempore prudentia.
Apud ipsum est sapientia et fortitudo,
ipse habet consilium et intelligentiam.
Si destruxerit, nemo est qui ædificet :
et si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.
Si continuerit aquas, omnia siccabuntur :
et si emiserit eas, subvertent terram.
Apud ipsum est fortitudo et sapientia [4] (h. lex) :
ipse novit et decipientem,
et eum qui decipitur,
Adducit consiliarios in stultum finem,
et judices in stuporem.
Balteum regum dissolvit,
A et præcingit fune renes eorum,
Ducit sacerdotes inglorios,
et optimates supplantat :
Commutans labium veracium,
et doctrinam senum auferens,
Effundit despectionem super principes,
eos, qui oppressi fuerant, relevans.
Qui relevat profunda de tenebris.
et producit in lucem umbra (*Al.* umbras) mortis.
Qui multiplicat gentes et perdit eas,
et subversa in integrum restituit (*Al.* restituet),
Cui immutat cor principum populi terræ,
et decipit eos ut frustra incedant per invium :
Palpabunt quassi in tenebris, et non in luce,
et errare eos faciet quasi ebrios (h. ebrium.)
(*Cap.* XIII.) Ecce omnia (*Al. add.* hæc) vidit oculus meus,
et audivit auris mea, et intellexi singula,
Secundum scientiam vestram et ego novi :
B nec inferior vestri sum :
Sed tamen ad Omnipotentem loquar,
et disputare cum Deo cupio :
Prius vos ostendens fabricatores mendacii,
et cultores perversorum dogmatum,
Atque utinam taceretis,
ut putaremini esse (*Al.* putarentur inter se) sapientes.
Audite ergo correptiones meas.
et judicium labiorum meorum attendite,
Numquid Deus indiget vestro mendacio,
ut pro illo loquamini dolos ?
Numquid faciem ejus accipitis (*Al.* accepistis),
et pro Deo judicare nitimini ?
Aut placebit ei quem celare (*Al.* celari) nihil potest?
aut decipietur, ut homo, vestris fraudulentiis ?
Ipse vos arguet,
quoniam in abscondito faciem ejus accipitis.
Statim ut se commoverit, turbabit vos,
C et terror ejus irruet super vos.
Memoria vestra conparabitur cineri,
et redigentur in lutum cervicis vestræ.
Tacete paulisper, ut loquar
quodcumque (*Al.* quæcumque) mihi mens suggesserit (*Al.* suggerit).
Quare lacero carnes meas dentibus meis,
et animam meam porto in manibus meis ?
Etiam si occiderit me, in ipso sperabo,
verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam (*Al. tac.* arguam).
Et ipse erit salvator meus :
non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.
Audite sermonem meum,
et ænigmata percipite auribus vestris.
Si fuero judicatus,
scio quo justus inveniar.
Quis est qui judicetur mecum ? veniat in judicio [5] (h. non habet, veniat in judicio).
quare tacens consumor?
D Duo tantum ne facias mihi,
et tunc a facie tua non absconda :
Manum tuam longe fac a me,
et formido tua non me terreat.

[1] Contrario sensu cum negandi particula in Reginæ ms. legitur, *quæ non est in manu tua*. Omnino perperam.

[2] Idem ms. *morabitur :* Hebr. tamen, תמות dissentiente.

[3] Interserit Palatinus ms. *tibi*, quæ vox in Hebræo quoque textu sonat : לך.

[4] Verbum Hebraicum תושיה *thusia* multifariam interpretatur Hieronymus. Nam aliquando in *sapientiam* et in *prudentiam* vertit, ut hoc loco Jobi, et infra cap. XXVI, 6, vel 3 in Vulgata Latina. Interdum *salutem* transtulit, *justitiam* et *æquitatem*. *Legem* denique interpretatur supra cap. XI, 11, in Vulg. 6, *Et quod multiplex esset lex ejus.* Itaque scholiastes mutuari potuit ab ipso Hieronymo adnotationem præsentem : vel ab Hebræorum doctoribus, qui *thusia* significare volunt, *sapientiam legem* ac *fortitudinem*. MART.

[5] Codex Colbertinus Aniciensis, et alter Majoris Monasterii prope Turones habent solummodo *veniat* ; aliquot alii veteres addebant prima manu, *in judicio* sed expunctum est ab emendatoribus. Exemplaria Canonis secuti sumus, ut par erat. MART.

—Equidem verba, *veniat in judicio*, quemadmodum a scholiaste notatum est, Hebr. textus nescit. In nostris quoque mss. ut et in Vulgatis libris unum *ve-*

Voca me. et (*Al. add.*ego) respondebo tibi :
aut certe loquar, et tu responde mihi.
Quantas habeo iniquitates et peccata ?
scelera mea et delicta ostende mihi.
Cur faciem tuam abscondis,
et arbitraris me inimicum tuum ?
Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam,
et stipulam siccam persequeris :
Scribis enim contra me amaritudines,
et consumere me vis peccatis (h. et *hæreditare facies me peccata*) adolescentiæ meæ.
Posuisti in nervo pedem meum,
et observasti omnes semitas meas,
et vestigia pedum meorum considerasti :
Qui quasi putredo consumendus sum,
et quasi vestimentum quod comeditur a tinea.
(*Cap.* XIV.) Homo natus de muliere,
brevi vivens tempore. repletur multis miseriis.
Qui quasi flos egreditur et conteritur,
et fugit (*Al.* fugiet) velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.
Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium ?
Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ?
nonne tu qui solus es ?
Breves dies hominis sunt,
numerus mensium ejus apud te est :
constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.
Recede paululum ab eo, ut quiescat,
donec optata veniat, quasi (*Al.* sicut) mercenarii dies ejus.
Lignum habet spem :
si præcisum fuerit, rursum virescit,
et rami ejus pullulant.
Si senuerit in terra radix ejus,
et in pulvere mortuus fuerit truncus illius,
Ad odorem aquæ germinabit,
et faciet comam quasi cum primum plantatum est:
Homo vero cum mortuus fuerit,
et nudatus atque consumptus, ubi quæso est ?
Quomodo si recedant aquæ de mari,
et fluvius vacuefactus arescat :
Sic homo cum dormierit, non resurget,
donec atteratur cœlum, non evigilabit,
nec consurget de somno suo.
Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me,
et abscondas me, donec pertranseat furor tuus,
et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei[2] ?
Putasne mortuus homo rursum vivat ?
cunctis diebus, quibus nunc milito,
exspecto donec veniat immutatio mea.
Vocabis me, et ego respondebo tibi :
operi manuum tuarum porriges dexteram,
Tu quidem gressus meos dinumerasti,
sed parces (*Al.* parce) peccatis meis.
Signasti quasi in sacculo delicta mea.
sed curasti iniquitatem meam.
Mons cadens defluit,
et saxum transfertur de loco suo.
Lapides excavant aquæ,
et alluvione paulatim terra consumitur :
et hominem ergo similiter perdes.
Roborasti eum paululum ut in perpetuum transiret:
immutabis faciem ejus, et emittes (*Al.* ut emittas) eum.

A Sive nobiles fuerint filii ejus,
sive ignobiles, non intelliget.
Attamen caro ejus dum vivet dolebit.
et anima illius super semetipso (*Al.* semetipsum) lugebit.

RESPONDENS AUTEM ELIPHAZ THEMANITES, DIXIT :

(*Cap.* XV.) Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens,
et implebit ardore stomachum suum ?
Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi (*Al.* tui),
et loqueris quod tibi non expedit.
Quantum in te est, evacuasti timorem,
et tulisti preces coram Deo.
Docuit enim iniquitas tua (*Al. tac.* tua) os tuum,
et imitaris linguam (*Al.* verba) blasphemantium.
Condemnabit te os tuum, et non ego :
et labia tua respondebunt tibi,
B Numquid primus homo tu natus es,
et ante colles formatus ?
Numquid consilium Dei audisti,
et inferior te erit ejus sapientia ?
Quid nosti quod ignoremus ?
quid intelligis quod nesciamus ?
Et senes et antiqui sunt in nobis,
multo (*Al.* multi) vetustiores quam patres tui.
Numquid grande est ut consoletur te Deus ?
sed verba tua prava hoc prohibent.
Quid te elevat cor tuum,
et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?
Quid tumet contra Deum spiritus tuus,
ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermones?
Quid est homo, ut immaculatus sit,
et ut justus appareat natus de muliere ?
Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis,
et cœli non sunt mundi in conspectu ejus.
Quanto magis abominabilis et inutilis homo.
qui bibit quasi aquas iniquitatem !
C Ostendam tibi, audi me [3] :
quod vidi, narrabo tibi.
Sapientes confitentur,
et non abscondunt patres suos.
Quibus solis data est terra,
et non transivit alienus per eos.
Cunctis diebus suis impius superbit,
et numerus annorum incertus est tyrannidi ejus.
Sonitus terroris semper in auribus illius :
et cum pax sit, ille (*Al. add.* semper) insidias suspicatur.
Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem [4],
circumspectans undique gladium.
Cum se moverit ad quærendum panem,
novit quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies.
Terrebit eum tribulatio,
et angustia vallabit eum,
D sicut regem qui præparatur ad prælium,
Tetendit enim adversus Deum manum suam,
et contra Omnipotentem reboratus est.
Cucurrit adversus eum erecto collo,
et pingui cervice armatus est.
Operuit faciem ejus crassitudo,
et de lateribus ejus arvina dependet.
Habitabit in civitatibus desolatis,
et in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ.
Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus,
nec mittet in terra radicem suam.

niat, verbum reperire est. Reginæ autem codex in his quoque variat, *quis est qui judicet me cum veniat ... quare*, etc.

[1] Ms. Regin. *adducere eum in judicio*, exclusa *tecum* voce, quæ tamen in archetypo resonat.

[2] Legit Palat. ms *donec recorderis mei*, et mox *vivet* pro *vivat* : denique verbus *expecto* prætermittit.

[3] Regin. ms., *Ostendam tibi quod vidi : audi me, narrabo tibi.*

[4] Voces *ad lucem*, quæ neque in Hebræo sunt textu, omnium optime Palatin. ms. tacet.

Non recedet de tenebris :
ramos ejus arefaciet flamma,
et auferetur spiritus oris sui.
Non credat frustra errore deceptus,
quod aliquo pretio redimendus sit.
Antequam dies ejus impleantur, peribit :
et manus ejus arescent;
Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus,
et quasi oliva projiciens (*Al.* projicient) florem suum.
Congregatio enim hypocritæ sterilis,
et ignis devorabit tabernacula eorum,
qui munera libenter accipiunt.
Concepit dolorem, et peperit iniquitatem,
et uterus ejus præparat dolos,

RESPONDENS AUTEM JOB, DIXIT :

(*Cap.* XVI.) Audivi frequenter talia,
consolatores onerosi omnes vos estis.
Numquid habebunt finem verba ventosa ?
aut aliquid tibi molestum est si loquaris ?
Poteram et ego similia vestri loqui :
atque utinam esset anima vestra pro anima mea :
Consolarer et ego vos sermonibus,
et moverem caput meum super vos.
Roborarem vos ore meo :
et moverem labia mea, quasi parcens vobis.
Sed quid agam ?
Si locutus fuero, non quiescet dolor meus :
et si tacuero, non recedet a me.
Nunc autem oppressit me dolor meus.
et in mihilum redacti sunt omnes artus mei [1].
Rugæ meæ testimonium dicunt contra me,
et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam
contradicens mihi.
Collegit furorem suum in me,
et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis :
hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.
Aperuerunt super me ora sua,
exprobrantes percusserunt maxillam meam.
satiati sunt pœnis meis,
Conclusit me Deus apud iniquum,
et manibus impiorum me tradidit.
Ergo ille quondam [2] opulentus,
repente contritus sum ?
Tenuit cervicem meam, et confregit me,
et posuit me sibi quasi in signum.
Circumdedit me lanceis suis,
convulneravit lumbos meos, et non pepercit,
et effudit in terra viscera mea (h. fel meum.)
Concidit me vulnere super vulnus,
irruit in me quasi gigas.
Saccum consui super cutem meam,
et operui cinere carnem meam.
Facies mea intumuit a fletu,
et palpebræ meæ caligaverunt.
Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ,
cum haberem mundas ad Deum preces,
Terra, ne operias sanguinem meum,
neque inveniat locum in te latendi clamor meus.
Ecce enim in cœlo testis meus,
et conscius meus in excelsis,
Verbosi mei amici [3],
ad Deum stillat oculus meus.
Atque utinam sic judicetur (*Al.* judicaretur) vir cum Deo,
quomodo judicatur filius hominis cum collega suo.

A Ecce enim breves (*Al.* brevi) anni transecunt,
et semitam, per quam non revertar, ambulabo.
(*Cap.* XVII.) Spiritus meus attenuabitur,
dies mei breviabuntur,
et solum mihi superest sepulcrum,
Non peccavi,
et in amaritudinibus moratur oculus meus.
Libera me, Domine, et pone me juxta te,
et cujusvis manu pugnet contra me.
Cor eorum longe fecisti a disciplina,
propterea non exaltabuntur.
Prædam pollicetur sociis.
et oculi filiorum ejus deficient.
Posuit me quasi in proverbium vulgi,
et exemplum sum coram eis [4].
Caligavit (*Al.* caliginavit) ab indignatione oculus meus,
et membra mea quasi in nihilum redacta sunt.
Stupebunt justi (*Al.* injusti) super hoc,
B et innocens contra hypocritam suscitabitur.
Et tenebit justus viam suam,
et mundis (*Al.* mundus) manibus addet fortitudinem.
Igitur vos omnes convertimini, et venite.
et non inveniam in vobis ullum sapientem.
Dies mei transierunt :
cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum,
Noctem verterunt in diem,
et rursum post tenebras spero lucem.
Si sustinuero, infernus domus mea est,
in tenebris stravi lectulum meum.
Putredini dixi : Pater meus es,
mater mea et soror mea, vermibus.
Ubi est ergo nunc præstolatio mea,
et patientiam meam quis considerat ?
In profundissimum infernum descendent omnia mea : putasne, saltem ibi erit requies mihi ?

C RESPONDENS AUTEM BALDAD SUITES, DIXIT :

(*Cap.* XVIII.) Usque ad finem verba jactabitis (*Al.* jactatis) ?
intelligite prius, et sic loquamur :
Quare reputati sumus ut jumenta,
et sorduimus coram vobis ?
Qui perdis animam tuam in furore tuo,
numquid propter te derelinquetur terra,
et transferentur rupes de loco suo ?
Nonne lux impii exstinguetur,
nec splendebit flamma ignis ejus ?
Lux obtenebrescet in tabernaculo illius,
et lucerna, quæ super eum est, exstinguetur.
Aretabuntur gressus virtutis ejus,
et præcipitabit eum consilium suum,
Immisit enim in rete pedes suos,
et in maculis ejus ambulat.
Tenebitur planta illius laqueo,
et exardescet contra eum sitis,
D Abscondita est in terra pedica ejus,
et decipula illius super semitam.
Undique terrebunt eum formidines,
et involvent eum pedes ejus (*Al. tacet* ejus),
Attenuetur fame robur ejus,
et inedia invadat costas illius.
Devoret pulchritudinem cutis ejus,
consumat brachia illius primogenita mors.
Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus;
et calcet super eum, quasi rex, interitus.
Habitent in tabernaculo illius socii ejus qui non est.

[1] In Palatino ms. *gressus* pro *artus* legitur, quæ quidem lectio incongrua ipsa non est.

[2] Nostri omnes mss. dum vulgatis quoque libris *Ego ille quondam*, etc.

[3] Addit Palatin. ms. *mei* iterum. In fine legit *semitam quam non revertar, ambulo.*

[4] Huc in Canone San-Germanensi transtulerunt excriptores primum versiculum capitis 30 sequentis : *Nunc autem derident me juniores tempore, quorum non dignabar partes ponere cum canibus gregis mei.* Eadem verba leguntur in margine ms. Colbertini Aniciensis, sed manu recentiori posita. MART.

aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.
Deorsum radices ejus siccentur,
sursum autem atteratur messis ejus.
Memoria illius pereat de terra:
et non celebretur nomen ejus in plateis.
Expellet eum de luce in tenebras,
et de orbe (*Al.* urbe) transferet eum.
Non erit semen ejus neque progenies in populo suo,
nec ullæ reliquiæ (*Al.* requies) in regionibus ejus.
In die ejus stupebunt novissimi,
et primos invadet horror.
Hæc sunt ergo tabernacula iniqui.
et iste locus ejus qui ignorat Deum.

RESPONDENS AUTEM JOB, DIXIT:

(*Cap.* XIX.) Usquequo affligitis animam meam,
et atteritis me sermonibus?
En decies confunditis me,
et non erubescitis opprimentes me.
Nempe, et si ignoravi,
mecum erit (*Al.* est) ignorantia mea.
At (*Al.* Aut) vos contra me erigimini,
et arguitis me opprobriis meis (*Al.* vestris.)
Saltem nunc intelligite,
quia Deus non æquo (*Al.* in æquo) judicio afflixerit me,
et flagellis suis me cinxerit.
Ecce clamabo vim patiens, et nemo audiet:
vociferabor, et non est qui judicet.
Semitam meam circumsepsit, et transire non possum et in calle meo tenebras posuit.
Spoliavit me gloria mea,
et abstulit coronam de capite meo:
Destruxit me undique, et pereo,
et quasi evulsæ arboris (*Al.* arbori) abstulit spem meam.
Iratus est contra me furor ejus,
et sic me habuit quasi hostem suum.
Simul venerunt latrones ejus,
et fecerunt sibi viam per me,
et obsederunt in gyro tabernaculum meum.
Fratres meos longe fecit a me,
et noti mei quasi alieni recesserunt a me.
Dereliquerunt me propinqui (*Al.* vicini) mei.
et qui me noverant, obliti sunt mei.
Inquilini domus meæ, et ancillæ meæ,
sicut alienum habuerunt me.
et quasi peregrinus fui in oculis eorum.
Servum meum vocavi, et non respondit (*Al. add.* mihi),
ore proprio deprecabar illum.
Halitum (*Al.* Habitum) meum exhorruit uxor mea,
et orabam filios uteri mei.
Stulti quoque despiciebant me,
et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi.
Abominati me sunt quondam (*Al. tac.* quondam)
A consiliarii mei:
et quem maxime diligebam aversatus est me,
Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum
et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.
Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei,
quia manus Domini tetigit me.
Quare persequimini me sicut Deus,
et carnibus mei staturamini:
Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei?
quis mihi det ut exarentur in libro
stylo ferreo, et plumbi lamina,
vel celte [1] sculpantur in silice?
Scio enim quod Redemptor meus vivit,
et in novissimo die de terra surrecturus sum:
Et rursus circumdabor pelle mea,
et in carne mea videbo Deum,
Quem visurus sum ego ipse [2],
B et oculi mei conspecturi sunt, et non alius:
reposita est hæc spes mea in sinu meo.
Quare ergo nunc dicitis: Persequamur eum,
et radicem verbi inveniamus contra eum?
Fugite ergo a facie gladii,
quoniam ultor iniquitatum gladius est:
et scitote esse judicium.

RESPONDENS AUTEM SOPHAR NAAMATHITES, DIXIT:

(*Cap.* XX.) Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi,
et mens [3] diversa rapitur.
Doctrinam, qua me arguis, audiam,
et spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.
Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram:
quod laus impiorum brevis sit,
et gaudium hypocritæ ad instar puncti,
Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus,
C et caput ejus nubes tetigerit:
Quasi sterquilinium in fine perdetur:
et qui eum viderant, dicent: Ubi est?
Velut somnium avolans non invenietur,
transiet sicut visio nocturna.
Oculus, qui eum viderat, non videbit,
neque ultra intuebitur eum locus suus.
Filii ejus atterentur egestate
et manus illius reddent et dolorem suum.
Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus,
et cum eo in pulvere dormient.
Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum,
abscondet illud sub lingua sua.
Parcet illi, et non derelinquet illud,
et celabit in gutture suo.
Panis ejus in utero illius vertetur
in fel aspidum intrinsecus.
Divitias quas devoravit, evomet,

[1] Palatino ms. *certe* hic legenti pro *celte*, innumeri alii codices cum impressi, tum mss., quorum sex supra quadraginta in Galliarum bibliothecis P. Calmetus consuluit, et præterea critici atque interpretes magni nominis suffragantur. Qui *celte* legunt, paulo recentiores, atque inferioris notæ sunt; sed alii occurrunt qui *scelte*, vel *scelpte* habent. Licet vero fortasse numero et vetustate superent qui retinent *certe*, facile quisque sibi in animum inducat, librariorum incuria magis id fieri potuisse, ut pro ignota voce *celte*, vel *scelpte*, substitueretur *certe*, quam e contrario. Accedit quod ipsemet Hieronymus lib. contra Joannem Hierosolymitanum num. 30 *celte* præfert, ubi hoc Jobi laudat testimonium. Sive autem ipse nomen istud excuderit, sive quod propius ad fidem est, retinuerit ex veteri Latino interprete, neque etymo caret Latino, neque probabili analogia ex verbo *cælo*, ex quo cœlum scalptorium instrumentum,
D quo in æs aut marmor aliquid inciditur. Et quamquam vulgo persuasum est, nusquam alibi hoc nomen legit, in veteri tamen Glossario, sive Labbei Excerptis, invenio, *scelte* γλυφεῖον interpretari, sive γλυφεῖον *celte*: ut Græca ipsa significatione ferreum scalptorium stylum denotari, nihil sit dubium Alii qui pro hac stant lectione, ut extare illam apud Latinum aliquem scriptorem probent, insignem illum in Gruteri Inscriptionibus pag. 329 locum laudant ubi habetur MALLEOLO ET CELLE LITTERATUS SILEX. Verum ego haud scio, quantum illi testimonio adhibenda sit fides,

[2] Hic subjungit cod. Palatin. voces *et non alius*, quæ verias juxta originales libros subsequenti versiculo adduntur.

[3] Fortasse rectius idem Palat. ms. *et mihi mens*. Hebræus quoque, חוּשִׁי, quod est, *sensus* sive *promptitudo mea*.

entre illius extrahet eas Deus.
pidum suget (*Al.* surget),
eum lingua viperæ.
eat rivulos fluminis,
es mellis et butyri.)
fecit omnia, nec tamen consumetur:
nultitudinem adinventionum suarum, sic
istinebit.
confrigens nudavit pauperes:
rapuit, et non ædificavit eam.
atiatus venter ejus:
habuerit quæ concupierat, possidere non
it.
ansit de cibo ejus.
terea nihil permanebit de bonis ejus.
atus fuerit, arctabitur,
it, et omnis dolor irruet in (*Al.* super)

mpleatur venter ejus,
tat in eum iram furoris sui,
t super illum bellum suum.
ma ferrea,
et in arcum æreum.
et egrediens de vagina sua, et fulgurans,
ritudine sua vadit [1]:
ent super eum horribiles.
nebræ absconditæ sunt in occultis ejus:
bit eum ignis, qui non succenditur;
ur relictus in tabernaculo suo.
nt cœli iniquitatem ejus,
consurget adversus eum.
erit germen domus illius,
etur in die furoris Dei.
pars hominis impii a Deo.
ditas verborum ejus a Domino.

RESPONDENS AUTEM JOB, DIXIT:

[.] Audite, quæso, sermones meos,
pœnitentiam.
me, et ego loquar;
mea, si videbitur, verba, ridete.
contra hominem disputatio mea est,
ito non debeam contristari?
me, et obstupescite,
rponite digitum ori vestro:
iando recordatus fuero, pertimesco,
utit carnem meam tremor.
go impii vivunt,
ati sunt, confortatique divitiis?
rum permanet coram eis,
quorum turba et nepotum in conspectu eo-

orum securæ sunt et pacatæ,
est virga Dei super illos.
m concepit, et non abortivit:
paperit, et non est privata fetu suo.
itur quasi greges parvuli eorum,
ntes eorum exsultant lusibus.
ympanum, et citharam,
dent ad sonitum organi.
n bonis dies suos,
iuncto ad inferna descendunt.
runt Deo: Recede a nobis,
ntiam viarum tuarum nolumus.
Omnipotens, ut serviamus ei?
l nobis prodest si oraverimus illum?

A Verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua,
consilium impiorum longe sit a me.
Quoties lucerna impiorum exstinguetur,
et superveniet eis inundatio.
et dolores dividet furoris sui!
Erunt sicut palcæ ante faciem venti,
et sicut favilla quam turbo dispergit.
Deus servabit filiis illius dolorem patris:
et cum reddiderit, tunc sciet.
Videbunt oculi ejus interfectionem suam,
et de furore Omnipotentis bibet.
Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se?
et si numeros mensium ejus dimidietur [3]?
Numquid Deum quispiam docebit scientiam:
qui excelsos judicat?
Iste moritur robustus et sanus,
dives (*Al.* divisus) et felix.
Viscera ejus plena sunt adipe,
et medullis ossa illius irrigantur.
B Alius vero moritur in amaritudine animæ [4]
absque ullis opibus,
Et tamen simul in pulvere dormient.
et vermes operient eos.
Certe novit cogitationes vestras,
et sententias contra me iniquas.
Dicitis enim: Ubi est domus principis,
et ubi tabernacula impiorum?
Interrogate quemlibet de viatoribus?
et hæc eadem eum intelligere cognoscetis.
Quia in diem perditionis servatur (*Al.* servabitur) malus,
et ad diem furoris ducetur,
Quis arguet coram eo viam ejus,
et quæ fecit, quis reddet illi?
Ipse ad sepulcra ducetur,
et in congerie mortuorum vigilabit:
Dulcis fuit glareis (*Al.* gladiis) Cocyti,
et post se omnem hominem trahet,
C et ante se innumerabiles.
Quo modo igitur consolamini me frustra,
cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

RESPONDENS AUTEM ELIPHAZ THEMANITES, DIXIT:

(*Cap.* XXII.) Numquid Deo comparari potest homo
etiam cum perfectæ fuerit scientiæ?
Quid prodest Deo si justus fueris?
aut quid ei confers, si immaculatæ fuerint viæ tuæ [5].
Numquid timens te arguet te,
et veniet tecum in judicium,
Et non propter malitiam tuam plurimam,
et infinitas iniquitates tuas?
Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa,
et nudos exspoliasti vestibus.
Aquam lasso non dedisti.
et esurienti subtraxisti panem.
D In fortudine brachii tui possidebas terram,
et potentissimus obtinebas eam.
Viduas dimisisti vacuas,
et lacertos pupillorum comminuisti.
Propterea circumdatus es laqueis,
et conturbat te formido subita.
Et putabas te tenebras non visurum;
et impetu aquarum inundantium non oppressum

ri omnes ipsique vulgati lib. habent plumero *radent*: quin etiam ab hoc verbo isoiod subsequitur, seu versiculum inchoant. ic circumlocutione non utitur, ac proprie illud nescit.
næ ms. *Posset ei numerum*, etc., corrupte ipsoque textu contradicente.
im sensu legunt plures mss. codices, *Et si dierum ejus dimidietur*. Scholiastes aut alius emendator Canonis delet in ms. San-Germanensi particulam *si*, et in margine litteram *b* apposuit, ut indicaret Hebræum legere absque ullo *si*. MART.

[4] Addit Palatin. codex *suæ*: quod pronomen reticet Hebræum exemplar.

[5] Minori numero idem ms. cum vulgatis habet, *si immaculata fuerit via tua*. In subsequenti versiculo *timens arguet* sine te intermedio.

iri (*Al.* oppressurum).
Annon cogitas quod Deus excelsior cœlo sit.
et super stellarum verticem sublimetur?
Et dicis: Quid enim novit Deus?
et quasi per caliginem judicat.
Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat,
et circa cardines cœli perambulat.
Numquid semitam sæculorum custodire cupis (*Al.* cupit),
quam calcaverunt viri iniqui?
Qui sublati sunt ante tempus suum,
et fluvius subvertit fundamentum eorum:
Qui dicebant Deo: Recede a nobis:
et quasi nihil posset facere Omnipotens.
æstimabant eum.
Cum ille implesset domos eorum bonis:
quorum sententia procul sit a me.
Videbunt justi, et lætabuntur,
et innocens subsannabit eos.
Nonne succisa est erectio eorum,
et reliquias eorum devoravit ignis?
Acquiesce igitur ei (*Al. tac.* ei) et habeto pacem
et per hæc habebis fructus optimos.
Suscipe ex ore illius legem,
et pone sermones illius in corde tuo,
Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis,
et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo.
Dabit pro terra silicem,
et pro silice torrentes aureos.
Eritque Omnipotens contra hostes tuos,
et argentum [1] coacervabitur tibi.
Tunc super Omnipotentem deliciis affluens,
et elevabis ad Deum faciem tuam.
Rogabis eum, et exaudiet te,
et vota tua reddes.
Decernes rem, et eveniet tibi,
et in viis tuis splendebit lumen.
Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria:
et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.
Salvabitur innocens,
salvabitur autem in (*Al. tac* in) munditia manuum suarum.

RESPONDENS AUTEM JOB. AIT:

(*Cap.* XXIII.) Nunc quoque in amaritudine est sermo meus,
et manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.
Quis mihi tribuat ut cognoscam, et inveniam illum,
et veniam usque ad solium ejus.
Ponam coram eo judicium,
et os meum replebo increpationibus.
Ut sciat verba quæ mihi respondeat,
et intelligam quid mihi loquatur.
Nolo multa fortitudine contendat mecum,
nec magnitudinis suæ mole me premat;
Proponat æquitatem contra me,
et perveniat [2] ad victoriam judicium meum.
Si ad orientem iero, non apparet:
si ad occidentem, non intelligam eum.
Si ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum:
si me vertam ad dexteram, non videbo illum.
Ipse vero scit viam meam,
et probavit me quasi aurum quod per ignem transit.
Vestigia ejus secutus est pes meus;
viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea.
A mandatis labiorum ejus non recessi,
A et in sinu meo abscondi verba oris ejus.
Ipse enim solus est, nemo avertere potest cogitationem ejus:
et anima ejus quodcunque voluit [3], fecit.
Cum expleverit in me voluntatem suam,
et alia multa similia præsto sunt ei.
Et idcirco a facie ejus turbatus sum,
et considerans eum, timore sollicitor (*Al.* sollicito).
Deus mollivit cor meum,
et Omnipotens conturbavit me.
Non enim perii propter imminentes tenebras,
nec faciem meam operuit caligo.
(*Cap* XXIV.) Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora:
qui autem noverunt eum (*Al.* Deum), ignorant dies illius,
Alii terminos transtulerunt,
diripuerunt greges, et paverunt eos.
B Asinum pupillorum abegerunt,
et abstulerunt pro pignore bovem viduæ.
Subverterunt pauperum viam,
et oppresserunt pariter mansuetos terræ.
Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum:
vigilantes ad prædam, præparant panem liberis.
Agrum non suum demetunt:
et vineam ejus, quem vi oppresserint [4], vindemiant.
Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes,
quibus non est operimentum in frigore.
Quos imbres montium rigant:
et non habentes velamen, amplexantur lapides.
Vim fecerunt deprædantes pupillos,
et vulgum pauperum spoliaverunt.
Nudis et incedentibus absque vestitu
et esurientibus tulerunt spicas.
Inter acervos eorum meridiati sunt,
qui, caicatis torcularibus, sitiunt.
C De civitatibus fecerunt viros gemere,
et anima vulneratorum clamavit,
et Deus inultum abire non patitur [*Al.* patiatur].
Ipsi fuerunt rebelles lumini,
nescierunt vias ejus, nec reversi sunt par semitas ejus.
Mane primo consurget homicida.
interfecit egenum et pauperem;
per noctem vero erit quasi fur.
Oculus adulteri [5] observat caliginem,
dicens: Non me videbit oculus.
et operiet vultum suum.
Perfodit in tenebris domos,
sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem.
Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis:
et sic in tenebris quasi in luce ambulant.
D Levis est super faciem aquæ:
maledicta sit pars ejus in terra,
nec ambulet per viam vinearum.
Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium,
et usque ad inferos peccatum illius.
Obliviscatur ejus misericordia:
dulcedo illius vermes:
Non sit in recordatione,
sed conteratur quasi lignum infructuosum.
Pavit enim sterilem, quæ (*Al.* et quæ) non parit,
et viduæ bene non fecit.
Detraxit fortes in fortudine sua:
et cum steterit, non credet (*Al.* credit) vitæ suæ.

[1] Addit Regin. ms. *tuum*, quod Hebræus tamen nescit.
[2] Palatin. *et superveniat.* Hebræus ad verbum, *et favebit mihi judicium meum.*
[3] *Idem ms. quodcunque voluerit, hoc facit,* Regius *fiat*, quo uno verbo abludit a Palatino,
[4] Palatin, ms. *oppresserunt, viedemiabunt.*
[5] Perperam in Reginæ ms. *erit quasi oculus adulteri*, etc. voce *fur* prætermissa.

ius locum pœnitentiæ,
utitur eo in superbiam :
em ejus sunt in viis illius.
it ad modicum, et non subsistent,
iabuntur sicut omnia, et auferentur.
summitates spicarum conterentur,
n est ita, quis me potest arguere esse
im,
e ante Deum verba mea ?

IDENS AUTEM BALDAD SUITES, DIXIT :

.) Potestas et terror apud eum est,
si) facit concordiam in sublimibus suis.
est numerus militum ejus ?
quem non surget lumen illius ?
estificari potest homo comparatus Deo,
rere mundus natus ex muliere ?
(*Al.* enim) luna non splendet,
non sunt mundæ in conspectu ejus :
gis homo putredo,
hominis vermis !

ESPONDENS AUTEM JOB, DIXIT :

I.) Cujus adjutor es ? numquid imbecil-
l. imbecilli),
tas brachium ejus, qui non est fortis ?
i consilium ?
illi, qui non habet sapientiam,
ntiam tuam ostendisti plurimam.
re voluisti,
im qui fecit spiramentum ?
tes gemunt sub aquis,
abitant cum eis (h. habitantes in eis),
infernus coram illo,
n est operimentum perditioni.
lit aquilonem super vacuum,
dit terram super nihili.
quas in nubibus suis,
) non erumpant pariter deorsum.
ultum solii sui,
dit super illud nebulam suam.
circumdedit aquis,
im finiantur lux et tenebræ [1].
cœli contremiscunt,
t ad nutum ejus.
ine illius repente maria congregata sunt,
ntia ejus percussit superbum.
jus ornavit cœlos :
tricante manu ejus, eductus est coluber
sus (h. vectis).
ex parte dicta sunt viarum ejus,
vix parvam stillam sermonis ejus audie-
,
erit tonitrum magnitudinis illius intuerit?

OQUE JOB, ASSUMENS [2] PARABOLAM SUAM, ET DIXIT :

III.) Vivit Deus, qui abstulit judicium
,
ipotens, qui ad amaritudinem adduxit
im meam.
e superest halitus in me,
us Dei in naribus meis,

A Non loquentur labia mea iniquitatem,
nec lingua mea meditabitur mendacium.
Absit a me ut justos esse vos judicem :
donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.
Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram :
nec enim comprehendit (*Al.* comprehendit) me cor meum in omni vita mea.
Sit ut impius, inimicus meus :
et adversarius meus quasi iniquus.
Quæ enim spes est hypocritæ si avare rapiat.
et non liberet Deus animam ejus (h. Numquid liberabit Deus animam ejus)?
Numquid clamorem ejus Deus audiet,
cum venerit super illum augustia ?
Aut poterit in Omnipotente delectari,
et invocare Deum in omni tempore ?
Docebo vos per manum Dei [3]
quæ Omnipotens habeat, nec abscondam.
B Ecce vos omnes nostis,
et ut (*Al. tac.* ut) quid sine causa vana loquimini.
Hæc est pars hominis impii apud Deum,
et hæreditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient.
Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt,
et nepotes ejus non saturabuntur pane.
Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, et viduæ illius non plorabunt [4].
Si comportaverit quasi terram (h. pulverem) argentum,
et sicut lutum præparaverit vestimenta.
Præparabit quidem, sed justus vestietur illi :
et argentum innocens dividet.
Ædificavit sicut tinea domum suam,
et sicut custos fecit umbraculum.
Dives cum dormierit, nihil secum auferet :
aperiet oculos suos, et nihil inveniet.
C Apprehendet eum quasi aqua inopia,
nocte opprimet eum tempestas :
Tollet eum *ventus* (h. non habet) urens, et auferet,
et velut turbo rapiet eum de loco suo.
Et mittet super eum, et non parcet :
de manu ejus fugiens (*Al. tac.* fugiens) fugiet.
Stringet super eum manus suas,
et sibilabit super illum, intuens locum ejus.
(*Cap.* XXVIII.) Habet argentum, venarum suarum principia :
et auro locus est, in quo conflatur.
Ferrum de terra tollitur :
et lapis solutus calore in æs vertitur.
Tempus posuit tenebris,
et universorum finem ipse considerat,
lapidem quoque caliginis, et umbram mortis.
Dividit (h. divisit) torrens a populo peregrinante,
eos quos oblitus est pes egentis hominis [5], et invios.
Terra, de qua oriebatur panis,
D in loco suo igne subversa est.
Locus sapphiri lapides ejus,
et glebæ illius aurum.
Semitam ignoravit avis,
nec intutius est eam [6] oculus vulturis.

n. ms. *ut tenebræ*. Hebr. *cum tenebris*.
Palatin. ms. hic verbum *assumens*, quod in Hebræo.
ms. *Docebo vos verbum Dei* : quod improausim, nam licet in Hebræo sit, ביד אל *lei*, connotant tamen quæ Deus fecit, aut *ralet*, opera, ac res Dei : quæ ex Scriptu*rasi verba* appellantur.
atin. ms. *non plorabuntur* : quo sensu et ta Hebræum verbum videntur accepisse : τούτων οὐδεὶς ἐλεήσει : *viduis eorum nemo r*.
mss. *hominum*, propius Hebræo, באנוש *ex homine*, sive *ex hominibus*. Reginæ præterea cod. *et mutus* habet pro *et invios*. Adito loci hujus longe difficillimini interpretes.
[6] In exemplaribus Canonis, ac in ms. codice Regio abest pronomen illud : in egregio autem volumine majoris Monasterii appositum est hujusmodi scholion marginale : « Pro *eam* habetur in Hebræo *eum*. » Idque verum comprobatur, quia verbo נתיב nathib, quod semitam significat, respondent *affixa*, seu pronomina masculina, ut nomini formæ masculinæ in Hebræo. MART.
— Tacet Regin. ms. pronomen *eam*, quemadmodum duo, quos Martian. laudat.

Non calcaverunt eam filii institorum (h. superbi),
nec pertransivit [*Al. tac.* pertransivit] per eam leæna.
Ad silicem extendit manum suam,
subvertit a radicibus montes,
In petris rivos scidit,
et omne pretiosum vidit oculus ejus.
Profunda quoque fluviorum scrutatus est,
et abscondita produxit in lucem.
Sapientia vero ubi invenitur,
et quis est locus intelligentiæ.
Nescit homo pretium ejus,
nec invenitur in terra suaviter viventium (h. Non invenitur in terra viventium).
Abyssus dicit : Non est in me :
et mare loquitur : Non est mecum.
Non dabitur aurum obryzum pro ea,
nec appendetur argentum in commutatione ejus.
Non conferetur tinctis Indiæ coloribus,
nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.
Non adæquabitur ei aurum vel vitrum,
nec commutabuntur pro ea vasa auri.
Excelsa et eminentia non memorabuntur comparatione ejus.
trahitur autem sapientia de occultis.
Non adæquabitur ei topazium [1] de Æthiopia,
nec tincturæ mundissimæ (h. Non auro mundo) componentur.
Unde ergo sapientia veniet (*Al.* venit)?
et quis est locus intelligentiæ?
Abscondita est ab oculis omnium viventium,
volucres quoque cœli latet.
Perditio et mors dixerunt :
Auribus nostris audivimus famam ejus,
Deus intelligit viam ejus,
et ipse novit locum illius.
Ipse enim fines mundi intuetur :
et omnia, quæ sub cœlo sunt respicit.
Qui fecit ventis pondus,
et aquas appendit in mensura :
Quando ponebat pluviis legem,
et viam procellis sonantibus,
Tunc vidit illam, et enarravit.
et præparavit et investigavit,
Et dixit homini (h. Adam) : Ecce timor Domini, ipsa est sapientia :
et recedere a malo, intelligentia.

ADDIDIT QUOQUE JOB, ASSUMENS PARABOLAM SUAM, ET DIXIT :

(*Cap.* XXIX.) Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos,
secundum dies quibus Deus custodiebat me ?
Quando splendebat lucerna ejus super caput meum,
et ad lumen ejus ambulabam in tenebris.
Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ,
quando secreto Deus (h. *secretum Dei*) erat in tabernaculo meo ;
Quando erat Omnipotens mecum :
et in circuitu meo pueri mei:
Quando lavabam pedes meos butyro,
et petra fundebat mihi rivos olei ;
Quando procedebam ad portam civitatis,
et in platea parabant cathedram mihi.
Videbant me juvenes, et abscondebantur :
et senes assurgentes stabant.
Principes cessabant loqui,
et digitum superponebant ori suo.
Vocem suam cohibebant duces,
et lingua eorum gutturi suo adhærebat.

A Auris audiens beatificabat me.
et oculus videns testimonium reddebat mihi.
Quod (*Al.* Eo quod) liberassem pauperem vociferantem,
et pupillum [2], cui non esset adjutor.
Benedictio perituri super me veniebat,
et cor viduæ consolatus sum.
Justitia indutus sum, et vestivit (*Al.* vestivi) me,
sicut vestimento et diademate, judicio meo.
Oculus fui cæco,
et pes claudo.
Pater eram pauperum :
et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.
Conterebam molas iniqui,
et de dentibus illius auferebam prædam.
Dicebamque : In nidulo meo moriar,
et sicut palma (h. arena) multiplicabo dies.
Radix mea aperta est secus aquas,
B et ros morabitur in messione mea.
Gloria mea semper innovabitur,
et arcus meus in manu mea instaurabitur.
Qui me audiebant, exspectabant sententiam,
et intenti tacebant ad consilium meum,
Verbis meis addere nihil audebant,
et super illos stillabat eloquium meum;
Exspectabant me sicut pluviam,
et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum;
Si quando ridebam ad eos, non credebant,
et lux vultus mei non cadebat in terram.
Si voluissem ire ad eos, sedebam primus :
cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu [3],
eram tamen mœrentium consolator.
(*Cap.* XXX.) Nunc autem derident me juniores tempore,
quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei :
C Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo.
et vita ipsa putabantur indigni.
Egestate et fame steriles,
qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate et miseria.
Et mandebant herbas, et arborum cortices,
et radix juniperorum erat cibus eorum.
Qui convallibus ista rapientes,
cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant.
In desertis habitabant torrentium,
et in cavernis terræ vel super glaream.
Qui inter hujuscemodi lætabantur (h. inter arbusta lætabantur).
et esse sub sentibus delicias computabant,
Filii stultorum et ignobilium,
in terra penitus non parentes.
Nunc in eorum canticum versus sum,
et factus sum eis (*Al. add.* in) proverbium :
Abominantur me, et longe fugiunt a me,
D et faciem meam conspuere non verentur.
Pharetram enim suam aperuit, et afflixit me,
et frenum posuit in os meum.
Ad dexteram orientis calamitates meæ illico surrexerunt :
pedes meos subverterunt,
et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis.
Dissipaverunt itinera mea,
insidiati sunt mihi, et prævaluerunt,
et non fuit qui ferret auxilium.
Quasi rupto muro, et aperta janua (h. *fracta janua*),
irruerunt super me.

[1] *Topazium* genere neutrali legunt ms. codices, Corbeiensis unus habet *topazion* juxta id quod legimus Apocal. XXI, 20, et Exodi XXVIII, 17, ubi Græca exemplaria τοπάζιου et neutrum genus retinent. *Mart.*

[2] Reginæ ms. *egenum*, minus bene ad Hebræum יותום.

[3] Addit idem ms. *meo*, contra Hebræi textus fidem.

Et ad meas miserias devoluti sunt.
Redactus sum in nihili :
abstulisti quasi ventus desiderium meum :
et velut nubes pertransiit salus mea.
Nunc autem in semetipso marcescit anima mea,
et possident me dies afflictionis.
Nocte os meum perforatur doloribus ;
et qui me comedunt, non dormiunt.
In multitudine eorum consumitur vestimentum meum,
et quasi capitio tunicæ succinxerunt me.
Comparatus sum luto.
et assimilatus sum favillæ et cineri.
Clamo ad te, et non exaudis me
sto, et non respicis me.
Mutatus es mihi in crudelem,
et in duritia manus tuæ adversaris mihi.
Elevasti me,
et quasi super ventum ponens
elisisti me valide,
Scio enim quia morti trades me,
ubi constituta est domus omni viventi.
Verumtamen non ad consummationem meam[1] emittis manum tuam :
et si corruerint, ipse salvabis.
Flebam quondam super eo qui afflictus erat,
et compatiebatur anima mea pauperi.
Exspectabam bona, et venerunt mihi mala :
præstolabar lucem, et eruperunt tenebræ.
Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie,
prævenerunt me dies afflictionis.
Mœrens incedebam, sine furore ;
consurgens, in turba clamavi.
Frater fui draconum,
et socius struthionum,
Cutis mea denigrata est super me,
et ossa mea aruerunt præ caumate.
Versa est (h. Et fuit) in luctum cithara mea,
et organum meum in vocem flentium.
(*Cap.* XXXI.) Pepigi fœdus cum oculis meis,
ut ne cogitarem quidem de virgine.
Quam enim partem haberet Deus in me desuper [2],
et hæreditatem Omnipotens de excelsis ?
Numquid non perditio est iniquo
et alienatio operantibus injustitiam?
Nonne ipse considerat vias meas,
et cunctos gressus meos dinumerat ?
Si ambulavi in vanitate,
et festinavit in dolo pes meus ?
Appendat me in statera justa,
et sciat Deus simplicitatem meam,
Si declinavit gressus meus de via,
et *si* (h. non habet) secutum est oculos meos cor meum [3],
et in manibus meis adhæsit macula.
Seram, et alius comedat :
et progenies mea eradicetur.
Si deceptum est cor meum super muliere,
et si ad ostium amici mei insidiatus sum :
Scortum sit uxor mea alterius,
et super illam incurventur alii.
Hoc enim nefas est,
et iniquitas maxima.
Ignis est usque ad perditionem devorans,
et omnia eradicans genimina.
Si contempsi subire judicium cum servo meo et ancilla mea,
A cum disceptarent adversum me.
Quid enim faciam cum surrexit ad judicandum Deus?
et cum quæsierit, quid respondebo illi?
Numquid non in utero fecit me qui et illum operatus est :
et formavit me in vulva unus (h. et formavit nos in vulva una) ?
Si negavi, quod volebant, pauperibus,
et oculos viduæ exspectare feci.
Si comedi bucellam meam solus,
et non comedit pupillus ex ea :
Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio (h. crescere me fecit sicut pater) :
et de utero matris meæ egressa est mecum.
Si despexi (h. aspexi) pereuntem, eo quod non habuerit indumentum,
et absque operimento pauperem :
Si non benedixerunt mihi latera ejus,
B et de velleribus ovium mearum calefactus est.
Si levavi super pupillum manum meam,
etiam cum viderem me in porta superiorem [h. superiori].
Humerus meus a junctura sua cadat,
et brachium meum cum suis ossibus confringatur.
Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum,
et pondus ejus ferre non potui.
Si putavi aurum robur meum,
et obryzo dixi : Fiducia mea.
Si lætatus sum super multis divitiis meis,
et quia plurima reperit manus mea.
Si vidi solem [h. lucem] cum fulgeret,
et lunam incedentem clare :
Et lætatum est in abscondito cor meum,
et osculatus sum manum meam ore meo.
Quæ est iniquitas maxima,
et negatio contra Deum altissimum.
C Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat,
et exsultavi, quod invenisset eum malum.
Non enim dedi ad peccandum guttur meum,
ut expeterem maledicens animam ejus.
Si non dixerunt viri [4] tabernaculi mei :
Quis det de carnibus ejus ut saturemur?
Foris non mansit peregrinus,
ostium (h. ostia) meum viatori patuit.
Si abscondi quasi homo (h. Adam) peccatum meum,
et celavi in sinu meo iniquitatem meam.
Si expavi ad multitudinem nimiam,
et despectio propinquorum terruit me :
et non magis tacui, nec egressus sum ostium.
Quis mihi tribuat auditorem,
ut desiderium meum Omnipotens audiat :
et librum scribat ipse qui judicat :
Ut in humero meo portem illum,
et circumdem illum quasi coronam mihi ?
Per singulos gradus meos pronuntiabo illum,
et quasi principi offeram eum.
D Si adversum me terra mea clamat,
et cum ipsa sulci ejus deflent.
Si fructus ejus comedi absque pecunia,
et animam agricolarum ejus afflixi :
Pro frumento oriatur mihi tribulus,
et pro hordeo spina.

FINITA SUNT VERBA JOB [5].

[*Cap.* XXXII.] Omiserunt autem tres viri isti respondere Job,

Cum vulgatis Reginæ ms. *eorum* habet pro *meam* ; cum tamen in Hebræo sit בעי : sed mox rectius *mittis manum*, nam neque Hebræus addit *tuam*.

[1] Addit idem ms. alterum *me*, quod Hebræus nescit.

[2] Alio fere sensu idem ms. *secutus est oculus meus os meum*. Sic etiam ferunt editio Sixti V et Complutensis, tantum quod *cor* pro *os* retinent. Impressa autem lectio Hebræo conformior est textui.

[3] Expuncta negandi particula, legit idem ms. *si dixerint viri*, etc., magis ad Græcum τῶν LXX ; nam Hebræus textus אם לא אמרו, *si non dixerunt* etc.

[5] Desiderantur in nonnullis Latinis editionibus hæc verba, quæ nec legisse videntur, aut certe ne-

eo quod justus sibi videretur.
Et iratus indignatusque Eliu [1]
filius Barachel Buzites de cognitione Ram,
iratus est autem adversum Job,
eo quod justum esse se diceret coram Deo.
Porro adversum amicos ejus indignatus est,
eo quod non invenissent responsionem rationabilem,
sed tantummodo condemnassent Job (h. unde condemnassent Job).
Igitur Eliu expectavit Job loquentem :
eo quod seniores se [2] essent qui loquebantur.
Cum autem vidisset quod tres respondere non possent (*Al* potuissent),
iratus est vehementer.

RESPONDENSQUE ELIU FILIUS BARACHEL BUZITES, DIXIT :

Junior sum tempore,
vos autem antiquiores,
idcirco, demisso capite, veritus sum
indicare vobis (*Al. add.* ego) meam sententiam.
Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur,
et annorum multitudo doceret sapientiam.
Sed, ut video, Spiritus est in hominibus,
et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.
Non sunt longævi sapientes,
nec senes intelligunt judicium.
Ideo dicam : Audite me,
ostendam vobis etiam ego meam scientiam (*Al.* sapientiam).
Exspectavi enim sermones vestros,
audivi prudentiam vestram,
donec disceptaremini sermonibus.
Et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam:
sed, ut video, non est qui arguere possit Job,
et respondere ex vobis sermonibus ejus.
Ne forte dicaris (h. forte diceretis) : Invenimus sapientiam,
Deus projecit eum, et non homo.
Nihil locutus est mihi,
et ego non secundum sermones vestros respondebo illi.
Extimuerunt, non (*Al.* et non) responderunt ultra,
abstuleruntque a se eloquia.
Quoniam igitur exspectavi, et non sunt locuti :
steterunt, nec responderunt ultra :
Respondebo et ego partem meam ;
et ostendam scientiam meam.
Plenus sum enim sermonibus,
et coarctat me spiritus uteri mei.
En venter meus quasi mustum absque spiraculo,
quod lagunculas novas disrumpit.
Loquar et respirabo paululum ;
aperiam labia mea, et respondebo
Non accipiam personam viri,
et Deum homini non æquabo.
Nescio enim quandiu subsistam,
et si post modicum tollat me Factor meus.
(*Cap.* XXXIII.) Audi igitur, Job, eloquia mea,
et omnes sermones meos ausculta.
Ecce aperui os meum,
loquatur lingua mea in faucibus meis.
Simplici corde meo sermones mei,
et sententiam (h. scientiam) labia mea puram loquentur.

A Spiritus Dei fecit me,
et spiraculum Omnipotentis vivificavit me.
Si potes, responde mihi,
et adversus faciem meam consiste.
Ecce, et me sicut et te fecit Deus,
et de eodem luto ego quoque formatus sum.
Verumtamen miraculum meum (h. timor meus) non te terreat,
et eloquentia mea [3] non sit tibi gravis.
Dixisti ergo in auribus meis,
et vocem verborum tuorum [4] audivi :
Mundus sum ego, absque delicto immaculatus,
et non est iniquitas in me.
Quia querelas in me reperit,
ideo arbitratus est me inimicum sibi.
Posuit in nervo pedes meos,
custodivit omnes semitas meas.
Hoc est ergo, in quo non es justificatus :
respondebo tibi, quia major sit Deus homine.
B Adversus (h. Cur adversus) eum contendis,
quod non ad omnia verba responderit tibi :
Semel loquitur Deus,
et secundo idipsum non repetit.
Per somnium in visione nocturna,
quando irruit sopor super homines,
et dormiunt in lectulo.
Tunc aperit aures virorum,
et erudiens eos instruit disciplina.
Ut avertat hominem ab his quæ facit,
et liberet eum de superbia :
Eruens animam ejus a corruptione :
et vitam illius, ut non transeat in gladium.
Increpat quoque per dolorem in lectulo,
et omnia ossa ejus marcescere facit.
Abominabilis ei fit in vita sua panis,
et animæ illius cibus ante desiderabilis.
Tabescet caro ejus ;
et ossa, quæ recta fuerant, nudabuntur,
C Appropinquavit [5] corruptioni anima ejus,
et vita illius mortiferis.
Si fuerit pro eo angelus loquens unum de millibus [6]
(h. unus de mille),
ut annuntiet hominis æquitatem :
Miserebitur ejus, et dicet : Libera eum,
ut (*Al.* et) non descendat in corruptionem.
inveni in quo ei propitier.
Consumpta est caro ejus a suppliciis.
revertatur ad dies adolescentiæ suæ.
Deprecabitur Deum, et placabilis ei erit :
et videbit faciem ejus in jubilo,
et reddet homini justitiam suam.
Respiciet homines (*Al.* homo), et dicet : Peccavi,
et vere deliqui,
et ut eram dignus, non recepi.
Liberavit animam suam, ne pergeret in interitum,
sed vivens lucem videret.
Ecce hæc omnia operatur Deus
tribus vicibus per singulos.
D Ut revocet animas eorum (h. animam ejus) a corruptione.
et illuminet lucem viventium.
Attende, Job, et audi me :
et (*Al. tac.* et) tace, dum ego loquar (*Al.* loquor).
Si autem habes quod loquaris, responde mihi,
loquere : volo enim te apparere justum.
Quod si non habes, audi me :

---

glexerunt, qui Jobum exposuere sancti Patres, Gregorius, Philippus, Beda, auctor Commentarii sub Hieronymi nomine, atque alii deinceps. In veteri tamen Vulgata ad modum inscriptionis exstabant: *Et quieverunt verba Job.*

[1] Palatinus ms. *Helius*, et *Baraciel* constanter legit.

[2] Voculam *se* cum vulgatis tacet Palatin. ms. quæ tamen in Hebræo sonat.

[3] Hebræus habet ואכפי, *et manus mea*; sed videtur S. interpres duobus distincte verbis legisse ואך פי, quæ quidem voces *eloquentiam meam* sonant, sive ad verbum, *et omnino os meum*.

[4] Pronomen *tuorum*, quod neque in Hebræo textu additur, rectissime Palatin. ms. ignorat.

[5] Iterum paulo rectius in futuro idem ms. legit, *Appropinquabit*.

[6] Reginæ ms. cum Colbertino Aniciensi penes Martian. *unus de millibus*.

tace, et docebo te sapientiam.

PRONUNTIANS ITAQUE ELIU, ETIAM HÆC LOCUTUS EST :

(*Cap.* XXXIV.) Audite, sapientes, verba mea,
et eruditi, auscultate me :
Auris enim verba probat,
et guttur escas gustu dijudicat,
Judicium eligamus nobis.
et inter nos videamus (*Al.* eligamus) quid sit melius.
Quia dixit Job : Justus sum,
et Deus subvertit judicium meum.
In judicando enim me, mendacium est :
violenta sagitta mea absque ullo peccato.
Quis est vir, ut est Job,
qui bibit subsannationem quasi aquam,
Qui graditur cum operantibus iniquitatem,
et ambulat cum viris impiis ?
Dixit enim : Non placebit vir Deo,
etiam si cucurrerit cum eo.
Ideo, viri cordati, audite me,
absit a Deo impietas,
et ab Omnipotente iniquitas.
Opus enim hominis reddet ei,
et juxta vias singulorum restituet (*Al. add.* eis).
Vere enim Deus non condemnabit frustra,
nec Omnipotens subvertet judicium.
Quem constituit alium super terram ?
aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est ?
Si direxerit ad eum cor suum,
spiritum illius et flatum ad se trahet.
Deficiet omnis caro simul,
et homo in cinerem revertetur.
Si habes ego intellectum, audi quod dicitur,
et ausculta vocem eloquii mei.
Numquid qui non amat judicium, sanari potest :
et quomodo tu eum, qui justus est, in tantum condemnas ?
Qui dicit regi, apostata :
qui vocat duces impios.
Qui non accipit personas principum :
nec cognovit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem :
opus enim manuum ejus sunt universi (*Al.* universa),
Subito morientur, et in media nocte turbabuntur populi, et pertransibunt,
et auferent violentum absque manu.
Oculi enim ejus super vias hominum,
et omnes gressus eorum considerat.
Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis,
ut abscondantur [1] ibi qui operantur iniquitatem
Neque enim ultra in hominis potestate est,
ut veniat ad Deum in judicium.
Conteret multos innumerabiles,
et stare faciet alios pro eis.
Novit enim opera eorum :
et idcirco inducet noctem, et conterentur.
Quasi impios percussit eos in loco videntium.
Qui quasi de industria recesserunt ab eo,
et omnes vias ejus intelligere noluerunt,
Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni,
et audiret vocem pauperum.
Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet ?
ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum.
et super gentem et super omnes homines ?
Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.

A Quia ergo ego locutus sum ad Deum,
te quoque non prohibebo.
Si erravi, tu doce me :
si iniquitatem locutus sum, ultra non addam.
Numquid a te Deus expetet eam, quia displicuit tibi?
tu enim cœpisti loqui, et non ego :
quod si quid nosti melius, loquere.
Viri intelligentes loquentur mihi.
Et vir sapiens audiat me.
Job autem (*Al. tac.* autem) stulte locutus est,
et verba illius non sonant disciplinam,
Pater mi, probetur Job usque ad finem :
ne desinas in hominibus iniquitatis [2] (h. iniquitatem).
Quia addit super peccata sua blasphemiam,
inter nos interim constringatur :
et tunc ad judicium provocet sermonibus suis Deum (h. et tunc multiplicet sermones suos ad Deum),

B IGITUR ELIU HÆC RURSUM LOCUTUS EST :

(*Cap.* XXXV). Numquid æqua tibi videtur tua cogitatio,
ut diceres : Justior Deo sum.
Dixisti enim : Non tibi placet quod rectum est :
vel quid tibi proderit. si ego peccavero ?
Itaque ego respondebo sermonibus tuis
et amicis tuis tecum.
Suspice cœlum et intuere,
et contemplare æthera quod altior te sit.
Si peccaveris, quid (*Al.* eum) nocebis ?
et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ (h. errores tui) quid facies contra eum ?
Porro si juste egeris, quid donabis ei?
aut quid de manu tua accipiet ?
Homini (h. viro), qui similis tui est, nocebit impietas tua,
et filium (*Al.* filius) hominis adjuvabit justitia tua (*Al.* justitiam tuam).

C Propter multitudinem calumniatorum clamabunt:
et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum.
Et non dixit : Ubi est Deus, qui fecit me,
qui dedit (h. dans) carmina in nocte ?
Qui docet nos super jumenta terræ,
et super volucres cœli erudit (*Al.* erudiet) nos.
Ibi clamabunt, et non exaudiet,
propter superbiam malorum.
Non ergo (h. verumtamen) frustra audiet Deus,
et omnipotens singulorum causas intuebitur.
Etiam cum dixeris (h. Etiam quia dixisti): Non considerat :
judicare coram illo, et exspecta eum.
Nunc enim non infert furorem (*Al.* judicium) suum,
nec ulciscitur scelus valde.
Ergo Job frustra aperit os suum,
et absque scientia verba multiplicat.

ADDENS QUOQUE ELIU HÆC LOCUTUS EST :

D (*Cap.* XXXVI.) Sustine me paululum, et indicabo tibi : adhuc enim habeo quod pro Deo loquar (*Al.* prodens loquar).
Repetam scientiam meam (h. scientia mea) a principio,
et operatorem meum probabo justum.
Vere enim absque mendacio sermones mei,
et perfecta scientia probabitur tibi.
Deus potentes (h. qui corde potentes sunt) non abjicit, cum et ipse sit potens.
Sed non salvat impios, et judicium pauperibus tribuit (*Al.* tribuet,)
Non auferet [3] a justo oculos suos,

[1] Monet Scholion marginale ms. codicis Majoris-Monasterii, hunc versum abesse in Hebræo : sed falsus est auctor adnotationis, aut certe usum habuit mutili ac imperfecti Hebraici exemplaris. MART.

[2] Cum Vulgatis Reginæ ms. *ne desinas ab homine iniquitatis*. Hebr. ad verbum, *ad respondendum viris iniquitatis*.

[3] Quod scholiastes mavult in instanti *aufert*, Palatin. quoque ms. præfert.

et reges in solio collocat in perpetuum,
et eriguntur (h. non aufert a justo oculos suos,
et a regibus ; in solio collocat eos in perpetuum,
et alii eriguntur).
Et si fuerint in catenis, et vinciantur funibus paupertatis :
Indicabit eis opera eorum,
et scelera eorum, quia violenti fuerint.
Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat :
et loquetur, ut revertantur ab iniquitate :
Si audierint, et observaverint, complebunt dies suos in bono,
et annos suos in gloria :
Si autem non audierint, transibunt per gladium,
et consumentur in stultitia.
Simulatores et callidi provocant iram Dei,
neque clamabunt cum vincti fuerint.
Morietur in tempestate anima eorum,
et vita eorum inter effeminatos.
Eripiet (*Al.* eriget) pauperem de angustia sua,
et revelabit in tribulationem aurem ejus.
Igitur salvabit te de ore angusto,
latissime, et non habhntis (h. habente) fundamentum subter se [1] :
requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.
Causa tua quasi impii judicata est,
causam judiciumque recipies.
Non te ergo superet ira. ut aliquem (h. temetipsum) opprimas :
nec multitudo donorum inclinet te.
Depone magnitudinem (h.tyrannidem)tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine.
Ne protrahas noctem,
ut ascendant populi pro eis.
Cave ne declines ad iniquitatem :
hanc enim cœpisti sequi (h. prosecutus) post (*Al. tac.* post) miseriam.
Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua
et nullus ei similis in legislatoribus.
Quis poterit scrutari viam (*Al.* vias) ejus?
aut quis ei dicere [2] : Operatus es iniquitatem?
Memento quod ignores opus ejus.
de quo cecinerunt (*Al.* ceciderunt) viri.
Omnes homines vident (h. viderunt) eum,
unusquisque intuetur procul (h. et homo intuebitur procul).
Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram :
numerus annorum ejus inæstimabilis.
Qui aufert stillas pluviæ,
et effundit imbres ad instar gurgitum.
Qui de nubilus fluunt, quæ prætexunt [3] cuncta desuper.
Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum,
Et fulgurare desuper lumine suo,
cardines quoque maris operiet.
Per hæc (h. Per ha...) enim judicat populos,
et dat escas multis mortalibus,
In manibus (h. prope) abscondit lucem,
et præcipit ei, ut rursus adveniat.
Annuntiat de ea amico suo,
quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere.
(*Cap.* XXXVII.) Super hoc expavit cor meum,
et emotum est de loco suo.
Audite auditionem in terrore vocis ejus,
et sonum (h.meditationem) de ore illius procedentem.

A Subter omnes cœlos ipsa considerat,
et lumen illius super terminos (h. altitudinem) terræ.
Post eum rugiet sonitus,
tonabit voce magnitudinis suæ :
et non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus.
Tonabit Deus in voce sua mirabiliter,
qui facit (h. faciens) magna et inscrutabilia.
Qui præcipit nivi, ut descendat in terram,
et hiemis pluviis, et imbri fortitudinis suæ.
Qui in manu omnium hominum signat,
ut noverint singuli opera sua.
Ingredietur bestia latibulum,
et in antro suo morabitur.
Ab interioribus egredietur tempestas,et ab Arcturo (*Al.* Austro) frigus.
Flante Deo, concrescit gelu,
et rursum latissimæ funduntur aquæ.
Frumentum desiderat nubes,
B et nubes spargunt lumen suum.
Quæ lustrant per circuitum,
quocunque eas voluntas gubernantis duxerit,
ad omne quod præceperit illis
super faciem orbis terrarum.
Sive in una tribu, sive in terra sua,
sive in quocunque loco misericordiæ suæ
eas jusserit inveniri.
Ausculta hæc, Job :
sta, et considera mirabilia Dei.
Numquid scis quando præceperit Deus pluviis,
ut ostenderent lucem nubium ejus ?
Nunquid nosti semitas nubium,
magnas et perfectas scientias (*Al.* scientia)?
Nonne vestimenta tua calida sunt,
cum perflata fuerit terra Austro ?
Tu forsitan fabricatus es cum eo cœlos
qui solidissimi quasi ære fusi sunt ?
Ostende nobis quid dicamus illi :
C nos quippe involvimur tenebris.
Quis narrabit ei quæ loquor ?
etiam si locutus fuerit homo, devorabitur :
At nunc non vident lucem :
subito aer cogetur in nubes,
et ventus transiens fugabit eas.
Ab aquilone aurum venit,
et ad Deum formidolosa laudatio.
Digne eum invenire non possumus (h.Omnipotens. *digne* invenire eum non *possumus*) :
magnus fortitudine, et judicio, et justitia,
ei enarrari non potest.
Ideo timebunt eum viri,
et non audebunt contemplari omnes
qui sibi videntur esse sapientes (h. et non contemplabitur omnes qui corde videntur esse sapientes).

RESPONDENS AUTEM DOMINUS JOB (*Al.* AD JOB) DE TURBINE, DIXIT :

D (*Cap.* XXXVIII.) Quis est iste involvens sententias
sermonibus imperitis ?
Accinge sicut vir lumbos tuos :
interrogabo te, et responde mihi.
Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ ?
indica mihi si habes intelligentiam.
Quis posuit mensuras ejus, si nosti ?
vel quis tetendit super eam lineam ?
Super quo bases illius solidatæ sunt ?

[1] Canonem San-Germanensem secuti sumus in hac divisione. Alii mss. codices legunt, *de ore angusto latissime, et non habentis fundamentum subter se*. MART.

[2] Ms. Reginæ, *quis* ⊢ *potest* ⊢ *dicere*, verbo *potest* quod et vulgati præferunt libri, ad eum modum utrinque obelis jugulato. Palatinus, *Quis ei dicere potuit : Operatus*, etc. Verum Hebræus neutrum habet, ac jure obelo verbum illud prænotatum est.

[3] In Reginæ ms. *Qui de nubibus pluunt, aquæ prætexunt*, etc. Scriptum fuisset, *quæ de nubibus*, etc., nam et Hebræus pergit de nubibus dicere, *Quæ stillant pluvias*, etc.

aut quis dimisit lapidem angularem ejus,
Cum me laudarent simul astra matutina,
et jubilarent omnes filii Dei?
Quis conclusit ostiis mare,
quando erumpebat quasi de vulvas procedens:
Cum ponerem nubem vestimentum ejus,
et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem?
Circumdedi illud terminis meis,
et posui vectem, et ostia:
Et dixit: Usque huc venies, et non procedes amplius,
et hic confringes tumentes fluctus tuos
Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo,
et ostendisti auroræ locum suum?
Et tenuisti concutiens extrema terræ,
et excussisti impios ex ea?
Restituetur (h. Vertetur) ut lutum signaculum,
et stabit sicut vestimentum:
Auferetur ab impiis lux sua,
et brachium excelsum confringetur.
Nunquid ingressus es profunda maris,
et in novissimis abyssi deambulasti?
Nunquid apertæ tibi sunt portæ mortis,
et ostia tenebrosa vidisti?
Nunquid considerastis latitudines (*Al*, latitudinem) terræ?
indica mihi, si nosti, omnia,
In qua via habitet lux,
et tenebrarum quis locus sit:
Ut ducas unumquodque (*Al.* unumquemque) ad terminos suos,
et intelligas semitas domus ejus.
Sciebas tunc quod nasciturus esses?
et numerum dierum tuorum noveras [h, nosti]?
Nunquid ingressus es thesauros nivis,
aut thesauros grandinis aspexisti?
Quæ præparavi in tempus hostis (*Al.* hosti),
in diem pugnæ et belli?
Per quam viam spargitur lux,
dividitur æstus (h. urens, id est, ventus) super terram?
Quis dedit vehementissimo imbri cursum,
et viam sonantis tonitrui,
Ut plueret super terram absque homine,
in deserto, ubi nullus mortalium commoratur;
Ut impleret inviam et desolatam (*Al. tac.* et desolatam),
et produceret herbas virentes?
Quis est pluviæ pater?
vel qui genuit stillas roris?
De cujus utero egressa est glacies?
et gelu de cœlo quis genuit?
In similitudinem lapidis aquæ durantur,
et facies [1] abyssi constringitur.
Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiadas (*Al.* Plyades),
aut gyrum Arcturi poteris dissipare?
Nunquid producis (*Al.* produces) Luciferum (h. astra) in tempore suo,
et vesperum super filios terræ consurgere facis?
Nunquid nosti ordinem cœli,
et pones rationem ejus in terra?
Nunquid elevabis in nebula [2] (h. ad nubem) vocem tuam, et impetus aquarum operiet te?
Nunquid mittes fulgura, et ibunt,
et revertentia dicent tibi: Adsumus?
Qui posuii in visceribus hominis [3] (h. ovorum) sapientiam?
vel quis dedit gallo intelligentiam:
Quis enerrabit cœlorum rationem,
et concentum cœli quis dormire faciet?
Quando fundebatur (h. funditur) pulvis in terra,
et glebæ conpingebantur [4] (h. compingitur)?
Nunquid capies leænæ prædam,
et animam catulorum ejus implebis,
Quando cubant in antris, et in specubus (*Al.* speculis) insidiantur?
Quis præparat corvo escam suam,
quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes [5],
eo quod non habeant cibos?
(*Cap.* XXXIX.) Nunquid nosti tempus partus ibicum (*Al.* hircorum) in petris,
vel parturientes cervas observasti?
Dinumerasti menses conceptus earum,
et scisti tempus partus earum?
Incurvantur ad fetum, et pariunt,
et rugitus emittunt.
Separantur filii earum,
pergunt ad pastum;
egrediuntur, et non revertuntur ad eas.
Quis dimisit onagrum liberum,
et vincula ejus (h. eteberi [6]) quis solvit?

[1] Nostri omnes mss. *et superficies*, etc. pro *et facies* legunt.

[2] Exemplar San-Germanense Canonis jam emendatum, *ad nebulam*: antea legebat cum cæteris omnibus mss., *in nebula*. MART.

[3] Notabile est præ multis scholion istud marginale, quia nullibi sive in Lexicis, sive apud interpretes hanc significantiam Hebrææ vocis טחות *tuhhoth* invenire potui. Volunt quidem critici verbum טחות, seu טוחות significare *præcordia* et *renes*, *abscondita* et *occulta*: at de *visceribus ovorum* altum apud illos æque ac apud Judæorum doctores silentium. Sicut ergo *renes* appellantur *tuhhoth* aut *tuchoth* propter adipem quo sunt obducti velut tectorio, ita meditullium et luteum ovorum merito טחות *tuhhoth* denominari possunt in lingua Hebraica ab absconsione et tegumentorum superinductione: nomen enim *tuhhoth* derivatur a radice טוח *tuahh.* quæ *oblinire*, *obducere* et *incrustare* significat. Gaudeat nunc lector curiosus restitutam sibi fuisse ab scholiaste perantiquo Hebrææ dictionis significantiam peculiarem, ac usque impræsentiarum inauditam. MART.

— Quod notat scholiastes *pro in visceribus hominis*, in Hebræo esse, *in visceribus ovorum*, unam textus vocem hanc habet בטחות quæ hic quidem *præcordia* magis placeret interpretari cum Aben Ezra, quam ut alibi *renes*, quod cordi, non renibus sapientia insideat. Cæterum quidquid coopertum est atque absconditum, atque adeo has ipsas penitissimas corporis partes notat, nec nisi ex ejus significationis analogia opinor, ad ovorum intima significanda posse deduci.

[4] In Hebræo ורבים ידבקו, *urgabim jedubacu*, id est *et glebæ compingebantur*, ut optime vertit Hieronymus. Fallitur proinde scholiastes hic loci, dum pro plurali verbum in singulari persona substituere curavit. MART.

[5] Rectius videri possit legere cum Sixti V, editione paucisque aliis vulgatis libris Palatinus ms. *vagientes* pro *vagantes*; cum vagire quidem suo utcunque modo, minime vero vagari possint corvorum pulli implumes, et parentum ope destituti. Nihilosecius et Hebræus יתעו, et Græcus πλανώμενοι, *vagantes* scriptum a S. interprete evincunt. Puta autem in ipso *vagantes* nido dici.

[6] Septuaginta ac Hieronymus פרא et ערוד, *Phere* et *arod*, promiscue accipiunt, tanquam sint duo nomina ejusdem feræ et pecudis silvestris: Scholastes vero aliud genus animalis indicare videtur monens pro relativo *ejus* quod *onagrum* respicit, in Hebræo esse *etebers*, *id est*, ערוד *arod* seu *garod*, quam vocem Latine vertit *eteberum*. Nunc quid sic *eteberus* non possumus divinare, quia nec vola nec vestigium hujus nominis apparuit nobis in magna librorum multitudine, quos investigando frustra revolvimus. Credi quoque nihil vetat errore librariorum corruptam ad nos pervenisse hujusmodi lectionem, et pro *eteberi*, forte legendum *id est feri*, aut quid simile. Doctiorum hic adsit judicium. MART.

Cui dedi in solitudine domum,
et tabernacula ejus in terra salsuginis.
Contemnit multitudinem civitatis,
clamorem exactoris non audit(*al.* audivit).
Circumspicit montes pascuæ suæ,
et virentia quæque perquirit.
Nunquid volet rhinoceros servire tibi,
aut morabitur, ad præsepe tuum?
Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loco tuo?
aut confringet glebas vallium post te?
Nunquid fiduciam habebitis in magna fortitudine ejus, et derelinques ei labores tuos?
Nunquid credes ei quod sementem reddat tibi,
et aream tuam congreget?
Penna struthionum similis est pennis herodii [1], et accipitris (h. Ciconiæ et milvi).
Quando derelinquit in terra ova sua.
tu forsitan in pulvere calefacies ea (h. derelinquit enim in terra ova sua, et in pulvere calefiunt)?
Obliviscitur quod pes conculcet ea.
aut bestiæ agri conterant.
Duratur ad filios suos quasi non sint sui,
frustra laboravit, nullo timore cogente.
Privavit enim eam Deus sapientia,
nec dedit illi intelligentiam.
Cum tempus fuerit, in altum alas erigit:
deridet equum et ascensorem ejus.
Nunquid præbebis equo fortitudinem,
aut circumdabis collo ejus hinnitum (h. aut induisti collum ejus cervicositate [2])
Nunquid suscitabis eum quasi locustas?
gloria narium ejus terror.
Terram ungula fodit,
exsultat audacter:
in occursum pergit armatis.
Contemnit pavorem, nec cedit gladio.
Super ipsum sonabit pharetra,
vibrabit hasta et clypeus [3].
Fervens et fremens sorbet terram,
nec reputat tubæ sonare clangorem.
Ubi audierit buccinam, dicet (*Al.* dicit): Vah!
procul odoratus bellum,
exhortationem ducum, et ululatum exercitus.
Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter,
expandens alas [4] suas ad austrum?
Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila,
et in arduis ponet nidum suum?
In petris manet, et in præruptis silicibus commoratur
atque inaccessis rupibus.
Indo contemplantur escam,
et de longe oculi ejus prospiciunt.
Pulli ejus lambent sanguinem:
et ubicunque cadaver fuerit, statim adest.

ET ADJECIT DOMINUS, ET LOCUTUS EST AD JOB:

(h. Et respondit Dominus ad Job, et dixit:
Nunquid qui contendit cum Deo (h. Omnipotente), tam facile conquiescit?
utique qui arguit Deum, debet respondere ei.

RESPONDENS AUTEM JOB DOMINO, DIXIT:

Qui leviter locutus sum, responde quid possum? (h. Qui vilis sum, respondere quid possum)?
manum meam ponam super os meum.
Unum locutus sum, quod utimam non dixissem:
et alterum (h. duo), quibus ultra non addam.

A RESPONDENS AUTEM DOMINUS JOB DE TURBINE, DIXIT

(*Cap.* XL.) Accinge sicut vir lumbos tuos:
interrogabo te, et indica mihi.
Nunquid irritum facies judicium meum:
et condemnabis me, ut tu justificeris?
Et si habes brachium sicut Deus,
et si voce simili tonas?
Circumda tibi decorem,
et in sublime erigere, et esto gloriosus,
et speciosis induere vestibus.
Dispergo superbos furore tuo,
et respiciens omnem arrogantem humilia.
Respice cunctos superbos, et confunde eos,
et contere impios in loco suo.
Absconde eos in pulvere simul,
et facies eorum demerge in foveam:
Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua.
Ecce Behemoth, quem feci tecum,
fenum quasi bos comedet.
B Fortitudo ejus in lumbis ejus,
et virtus illius in umbilico ventris ejus,
Stringit (Constringit) caudam [5] suam quasi cedrum,
nervi teesticulorum ejus perplexi sunt.
Ossa ejus velut fistulæ æris,
cartilago illius quasi laminæ ferreæ.
Ipse principium est viarum Dei,
qui fecit eum, applicabit gladium ejus (h. suum).
Huic montes herbas ferunt:
omnes bestiæ agri ludent ibi.
Sub umbra dormit
in secreto calami, et in locis humentibus.
Protegunt umbræ umbram ejus,
circumdabunt (h. circ....) eum salices torrentis.
Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur (h. et non *festinabit*).
habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus,
C In oculis ejus quasi hamo capiet eum,
et in sudibus perforabit nares ejus.
An extrahere poteris Leviathan hamo,
et fune ligabis linguam ejus?
Nunquid pones circulum in naribus ejus,
et (*Al.* aut) armilla perforabis maxillam ejus?
Numquid multiplicabit ad te preces,
aut loquetur tibi mollia?
Nunquid feriet tecum pactum,
et accipies eum servum sempiternum?
Nunquid illudes ei quasi avi (h. passeri),
aut ligabis cum (*Al.* eum) ancillis (h. puellis) tuis?
Concident eum amici,
divident eum negotiatores?
Nunquid implebis sagenas (h. tabernacula) pelle ejus,
et gurgustium piscium capite illius?
Pone super eum manum tuam:
memento belli, nec ultra addas *loqui* (non habet).
Ecce, spes ejus frustrabitur eum,
D et videntibus cunctis præcipitabitur,
(*Cap.* XLI.) Non quasi crudelis suscitabo eum?
quis enim resistere potest (*Al.* poterit) vultui meo?
Quis ante dedit mihi, ut (h. et) reddam ei:
omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt.
Non parcam ei,
et verbis potentibus, et ad deprecandum compositis.
Quis revelabit faciem indumenti ejus?
et in medium oris ejus quis intrabit?

[1] *Pro herodio, quod in Hebræo dicitur* ASIDA (חסידה), inquit Hieronymus, epist. *ad Sunniam et Fretelam*, « Symmachus ἐρωδιὸν, id est, *milvum* interpretatus est. Denique et nos ita vertimus in Latinum: *Ibi aves nidificabunt*, milvi abies domus est, » etc., Vide infra ad psalmum CIV. Hinc apparet verba Hebraica non uno modo a S. Doctore fuisse interpretata in Latinum sermonem. MART.

[2] Barbara vox pro equorum juba, vel superbia, ni fallor, posita ab scholiaste infimæ Latinitatis homine: si bene adverti in Prolegomenis. MART.

[3] Quod hic Hebræus præfer nomen, כידן, potius *lanceam* sonat, quam *clypeum*.

[4] Plus habent nostri mss. *expandens expandit alas*, etc. Mox unus Reginæ, *Aut ad præceptum tuum*, etc.

[5] Ms., *Stringit caudam*. MART.

Portas vultus ejus quis aperiet?
per gyrum dentium ejus formido.
Corpus illius quasi scuta fusilia,
Compactum squamis se prementibus.
Una uni conjungitur,
et ne spiraculum quidem incedit per eas :
Una alteri adhærebit,
et tenentes se nequaquam separabuntur.
Sternutatio ejus splendor ignis (h. luminis),
et oculi ejus, ut palpebræ diluculi.
De ore ejus lampades procedunt,
sicut tædæ ignis accensæ.
De navibus ejus procedit fumus,
sicut ollæ succensæ atque (*Al.* aquæ) ferventis.
Halitus ejus prunas ardere facit (h. prunæ at...s.),
et flamma de ore ejus egreditur.
In collo ejus morabitur fortitudo,
et faciem ejus præcedit egestas (h..... as.).
Membra carnium ejus cohærentia sibi,
mittet contra (h. super) eum fulmina,
et ad locum alium non ferentur (h. feretur).
Cor ejus indurabitur quasi lapis,
et stringetur quasi malleatoris incus (*Al.* incude).
Cum sublatus fuerit, timebunt angeli (h. dii),
et territi purgabuntur.
Cumque apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit,
neque hasta, neque thorax.
Reputabit enim quasi paleas ferrum,
et quasi lignum putridum, æs.
Non fugabit eum vir sagittarius,
in stipulam versi sunt ei lapides fundæ.
Quasi stipulam æstimabit malleum,
et deridebit (*Al.* derisit) vibrantem hastam.
Sub ipso erunt (h. non habet erunt) radii solis,
sternet sibi aurum quasi lutum.
Fervescere faciet quasi ollam profundum,
mare ponet quasi cum unguenta bulliunt.
Post eum lucebit semita,
æstimabat abyssum quasi senescentem.
Non est super terram potestas, quæ comparetur (h. super terram quod comparetur) ei;
Qui factus est, ut nullum timeret.
Omne sublime videt,
Ipse est rex super universos filios superbiæ (h...).

RESPONDENS AUTEM JOB DOMINO, DIXIT :

(*Cap.* XLIII.) Scio quia omnia potes
et nulla te latet cogitatio.
Quis est iste, qui celat consilium absque scientia?
ideo insipienter locutus sum,
et quæ ultra modum excederent scientiam meam.
Audi et ego loquar :
interrogabo te, et responde mihi [1].

A Auditu auris audivi te,
nunc autem oculus meus videt te.
Idcirco ipse me reprehendo,
et ago pœnitentiam in favilla et cinere.

POSTQUAM (h. Et fuit postquam) AUTEM LOCUTUS EST DOMINUS HÆC AD JOB, DIXIT AD ELIPHAZ THEMANITEN [2] :

Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Sumite igitur vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis : Job autem servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut servus meus Job.

B ABIERUNT ERGO ELIPHAZ THEMANITES, ET BALDAD SUITES, ET SOPHAR NAAMATHITES.

Et fecerunt sicut locutus fuerat ad eos (*Al. tac.* ad eos) Dominus, et suscepit Dominus faciem Job. Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam (h. Dominus quoque convertit captivitatem) Job, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia quæcunque fuerant Job, duplicia. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, et universæ sorores suæ, et cuncti qui noverant eum prius, et comederunt cum eo panem in domo ejus : et moverunt super eum caput, et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum: et dederunt ei, unusquisque ovem unam, et inaurem auream una. Do-
C minus autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus. Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, et sex millia camelorum, et mille juga boum, et mille asinæ. Et fuerunt ei septem filii, et filiæ tres. Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundæ Cassiam (*Al.* Cassiæ), et nomen tertiæ Cornustibii. Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra : deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum. Vixit autem Job post hæc, centum quadraginta annis, et vidit filios suos, et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem, et mortuus est senex et plenus dierum.

Explicit liber Job [3].

[1] Nostri mss. *et ostende mihi*, propius Hebræo verbo והודיעני.

[2] Notatum in Reginæ ms. majoribus litteris ex minio.

HIC PROSA ORATIO INCIPIT.

[3] Addit nec frustra Palatinus codex, *secundum Hebræum*. Sunt enim alii mss. qui hanc ipsam Hieronymianam Jobi versionem continent, quos inter unus S. Sergii Juliomagensis, satis antiquus ac probæ notæ a P. Calmeto inspectus, ac subdunt in calce veterem illam additionem, in qua de Jobi, aut Jobabi genealogia ab Esau disseritur, quam additionem ipse Hieronymus in *Quæst. in Gen.* respuit ea præcipue de causa, quod in Hebraicis codicibus non habeatur.

PRÆFATIO S. HIERONYMI

IN

LIBRUM [1] PSALMORUM JUXTA HEBRAICAM VERITATEM

Eusebius Hieronymus Sophronio suo Salutem.

Scio [2] quosdam putare Psalterium in quinque libros esse divisum [3], ut ubicunque apud Septuaginta Interpretes scriptum est, γένοιτο, γένοιτο, id est, *fiat, fiat*, finis libri sit, pro quo in Hebræo legitur [4]: AMEN, AMEN (אמן אמן). Nos autem Hebræorum auctoritatem secuti, et maxime apostolorum, qui semper in Novo Testamento Psalmorum librum nominant, unum volumen asserimus [5]. Psalmus quoque [*Al.* Psalmosque] omnes eorum testamur auctorum, qui ponuntur in titulis, David scilicet, Asaph, et Idithun, filiorum Core, Eman Ezrahitæ (*Al.* Israelitæ). Moisi et Salomonis, et reliquorum, quo Ezras uno (*Al.* uno) volumine comprehendit. Si enim AMEN (אמן), pro quo Aquila transtulit πεπιστωμένως, in fine [6] tantummodo librorum poneretur, et non A interdum, aut in exordio, aut in calce sermonis sive sententiæ, nunquam et Salvator in Evangelio loqueretur: *Amen, amen dico vobis :* et Pauli Epistolæ in medio illud opere continerent, Moses quoque et Jeremias, et cæteri in hunc modum multos haberent libros, qui in mediis voluminibus suis AMEN (אמן) frequenter interserunt. Sed et numerus viginti duorum Hebraicorum librorum, et mysterium ejudem numeri commutabitur. Nam et titulus ipse Hebraicus, SEPHAR THALLIM [7] (סתר תהלים), quod interpretatur *volumen hymnorum*, Apostolicæ auctoritati congruens, non plures libros, sed unum volumen ostendit. Quia igitur nuper cum Hebræo disputans, quædam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisti, volensque ille te illudere [8], per B multi, ut nihil ea de re dubium videatur, et in Hebraicis de nomine exemplaribus sui temporis servatam Eusebius præfatione in psalm. testetur. Ac licet sua etiam probabilitate non careat, quod alii autumant, inter ipsos olim Hebræos disputatum in utramque partem, ut essent ex iis, qui eam divisionem rejicerent; nihilosecius haud recte putabunt S. Doctorem ad ejus gentis provocasse auctoritatem, quorum erat aut sibi maximam partem contraria, aut sane incerta sententia. Denique haud scio, qua tandem alia ratione possit S. Pater, vel cum rei veritate convenire, vel ab apertæ antilogiæ culpa defendi qualis illa est in epist. 26. *ad Marcellam.* num. 3. *in quinque volumina Psalterium apud Hebræos divisum est;* et epistola 140 *ad Cyprianum*, num. 4 : *Aiunt Hebræi uno Psalmorum volumine quinque libros contineri*, etc. ; constabit vero optime sibi in ista, quam diximus, ejus vocabuli diversa acceptione; et si Hebræos hic interpretes opponi Septuaginta Interpretibus, eorumque præferri putes auctoritatem, utraque salva res erit. Cæterum hinc quoque apparet, quam longe a vero aberret Cassiodorus, qui divisionem istam Psalmorum in quinque libros Hieronymo utpote auctori tribuit,

[1] Hunc librum ad quatuor vetustissimos optimæque notæ codices mss. exegimus, quorum duo olim Reginæ Suecorum numeris prænotantur II et 1286, tertius Vaticanæ ipsius bibliothecæ numerum obtinet 134; quartus, atque is demum reliquis fere præstantior, Cisterciensis est olim Nonantulani asceterii, nunc S. Crucis, in Jerusalem de Urbe sub num. 104. Sed quod hanc spectat ipsam Hieron. præfationem, sive epistolam ad Sophronium, alios præterea multos ex Italiæ bibliothecis in consilium adhibuimus.

[2] Aliam in librum psalmorum præfationem substituunt exscriptores Canonis Hebraicæ veritatis; nam cum scirent hos psalmos ex Hebræo Latine conversos esse ab Hieronymo, hujus quoque editionis genuinum eum putarunt prologum, in quo initium istud est : *In Hebræo libro Psalmorum*, etc. Quod opus spurium ac omnino suppositium Hieronymo etiam ascribit exemplar San Germanense nostrum. At de his alibi. MART.

[3] Hebræorum hanc fuisse præ cæteris consuetudinem, Psalterium in quinque partes sive libros tribuendi, tum ex veterum Patrum testimoniis accepimus, tum ab ipsa Hebræi codicis partitione, ubi minoribus litteris ספר שני *liber secundus*, post psalmum XLII : et ספר שלישי, *liber tertius* post psal. LXXII; et רבעי, *quartus*, a psalmo XC; denique et חמשי, *quintus* a CVII inscribitur. Cum vero Hieronymus, qui divisionem hanc respuit, Hebræos ipsos auctores se habere mox dicat, non recutitam eam gentem, et synagogæ magistros eo arbitror nomine designasse, ut vulgo hactenus existimatum est; sed veteres ex Hebræis prognatos interpretes, quos præsto habebat in Hexaplis, Aquilam puta, Symmachum, Theodotionem, atque alios, qui Hebræum textum contentiose magis sunt interpretati, quosque adeo τοῖς LXX voluit opponere. Ipsum quoque Hexaplare Hebræum exemplar in mente habuerit, in quo nulla erat distinctionis nota, quod Origenes in Fragmento apud Montfauconium in Hexaplis testatur, ἐν μέντοι τῷ Ἑβραϊκῷ οὐδενὶ τῶν Ψαλμῶν ἀριθμὸς παρακεῖται. Alioquin ita certo ab Hebræis, eorumque codice partitionem illam derivant veteres Patres, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Ambrosius, aliique C

[4] Vatic. ms. *pro eo quod legitur*, etc.

[5] Hieronymus in epist. ad Cyprianum exponens psalmum CXXXIX, de eodem argumento ita fassus est : *Aiunt Hebræi, uno Psalmorum volumine quinque libros contineri.* In epist. vero *ad Marcellam* scripta cujus initium : *Nuper cum pariter essemus*, aliis verbis eamdem sententiam expressit : *In quinque siquidem volumina*, inquit ille, *Psalterium apud Hebræos divisum est.* Plura de hac divisione Psalterii, de auctoribus Psalmorum, deque Hebræorum אמן, *amen*. Vide epistolis nunc citatis, MART.

[6] Interserit hic Vatic. ms. corrupta verba, *nec sit tanent*, puto ut Latinis litteris *nepistomenos* iterum repræsentaret : *ponitur* quoque legit pro *poneretur*, D

[7] Psalterium ms. Sorbon. legit *Sepheratalim*. MART.

[8] Unus Reginæ ms. cum Vaticano, *eludere*.

sermones pene singulos asserebat, non ita haberi in Hebræo, ut tu de Septuaginta Interpretibus opponebas, studiosissime postulasti, ut post Aquilam et Symmachum et Theodotionem, novam editionem Latino sermone transferrem. Aiebas enim te magis interpretum varietate turbari et amore (*Al.* amorem tuum) quo laberis, vel translatione, vel judicio meo esse contentum. Unde impulsus a te, cui et quæ possum, debeo, et quæ non possum, [1] rursum me obtrectaturum latratibus tradidi, maluique te vires potius meas quam voluntatem in amicitia quærere. Certe confidenter dicam, et multos hujus operis testes citabo, me nihil, duntaxat scientem [2], de Hebraica veritate mutasse. Sicubi ergo editio mea a veteribus discreparit, interroga quemlibet Hebræorum, et liquido pervidebis, me ab æmulis frustra lacerari, qui malunt contemnere videri [3] præclara, quam discere. Perversissimi homines. Nam cum [4] semper novas expetant voluptates; et gulæ eorum vicina maria non sufficiant: cur in solo studio Scripturarum, veteri sapore contenti sunt? Nec hoc dico, quo præcessores [5] meos mordeam, aut quidquam de his arbitrer detrahendum, quorum translationem diligentissime emendatam, olim meæ linguæ hominibus dederim; sed quod aliud sit in Ecclesiis Christo credentium Psalmos legere, aliud Judæis singula verba calumniantibus respondere. Quod opusculum meum, si in Græcum (ut polliceris) transtuleris, ἀντιφιλονεικων τοῖς κατασύρουσιν [6] et imperitiæ meæ doctissimos viros testes facere volueris, non secus facies quam illi, qui ante arbores ramusculos afferunt: unde merito dicam tibi illud Horatianum: *in silvam ne ligna feras*. Hæc quantumvis sibi cohærere videantur, non mihi multum arridenti; tum quod sententia perfecta sit absque his Græcis verbis: tum quia reperiuntur codices mss. in quibus absunt hujusmodi voces: talis est Sorbonicus, talis et Vaticanus n. 344. Denique nec Erasmus nec Marianus proverbii istius Græci meminere in suis edition.; nescio an rei difficultate victi, au potius defectu vetustiorum exemplarium mss. quibus nos abundamus, manifesto satis numine. MART.

— Vix dictu est, quam in hoc loco restituendo pro suo quisque ingenio laboraverint homines doctissimi, ab exposita primum per Benedictinum editorem Græca mss. codicum lectione ad hanc usque diem: priores enim editores et critici. Græca paulo corruptiora elementa hic loci quid essent et quid sibi vellent non assecuti, penitus prætermiserunt. Postquam vero lecta utcunque fuerunt a Martianæo, atque alio tandem Latino sensu donata, cum nec Græce tamen satis recte haberent, Latine conati sunt æque alii infeliciter: ut post variam hominum contentionem, quid significarent, incertius propemodum esset quam antea. Se ait ille invenisse in vetustoribus scriptum, ANTΙΦΑΟΝΙΚΩΝ ΤΟΒΑΙΑ CΥΡΟΥCΙΝ, quæ legi posse docet. ἀντὶ φοινίκων τὰ βαΐα σύρουσιν, ac reddi, *coram palmis ramos palmæ trahunt*. Ut sensus sit, si opusculum meum in Græcum transtuleris, et imperitiæ meæ doctissimos viros testes facere volueris, non secus facies, quam illi, qui ante arbores ramusculos afferunt: unde merito dicam tibi illud Horatianum, *in silvam ne ligna feras*. Quam vero falsa ea sit lectio, quamque ipsa incongrua, atque absurda sententia, ex his, quæ mox explicanda sunt, ne in ea confutanda perdamus operam, plane constabit. Quanquam in hoc minus peccatum velim a Martianæo, damusque ultro veniam, si in perquam difficili conjungenda atque explananda sententia deceptus est. Illud magis improbandum, quod ea ipsa verba, quæ sibi optime cohærere videbantur, vetuit in textum recipi: ac levibus sane de causis, puta quod perfectus orationis sensus absque illis sit, tum quia duo codices mss. suppetebant, unus Sorbonicus, alter Vaticanus, a quibus voces illæ aberant, temere repudiavit. Enimvero si qui mss. iis carent, nemo non intelligit, librarii alicujus Latini hanc fuisse culpam, qui Græca sibi ignota vacabula prætermisit: nam fieri vix potuit, ut in plerisque aliis exemplaribus, atque iis et longe vetustioris ætatis, et melioris notæ, ea perperam de suo quis addiderit. Id porro ipsum, quod etiam sine verbis illis perfecta constet sententia, in causa fuit impe-

[1] Ita ad alterius vetustissimi Reginæ ms. et ad veteris editionis an. 1496 fidem locum hunc restituimus. Nullo autem ferme sensu cum alii libri, tum Martian. legerat, *cui et quæ possum, negare non possum*. Verbum *debeo* Vaticanus quoque ms. agnoscit, tametsi tantum legat, *cui et non possum debeo*, verbis, *et quæ possum* prætermissis. Alia ex parte pro vocibus *debeo et, quæ*, duo alii e nostris mss. cum editis libris *negare*, eo quo diximus sensu legunt. Malim itaque concurrentibus pro virili parte singulis codicibus, perfectius multo locum ita restitui, *Cui et quæ possum debeo: et quæ non possum negare non possum*. Pronum nempe est suspicari, earumdem occursu vocum solemni errore deceptos amanuenses, alterum isocolon prætermisisse. Nihilominus congoruo æque sensu, et utroque retento verbo, legitur in Apologia contra Rufinum secunda num. 30, ubi postrenam hanc suæ Præfationis partem recognoscit S. Pater, *cui et quæ non possum, negare non debeo*, eaque fortasse est reliquis præferenda lectio. Denique nec male habet antiquissimus Reginæ liber, *cui et quæ non possum, negare non possum*, etc.

[2] In veteri dudum laudata editione, *nihil duntaxat sententiæ*, pro *scientem*. Quæ quidem lectio incommoda ipsa quoque non est; fortasse autem et verior videri nonnullis possit, qui Hieronymianam interpretandi rationem ac modum, id est, non verbum e verbo, sed sensum e sensu, innui velint. Verum obstat geminus huic locus in Prologo Galeato, ubi de sua ipse conscientia loquens, *Mihi*, inquit, *omnino* CONSCIUS *non sum, me aliquid de Hebraica veritate mutasse*.

[3] Fortasse rectius legendum est, *contemnere et invidere*, etc., pro *videri*. Paria his tamen habet S. Pater in prologis ad versionem Psalmorum ex Græco, et ad librum Paralipomenon. Sententiam autem videtur a Plinio accepisse.

[4] Ms. codex S. Michaelis in periculo maris multa sic habet addita et mutata: « Me ab æmulis frustra laniari, qui vel invidia vel supercilio malunt contemnere videri præclara, quam discere. Perversissimi homines: et de turbulento magis rivo quam de purissimo fonte potari. Nam cum, » etc. MART.

[5] *Præcessores* habent mss., non *prædecessores*. MART.

— Restituimus *præcessores*, quod mss. libri omnes atque editi vetustiores præferunt. Antea erat, *prædecessores*.

[6] Addunt hoc loco vetustiora exemplaria quasdam Græcas voces, e quibus nullum sensum elicere potui: ΑΝΤΙΦΑΟΝΙΚΩΝ ΤΟΒΑΙΑ CΥΡΟΥCΙΝ, nisi legendum sit, ἀντὶ φοινίκων τὰ βαια σύρουσιν, id est *coram palmæ ramos palmæ trahunt*. Sensus est, si opusculum meum in Græcum transtuleris, et

simos quoque (*Al.* quosque) viros testes facere voluèris, dicam tibi illud Horatianum [1] : *In silvam ne ligna feras.* Nisi quod hoc habebo solamen, si in labore communi intelligam, mihi et laudem, et vituperationem tecum esse communem. Valere te in Domino Jesu [*Al. tac.* Jesu] cupio, et meminisse mei [2].

rito scribæ, ut quæ minus intelligebat, tutius prætermitteret : atque alia ex parte magis evincit, non esse illa e glossatoris profecta ingenio, quæ nihil opus fuerat supplere. Sunt igitur quam quæ maxime Hieronymiana, quæ repudiare post tot exemplarium auctoritatem non licebat. Verum de recta eorum lectione ac sensu inquirendum est. Nuper alius de Benedictinorum grege Martinus ita Græca legit, ut nescio quid de *Syrorum Conopeo* dictum velit, et persuadere vulgo multis conetur, nobisque dicam, prout est hominis ingenium, imperitiæ impingat. Librum ejus olim nos ante annos fere decem oculis lustravimus quem cum nec teruncii faceremus, adnotare quid ejus esset stupiditatis omisimus. Clericus *Artis Criticæ* parte III, sect. 1, cap. 14, docturum id se, satis confidenter pronuntiat, atque uno verbo interpretaturum quod Parisienses Benedictini assequi non potuerunt. Attamen (quod operæ pretium fuisset) ne litterula quidem una ab eorum lectione in Græco mutata, vertendum tantum ait, *pro dactylis, ramos trahentibus* : quod egregium in hoc loco sensum habere contendit, siquidem obscure atque eleganter Hieronymus illudit Græcis, qui versionem tantum LXX Interpretum hujus libri legebant, quam tacite confert ramis fructu destitutis, quales sunt rami palmarum : Hebraicam vero veritatem *fructui*, quem dum Græci se decerpere putabant, frustra erant, et steriles duntaxat ramos vellebant. Hæc tota ejus ratiocinatio est, quam ex Plinii, lib. XII, cap. 4, testimonio de palmæ natura, quæ pomum fert in cacumine, non inter folia, insultando exaggerat. Reposuit vero Martianæus, suam conatus defendere multis verbis interpretationem, certe quanta potuit animositate, atque in adversarium contumelia. Tum nugari cœptum est magis, atque ut semel dicam, Andabatarum inter eos more pugnatum est. Alii, qui studio partium pugnæ successerunt (longum enim est hic singulos recensere), præcipue vero qui Ephemerides litterarias scribunt, Latinum sensum nunc uno, nunc altero substituto verbo, ad præconceptam opinionem trahere atque explicare conati sunt. Nemo unus de religenda Græca lectione cogitavit, quam tamen, ut recepta pridem erat, obscuram sententiam reddere, ipsi non diffitebantur ; imo si attentius ad S. Doctoris exegissent contextum ac mentem, fere absurdam ac minime cohærentem invenissent. Tentanda igitur fuit Græca scriptura, et investiganda in antiquioribus mss. vera ex corruptis ipsis junctisque vario elementis lectio. Qua in re si nobis e sententia successerit, tute, lector, judicabis, atque uno judicio si restitutionem nostram probaveris, aliorum, ne iis confutandis longiores simus, conjecturas explodes. Jam vero e quindecim mss. quos consuluimus, quippe pari omnes consensu, tametsi paulo corruptius, litteras eas Græcas retinent, duo, quorum alter Reginæ Suecorum sub num. 11 laudatus, atque unciali charactere perscriptus, habet :

I IC
ANTIΦΛONIKωNTO BΛIΛ CYPOYCIN : alter quem diximus S. Crucis in Jerusalem de Urbe, nec sane multo sequioris ætatis aut notæ, ANTIΦIAONIKON. TOICA IA CYPOYCIN. His facem præferentibus, statim eluxit menti sensus, atque is sane perspicuus atque elegantissimus, quem S. ipse Pater intendit. Priorem itaque dictionem ἀντιφιλονεικῶν uno verbo accipimus, vix una litterula a mss. tramite recedentes. Alteram quoque voculam τοῖς, iidem mss. suffecerunt : tantum nos a reliquis elementis articulum sejunximus. Restabant ΑΙΛ aut ΒΛΙΑ, et σύρουσιν, quæ rursum in unum compingenda vocem intelleximus, κατασύρουσιν. Mutavimus autem litteras BVIV in KATA, tum recto cogente sensu, tum ipsa litterarum similitudine ac ductu ; sciunt enim qui veteres libros tractarunt, B pro K, et Λ pro A, denique I pro T, transversa superne lineola oculos effugiente, a Latinis præcipue amanuensibus sæpe sæpius confundi. Hinc porro isthæc exsurgit in Latino sententia : *Contentiose* (sive *exemplarium contentione*) *reponens iis qui detrahunt.* Nempe ita ἀντιφιλονεικεῖν verbum sonat, contentione alicujus rei adversario obsistere ac repugnare : et κατασύρειν detrahere, quod nemo ignorat, et apud lexicographos passim obvia probant exempla. Vide, si lubet, S. ipsum Doctorem in commentar. in Epist. ad Galatas cap. v, 21. Sensus ad orationis seriem sic habet : Si opusculum meum, Sophroni, in Græcum transtuleris, ut ejus ex Hebræo versionis contentione, Græcis, et qui Græcorum LXX Interpretum obtentu, mihi detrahunt, reponas : et doctissimos quoque ex his imperitiæ meæ testes facere voluèris, dicam tibi illud Horatianum, etc. Cum scilicet plus nimio sit Græcorum Interpretum, nihil in ea lingua versionem istam recoquere est opus. Nimirum et Venusinum poetam Græce versus molientem dehortus in somniis est Romulus, satir. 10, quod plus satis poetarum esset apud Græcos :

> In silvam ne ligna feras insanius ac si
> Græcorum magnas malis implere catervas.

Nihil hic palmarum, aut dactyli, ramorum, aut fructuum : nulla ejus, quod nusquam fuit, proverbii apud Hieronymum mentio.

[1] Horat. lib. I *Serm.* Sat. 10. MART.

[2] Regius ms. et Corbeiensis, *Vale in Domino Jesu cupio te meminisse mei.* Vaticanus proximo memoratus, *Vive in Domino Jesu*, etc. MART.

INCIPIT

LIBER PSALMORUM.

[I.) Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, A
et in via peccatorum non stetit,
et in cathedra derisorum non sedit.
Sed in lege Domini [1] voluntas ejus,
et in lege ejus meditabitur die ac nocte.
Et erit tanquam [2], lignum transplantatum juxta rivos [3]. (h. rivulos) aquarum,
quod fructum suum dabit in tempore suo.
Et folium ejus non defluet (*Al.* fluent),
et omne quod fecerit prosperabitur.
Non sic impii,
sed tanquam pulvis quem projicit ventus.
Propterea non resurgent impii in judicio, neque peccatores in congregatione justorum.
Quoniam novit Dominus viam justorum, et via (*Al.* iter) impiorum peribit.
(II.) Quare turbantur [5] (h. turbabuntur) gentes, et tribus (h. plebes) meditabuntur inania?
Consurgent reges terræ, et principes tractabunt pariter adversus Dominum, et adversus Chris- B
tum ejus.
Disrumpamus vincula eorum,
et projiciamus a nobis laqueos eorum.
Habitator cœli ridebit.
Dominus subsannabit eos.
Tunc loquetur ad eos in ira sua,
et in furore suo conturbabit eos.
Ego autem orditus sum [6] (unxit) regem meum super Sion montem sanctum meum.
Annuntiabo (h. Narrabo) Dei præceptum.
Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te,
Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam,
et possessionem tuam terminos terræ.
Pascea eos in virga ferrea,
ut vas figuli conteres eos.
Nunc ergo, reges, intelligite,
erudimini, judices terræ.
Servite Domino in timore,
et exsultate [7] in tremore,
Adorate [8] puro
ne forte irascatur, et rereatis de via.
Cum exarserit post paululum furor ejus,
beati omnes qui sperant in eum.

PSALMUS [9] DAVID, CUM FUGERET A FACIE ABSALON FILII SUI,

(III.) Domine, quare multiplicati sunt hostes mei,
multi consurgunt adversum (*Al.* contra) me.
Multi dicunt animæ meæ.
Non est salus huic in Deo. SEMPER [10].
Tu autem, Domine, clypeus circa me, gloria mea
et exaltans caput meum.
Voce mea ad Dominum clamabo,
et exaudiet me de monte sancto suo.
SEMPER.
Ego dormivi, et soporatus sum:
evigilavi, quia Dominus sustentavit me.
Non timebo millia populi, quæ circumdederunt me.
Surge, Domine, salvum me fac, Deus meus,
quia percusisti omnium inimicorum meorum maxillam,
dentes impiorum confregisti.
Domini est salus,
super populum tuum [11] benedictio tua.
SEMPER

VICTORI IN PSALMIS CANTICUM (*h. Psalmus*) DAVID.

(IV.) Invocantem me exaudi me, Deus justitiæ meæ,
in tribulatione dilatasti mihi:
Miserere mei,

[1] Cisterciens. ms. interserit *fuit*, quod tacet Hebræus textus verbum.

[2] Quæ deinceps occurrunt margini apposita C
scholia cum *h* nota, e suis ut vocat, Canonis Hebraicæ veritatis mss. exemplaribus Martianæus descripsit.

[3] Monemus lectorem studiosum omnia isthæc scholia marginalia quæ deinceps occurrunt in toto Psalt. posita esse in exemplaribus Canonis Hebr. veritatis, ubi incorruptus fere servatur textus Versionis Hieronymi cum hujusmodi adnotatiunculis ad marginem. Porro eadem scholia translata sunt imperitia librariorum in contextum sacrum psalm., ita ut in tribus antiquis mss. codicibus textus mutatus inveniatur cum annotationibus marginalibus per totum Psalterium Manuscripti illi sunt, Vaticanus Bibliorum sacrorum codex n. 5729, codex item Biblicus Augustinorum Burdigalensium, et alter monasterii S. Michaelis in periculo matris. Nonnullam etiam partem scholiorum invenimus in aliis exemplaribus mss. unde in editos libros facile derivari potuerunt. Nos ad fidem codicum mss. D
vetustissimorum ac optimæ notæ, omnia suis locis restituere curavimus. MART.

[4] Iterum Cisterciens. ms. *tanquam arbor transplantata*, et cohærenter, *quæ fructum*, etc. Sequitur cum vetustissimo Reginæ ms. atque ipso Scholiaste, *juxta rivulos*, etc.

[5] Quod mavult Scholiastes *turbabuntur*, nostri quoque mss. præferunt.

[6] Hic quoque juxta Scholiastem *unxi* habent mss. nostri pro *orditus*: et mox *sanctum suum* pro *meum* legunt, Hebræo tamen contradicente.

[7] Interserit Cisterciens. ms. *ei* voculam.

[8] Locum istum urget Rufinus adversus Hieronymum, quod nempe alibi vertisset, *adorate filium*. Sed hujus reprehensionis imperitiam acriter ac crudite retundit S. Doctor, ostendens verba Hebraica נשקו בר *nascu bar*, diversis interpretationibus posse converti. « Quid ergo, inquit, ecclesiasticæ fidei nocet, si doceatur lector, quot modis apud. Hebr. unus versiculus explanetur. » Cætera vide apud ipsum l. I. Apologiæ adversus Rufinum. MART.

— Sic ipse olim legit S. Augustinus in Speculo, ubi Hieronymianam hanc Hebræo translationem diligentissime sequitur. Recolendus porro ad hunc locum S. interpres in Apologia contra Rufinum lib. I, num. 19.

[9] In Cisterciensi ms. *Canticum* inscribitur. Tum in Regio *Abessalon* scriptum est pro *Absalon*.

Iterum in Cisterciensi, *Domine, quid grandes sunt*, etc. Hebræus בה רבו.

[10] Quid significet illud *semper*, quod apud Hebr., סלה, *sela*, apud Græcos autem *Diapsalma* dicitur, vide in epistola Hieronymi *ad Marcellam*, cujus principium est: « Quæ acceperis, reddenda sunt cum fenore. » MART,

[11] Tacet Cisterciens. ms. *tuum*: alter vero Reginæ subsequentes voces, *benedictio tua*.

et exaudi orationem meam.
Filii viri usquequo inclyti mei (h. gloria mea) ignominiose
diligitis vanitatem quærentes mendacium SEMPER.
Et cognoscite quoniam mirabilem reddidit (*Al.* reddet)
Dominus sanctum (h. misericordem) suum,
Dominus exaudit cum clamavero ad eum.
Irascimini et nolite peccare,
loquiminiin cordibus vestris super cubilia vestra,
et tacete. SEMPER.
Sacrificate sacrificium justitiæ,
et fidite in Domino.
Multi dicunt : Quis ostendit nobis bonum ?
leva super nos lucem vultus tui, Domine.
Dedisti lætitiam in corde meo,
a tempore [1] frumentum et vinum eorum multiplicata sunt ;
In pace simul requiescam et dormiam,
quia tu, Domine specialiter securum habitare B fecisti me.

VICTORI SUPER [2] HÆREDITATIBUS CANTICUM (*h. Psalmus*) DAVID.

(V.) Verba mea auribus percipe, Domine [3],
intellige murmur meum (h. meditationem meam).
Adverte ad vocem clamoris mei [4]
rex meus et Deus meus,
quia te deprecor.
Domine, mane audies vocem meam,
mane præparabor ad te, et contemplabor. [5].
Quoniam non Deus volens iniquitatem (h. impietatem) tu,
nec habitabit juxta te malignus.
Non stabunt iniqui in conspectu oculorum tuorum,
odisti omnes operantes iniquitatem.
Perdes loquentes mendacium,
virum sanguinum et dolosum
abominabitur Dominus.
Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ
introibo (*Al. add.* in) domum tuam,
adorabo in templo sancto tuo in timore tuo.
Domine, deduc me in justitia tua propter insidiatores (h. decantores) meos,
dirige ante faciem meam viam tuam.
Non est enim in ore eorum rectum,
interiora eorum insidiæ :
Sepulcrum patens guttur eorum,
linguam suam lenificant [6].
Condemna eos Deus,
decidant a consiliis suis :
Juxta multitudinem scelerum eorum expelle eos :
quoniam provocaverunt te (*Al. ad* Deus).
Et lætentur omnes qui sperant in te,
in perpetuum (h. in sæculum) laudabunt :
Et proteges eos,
et lætabuntur in te, qui diligunt nomen tuum.
Quia tu benedices justo,
Domine, ut scuto (h. hasta) placabilitatis coronabis eum,

A VICTORI IR PSALMIS SUPER OCTAVA CANTICUM (*h. Psamus*) DAVID.

(VI.) Domine, ne in furore tuo arguas me,
neque in ira tua corripias me,
Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum
ego (*Al. tac.* ego),
sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.
Et anima mea conturbata (*Al.* turbata) est valde,
et tu, Domine, usquequo ?
Revertere, Domine, erue animam meam, salva me
propter misericordiam tuam.
Quoniam non est in morte recordatio tui,
in inferno quis confitebitur tibi ?
Laboravi in gemitu meo.
natare faciam tota nocte lectum (*Al.* lectulum)
meum,
lacrymis meis stratum meum rigabo.
Caligavit præ amaritudine (h. irritatione) oculus
B meus,
consumptus sum ab universis hostibus meis.
Recedite a me omnes, qui operamini iniquitatem,
quia audivit Dominus vocem fletus mei
Audivit Dominus deprecationem meam,
Dominus orationem meam suscepit [7].
Confundantur et conturbentur vehementer omnes
inimici mei,
revertantur et confundantur subito(h.in momento

IGNORATIO DAVID [8], QUOD CECINIT DOMINUS SUPER VERBA ÆTHIOPIS FILII JEMINI.

(VII.) Domine Deus meus in te speravi,
salva me ab omnibus persequentibus me, et libora me.
Ne forte rapiat [9] ut leo animam meam.
laceret, et non sit qui eruat.
Domine Deus meus, si feci istud,
si est iniquitas in manibus meis.
C Si reddidi retribuentibus mihi malum,
et dimisi hostes meos vacuos.
Persequatur inimicus animam meam, et apprehendat (*Al.* comprehendat).
et conculcet in terra vitam meam,
et gloriam meam in pulverem collocet [10].
SEMPER.
Surge, Domine (*Al.* Deus), in furore tuo,
elevare indignans super hostes meos ; et consurge (h. expergiscere) ad me judicio quod mandasti.
Et congregatio tribuum (h. plebium) circumdet te,
et pro eo (*Al.* hac) in altum revertere.
Dominus judicabit (*Al.* judicat) populos,
judica me, Domine (*Al.* Deus) secundum justitiam meam,
et secundum simplicitatem meam quæ est in me.
Consumatur malum iniquorum (h. impiorum):
et confirmetur justus [11],
et probator cordis et renum Deus justus.
D Clypeus meus in Deo,
qui salvat rectos corde [12].
Deus judex justus,

[1] Tres nostri mss. *in tempore.*

[2] Idem mss. *pro* habent pro *super*. Cisterciensis *David* nomen præterea reticet. Denique unus Reginæ cum aliis apud Marian. in ipso Psalmo *audi* legit pro *auribus percipe.*

[3] Ita exemplaria Canonis ; cæteri, *audi, Domine.* MART.

[4] Cisterciensis cum vulgatis libris, *Intende voci orationis meæ*, cujus versiculi spatium in antiquissimo Reginæ vacat : est tamen in Hebræo.

[5] Addit Cisterciensis ms. *et sperabo :* et in subsequentis versus fine cum Regio *es* voculam.

[6] In mss. nostris *levificant* : In Hebræo יחליקון

[7] In futuro *suscipiet* mss. Cisterciens. legit *pressius* Hebræo יקח.

[8] Canon Carcass. et ms. Carnutensis *pro ignoratione Dàvid*: consequenter vero in ms. S. Michaelis, *super verbis Chusi.* MART.

— Nostri mss quoque alii Martianæo inspecti *pro ignoratione*, et consequenter *super verbis Chusi*, Cisterciens. *pro verbis.*

[9] Idem nostri mss. *ne forte capiat.*

[10] Unus Cisterciens. ms. *in pulverem conculcet*

[11] Tres mss. *justitiâ*, subsequenti etiam et vocula prætermissa. Pseudo-Hieronymus in Commentar. ad hunc locum. « In Hebræo, *inquit*, ita scriptum est : *Scrutans corda et renes, Deus*, justus, ut postea consequatur, *Adjutorium meum a Deo.* » etc.

[12] Reginæ ms. reticet *corde.*

et fortis, et [1] comminans tota die.
Non convertenti (*Al.* convertet) gladium suum acuet.
arcum suum tetendit, et paravit illum.
Et in ipso paravit vasa mortis,
sagittas suas ad comburendum operatus est.
Ecce parturit iniquitatem,
et concepto dolore, peperit mendacium [2].
Lucum aperuit, et effodit eum,
et incidet in interitum quem operatus est.
Revertetur dolor (h. dolus) suus in caput ejus,
et super verticem ejus iniquitas sua descendet.
Confitebor Domino secundum justitiam ejus,
et psallam (*Al.* cantabo) nomini Domini altissimi.

VICTORI PRO TORCULARIBUS CANTICUM (h. Psalmus) DAVID [3].

(VIII.) Domine (*Al.* Dominus) dominator noster,
quam grande est nomen tuum in universa terra:
qui posuisti gloriam tuam super cœlos.
Ex ore infantium et lactentium fecisti [4] (h. fundasti) laudem (h. virtutem),
propter adversarios tuos,
ut quiescat inimicus et ultor.
Videbo enim cœlos tuos opera digitorum tuorum,
lunam et stellas quæ fundasti (h. præparasti),
Quid est homo, quoniam recordaris ejus,
vel filius hominis, quoniam visitas eum?
Minues (*Al.* minuisti) eum paulo minus a Deo,
gloria et decore coronabis eum.
Dabis ei potestatem super opera manuum tuarum,
cuncta posuisti sub pedibus ejus.
Oves et armenta omnia,
insuper et animalia agri.
Aves cœli et pisces maris,
qui pertranseunt semitas marium [5].
Domine dominator noster,
quam grande est nomen tuum in universa terra.

VICTORI SUPER MORTE [6] FILII CANTICUM (h. Psalmus) DAVID.

(IX) Confitebor Domino in toto corde meo,
narrabo omnia (*Al.* omnia) mirabilia tua.
Lætabor et gaudebo in te,
canam (h. psallam) nomini tuo. Altissime.
Cum ceciderint (h. converterint) inimici mei retrorsum,
corruerint et perierint a facie tua.

A Fecisti enim judicium meum et causam meam,
sedisti super solium judex justitiæ.
Increpasti (*Al.* increpuisti) gentes, periit impius.
nomen eorum delesti in sempiternum (h. sæculum) et jugiter.
Inimici [7] completæ sunt solitudines in finem,
et civitates subvertisti:
periit memoria eorum cum ipsis.
Dominus autem in sempiternum (h. sæculum) sedebit,
stabilivit ad judicandum solium suum.
Et ipse judicabit [8] orbem in justitia, judicabit populos in æquitatibus.
Et erit Dominus elevatio oppresso,
elevatio opportuna in angustia.
Et confident in te qui noverunt nomen tuum,
quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.
Cantate (h. Psallite) Domino habitatori Sion.
annuntiate in populis cogitationes ejus.
B Quoniam quærens (*Al.* quærentes) sanguinem eorum recordatus est,
nec oblitus est clamoris (*Al.* clamorem) pauperum.
Miserere mei [9], Domine,
vide afflictionem meam ex inimicis meis,
qui exaltas me de portis mortis.
Ut narrem (*Al.* Et enarrem) omnes laudes tuas
in portis filiæ Sion,
exsultabo in salutari tuo.
Demersæ sunt gentes in interitu quem fecerunt,
in reti [10] quod absconderunt, captus est pes eorum
Agnitus est Dominus judicium faciens,
in opere manuum (h. palmarum) suarum corruit impius.
Sonitu SEMPER [11].
Convertantur impii in infernum,
omnes gentes quæ oblitæ sunt Deum.
Quoniam non in æternum oblivioni erit pauper
C exspectatio pauperum [12] peribit in perpetuum.
Surge, Domine, non confortetur homo: judicentur gentes ante faciem tuam.
Pone, Domine, terrorem eis:
sciant gentes, homines esse se. SEMPER.

QUARE, DOMINE, STAS A LONGE 13,

(X.) Despicies in temporibus angustiæ.

[1] Voculam *et* nostri mss. tacent. Falsus Hieronymus in Commentar. *Melius*, inquit, *in Hebræo habetur*, Comminatus in omni die, *quod Aquila quoque transtulit.*

[2] Ms. Corbeiens. prima manu, et canon San-Germanensis correctus, *et concepto dolo peperit mendacium.* MART.

— Cisterciens ut et alii apud Martian. mss. *concepto dolo:* quod potius critici alicujus perversa cura, quam librarii factum existimo incuria.

[3] *Victori pro torcularibus ipsi David.* Sic inscribunt octavum Psalmum Canon Carcass. et alii duo mss. MART.

[4] In nostris mss. *perfecisti*: mox unus Reginæ, *adversarios meos* habet pro *tuos.*

[5] In exemplaribus Canonis Heb. veritatis scriptum legimus, *qui pertranseunt ponti mari:* sed in nostro San-Germanensi additur secunda manu syllaba *um*, ut legatur *marium*: in margine etiam positum est istud scholion, *h. semitas;* quod respondet *ponti* in textu, Codex Vaticanus, et alter S. Michaelis in Periculo Maris, nec non unus Augustinorum Burdigalensium legunt quod nos posuimus. Quatuor alii, nempe Regius, Corbeiens. Carnutensis, et Sorbonicus retinent cum edito, *semitas ponti.* MART.

— Cisterc. ms. *pertranseunt vias aquarum:* Regius autem *semitas Ponti*, ut et Martian. in aliquot e suis invenit.

[6] Pari consensu *Pro morte* præferunt nostri mss.

[7] Tacet Regin. ms. vocem *inimici*, legitque, *completæ solitudiuis in fine.* Cisterciens, *defecerunt frameæ* cum antiquis versionibus.

[8] In instanti *judicat*, tum hoc, cum subsequenti versu mss. nostri omnes legunt.

[9] Iidem nostri mss. *Misertus est mei Dominus, vidit afflictionem: qui exaltat me*, etc.

[10] Ms. Cisterciens, *in fovea quam fecerunt, in rete*, etc.

[11] Plures ms. *sonitu sempiterno*, vel *cum sonitu sempiterno.* Canon San-Germanensis, et Vaticanus D codex ms. Psalm., *cum sonitu semper.* Editus legit juxta Hebr. *meditatione semper.* At verbum *meditationis* non apparet in novem mss. nostris. Apud LXX, ODA DIAPSALMATIS scribitur: hinc S. Hieronymus ait in epist. nunc 138: *Nonus Psalmus distinguitur cantico diapsalmatis.* MART.

[11] Abest hic in Hebr. ac in utroque exemplari Canonis particula negativa *non*, quæ tamen subintelligenda est ex præcedentibus: idque ante nos docuit vir, si quis alius, linguæ Hebr. consultissimus, noster Thomas Dufour. לֹא non « semel positum, inquit, aliquando in aliis periodis membris subintelligitur, ut Psal. IX: Non in finem oblivio erit pauperis; patientia pauperum (non) peribit in finem. » Hæc ille in opere Grammatio linguæ Hebr. page 235. MART. — Negandi particulam quæ subauditur, expresse hic interserunt nostri mss.

[13] Sic in medio columnæ describunt hunc versum exemplaria Canonis, ad distinctionem scilicet Psalm.

In superbia impii ardet pauper :
capiantur in scelcribus quæ cogitaverunt.
Quia laudabitur impius in desiderio animæ suæ [1],
et avarus applaudens sibi blasphemavit Dominum.
Impius secundum altitudinem iræ suæ non requiret[2]:
nec (*Al.* non) est Deus in omnibus cogitationibus ejus.
Parturiunt viæ ejus in omni tempore :
longe (h. in excelso) sunt judicia tua a facie ejus,
omnes inimicos suos despicit.
Loquitur in corde suo, Non movebor :
in generatione et generatione ero sine malo.
Maledictione os ejus plenum est, et dolis et avaritia:
sub lingua ejus dolor et iniquitas [3].
Sedet insidians juxta vestibula
in absconditis interficit [4] innocentem :
oculi ejus robustos circumspiciunt·
Insidiatur in abscondito,
quasi leo in cubili ;
Insidiatur ut rapiat pauperem :
rapiet pauperem cum (*Al.* dum) attraxerit eum ad rete suum.
Et confractum subjiciet,
et irruet viribus suis valenter.
Dixit in corde suo, Oblitus est Deus :
abscondit faciem suam, non respiciet in perpetuum
Surge, Domine Deus [5] (h. o Deus), leva manum tuam :
noli oblivisci pauperum.
Quare blasphemat impius Deum,
dicens in corde suo quod non requiras [6].
Vides (h. Vidisti) quia tu laborem et furorem respicis,
ut detur in manu tua :
Tibi relinquuntur (*Al.* derelinquuntur) fortes tui,
pupillo tu es factus adjutor [7].
Contere brachium impii et maligni :
quæres impietatem ejus (*Al.* eorum), et non invenies.
Dominus rex sæculi et æternitatis,
perierunt gentes de terra ejus.
Desiderium pauperum audivit Dominus (h. audisti, Domine).
præparasti cor eorum [8], audiat auris tua.
Ut judices pupillum et oppressum,
et nequaquam ultra superbiet (*Al.* superbiat) homo de terra.

VICTORI DAVID.

(XI.) In Domino speravi,
quomodo dicitis animæ meæ,
transvola in montem [9] sicut passer.
Quia ecce impii tetenderunt arcum :
posuerunt sagittam suam super nervum,
ut sagittent in abscondito rectos corde.
Quia leges dissipatæ sunt,
justus quid operatus est ?
Dominus in templo sancto suo,
Dominus in cœlo thronus ejus :
A Oculi ejus vident,
palpebræ ejus probant filios hominum.
Dominus justum probat.
impium autem et diligentem iniquitatem, odit anima ejus.
Pluet (*Al.* Pluit) super peccatores (h. impios) laqueos,
ignis et sulphur, et spiritus tempestatum pars calicis eorum.
Quoniam justus Dominus justitias dilexit :
rectum videbunt (*Al.* viderunt) facies eorum.

VICTORI PRO OCTAVA CANTICUM [h. Psalm.) DAVID.

(XII.) Salva, Domine [10], quoniam deficit sanctus (h. misericors).
quoniam imminuti sunt fideles a filiis hominum.
Frustra loquuntur (*Al.* loquitur) unusquisque proximo suo,
labium dolosum in corde, et corde locuti sunt.
B Disperdat Dominus omnia labia dolosa,
linguam magniloquam.
Qui dixerunt, Linguam nostram roboremus,
labia nostra nobiscum sunt : quis Dominus (h. dominator) noster [11] ?
Propter vastitatem inopum et gemitum pauperum.
nunc consurgam, dicit Dominus :
ponam in salutari auxilium eorum.
Eloquia Domini eloquia munda :
argentum probatum [12],
separatum a terra, colatum septuplum.
Tu, Domine, custodies ea,
servabis nos a generatione hac in æternum.
In circuitu impii ambulabunt (*Al.* ambulant),
cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum.

VICTORI CANTICUM (h. Psalm.) DAVID.

(XIII.) Usquequo, Domine, oblivisceris me (*Al.* mei) penitus :
usquequo abscondes faciem tuam a me ?
C Usquequo ponam consilia (*Al.* consilium) in anima mea,
dolorem in corde meo per diem,
usquequo exaltabitur inimicus meus super me?
Convertere (h. Aspice), exaudi me [13], Domine Deus meus :
illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.
Ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum :
hostes mei exsultabunt, cum motus fuero.
Ego autem in misericordia tua confido,
exsultabit cor meum in salutari tuo :
cantabo Domino, qui reddidit mihi.

VICTORI DAVID.

(XIV.) Dixit stultus in corde suo,
Non est Deus :
Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt studiose:
D

decimi, qui apud Hebr. initium sumit ab his verbis. Cæteri codices continuate scribunt, conjunguntque in unum hos duos Psal. Inde error numerorum exoritur in consequentibus, ut pro undecimo decimus notetur, ac pro decimo tertio duodecimus: et ita de cæteris. MART.

— Martianæus ad hunc modum ex utroque Canonis, ut vocat, exemplari descripsit majusculis litteris ad novi Psalmi in Hebræo archetypo initium significandum. Nostri autem mss. continenter scribunt, sine ulla divisionis aut numeri nota.

[1] Codex Regius ac Carnutensis legunt cum editis libris : *Quia laudabit impius desiderium animæ suæ.* MART. — In nostris mss., ut et duobus apud Mart. *laudabit*, etc.

[2] Codex Reginæ *secundum multitudinem furoris, sui non requiret*, et *furoris* quidem pro *iræ* alii *quoque* codices legunt.

[3] Mss. Vaticanus, Corbeiensis, et Canon San-Germanensis emendatus *dolus et iniquitas.* MART.

[4] Mss. quoque nostri, ut tres pene Mart. *ut interficiat.* Mox Cisterciens. addit *tuos* ad *robustos.*

[5] Addit denuo Cisterciens. ms. *meus.*

[6] In reginæ ms. ut et aliis penes Martian. *requirat :* Cisterciens. *requiratur.*

[7] Aliquot mss., *tu cris factus adjutor ;* alii nonnulli, *tu eris adjutor.* MART.

[8] Tres e nostris mss. *præparasti, ut cor eorum*, etc.

[9] Nostri mss. *transvola montem, ut avis.*

[10] In Cisterciensi, *Salva me, Deus :* et mox juncto Regio *labium subdolum* pro *dolosum.*

[11] Duo mss. addunt verbum *est.*

[12] Iidem mss. aliique penes Martianæum *argentum igne probatum.*

[13] Cisterciens. *Attende, et exaudi me*, etc.

non est qui faciat bonum.
Dominus de cœlo prospexit super filios hominum,
ut videret si est intelligens [1], requirens Deum.
Omnes recesserunt, simul conglutinati sunt.
non est qui faciat bonum, non est usque ad unum [2].
Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem:
qui devorant populum meum ut cibum panis?
Dominum non invocaverunt.
Ibi trebidabunt formidine [3],
quoniam Deus in generatione justa.
Consilium pauperum confudistis :
quoniam Dominus spes ejus est.
Quis dabit de Sion salutem Israel?
quando reduxerit Dominus captivitatem populi sui,
exsultabit Jacob, lætabitur Israel.

CANTICIS (*h. Psalm.*) DAVID.

(XV.) Domine, quis peregrinabitur in tentorio tuo [4],
qui (*Al.* et qui) habitavit in monte sancto tuo?
Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam,
loquiturque veritatem in corde suo.
Qui non est facilis in lingua sua,
neque fecit (*Al.* facit) amico (h. sodali) suo malum :
et opprobrium non sustinuit super vicinum (h. proximum) suum.
Despicitur in oculis ejus improbus,
timentes autem Dominum glorificabit (*Al.* glorificat) :
jurat ut se affligat, et non mutat.
Pecuniam suam non dedit ad usuram,
et munera adversus innoxium non accepit :
Qui facit hæc,
non movebitur in æternum.

HUMILIS ET SIMPLICIS DAVID.

(XVI) Custodi me, Deus, quoniam speravi in te,
Dixi [5] Domino, Dominus meus es tu :
bene mihi non est sine te.
Sanctis qui in terra sunt et magnificis,
Omnis voluntas mea in eis.
Multiplicabuntur idola eorum, post tergum sequentium [6] :
non libabo libamina eorum de sanguine,
neque assumam nomina eorum in labiis meis,
Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei [7],
tu possessor (h. restitutor) sortis meæ.
Lineæ [(*Al.* Linetæ] ceciderunt mihi in pulcherrimis
et hæreditas speciossima mea est,
Benedicam Domino qui Dedit consilium mihi :
insuper et noctibus erudierunt me renes mei.
Proponebam Dominum (*Al. tac.* Dominum) in conspectu meo (h. coram me) semper :
quia a dextris meis est (*Al.* es). ne commovear.
Propterea lætatum est cor meum, et exsultavit gloria mea,
et caro mea habitabit confidenter,
Non enim derelinques animam meam in inferno :
nec dabis sanctum (h. misericordem) tuum videre corruptionem.
Ostendes mihi semitam vitæ.
plenitutudinem (h. satietatem) lætitiarum [8] ante vultum tuum,
decores in dextera tua æternos.

ORATIO DAVID.

(XVII.) Audi, Deus, justum (h. Audi, Domine, justitiam),
intende deprecationem meam ;
Auribus percipe orationem meam,
absque labiis mendacibus (*Al.* mendacii).
De vultu tuo (h. De conspectu tuo) judicium meum prodeat :
oculi tui videant æquitates.
Probasti cor meum, visitasti nocte :
conflasti me, et non invenisti [9] ;
cogitatio mea utinam non transisset os meum.
In opere Adam,
in verbo labiorum tuorum,
ego observavi vias (h. semitas) latronis.
Sustenta gressus meos in callibus tuis,
et non labantur (*Al.* labentur) vestigia mea.
ego invocavi te, quia exaudies me Deus [10] ;
inclina aurem tuam mihi, audi eloquium meum.
[11] Mirabiles fac misericordias tuas, salvator sperantium.
a resistentibus dexteræ tuæ.
Custodi me quasi pupillam (h. filiam) intus oculi,
in umbra alarum tuarum protege me.
A facie impiorum vastantium me.
Inimici mei animam meam circumdederunt
adipe suo concluserunt ;
et ore locuti sunt superbe.
Incedentes adversum me, nunc circumdederunt me:
oculos suos posuerunt declinare in terram.

[1] In Reginæ ms. *Si esses intelligens*, sequitur Cisterciens. *aut requirens*.

[2] Spatium hic vacuum reliquunt exemplaria Canonis Hebr. veritatis, ac mss. codices Carnutensis et Sorbonicus, qui per tres columnas descripti, triplicem complectuntur versionem Psalm. Hoc autem spatio indicant absentiam octo versuum, quorum Apostolus videtur meminisse in Epist. ad Romanos (*cap.* III, *vers.* 12 *seqq.*) : et si nihil exstet hujusmodi versuum in Hebraico fonte, neque apud LXX translatores, sed tantum in editione Vulgata quæ Græce κοινή dicitur et in toto orbe diversa erat Hieronymi tempore, ut ipse testatur in Præfat. lib. XVI Comment. in Isaiam prophetam. Videsis eodem loco Eustochium virginem ac Hieronymum Ecclesiæ doctorem de istis versibus disputantes. Consule etiam Jo. Is. Levitæ Germani Defensionem veritatis Hebr. adversus Lindanum l. I, pag. 40. MART.

[3] Idem Cisterciens. *timebunt formidinem*.

[4] Exscriptor codicis Vaticani legit hic loci, non quod invenerat, sed quod intelligebat : *Quis peregrinabitur in territorio tuo*: MART.

[5] Hebr. hodiernus corruptam habet lectionem *dixisti* pro *dixi*, id est, אמרת *amarth*, sive *amartha*, pro אמרתו *amarthi*. Aliquot mss. Latini legunt, *Dicens Deo*, pro *Dixi Domino*. MART.
—Aliquot mss. *Dicens Deo*. De Hebræa, quæ varie reddi potest, lectione consule criticos sacros.

[6] Longius multo abit Cisterciens. ms. *Multiplicentur dolores eorum, et postea sequentur te : non libabo* (Al. ms. *litabo, libamina eorum, quia gravior est quam effusio sanguinis; neque assumam*, etc., quæ glossatoris quidem et paraphrastæ ingenium potius quam interpretis sapiunt. Prior tamen ille sensus de multiplicatis doloribus, non idolis, æque bene ex Hebræo textu elicitur.

[7] In recto habet idem ms., *Et calix meus*.

[8] Canon Ecclesiæ Carcass., *Plenitudinem divitiarum*. MART.

[9] Locus insigniter mutatus ac depravatus tam in editis, quam in mss. libris : Canon San-Germanensis, et Vaticanus codex cum Corbeiensi legunt ut nos edidimus. Duo alii in hunc modum : *Conflasti me, et non invenisti cogitationes meas. Utniam non transsisset os meum in opere hominum; propter verbum labiorum tuorum*, etc. Regius ms. : *Conflasti me et non invenisti cognitiones meas transire os meum in opera hominum. Propter verbum labiorum tuorum*, etc. Similiter Canon Carcassonensis et ms. Sorbonicus, his exceptis, *in opere hominum*. MART.

[10] Mss. tres, *exaudisti me, Deus*. MART.

[11] Minori numero Cisterciens. cod. *mirabilem fac misericordiam tuam*, et mox *in oculo* pro *intu oculi*.

Similitudo ejus quasi leonis desiderantis prædam, et quasi catuli sedentis [1] in absconditis.
Surge, Domine, prævені faciem ejus, incurva eum : salva animam meam ab impio, qui est gladius tuus.
A viri manus tuæ, Domine,
qui mortui sunt in profundo :
Quorum pars in vita,
et quorum et absconditis tuis replesti ventrem.
Qui satiabuntur in filiis,
et dimittent reliquias suas parvulis eorum.
Ego in justitia videbo faciem tuam,
implebor (h. satiabor) cum evigilavero similitudine tua.

VICTORI SERVO DOMINI DAVID, QUÆ LOCUTUS EST DOMINO VERBA CANTICI HUJUS, IN DIE QUA LIBERAVIT EUM DOMINUS DE MANU OMNIUM INIMICORUM SUORUM [2], ET DE MANU SAUL, ET AIT :

(XVIII.) Diligam te Domine, fortitudo mea,
Dominus (*Al.* Domine) petra mea [3], et robur meum, et salvator meus.
Deus meus fortis meus, et sperabo in eo ;
scutum meum, et cornu salutis meæ, susceptor meus.
Laudatum invocabo Dominum,
et ab inimicis meis salvus ero.
Circumdederunt me funes mortis.
et torrentes diaboli (Belial) terruerunt me,
Funes inferi cicumdederunt me,
prævenerunt me laquei mortis.
In tribulatione mea invocabo (*Al.* invocavi) Dominum,
et ad Deum meum clamabo.
Exaudiet de templo sancto [4] suo vocem meam,
et clamor meus ante faciem ejus veniet in aures ejus.
Commota est, et contremuit terra :
et fundamenta montium concussa sunt,
et conquassata sunt quoniam iratus est.
Ascendit et fumus in (*Al.* de) furore ejus :
et ignis ex ore ejus devorans,
carbones accensi sunt ab eo.
Inclinavit cœlos, et descendit,
et caligo sub pedibus ejus.
Et ascendit super cherub. (*Al.* cherubin), et volavit,
et volavit super pennas ventι.
Posuit tenebras latibulum suum :
in circuitu ejus tabernaculum ejus,
tenebrosas aquas in nubibus aeris [5].
Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt,
grando et carbones ignis.
Et intonuit in cœlis (*Al.* de cœlo) Dominus,
et Altissimus dedit vocem suam [6] :
grandinem et carbones ignis.
Et misit (*Al.* emisit) sagittas suas, et dissipavit eos,
A fulgura multiplicavit, et conturbavit illos.
Et apparuerunt effusiones aquarum,
et revelata sunt fundamenta orbis.
Ab increpatione tua, Domine :
ab inspiratione spiritus furoris tui.
Misit de alto, et acepit me,
extrahet me [7] de aquis multis.
Liberavit me de inimico meo potentissimo,
et de his qui oderunt me quoniam robustiores me erant.
Prævenerunt me in die afflictionis meæ,
et factus est Dominus firmamentum meum.
Et eduxit me, in latitudinem,
liberavit me [8], quoniam placui ei.
Retribuit mihi Dominus secundum justitiam meam.
secundum munditiam manuum mearum reddidit mihi.
Quia custodivi vias Domini,
et non egi impie a Deo meo.
B Omnia enim judicia ejus in conspectu meo,
et præcepta ejus non amovi a me.
Et fui immaculatus cum eo,
et custodivi me ab iniquitate mea.
Et restituet (*Al.* restituit) mihi Dominus secundum justitiam meam.
secundum munditiam manuum mearum in conspectu oculorum ejus.
Cum sancto sanctus eris.
cum viro innocente innocenter ages.
Cum electo electus eris,
et cum perverso subverteris (*Al.* pervertes).
Quia tu populum pauperem salvabis,
et oculos excelsos humiliabis.
Quia tu illuminabis lucernam meam [9].
Domine Deus meus, illustrabis tenebram meam (*Al.* tenebras meas).
In te enim curro [10] accinctus (h. curram post accinctos).
C et in Deo meo transiliam (*Al.* insiliam) murum.
Deus immaculata via ejus,
eloquium Domini examinatum [11] :
scutum est omnium sperantium in se.
Quoniam [12] quis est Deus præter Dominum,
et quis fortis præter Deum nostrum ?
Deus qui (*Al. tac.* qui accingit) me fortitudine,
et posuit immaculatam viam meam.
Coæquans pedes meos cervis,
et super excelsa mea [13] statuens me.
Docens manus meas ad prælium,
et componens quasi arcum æreum brachia mea.
Dedisti mihi clypeum salutis tuæ (*Al.* meæ),
et [14] dextera tua confortavit (*Al.* confirmavit) me,
et mansuetudo tua multiplicavit me.
Dilatabis gressum meum (*Al.* gressus meos) subtus me.
et non deficient tali mei (*Al. tac.* mei).
Persequar inimicos meos, et apprehendam,
D

[1] Interserit Regin. ms. *leonis*,
[2] In Cisterc. ms. voces *suorum*, et in fine, *ut ait*, non habentur.
[3] Regius, Corbeins., Carnut. et Sorbonicus mss. codices legunt : *Domine, petra mea.* MART.
[4] Addictum *sancto* nostri omnes mss. ignorant.
[5] Iidem mss. nostri, aliique apud Martian., *tenebrosa aqua in nubibus ætheris.*
[6] Hunc versum cum precedenti copulant exemplaria Canonis ; contra quod docuit S. Hieron. in epist. ad Sunniam et Fretelam : « Et quæretis, inquit, cur Græcus istum versiculum secundo non habeat interpositis duobus versibus, » etc. Quæstio erat de isto versiculo, *grando et carbones ignis*, qui semel tantum in Græco contextu legebatur ; in Hebr., autem iterum post duos versus positus extat. De Hebr. quoque et de Theodotionis editione in Septuaginta Interpretibus sub asterisco additum fuit comma istud. MART.
[7] Duo mss. *extraxit me* : tum subsequenti proxime versu, cum plerisque aliis apud Martian. *de inimicis mei potentissimis.*
[8] Unus Cisterciens. *liberavit me*, sequitur Reginæ cod. *quia placuit ei.*
[9] Duo mss., *Quia tu illuminas* ; *et consequenter, illustrabit tenebras meas*, legunt aliquot alii codices. MART.
[10] Quod præfert. Hebr. Scholiastes, *curram*, duo quoque e nostris mss. præferunt.
[11] Iidem mss. addunt hic *igne.*
[12] Adverbium *quoniam* nostri mss. tresque alii Martianæo inspecti non agnoscunt.
[13] Tacent duo e nostris mss. *mea.*
[14] Hic spatiolum vacuum relinquunt exemplaria quatuor mss. superius laudata, quo denotant abesse Hebr. voluminibus unum versum, quem, non nullæ interpretationes repræsentant.

et non revertar, donec consumam eos.
Cædam eos, et non poterunt surgere,
cadent sub pedibus meis.
Et accinxisti me fortitudine ad prælium.
incurvabis resistentes mihi sub me.
Inimicorum meorum dedisti mihi dorsum,
et odientes me disperdidisti.
Clamabunt, et non erit qui salvet :
ad Dominum, et non exaudiet eos.
Delebo (h. Comminuam) eos ut pulverem ante faciem venti,
ut lutum platearum projiciam eos.
Salvabis me a contradictionibus populi ;
pones me in caput gentium.
Populus quem ignoravi, serviet mihi :
auditione auris obaudiet mihi.
Filii alieni mentientur mihi :
Filii alieni defluent,
et contrahentur in angustiis suis.
Vivit Dominus, et benedictus Deus (h. fortis) meus
et exaltabitur (*Al.* exaltetur) Deus salutis meæ.
Deus, qui das vindictas mihi,
et congregas populos sub me.
Qui servas me ab inimicis meis,
et a resistentibus mihi elevas me :
a viro iniquo liberabis (*Al.* libera) me.
Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine.
et nomini tuo cantabo (h. psallam).
Magnificanti salutes regis sui,
et facienti misericordiam [1] Christo suo.
David et semini ejus usque in æternum (h. sæculum).

VICTORI CANTICUM (h. Psalm.) DAVID.

(XIX.) Cœli enarrant gloriam Dei,
et opus manuum ejus annuntiat firmamentum.
Dies diei eructat verbum,
et nox nocti indicat scientiam.
Non est sermo, et non sunt verba,
quibus non audiatur vox eorum,
In universam terram exivit sonus eorum,
et in finem orbis verba eorum :
soli posuit tabernaculum in eis.
Et ipse quasi sponsus procedens (*Al.* procedit) de thalamo suo,
exsultavit, ut fortis ad currendam viam (h. semitam.
A summitate cœli egressus ejus,
et cursus (*Al.* recursus) ejus usque ad summitatem illius :
nec est qui se abscondat a calore illius.
Lex Domini immaculata
convertens animam :
Testimonium Domini fidele,
sapientiam præstans parvulo (*Al*, parvulis).
Præcepta Domini recta
lætificantia cor.
Mandatum Domini lucidum
illuminans oculos.
Timor Domini mundus
A perseverans in sæcula (h. æternum) :
Judicia Domini vera,
Justificata in semetipsis.
Desiderabilia super aurum
et lapidem pretiosum multum (h. obryzum).
et dulciora super mel et favum redundantem.
Unde et servus tuus docebit ea :
in custodiendis eis fructus multus.
Errores quis intelligigit :
ab occultis munda me.
A superbis quoque libera servum tuum,
si non fuerint dominati mei, tunc immaculatus ero,
et mundabor a delicto maximo.
Sint placentes sermones oris mei,
et meditatio cordis mei in conspectu tuo :
Domine, fortitudo mea, et redemptor meus.

VICTORI CANTICUM (h. Psalm.) DAVID.

B (XX.) Exaudiat te Dominus in die tribulationis :
protegat te nomen Dei Jacob.
Mittat tibi auxilium de sancto.
et de Sion roboret te.
Memor sit omnis sacrificii tui,
et holocaustum tuum, (*Al. tac.* tuum) pingue flat.
SEMPER.
Det tibi secundum cor tuum,
et omnem voluntatem tuam (h. omne consilium tuum) impleat.
Laudabimus in salutari tuo [2]
et in nomine Dei nostri deducemus [3].
Impleat Dominus omnes petitiones tuas :
nunc scio quoniam salvabit Dominus christum suum :
Exaudiet eum de cœlo sancto suo,
in fortitudinibus [4] salutis dexteræ suæ.
Hi in curribus, et hi in equis :
nos autem in nomine Domini Dei nostri recordabimur [5]
C Ipsi curvati (*Al.* incurvati) sunt et ceciderunt :
nos vero surreximus et erecti sumus
Domine, salva :
rex exaudiet nos in die qua invocaverimus eum [6].

VICTORI CANTICUM (h. Psalm.) DAVID.

(XXI.) Domine, in fortitudine tua lætabitur rex,
et in salutari tuo exsultabit vehementer.
Desiderium cordis ejus dedisti ei,
et voluntate labiorum ejus non fraudasti. SEMPER [7].
Quoniam prævenies eum benedictionibus bonitatis [8] :
pones in capite ejus coronam obryzam [9].
Vitam petivit a te, dedisti ei :
longitudinem dierum in sæculum et in æternum.
Magna gloria ejus in salutari tuo :
gloriam et decorem pones super eum.
Pones enim eum benedictiones in sempiternum [10].
exhilarabis eum lætitia apud vultum tuum,
D Quia rex confidet in Domino,
et in misericordia Excelsi non decipietur :
Inveniet (*Al.* Inveniat) manus tua omnes inimicos

[1] In Regin. mss. *magnificant salutes*, et cohærenter, *facient misericordiam.*

[2] Plures ms. *Laudabimur in salutari tuo, et in nomine Dei nostri ducemus choros* MART.

[3] Idem juncto Cisterciens. ms. pluresque alii penes Martian. *ducemus choros* : fortasse verius.

[4] Iidem mss., *in fortitudine.*

[5] Editi libri ac mss. tres : *Nos autem nominis Dei nostri recordabimur.* MART.

[6] Aliter Reg. August. Burdegal. et S. Michaelis exemplaria mss. quæ hoc modo legunt : *Rex exaudiet nos in die, qua invocaverimus te.* Corbeiensis codex, et Carnutensis ; *in die qua invocaverimus :* juxta Hebraicum hodiernum, *in die clamare nos.* Exemplaria Canonis, atque Vaticanum codicem secuti sumus. Tandem Sorbonicus ita habet : *Rex excudi nos in die qua invocaverimus te.* MART. — Cisterciensis ms. *rex et exaudit nos in die qua invocaverimus*, absque addito *eum.*

[7] Quidam mss. addunt *eum*, alii præterea diapsalmatis notam *semper* expungunt,

[8] Corbeiens. Vatic. et Sorb. *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus bonitatis.* Deinde iidem mss. Sorb. ac Corbeiensis cum duobus aliis legunt *coronam de lapide pretioso.* MART.

[9] Pro *obrizam* nostri mss. habent *de lapide pretioso.* Mox Cisterc. et pro voculis *a te.*

[10] Iterum nostri omnes mss. aliique apud Martian. *benedictionem sempiternam.*

tuos :
dextera tua inveniet odientes te.
Pones eos ut clibanum ignis
in tempore vultus tui :
Dominus in furore suo præcipitabit (*Al.* præcipitavit) eos,
et devorabit (*Al.* devoravit) eos ignis.
Fructum eorum (*Al. tac.* eorum) de terra perdes.
et semen eorum de filiis hominum,
Quoniam inclinaverunt super te malum,
cogitaverunt scelus quod non potuerunt.
Quoniam (*Al.* quia) pones eos humerum,
funes (h. nervos) tuos firmabis contra facies eorum.
Exaltare, Domine (*Al.* Deus), in fortitudine tua,
cantabimus et psallemus fortitudinem tuam (*Al.* fortitudines tuas).

VICTORI PRO CERVO MATUTINO [1] CANTICUM (*h. Psalmus*) DAVID.

(XXII.) Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me: B
longe a salute mea verba rugitus mei.
Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies :
et nocte, nec est silentium mihi.
Et tu sancte, habitator laus (h. laudes) Israel.
In te confisi sunt, patres nostri :
confisi sunt, et salvasti eos.
Ad te clamaverunt, et salvati sunt :
in te confisi sunt, et non sunt, confusi.

A Ego autem sum vermis et non homo (h. vir) :
opprobrium hominum et despectio plebis (h. populi).
Omnes videntes me, subsannant (*Al.* subsannabant) me ; demittunt labium, movent caput.
Confugit ad Dominum (h. revelat Domino), salvet eum :
liberet eum, quoniam vult eum.
Tu autem propugnator meus ex utero :
fiducia mea ab uberibus matris meæ.
In te projectus sum ex vulva :
de ventre matris meæ Deus meus tu [2].
Ne longe fias a me, quoniam tribulatio proxima, quoniam non est adjutor.
Circumdederunt me vituli multi :
tauri pingues (h. basan) vallaverunt me.
Aperuerunt super me os suum :
leo [3] capiens et rugiens.
Sicut aqua effusus sum,
et separata sunt omnia ossa mea :
Factum est cor meum sicut cera
liquefacta in medio ventris mei.
Aruit velut testa fortitudo mea,
et lingua mea adhæsit faucibus meis [4],
et in pulverem mortis detraxisti me.
Quoniam circumdederunt me venatores (h. canes), consilium pessimorum vallavit :
Fixerunt manus meas [5] et pedes meos :

[1] Corrupte legitur in utroque exemplari Canonis, inque Vaticano codice, *Pro cerva matutina* : Cum Hieronymus ipse docuerit lib. II Comment. in Osee prophetam, legendum esse masculino genere, *Pro cervo matutino*. « Ipse (Christus) et non alius, inquit, quasi mane et aurora paratus est nobis. De quo et vicesimi Psalmi titulus est : *Pro assumptione matutina*, licet in Hebr. scriptum sit : *Pro cervo matutino*, » Meminit etiam ejusdem tituli in epist. C *ad Macellam*, cujus principium est : *Nuper cum pariter essemus*, ubi ait : « Vellem tibi aliquid et de Diapsalmate scribere, quod Hebr. scribitur SELA. . . . et de eo quod in cujusdam Psalmi titulo habetur PRO AJELETH. » Nomen autem אילת et *aieleth* et *aiala*, quamvis formam habeat femininam apud Hebræos, genere masculino Hieronymus interpretatur Gen. XLIX, 19 ; Proverb. LIX, 19, hic Psalm. XXI, aut XXII, juxta Hebr. et alibi. Hinc apparet nonnulla fuisse mutata ab Scholiaste Canonis in exemplaribus manuscriptis versionis Hieronymianæ. MART. — Tacet Regin. ms. nomen *David* ; Cisterciens., *canticum* quoque.

[2] Interserunt hic nostri ms. *es* verbum : tum alii *facias* pro *fias* legunt, ac rursum cum *est* verbo, *ibi proxima est*.

[3] Plus habent tres mss. *quasi leo*, et subsequenti versiculo *effusum est* pro *effusus sum*.

[4] Mss. Cisterciens. ac Regius *palato meo*, et D quod infra Scholiastæ etiam magis arridet, *canes*, pro *venatores*, adverbio *quoniam* insuper prætermisso.

[5] Occurrunt in mss. codicibus non paucæ variantes lectiones ad istum versiculum. Quinque antiquiores, inter quos sunt exemplaria Canonis, sic legunt : *Vinxerunt manus meas*, etc. Codex Augustinorum Burdigalensium ; *Cinxerunt manus meas*. Sorbonicus autem cæteris hic magis depravatus : *Dixerunt manus meas*, pro *fixerunt manus meas*, ut habetur in editis, et in duobus mss. Vaticano scilicet, et altero S. Michaelis. Porro Hebr. hodiernus corruptus et vitiatus legitur errore recentiorum librariorum qui loco כארו *kaaru*, pessuerunt כארי *kaari*, ob similitudinem litterarum *vav* et *jod* decepti, quia magnitudine, et parvitate solummodo distinguuntur. Sed monendus est lector curiosus ad confusionem neotericorum quorumdam scriptorum, qui multas garriunt nugas, ostendentes præsentem locum malitia. Judæorum esse corruptum, in Biblioth. Colbert. inveniri adhuc codicem ms. Hebr. num. 627, qui puram ac primævam retinet lectionem : in eo enim legimus non כארי *kaari* hodiernum exscriptorum, sed כארו *karu* antiquum ac propheticum ; tantaque cum diligentia emendatum, ut, א *aleph*, quod in hac voce servite est, et superfluum, ubi puncta vocalia adhibentur, obelo seu apice quodam superiori juguletur ac confodiatur : nulloque puncto inferiori notetur : quo manifeste docemur verbum *caru* seu *karu* his tribus tantum elementis constare כרו ; quod non aliud significare valet, quam *foderunt*. Id legebat Hieronymus, ipsum quoque scholiastes Canonis Hieronymo recentior. Hoc deniq ie scriptum semper fuit in antiquis ac veracioribus Hebr. voluminibus, uti fidem nobis facit laudatum jam exemplar ms. Colbert. Biblioth. in quo scribitur כארו cum camets sub caph, et cum schurec intra vav. Quod oblocutorum os plane occludit MART. — Addunt iidem mss. *me* : tum *Vinxerunt* pro *Fixerunt* legunt. Hæc porro illa est tantopere exagitata Hebræi textus lectio כארי *caari*, quam recentiorum Hebræorum fraude confictam, sive depravatam pro כארו, vel כרו *caru*, ad eludendentum Dominicæ passionis mysterium docti viri, editis hac super re propriis disceptationibus, demonstrarunt. Certe ad eam convincendam fraudem, si alia deessent, quæ innumera suppetunt argumenta, hoc ipsum quod abs Hieronymo petitur sane videtur ineluctabile ; neque enim aut *fixerunt*, aut *foderunt*, aut qui simile verbum fuisset interpretatus, si כארי nomen, quod est, *sicut leo*, in sui ævi exemplaribus Hebraicis scriptum invenisset. Nam quod minime ipse refixerit verbum illud, plenissime evincit ipsa τῶν LXX, Aquilæ insuper et Symmachi, aliorumque interpretum lectio, tum luculentissima testimonia Justini Martyris, Origenis, Eusebii, atque aliorum nostro vetustiorum Patrum. Sunt vero etiam qui codices Hebr. se testantur legisse, qui *Caaru* in textu, nulla apposita varietate lectionis, præferebant, aliis ad marginem *Caari* adnotantibus. Colbertinum autem 626 quem Martian. laudat, in quo primum scriptum erat *Caari*, deinde emendatum, producta Iod lineola, *Caaru*, Simonius a Christiano aliquo correctum, mutatumque contendit Martianæus judicium Rabbinorum appellavit, qui ejusdem Hebræi amanuensis cor-

numeravi omnia ossa mea :
quæ ipsi respicientes viderunt in me.
Diviserunt vestimenta mea sibi :
et super vestimentum meum miserunt sortem.
Tu autem, Domine, ne longe fias (*Al.* facias) :
fortitudo mea, in auxilium meum festina.
Erue a gladio animam meam :
et de manu canis solitariam meam.
Salva me ex ore leonis,
et de cornibus unicornium exaudi me.
Narrabo nomen tuum fratribus meis :
in medio Ecclesiæ laudabo te :
Timentes [1] Dominum laudate eum :
omne semen Jacob glorificate eum :
et metuite eum universum semen Israel.
Quoniam non despexit neque contempsit modestiam pauperis,
et non abscondit faciem suam ab eo :
et cum clamaret ad eum, exaudivit,
Apud te laus mea in ecclesia multa :
vota mea reddam in conspectu timentium eum.
Comedent mites et saturabuntur,
laudabunt Dominum quærentes eum :
vivet cor vestrum in sempiternum,
Recordabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ :
et adorabunt coram [2] te universæ cognationes gentium.
Quia Domini regnum,
et dominabitur gentibus.
Comederunt et adoraverunt omnes pingues (*Al.* principes) terræ
ante faciem ejus curvabunt omnes qui [3] descendunt in pulverem.
et anima ejus non vivet [4].
Semen serviet ei,
narrabitur Domino in generatione,
Venient et annuntiabunt justitiam ejus [5].
Populo qui nascetur, quam fecit.

CATICUM (*h. Psalmus*) DAVID.

(XXIII). Dominus pascit me (h. Pastor meus) ; nihil mihi deerit.
In pascuis herbarum accubavit [7] me :
super aquas refectionis enutrivit me.

A Animam meam refecit :
Duxit me per semitas justitiæ propter nomen suum
Sed et si ambulavero in valle umbræ mortis [8],
non timebo malum, quoniam tu mecum :
virga tua et baculus tuus, ipsa consolabuntur me.
Pones coram me mensam
ex adverso hostium meorum :
Impinguasti in (*Al. tac, in*) oleo caput meum,
calix meus inebrians.
Sed et benignitas et misericordia subsequentur (*Al.* subsequantur) me,
omnibus diebus vitæ meæ :
Et habitatio in domo Domini,
in longitudine dierum.

CANTICUM (*h. psalmus*) DAVID.

(XXIV.) Domini est terra et plenitudo ejus :
orbis et habitatores ejus.
Quia ipse super maria fundavit eam [9],
B et super flumina stabilivit eam.
Quis ascendet in montem Domini :
et (*Al.* aut) quis stabit [10] in loco in sancto ejus ?
Innocens manibus et mundo corde :
qui non exaltavit frustra animam suam,
et non juravit dolose.
Accipiet benedictionem a Domino ;
et justitiam a Deo salutari suo.
Hæc generatio quærentium eum,
quærentium faciem tuam, Jacob.

SEMPER.

Levate, portæ, capita vestra,
et elevamini, januæ sempiternæ,
et ingrediatur rex gloriæ,
Quis est iste rex gloriæ.
Dominus fortis et potens :
Dominus fortis in prælio.
Levate, portæ, capita vestra :
et erigite [11], januæ sempiternæ,
C in ingrediatur rex gloriæ.
Quis est iste rex gloriæ ?
Dominus exercituum : ipse est rex gloriæ.

SEMPER.

DAVID.

(XXV.) Ad te, Domine, animam meam levo [12],
Deus meus in te fisus sum, ne confundar,

rectionem illam esse, qui sæcuto XIII in usum Judæorum codicem illum scribebat, re serius perpensa pronuntiarunt.

[1] Tres mss. nostri, *qui timetis*.

[2] Iidem mss. *coram eo* pro *te* : et mox, *Domini est regnum*.

[3] Cisterciensis ac Reginæ mss. *curvabunt genu universi, qui*, etc.

[4] Pro negandi particula in laudatis modo mss. est *ipsi* : quæ et meliorem paulo sententiam vox reddit, et potest ipsa etiam ex Hebræo derivari ; nam לֹא, *non*, et לוֹ, *illi* idem plane *lo* sonant in pronuntiando, ac facile unum pro altero potuit in ipso Hebræo textu substitui.

[5] Aliquot mss., justitias ejus..... quas fecit Dominus. MART.

— Sunt e nostris mss. qui hic quidem *justitias* plurium numero, in subsequenti autem versiculo *quem* legant, referendo ad populum : *quas, et justitias* tamen retineant.

[6] In contextu Canonis Carcassonensis positum inveniemus scholion istud marginale, *pastor meus* : quod vitium infra sæpius irrepsit aliis in locis, quorum tantum hic generatim meminisse sufficiat. MART.

[7] In tribus mss. *acclinavit*.

[8] In iisdem mss. *in Valle mortis*, vocabulo *umbræ* quod et in Hebræo resonat, prætermisso.

[9] Genus masculinum retinent plures ms. *fundavit eum... stabilivit eum*. MART.

— Cisterc. ms. *Eum*, hic et paulo post : alii duo mss. sequiore hic retento genere in subsequenti membro legunt, *stabilivit illum*.

[10] Variant in hac voce lectionem Græci ac Latini codices LXX in edit. Romana, καὶ τίς, id est, *et quis* : in Sorbonico autem ms. codice Psalm. ubi Græcus textus descriptus legitur litteris Latinis, *istis*, quod Græce est, ἢ τίς, *aut quis*. Similiter legunt nonnulli Latini, ac S. Augustinus in Speculo, *aut quis stabit*, etc. MART.

D [11] Ita omnes mss, nostri codices juxta Hebr. Editi vero, *et erigimini*. MART.

[12] Hic Psalmus in mss. quam pluribus Alphabeti Hebr. litteras habet prænotatas ad suos versus, tanquam sit ex acrostichis, ut vocant. Desunt tamen quædam litteræ, nec absolutum ibi est alphabetum : unde nec Hieronymus istius Psalmi meminit recensens eas qui hujusmodi alphabetis vel incisionibus supputantur. Vide prologum in libros Regum, et epistolam Hieronymi *ad Paulum Urbicum* : Cassiodori quoque Commentarios in Psal. XXIV consulere juvabit. MART.

— Alphabeti litteris singulo quoque versu in aliquot e nostris mss. Psalmus iste prænotatur, quod et Martianæus in suis animadvertit. Cum vero secundo et quinto, decimo octavo, ac postremo versiculis ordo iste litterarum desit, nec præterea hunc Psalmum inter acrostichos alibi S. ipse Pater recenseat, nulla quoque ratio imperfecti ejus alphabeti est habita. Verum docent perquam erudite alii

nelætentur (h. neque oxsultent in me) inimci mei.
Sed universi qui sperant in te non confundantur ;
confundantur qui iniqua gerunt frustra.
Vias tuas, Domine, ostende mihi,
semitas tuas doce me.
Deduci me in veritate tua [1] et doce me :
quia tu (*Al. add.* es) Deus salvator meus,
te exspectavi tota die.
Recordare miserationum tuarum, Domine,
et miserîcordiarum tuarum, quia a sæculo sunt [2].
Peccatorum adolescentiæ meæ, et scelerum meorum ne memineris :
secundum misericordiam tuam recordare mei tu (*Al. tac.* tu).
propter bonitatem tuam, Domine.
Bonus et rectus Dominus :
proptera docebi peccatores in via.
Deducet mansuetos in judicio,
et docebit modestos viam suam.
Omnes semitæ Domini misericordia et veritas :
his qui custodiunt pactum ejus, et testificationes ejus.
Propter nomen tuum, Domine,
propitiare iniquitati meæ, quoniam grandis est.
Quis est iste vir timens Dominum ?
quem docebit in via, quam elegerit.
Anima ejus in bono commorabitur,
et semen ejus hæreditabit terram.
Secretum (*Al.* Decretum) Domini timentibus eum,
et pactum suum ostendit eis.
Oculi mei semper ad Dominum :
quia ipse educet de reti pedes meos.
Respice in me, et miserere mei :
quoniam solus et pauper ego (*h. add.* sum).
Tribulationes cordis mei amplificatæ sunt [3] :
de angustiis meis educ me.
Vide afflictionem meam et laborem meum,
et porta omnia peccata mea.
Vide inimicos meos, qnoniam multiplicati sunt :
et odio iniquo oderunt me :
Custodi animam meam, et libera me :
non confundar quoniam speravi in te.
Simplicitas et æquitas servabunt me :
quia exspectavi te.
Redime, Deus, Israel,
ex omnibus angustiis suis.

DAVID.

(XXVI.) Judica me, Domine (*Al.* Deus), quia ego
in simplicitate mea ambulavi :
et in Domino confidens non deficiam.
Proba me, Domine (*Al.* Deus), et tenta me
ure (h. confla) renes meos et cor meum.
Quia misericordia tua in conspectu oculorum meorum (*Al. add.* est),
et ambulabo in veritate tua.
Non sedi cum viris vanitatis,
et cum superbis non ingrediar.
Odivi ecclesiam pessimorum,
et cum iniquis (h. impiis) non sedebo
Lavabo in innocentia manus (h. palmas) meas,
et circuibo altare tuum [4], Domine.
Ut clara voce prædicem laudem,
et narrem omnia mirabilia tua.

A Domine, dilexi habitaculum domus tuæ.
et locum tabernaculi gloriæ tuæ.
Ne auferas [5] (h. Ne apponas) cum peccatoribus animam meam.
et cum viris sanguinum vitam meam.
In quorum manibus scelus (*Al. add.* est),
et dextera eorum repleta est muneribus.
Ego autem in simplicitate mea gradiar, redime me
et miserere mei.
Pes [*Al. add.* enim] meus stetit in recto :
in ecclesiis benedicam Domino.
(XXVII). Dominus lux mea, et salutare meum ;
quem timebo ?
Dominus fortitudo vitæ meæ, quem formidabo ?
Cum appropinquarent mihi maligni,
ut comederent carnem meam :
Hostes mei et inimici mei
ipsi impegerunt, et ceciderunt.
Si steterint adversus me castra,
B non timebit cor meum :
Si surrexerit contra me bellum,
in hoc ego confidam.
Unum petii a Domino, hoc requiram ;
ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.
Et videam pulchritudinem Domini ;
et attendam in templum ejus.
Abscondet enim me in umbra sua in die pessima,
abscondet me in secreto tabernaculi sui,
in petra exaltabit me.
Nunc quoque exaltavit (*Al.* exaltabit) caput meum
super inimicos meos qui sunt in circuitu meo.
Et immolabo in ternaculum ejus hostias jubili :
cantabo et psallam Domino.
Audi, Domine, vocem meam invocantis,
et miserere mei, et exaudi me.
Tibi dixit cor meum, Quæsivit vultus meus :
faciem tuam, Domine, requiram.
C Ne abscondas faciem tuam a me [6],
ne declines in furore a servo tuo :
Auxilium meum fuisti : ne derelinquas me.
et ne dimittas me, Deus salvator meus.
Pater enim meus et mater mea dereliquerunt me.
Dominus autem colligit me.
Ostende (h. Illustra) mihi, Domine, viam tuam,
et deduc me in semita recta
propter insidiatores [h. decantatores] meos.
Ne tradas me [7] animæ tribulantium me :
quoniam surrexerunt contra me testes falsi et apertum mendacium.
Ego autem credo (*Al.* credebam), quod videam bona Domini (h. Nisi ego credidissem quod viderem bona Domini)
in terra viventium.
Exspecta Dominum, confortare, et roboretur cor tuum, et sustine Dominum.

DAVID.

D (XXVIII.) Ad te, Domine, clamabo,
fortis meus, ne obsurdescas mihi,
Ne forte, tacente te mihi,
comparer his qui descendunt in lacum :
Audi vocem deprecationum mearum [8] cum clamavero

nullo negotio defectum illum suppleri, priori versiculo in duos tributo, alterum a בך במחתי, id est, a verbis *in te confido*, exordientes : atque ita quintum a ולמדני *et doce me*. Decimo octavo קום præponunt, id est, *Surge, et vide*, etc., colliguntque demum in unum versiculos 21 et 22, aut potius postremum istum ab hac serie eximunt, utpote qui Psalmum concludat. Hæc animadvertimus, ne frustra in Latinis iis codicibus præscriptus ordo ille litterarum videatur. Cæterum nostri mss. in textu habent *levabo* pro *levo*, et mox, *in te confisus*, etc.

[1] Vaticanus solus, *deduc me in veritate tua*. Mant.

[2] Unus Cisterc. ms. *quæ ex sempiterno sunt.*

[3] In nostris mss., ut et quatuor apud Martianæum, *multiplicatæ sunt.*

[4] Tres mss. juxta veterem Latinam interpretationem *circumdabo altare.*

[5] Propius ad Hebræum Scholiastem in uno Vatic. mss., *Ne congreges.*

[7] Ignorat Cisterc. ms. voculas *a me*. Regius autem cod. plus habet paulo post, *in furore tuo.*

[8] Interserunt *Domine*, ms. Cisterc. et Regius.

[9] Aliter in iisdem mss. *Audi Domine, deprecationem meam.*

ad te.
cum levavero manus meas ad oraculum sanctum tuum.
Ne trahas (*Al.* tradas) me cum impiis et cum operantibus iniquitatem,
qui loquuntur pacem amicis suis (h. sodalibus): et est malum in corde eorum.
Da eis secundum opus suum.
et secundum malum adinventionum suarum:
Juxta opus manuum suarum da eis:
redde retributionem suam illis.
Quoniam non intelligunt in opera Domini, et opus manuum ejus [1].
destrues eos, et non ædificabis.
Benedictus Dominus,
quia audivit vocem deprecationis meæ.
Dominus fortitudo mea et scutum meum,
in ipso confisum est cor meum, et habui adjutorium:
gavisum est cor meum,
et in cantico meo confitebor illi.
Dominus fortitudo eorum [2]:
et robur salutarium Christi sui est.
Salva populum tuum.
et benedic hæreditati tuæ:
et pasce eos, et subleva eos usque in sempiternum (h. sæculum).

CANTICUM (h. Psalmus) DAVID.

(XXIX.) Afferte Domino filios arietum
afferte Domino gloriam et imperium (h. fortitudinem).
Afferte Domino gloriam nomini ejus:
adorate Dominum in decore sancto.
Vox Domini super aquas,
Deus gloriæ intonuit:
Dominus super aquas multas,
Vox Domini in fortitudine:
vox Domini in decore.
Vox Domini confringentis cedros:
et confringet Dominus cedros Libani.
Et disperget eas quasi vitulum [3]:
Libanum et Sarion quasi filium rhinocerotum.
Vox Domini dividens flammas ignis,
Vox Domini parturire faciens desertum [4]
parturire faciet Dominus desertum Cades.
Vox Domini obstetricans cervas (*Al.* cervis), et revelans saltus,
et in templo ejus omnis loquitur gloriam.
Dominus diluvium inhabitat:
et sedebit Dominus rex in æternum.
Dominus fortitudinem (*Al.* legem) populo suo dabit:
Dominus benedicet populo suo in pace.

PSALMUS CANTICI PRO DEDICATIONE DOMUS DAVID.

(XXX.) Exaltabo te, Domine, quoniam salvasti me
et non delectasti (h. lætificasti) inimicos meos super me:
Domine Deus meus.
clamavi ad te, et sanasti me.
Domine, eduxisti de inferno animam meam:
A vivificasti me ne descenderem in lacum.
Cantate (h. Psallite) Domino sancti (h. misericordes ejus.
et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.
Quoniam ad momentum est ira ejus.
vita in repropitiatione ejus
Ad vesperum commorabitur fletus,
et in matutino laus.
Ego autem dixi in abundantia mea.
Non commovebor in sempiternum (h. sæculum).
Domine, in voluntate tua statuisti (*Al.* posuisti) monti meo fortitudinem;
abscondisti faciem tuam, et [5] factus sum conturbatus. Ad te, Domine, clambo,
et ad Dominum deprecabor.
Quæ est utilitas in sanguine meo,
cum descendero (*Al.* descendo) in corruptionem:
Nunquid confitebitur tibi pulvis?
aut annuntiabit veritatem tuam?
B Audi, Domine, et miserere mei:
Domine, esto adjutor mihi (*Al.* meus).
Convertisti planctum meum in chorum mihi
Solvisti saccum, meum, et accinxisti me lætitia.
Ut laudet (h. psallat tibi) te gloria., et non taceat
Domine Deus meus, in sempiternum (h. sæculum confitebor tibi.

VICTORI CANTICUM (h. Psalmus) DAVID.

(XXXI) In te, Domine speravi, non confundar in æternum (h. sæculum):
In justitia tua salva (h. eripe) me.
Inclina ad me aurem tuam
velociter, libera me:
Esto mihi in lapidem fortissimum,
in domum munitam, ut salves me.
Quia petra mea et munitio mea tu (*Al.* add. es):
et propter nomen tuum deduces me [6], et enutries
C me. Educes me de reti, quod absconderunt mihi,
quia tu fortitudo mea.
In manu tua commendabo (*Al.* commendo) spiritum meum
redemisti me, Domine Deus veritatis.
Odivi [7] custodientes vanitates frustra:
ego autem in Domino confisus sum.
Exsultabo, et lætabor in misericordia tua.
quia vidisti (*Al.* audisti) affictionem meam:
cognovisti tribulationes animæ meæ.
Et non conclusisti me in manus [8] inimici:
statuisti in latitudine pedes meos.
Miserere mei, Domine, quoniam tribulor,
Caligavit in furore oculus meus,
anima mea et venter meus.
Quia consumptæ sunt in mœrore vitæ meæ,
et anni mei in gemitu,
Infirmata est in iniquitate mea [9] fortitudo mea:
et ossa mea contabuerunt.
D Apud omnes hostes meos factus sum opprobrium,
et vicinis meis nimis,

[1] Tres mss. *non intellexerunt opera:* in aliis tantum *in* tacet. Auctor Commentarii in LXXV Psalmos, qui olim Rufinus audit: « Hebræi, inquit, habent *Non inspexerunt in opera manuum ejus* (*Psal.* XXVII, 5). »

[2] Mss. Cisterc. et Regin. *fortitudo mea* pro *eorum.*

[3] Nostri omnes mss. duoque Martianæo inspecti, *quasi vitulus Libani, et Sarion quasi filius* (*Al. filium.*) *rhinocerotis.* Auctor quoque Breviarii in Psalmos sub Hieronymi nomine in Hebræo ait, haberi, *et ut vitulus Libani.* Atque est quidem ibi כמו-עגל לבנן: at non videtur his jungendum Libani nomen, quod neque est in regimine, ut Grammatici dicunt, ac verius subsequenti sensui nectitur. Ad verbum *Exsilire faciet eas ad instar vituli: Libanum et Sirion, etc*

[4] Cisterciens. pro verbis, *parturire faciens,* et mox *faciet* utroque legit in loco *turbat.* Est vero. Hebræi sensus, suæque adeo interpretationes fidejussor Hieronymus in Commentar. ad Isaiæ cap. LXVI (vers). 6). *in vicesimo,* inquiens, *octavo psalmo* (*Vers.*) 8), *ubi nos legimus vox* Domini concutientis desertum, *in Hebræo scriptum est,* vox Domini parere faciens desertum.

[5] Plus habet Cisterc. mss. *faciem tuam a me et factus,* etc. Mox, *ad Dominum clamabo,* etc.

[6] Idem ms. *dux meus eris* pro *deduces me.*

[7] Nostri, ac plures apud Martian. mss. *Odisti.*

[8] Duo mss. *in manibus*; tum Cisterciens. *posuisti* pro *statuisti.*

[9] Rursum Cisterc., *Corruit in iniquitate fortitudo mea.*

et timor notis meis:
Qui videbant me in plateis, fugiebant a me.
Oblivioni traditus sum quasi mortuus a corde,
factus sum sicut (*Al.* quasi) vas perditum.
Audivi enim opprobrium multorum,
congregationem in circuitu;
Cum inirent consilium adversum me:
et ut auferrent animam meam cogitaverunt (*Al.* cogitarent).
Ego autem in te speravi, Domine:
dixi, Deus meus tu.
In manu tua tempora mea:
libera de manu inimicorum, et persequentium me.
Illumina [1] faciem tuam super servum tuum:
salva me in misericordia tua.
Domine, non (*Al.* ne) confundar, quia invocavi te:
confundantur impii, taceant in inferno.
Muta fiant labia mendacii:
quæ loquuntur contra justum vetera [2],
in superbia et despectione.
Quam multa est bonitas tua quam abscondisti timentibus te,
operatus es sperantibus in te; in conspectu filiorum hominum.
Abscondes eos in protectione vultus tui, a duritia viri: abscondes eos in umbra, a contradictione linguarum.
Benedictus Dominus:
qui mirabilem fecit misericordiam suam mihi, in civitate munita.
Ego autem dixi in stupore meo:
Projectus sum de conspectu oculorum tuorum [3].
Ergone audisti vocem deprecationis meæ:
cum clamarem ad te?
Diligite Dominum omnes sancti (h misericordes)
ejus fideles servat Dominus
et tribuit [4] his, qui satis operantur superbiam.
Confortamini, et roboretur cor vestrum.
omnes qui exspectatis Dominum.

DAVID ERUDITO [5].

(XXXII) Beatus, cui dimissa est iniquitas,
absconditum est peccatum:
Beatus homo, cui non imputabit (*Al.* imputavit) Dominus iniquitatem
nec est in spiritu ejus dolus.
Quia tacui attrita sunt ossa mea:
in rugitu meo tota die.
Die enim et nocte gravatur super me manus tua:
versatus sum in miseria mea, cum exardesceret messis [6]. JUGITER.

A Peccatum meum notum facio tibi:
et iniquitatem meam non abscondi [7].
Dixit, confitebor scelem mea Domino:
et tu dimisisti (h. abstulisti) iniquitatem peccati mei. SEMPER.
Pro hac orat [8] omnis sanctus (h misericors) ad te:
ad tempus inveniens;
Ut cum inundaverint aquæ multæ,
ad illum non accedant.
Tu (*Al.* add. es) protectio mea, ab hoste custodies me, laus mea salvans: circumdabis me. SEMPER.
Erudiam te [9], et illuminabo tibi viam per quam ambules.
cogitabo de te oculo meo.
Nolite fieri sicut equus et mulus
quibus (*Al.* in quibus) non est intelligentia:
In chamo et fremo maxillas ejus constringis [10], ut non appropinquet ad te.
Multi dolores impii.
B confidentem autem in Domino misericordia circumdabit.
Lætamini in Domino, et exsultate, justi.
et laudate omnes recti corde.

(XXXIII.) LAUDATE, JUSTI, DOMINUM, rectos decet laudatio (*Al.* collaudatio).
Confitemini Domino in cithara.
in psalterio decachordo psallite (*Al.* cantate) ei.
Cantate ei canticum novum:
bene [11] psallite in jubilo:
Quia rectum est verbum Domini:
et omne opus ejus in fide.
Diligit justitiam et judicium:
misericordia Domini plena est terra.
In (*Al. tac* In) verbo Domini cœli facti sunt:
et spiritu oris ejus omnis ornatus eorum.
Congregans quasi in utre aquas maris:
ponens in thesauris abyssos.
C Timeat Dominum (*Al.* a Domino) omnis terra:
ipsum formident universi habitatores orbis.
Quia ipse dixit, et factus est:
ipso præcipiente, stetit.
Dominus solvit consilium gentum:
irritas fecit cogitationes populorum.
Concilium Domini in æternum stabit:
cogitationes cordis ejus in generatione et generatione:
Beata gens, cujus Dominus ejus,
populus quem elegit in hæreditatem sibi.
De cœlo prospexit Dominus [12];
vidit omnes filios Adam.
De firmissima sede sua prospexit.

[1] In nostris, et Martianæi aliquot mss. *ostende* pro *illumina*. Mox unus Cisterciens. tacet *me*.

[2] Ita omnes mss. codices: editi autem legunt *dura*. S. Hieronymus hic et in infra ps. XCIV, 4, verbum Hebr. עתק *athac* interpretatur *vetus* et *antiquum*.

Porro nomen עתק *athac*. singulare positum est pro plurali multis Scripturæ locis, et cum vertitur in *dura*, intelligi debent *dura*, quasi dicas *inveterata*. MART.

— Veriorem multo lectionem esse arbitror, quam Cisterciens. ms. præfert *erecta* pro *vetera*. Nam licet Hebræum verbum עתק (non et Martian. scribit אתק) significet *veterascere*, metonymice tamen in Scripturis sæpe accipitur pro *excedere*, *efferri*. hisque similibus. Cum sensus de verbis est, ea proprie denotat, quæ terminos officii excurrunt, se temere extollentia, ac superba, illa denique ipsa, quæ præfert laudatus ms. *errecta*. Possunt et *abnormia* interpretari, et quod Itali dicunt, *cose, o parole strane*. Paulo post idem ms. habet, *Quia multa est bonitas*, etc.

[3] Tres ms. oculorum ejus.

[4] Idem mss. retribuet, et retribuit.

[5] Et nostri, et quos laudat Martian. mss. eruditi legunt pro *erudito*.

D [6] Mss. duo, *Cum exardesceret me æstas:* ubi vitiosum illud *me æstas*, incuria librariorum scriptum videtur pro messi. MART.

[7] Rursum negtri mos. *non abscondo*, *Dixi confitebor scelus meum*.

[8] Idem mss. *Pro hoc orat*, et mox, *tempus inveniens* absque *ad* præpositione.

[9] Cisterc. ms. *Doceam te, et monstrabo;* plerique alii cum editis, *Docebo te, monstrabo tibi*.

[10] Nostri quoque mss. cum alii penes Martian. atque editis libris, *moxillas eorum constringe, qui non accedant ad te*. A quibus alludit Cisterciens. uno verbo, *accedit*.

[11] Iterum nostri, pluresque alii apud Martian. mss. *deligenter* habent pro *bene*.

[12] Addit Reginæ ms. hic *Dominus*: legitque tertio ab hoc versu, *firmissimo solio suo pro sede*, etc.

ad universos habitatores terræ.
Fingens pariter cor eorum :
intelligens omnia opera eorum.
Non salvabitur [1] rex in multitudine exercitus,
nec fortis liberabitur in multiplicatione virtutis.
Fallax equus ad salutem,
et in multitudine roboris sui non salvabit.
Ecce oculus Domini super timentes eum :
ad (*Al.* et) exspectantes misericordiam ejus.
Ut eruat de morte animas eorum,
et vivificet eos in fame.
Anima nostra exspectavit Dominum :
auxilium nostrum et clypeus noster est.
In ipso enim lætabitur cor nostrum :
quia in nomine sancto ejus speravimus.
Sit misericordia tua, Domine, super nos,
sicut exspectavimus te.

DAVID QUANDO COMMUTAVIT OS (h. saporem) SUUM CORAM ABIMELECH, ET EJECIT EUM, ET ABIIT.

(XXXIV.) [2] Benedicam Dominum in omni tempore:
semper laus ejus in ore meo.
In Domino laudabitur anima mea [3] :
audiant mites et lætentur.
Magnificate Dominum mecum,
et exaltemus nomen ejus pariter.
Quæsivi Dominum, et exaudivit me,
et ex omnibus angustiis meis liberavit me,
Respicite ad eum, et confluite,
et vultus vestri non confundentur.
Hic pauper clamavit, et Dominus exaudivit :
et de omnibus tribulationibus ejus [4] salvavit eum.
Circumdabit angelus Domini in gyro timentes eum.
et eruet eos.
Gustate et videte quoniam bonus Dominus :
beatus vir qui sperat in eo.
Timete Dominum sancti ejus :
quoniam non est inopia timentibus eum.
Leones indiguerunt et esurierunt :
quærentibus autem Dominum non deerit omne bonum.
Venite (*Al.* Ambulate), filii, audite me,
timorem Domini docebo vos.
Quis est vir qui velit vitam,
diligens dies videre bonos.
Custodi linguam tuam a malo :
et labia tua ne loquantur dolum.
Recede a malo, et fac bonum :
quære pacem, et persequere eam.
Oculi Domini ad justos,
et aures ejus ad clamores eorum.
Vultus Domini super (h in) facientes malum :
ut perdat de terra memoriam eorum.
Clamaverunt [5], et Dominus exaudivit,
et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos
Juxta est Dominus contritis corde,
et confractos spiritu salvabit.
Multæ tribulationes (h. Multa mala) justo (*Al.* justi),
et ex omnibus illis liberabit (*Al.* liberavit) eum Dominus.

A Custsdit omnia ossa ejus :
unum ex eis non confringetur.
Interficiet impium malitia,
et odientes justum culpabuntur [6].
Redimet Domus animas servorum suorum,
et non peccabunt (h.culpabuntur) omnes sperantin eo.

DAVID.

(XXXV.) Judica, Domine, adversarios meos :
pugna contra impugnantes me.
Apprehende scutum et hastam (*Al.* contum),
et surge in auxilium meum (*Al.* mihi).
Evagina gladium, et præoccupa
ex adverso persequentes me :
dic animæ meæ, salus tua ego (*Al. ad.* sum).
Confundantur et revereantur, qui quærunt animam meam :
convertantur retrorsum, et confundantur,
qui cogitant malum mihi.
B Fiant sicut pulvis ante faciem venti,
et angelus Domini impellat,
Sit via eorum tenebræ et lubricum,
et angelus Domini persequatur eos.
Quia frustra absconderunt mihi insidias retis sui :
sine causa foderunt animæ meæ.
Veniat ei (*Al.* eis) calamitas quam ignorat,
et rete suum quod abscondit comprehendat eum,
et cadat in laqueum (h. in calamitatem).
Anima autem mea exsultabit in Domino,
lætabitur in salute sua (*Al.* tua).
Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tui :
eruens inopem a validiore,
et pauperem ac mendicum a violento.
Surgentes testes iniqui :
quæ nesciebam interrogabant me.
Reddebant mihi mala pro bono :
sterilitatem animæ meæ.
Ego autem cum infirmarentur. induebar [7] cilicio :
C humiliabam in jejunio animam meam,
et oratio mea in (*Al.*ad) sinum meum revertetur.
Quasi ad amicum (h. sodalem), quasi ad fratrem meum sic ambulabam :
quasi lugens mater tristis incurvabar.
Et in infirmitate mea lætabantur et congregabantur :
collecti sunt adversus me percutientes, et nesciebam ; scindentes et non tacentes [8].
In simulatione verborum fictorum.
frendebant contra me dentibus suis.
Domine, quanta videbis (*Al.* aspicies).
converte animam meam a calamitatibus eorum *Al.* suis) :
a leonibus solitariam meam.
Confitebor tibi in Ecclesia grandi (*Al.* magno) ?
in populo forti laudabo te.
Non lætentur super me inimici mei mendaces :
odientes me frustra conniventes (*Al.* cohibentes) oculo :
D Non enim pacem loquuntur, sed in rapina terræ.
verba fraudulenta concinnant.
Et dilataverunt super me os suum.
dixerunt vah, vah : vidit oculus noster.

[1] In instanti habent nostri mss. *salvatur.*

[2] Alphabeticus hic quoque psalmus est, et in uno quidem Cisterciensi ms. suis quisque litteris versiculus ex ordine prænotatur, ne *vau* quidem prætermisso, in quo notum tamen est in Hebræo archetypo seriem interrumpi ; nec facile potest, ut nuperus Scripturæ interpres putat, suppleri, versiculo septimo ab iis verbis ducto : ויהוה שמע, *et Dominus exaudivit eum.* Tunc enim septima deficiet ז *Zain* littera, sive cui ei tribuatur versiculus: nisi tria hæc verba, *iste pauper clamavit*, pro solido versiculo habere velis, ipsumque inverti litterarum ordinem. Hæc animadvertimus, ut significemus, eas litteras non fuisse in Latina interpretatione ista abs Hieronymo sascriptas.

[3] Exemplaria Canonis et aliquot mss. codices : *In Domino lætabitur anima mea.* MART.

[4] Illud *ejus* nostri mss. non addunt, et mox *circumdat*, pro *circumdabit* legunt.

[5] Interserit unus Cisterc. ms. *justi.*

[6] Nostri omnes mss. pari consensu *superabuntur* pro *culpabuntur.*

[7] Duo e nostris mss. aliique penes Martian. *Cum infirmarer ab eis, inducbar*, etc.

[8] Canon Carcasson., *scindentes et non fundentes sanguinem.* Idem habetur in Canone San-Germanensi nostro, sed secunda manu. Huic lectioni consonat Chaldæus paraphrastes. MART.

Vidisti, Domine, ne taceas :
Domine, ne elongeris a me.
Consurge (h. Expergiscere), et vigila in (*Al tac.* in) judicium meum, Deus meus,
et Domine (*Al.* Dominus meus) in causam meam.
Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, et ne insultent mihi.
Nec dicant in corde suo, vah animæ nostræ :
et ne dicant [1], absorbuimus eum.
Confundantur, et revereantur pariter
qui lætantur in afflictione mea :
Induantur confusione et verecundia,
qui magnificantur super me.
Laudent, et lætentur qui volunt justitiam meam :
et dicant semper, magnificetur Dominus,
qui vult pacem servi sui.
Et lingua mea meditabitur (*Al.* meditetur) justitiam tuam :
tota die laudem tuam.

VICTORI SERVO DOMINI, DAVID [2] :

(XXXVI.) Dixit scelus impii in medio cordis ejus [3]:
non est timor Dei ante oculos ejus.
Quia dolose egit adversus eum in oculis suis :
ut inveniret iniquitatem ejus ad odiendum.
Verba ori ejus iniquitas et dolus :
cessavit cogitare, ut benefaceret [4].
Iniquitatem cogitat in cubili suo ;
stabit in via non bona :
malum non abjiciet.
Domine, in cœlo misericordia tua
fides tua usque ad nubes.
Justitia tua quasi montes, Deus (*Al.* Domine),
judicium tuum abyssus multa :
homines et jumenta salvos facies, Domine.
Quam pretiosa misericordia tua, Deus (*Al.* Domine),
et filii Adam in umbra alarum tuarum sperabunt.
Inebriabuntur de pinguedine domus tuæ,
et torrente deliciarum tuarum potabis eos.
Quoniam tecum est fons vitæ :
in lumine tuo videbimus lumen.
Attrahe misericordiam tuam scientibus te.
et justitiam tuam rectis corde.
Ne veniat mihi pes superbiæ :
et manus impiorum non me commoveat.
Ibi ceciderunt operantes iniquitatem :
expulsi sunt, et non potuerunt surgere.

DAVID.

(XXXVII. *Aleph.*) [5] Noli contendere cum malignis.
neque æmuleris facientes iniquitatem.
Quoniam sicut herba velociter conterentur,
et sicut olus viride marcescent.
(*Beth.*) Spera in Domino, et fac bonum
peregrinare (h. habitare) in terra, et pascere fide.
Et delectare in Domino,
et dabit tibi petitiones cordis tui.

A (*Ghimel.*) Volve super Dominum (h. Revela Domino) viam tuam,
et confide in eo, et ipse faciet,
Et educet sicut lumen justitiam tuam,
et judicia tua (*Al.* judicium tuum) sicut meridiem.
(*Daleth.*) Tace Domino, et exspecta eum,
noli contendere adversus eum, qui proficit in via sua.
adversus virum, qui facit quæ cogitat.
He.) Dimitte iram, et derelinque furorem :
noli contendere [6] ut malefacias.
Quoniam qui malefaciunt, interibunt.
exspectantes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram.
(*Vau.*) Adhuc enim modicum, et non erit impius,
et cogitabis de loco ejus, et non subsistet.
Mites autem hæreditabunt terram :
et delectabuntur in multitudine pacis.
(*Zain.*) Cogitat impius de justo,
B et frendet adversus eum dentibus suis.
Dominus deridebit eum :
quia vidit [7] quoniam venit dies ejus.
(*Hheth.*) Gladium evaginaverunt impii : tetenderunt arcum suum,
ut percutiant (h. ut dejiciant) egenum et pauperem, et interficiant rectos in via [8].
(*Hheth.*) Gladius eorum ingrediatur in cor eorum,
et arcus eorum confringantur.
(*Teth.*) Melius est parum justo :
quam divitiæ impiorum multæ.
Quia brachia impiorum confringentur.
sublevat autem justos Dominus.
(*Iod.*) Novit Dominus dies immaculatorum,
et hæreditas eorum æterna (h. in sæculum) erit.
Non confundentur in tempore malo,
et in diebus famis saturabuntur.
(*Caph.*) Quia impii peribunt,
et inimici Domini gloriantes ut monocerotes [9].
C consumentur, sicut fumus consumitur.
(*Lamed.*) Fenus accipit impius, et non reddet :
justus autem donat, et tribuit.
Quia qui benedicti fuerint ab eo, hæreditabunt terram, et qui maledicti, interibunt.
(*Mem.*) A Domino gressus viri firmantur,
et viam ejus volet.
Cum ceciderit, non allidetur
quia Dominus sustentat manum ejus.
(*Nun.*) Puer fui siquidem et senui,
et non vidi justum derelictum :
neque semen ejus quærens panem.
Tota die donat et commodat :
et semen ejus in benedictione.
(*Samech.*) Recede a malo, et fac bonum.
et habita in sempiternum (h. sæculum).
Quia Dominus diligit judicium,
et non derelinquet sanctos (h. misericordes) suos.
[10] In æternum (h. in sæculum) custoditi sunt,

[1] Interjectionem *vah* bis Cisterciensi, ter Reginæ ms. aliique repetunt.

[2] Ita ms. Carnutensis emendatus : Regius vero Corbeiensis et Sorbonicus hunc præferunt titulum: *Pro victoria servi Domini David.* Ambo exemplaria Canonis. *Victori servus Domini David* ; Alia duo, *Victoria servus Domini David.* MART.

[3] Hebræus בקרב לבי *bekereb libbi*, id est, *in medio cordis mei*, pro *in medio cordis ejus.* MART.

— Legerit S. Pater in suo Hebraico exemplari לבו ut et Septuaginta, et veteres alii interpretes, pro quo hodiernum præfert לבי, id est *cordis mei.* Sequitur in nostris mss., *non esse timorem Dei*, pro *non est timor*, etc.

[4] Iidem nostri mss. *cogitare benefacere.*

[5] S. Hieronymus in prologo Scripturarum Galeato recenset præsentem psalmum inter eos, qui viginti duarum litterarum Hebraicarum texuntur alphabeto: ideoque hic apposita sunt a nobis nomina earumdem litterarum e regione versiculorum, quibus respondent. Et hoc modo etiam scripta reperiuntur in plurimis mss. codicibus. MART.

— Bini quique hujus Psalmi versiculi una ab alphabeti juxta ordinem littera incipiunt : hancque ipsam litterarum seriem post Martian. appositam retinemus ad libri oram ex aliquot Latinorum codicum fide. Videsis tamen quæ inferius ad vers. 28. sive *Hai* litteram adnotavimus.

[6] Cisterciens. ms. *noli festinare*, pro *noli contendere.*

[7] Reginæ ms. *videns*, pro *quia vidit.* Cisterciens. præterea *quod veniat* pro *quoniam venit.*

[8] Interserit hic Cisterciens. *corde.*

[9] In eodem ex scioli, ut videtur, Antiquarii calamo ; *subvertentur ut montes.*, etc., pro *gloriantes ut monocerotes.*

[10] Quæ huic apponi versiculo debuisset, *Hais* littera vacat ; nec reipsa in hodierno Hebraico exem-

et semen impiorum peribit (*Al.* perit).
Justi hæreditabunt terram ;
et inhabitabunt in sæculum (h.in æternum) super eam.
(*Phe.*) Os justi meditabitur sapientiam,
et lingua ejus loquetur judicium.
Lex Dei ejus in corde ejus :
non deficient gressus ejus.
(*Sade.*) Considerat impius justum,
et quærit, ut occidat eum.
Dominus non derelinquet eum in manu ejus,
et non condemnabit eum cum judicabitur (*Al.* judicatur).
(*Coph.*) Exspecta Dominum, et custodi viam ejus
et exaltabit te, ut possidgas terram
cum interibunt (*Al.* pereunt) impii, videbis.
(*Res.*) Vidi impium robustum,
et fortissimum sicut indigenam virentem.
Et transivi, et ecce (*Al. tac.* ecce) non erat :
et quæsivi, et non est inventus.
(*Sin.*) Custodi simplicitatem, et vide rectum :
quia erit in (*Al. ad.*) extremum viro pax.
Prævaricatores autem interibunt pariter[1],
et novissimum impiorum peribit.
(*Thau.*) Salus autem justorum a Domino :
fortitudo eorum in tempore tribulationis.
Et auxiliabitur eis Dominus, et salvabit eos :
eripiet eos[2] ab impiis,
et salvabit eos : quia speraverunt in eo.

CANTICUM (h. Psalm.) DAVID IN COMMEMORATIONE.

(XXXVIII.) Domine, ne in ira (h. indignatione) tua arguas me :
neque in furore tuo (h. ira tua) corripias me,
Quia sagittæ tuæ infixæ sunt mihi,
et tetigit (h. terruit) me manus tua.
Non est sanitas in carne mea a facie indignationis tuæ :
non est pax (*Al. add.* in) ossibus meis a facie peccati mei.
Quia iniquitates meæ transierunt caput meum.
quasi onus grave aggravatæ sunt super me.
Computruerunt, et tabuerunt cicatrices meæ.
a facie insipientiæ meæ.
Afflictus sum, et incurvatus sum nimis :
tota die mœrens ambulabam.
Quia lumbi (*Al.* renes. h. ilia mea) mei repleti sunt ignominia (h. vilitate),
et non est sanitas in carne mea.
Evigilavi, et afflictus sum nimis :
A regiebam a gemitu cordis mei.
Domine, in conspectu tuo (h. coram te) omne desiderium meum :
et gemitus meus a te non est absconditus.
Cor meum fluctuabat,dereliquit me fortitudo mea:
et lux oculorum meorum etiam ipsa non est mecum,
Chari mei, et amici (h. sodales) mei[3] contra lepram meam steterunt.
et vicini (h. propinqui) mei longe steterunt.
Et irruebant quærentes animam meam :
et investigantes mala mihi loquebantur insidias,
et dolos tota die meditabantur.
Ego autem quasi surdus non audiebam,
et quasi mutus qui non aperit os suum[4].
Et eram quasi homo (h. vir) non audiens :
nec habens in ore suo redargutiones.
Te enim, Domine, expectabam,
tu exaudies, Domine Deus meus.
B Quia dixi, ne forte insultent mihi,
et cum vacillaverit pes meus[5] super me magnificentur.
Quia ego ad plagam (*Al.* plagas) paratus sum,
et dolor meus contra me (*Al. add.* est) semper.
Quia iniquitatem meam (*Al. add.* ego) annuntio.
et contristabor,[6] pro peccato meo.
Inimici autem mei viventes confortati sunt.
et multiplicati sunt odientes me mendaciter.
Et qui reddunt malum pro bono, adversabantur mihi :
quia sequebar bonum.
Ne derelinquas me, Domine :
Deus meus, ne elongeris a me.
Festina in auxilium meum,
Domine (*Al. add.* Deus) salutis meæ.

VICTORI IDITHUN, CANTICUM (h. Psalm.) DAVID[7].

(XXXIX.) Dixi, Custiodam vias meas
ne peccem in lingua mea,
C Custodiam os meum silentio,
donec est impius contra me.
Obmutui silentio, tacui de bono,
et dolor meus conturbatus est.
Incaluit cor meum in medio mei,
in meditatione mea incensus sum igne :
locutus sum in lingua mea.
Ostende mihi, Domine, finem meum,
et mensuram dierum meorum quæ sit, sciam (*Al.* ut sciam) quid mihi desit.
Ecce breves posuisti dies meos.

plari ab ea versus iste inchoatur. Vulgo autem eruditis persuasum est. Septuaginta interpretum ætate ea littera non caruisse archetypum, idque ex ipsorum versione colligi, qui hic præponunt duo verba, Ἄνομοι ἐκδικηθήσονται, *Injusti punientur*, quæ Hebraice dixeris נשמדו עוילים. Atque adeo ab *Hain* littera incepisse quod præ oculis habebant, exemplar notant. Quid alii hac de re sentiant, videsis apud criticos sacros. Nobis, textu nihil interpolato, arguere id liceat ex hac ipsa Hieronymi interpretatione, quæ versiculum ab his incipit verbis, *In æternum custoditi sunt* : in Hebræo לעולם בשמרו. Prior nempe ל, *Lamed* littera, cum plane sit verbo עולם ascititia, ac servilis, haud credita fuerit sive Hebræis, sive ipsi Hieronymo acrosticho artificio obesse, cumque ipsum verbum ab ע *Ain* incipiat, seriem litterarum ita licuerit per metri leges continuari. Præterea haud scio, num suspicari liceat, ἁπλῶς scriptum ab ipso regio Vate עולם, *æternum*.

[1] Tres nostri ms. atque alii penes Martian. pro his habent : *Iniqui autem delebuntur pariter* שולם

[2] Verba, *eripiet eos*, in nostris mss. desiderantur. In Hebræo idem repetitur verbum, quod modo translatum est, *salvabit eos*.

[3] Interserunt nostri mss. hic *quasi*.

[4] Idem nostri mss. *quasi mutus non aperiebam os meum* : et mox unus Cisterc. *non habens in corde suo*, pro *ore*.

[5] Plurium numero nostri mss. *cum vacillaverint pedes mei*.

[6] Pro *contristabor* editi ac mss. plures etiam Martianæo inspecti, *sollicitus ero*.

[7] Regius codex sic habet : *In fidem Idithun Canticum David* ; sed manifesto exscriptoris errore, qui plures psalmi titulos e versione LXX transfecre ausus est in hanc Hieronymi editionem Hebr.Docet igitur Hieronymus præfatione Comment.in Danielem, verbum למנצח *lamnaseuhh*, ut hodie legitur, magis *pro victoria*, quam *in finem* interpretari. « Unde et psalmi plurimi, inquit, illud Hebraicum quod in titulis ponitur LAMANASSE, pro quo LXX transtulerunt *in finem* magis pro victoria continent : Aquila enim interpretatus est τῷ νικοποιῷ, hoc est,ei præbet victoriam. Symmachus ἐπινίκιον, quod proprie triumphum palmamque significat. » Plura de eodem Hebraico *lamanasse* vel *lamnatseahh* cum ad titulum Psal. XLIV seu XLV juxta Hebr. ventum erit. MART.

et vita mea quasi non sit in conspectu tuo :
omnia enim vanitas omnis homo subsistens. SEMPER [1].
Tantum in imagine ambulat homo (h. vir),
congregat et ignorat cui dimittat(h. congregat)ea.
Nunc ergo quid exspecto, Domine ?
præstolatio mea tu es (h. ad te est)
Ab omnibus iniquitatibus (h. erroribus) meis libera me :
opprobrium stulto ne ponas me.
Obmutui, non aperui [2] (*Al.* aperiam) os meum :
quia tu fecisti.
Tolle a me plagas (h. lepras) tuas :
a contentione manus tuæ ego consumptus sum.
In increpationibus.
pro iniquitate (*Al.* propter iniquitatem) corripuisti virum :
Et posuisti quasi tineam desiderabilia ejus :
verumtamen vanitas omnis homo. SEMPER.
Audi orationem meam, Domine,
et clamorem meum exaudi (h. auribus percipe) :
Ad lacrymam meam ne obsurdescas,
quia advena ego sum apud te,
peregrinus sicut omnes patres mei.
Parce mihi, ut rideam,
antequam vadam, et non subsitam.

VICTORI [3] DAVID CANTICUM (h. Psal.)

(XL.) Exspectans expectavi Dominum :
et inclinatus est ad me, et audivit clamorem meum.
Et eduxit me de lacu sonitus [4], de luto cœni :
et statuit super petram pedes meos,
stabilivit gressu meos.
Et dedit in ore meo canticum novum,
laudem Deo nostro.
Videbunt multi, et timebunt, et sperabunt in Domino.
Beatus vir qui posuit Dominum confidentiam suam,
et non est adversus ad superbias pompasque mendacii (*Al.* mendaces).
Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua,
et cogitationes tuas pro nobis.
Non invenio ordinem coram te :
si narrarre voluero, et numerare,
plura sunt quam ut narrari queant.
Victima et oblatione non indiges (h. non voluisti),
aures fodisti mihi :
haulacaustum et pro peccato non petisti,
Tunc dixi, et venio :
in volumine libri scriptum est de me.
Ut facerem placitum tibi (*Al.* tuum), Deus meus volui,
et legem tuam in medio ventris (*Al.* cordis) mei.
Annuntiavi justitiam in Ecclesia multa.
ecce labia mea non prohibebo : Domine, tu nosti.
Justitiam tuam non abscondi in medio cordis mei,
fidem tuam et salutare tuum dixi :
non abscondi misericordiam tuam,
et veritatem tuam in Ecclesia multa.
Tu Domine, non prohibeas (*Al.* prohibebis) miseri-

A cordias (h. pietates). tuas a me :
misericordia tua et veritas tua jugiter servabunt me.
Circumdederunt enim me mala, quorum non est numerus,
comprehenderunt me iniquitates meæ,
et non potui videre :
Plures factæ sunt, quam capilli capitis mei,
et cor meum dereliquit me.
Placeat tibi, Domine, ut liberes me :
Domine, ad adjuvandum me festina.
Confundantur et revereantur simul
quærentes animam meam, ut auferant eam.
Convertantur retrorsum, et confundantur.
qui volunt mala mihi,
Pereant post confusionem suam :
qui dicunt mihi vah ! vah !
Gaudeant, et lætentur in te
omnes qui quærunt te :
B Dicant jugiter, magnificetur Dominus.
qui diligunt salutare tuum.
Ego autem sum egenus et pauper ;
Dominus sollicitus erit pro me :
Auxilium meum et salutare meum tu,
Deus meus, ne moreris [5].

VICTORI CANTICUM (h. psalmus) DAVID.

(XLI.) Beatus qui cogitat de paupere :
in die malo liberabit (*Al.* salvabit) eum Dominus.
Dominus custiodet eum et vivificabit eum :
et beatus erit in terra,
et non tradet (*Al.* tradat) eum animæ inimicorum suorum.
Dominus confortavit eum in lecto infirmitatis :
totum stratum ejus vertisti in ægrotatione sua.
Ego dixi, Domine, miserere mei,
sana animam meam, quoniam peccavi tibi.
Inimici mei loquentur (*Al.* loquuntur) malum mihi:
C quando morietur, peribit nomen ejus.
Et si venerit ut videat [6], vana loquetur :
cor ejus congregabit iniquitatem sibi,
egrediens foras detrahet.
Simul adversum me murmurabant omnes odientes me contra me (*Al. tac.* me) cogitabunt malum mihi.
Verbum (h. Belial.) diaboli infundebant sibi :
qui dormivit non addet ut resurgat.
Sed et homo pacificus meus:in quo habui fiduciam :
qui manducabat panem meum,
levabit contra me plantam.
Tu autem, Domine, miserere mei : et leva me,
et reddam eis :
In hoc conovi quod velis me :
quia non insultabit inimicus meus mihi.
Ego autem in simplicitate mea adjutus sum a te,
et statues me ante faciem tuam in perpetuum (h. sæculum).
D Benedictus Dominus Deus Israel
a sæculo, et usque in sæculum, amen et amen.

VICTORI [7] DOCTISSIMO (h. erudito) FILIORUM CORE.

(XLII.) Sicut areola præparata ad irrigationes aquarum :

[1] Reginæ ms. *Vanitas homo stans. Diapsalma.*

[2] In futuro tempore legunt editi libri, et ms. Sorbonicus : *Obmutui, non aperiam os meum.* MART.

[3] Iterum mss. nostri, *Pro victoria*, quod et inferius constanter in reliquorum psalmorum titulis retinent pro *Victori*. Vide quæ ad proxime superiorem locum adnotamus.

[4] Cisterciens. ms., *de lacu famose*, pro *lacu sonitus*.

[5] In Reginæ ms., *ne moreris*. Juxta Hebr. תאחר.

[6] Canon Carcassonensis, ac plures mss. hic legunt, *Et sic venerit ut visitet*, quod secuti sunt Erasmus et Marianus in hoc psalterio Hieronymi ; quamvis S. Doctor in epist. ad Sunniam et Fretelam expresse monuerit, ita interpretatos fuisse LXX seniores : καὶ εἰ εἰσεπορεύετο τοῦ ἰδεῖν, id est, *Et si ingrediebatur ut videret*. Sed *videre* hoc loco idem est, nisi fallat nos opinio, quod *visitare*. MART.

— Nostri mss. pluresque alii apud Martian. tum editi quoque libri *visitet* pro *videat* legunt. Vide quæ in epist. ad Sunniam et Fretelam hac de lectione observamus.

[7] Omnes mss. codices præter Canonis exemplaria habent in titulo isto, ut in aliis sæpius, *pro*

sic anima mea præparata (h. desiderat) ad te [1], Deus.
Sitivit anima ad Deum fortem (*Al.* fontem) viventem
quando veniam, et parebo ante faciem Dei.
Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes diem ac noctem :
cum diceretur mihi tota die : Ubi est Deus tuus ?
Horum recordatus sum, et effudi in me animam meam :
quia veniam ad umbraculum ;
Tacebo usque ad domum Dei
in voce laudis et confessionis,
mulitit dinis festa celebrantis.
Quare incurvaris, anima mea, et conturbas me :
exspecta Deum, quia adhuc confitebor
ei salutaribus vultus ejus.
Deus meus in meipso animas mea incurvatur :
propterea recordabor tui de terra Jordanis,
et Hermonim, de monte minimo.
Abyssus abyssum invocat, in (h. ad.) vocem cataractarum tuarum :
omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt [2].
per diem mandavit Dominus misericordiam suam,
et in nocte canticum ejus mecum :
oratio Deo vitæ meæ.
Dicam Deo : Petra mea (h. Et zelai, quod interpretatur, Deus petra mea et est unum de nominibus Dei), quare oblitus es mei :
quare tristis incedo, affligente inimico ?
Cum me interficerent (*Al.* interfecerint) in ossibus meis.
exprobraverunt mihi hostes mei :
dicentes ad me [3] tota die : Ubi est Deus tuus ?
Quare incurvaris, anima mea, et conturbas me ?
exspecta Deum, quoniam adhuc confitebor ei,
salutaribus vultus mei et Deo meo.
(XLIII [4].) Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta (h. inmisericorde),
a viro doloso et iniquo salva me.
Tu enim es, Deus, fortitudo mea, quare projecisti me :
quare tristis incedo, affligente inimico ?
Mitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa ducent me : introducent me ad montem [5] sanctum tuum
et ad tabernacula tua.
Et introibo ad altare Dei,
ad Deum lætitiæ exsultationis meæ,
et confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.
Quare incurvaris, anima mea, et quare conturbas me ?

A exspecta Deum quoniam adhuc confitebor ei.
salutaribus (*Al.* salutibus) vultus mei et Deo meo

VICTORI FILIORUM CORE ERUDITIO [6]

(XLIV.) Deus auribus nostris audivimus :
patres nostri narraverunt nobis
opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis.
Tu manu tua gentes delesti (h. exhæredasti), et plantasti eos (*Al.* eas) :
afflixisti populos *Al.* plebes), et emisisti eos.
Non enim in gladio suo possederunt terram,
neque brachium eorum salvavit eos :
Sed dextera tua et brachium tuum
et lux vultus tui, quia complacuisti in eis [7].
Tu es ipse rex meus Deus :
præcipe salutibus [8] Jacob.
In te hostes nostros ventilabimus :
in nomine suo conculcabimus adversarios nostros.
B Non enim in arcu meo confidam :
neque gladius meus salvabit me,
Quia salvasti nos de hostibus nostris,
et eos qui oderant nos, confudisti.
In Deo laudabimus [9] tota die,
et nomini tuo in æternum confitebimur. SEMPER
Verum tu projecisti, et confudisti nos :
et non egredieris in exercitibus nostris.
Vertisti terga nostra hosti :
et qui oderunt nos, diripuerunt sibi [10].
Dedisti nos tanquam gregem ad vorandum,
et in gentibus dispersisti nos.
Vendidisti populum tuum sine pretio :
nec grandis fuit commutatio eorum (h. et non fenerasti in commutatione eorum).
Posuisti nos opprobrium vicinis nostris,
subsannationem et irrisum his qui erant in circuitu nostro.
Posuisti nos similitudinem (h. parabolam) in gentibus [11],
C commotionem capitis in tribubus (h. plebibus)
Tota die confusio (*Al.* verecundia) mea contra me,
et ignominia faciei meæ cooperuit me.
A voce exprobrantis et blasphemantis :
a facie inimici et ultoris.
Omnia hæc venerunt super nos, et non sumus obliti tui :
nec mentiti sumus in pacto tuo.
Non est conversum retro cor nostrum :
nec declinaverunt gressus nostri a semita tua.
Quoniam dejecisti nos in loco draconum,
et operuisti nos [12] umbra mortis.

victoria. De eo dicturi sumus infra ad Psalmum XLV. MART.

[1] Corruptus legitur iste versiculus in exemplaribus Canonis, atque in duobus aliis mss., ubi Vulgata lectio, *sicut cervus desiderat ad fontes aquarum*, etc., substituta est pro Hieronymiana, quam nos retinuimus. quamque Canon San-Germanensis D habuit prima manu. MART.

— Cisterciens. ms. ex alia versione priores duos versus, Hieronymianæ, quam subdit, interpretationi præponit : qui sic habent : *Sicut cervus mugiens ad fontes aquarum, ita anima mea rugit ad te, Deus.*

[2] Ita mss. omnes, excepto codice Bibliothecæ Memmianæ et Canone Carcassonensi, qui legit in sacro contextu, *super me ingressi sunt*, addens hoc scholion marginale : *h. transierunt* MART.

— Cisterc. ms. *supertransierunt* sine *me* intermedio.

[3] Hic quoque voculas *ad me* Cisterc. ms. tacet.

[4] Præponit idem ms. hunc titulum, *Psalmus ad eos qui fidem consecuti sunt.* Αιτ' ἔγγραφος autem est apud Hebræos.

[5] Reginæ ms. *Ipsæ ducent me, et introducent ad montem*, sine altero *me* intermedio, quod et Cisterc. hic tacet. Tum *ad tabernaculum tuum, ad altare tuum*, pro *Dei* ; Cisterciens. *ad altare tuum, Domine.*

[6] Nostri mss. et quos Martian. laudat, *Pro victoria filiorum Core eruditionis*

[7] Ms. Reginæ, *complacuisti tibi*, pro *in eis :* tum *es rex meus*, absque *ipse*, quod et Cisterciens. tacet.

[8] Nostri et Martianæi plures mss. *pro salutibus.*

[9] Iidem cum editis, *in Domino gaudebimus.*

[10] Interserit Cisterciens. ms. nomen *Deus* : paulo cum duobus Reginæ *diripuerunt nos*, pro *sibi.*

[11] De præsenti versiculo Hieronymus in epist. *ad Sunn. et Fretel.* « Alioquin in Hebraico, inquit, ita scriptum reperi : Posuisti nos proverbium in gentibus. MART. »

— Tacent *in* voculam duo e nostris mss. S. vero Pater in epist. ad Sunniam et Fretelam, *In Hebraico*, inquit, *ita scriptum reperi. Posuisti nos proverbium in gentibus :* quem laudat et Martianæus locum.

[12] In Cisterciens. ms. *operuit nos*, etc., et mox *obliti sumus nominis Domini*, sine addito, *nostri.*

Si obliti sumus nominis Dei nostri,
ei expandimus manus nostra ad Deum alienum.
Nunquid non Deus investigabit istud,
ipse enim novit cogitationes cordis.
Quoniam propter te mortificati sumus tota die:
reputati sumus ut grex occisionis
Consurge (h. Expergiscere) quare dormitas Domine?
vigila; quare projicis (*Al.* projecisti) nos in sempiternum?
Quare faciem tuam abscondis?
obliivsceris afflictionis nostræ et inopiæ nostræ[1].
Quoniam incurvata est in pulvere anima nostra:
adhæsit in terra (*Al.* terræ) venter noster.
Surge, auxiliare nobis,
et redime nos propter misericordiam tuam.

VICTORI PRO LILIIS FILIORUM CORE[2], ERUDITIONIS CANTICUM AMANTISSIMI.

(XLV.) Eructavit cor meum verbum bonum;
dico ego opera mea regi:
lingua mea stylus scribæ velocis,
Decore pulchrior es filiis hominum,
effusa est gratia in labiis tuis)
propterea benedixit tibi Deus in æternum.
Accingere gladio tuo super (*Al.* circa) femur, fortissime: gloria tua et decore tuo.
Decore tuo prospere ascende,
propter veritatem[3]
et mansuetudinem justitiæ,
et docebit te terribilia dextera tua[4].
Sagittæ tuæ acutæ,
populi sub te cadent:
in corde inimicorum regis.
Thronus tuus, Deus, in sæculum. et in æternum:
sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui.
Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem (h. impietatem): propterea unxit te Deus, Deus tuus,
A oleo exsultationis præ participibus tuis.
Myrrha et stacte[5] et cassia in cunctis vestimentis tuis, de domibus (h. de templis) eburneis[6] quibus lætificaverunt te
filiæ regum in honore tuo.
Stetit conjux (h. regina) in dextera tua,
in diademate aureo.
Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam,
et obliviscere populi tui et domus (*Al.* domum) patris tui.
Et concupiscet rex decorem tuum:
quia ipse est Dominus (*Al. add.* Deus) tuus, et adora eum.
Et o filia fortissimi[7] (h. Tyri),
in muneribus faciem tuam deprecabuntur divites populi.
Omnis gloria filiæ regis intrinsecus:
fasciis aureis vestita est (h. præfaciis aureis, vestimenta illius).
B In scutulatis ducetur ad regem,
virgines sequentur[8] eam
amicæ (h. sodales) ejus ducentur tibi.
Ducentur in lætitiis et exsultatione:
ingredientur thalamum (h. templum) regis.
Pro patribus tuis erunt filii (*Al.* filiæ) tibi (h. tui),
pones eos principes in universa terra.
Recordabor nominis tui
in omni generatione et generatione:
Propterea populi confitebuntur tibi
in sæculum et in æternum.

VICTORI FILIORUM CORE PRO JUVENTUTIBUS CANTICUM.

(XLVI.) Deus nostra (h. nobis) spes et fortitudo:
auxilium in tribulationibus inventus es validum.
Ideo non timebimus cum fuerit translata terra,
et concussi montes in corde maris.
Sonantibus et timentibus[9] gurgitibus ejus,

[1] Mss. nostri omnes, *oblivisceris afflictiones et angustias nostras.*

[2] Totum hunc Psalmum Hebraice lectum invenimus in manuscripto præstantissimo codice monasterii nostri Carnutensis; quem diligenter collatum ac descriptum exhibebimus in Appendicula Canonis Hebraicæ veritatis, cum majori etiam parte Psalmi secundi, qui similiter Hebraica lingua, sed Latinis characteribus scriptus legitur in eodem Psalterio Carnutensi. Porro dissonantes lectiones retinent in titulo mss. plurimi. Vaticanus codex hoc modo legit: *Victori pro liliis filiorum Core, eruditio canticum amantissimo.* In exemplaribus vero Canonis, necnon in quatuor aliis mss. *eruditionis Canticum amantissimum.* At nullus relinquitur ambigendi locus, quænam sit genuina lectio, quænam vitiatæ ac depravatæ circumferantur, cum ipse Hieronymus Psalmum ex integro edisserens in epist. *ad principiam Virginem*, de eodem titulo hæc statim observarit: « Quadragesimum quartum Psalmum legens, in titulo reperi: *In finem pro iis qui commutabuntur filiorum Core, intelligentiæ Canticum pro dilecto:* in Hebraico scriptum est LAMMANASSE AL SOSANIM LABNE CORE MESKIL SIR IDIDOT (למנצח על שושנים לבני קרח משכיל שיר ידידות): quod nos in Latinum vertimus: Victori pro liliis filiorum Core, eruditionis Canticum amantissimi. Symmachus more suo manifestius, triumphum pro floribus, interpretatus est. Igitur SOSANIM, vel pro iis qui commutandi sunt, vel in lilia transfertur et flores) MESKIL quo jure et eruditionem et doctissimum sonat) SIR Canticum: IDIDIA Salomonis est nomen, qui alio sensu Pacificus appellatur. Quatuor autem Psalmi, licet in posteriori titulorum parte dissentiam, hoc principio prænotantur, quadragesimus quartus, quinquagesimus nonus, sexagesimus octavus, septuagesimus nonus, e quibus
C duo medii inscribuntur David, primus et novissimus filiorum Core, et Asaph. » Hucusque Hieronymus, ad cujus verba tanquam adamussim obliquas ac depravatas lectiones restituere curavimus multis in locis Psalmorum. MART.

[3] Hoc modo se legisse testatus Hieronymus in epist, nunc laudata: mss. tamen non pauci legunt cum edito, *propter verbum veritatis.* MART.

[4] Cisterc. ms. *Edocebit te terribiliter dextera tua.* Vide laudatam epistolam *ad Principiam*, num, 11, et quæ ad hunc locum ibi adnotamus.

[5] Idem mss. *Smyrna et aloe*, ex Hebræo אהלות Mox pro *domibus eburneis*, scriptum ab Hieronymo *de templo dentium*, quod nonulli ex epistola *ad Principiam* argumentantur, et Hebræus scholiastes innuit, minime est verosimile.

[6] *Melius*, inquit ibidem S. Doctor, *in Hebraico scribitur, de templo dentium.* Ad quod proxime accedit scholion marginale vetustissimi Scriptoris MART.
D

[7] Plures mss. habent, *Et filia fortissimi*, duo sic, *Est o filia fortissimi*, pro. *Et o filia fortissimi*, ut legitur in ms. Carnutensi. Docet etiam Hieronymus, *o filia fortissimi* legendum ex Hebræo. Nonnullas variantes alias lectiones, sed levioris momenti reperire poterit lector studiosus in epist. *ad principiam virginem.* MART.

[8] Haud bene legit Martianæus ex aliis codicibus in instanti *sequuntur*. Mox duo mss. Reginæ et Cisterciensis *ducentur illuc*, pro *tibi*: quam lectionem ipse Hieronymus in epist *ad Principiam*, num. 20, ex Hebraico exemplari videtur hausisse: cum tamen ibi sit לך *ad te.*

[9] Nostri mss. aliique penes Martianæum cum pridem editis libris, *intumescentibus*. Mox unus Reginæ *agitatis montibus* absque *in* particula. Denique pro non *ejus* subsequentis versus ipse etiam Cisterciensis tacet.

agitatis in montibus in potentia ejus. SEMPER.
Fluminis divisiones ejus.
lætificant civitatem Dei sancti
tabernacula Altissimi [1].
Deus in medio ejus non commovebitur:
auxiliabitur ei Deus in ortu matutino.
Conturbatæ sunt gentes, concussa sunt regna:
dedit vocem suam, prostrata est terra.
Dominus exercituum nobiscum:
protector noster Deus Jacob. SEMPER.
Venite et videte opera Domini:
quantas (h. quot) posuerit solitudines in terra.
Compescit bella usque ad extremum terræ.
arcum confringet, et concidet hastam, *Al.* hastas:
plaustra comburet igni.
Cessate et cognoscite quoniam ego sum Deus:
exaltabor in gentibus, exaltabor in terra.
Dominus exercituum nobiscum:
fortitudo nostra (h. susceptor noster) Deus Jacob.
SEMPER.

VICTORI [2] FILIORUM CORE CANTICUM (h. PSALMUS.

(XLVII.) Omnes populi (*Al.* gentes), plaudite manibus) jubilate Deo in voce laudis.
Quoniam Dominus (*Al.* Deus) altissimus terribilis:
rex magnus super omnem terram.
Congregavit populos [3] subter nos.
et tribus (h. plebes) sub pedibus nostris.
Elegit nobis hæreditatem nostram:
gloriam (h. superbiam) Jacob quam dilexit.
SEMPER.
Ascendit Deus in jubilo:
Dominus (*Al.* Deus) in voce buccinæ.
Canite (h. psallite) Deo canite (h. psallite).
canite (h. psallite) regi nostro canite (h. psallite).
Quia rex universæ terræ Deus:
canite (h. psallite) erudite.
Regnavit Deus super gentes:
Deus sedet super thronum sanctum suum.
Principes populorum congregati sunt
populus Dei Abraham:
quoniam dii scuta terræ
vehementer elevata (*Al.* elevati) sunt.

CANTICUM PSALMI [4] FILIORUM CORE.

(XLVIII.) Magnus Dominus et laudabilis nimis:
in civitate Dei nostri in monte sancto suo,
Specioso germini gaudio universæ terræ:
monti Sion lateribus aquilonis
civitatulæ regis magni.
Deus in domibus ejus:
agnitus est in auxiliando.
Quia ecce reges congregati sunt:
venerunt (h. translerunt) simul.
Ipsi videntes sic obstupuerunt:
conturbati sunt, admirati sunt.
Horror possedit eos ibi:
dolor (*Al.* dolores) quasi parturientis.
In vento uredinis,
confringes [5] naves Tharsis.
Sicut audivimus, ita vidimus

A in civitate Domini exercituum,
in civitate Dei nostri:
Deus fundavit eam usque in æternum (h. sæculum).
SEMPER,
Æstimavimus, Deus, misericordiam tuam,
in medio templi tui.
Secundum nomen tuum, Deus,
sic laus tua usque in (*Al.* ad.) extremum terræ:
justitia repleta est dextera tua.
Lætetur mons Sion, exsultent filiæ Judæ:
propter judicia tua.
Circumdate Sion, et circuite eam,
numerate turres ejus,
Ponite cor vestrum in mœnibus (h. in virtute):
separate palatia (*Al. add.* ejus);
Ut enarretis in generatione novissima.
Quia iste (*Al.* ipse est) Deus Deus noster in sæculum, et in perpetuum:
ipse erit dux noster in mortem (h. in sæcula).

B VICTORI FILIORUM CORE CANTICUM (h. PSALMUS).

(XLIX.) Audite hoc (*Al.* hæc), omnes populi:
auribus percipite, universi habitatores occidentis (h. orbis).
Tam filii Adam, quam filii (h. viri) singulorum:
simul dives et pauper.
Os meum loquetur sapientias (*Al.* sapientiam),
et meditatio cordis mei prudentias (*Al.* prudentiam
Inclinabo (*Al.* inclino) ad parabolam aurem meam:
aperiam in cithara ænigma meum.
Quare timebo in diebus mali?
iniquitas calcanei mei circumdabit me.
Qui fiduciam habent in fortitudine sua,
et in multitudine divitiarum suarum superbiunt.
Fratrem [6] redimens non redimet vir:
nec dabit Deo propitiationem pro eo:
et pretium redemptionis animæ eorum:
C Sed quiescet in sæculo, et vivet ultra in sempiternum
et non videbit interitum (*Al.* in æternum),
cum viderit sapientes morientes:
Simul insipiens et indoctus peribunt,
et relinquent alienis divitias suas.
Interiora sua domos suas in sæculo,
tabernacula sua in generatione et generatione:
vocaverunt nominibus suis terras (*Al add.* suas),
Et homo in honore non commorabitur [7]:
assimilatus (*Al. add.* est) jumentis et exæquatus est
Hæc est via insipientiæ eorum (h. via eorum),
et post eos juxta os eorum current. SEMPER.
Quasi grex (h. oves) in inferno positi sunt (mors pascet eos.
et subjicient eos recti in matutino,
et figura eorum conteretur in inferno post habitaculum suum.
Verumtamen Deus redimet animam meam,
de manu inferni cum assumpserit me. SEMPER.
D Noli timere cum ditatus fuerit vir,
cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.
Neque enim moriens tollet omnia:
nec descendet post eum gloria ejus,

[1] Iterum nostri mss. pluresque apud Martianæum *lætificat civitatem Dei) sanctum tabernaculum Altissimi.* Tum nostri duntaxat: *Dominus in medio ejus*, ac deinde, *Deus in ipso ortu matutino.*

[2] Cisterciens. ms. *Victoria*. Reginæ cod. *Victoriam;* nullus e nostris *Victori* præfert.

[3] Exemplaria Canonis tria, Carcassonense, San-Germanense et Memmianum, cum duobus aliis mss., *Subjecit populos.* MART.

[4] In recto *Psalmus*, nostri omnes mss. legunt.

[5] In Cisterciensi ms., *confringens* (tum junctis reliquis omnibus, *naves maris* pro *Tharsis* (denique *Dei exercituum* pro *Domini*, etc.

[6] Verius, puto, legit Reginæ ms. in recto *Frater.*

[7] Hactenus lectum est *commovebitur*, quod verbum plane videtur et a sacri Scriptoris mente contextuque alienum, et facili veterum amanuensium errore substitutum pro genuino *commorabitur*. Hoc adeo nos reposuimus, non tamen ex ingenio, sed primum ex antiquorum Reginæ ac Cisterciensis codicum auctoritate, tum duorum quoque apud Martianæum, qui tametsi alias minus emendati, hic certe eum de vera lectione monere potuissent. Persuasit nos denique Hebræus textus, in quo est בל-יולין, id est, *non perseverabit*, sive ad litteram, *non pernoctabit*, quem sensum verba *non commorabitur*, unice referunt.

Quia animæ suæ in vita sua benedicet :
laudabunt te [1], cum bene fuerit tibi.
Intrabit (*Al.* intrabunt) usque ad generationem patrum suorum :
usque ad finem non videbunt lucem.
Homo cum in honore esset, non intellexit.
comparavit se jumentis, et silebitur [2].

CANTICUM (h. PSALM.) ASAPH.

(*I.*.) Fortis Deus Dominus locutus est,
et vocavit terram.
ab ortu solis usque ad occasum ejus.
De Sion perfecta decore.
Deus (*Al. tac.* Deus) apparuit.
Veniet Deus noster, et non tacebit :
ignis coram eo vorabit [3].
et in circuitu ejus tempestas valida.
Vocabit cœlum desursum,
et terram, ut judicet populum suum.
Congregate mihi sanctos (h. misericordes) meos :
qui feriunt pactum meum in sacrificio.
Et annuntiabunt cœli justitiam ejus
quia Deus judex est ipse. SEMPER.
Audi populus meus (*Al.* popule), et loquar,
Israel, et contestabor te.
Deus Deus tuus ego sum.
Non propter victimas tuas arguam te,
et holocautomata tua coram me sunt. SEMPER.
Non accipiam de domo tua vitulum (h. taurum)
neque de gregibus tuis hircos.
Mea sunt enim omnia animalia silvarum (h. silvæ)
pecudes (h. beemoth) in montibus millium.
Scio omnes aves montium,
et universitus agri (h. zizdicitur, nomen est avis)
mei [4] mecum est.
Si esuriero, non dicam tibi.
meus est enim orbis et plenitudo ejus.
Nunquid comedam carnem (*Al.* carnes) taurorum
Immola Deo laudem,
et redde Altissimo vota (*Al. tac.* vota) tua.
Et invoca me in die tribulationis :
liberabo te, et glorificabis me.
Impio autem dixit Deus :
quid tibi est cum narratione præceptorum meorum
et ut assumas pactum meum in ore tuo ?
(h. Et tu) Qui odisti disciplinam,
et projecisti verba mea post te.
Si videbas furem, consentiebas ei
et cum adulteris pars tua [5].
Os tuum misisti ad malitiam,
et lingua tua concinnabit dolum.
Sedens adversus fratrem tuum loquebaris,
in (*Al.* et adversum) filium matris tuæ fabricabaris
opprobrium
Hæc fecisti, et tacui :
A existimasti futurum me (*Al. tac.* me) similem tui
arguam te et proponam ante oculos tuos.
Intelligite hoc qui obliviscimini Deum,
ne forte rapiam (*Al.* capiam) et non sit qui liberet:
Qui immolat confessionem, glorificat me.
et qui ordinat viam, ostendam [6] ei salutare Dei.

VICTORI CANTICUM (h. PSALM.) DAVID : CUM VENISSET AD EUM NATHAN PROPHETA, QUANDO INGRESSUS EST AD BETHSABEE.

(LI.) Miserere mei Deus, secundum misericordiam
tuam : juxta multitudinem miserationum tuarum
dele iniquitates meas.
Multum lava me ab iniquitate mea,
et a peccato meo munda me.
Quoniam iniquitates meas (h. errores meos) ego cognovi [7], et peccatum meum contra me est semper.
Tibi soli peccavi, et malum coram te (h. in oculis tuis) feci :
B ut justificeris in sermonibus tuis,
et vincas cum (*Al.* dum) judicaveris [8] (h. judicatus fueris).
Ecce in iniquitate conceptus sum,
et in peccato peperit me mater mea.
Ecce enim veritatem diligis,
absconditumet arcanum sapientiæ manifestasti (h. sapientiam manifestabimus) mihi [9].
Asperges (h. purificabis) me hyssopo, et mundabor,
lavabis me et super nivem dealbabor.
Auditum mihi facies gaudium et lætitiam,
exsultent [10] ossa quæ confregisti.
Absconde faciem tuam a peccatis meis,
et omnes iniquitates meas dele.
Cor mundum crea mihi, Deus,
et spiritum stabilem renova in visceribus meis.
Ne projicias me a facie tua
et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
Redde mihi lætitiam (h. habet Jesu) salutaris [11] tui,
et spiritu potenti confirma me.
C Docebo iniquos vias tuas,
et peccatores ad te revertentur.
Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ:
laudabit lingua mea justitiam tuam.
Domine labia mea apertes,
et os meum annuntiabit laudem tuam.
Non enim vis ut victimam feram [12] :
nec holocaustum tibi placet.
Sacrificium (h. Sacrificia) Dei spiritus contribulatus
(h. contritus) :
cor contritum et humiliatum. Deus, non despicies.
Bene (h. benigne) fac (*Al. add.* Domine) in voluntate
tua, Sion,
(*Al. add.* et) ædificentur muri Jerusalem.
Tunc suscipies sacrificium justitiæ,
oblationes et holocausta.
tunc imponent super altare tuum vitulos (h. tauros).

[1] Unus Reginæ ms. *laudabit inquient te.* Tum rectius, ut videtur, cum Cisterciensi, *cum benefeceris tibi :* quod proprie sonat Hebræum תיטיב לך.

[2] In Canone San Germanensi sic docuit emendator codicis : *Homo cum in honore esset, non intellexit ; comparatus est jumentis, et similis factus est illis* Quod absque dubio fluxit e Vulgata editione. Codices mss. S. Michaelis, et Augustinorum Burdigalensium hanc retinent lectionem : *Homo cum in honore esset, non commorabitur : assimilatus jumentis exæquatus* est. MART.

[3] *Ignis ante eum ardebit* legimus in tribus canonibus. In quobus aliis mss. *coram eo* ardebit. MART.

[4] Fortasse rectius *mei* pronomen Reginæ ms. hic reticet : Hebræus autem textus עדי utramque ex punctorum varietate recipit lectionem.

[5] Plus habent duo et nostris mss. *erat pars tua. Dein unus* Cisterciens., *os tuum dimisisti*, pro *misisti et, lingua tua concinnavit,* pro *concinnabit,* cohærentius, ut videtur, superioris sententiæ tempori, sed Hebræo dissentiente textu.

[6] Reginæ ms. *qui ordinate ambulat, ostendam*, etc.

[7] Duo mss., *iniquitatem meam ego novi.*

[8] Ms Sorbonicus, *cum judicabis* : in exemplaribus Canonis, *cum judicaris*, idque secutus est ms. Corbeiens., et Carnut. prima manu. MART.

[9] Canon Carcassonnensis : *Ecce enim veritatem diligis in abscondito ; et in arcano sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Similiter habent in primo versiculo mss. Aug. Burdigal., ac S. Mich., consequenter autem, *sapientiam manifestabis mihi.* MART.

[10] In pluribus mss., *ut exsultent.*

[11] Quod mavult Scholiastes *Jesu* pro *salutaris*, nostri quoque præferunt mss.

[12] Magis ferme placet *feriam*, quod tum nostri omnes, cum plures alii apud Martianæum mss. habent, pro *feram*, Hebræus ad Verbum, *non desiderabis hostiam.*

VICTORI ERUDITIO [1] DAVID CUM VENISSET DOEC (*Al.* DOECH) IDUMÆUS, ET ANNUNTIASSET SAULI (*Al.* SAUL), DICENS EI : VENIT DAVID IN DOMUM ABIMELECH (Al. ABIMELECH).

(LII.) Quid gloriaris in malitia, potens?
misericordia Dei tota est die.
Insidias cogitat lingua tua.
quasi novacula acuta faciens dolum.
Dilexisti malum magis quam bonum :
mendacium magis quam loqui (*Al. tac.* loqui) justitiam. SEMPER.
Dilexisti omnia verba ad devorandum, lingua [2] dolosa (*Al.* linguam dolosam)
Sed Deus destruet te, in sempiternum terrebit (h. *add.* te), et evellet te de tabernaculo,
et eradicabit te de terra viventium. SEMPER.
Videbunt justi, et timebunt,
et super eum ridebunt.
Ecce vir qui posuit Deum fortitudinem suam :
sed speravit in multitudine divitiarum suarum : B
confortatus est in insidiis suis.
Ego autem sicut oliva virens in domo Dei :
speravi in misericordia Dei
in sæculum [3] sempiternum.
Confitebor tibi in sæculum, quoniam fecisti :
et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum in conspectu sanctorum (h.misericordium) tuorum.

VICLORI PER CHORUM ERUDITIO DAVID [4].

(LIII.) Dixit stultus in corde suo, Non est Deus :
corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitate,
non est qui faciat bonum.
Deus de cœlo prospexit super filios hominum,
ut videret si est intelligens requirens Deum.
Omnes aversi sunt, pariter adhæserunt :
non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.
Nunquid non cognoverunt qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum ut cibum pa- C
nis : Deum non invocaverunt.
Ibi timuerunt timore
ubi non erat (*Al.* est) timor
Quoniam Deus dispersit ossa circumdantium te :
confunderis, quia Deus projecit eos.
Quis dabit ex Sion salutare Israel [5]?
cum reduxerit Deus captivitatem populi sui
exsultabit Jacob, lætabitur Israel.

VICTORI IN PSALMIS ERUDITIO DAVID : QUANDO VENERUNT ZIPHÆI ET DIXERUNT SAUL : NONNE DAVID ABSCONDITUS EST APUD NOS?

(LIV.) Deus, in nomine tuo salva me (*Al.* salvum me fac), et in fortitudine tua ulciscere me.
Deus, exaudi orationem meam :
auribus percipe verba oris mei.
Quia alieni insurrexerunt adversum me,
et fortes quæsierunt animam meam :
non posuerunt [6] Deum in conspectu suo. SEMPER.
Ecce Deus auxiliator mihi : D
Dominus sustentans animam meam.
Reddet (*Al.* redde) malum insidiatoribus (h.decantatoribus) meis :
in veritate tua (*Al. tacet* tua) disperde eos.
Voluntarie sacrificabo tibi :
confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum.
Quoniam ex omni tribulatione liberavit me
et inimicos meos vidit oculus meus.

VICTORI IN PSALMIS ERUDITIO DAVID [7]

(LV.) Exaudi, Deus, orationem meam,
et ne despicias deprecationem meam.
Attende mihi et exaudi me :
Humiliatus sum in meditatione mea,
et conturbatus a voce inimici,
a facie persequentis impii :
Quoniam projecerunt super me iniquitatem
et in furore adversabantur mihi.
Cor meum doluit in vitalibus meis,
et terrores mortis ceciderunt super me.
Timor et tremor venit (*Al.* venerunt) super me,
et operuit me caligo.
Et dixi : Quis dabit mihi pennas columbæ,
ut volem et requiescam?
Ut procul abeam.
et commorer in deserto? SEMPER.
Festinabo (h. Festina) ut salver
a spiritu tempestatis et turbinis [8].
Præcipita, Domine, divide linguas eorum :
quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.
Die et nocte circumeuntes muros ejus.
Scelus et dolor in medio ejus.
Insidiæ in vitalibus ejus,
et non recedit de plateis ejus
damnum et fraudulentia.
Non enim inimicus exprobravit mihi, ut sustineam:
neque is qui me oderat, super me magnificatus est, ut abscondar ab eo.
Sed tu, homo unanimis meus (*Al. tac.* meus),
dux meus, et notus meus :
Qui simul habuimus dulce secretum,
in domo Dei ambulavimus cum terrore.
Veniat mors super eos,
descendant in infernum viventes,
quia nequitiæ in congregatione eorum, in medio eorum.
Ego ad Deum clamabo.
et Dominus salvabit me.
Vespere et mane et meridie loquar,
et resonabo, et exaudiet vocem meam,
Redemit in pace [9] animam meam
ab appropinquantibus mihi :
multi enim fuerunt adversum me.
Exaudiet (*Al.* audivit) *Deus, et humiliabit eos.*
qui judex est *abinitio*. SEMPER.
Non enim mutantur, neque timent Deum.
Extendit manus suas (*Al.* manum suam) ad pacifica sua : contaminavit pactum suum [10].

[1] Reginæ ms. *Victoria de erudito :* et cum plerisque aliis *Doec*, et *Achimelech* nomina sic legit.

[2] Mss. tres legunt cum edito, *linguam dolosam.* MART.

[3] Ita Regius codex, Corbeilensis, Sorbonicus, et Speculum S.Augustini. In aliis legimus, *in sæculum et in æternum.* MART.

[4] Sorbonicus ms, *Victori pro choro intelligenti David.* Septem autem alii codices mss habent in extrema parte tituli, *eruditi David.* MART.

— Cisterciens ms., *pro choro intelligenti* : alii dumtaxat *eruditi* præferunt, pro *eruditio.*

— Hic quoque ms. nostri omnes eruditi legunt, pro *erulitio.*

[5] Canon Carcassonensis, ac Vaticanus ms., *salutaria Israel* ; cæteri omnes, *salutare Israel.* MART.

[6] Idem ms. *Et non proposuerunt*, etc.

[7] Plures mss. hic ut supra, *eruditi David.* MART.

— Pari iterum consensu nostri mss., *dispexit*, pro *vidit.*In subsequentis vero psalmi titulo alii *eruditi*, alii *canticum* pro *eruditio* præferunt.

[8] De his duobus versibus disserit S. Hieronymus in epist. ad Sunniam et Fretelam, dicens omnem præsentis loci sensum ita apud Hebræos legi : *Festinabo ut salver a spiritu tempestatis et turbinis.* Hinc videas diversum esse ab Hieronymo scholiasten Canonis Hebraicæ veritatis : cum diverso modo legant ac interpretentur Hebræum פלטני *adhisa.* MART.

[9] Futurum tempus retinent mss. quam plures, *redimet in pace.* MART. Alii e nostris ms., *Redime*, alii *Redimet* legunt.

[10] In Reginæ ms., *contaminaverunt pactum*, etc.

Nitidius butyro os ejus:
pugnat autem cor illius,
molliores sermones ejus ab oleo [1], cum sint lanceæ.
Projice super Dominum charitatem tuam, et ipse te enutriet:
non dabit in æternum fluctuationem justo.
Tu autem, Deus, deduces eos in puteum interitus:
viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos:
ego autem fiduciam habeo tui.

VICTORI PRO COLUMBA MUTA, EO QUOD PROCUL ABIERIT DAVID HUMILIS, ET SIMPLEX, QUANDO TENUERUNT EUM PALÆSTINI IN GETH.

(LVI.) Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo:
tota die pugnans tribulavit me.
Conculcaverunt me insidiatores (h. decantatores) mei tota die:
multi enim qui pugnant contra me, Altissime.
Quacunque die territus fuero: ego (*Al. tac.* ego) in te confidam.
In Deo laudabo verbum ejus (*Al. tac.* ejus),
in Deo speravi: non timebo
quid faciat mihi caro.
Tota die sermonibus me affligebant:
contra me omnes cogitationes eorum in malum.
Congregabuntur absconditæ, ipsi (*Al. tac.* ipsi) plantas meas (h. calcaneos meos) observabunt:
exspectantes animam meam.
Qui nullus est salvus in eis:
in furore populos detrahe [2], Deus.
Secretiora mea (h. motum meum tu) numerasti,
pone lacrymam meam in conspectu (h. utre) tuo [3]: sed non in narratione tua.
Tunc convertentur inimici mei retrorsum,
in quacunque die invocavero:
hoc scio quia Deus meus es (*Al. add.* tu).
In Deo laudabo verbum:
in Domino prædicabo [4] (h. laudabo) sermonem.
In Deo speravi: non timebo
quid faciat mihi homo.
In me sunt, Deus, vota tua:
reddam gratiarum actiones tibi.
Quia liberasti animam meam de morte,
A et pedes meos de lapsu:
ut ambulem coram Deo in luce viventium.

VICTORI UT NON DISPERDAS DAVID HUMILEM ET SIMPLICEM, QUANDO FUGIT A FACIE SAUL IN SPELUNCAM [5].

(LVII.) Miserere mei, Deus, miserere mei,
quoniam in te speravit (*Al.* sperat) anima mea;
Et in umbra alarum tuarum sperabo:
donec transeant insidiæ.
Invocabo Deum altissimum
Deum ultorem meum.
Mittet de cœlo et salvabit me,
exprobrabit conculcantibus [6] me. SEMPER.
mittet Deus misericordiam suam et veritatem suam.
Anima mea in medio leonum dormivit ferocientium;
Filii hominum dentes eorum lanceæ et sagittæ,
et lingua eorum gladius acutus.
B Exaltare super cœlos, Deus:
in omni terra gloria tua.
Rete paraverunt gressibus meis.
ad incurvandum animam meam (h. incurvata est anima mea).
Foderunt ante me foveam,
ceciderunt in medio ejus. SEMPER.
Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum,
cantabo et psallam.
Surge (h. Expergiscere), gloria mea,
surge (h. expergiscere), psalterium et cithara:
surgam (h. expergiscar) mane.
Confitebor tibi in populis, Domine,
cantabo (h. psallam) tibi in gentibus.
Quia magna usque ad cœlos misericordia tua,
et usque ad nubes veritas tua.
Exaltare super cœlos, Deus,
in omni terra gloria tua.

C VICTORI UT NON DISPERDAS DAVID HUMILEM ET SIMPLICEM.

(LVIII.) Si vere utique justitiam loquimini,
recta judicate, filii hominum.
Etenim in corde iniquitates (h. holocausta) operamini,
in terra iniquitates manuum vestrarum [7] appendite.

[1] Reginæ ms., *mollierunt sermones suos oleo*, sed et in aliis abest *ab* præpositio. Mox Cisterciens., *Projice super Dominum tribulationem tuam*, additum ad libri oram, Al. *cogitationem*.

[2] Duo e nostris mss. *detrahe*, quod vitiosum esse scribarum incuria ab epist. ad Sunniam et Fretelam disces.

[3] Locus insignis apud eruditos antiquitatis sacræ ac profanæ curiosos, quorum studia ante mille annos expleverat scholiastes Canonis, nisi incuria temporum in oblivione jacuissent usque in præsens ingenii hujus præclara monumenta. Sic igitur legimus in ms. Vaticano (in cujus contextum scholia marginalia Canonis inducta luisse monuimus): *Motum meum tu numerasti, repone lacrymam meam in utre tuo, aut in numero tuo.* In Canone Carcassonensi ultimus versiculus similiter expressus est, *aut in numero tuo*, cætera in scholiis, ut vides, posita reperiuntur. Canon San-Germanensis, qui deinceps nullas habet adnotationes criticas, purum retinet totum contextum psalmi cum aliis quatuor mss. codicibus, Regio scilicet, Carnutensi, Corbeiensi et Sorbonico; exemplaria duo reliqua Augustinorum Burdigalensium ac S. Michaelis in Periculo Maris, quæ scholiis item marginalibus ubique intermista et vitiata superius diximus, nihil differunt a Vaticano nunc citato. Porro LXX ac Hieronymus hic בנאדך *benodeka*, interpretatur *in conspectu tuo, sive coram te;* cum tamen נאד *nod*, alibi, *utrem* vertant. Nobis in revolvendis Hebræorum Lexicis nihil occurrit, quod huic interpretationi faveret, excepto verbo נדבוד *nidnud*, quod Rabbinis est *nudus oculi*. Qui de antiquiorum *lacrymatoriis*, sive *utribus*, ubi lacrymæ deflentium mortuos servabantur, scire desiderarit, consulat Th. J. ab Almeloveen Antiquitatum e sacris profanarum specimen pag. 131 et seqq. MART.

[4] In Cisterciens. ms. *et in Deo prædicabo.*

[5] Regius codex adeo corruptus legitur in multis psalmorum titulis, ut publice exscriptorum indicet depravationem ac imperitiam: hoc enim loco sic inscribit: *In finem ne disperdas David tituli inscriptione, cum fugeret a facie Saul in spelunca.* Sed codices continent, *pro victori aut non disperdas*, etc. MART.

— Cisterc. ms., *Pro victori:* Reginæ autem cum plerisque aliis mss., *Pro victoria ut*, etc., quod item prætulisse arbitror quos laudat Martianæus, neque enim probe lectum ab eo videtur, *pro victori aut non* etc.

[6] Editi cum mss. quinque *manus vestras* legunt, pro *manuum vestrarum*. MART. — Ms. *exprobravit conculcantes*: etiam quod subsequitur, *semper*, prætermisso.

[7] Quidam mss. cum antea editis libris *manus vestras*, pro *manuum vestrarum* legunt. Cisterciens. ipsam præterea vocem *iniquitates* prætermittit.

Alienati sunt peccatores a vulva :
erraverunt ab utero loquentes mendacium.
Furor eorum sicut similitudo furoris serpentis [1],
sicut reguli surdi obturantis aurem suam.
Ut non audiat vocem murmurantium :
nec incantatoris incantationes callidas.
Deus, excute dentes eorum ex ore eorum :
molares (*Al.* molas) leonum confringe, Domine.
Dissolvantur quasi aquæ quæ defluunt :
intendet arcum suum (h. sagittam suam) donec conterantur.
Quasi vermis tabefactus pertranseat (*Al.* pertranseant),
quasi obortivum mulieris quod non vidit(*Al.*videt) solem.
Antequam crescant spinæ vestræ in rhamnum :
quasi viventes, quasi in ira tempestas rapiet eos [2].
Lætabitur justus cum viderit ultionem :
pedes suos lavabit in sanguine impii.
Et dicet (*Al.* dicat) homo, Vere est fructus justo : B
vere est Deus judicans in terra.

VICTORI UT NON DISPERDAS DAVID HUMILEM ET SIMPLICEM, QUANDO MISIT SAUL, ET CUSTODIERUNT DOMUM, UT OCCIDERENT (*Al.* OCCIDERET) EUM.

(LIX.) Erue [3] me de inimicis meis, Deus (h. Domine) meus,
et a resistentibus mihi protege me.
Libera me ab operariis iniquitatis (*Al.* operantibus iniquitates),
et a viris sanguinum salva me.
Quia ecce insidiati sunt animæ meæ,
congregantur adversus me fortissimi (h. credulissimi),
absque iniquitate mea, et absque peccato meo, Domine.
Non egi inique, et illi currant (*Al.* cucurrerunt) et præparantur,
surge (h. expergiscere) ex adverso pro me, et re- C
spice.
Et tu, Domine Deus exercituum Deus Israel.
evigila, ut visites omnes gentes.
Non miserearis universis
qui operantur iniquitatem. SEMPER.
Revertantur ad vesperam, latrent ut canis (*Al.* canes),
et circumeant (*Al.* circuibunt) civitatem.
Ecce loquentur (*Al.* loquuntur) in ore suo,
gladii in labiis eorum :
quasi nemo audiat.
Tu autem, Domine (*Al. tac.* Domine), deridebis eos:
subsannabis omnes gentes.
Fortitudinem meam ad te servabo :
quoniam tu, Deus elevator meus.
Deus misericordia mea præveniet me :
Deus ostendet mihi in insidiatoribus (*h.* decantatoribus) meis.
Ne occidas eos, ne forte obliviscantur populi mei : D
disperge eos in fortitudine tua, et destrue eos :
protector noster Domine (*Al.* Deus).
Peccato oris qui sermone (*Al.* in peccato et in sermone) labiorum suorum,
et capiantur in superbia sua :
A maledictionem et mandacium narrantes.
Consume in furore, consume ut non subsistant :
et sciant quoniam Deus dominatur (*Al.* dominabitur)
Jacob, in finibus terræ. SEMPER.
Et convertantur ad vesperam, latrent ut canis (*Al.* canes), et circumeant civitatem.
Ipsi vagabuntur ut comedant,
et cum satrati non fuerint, murmurabunt.
Ego autem cantabo imperium tuum,
et laudabo mane misericordiam tuam :
Quoniam factus es fortitudo mea(h. susceptor meus),
et refugium in die tribulationis meæ.
Virtutem meam tibi cantabo [5] (h. fortitudo mea tibi psallam) :
quoniam Deus adjutor (h. susceptor) meus,
Deus misericordia mea.

VICTORI PRO FILIIS TESTIMONIUM HUMILIS ET SIMPLICIS [6] DAVID AD DOCENDUM, QUANDO PUGNAVIT ADVERSUS SYRIAM MESOPOTANIÆ, ET ADVERSUS SYRIAM SOBA : ET REVERSUS EST JOAB, ET PERCUSSIT EDOM IN VALLE SALINARUM DUODECIM MILLIA.

(LX.) Deus, projecisti nos, scidisti :
iratus convertisti nos.
Commovisti terram, et disrupisti [7] eam :
sana contritiones ejus quoniam commota est.
Ostendisti populo tuo duritiam :
potasti nos vino [8] consopiente,
Dedisti metuentibus (*Al.* timentibus) te signum
ut fugerent a facie arcus. SEMPER.
Ut liberentur amici tui :
salva dextera tua , et exaudi me,
Deus locutus est in sanctuario suo: lætabor,
dividam Sicimam,
et vallem Soccoth dimetiar.
Meus est Galaad, et meus est Manasse,
et Ephraim fortitudo capitis mei :
Juda legifer meus :
Moab olla lavacri mei [9]:
Super Idumæam incedam calciamento meo :
mihi Palæstina fœderata est.
Quis deducet me ad civitatem munitam,
quis deducet me usque ad Idumæam ?
Nonne tu, Deus, qui projecisti nos,
et non egredieris, Deus, in exercitibus nostris.
Da nobis auxilium de (*Al.* in) tribulatione,
vana est enim salus ab homine.
In Deo faciemus virtutem,
et ipse conculcabit tribulantes nos.

VICTORI IN PSALMIS DAVID.

(LXI.) Exaudi, Deus, laudationem meam :
intende orationi meæ.
De novissimo terræ ad te clamabo,
cum triste fuerit cor meum :
Cum fortis elevabitur adversum me, D
tu eris ductor meus.
Quoniam (*Al. tac.* quoniam) fuisti spes mea,
turris munitissima a facie inimici.
Habitabo (h. peregrinabo) in tabernaculo tuo jugiter (h. in sæculum) :

[1] Nostri omnes mss., *sicut furor serpentis*, pro *similitudo furoris*, etc.

[2] Ms. Cisterciens., *In ira tempestatis rapiet eas.*

[3] Falso monet hic scholiastes in Hebræo *Dominum* haberi, non *Deum*, neque vero nomen יהוה scriptum legitur, sed אלהי, MART.

[4] Apertissima est corruptio hujus versiculi et in editis, et in aliquot mss. ubi legimus : *Dei mei misericordia præveniet me* ; quia Hieronymus ipse conceptis verbis docuit epist. *ad Sunniam et Fretelam*, in Hebræo scriptum esse : *Deus meus misericordia mea, præveniet me.* MART.

[5] Addit hic Cisterc. ms. *meum* : tum juncto Reginæ atque aliis, voces *virtutem meam* prætermittit : subsequenti autem versu subjungunt *fortitudo mea.*

[6] Pro *simplicis* nostri omnes mss. aliique apud Martian. legunt *perfecti*, tum verba, *Mesopotamiæ et adversus Syriam*, unus Reginæ tacet.

[7] In uno Cisterciensi ms., *diripuisti.*

[8] Aliquot mss., *vino mæroris* MART.

Exemplaria Canonis et alia duo, vel tria, *olla pelvis meæ.* MART.

sperabo in protectione alarum tuarum. SEMPER.
Tu enim, Deus, exaudisti orationem meam,
dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.
Dies super dies regis adjicies :
annos ejus donec est generatio et generatio.
Sedebit semper (h. in sæculum) ante faciem Dei,
misericordia et veritas servabunt eum.
Sic canam (h. psallam) nomini tuo jugiter :
reddens vota mea per singulos dies.

VICTORI PER IDITHUM [1] CANTICUM (*h.* PSALM.) DAVID

(LXII.) Attamen apud Deum silebit anima mea :
ex eo salus mea.
Attamen ipse est scutum meum (h. fortitudo mea) et salus mea :
fortitudo mea (h. susceptor meus) non commovebor amplius.
Usquequo insidiamini contra virum interficitis omnes, sicut murus inclinatus et maceria corruens[2].
Partem enim ejus cogitaverunt expellere,
placuerunt sibi in mendacio :
ore suo benedicunt [3], et corde suo (h. intrinsecus) maledicunt. SEMPER.
Verumtamen Deo tace (*Al.* retice), anima mea :
ab ipso enim præstolatio mea[4].
Ipse enim (*Al.* est fortitudo mea et salus mea :
susceptor meus, non timebo (h. movebor).
In Deo salutare meum et gloria mea :
robur fortitudinis meæ et salus mea in Deo.
Sperate in eo omni tempore, populi,
effundite coram eo cor vestrum :
Deus spes nostra. SEMPER.
Verumtamen vanitas filii Adam
mendacium filii viri (*Al.* hominum)
in stateris dolosis fraudulenter agunt simul (h. impositis stateris vanitas ipsi simul).
Nolite confidere in calumnia
et in rapina, ne frustremini :
divitiæ si affluxerint [5] (*Al.* fluxerint), ne apponatis cor.
Unum locutus est Deus,
duo hæc audivi : quia imperium (h. fortitudo) Dei est :
Et tibi, Domine, misericordia :
quia tu reddes unicuique secundum opus suum.

CANTICUM (*h.* PSALM.) DAVID CUM ESSET IN DESERTO JUDA.

(LXIII.) Deus (h. Deus Deus meus tu), fortitudo mea tu es,
de luce consurgam ad te :
Sitivit te [6] anima mea,
desideravit te caro mea :
in terra invia et consitiente [7], ac sine aqua.
Sic in sancto apparui tibi,
ut videam fortitudinem tuam et gloriam tuam.
Melior est enim misericordia tua quam vitæ : (*Al.* vita) : labia mea laudabunt te.
Sic benedicam te (*Al.* tibi) in vita mea :
in nomine tuo levabo manus (h. palmas) meas.
Quasi adipe et pinguedine implebitur (h. satiabitur) anima mea,
et labiis laudantibus canet (h. laudabit) os meum
Recordans tui in cubili meo :
per singulas vigilias meditabor tibi.
Quia fuisti auxilium meum,
et in umbra alarum tuarum laudabo .
Adhæsit anima mea post te,
me suscepit dextera tua.
Ipsi vero interficere (h. ad calamitatem) quærunt animam meam :
ingrediantur in extrema (h. inferiora) terræ.
Congregentur in manus gladii :
pars vulpium erunt.
Rex autem lætabitur in Deo,
laudabitur omnis qui jurat in in eo :
quia obstruetur os loquentium mendacium.

VICTORI CANTICUM (*h.* PSALM.) DAVID[9].

(LXIV.) Audi, Deus, vocem meam loquentis a timore (h. pavore) inimici serva vitam meam [10] :
Absconde me a consilio malignorum ;
a tumultu operantium iniquitatem.
Quia exacuerunt quasi gladium linguam suam :
tetenderunt sagittam suam verbum amarissimum.
Ut sagittarent in absconditis simplicem :
subito sagittabunt eum, et non timebunt.
Confortaverunt sibi sermonem pessimum,
narraverunt, ut absconderent laqueos :
dixerunt, quis videbit eos [11] ?
Scrutati sunt iniquitates :
defecerunt scrutantes scrutinio,
et cogitationibus singulorum, et corde profundo.
Sagittabit ergo eos Deus jaculo repentino :
inferentur plagæ eorum [12].
et corruent in semetipsos plagis (h. linguis) suis[13] :
fugient omnes qui viderint eos.
Et timebunt omnes homines
et annuntiabunt opus Dei,
et opera ejus intelligent.
lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo :
et exsultabunt omnes recti corde.

VICTORI CARMEN (*h.* PSALM.) DAVID [14] CANTICI

(LXV.) Tibi silet laus, Deus, in Sion.

[1] Iidem mss., *pro Idithum*

[2] Canon Carsass. et duo ejus sequaces, id est mss. Augustinorum Burdigal, et S. Michaelis, *Sicut maceria inclinata sepis corruens.* MART.
—Cisterciens. ms., *quasi murus*, etc. Regius quæ subsequuntur, *et maceria corruens*, omittit.

[3] Interserunt nostri mss. hic vocem *singuli*.

[4] Reginæ cod. *ab eo ipso enim salutare meum.*

[5] Omnes fere mss. codices, *Divitia si fluxerint.* MART.

[6] *Sitivit te* legunt omnes libri editi et scripti. De eo ita disserit sanctus Hieronymus in epist. *ad Sunniam et Fretelam* : *Sitivit tibi anima mea* ; pro quo in Græco sit : *Sitivit te anima mea.* Sed in Hebræo non habet ATTHA (אתה), quod significat *te ;* sed LACH (לך), quod ostenditur *tibi :* quod et omnes interpretes transtulerunt. Ergo secundum linguæ proprietatem versum est in Latinum. » Ipse vero S. Doctor secundum proprietatem linguæ Latinæ vertit in suo Psalterio ad Hebræum fontem edito, *Sitivit te, desideravit te :* imitatus forte Ciceronis phrasim « *Nec sitio honores*, nec gloriam desidero. » MART.

[7] *Cistero. ms., in terra sitiente*, pro invia.

[8] Idem ms., *cantabo* pro *laudabo* ; ac paulo post Regius, *quæsierunt* pro *quærunt.*

[9] Hic titulus in Cisterciensi ms. desideratur.

[10] In eodem ms., *serva animam meam.*

[11] Nostri omnes mss. quis *videbit nos*, pro *eos.*

[12] Observat idem Hieronymus in eadem epistola hic apud Hebræos legi : *Percutiet eos Deus jaculo repentino, et inferentur plagæ eorum.* Quæ sane eumdem habet sensum, et si in verbis nonnulla appareat discrepentia. Versuum autem divisionem præsentem restituimus ad testimonium ac fidem ipsius Hieronymi, cum in mss. codicibus depravata sit errore librariorum. MART.

[13] Scolion istud maginale retinent editi libri, et in Hebræo legimus לשונם *leschonam*, id est *linguam suam*, vel *eorum.* MART.
—Iidem mss. *linguis suis* præferunt, quod et scholiastæ placet, et propius est Hebræo textui לשונם

[14] Tres tantum mss. *Victori carmen David, Canticum* ; cui lectioni consonat Latina versio interlinearis. Alia tamen præferenda videtur ex titulo psalmi CXXVIII sequentis, in quo eadem verba suam

et tibi reddetur votum.
Exaudi orationem,
donec ad te omnis caro veniat [1],
Verba iniquitatum prævaluerunt adversum me:
sceleribus nostris tu propitiaberis.
Beatus quem elegeris, et susceperis,
habitabit enim in atriis tuis;
Replebimur bonis domus tuæ,
sanctificatione templi tui.
Terribilis in justitia exaudi nos,
Deus salvator noster:
Confidentia omnium finium terræ,
et maris longinqui.
Præparans (*Al.* qui præparas) montes in virtute
sua, accinctus fortitudine.
Compescens sonitum maris,
fremitum fluctuum ejus,
et multitudine gentium (h. plebium).
Et timebunt qui habitant in extremis a signis tuis:
egressus matutino et vesperi [2] laudantes facies.
Visitasti terram, et irrigasti eam,
ubertate eam dita.
Rivus Dei plenus aqua
præparabis frumentum eorûm [3], quia sic fundasti
(h. præparabis) eam.
Sulcos ejus inebria, multiplica fruges ejus (h. educ
accinctos ejus):
pluviis irriga eam, germini ejus benedic.
Volvetur annus (h. Coronasti annum) in bonitate tua,
et vestigia tua rorabunt pinguedine.
Pinguescent (h. Rorabunt) pascua deserti.
et exsultatione colles accingentur.
Vestientur agnis greges:
et valles plenæ erunt frumento,
coæquabuntur, et canent.

VICTORI CANTICUM PSALMI.

(LXVI.) Jubilate Deo, omnis terra,
Cantate (h. Psallite) gloriam nomini (*Al.* nominis)
ejus.
Date gloriam laudi ejus.
Dicite Deo, quam terribile opus tuum [4]:
In multitudine fortitudinis tuæ
mentientur tibi inimici tui.
Omnis terra adoret te, et cantet (h. psallat) tibi,
cantet (h. psallat) nomini tuo. SEMPER.
Venite (h. Ite), et videte opera Dei,
terribilia consilia [5] super filios hominum (h. Adam).
Convertit (*Al.* Convertet) mare in aridam,
in flumine pertransibunt pede:
ibi lætabimur in eo.
Qui dominatur in fortitudine sua a sæculo,
oculi ejus gentes [6] aspiciunt;
Qui increduli sunt,
non exaltentur in semetipsis. SEMPER.
Benedicite, populi, Deo nostro,
et auditam facite vocem laudis ejus.
Qui posuit animam nostram in vitam,
et non dedit in commotionem pedes nostros.
Probasti enim nos, Deus:
igne [7] nos conflasti sicut conflatur argentum.
Introduxisti nos in obsidionem (*Al.* in rete):
posuisti stridorem in dorso nostro (h. lumbis nostris):
imposuisti homines super caput nostrum.
Transivimus per ignem et aquam,
et eduxisti nos in refrigerium.
Ingrediar (*Al. quæ.* in domum tuam in holocaustis:
reddam tibi vota mea, quæ promiserunt [8] (h. distinxerunt) labia mea,
et locutum est os meum cum tribularer.
Holocausta medullata offeram tibi
cum incenso arietum [9]:
faciam boves cum hircis. SEMPER.
Venite (h. Ite), audite et narrabo, omnes qui timetis Deum,
quanta fecerit animæ meæ.
Ipsum ore meo invocavi,
et exaltavi in lingua mea.
Iniquitatem si vidi in corde meo,
non exaudiat Dominus.
Ideo exaudivit Deus:
et attendit vocem deprecationis (h. orationis) meæ.
Benedictus Deus, qui non abstulit orationem meam,
et misericordiam suam a me.

VICTORI IN PSALMIS (h. CARMINIBUS), CANTICUM (h. PSALMUS) CARMINIS.

(LXVII.) Deus misereatur nostri, et benedicat nos
(*Al.* nobis).
illustret faciem suam super nos. SEMPER.
Ut nota fiat in terra via tua:
in universis gentibus salus tua.
Confiteantur tibi populi, Deus:
confiteantur tibi populi omnes.
Lætentur, et laudent gentes (h. plebes)
quoniam judicas populos in æquitate:
et gentium (h. plebium) quæ in terra sunt, ductor
es. SEMPER [10].
Confiteantur tibi populi, Deus:
confiteantur tibi populi omnes.
Terra dedit germen (*Al.* fructum) suum:
benedicat nobis Deus Deus noster.
Benedicat nobis Deus,
et timeant eum omnes fines terræ.

VICTORI DAVID PSALMUS CANTICI.

(LXVIII.) Exsurgat Deus, et dissipentur (*Al.* dispergatur) inimici ejus:
et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.
Sicut deficit fumus deficiant:
sicut tabescit cera a facie ignis,

retinent ordinem nativum, *Victori David psalmus Cantici.* MART.

— Iterum nostri omnes mss. duoque alii apud Martian., *silens* pro *silet.*

[1] In quatuor mss., Vaticano scilic. Canone Carcass. August., Burdigal., et S. Mich., *Exaudiens orationem: ad te omnis caro veniat.* MART.

[2] Canon San-Germanensis cum editis libris hoc modo legit: *Egressus matutini et vespere*, etc. Mem., *Egressus matutini et vesperis.* MART.

— Cisterciensis et Reginæ mss., *egressus matutinos et vespere*: in aliis invenit Martianæus in recto, *egressus matutini.*

[3] S. Hieronymus in epistola multoties laudata: *Dicitis*, inquit, *quod in Græco non sit* ejus, *cum in Hebræo* THEKINA (תכינת) *manifeste* præparationem ejus, *significet.* Hanc interpretationem replicamus propter marginalem Scholiastis nostri annotationem, quæ eadem est cum observatione Hieronymi. MART.

[4] Aliquot mss., *terribilia opera* MART.

[5] Contra, iidem hic legunt in singulari, *terribile consilium.* MART.

[6] Unus Reginæ mss., *oculi ejus in gentes*: propius fere ad Hebræum בגוים.

[7] Aliq. mss. omittunt *igne.* MART.

[8] Addit idem ms. hic *tibi*, quod quidem et in Hebræo paulo post resonat.

[9] Canon San-Germanensis et Mem. retinent vitiatam lectionem antiquissimam, *cum incenso et arietibus. Sed male*, inquit Hieronymus ubi supra; *in Hebræo enim scriptum est*, EM CATOROTH ELIM (עם קטורת אלים), *quod interpretatur*, CUM INCENSO ARIETUM. Si quem movet quod legamus *catoroth* pro *catereth*, consulat mss. codices epistolæ ad Sunniam et Fretel.

[10] Nostri mss., *ductor es sempiternus.*

sic [1] pereant impii a facie Dei :
Justi autem lætentur, et exsultent in conspectu Dei,
et gaudeant in lætitia.
Cantate Deo, psallite [2] nomini ejus :
præparate viam ascendenti [3] per deserta (h. araboth. quod est superius cœlum) :
In Domino nomen ejus,
et exaltate coram eo.
Pætri (h. Judici) pupillorum, et defensori viduarum :
Deus in habitaculo sancto suo :
Deus habitare facit solitarios in domo :
Educet (*Al.* Educit) vinctos in fortitudine :
increduli autem habitaverunt in siccitatibus.
Deus cum egredereris ante populum tuum,
et ambulares (h, gradieris) per desertum. SEMPER.
Terra commota est, et cœli stillaverunt a facie Dei [4],
hoc est Sinai : a facie Dei Israel.
Pluviam voluntariam elevasti, Deus :
hæreditatem tuam laborantem tu confortasti :
Animilia tua habitaverunt in ea :
præparasti in bonitate tua pauperi Deus.
Domine, dabis sermonem,
annuntiatricibus fortitudinis plurimæ (h. exercituum plurimum).
Reges exercituum fœderabuntur, fœderabuntur ;
et pulchritudo domus dividet spolia.
Si dormieritis inter medios terminos,
pennæ columbæ deargentatæ,
et posteriora ejus in virore auri [5].
Cum divideret robustissimus (*Al.* robustissimos) reges in ea,
nive albata est in Selmon.
Mons Dei, mons pinguis (h. Basan) :
Mons excelsus, mons pinguis (h. Basan).
Quare contenditis montes excelsi
adversus montem, quem dilexit Deus ut habitaret in eo : siquidem Dominus habitabit in sempiternum [6].
Currus Dei innumerabilis millia abundantium :
Dominus in eis, Sinai (*Al.* in Sinai) in sancto.
Ascendisti in excelsum.
captivam duxisti captivitatem,

A acceptisti dona in hominibus [7],
insuper [8] et non credentes inhabitare Dominum Deum.
Benedictus Dominus per singulos dies,
portabit nos Deus salutis nostræ. SEMPER.
Deus noster (h. nobis) Deus salutis (h. salutum) et Domini Dei : mortis egressus :
Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem crinis, ambulantis in delictis (*Al.* deliciis) suis.
Dixit Dominus, de Basan convertam,
convertam de profundis maris.
Ut calcet pes tuus in sanguine,
lingua canum tuorum, ex inimicis a temetipso :
Viderunt itinera tua, Deus :
itinera Dei mei, regis mei in sancto.
Præcesserunt cantatores (*Al.* cantores) eos qui post tergum psallebant
in medio puellarum tympanistriarum.
B In ecclesiis benedicite Deo :
Domino de fonte (*Al.* fontibus) Israel.
Ibi Benjamin parvulus continens (h. fecit descendere eos principes Juda in purpura sua (h. lapidabunt: principes Zabulon, principes Nephthali.
Præcepit Deus tuus fortitudine [9] tua
conforta, Deus, hoc quod operatus es in nobis.
De templo tuo, quod est in Jerusalem :
tibi offerent reges munera.
Increpa bestiam calami
congregatio fortium, in vitulis populorum calcitrantium contra rotas (*Al.* portas) argenteas:
disperge populos qui bella volunt
Offerant (h. veniant legati) velociter ex Ægypto [10]:
Æthiopia festinet manus [11] Deo.
Regna [12] terræ cantate Deo,
psallite Domino. SEMPER.
Qui ascendit super cœlum cœli ab oriente (h. principio) [13]:
C ecce dabit vocem suam vocem fortitudinis.
Date gloriam (h. fortitudinem) Deo.
super Israel magnificentia ejus,
et fortitudo ejus in cœlis,
Terribilis Deus de sanctuariis suis [14] :

[1] Tacet ms. Cisterciens. voculam *sic*, quæ neque in Hebræo proprie est.

[2] Pro *psallite*, Cisterciensis ms. habet, *et benedicite* ; Regius, *canite*, Vid. Epist. 106 *ad Sunniam et Fretelam*.

[3] In textu Canonis Carcassonensis et in codice Vaticano legimus *ascendenti in occasum*. MART.

[4] Locus intricatus ac tenebrosus. Duo mss. cum editis sic legunt : *Cæli stillaverunt a facie tua, Deus. hoc est in Sinai.* Id retinet etiam Sorbonicus ms., sed habet, *a facie tua Deus et Sinai.* Canon San Germanensis, *a facie tua Dei et Sinai.* Denique Carnutensis correctus ab aliquo Hebraicæ linguæ non imperito, posuit juxta Hebræum, *a facie Dei Sinai istius.* De Memmiano dicemus in additamentis. MART.

— Reginæ ms., *a facie tua, Deus, hoc est in Sinai j* subsequitur Cisterciensis propius ad Hebræum *a facie Dei Deus Israel*, מפני אלהים אלהי ישראל.

[5] Duo. mss., *In virore gemmæ.* Consequenter vero ita legimus in quatuor exemplaribus mss., *Dum discernit Omnipotens regis. in ea, nive dealbabuntur in Selmon.* MART.

[6] In mss. nonnullis, *habitabit confidenter.* MART.

— Pro *in sempiternum*, nostri mss. habent *semper*, quod idem est, nisi hoc pro solemni Diapsalmatis nota accipias. Tum unus Cisterciens. pro *millia* refert *decem millia millium*, et Hebræus quidem ipse numerat *vicena millia :* sic enim accipio רבתים אלתי *ut sit* duplicatum רבא aut רבו, quod *decem millia significat. Sed et alterum Hebræi textus* verbum שנאן quod hic transfertur *abundantium*, proprie duplicatum, sive iteratum sonat.

[7] Ms. Reginæ, *dona hominibus*, absque *in* præpositione.

[8] Quod ait S. ipse Pater in epist. *ad Sunniam et Fretelam.* Nos transtulimus*t Etenim non credentes inhabitare*, » etc., ut plerumque id genus alia, de sua dicit interpretatione ex Græco.

[9] Cisterciens. ms., *Præcipe, Deus, fortitudine.* Regius, *de fortitudine.* Illud ad veterem interpretationem propius accedit.

[10] Pro *velociter*, quod et Aquilæ placuit, Cisterc. ms. habet *pingui* aut *pinguia.* Et vero vetustiores D quidam Rabbini *munera* interpretantur, quod Hic est in Hebræo חשמנים *Khasmanim.*

[11] Cum nostri omnes, tum alii penes Martian. mss. interserunt hic verbum *dare*, id est, *festinet dare manus*, etc. Ac fortassis illa verior est lectio : nam et Symmachus, cujus plerumque insistit vestigiis S. Pater, vertit cum dandi verbo σπευσάτω δὶδοῦσα χεῖρα, *fastinet dans manum.* Mox in uno Cisterciensi est *reges* pro *regna*, et *canite* pro *psallite.*

[12] Quod ms. codices in duos hic versus dividunt unum versiculum nominat Hieronymus in epistola ad Sunn. et Fretel. MART.

[13] Quod mavult Hebræus scholiastes *a principio*, pro *oriente*, et nostri omnes mss. præferunt, et concinnius ad Hebraicam est phrasim. Paulo post, pro *vocem suam*, Cisterciens. *voci suæ*, Regius *voci sua* habent.

[14] In nostris mss. *sanctuario suo.*

Deus Israel ipse dabit fortitudinem,
et robur populo : benedictus Deus.

VICTORI PRO LILIIS DAVID.

(LXIX.) Salva me, Deus :
quoniam venerunt[1] aquæ usque ad animam.
Infixus sum in limo profundi,
et non possum consistere :
Veni in profundum aquarum,
et flumen (h. fluctus) operuit me.
Laboravi clamans, exasperatum est guttur meum :
defecerunt oculi mei, exspectantes Deum meum.
Multiplicati sunt super capillos capitis mei,
qui oderunt me gratis :
Confortati sunt qui persequebantur me inimici mei injuste :
quæ non rapueram, tunc reddebam.
Deus, tu scis stultitiam meam,
et peccata mea a te non sunt abscondita.
Non confundantur[2] in me exspectantes (*Al.* qui exspectant) te,
Domine Deus exercituum.
Non confundantur in me
qui quærunt te, Deus Israel.
Quia propter te portavi opprobrium :
operuit confusio faciem meam.
Alienus factus sum fratribus meis,
et peregrinus filiis (*Al.* filius) matris meæ.
Quia zelus domus tuæ comedit me,
et opprobrium exprobrantium tibi cecidit[3] super me.
Et flevi in jejunio animam meam.
et factum est in opprobrium mihi.
Et posui vestimentum meum saccum,
et factus sum eis in parabolam.
Contra me loquebantur qui sedebant in porta.
et cantabant bibentes vinum (h. siceram)
Mea autem oratio ad te, Domine[4],
tempus reconciliationis est (*h. tacet* est).
Deus in multitudine misericordiæ tuæ,
exaudi me in veritate salutis tuæ[5].
Erue me de luto ut non infigar :
libera me ab his qui oderunt me, et de profundis aquarum.
Ne operiat me fluctus aquæ,
ne absorbeat[6] me profundum :
et non coronet super me puteus os suum.
Exaudi me, Domine, quoniam bona est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice ad me.
Et ne abscondas faciem tuam a servo tuo :
quoniam tribulor cito (h. festina) exaudi me.
Accede ad animam meam, redime eam[7] :
propter inimicos meos libera me.
Tu scis opprobrium meum,
et confusionem meam, et ignominiam meam :
coram te sunt omnes hostes mei.
Opprobrio contritum est cor meum,
A et desperatus sum :
Et exspectavi qui contristaretur,
et non fuit :
et qui consolaretur, et non inveni.
Et dederunt in escam meam fel,
et in siti mea potaverunt me aceto.
Sit mensa eorum coram eis in laqueum,
et in retributiones ad corruendum.
Contenebrentur oculi eorum ne videant,
et dorsum (h. lumbos) eorum semper incurva.
Effunde super eos indignationem tuam,
et ira furoris tui comprehendat eos.
Fiat commoratio eorum deserta :
in tabernaculis eorum non sit qui habitet.
Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt :
et ut affligerent vulneratos tuos, narrabunt[8].
Da iniquitatem super iniquitatem eorum,
et non veniant in justitia tua.
Deleantur de libro viventium,
B et cum justis non scribantur.
Ego autem pauper et dolens :
salus tua, Deus, suscepit me[9].
Laudabo nomen Dei in cantico,
et magnificabo eum in confessione.
Et placebit Domino super vitulum novellum (h. bovem taurum),
cornua efferentem et ungulas.
Videntes mansueti lætabuntur :
qui quæritis Deum, vivet anima vestra (h. cor vestrum).
Quoniam exaudivit pauperes Dominus :
et vinctos suos non despexit.
Laudent eum cœli et terra :
maria et omne quod movetur in eis :
Quia Deus salvabit Sion,
et ædificabit civitates Juda :
et habitabunt ibi, et possidebunt eam,
Et semen servorum ejus possidebit eam,
C et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.

VICTORI DAVID AD RECORDANDUM.

(LXX.) Deus, ut liberes me :
Domine, ut auxilieris mihi, festina.
Confundantur et erubescant
qui quærunt animam meam :
Convertantur retrorsum, et erubescant,
qui volunt malum mihi.
Revertantur ad vestigium confusionis suæ,
qui dicunt vah! vah!
Gaudeant et lætentur in te omnes qui quærunt te;
et dicant semper, magnificetur Deus,
qui diligunt salutare tuum.
Ego autem egenus et pauper,
Deus, festina pro me :
Auxilium meum et salvator meus tu.
Domine, ne moreris.
(LXXI[10].) In te, Domine, speravi,
D non confundar in æternum (h. in sæculum).

[1] Cisterciens., *introierunt;* tum Reginæ. ms. *usque ad animam meam.*

[2] Multi codices, *Et non revereantur*, vel sine copula, *Non revereantur*. Canon Memmianus, *Non revereantur super me*. MART.

[3] In plurali hæc legunt mss. duo exemplaria, *et opprobria... ceciderunt*, etc. In aliis omnibus singularis est numerus. MART.

[4] Aliter Canon Carcassonensis cum pedissequis duobus consuetis, nempe cum codice Augustinorum Burdigalensium, et altero S. Michaelis in Periculo Maris, ubi legimus : *Ego autem orationem meam ad te, Domine*. MART.

[5] Pari consensu nostri mss., *in veritate salutaris tui*. Tum *eripe me*, pro *erue*, etc.

[6] Duo mss., *fluvius aquæ, et ne absorbeat*, etc.

[7] Canon Memmianus et San-Germanensis noster : *Intende animæ meæ, et redime eam*. Et postea, *redime me*, pro *libera me*. MART.

[8] Cisterciensis ms., *et super plagam vulneratorum tuorum narrabunt*. Atque ita quidem Hebræus ipse habet ואל-מכאוב חלליך יספרו, ad litteram, *et super dolorem vulneratorum tuorum loquentur*. Verum in ms. versiculus ille cum ipso etiam impresso legitur, et ut videtur, quasi ejus glossema ab Scholiaste quopiam superadditus.

[9] Nostri mss. in futuro *suscipiet*. In Hebræo ad optantis modum, *suscipiat, elevet*, etc.

[10] Eam fere, quæ apud LXX legitur, epigraphen sive titulum Psalmis, Cisterciensis ms. præponit : *Psalmus David filiorum Jonatha* (leg. *Jonadab*) *prior... captivo* (lege, *et priorum captivorum*). Re autem vera nullum in Hebræo habet hic psalmus titulum.

In justita tua erue me, et libera me :
inclina ad me aurem tuam, et salva me :
Esto mihi robustum habitaculum, ut ingrediar jugiter [1].
præcepisti ut salvares me :
quia petra mea et fortitudo mea es tu [2] :
Deus meus, salva me de manu impii :
de manu iniqui et nocentis.
Quia tu es exspectatio mea :
Domine Deus, fiducia mea [3] ab adolescentia mea.
A te sustentatus sum ex utero,
de ventre matris meæ tu es protector meus :
in te laus mea jugiter [4].
Quasi portentum factus sum multis,
et tu spes mea, fortissime [5].
Impleatur os meum laude tua :
tota die magnitudine tua.
Ne projicias me in tempore senectutis :
cum defecerit (*Al.* defuerit) fortitudo mea, ne derelinquas me,
Quia dixerunt inimici mei mihi :
et qui observabant animam meam,
inierunt consilium pariter.
Dicentes, Deus dereliquit eum,
persequimini et comprehendite eum,
quia non est qui eruat [6].
Deus, ne elongeris a me :
Deus meus, ad auxilium meum festina.
Confundantur, consumantur
adversarii animæ meæ.
Operiantur opprobrio et confusione,
qui quærunt malum mihi.
Ego autem jugiter exspectabo,
et adjiciam super omnem laudem tuam [7].
Os meum narrabit justitiam tuam :
tota die salutare tuum :
quia non cognovi litteraturas.
Ingrediar in fortitudines Domini Dei :
recordabor justitiæ tuæ solius.
Deus, docuisti me ab adolescentia mea,
et usque nunc annuntiabo mirabilia tua.
Insuper et usque ad senectutem et canos,
Deus, ne derelinquas me;
Donec annuntiem brachium tuum generationi,
cunctisque qui venturi [8] sunt fortitudinem tuam.
Et justitiam tuam Deus usque in excelsum,
quanta (h. quæ) fecisti magnalia : Deus, quis similis tibi (*Al.* tui)?
Quia ostendisti nobis [9].

A tribulationes plurimas et malas :
[10] Et conversus vivificabis nos.
et de abyssis terræ rursum educes nos.
Multiplicabis magnitudinem meam,
et conversus consolaberis me.
Ego autem confitebor tibi in vasis psalterii veritatem tuam, Deus meus :
cantabo (h. psallam) tibi in cithara, sancte Israel.
Laudabunt labia mea cum cantavero (h. psallero) tibi,
et anima mea, quam redemisti.
Insuper et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam :
quia confusi sunt, et dehonestati quærentes malum mihi.

SALOMONI [11].

(LXXII.) Deus, judicium tuum regi da,
et justitiam tuam filio regis.
Judicabit populum tuum in justitia,
B et pauperes tuos in judicio.
Assument montes pacem populo,
et colles justitiam.
Judicabit pauperes populi,
salvabit filios pauperis (*Al.* pauperum),
et confringet calumniatorem.
Et timebunt te quam diu erit sol,
et ultra lunam in generatione generationum.
Descendet pluvia super vellus,
ut (*Al.* et ut) stillæ irrorantes terram.
Germinabit in diebus ejus justitia (h. justus),
et multitudo pacis, donec non sit luna.
Et dominabitur a mari usque ad mare,
et a flumine usque ad terminos terræ [12].
Ante eum procident Æthiopes,
et inimici ejus pulverem lingent,
Reges Tharsis et insulæ munera offerent :
reges Arabiæ et Seba (h. Seba) tributum conferent.
C Et adorabunt eum omnes reges :
universæ nationes servient ei.
Quia eruet pauperem a potente,
et inopem cui non est adjutor.
Parcet inopi et pauperi,
et animas pauperum salvabit.
Ab usura et iniquitate redimet animas (*Al.* animam) eorum,
et pretiosus erit sanguis eorum [13] coram oculis ejus.
Et vivet, et dabitur ei de auro Saba,

[1] Alterum glossema hoc additur in Cisterciensi ms. ex veteri ferme derivatum versione Latina, *esto mihi in Deum protectorem, ut*, etc. Tum, *præcipere salvare me :* æque bene. Sed et impressi versus una retinentur.

[2] Canon Carcassonensis cum tribus aliis mss. *Et refugium meum tu.* Sed adnotatio videtur scholiastis nostri antiqui posita in corpore temeritate librariorum. Codex Memmianus, *Et refugium meum es tu.* MART.

[3] Regius ac Corbeiensis mss. : *Deus Dominus fiducia mea :* In Canone vero Carcass., *Domine, Domine*, etc. MART.

[4] Reginæ ms. *Semper*, male, si eo voluit ut videtur, Diapsalma denotare. Mox Cisterciens. pluresque alii apud Martian. *spes mea fortissima.*

[5] Mss. plures : *Spes mea fortissima.* MART.

[6] Addit Cisterciens. ms. *eum.* Tunc juncto Regio atque aliis, *Deus meus, ad auxiliandum mihi festina.*

[7] Plurium numero iidem mss., *super omnes laudationes tuas.*

[8] Cisterciens. mss., *cunctis, qui venturi*, etc., neque plus habet Hebræus textus. Tum *fortitudines tuas* plurium numero : et *Justitiam Dei usque*, etc., pro *Justitiam tuam Deus*, etc., minus *bene.*

[9] In nostris mss. *ostendit mihi* pro *nobis.* Hebræum quoque exemplar habet ad marginem הוראיתני hhirek pro הראיתנו, quod in textu legitur, id est, *ostendit mihi*, pro *ostendisti nobis.* Et cohærenter altero ab hoc versiculo idem legendum docet minori numero, *vivificabis me*, et *educes me.* Sed et pro *malas* iidem nostri mss. pari consensu legunt *afflictiones.* Symmachus quoque, ad cujus ingenium sæpe se conformasse S. Doctorem animadvertimus, substantive interpretatus est κακώσεις, *mala*, aut *vexationes.* Omnio autem cum ipse, tum S. Pater (ejus enim malim putare hanc germanam lectionem esse) in Hebraico exemplari legerint, ועצות *et afflictiones*, pro ea, quæ nunc una continet perquam simili scriptura ורעות, et *malas.*

[10] Rectius ad Hebræum tacet Reginæ ms. *et* voculam.

[11] In duobus mss. Augustinorum Burdigalensium, et S. Michaelis in Periculo Maris titulum istum invenimus : *Salomonis versus.* MART.
— Nostris mss. *Salomonis* præferunt. Martianæus in aliis additum reperit *versus.*

[12] Plus habet Reginæ mss. *ad terminos orbis terræ.*

[13] Cisterciens. pronomen *eorum* hic reticet, quod habet tamen Hebræus textus.

et orabunt de eo jugiter,
tota die benedicent ei.
Erit memorabile triticum in terra, in capite montium
elevabitur (h. fluctuabitur) sicut Libani fluctus ejus,
et florebunt de civitate sicut fenum terræ.
Erit nomen ejus in æternum (h. sæculum);
ultra (h. ante) solem perseverabit nomen ejus.
Et benedicentur in eo :
omnes gentes beatificabunt eum.
Benedictus Dominus Deus Deus Israel :
quia facit [1] mirabilia solus.
Et benedictum nomen gloriæ ejus in sempiternum (h. sæculum),
et implebitur gloria ejus universa terra : amen et amen.

COMPLETÆ SUNT ORATIONES DAVID FILII ISAI [2].

CANTICUM (h. PSALMUS) ASAPH.

(LXXIII.) Attamen bonus est Israel Deus
his qui mundo sunt corde.
Mei autem pene vacillaverunt pedes :
pene effusi sunt gressus mei.
Quia æmulatus sum contra iniquos :
pacem impiorum videns.
Quod non recogitaverint de morte sua :
et firma sint vestibula eorum.
In labore hominum non sunt,
et cum hominibus non flagellabuntur.
Ideo nutriti sunt ad superbiam [3] :
circumdederunt iniquitatem sibi.
Processerunt a pinguedine oculi eorum :
transierunt cogitationes cordis,
Iriserunt, et locuti sunt in malitia calumniam,
de excelso loquentes.
Posuerunt in cœlum os suum,
et lingua eorum deambulavit in terra.
Propterea convertetur populus ejus hic,
et quis plenus invenietur in eis ?
Et dixerunt, quomodo novit Deus,
et si est scientia in excelso.
Ecce isti impii,
et abundantes in sæculo multiplicaverunt divitias.
Ergone frustra mundavi cor meum,
et levavi in innocentia manus meas.
Et fui flagellatus tota die,
A et interpretatio mea in matutinis.
Et dixi, si narravero sic :
ecce generationem filiorum tuorum reliqui.
Et cogitavi ut intelligerem istud :
labor est in oculis meis.
Donec veniam ad sanctuaria (*Al.* sanctuarium) Dei :
intelligam in novissimo (*Al.*) novissimos) eorum [4].
Verumtamen in lubrico posuisti eos :
defecisti eos ad interitum.
Quomodo vastati sunt subito
dejecerunt, consumpti sunt quasi non sint [5].
Quasi somnium evigilantis.
Domine, in civitate [6] imaginem eorum ad nihilum redigas
Quia contractum est cor meum,
et lumbi me: [7] velut ignis fumigans,
Et ego insipiens, et nescius :
quasi jumentum factus sum (*Al.* eram) apud te,
Et ego semper tecum,
B et tenebras manum dexteram meam.
In consilium tuum deduces me,
et postea in gloria suscipies me,
Quid mihi est in cælo,
et tecum volui (*Al.* nolui) in terra ?
Consumpta est caro meo et cor meum :
robur cordis mei et pars mea, Deus in, æteruum (h. sæculum).
Quia ecce qui elongant se a te, peribunt :
perdidisti omnem fornicantem a te.
Mihi autem propinquare (*Al.* appropinquare) Deo bonum est :
posui in Domino Deo spem meam,
ut narrem omnes annuntiationes tuas [8].

ERUDITIO ASAPH [9].

(LXXIV.) Ut quid, Deus, repulisti in finem :
fumabit (*Al.* fumavit) furor tuus in gregem pascuæ tuæ ?
C Recordare congregationis tuæ, quam possedisti ab initio,
[10] redimisti virgam (h. sceptrum hæreditatis tuæ:
montem Sion, in quo habitasti.
Sublimitas pedum tuoram dissipata est usque ad finem :
omnia mala egit inimicus in sanctuario.
Fremuerunt hostes tui in medio pacti tui :
posuerunt signa sua [11] in tropæum

[1] Tres e nostris mss., *qui fecit*, etc.

[2] Male conjunguntur istæc in editis libris cum titulo psalmi sequentis: id enim vitii expresse reprehendit Hieronymus in epistola *ad Marcellam* de exitu Leæ : « Cum hora ferme tertia hodiernæ diei, inquit, septuagesimum secundum psalmum, id est tertii libri principium, legere cœpissemus, et docere cogeremur, tituli ipsius partem ad finem secundi libri, partem ad principium tertii libri pertinere ; quod scilicet, *Defecerunt hymni David filii Jesse*, finis esset prioris, *Psalmus vero Asaph*, principium sequentis, » etc. MART.

— Idem mss. ut et ipse alibi S. pater, *Jesse* habent pro *Isai*.

[3] Videtur Cisterciens. mss. exesis vetustate litteris, hic prælerre, *Ideo suffocavit eos superbia*. Quæ nobis quidem interpretatio omnium maxime probatur.

[4] Cum particula connexiva *et* legunt editi ac mss. libri, *et intelligentiam in novissimo eorum*. Bene quidem, nisi Sunniam et Fretelam docuisset Hieronymus absque conjunctione legendum. Ita ergo ad eos scribebat : « Pro quod in Græco legisse vos dicitis, *et intelligentiam*, sed hic, et conjunctio superflua est. MART.

[5] Cisterciens. ms. *quasi qui non sint.*

[6] Idem cum Reginæ ms, hic interserit *tua*, juxta veterem interpretationem.

[7] San-Germanensis noster ac Memmianus Canon : *Et renes mei resoluti sunt. Renes* etiam legunt Canon Carcass. et alia duo exemplaria. *Et renes mei velut ignis fumigans.* MART.

[8] Canon Carcassonensis ac Vaticamus codex hic in textu retinet scholion marginale, quod aliquando mihi imposuit. *Ut narrem omnia imperia tua.* Putabam jampridem in annotationibus meis in epistolam sancti Hieronymi *ad Sunniam et Fretelam* id legisse sanctissimum Ecclesiæ Doctorem ; at nunc, inspectis quamplurimis mss. codicibus sententiam mutavi, exscriptorem Canonis Carcassonensis, qui nulla fide est, temerarium multis in locis expertus, dum e latere adnotationes scholiastis scribendas in corpore non dubitavit. Cæterum ms. Corbeiensis legit non *annuntiationes tuas*, sed *prædicationes tuas :* licet annuntiatio, et prædicatio, unum utrumque significet. MART.

[9] Aliquot mss., *Eruditionis Asaph* ; Carcassonensis. *Eruditus Asaph* ; S. Michaelis, *Oratio Asaph*. MART.

— Tres nostri mss. *Eruditiones :* alii apud Martian. *Eruditionis.*

[10] Præponunt quidam mss. *et* particulam ; tum *montis* legunt pro *montem* : denique altero ab hoc versiculo addunt *tuo* post nomen *sanctuario.*

[11] Quatuor aut quinque exemplaria mss., *Posuerunt signa sua, signa.* Hoc retinet Memmianus etiam codex, et sic dividit : *Signa manifesta*, etc. MART.

Manifesta in introitu desuper :
in saltu lignorum secures.
Et nuc sculpturas [1] (*Al.* scalpturas) ejus pariter ;
bipenne et dolatoriis deraserunt.
Miserunt ignem in sanctuarium tuum :
In terram contaminaverunt tabernaculum [2] nominis tui.
Dixerunt in cordibus suis posteri eorum simul :
[3] incenderunt omnes solemnitates Dei in terra.
Signa nostra non vidimus,
non est ultra propheta,
et non est nobiscum qui sciat usquequo.
Usquequo, Deus, exprobrabit (*Al.* exprobravit) adversarius :
blasphemabit (*Al.* blasphemavit) inimicus nomen tuum in finem ?
Quare convertis manum tuam et dexteram tuam :
a medio sinu tuo consume [4].
Deus autem rex meus ab initio :
operatur (*Al.* operatus est) salutes in medio terræ
Tu dissipasti in fortitudine tua mare :
contrivisti capita draconum in aquis.
Tu confregisti (h. fregisti) capita Leviathan :
dedisti eum escam (*Al.* in escam) populo Æthiopum.
Du derumpisti fontem et torrentem (*Al.* fontes et torrentes),
tu exsiccasti flumina fortia.
Tua est dies et tua est nox.
tu ordinasti luminare (*Al.* luminaria) et solem.
Tu statuisti omnes terminos terræ :
æstatem et hiemem tu plasmasti.
Memento hujus,
inimicus exprobravit Domino,
et populus insipiens blasphemavit nomen tuum.
Ne tradas bestiis animam eruditam lege tua :
vitæ pauperem tuorum ne obliviscaris in perpetuum.
Respice ad pactum :
quia repletæ sunt tenebris terræ,
habitationes iniquæ [5].
Ne revertatur confractus, confusus (*Al. ad.* et) :
egenus, Deus, judica causam tuam :
memento opprobrii tui
ab insipiente tota die.
Ne obliviscaris voces hostium tuorum :
sonitus adversariorum tuorum ascendit jugiter.

A VICTORI [6] NON DISPERDAS, PSALMUS ASAPH CANTICI.

(LXXV.) Confitebimur tibi, Deus,
confitebimur, et juxta nomen tuum,
narrabunt mirabilia tua.
Cum accepero tempus (h. condictum),
ego recta judicabo [7].
Dissolvetur terra cum omnibus habitatoribus suis,
ego appendi columnas ejus. SEMPER.
Dixi inique agentibus, nolite inique agere [8] :
et impiis, nolite exaltare cornu.
Nolite exaltare in excelsum cornu vestrum :
loquentes in cervice veteri,
Quia neque ab oriente, neque ab occidente :
neque a solitudine montium.
Sed Deus judex :
hunc humilabit, et hunc exaltabit.
Quia calix in manu Domini [9].
et vino meraco ad plenum mistus,
et propinabit ex eo :
B Verumtamen fæces ejus potabunt (*Al.* epotabunt) bibentes
omnes impii terræ.
Ego autem annuntiabo in sempiternum : cantabo (h. psallam) Deo Jacob :
Et omnia cornua impiorum confringam ; exaltabuntur cornua justi.

VICTORI IN PSALTERIIS (h. CARMINIBUS) PSALMUS ASAPH CANTICI [10].

[LXXVI,) Cognoscitur in Judæa Deus :
in Israel magnum nomen ejus.
Et erit in Salem [11] tabernaculum ejus,
et habitatio ejus in Sion.
Ibi confregit volatilia [12] arcus (h. diaboli arcum),
scutum, et gladium, et bellum. SEMPER :
Lumen tu es magnifice
a montibus captivitatis.
C Spoliati sunt superbi corde :
dormitaverunt somnum suum,
et non invenerunt omnes viri exercitus manus suas.
Ab increpatione tua, Deus Jacob.
consopitus est currus (*Al.* et currus) et equus.
Tu terribilis es,
et quis stabit adversum te,
ex tunc ira tua.
De cœlo annuntiabis (h. auditum fecisti) judicium [13] : terra timens et tacebit.
Cum surrexerit ad judicium Deus,

[1] *Epistolam jam sæpius laudatam hoc modo claudit Hieronymus* [Λαξευτήριον, pro quo Latinus *asciam* vertit, nos genus ferramenti interpretamur, quo lapides dolantur. Denique ex Hebræo vertentes ita diximus : Et nunc sculpturas ejus pariter, bipenne et dolatoriis deraserunt [λαξευτήριον, ergo dolatorium dici potest. MART.

[2] Nostri omnes mss. *habitaculum* pro *tabernaculum* legunt.

[3] Plenius de hoc versiculo disputavit Hieronymus Sunniæ ac Fretelæ respondens. Videsis annotationes nostras in prodromo D. Hieronymi. MART.

[4] Carnutensis, Regius, *et* Corbeiensis mss., *Ad medium signum tum consume*. Alii tres legunt, *consumens*, MART.

— Optime Græc. εἰς τέλος cui bene assentitur לָנֶצַח, *in consummationem, in finem, jugiter, semper, continuo*, hisque similia.

[5] Addunt duo e nostris mss. hic vocem *subruptæ*, quæ tamen ineptum glossatorem sapit.

[6] Interserunt iidem mss. aliique penes Martian. *ut* particulam, id est, *Victori, ut non disperdas*, etc.

[7] Cisterciens. ms.. *Ego justi justitias iudicabo* : Reginæ autem ms, tantum habet *justitias* pro *recta*.

[8] Cisterciens. ms. hunc alterum pro impresso *versum* substituit. *Dixit lælantibus, Nolite lætari.* Hebræus ad verbum, *Dixi insanientibus, Ne insaniatis.*

[9] Plus habent nostri mss. : *in manu Domini est, et vino meraco usque ad plenum mistus.*

[10] Aliter inscribunt mss. Reg., Corbeiens. et Sorbon. *Victori in Psalmis canticum Asaph carminis.* Idem imitantur quatuor alii, excepto quod D pro *Victori in Psalmis*, corrupte legunt *Victori Psalmus*, etc. MART.

— Iterum nostri omnes mss. aliique penes Martian. *Victori in Psalmis canticum Asaph carminis.* Tum primo statim textus verbo unus Cisterciens., *Cognoscetur* pro *Cognoscitur*.

[11] Idem Cisterciens. ms., *Jerusalem* pro *Salem*, et paulo post, jnncto Regio, *confringet* pro *confregit*.

[12] In Hebræo est רִשְׁפֵי קֶשֶׁת *rischphe caschelh*, quod optime interpretatur Hieronymus, *volatilia*, hoc est *sagittas arcus*. Necincongrue scholiastes posuit *diaboli, arcum*, quia Habacuc III, 5 vel 15, in nostra editione, רֶשֶׁף *rescheph* vertitur in *diabolum*. MART.

[13] Reginæ ms., *annuntiaverunt judicium* deinde cum plerisque aliis *terra timens tacebit*, absque *et* copula. Denique, *cum surrexerit ad judicandum*, pro *ad judicium*.

ut salvos faciat omnes mites terræ. SEMPER.
Quia ira [1] hominis confitebitur tibi :
reliquiis irarum accingeris,
Vovete et reddite Domino Deo vestro
omnes qui in circuitu ejus sunt,
offerent dona terribili.
Auferenti spiritum ducum :
terribili regibus terræ.

VICTORI SUPER IDITHUN [2] PSALMUS ASAPH.

(LXXVII.) Voce mea ad Deum, et clamavi :
voce mea ad Deum, et exaudivit me (h. et præbuit mihi aurem),
In die tribulationis meæ Dominum requisivi,
manus mea nocte extenditur, et non quiescit :
Noluit consolari anima mea,
recordans Dei conturbabar :
Loquebar in memetipso,
et deficiebat spiritus meus. SEMPER.
Prohibebam (h. Comprehendisti) suspectum oculorum meorum,
stupebam, et non loquebar.
Recogitabam dies antiquos :
annos [3] sæculorum.
Recordabar psalmorum (h. carminis mei) meorum in nocte,
cum corde meo loquebar, et scrutabar spiritum meum [4].
Ergone in æternum (h. in sæcula) projiciet Dominus
et non repropitiabitur ultra ?
Ergone complevit [5] usque in finem misericordiam suam ?
consummabitur verbum de generatione et generatione [6].
Nunquid oblitus est misereri Deus :
aut complebit in furore misericordias (h. pietates) suas ? SEMPER.
Et dixi, imbecillitas mea est hæc ;
commutatio (h. annos) dexteræ excelsi,
Recordabor cogitationum Domini :
reminiscens antiqua mirabilia tua.
Et meditabor in omni opere tuo,
et adinventiones tuas loquar.
Deus, in sancto [7] via tua :
quis Deus magnus ut Deus ?
Tu es Deus faciens mirabilia
ostendens (h. innotescens) in populis potentiam tuam.
Redemisti in brachio populum tuum, filios Jacob et Joseph. SEMPER.
Videntes te aquæ, Deus,
videntes te (*Al. tac.* te) aquæ parturierunt,
et commotæ sunt abyssi.

A Excusserunt aquas nubila.
vocem dederunt nubes,
et sagittæ tuæ discurrebant.
Vox tonitrui tui in rota,
apparuerunt (h. illuxerunt) fulgura tua orbi :
concussa et commota est terra [8]
In mari via tua,
et semitæ tuæ in aquis multis,
et vestigia tua non sunt agnita.
Deduxisti quasi gregem (h. oves) populum tuum :
in manu Mosi et Aaron.

ERUDITIONIS (Al *eruditiones*) ASAPH.

(LXXVIII.) Ausculta, populus meus, legem meam
inclinate aurem vestram ad verba oris mei.
Aperiam in parabola os meum.
loquar ænigmata antiqua.
Quæ audivimus et cognovimus.
et patres nostri narraverunt nobis.
B Non sunt abscondita a filiis eorum,
a generatione sequenti,
Narrantes (Al. Narrante) laudes Domini,
et potentiam ejus, et mirabilia ejus, quæ fecit.
Statuit contestationem in (*Al. tac.* in) Jacob,
et legem posuit in Israel,
quæ mandavit patribus nostris,
ut docerent filios suos.
Ut cognosceret generatio subsequens :
filii nascituri surgent,
et narrabunt filiis suis.
Ut ponant in Deo spem suam ;
et non obliviscantur cognationum (h. adinventionum) Dei [9],
et mandata ejus custodiant.
Et (*Al.* Ut.) non sicut patres eorum
generatio declinans, et provocans,
generatio quæ non præparavit cor suum,
et non credidit Deo spiritus ejus.
C Filii Ephraim intendentes, emittentes (*Al.* et mittentes) arcum
terga verterunt in die belli.
Non custodierunt pactum Dei [10]
in lege ejus noluerunt ingredi,
Et obliti sunt cogitationum (h. adinventionum) ejus,
et mirabilium ejus, quæ ostendit eis.
Coram patribus eorum fecit mirabilia,
in terra Ægypti, in regione Taneos.
Divisi (h. Disrupit) mare, et transduxit eos,
stare fecit aquas quasi acervum (h. in utre).
Et duxit eos in nube per diem,
et tota nocte in lumine ignis.
Scidit petram in deserto,
et potum dedit quasi de abyssis magnis,

[1] Pro *ira, mærorem* posuerunt mss, quinque, Memm., San-Germ., Reg., Corbeiens. et Sorbon., *Quia mæror hominis... reliquiis mæroris accingeris.* MART.

— E nostris mss. unus Cisterciensis hic *mæror* pro *ira*, et mox *mæroris* pro *irarum* præfert. Regius autem altero hoc tantum loco, *iræ* pro *irarum*. In Hebraico est חמת, quod nomen proprie *furorem* sonat.

[2] Ms. Reginæ, *per Idithun* ; Cisterciens. duoque alii apud Martian. mss., *pro Idithun*.

[3] Tres mss. *et annos pristinos*. Paulo post *scopebam* pro *scrutabar*. Atque ita quidem in epist. *ad Sunniam et Fretelam* se ait S. Pater transtulisse, consentientibus ad eum locumnostris mss. magno numero quidquid postmodum visum sit Martianæo, qui rescribendum ibi nunc vellet, *scrutabar*.

[4] Editi libri ac ms. Corbeiensis, *scopebam spiritum meum*. Hanc lectionem in Prodomo S. Hieronymi me edidisse memini, nec aliud sane retinent exemplaria mss. epist. *ad Sunniam et Fretelam*, quibus adhærere oportuit, donec nacti essemus copiam meliorum codicum Psalterii istius ex Hebræo Latini, ubi septem antiquiores ac melioris notæ scriptum habent *scrutabar spiritum meum*. D Ita quoque legendum satis innuit S. Doctor, cum ait, in jam dicta epist., Symmachum et quintam editionem transtulisse ἀνηρεύνων, id est *perscrutabar*, sive *quærebam*. Regius Psalmorum codex ms. hic solus legit *abscondebam spiritum meum*. MART.

[5] Unus Cisterciens. ms. *complebit* ac deinde, *consummabit verbum in generationem*.

[6] Ita omnes mss. excepto Sorbonico, qui cum editis legit, *de generatione in generationem*, MART.

[7] Nostri omnes mss. *Sanctuario* hic pro *Sancto* præferunt.

[8] In Cisterciens. ms., *Concussa est, et peperit terra* quod si cui unquam interpreti placuit, haud scio. Hebræus certe *commoveri* significat.

[9] Tres mss., *cogitationum ejus*, pro *Dei*.

[10] Iidem mss. addunt *sui*, et paulo post *commutationum* pro *cogitationum* legunt.

Et eduxit rivos de petra,
et elicuit quasi flumina aquas.
Et addiderunt ultra peccare ei.
ut provocarent Excelsum [1] in invio.
Et tentaverunt Deum in cordibus suis :
petentes cibum animæ suæ.
Et loquentes contra Deum
dicebant. Nunquid poterit Deus parare mensam in solitudine [2]?
Ecce percusit petram, et fluxerunt aquæ
et torrentes inundaverunt :
Nunquid et panem poterit dare
aut parare carnem populo suo?
Ideo audivit Dominus, et non distulit [3] :
et ignis accensus est in Jacob,
et furor ascendit in Israel.
Quia non crediderunt in [4] Deo,
nec habuerunt fiduciam in salutari ejus.
Et præcipit nubibus desuper,
et portas cœli aperuit.
Et pluit super eos manna [5], ut comederent,
et triticum cœli dedit eis :
Panem fortium comedit vir :
cibaria misit illis in saturitatem.
Abstulit Eurum de cœlo,
et induxit in fortitudine [6] sua Africum.
Et pluit super eos quasi pulverem carnem,
et quasi arenam maris volatilia pennata.
Et ceciderunt in medio castrorum eorum [7].
in circuitu tabernaculorum eorum.
Et comederunt, et saturati sunt nimis :
et desiderium eorum attulit eis.
Non indiguerunt de cupiditate sua (h. Nondum expleverunt desiderium suum) :
cum adhuc cibus esset in ore eorum [8].
Furor ergo Dei ascendit super eos :
et occidit pingues eorum,
et electos Israel incurvavit.
In omnibus his peccaverunt ultra,
et non crediderunt in mirabilibus ejus.
Et consumpsit in vanitate dies eorum,
et annos eorum velociter.
Si occidebat eos, tunc quærebant (*Al.* requirebant) eum :
et convertebantur et diliculo consurgebant ad Deum.
Et recordabantur, quia Deus fortitudo eorum
et Deus excelsus redemptor eorum est.
Et lactaverunt (*Al.* allectaverunt) eum in ore suo,
A et lingua sua mentiti sunt ei.
Cor autem eorum non erat firmum cum eo :
nec permanserunt in pacto ejus.
Ipse vero misericors
propitiabitur iniquitati, et non disperdet [9] :
Multumque avertit iram suam,
et non suscitavit totum furorem suum.
Et recordatus [10] est quia caro essent :
spiritus vadens et non revertens.
Quoties provocaverunt eum in deserto :
afflixerunt eum in solitudine :
Et conversi sunt, et tentaverunt Deum,
et sanctum Israel concitaverunt,
Non sunt recordati manus ejus
die (*Al.* diei) qua redemit eos de tribulante.
Qui fecit (h. posuit) in Ægypto signa sua,
et ostenta sua in regione Taneos.
Qui convertit in sanguinem fluvios eorum [11],
et rivos eorum, ut non biberent.
B Qui immisit in eos omne genus muscarum, ut comederent eos,
et ranas, ut disperderent eos.
Qui dedit bruchio germen eorum,
et laborem eorum locustæ.
Qui occidit in grandine vineas eorum,
et sycomoros eorum in frigore.
Qui tradidit grandini pascua eorum,
et jumenta eorum volucribus (h. diabolis).
Qui misit in eos iram furoris sui :
indignationem, et comminationem, et angustiam :
immissionem angelorum malorum :
Munivit [12] semitam furori suo,
non pepercit a morte animæ eorum :
et animantia eorum pesti tradidit.
Et percussit omne primogenitum in Ægypto :
principium partus (h doloris) in tabernaculis Cham
Et tulit velut oves populum suum,
et minavit eos sicut gregem in deserto.
C Et edduxit eos cum fiducia et absque timore :
inimicos autem eorum operuit mare.
Et adduxit eos ad terminum sanctificatum suum,
montem istum, quem possedit dextera ejus [13].
Et ejecit a facie eorum gentes.
et possidere eos fecit in funiculo hæreditatem.
et collocavit in tabernaculis eorum tribus Israel.
Et tentaverunt, et provocaverunt Deum excelsum:
et testimonia ejus non custodierunt.
Et reversi sunt et prævaricati sunt ut patres eorum : incurvati sunt quasi arcus inutilis.

[1] In Canone San-Germanensi et Memmiano, *Et provocaverunt Excelsum*, etc. MART.

[2] Rursum iidem mss., *poterit Deus ponere mensam in solitudinem*?

[3] Absque negatione legunt exemplaria tria Canonis, ac mss. codd. Vatic., August., Burdigal. et S. Michaelis. *Ideo audivit Dominus, et distulit.* Et 130 juxta Vulgatam 59, tres ex eis *Audivit Deus, et distulit.* In Hebræo scriptum est, ויתעבר, *vaithabar, et iratus est* sed non incongrue interpretatur *et distulit* quia *differre* idem est quod *dissipare, discerpere*, et *disturbare*. Hieronymus intelligere videtur, quod Deus non distulerit iram suam sed audita populi Hebræi murmuratione, statim pœnas incredulis et plagas inflixerit. MART.

[4] Tacet in nostris mss. *in* vocula. Paulo post, *præcepit* pro *præcipit* legitur.

[5] Unus Reginæ ms, *man* habet pro *manna* mirum ut Hebraicum et nomen מן.

[6] Cisterciens. ms. *in virtute* pro *fortitudine* et mox *carnes* plurium numero.

[7] Pressius Hebraicæ phrasi nostri mss. minori numero, *castrorum ejus*, et *tabernaculorum ejus* legunt. Hebraice est למשכנותיו מחנהו.

[8] Totum istud colon hoc modo positum invenitur in Vaticano codice : *Nondum expleverunt desiderium suum, cum adhuc cibus eorum in ore eorum.* Priorem igitur versum in scholio marginali reliquit exscriptor Canonis Carcassonensis, posteriorem vero in contextum invexit. Canon San-Germanensis cum cæteris mss. codicibus, Regio scilicet, Corbeiensi, Carnutensi, et Sorbonico, puram retinet Hieronymi D lectionem quam edidimus, et cum his concordat Memmianus. MART.

[9] Videtur S. Pater hic *eos* pronomen addidisse; sic enim Sunniæ ac Fretelæ respondet : *Dicitis quod* eos, *in Græco non habeat, quod et verum est; sed nos, ne sententia pendeat, Latinum sermonem sua proprietate complevimus.* Nisi de sola ibi interpretatione sua ex Græco putandus est loqui.

[10] In Cisterciens. ms., *sed recordatus*, etc.

[11] Pronomen *eorum*, in Cisterciensi ms, tacet: paulo post, *misit eis*, pro *qui immisit in eos*, legitur.

[12] Idem ms., *semitam furoris tui*, et, *pepercit morti* etc.

[13] Vide quæ nobis ad hunc locum in epistola ad Sunniam et Fretelam observata sunt. Conjectura, quam ad supplendum ibi S. Patris textum proponimus ex hac videtur intepretetione verosimilior.

Et provocaverunt eum in excelsis suis,
et in sculptilibus suis ad æmulandum eum concitaverunt.
Audivit Deus, et non distulit :
et projecit vehementer Israel.
Et reliquit tabernaculum Silo :
tentorium quod collocavit inter homines.
Et tradidit in captivitatem virtutem suam [1] :
et decorem suum in manu hostis.
Et conclusit in gladio populum suum,
et in hæreditatem suam non distulit.
Juvenes ejus devoravit ignis,
et virgines ejus nemo luxit.
Sacerdotes ejus in gladio ceciderunt,
et viduæ ejus non sunt fletæ [2]:
Et evigilavit quasi dormiens Dominus :
quasi fortis post crapulam vini.
Et percussit hostes suos retrorsum :
opprobrium sempiternum dedit eis [3].
Et projecit tabernaculum Joseph,
et tribum Ephraim non elegit.
Sed elegit tribum Juda,
montem Sion quem dilexit.
Et ædificavit in similitudine monocerotis (*Al.* monoceroton,) sanctuarium suum,
[4] quasi terram fundavit illud in sæculum.
Et elegit David servum suum :
et tulit eum de gregibus ovium.
Sequentem fetas adduxit eum,
ut pasceret in Jacob [5] populum ejus.
et in Israel hæreditatem ejus.
Qui pavit eos in simplicitate cordis sui
et in prudentia [6] manuum suarum dux eorum fuit.

CANTICUM (h. PSALMUS) ASAPH.

(LXXXIX.) Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam,
polluerunt templum sanctum tuum :
posuerunt Jerusalem in acervos (*Al.* accervis) lapidum.
Dederunt cadavera servorum tuorum
escam (*Al.* escas) volatilibus cœli :
carnes sanctorum (h. misericordium) tuorum bestiis terræ.
Effuderunt sanguinem eorum
quasi aquam in circuitu Jerusalem,
et non erat qui sepeliret.
Facti sumus opprobrium vicinis nostris :
subsannatio et derisio his qui in circuitu nostro sunt.
Usquequo, Domine, irasceris in finem :
ardebit quasi ignis zelus tuus,
Effunde furorem tuum super gentes quæ non cognoverunt te,
A et super regna quæ nomen tuum non invocaverunt.
Quia comederunt Jacob,
et decorem ejus desolaverunt.
Ne recorderis iniquitatum nostrarum veterum :
cito (h. festina) occupent nos misericordiæ tuæ,
quia attenuati sumus nimis.
Auxiliare nobis, Deus Jesus noster [7] :
propter gloriam nominis tui (*Al. add.* et) libera nos :
et propitiare peccatis nostris propter nomen tuum.
Quare dicent [8] gentes ubi est Deus eorum ?
nota fiat in gentibus ante oculos nostros
ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est.
Ingrediatur coram te gemitus vinctorum
in magnitudine brachii tui :
relinque filios interitus.
Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum:
opprobrium suum quod exprobraverunt tibi, Domine.
B Nos enim populus tuus, et oves pascuæ [9] tuæ :
confitebimur tibi in sæculum :
in generatione et generatione
narrabimus laudem tuam.

VICTORI PRO LILIIS TESTIMONIUM [10] ASAPH CANTICUM (h. PSALMUS).

(LXXX.) Qui pascis Israel, ausculta (h. Pastor Israel, auribus percipe),
qui ducis quasi gregem (h. oves) Joseph :
qui sedes super Cherubim, ostendere.
Ante Ephraim et Benjamin et Manasse
suscita fortitudinem tuam,
et veni, ut salvos facias nos.
et ostende faciem tuam, et salvi erimus :
Domine Deus exercituum,
usquequo fumabis ad orationem populi tui ?
C Cibasti eos [11] pane flebili,
et potasti eos in lacrymis tripliciter.
Posuisti nos contentionem (*Al.* contradictionem) vicinis nostris,
et inimici nostri subsannaverunt nos.
Deus exercituum, converte nos,
et ostende (h. illustra) faciem tuam, et salvi erimus.
Vineam de Ægypto tulisti :
ejecisti gentes, et plantasti eam.
Præparasti ante faciem ejus,
et stabilisti radices ejus, et implevit terram.
Operti sunt montes umbra (*Al.* sub umbra) ejus,
et rami (*Al.* ramis) illius cedri Dei.
Expandit comas suas usque ad mare, et usque ad flumen germina sua (*Al.* ejus).

[1] Nostri mss. *gloriam suam* pro *virtutem*, etc.

[2] Quatuor msss., scholiis vitiati, *Et viduæ eorum* vel ejus, *non ploraverunt*. MART.

[3] Reginæ mss., *dedit eos* pro *eis*.

[4] Pretium hic quoque erit operæ S. Doctorem de hujus loci interpretatione disserentem in *epist. ad Sunniam et Fretelam* audire, cum nihil tamen ibi de versione sua ista ex Hebraico dicat.

[5] Tres mss., *pasceret Jacob... et Israel*, absque *in* præpositione.

[6] Observat S. Hieronymus in *Epist. ad Sunn. et Fretel.* non haberi apud LXX, ἐν τῇ συνέσει numero singulari, ut illi putabant, sed ἐν ταῖς συνεσεσιν, quod *intelligentias* sonat. Verum id esse imprimis exploratum habemus e ms. Psalterio triplici Sorbonico, ubi litteris Latinis contextus Græcus hujus loci sic expressus est: *Keen tes synesesin ton chiron aftu odigisen aftus*, hoc est, καὶ ἐν ταῖς συνέσεσιν τῶν χειρῶν αὐτοῦ ὡδήγησεν αὐτούς. In Hebræo quoque pluralis numerus habetur בתבונות *bathbunoth*, sive *bithbunoth*, quod est *in intellectibus*. Hieronymus tamen, Aquilam secutus, qui legit καὶ ἐν φρονήσει, hic suo Psalterio Hebraico interpretatur *in prudentia*, sensum Scripturæ, non verba κακοζήλως attendens. MART.

[7] Mss. quatuor, *Deus Salvator noster*. Canon San-German. et Memm. hanc habent lectionem : *Jesus Salvator noster :* Et consequenter scholon marginale in textu retinent hoc loco mss. Carcass., Angustin., Burdig. et S. Mich., *propter verbum gloriæ*, etc. MART.

[8] In instanti nostri habent mss., *quare dicunt*, etc.

[9] Idem mss., *et grex pascuæ*, etc., tum *in sempiternum* pro *in sæculum* : denique *laudabimus laudes tuas*.

[10] Reginæ ms. *pro liliis testimonii :* taceo quod *filiis* pro *liliis* hic atque alibi manifesto mendo mss. aliquot legunt.

[11] Ita Canon Carcassonensis et ms. Augustinorum Burdigalensium : cæteri legunt post LXX, *Cibasti nos.... potasti nos*, vel *Cibabis*, etc. MART.

Quare dissipasti maceriam (h. sepes) ejus (*Al.* suam),
et vindemiaverunt eam omnes qui transeunt per viam.
Vastavit eam aper de silva,
et omnes bestiæ agri depastæ sunt eam.
Deus exercituum, revertere, obsecro,
respice de cœlo, et vide,
et visita vineam hanc.
Et radicem quam plantavit dextera tua,
et filium quem confirmasti tibi.
Succensam igni, dirutam [1] :
ab increpatione faciei tuæ pereant,
Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ,
et super filium hominis quem confirmasti tibi.
Et non recedemus [2] a te, vivificabis nos
et in nomine tuo vocabimur :
Domine Deus exercituum, converte nos :
ostende (h. illumina) faciem tuam, et salvi erimus.

VICTORI IN TORCULARIBUS ASAPH.

(LXXXI.) Laudate Deum fortitudinem nostram (h. Cantate Deo fortitudini nostræ) : jubilate Deo Jacob.
Assumite carmen: et date tympanum :
citharum decoram cum psalterio.
Clangite in neomenia buccina,
et in medio (h. in throno) mensæ, die solemnitatis nostræ,
Quia legitimum Israel est,
judicium Deo Jacob [3].
Testimonium in Joseph (h. Joseph) posuit,
cum egrederetur [4] de terra Ægypti :
labium quod nesciebam, audivi.
Amovi ab onere humerum ejus :
manus ejus a cophino recesserunt.
In tribulatione invocasti (*Al. add.* me), et erui te,
exaudivi te in abscondito tonitrui :
probavi te super aquas contradictionis. SEMPER.
Audi, populus meus, et contestabor (*Al.* constestor) te:
Israel, si audieris me.
Non sit in te deus alienus,
et non adores deum peregrinum (h. extraneum).
Ego sum Dominus Deus tuus (*Al. tac.* tuus), qui eduxi te de terra Ægypti.
dilata os tuum, et implebo illud.
Et non audivit populus meus vocem meam,
et Israel non credidit (h. consensit) mihi
Et dimisi eum in pravitate cordis sui,
ambulabunt in consiliis suis.
Utinam populus meus audisset me :
Israel in viis meis ambulasset.
Quasi nihilum inimicos ejus humiliassem,
et super hostes eorum vertissem manum meam.
Qui oderunt Dominum, negabunt eum :
et erit tempus eorum in sæculum.
Et cibavit eos [5] ex adipe frumenti,
et de petra melle [6] saturavit eos.

A

CANTICUM (h. PSALMUS) ASAPH.

(LXXXII.) Deus stetit in cœtu Dei
in medio deos judicat.
Usquequo judicatis iniquitatem,
et facies impiorum suscipitis? SEMPER.
Judicate pauperi et pupillo,
egeno et inopi juste facite [7].
Salvate inopem et pauperem,
de manu impiorum liberate.
Non cognoscunt, nec intelligunt,
in tenebris ambulant
movebunt omnia fundamenta terræ.
Ego dixi, dii estis vos,
et filii excelsi omnes vos [8].
Ergo quasi Adam moriemini,
et quasi unus de principibus cadetis.
Surge, Deus, judica terram,
quoniam tu hæreditabis in omnes gentes [9]

B

CANTICUM PSALMI ASAPH.

(LXXXIII.) Deus, ne taceas [10] tibi, ne sileas [11],
et non quiescas, Deus.
Quia ecce inimici tui tumultuati sunt,
et qui oderunt te, levaverunt (*Al.* elevaverunt) caput
Contra populum tuum nequiter tractaverunt,
et inierunt consilium adversus arcanum tuum.
Dixerunt, venite : et conteramus eos de gente,
et non sit memoria nominis Israel ultra.
Quoniam tractaverunt corde pariter [12],
contra te fœdus pepigerunt.
Tabernacula Idumææ et Ismaelitarum
Moab et Agareni.
Gebal et Ammon et Amalec
Palæstina cum habitatoribus Tyri.
Sed et Assur venit (h. junxit) cum eis
facti sunt brachium filiorum Lot. SEMPER.
Fac illis sicut Madian,
sicut (*Al.* et) Sisaræ, sicut Jabin in torrente Cison.

C

Contriti sunt in En-Dor
fuerunt quasi sterquilinium terræ.
Pone (*Al.* pones) duces eorum sicut Oreb, et Zeb,
sicut (*Al.* et) Zebee, et Salmana omnes principes eorum
Qui dixerunt, possideamus nobis
pulchritudinem Dei.
Deus meus, pone eos ut rotam
quasi stipulam ante faciem [13] venti.
Quomodo ignis comburit silvam,
et sicut flamma devorat montes.
Sic persequeris eos in tempestate tua,
et in turbine tua conturbabis eos.
Imple facies eorum ignominia,
et quærent nomen tuum, Domine.
Confundantur et conturbentur usque in sæculum (h. æternum) :
et erubescant, et pereant.

D

Et sciant quia nomen tuum est Dominus solus tu:
excelsus super omnem terram terram.

[1] Quod pridem editi nostri quoque præferunt mss., *et derematam* pro *dirutam*. Penes Mart. editi et ms. Corbeiensis legunt *diramatam* seu *deramatam*.

[2] Cisterciens. ms., *recedimus* : tum alter Reginæ, *vivificabimus nos*.

[3] Denuo Cisterciens. ms., *et judicium Dei Jacob*.

[4] In tribus mss., *Cum egrederetur terram Ægypti*. Hebr. habet עַל אֶרֶץ *al erets*, id est *super terram*. MART.

[5] Canon Carcass. legit numero singulari : *Et cibavit eum... et de petra mellis saturavit eum*. Alii etiam legunt, *de petra mellis*. MART.

[6] Duo et nostris mss. *de petra mellis*.

[7] Reginæ ms. uno habet verbo, *justificate*.

[8] Ab hoc pronomine *vos*, Cisterciens. ms. alterum versum exorditur, *Vos ergo quasi Adam*, etc., quod et Græcum Alexandrinum exemplar facit. Reginæ autem ms. ipsum istud pronomen tacet.

[9] Ms. Reginæ, *quoniam hæreditabis omnes gentes*.

[10] דֳמִי *silentium*, ut sensus sit, ne sit tibi silentium, id est, *ne sileas*, ἁπλῶς.

[11] Voculam *tibi* Regin. ms. præterit. Cisterciens. *Domine, ne taceas*, et *nec sileas*.

[12] Nostri omnes mss., nomen *corde* tacent, magis ad Græcum, ἐβουλεύσαντο, ex eoque derivatam versionem veterem, *cogitaverunt*.

[13] Verba *ante faciem* in Cisterciensi ms. non sunt. moxque legitur *comburet silvam*, pro *comburit*, etc. Demum juncto et Reginæ cod. *persequere eos*, et *conturba eos*.

VICTORI PRO TORCULARIBUS [1] FILIORUM CORE CANTICUM (h. PSALMUS).

(LXXXIV). Quam ditecta tarbernacula tua,
Domine exercituum!
Desiderat et deficit anima mea in atria Domini :
cor meum et caro mea laudabunt Deum [2], Deum viventem.
Siquidem passer (*Al.* avis) invenit domum,
et avis (*Al* passer) nidum sibi, ubi ponat [3] pullos suos :
Altaria tua, Domine exercituum,
rex meus et Deus meus.
Beati qui habitant in domo tua :
adhuc laudabunt te. SEMPER.
Beatus homo cujus fortitudo est in te :
semitæ in corde ejus,
Transeuntes in valle fletus,
fontem ponent eam :
benedictionem quoque amicietur doctor.
Ibunt de fortitudine in fortitudinem :
parebunt apud Deum in Sion.
Domine Deus exercituum, exaudi orationem meam;
ausculta (h. auribus percipe), Deus Jacob. SEMPER.
Clypeus noster vide, Deus [4],
et attende faciem Christi tui
Quoniam melior est dies in atriis tuis super millia:
elegi abjectus esse in domo Dei mei,
magis quam habitare in tabernaculis impietatis.
Quia sol et scutum Dominus Deus,
gratiam et gloriam dabit Dominus,
Nec prohibebit bonum
ab his qui ambulant in perfectione.
Domine exercitum,
beatus homo qui confidit in te.

VICTORI FILIORUM CORE, CANTICUM (*h.* PSALMUS).

(LXXXV.) Placatus es, Domine, terræ tuæ;
reduxisti captivitatem Jacob.
Dimisisti iniquitatem populo tuo :
operuisti omnes iniquitates eorum. SEMPER.
Continuisti omnem indignationem tuam :
conversus es ab ira furoris tui.
Converte nos, Deus Jesus (h. salutaris noster).
et solve iram tuam adversum nos.
Noli in æternum irasci nobis :
extendens iram tuam in generationem (*Al.* a generatione, *etc.*) et generationem.
Nonne tu revertens vivificabis nos,
et populus tuus lætabitur in te?
Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,
et salutare tuum da nobis.
Audiam quid loquatur Deus Dominus :
loquetur enim pacem ad populum suum et ad sanctos suos,
ut non convertantur ad stultitiam [5].
Verumtamen prope est his qui timent eum salutare
ejus ut habitet gloria in terra nostra.
Misericordia et veritas occurrerunt :
justitia et pax deosculatæ sunt.
Veritas de terra orta est,
et justitia de cœlo prospexit.
A Sed et Dominus dabit bonum,
et terra nostra dabit germen suum,
Justitia ante eum ibit,
et ponet in via gressus suos.

ORATIO DAVID.

(LXXXVI). Inclina, Domine, aurem tuam, exaudi me :
quia egenus et pauper (*Al. add.* sum) ego.
Custodi animam meam, quia sanctus (h. misericors) ego :
salva servum tuum tu (*Al. tacet* tu), Deus meus qui confidit in te.
Miserere mei, Domine
quoniam ad te clamabo [6] tota die.
Lætifica animam servi tui :
quia ad te, Domine, animam meam levo.
Tu enim es, Domine, bonus et propitiabilis,
et multus misericordia omnibus qui invocant te.
B Exaudi (h. auribus percipe), Domine, orationem meam et ausculta vocem deprecationum mearum.
In die tribulationis meæ invocabo te,
quia exaudies me.
Non est similis tui in diis, Domine,
et non est juxta [7] opera tua.
Omnes gentes quas fecisti,
venient et adorabunt coram te, Domine,
et glorificabunt nomen tuum (*Al. add.* Domine).
Quia magnus es tu, et faciens mirabilia, tu Deus solus.
Doce me (illumina mihi), Domine, viam tuam, ambulem in veritate tua
unicum fac cor meum, ut timeat nomen tuum.
Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in sempiternum (h. sæculum).
Quia misericordia tua magna super me,
et eruisti animam meam de inferno extremo (h. inferiori).
C Deus, superbi surrexerunt (*Al.* insurrexerunt) adversum me.
et cœtus robustorum quæsierunt (*Al.* quæsivit) animam meam,
et non posuerunt te in conspectu suo.
Tu autem, Domine Deus misericors et clemens :
patiens (h. tardus ad furorem), et multæ misericordiæ et verus,
Respice ad me, et miserere mei;
da fortitudinem tuam servo tuo,
et salva filiam ancillæ tuæ.
Fac mecum signum in bonitate,
et (*Al.* ut) videant qui oderunt me, et confundantur :
Quia tu, Domine, auxiliatus es mihi,
et consolatus es me.

FILIORUM CORE PSALMUS CANTICI.

(LXXXVII.) Fundamenta (*Al.* Fundamentum) ejus
D in montibus sanctuarii,
Diligit Dominus portas Sion :
super omnia tabernacula Jacob.
Gloriosa dicta sunt in te,
civitas Dei. SEMPER.

[1] Minori numero in nostris mss. legitur, *Pro torcularibus*.

[2] Ita duo Canones San-Germanensis ac Memmianus. Quod quidem legi potest ex Hebr. ירננו אל אל חי *ieramnenu èl el hhai*, *ubi vox* אל *el* geminata nomen *Dei* congeminat. Hodierni primum אל *el* præpositionem esse volunt, vocalem *segol* supponentes litteræ א *aleph* cum Massorethis : unde interpretantur, *exaltabunt ad Deum vivum*. MART.

— Lemel tantum habet Cisterciens. ms. *Deum*. Notatum vero et Martianæo, duplex אל in Hebræo legi, quorum alterum, substrato segol puncto, præpositionem *ad* sonat. Sic autem accipiunt et LXX ante natos Massorethas immane quantum.

[3] Vaticanus ms. cum editis libris, *ut reponat*, Alii etiam habent *reponat*, sed cum *ubi* adverbio: *ubi reponat*. MART.

[4] Ms. Reginæ verbum *vide* bis repetit : mox juxta veterem intepretationem plus habet, *dies una in atriis*.

[5] Alio fere sensu Cisterciens. ms., *ut convertantur ab stultitia*.

[6] Reginæ ms., *ad te clamavi*. Cisterciens. tertio ab hoc versu, nomen *Domine* prætermittit.

[7] Cisterc. *non juxta*, priori etiam et vocula omissa.

Ecce Palæstina et Tyrus eum Æthiopia :
iste natus est ibi.
Ad Sion autem dicetur :
vir, et vir natus est in ea,
et ipse fundavit eam Excelsus.
Dominus numeravit scribens populos :
iste natus est ibi [2]. SEMPER.
Et cantores [3] quasi in choris :
omnes fontes mei in te.

CANTICUM CARMINIS (h. PSALMUS) FILIORUM CORE, VICTORI PER CHORUM AD PRÆCINENDUM ERUDITIONIS EMAN EZRAITÆ.

(LXXXVIII.) Domine Deus salutis meæ,
per diem clamavi, et nocte coram te.
Ingrediatur ante te oratio mea :
inclina aurem tuam ad laudationem meam.
Quia repleta est malis anima mea.
et vita mea ad infernum descendit (h. usque pervenit).
Reputatus sum cum descendentibus in lacum :
factus sum quasi homo invalidus, inter mortuos liber :
Sicut interfecti et dormientes in sepulcro,
quorum non recordaris amplius :
et qui a manu tua abscisi sunt [4].
Posuisi me in lacu novissimo (h. subteriori)
in tenebris in (*Al.* tenebrosis et) profundis.
Super me confirmatus est [5] furor tuus,
et cunctis fluctibus tuis afflixisti me. SEMPER.
Longe fecisti notos meos a me,
posuisti me abominationem eis.
clausum, et non prodeuntem.
Oculus meus infirmatus est ab afflictione,
vocavi (*Al.* invocavi) te, Domine, tota die :
expandi ad te palmas meas.
Nunquid mortuis facies mirabilia
aut gigantes surgent (*Al.* resurgent), et confitebuntur tibi ? SEMPER.
Nunquid narrabitur in sepulcro misericordia tua,
veritas (*Al.* et veritas) tua in perditione ?
Nunquid noscentur in tenebris mirabilia tua,
et justitia tua in terra quæ oblivioni tradita est?
Ego autem ad te, Domine, clamavi (h. deprecatus sum),
et mane oratio mea præveniet te.
Quare, Domine, abjicis animam meam,
abscondis faciem tuam a me ?
Commemorabo [1] superbiæ et Babylonis scientibus me.

A Pauper ego et ærumnosus ab adolescentia;
portavi furorem tuum, conturbatus sum.
Super me transierunt [6] iræ tuæ,
terrores (*Al.* et terrores) tui oppresserunt me.
Circumdederunt me quasi aquæ tota die,
vallaverunt me pariter.
Longe fecisti a me amicum et sodalem,
notos meos abstulisti (h. præ tenebris).

ERUDITIO ETHAN [7] EZRAITÆ.

(LXXXIX.) Misericordias Domini in æternum (h. sæculum) cantabo,
in generationem et generationem
annuntiabo (h. innotescam) veritatem tuam in ore meo.
Quia dixi [8], sempiterna (h. sæculum) misericordia ædificabitur,
cœlos fundabis, et veritas tua in eis.
Percussi fœdus cum electo meo :
B juravi David servo meo.
Usque in æternum stabiliam semen tuum,
et ædificabo in generatione et generatione thronum tuum. SEMPER.
Et (*Al. tac.* Et) confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine.
et veritatem tuam in ecclesia sanctorum.
Quis enim in nube (*Al.* nubibus) æquabitur Domino,
assimilabitur Domino in (*Al.* de) filiis Dei ?
Deus inclytus (h. robustus) in arcano sanctorum nimio,
et terribilis in cunctis qui circa eum (h. super omnes qui in circuitu ejus) sunt [9].
Domine Deus exercituum, quis similis tibi ?
fortissime Domine, et veritas tua in circuitu tuo.
Tu dominaris superbiæ maris,
et elationes gurgitum ejus tu comprimis (h. magnificas).
Tu confregisti quasi vulneratum superbum.
C In brachio fortitudinis tuæ dispersisti [10] inimicos tuos.
Tui sunt cœli, et tua est terra,
orbem et plenitudinem ejus, tu fundasti ea.
Aquilonem et dexteram tu creasti [11],
Thabor et Hermon nomen tuum laudabunt.
Tuum (h. Tibi) brachium cum fortitudine :
roboretur manus tua, et exaltetur dextera tua.
Justitia et judicium firmamentum throni tui,
misericordia et veritas præcedent faciem tuam.
Beatus populus qui novit jubilum [12],
Domine, in lumine vultus tui ambulabunt.

[1] Plures mss. legunt ; *commemorabor* ; alii vero consequenter, *Babylonis scientis me*, pro *scientibus me*. In Hebræo scriptum est רהב ובבל *rahab ubabel*, id est, *Rahab et Babylonis*, ut legitur in Vulgata. MART.

— Idem mss. pluresque alii, Martianæo teste, *commemorabor*, tum *scientes me*. Mss. Reginæ retinet *commemorabo*, ac porro *scientes* legit.

[2] Nostri mss. *ipse natus est in ea*. Tum Cisterciens. *et cantabunt*, cum pridem editis : Reginæ autem cod. minori numero, *et cantabit quasi*, etc.

[3] Editi ac mss. aliquo libri : *Et cantabunt*. Canon vero San-Germanensis ac Memmianus legunt *Et principes*, juxta Hebræum verbum שרים *sarim*, quod *principes*, vel *cantores*, significat. MART.

[4] Duo mss. *Et ipsi a manu tua abscisi sunt*. MART.

[5] San-Germanensis Canon et Memmianus, *super me consummatus est*. MART.

[6] In cisterciens. ms. *Per me transierunt*, etc,

[7] Idem ms., *Eruditionis Ethan*, etc.

[8] Mss. omnes præter San-Germ., Memm. et Sorbonicum : *Quia dixisti*, etc. Deinde Canon Carcass. cum Vaticano codice : *Sicut cœlos fundabis veritatem tuam in eis*. MART.

[9] Cisterciens. mss. *qui cum eo sunt*, et mox *similis tui*, pro *tibi*.

[10] Idem ms., *et in brachio forti tuo dispersisti*, etc. Tum tertio ab hoc versu postremam *ea* vocalem prætermittit.

[11] Regius ac Corbeiensis, *Et dextrum tu creasti*. MART.

D — Haud contemnenda Cisterciensis ms. lectio, *dextrum* pro *dexteram* ei qui passim legerit in Commentariis S. Patris, ubi de Aquilone sermo est, *æquilo*, *ventus durissimus*, *nomine* DEXTER *vocatur*. Nam quod alii quatuor mundi plagas sub nominibus Aquilonis, et dexteræ, Thabor et Hermon designari putant, haud scio qua auctoritate eorum montium nomina pro oriente atque occidente usurpari velint. At scio tamen ab Symmacho, cujus maxime delectatus ingenio est S. Pater, redditum Græce, Εἰς βόρρᾶν καὶ δεξιάν.

[12] Fœdo errore apud Martian. atque editos pridem libros, quin etiam mss. aliquot obtinebat, *qui nolit jubilum*. Nos primum Hebræus textus, אשרי העם ידעי תרועה quod est ad verbum, *Beatus populus sciens buccinam inflare*, docuit restituendum *novit* pro *noluit*, tum unus Cisterciens. ms. repositam a nobis lectionem suffragio suo atque auctoritate comprobavit. Vetus quoque Latina Versio, *Beatus populus, qui scit jubilationem*, juxta Græcum

In nomine tuo exsultabunt tota die.
et in justitia tua exaltabuntur.
Quia gloria fortitudinis eorum tu es.
et in voluntate *(Al.* misericordia) tua elevabis cornu nostrum.
Quia a Domino est protectio nostra (h. protectore nostro),
et a sancto Israel rege nostro.
Tunc locutus es per visionem sanctis (h. misericordibus) tuis,
et dixisti, posui adjutorium super robustum, exaltavi electum de populo[1].
Inveni David servum meum:
oleo sancto meo unxi eum,
Cum quo manus mea firma erit,
et brachium meum roborabit eum.
Non decipiet inimicus eum.
et filius iniquitatis non affliget eum.
Sed concidam ante faciem ejus hostes illius,
et qui eum oderunt percutiam (h. fulminabo).
Veritas autem mea et misericordia mea *(Al. add.* erit) cum eo,
et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.
Et ponam in mari manum ejus.
et in fluminibus dexteram ejus.
Ipse invocabit me, pater meus es tu.
Deus meus, et fortitudo salutis meæ.
Ego autem primogenitum ponam (h. dabo) eum, excelsum (*Al.* et excelsum) regibus terræ.
In æternum (h. sæculum) custodiam et misericordiam meam,
et pactum meum fidele ei[2].
Et ponam perpetuum semen ejus,
et thronum ejus sicut dies cœli.
Si dereliquerint filii ejus legem meam,
et in judiciis meis non ambulaverint.
Si cæremonias meas profanaverint,
et præcepta mea non custodierint.
Visitabo in virga scelera (h. scetus) eorum.
et in plagis iniquitates (*Al.* iniquitatem) eorum.
Misericordiam autem meam non auferam ab eo,
nec mentiar in veritate mea.
Non violabo pactum meum,
et quod egressum est de labiis meis, non mutabo.
Semel juravi in sancto meo,
ne (h. si) David mentiar[3].
Semen ejus in æternum (h. sæculum erit,
et thronus ejus sicut sol in conspectu meo (h. coram me),
Sicut luna stabilietur in æternum (h. sæculum),
et testis in cœlo (h. nube) fidelis. SEMPER.
Tu autem repulisti, et projecisti,
iratus es adversus Christum tuum.
Attenuasti pactum servi tui,
profanasti in terra diadema ejus.
Dissipasti (h. disrupisti) omnes macerias (h. sepes)
A ejus,
posuisti munitiones ejus pavorem.
Diripuerunt eum omnes qui transeunt per viam,
factus est opprobrium vicinis suis.
Elevasti dexteram hostium ejus,
lætificasti omnes[4] inimicos illius.
Nam et avertisti robur gladii ejus,
et non sublevasti eum in prælio.
Quiescere (h. deficere) fecisti munditiam ejus,
et thronum illius in terra (*Al.* terram) detraxisti.
Abbreviasti dies adolescentiæ ejus,
operuisti eum ignominia. SEMPER[5].
Usquequo, Domine, absconderis in finem,
succendetur quasi ignis indignatio tua.
Memento mei de profundo[6].
alioquin quare frustra creasti filios hominum.
Quis est vir, qui vivat, et non videat mortem:
salvans animam suam de manu inferi? SEMPER[7].
Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ (h. priscæ),
B Domine,
quas jurasti David in veritate tua?
Recordare, Domine, opprobrii servorum tuorum.
portavi in sinu meo[8] omnes iniquitates populorum.
Quibus exprobraverunt inimici tui, Domine,
quibus exprobraverunt vestigia Christi tui.
Benedictus Dominus in sempiternum (h. sæculum),
amen et amen.

ORATIO MOSI VIRI DEI

(XC.) Domine, habitaculum tu factus es nobis[9],
in generatione et generatione.
Antequam montes nascerentur,
et parturiretur terra, et orbis,
a sæculo et usque in sæculum tu es, Deus.
Convertes (h. Convertis) hominem usque ad contritionem.
et dices (h. dicis), revertimini (*Al.* convertimini),
C filii Adam,
Quia mille anni in oculis tuis
sicut dies hesterna quæ pertransiit,
et vigilia nocturna.
Percutiente te eos, somnium erunt:
mane quasi herba pertransiens.
Mane floruit, et abiit:
ad vesperam conteretur atque siccabitur.
Consumpti enim sumus in furore tuo,
et in indignatione tua conturbati sumus.
Posuisti iniquitates nostras coram te,
negligentias nostras in luce vultus tui.
Omnes enim dies nostri,
transierunt in furore tuo:
consumpsimus annos nostros quasi sermonem loquens.
Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autem multum, octoginta anni[10],

ipsum exemplar ὁ γινώσκων ἀλαλαγμόν. Vereor autem, quin potius audaciori cuipiam critico, quam dormitanti antiquario vetus illa depravatio verbi *noluit*, pro *novit*, culpæ sit ascribenda.

[1] Plus habet Cisterciens. ms. *de populo meo.*

[2] Iterum plus habent nostri mss. *Fidele erit ei, Et ponam in perpetuum*, etc. Tum paulo post, *Si autem dereliquerint*, etc.

[3] Reginæ ms. cum Hebræo scholiaste, *Si David*, etc.

[4] Hic vocem *omnes* cum alias *Nam et* Cisterciens. ms. omittit.

[5] Tres mss., *sempiterna*, quod referunt ad *ignominia.*

[6] Memmianus Canon et Carcassonensis tresque pedissequi ejusdem, *Memento mei de terra.* MART.

[7] Pro *Semper*, ipsum hic ponit Reginæ ms. nomen *Diapsalma.*

[8] Addunt nonnulli mss. quod habetur in editis :
D *Quia portavi in sinu meo*, etc. Canon autem Carcass. ac ms. S. Michaelis ita legunt: *Portavi in sinu meo multarum gentium.* MART.

[9] Psalmum istum, qui apud Græcos et Latinos octogesimus nonus inscribitur, Cypriano studiosissimo presbytero totum edisseruit S. Hieronymus: quare ad ejus Commentaria confugimus, ubi lectiones variantes occurrunt in mss. codicibus. MART.

— Voculam *tu*, quæ et in Hebræo resonat, ex mss. suffecimus. Cæterum confer epistolam 140, ad Cyprianum, ubi totum hunc psalmum tum ex Hebræo, tum ex Septuaginta S. Pater relegit, atque illustrat.

[10] Quinque mss. legunt cum Vulgata. *Si autem in potentatibus octoginta anni.* Regius. Corbeins. et Sorbon. retinent veram lectionem Hieronymi, *si autem multum*, etc. MART.

et quod amplius labor[1] et dolor,
quoniam transivimus cito et avolavimus.
Quis novit fortitudinem iræ tuæ,
et secundum timorem tuum indignationem tuam?
Ut numerentur dies nostri sic ostende,
et veniemus corde sapienti.
Revertere, Domine, usquequo,
et exorabilis esto super servos tuos.
Imple (h. satia) nos matutina misericordia tua,
et laudabimus et lætabimur in cunctis diebus nostris.
Lætifica nos pro diebus (h. secundum dies) quibus afflixisti nos,
et annis in quibus vidimus mala.
Appareat apud servos tuos opus tuum,
et gloria tua (h. decor tuus) super filios eorum.
Et si decor (h. pulchritudo) Domini Dei nostri super nos.
et opus manuum nostrarum fac stabile[2] super nos:
et opus manuum nostrarum confirma[3].
(XCI.) Qui habitat in abscondito excelsi[4]:
in umbraculo Domini[5] commorabitur:
Dicens, Domine, spes mea, et fortitudo mea:
Deus meus, confidam in eo.
Quia ipse ipse liberabit (*Al.* liberavit) te de laqueo venantium:
de morte insidiarum.
In scapulis suis obumbrabit tibi,
et sub alis ejus sperabis:
scutum (h. hasta) et protectio veritas ejus.
Non timebis a timore nocturno:
a sagitta volante per diem.
A peste in tenebris ambulante,
a morsu insidiantis meridie[6].
Cadent a latere tuo mille,
et decem millia a dextris tuis:
ad te autem non appropinquabit.
Verumtamen oculis tuis videbis (h. conspicies);
et ultionem (h. expletionem) impiorum cernes.
Tu enim (*Al.* autem) es, Domine, spes mea:
excelsum posuisti habitaculum tuum.
Non accedet ad te malum.
et lepra non appropinquabit tabernaculo tuo.
Quia angelis suis mandavit de te,
ut custodiant te in omnibus viis tuis.
In manibus (h. palmis) portabunt te:
ne forte offendat ad lapidem pes tuus.

A Super aspidem et basiliscum calcabis[7]:
conculcabis leonem et draconem.
Quoniam mihi adhæsit, et liberabo eum:
exaltabo eum, quoniam cognovit nomen meum.
Invocabit me, et exaudiam eum,
cum ipso ego[8] in tribulatione,
eruam eum, et glorificabo eum.
Longitudine dierum implebo (h. satiabo) eum,
et ostendam illi salutare meum.

PSALMUS CANTICI IN DIE SABBATI.

(XCII.) Bonum est confiteri Domino.
et psallere nomini tuo, Altissime.
Ad annuntiandum mane misericordiam tuam,
et fidem tuam in nocte[9].
In decachordo et in psalterio,
in cantico (h. carmine), in cithara.
Quoniam lætificasti me, Domine, in opere tuo:
in facturis manuum tuarum laudabo.
Quam magnificata sunt opera tua, Domine;
B satis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.
Vir insipiens non cognoscet,
et stultus non intelliget istud.
Germinaverunt impii quasi fenum,
et floruerunt omnes[10] qui operantur iniquitatem,
ut conterantur usque in sempiternum.
Tu autem excelsus:
in æternum (h. sæculum), Domine.
Ecce (*Al. add.* enim) inimici tui, Domine,
ecce inimici, peribunt,
et dissipabuntur (h. dividentur) omnes qui operantur iniquitatem.
Et exaltabitur quasi monocerotis cornu meum,
et senectus mea in oleo ubere.
Et respiciet oculus meus insidiantes mihi[11],
de his qui consurgunt adversum me malignantibus audiet auris mea.
Justus ut palma florebit.
ut cedrus Libano multiplicabitur.
C Transplantati in dome Domini:
in atriis Dei nostri germinabunt
Adhuc fructificabunt in senectute:
pingues[12] et frondentes erunt:
Annuntiantes quia rectus Dominus:
fortitudo mea, et non est iniquitas in eo.
(XCIII.) Dominus[13] regnavit,
gloria indutus est:
Indutus est Dominus fortitudine, et accinctus est[14]:

[1] Reginæ ms. ut et modo laudata epistola ad Cyprianum, *et quod amplius est labor*, etc.

[2] Cisterc. ms., *fac stabilire*.

[3] Pro *confirma* in Canone S. Germani ac Memmiano legimus, *dirige*. MART.

[4] In eodem ms. hæc præponitur epigraphe, sive titulus, *Laus Cantici David*, ex Septuaginta, qui tamen ἀνεπίγραφον in Hebræo psalmum hunc esse, non diffitentur.

[5] Hebræus scriptum habet שדי *Saddai*, quod in Ezechiele Hieronymus interpretatur *Deum sublimem*. Aquila ἅλκιμον vertit; id vero nos, inquit idem Hieronymus, *robustum, et sufficientem ad omnia perpetranda*, accipere possumus. Vide epistolam S. Doctoris ad Marcellam, cujus illud principium est: *Nonagesimum psalmum legens*, etc. MART.

— Huc referendus S. ipse Doctor in epist. 25, ad Marcellam: « Nonagesimum psalmum legens in eo loco, quo scribitur: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*, dixeram apud Hebræos pro *Deo cœli*, esse positum *Saddai*, quod Aquila interpretatur ἱκανὸν, quod nos *robustum et sufficientem* ad omnia perpetranda accipere possumus, » etc. Videsis et quæ nos ad hunc locum observamus.

[6] Duas hoc loco retinent lectiones exemplaria *Canonis* San-Germanensis ac Memmiani; legunt enim in hunc modum: *A morsu dæmonis meridiani, insidiantis meridie*. Editi cum mss. quatuor: *A morsu insanientis meridie*. Canon Carcassonensis et duo pedisequi: *a morsu dæmonis meridiani*. MART.

— Reginæ ms. cum pridem editis, *a morsu insanientis meridie*: Cisterciensis, *a morsu dæmoni meridiani*. Ipse alibi S. Pater transtulisse fertur: *a morsu furentis meridie*.

D [7] Idem Regin. ms. *et basiliscum ambulabis*, tum addita *et* copula, Cisterciens. *et conculcabis*.

[8] Nostri omnes mss., *ero* pro *ego*, minus bene.

[9] In tribus mss. Carcass., Vatic. et S. Mich., *Et fidem tuam per noctem*. MART.

[10] Idem hic legunt: *Cum germinaverint impii quasi fenum, et floruerunt omnes*, etc. MART.

[11] Idem mss.: *Et despiciet oculus meus eos qui insidiantur mihi*: propius ad veterem interpretationem.

[12] Hic quoque propius ad Græcum ac veterem translationem Cisterciens. ms., *pingui*.

[13] Idem ms. titulum istum præponit, *Laus cantici David*: qui tametsi ex Septuaginta derivatur (nullus enim est in Hebræo), est tamen cæteris brevior omnibus, qui varii ex ea versione laudantur.

[14] Variam habent divisionem Canonis exemplaria: codex Carcassonensis sic legit in secundo commate: *Fortitudine accinctus est*: San-Germanensis

insuper appendit orbem qui commovebitur.
Firmum solium tuum ex tunc,
a (*Al.* ab æterno) sæculo tu es.
Levaverunt flumina, Domine,
levaverunt flumina vocem suam (*Al.*voces suas):
Levaverunt flumina gurgites suos :
a vocibus aquarum multarum.
Grandes fructus maris :
grandis in excelso Dominus.
Testimonia tua fidelia facta sunt nimis,
domum tuam decet sanctitas,
Domine, in longitudine dierum.
(XCIV.) Deus ultionum, Domine ;
Deus ultionum, ostendere.
Elevare, judex terræ :
redde vicissitudinem superbis [1] :
Usquequo impii, Domine,
usquequo impii exsultabunt ;
Fluent loquentes antiquum ;
garrient omnes qui operantur iniquitatem
Populum tuum, Domine, conterent,
et hæreditatem tuam affligent ;
Viduam et advenam interficient,
et pupillos occident) ;
Et dixerunt, non videbit Dominus,
et (*Al. tac.* et) non intelliget Deus Jacob ?
Intelligite, stulti in populo,
et insipientes aliquando discite [2].
Qui plantavit aurem, non audiet :
aut qui finxit oculum, non videbit (h. respiciet)?
Qui erudit (h. castigat) gentes, non arguet,
qui docet hominem scientiam ?
Dominus novit cogitationes hominum,
quia vanæ sunt.
Beatus vir quem tu [3] erudieris (h. castigaveris),
Domine, et de lege tua docueris eum.
Ut quiescat a diebus aiflictionis :
donec fodiatur impio interitus.
Non enim derelinquet Dominus populum suum,
et hæreditatem suam non deseret.
Quoniam ad justitiam revertetur judicium,
et sequentur illud omnes recti corde.
Quis stabit pro me adversus malos ?
quis stabit pro me adversus operarios iniquitatis?
Nisi quia Dominus auxiliator meus :
paulo minus habitasset in inferno anima mea :
Si dicebam, motus (Al. commotus) est pes meus :
misericordia tua, Domine, sustentabit (Al. sustentabat) me.
In multitudine cogitationum mearum, quæ sunt in me intresecus ;
consolationes tuæ delectabunt animam meam.
Nunquid particeps erit tui thronus insidiarum
fingens dolorem [4] in præcepto.
Copulabuntur adversus animam justi,
et sanguinem innocentem condemnabunt :
Erit autem Dominus mihi in refugium,
et Deus meus quasi petra spei meæ.
Et restituet super eos iniquitatem [5] suam (h. dolorem suum),

A et in malitia sua perdet eos :
perdet eos Dominus Deus noster.
(XCV [6]). Venite, laudemus Dominum :
Jubilemus petræ Jesu (h. forti salutari) nostro.
Præoccupemus vultum ejus in actione (h. confessione) gratiarum :
in canticis h. psalmis) jubilemus ei.
Quoniam fortis (h. Deus) et magnus Dominus
et rex magnus super omnes deos.
In cujus manu fundamenta terræ,
et excelsa montium ipsius sunt.
Cujus est mare : ipse enim fecit illud,
et siccam manus ejus plasmaverunt.
Venite, adoremus et curvemur :
flectamus genua [7] ante faciem Domini factoris nostri.
Quia ipse Deus noster :
et nos populus pascuæ ejus, et grex (h. oves) manus ejus.
B Hodie si vocem ejus audieritis,
nolite obdurare corda vestra, sicut in contradictione
sicut in die tentationis in deserto.
Ubi tentaverunt me patres vestri :
probaverunt me, et viderunt opus meum.
Quadraginta annis displicuit mihi generatio [8] :
et dixi, populus errans corde est,
et non cognoscens vias meus.
Et juravi in furore meo,
ut non introirent in requiem meam.
(XCVI.) Cantate Domino canticum novum :
cantate Domino, omnis terra.
Canite Domino, benedicite nomini ejus :
annuntiate de die in diem salutare ejus :
Narrate in gentibus gloriam ejus :
in universis populis mirabilia ejus.
Quia magnus Dominus, et laudabilis, nimis :
terribilis est super omnes deos.
Omnes enim dii populorum sculptilia (h. idola) :
C Dominus autem cœlos fecit.
Gloria, et decor ante vultum ejus :
fortitudo et exsultatio in sanctuario ejus.
Afferte Domino familiæ populorum :
afferte Domino gloriam et fortitudinem.
Afferte domino gloriam nomini ejus :
levate munera, et introite in atria ejus.
Adorate Dominum in decore sanctuarii :
paveat a facie ejus omnis terra.
Dicite in gentibus. Dominus regnavit,
siquidem appendet [9] orbem immobilem.
Judicabit populos in æquitatibus.
Lætamini, cœli, et exsultet terra :
tonet mare et plenitudo ejus.
Gaudeat ager meus et omnia quæ in eo sunt :
tunc laudabunt universa ligna saltus.
Ante faciem Domini quoniam venit,
quoniam venit judicare terram :
Judicabit [10] orbem in justitia,
D et populos in fide sua.
(XCVII.) Dominus regnavit [11], exsultet terra :

autem et Memmianus hoc colon dividunt non in tria, sed tantum in duo commata, ut nos edidimus juxta Hebræorum etiam codices. MART.

[1] Tres nostris mss. : *Elevare, qui judicas terram ; redde vicissitudines superbis.*

[2] Canon Carcassonensis. *Et insipientes quando erudimini?* Memm., *quando discedent?* MART.

[3] S. Augustinus in Speculo et Canon Memmianus legunt sine pronomine *tu :* quod tamen supplendum docet Hieronymus in epist. ad Sunn. et Fretel. Consulat locum qui voluirat. MART.

[4] Cisterciens. ms., *fingens laborem ;* etc.

[5] Cisterciens. ms. in secunda persona logit, *Et restitues super eos iniquitatem*, nec addit *suam :* tum cohærenter *perdes eos* utroque in loco, quorum alterum Reginæ ms. plane tacet. Continenter vero Hebræus refragatur.

[6] Iterum Cisterciens. præfigit ex Vulgata versione titulum hunc. *Laus Cantici David.* Ad hæc altero Psalmi versu, *Jesu Christo* habet, pro *Jesu nostro.*

[7] Duo e nostris mss. *curvemus et flectamus genua*, etc. Paulo quoque post, *quia ipse est Deus*, etc.

[8] Addunt nostri omnes mss. *illa :* ferme cum veteri interpretatione Vulgata.

[9] Duo mss. in instanti, *appendit*, tum pari omnes consensu, *in æquitate.*

[10] Cisterciens. ms. *Judicare :* et eum altero Reginæ, *in justo*, pro *justitia*

[11] Idem Cisterciens. in futuro *regnabit, exsultabit.* Reginæ autem ms. tantum *exsultavit*, pro *exsultet.*

lætabuntur insulæ multæ.
Nubes et caligo in circuitu ejus :
justitia et judicium firmamentum solii ejus.
Ignis ante faciem ejus ibit,
et exuret per circuitum hostes ejus.
Apparuerunt (h. illuxerunt) fulgura ejus orbi :
vidit, et contremuit terra.
Montes sicut cera tabefacti sunt a facie Domini :
a facie dominatoris omnis terræ (*Al.* orbis).
Annuntiaverunt cœli justitiam ejus,
et viderunt omnes populi gloriam ejus.
Confundantur universi qui serviunt sculptili,
qui gloriantur in idolis :
Adorate, eum, omnes dii.
Audivit, et lætata est Sion :
et exultaverunt filiæ Judæ,
propter judicia tua, Domine.
Tu enim Dominus excelsus super omnem terram :
vehementer elevatus es super omnes (*Al.* universos) deos.
Qui diligitis Dominum, odite malum :
custodit animas sanctorum (h. misericordium) suorum. de manu impiorum eruet eos.
Lux orta (h. seminata) est justo,
et rectis corde lætitia.
Lætamini, justi in Domino,
et confitemini memoriæ sanctæ ejus.

CANTICUM (h. PSALMUS).

(XCVIII.) Cantate Domino canticum novum,
quia mirabilia fecit :
Salvavit (*Al.* Salvabit) sibi dextera ejus,
et brachium sanctum ejus,
Notum fecit Dominus salutare suum :
in conspectu (h. in oculis) gentium revelavit (*Al.* revelabit) justitiam suam.
Recordatus est misericordiæ suæ.
et veritatis suæ domui Israel [1] :
viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.
Jubilate Domino, omnis terra :
vociferamini, et laudate, et canite (h. psallite).
Canite (h. Psallite) Domino in cithara :
in cithara et voce carminis (h. psalmis).
In tubis et clangore buccinæ :
jubilate coram rege Domino.
Tonet mare et plenitudo ejus :
orbis et habitatores ejus.
Flumina plaudent manu (h. palma) :
simul montes laudabunt
Ante Dominum, quia venit judicare terram :
judicabit orbem [2] in justitia,
et populos in æquitatibus.
(XCIX.) Dominus regnabit, commoveantur populi :
sessor Cherubim, concutiatur terra.
Dominus in Sion magnus,
et excelsus est super omnes populos.
Confiteantur nomini tuo magno,
et terribili sanctoque (h. magne et terribilis, sanctum nomen ejus ; et fortitudo),
et imperium regis judicium diligit.
Tu fundasti æquitates :
jidicium et justitiam in Jacob tu fecisti.
Exaltate Dominum Deum nostrum,
Et adorate scabellum pedum ejus : quia sanctus (*Al.* sanctum) est :
Moses et Aaron in sacerdotibus ejus,
A et Samuel in his qui invocant nomen ejus ;
Invocabant Dominum, et ipse exaudivit (*Al.* exaudiebat) eos :
in columna nubis loquebatur ad eos.
Custodierunt (*Al.* custodiebant) testimonia ejus,
et præceptum quod (*Al. tac.* quod) dedit eis.
Domine Deus noster, tu exaudisti eos :
Domine, propitius fuisti eis,
et ultor super commutationibus (h. adinventionibus) eorum.
Exaltate Dominum Deum nostrum,
et adorate in monte sancto ejus :
quia sanctus Dominus Deus noster.

CANTICUM (h. PSALMUS PRO CONFESSIONE) IN GRATIARUM ACTIONE.

(C.) Jubilate Deo, omnis terra,
servite Domino in lætitia.
Ingredimini coram eo in laude :
B scitote quoniam Dominus ipse est Deus.
Ipse fecit nos, et ipsius sumus,
populus ejus et grex (h. oves) pascuæ ejus.
Ingredimini portas ejus in gratiarum actione (h. in confessione),
atria ejus in laude :
Confitemini ei, benedicite nomini ejus :
Quia bonus Dominus.
In sempiternum (h. sæculum) misericordia ejus,
et usque ad generationem et generationem fides ejus.

DAVID CANTICUM (h. PSALMUS).

(CI). Misericordiam et judicium cantabo :
tibi, Domine, psallam.
Erudiar in via perfecta
quando venies ad me.
Ambulabo in simplicitate cordis mei
in medio domus meæ.
C Non ponam coram oculis meis verbum Belial [3] ;
facientem declinationes odivi, nec adhæsit mihi.
Cor pravum recedet a me :
malum nesciam.
Loquentem (h. detrahentem) in abscondito contra proximum suum (h. sodalem suum),
hunc interficiam :
Superbum oculis et altum corde,
cum hoc esse non poteram [4].
Oculi mei ad fideles terræ, ut habitent mecum ;
ambulans in via simpliciter, hic ministrabit mihi,
Non habitabit in medio domus meæ,
faciens dolum [5], loquens mendacium,
non placebit in conspectu oculorum meorum.
Mane perdam omnes impios terræ,
ut interficiam de civitate Domini
universos qui operantur iniquitatem.

ORATIO PAUPERIS QUANDO SOLLICITUS FUERIT, ET CORAM DOMINO (h. IN CONSPECTU DOMINI) FUDERIT ELOQUIUM SUUM.
D

(CII.) Domine, audi (*Al.* exaudi) orationem meam,
et clamor meus (h. deprecatio mea) ad te veniat,
ne abscondas faciem tuam a me.
in quacunque die invocavero velociter [6] (h. festina),
exaudi me.
Quoniam consumpti sunt sicut fumus dies mei,

[1] Nostri mss. omnes *Jacob* pro *Israel* legunt. Conjicere autem hinc licet, illud quod in Græcis aliquot exemplaribus additur proxime superiori versiculo, τῷ Ἰακὼβ, ubi legitur, ἐμνήσθη τοῦ ἐλέους αὐτοῦ (τῷ Ἰακὼβ) non eo pertinere, sed marginalem esse lectionem, pro variante nominis Israel olim appositam, perperam deinde in textum intrusam.

[2] Denuo Cisterciens. ms, *judicare orbem*, etc., Videsis superiorem psalmum XCVI in fine.

[3] Memmianus Canon, *verba Belial*. Aliquot mss., *verba diaboli*. MART. — Reginæ mss., *coram oculis meis superbum Belial*. Olim in antiquis editionibus Speculi S. Augustini legebatur *verba Belial*.

[4] Idem ms., *esse non potero*.

[5] Legit S. Augustinus in Speculo *malum* pro *dolum*.

[6] Quidam mss. addunt *te*.

et ossa mea quasi frixa contabuerunt.
Percussum est quasi fenum et arefactum est cor meum :
quia oblitus sum comedere panem meum.
A voce gemitus mei,
Adhæsit os meum carni meæ.
Assimilatus sum pelicano deserti :
factus sum quasi bubo solitudinum [1].
Vigilavi, et fui sicut avis solitaria super tectum
Tota die exprobrabant mihi inimici mei :
exsultantes (h. insultantes mihi) per me jurabant.
Quia cinerem sicut panem comedi,
et potum meum cum fletu miscui.
A facie indignationis tuæ et iræ tuæ :
quia levasti (*Al.* elevasti) me, et allisisti me.
Dies mei quasi umbra inclinati sunt [2],
et ego quasi fenum arui.
Tu autem, Domine, in æternum permanes,
et memoriale tuum in generatione et generatione.
Tu suscitans (h. surgens) misereberis Sion :
quia tempus ut (*Al. add.* est) miserearis ejus,
quoniam venit tempus (h. condictum) [3].
quoniam placitos fecerunt servi tui lapides ejus,
et pulverem ejus miserabilem [4] (*Al.* mirabilem).
Et timebunt gentes nomen Domini,
et universi reges terræ gloriam tuam.
Quia ædificavit Dominus Sion :
apparuit in gloria sua.
Respexit ad orationem vacui (h. effossi),
et non despexit orationem eorum.
Scribatur hoc in generatione, novissima,
et populus qui creabitur laudabit Dominum.
Quoniam prospexit de excelso sanctuario suo :
Dominus de cœlo terram contemplatus est.
Ut audiret gemitum vincti,
ut solveret filios mortis.
Ut narretur in Sion nomen Domini,
et laudatio ejus in Jerusalem.
Cum congregati fuerint populi simul,
et regna ut serviant Domino.

A Afflixit in via fortitudinem meam :
abbreviavit dies meos.
Dicam, Deus meus [5], ne rapias me in medio dierum meorum :
in generatione generationum anni tui.
A principio terram fundasti,
et opus manuum tuarum cœli.
Ipsi peribunt, tu autem stabis,
et omnes quasi vestimentum atterentur,
quasi pallium (h. vestimentum) mutabis eos, et mutabuntur.
Tu autem ipse (*Al. add.* es),
et anni tui non deficient.
Filii servorum tuorum habitabunt,
et semen eorum ante faciem tuam (*Al.* eorum) perseverabit (h. dirigetur).

DAVID [6].

(CIII.) Benedic, anima (*Al. add.* mea), Domino,
et omnia viscera mea nomini sancto ejus.
B Benedic, anima mea, Domino,
et noli oblivisci omnium retributionum ejus.
Qui propitiatur [7] cunctis iniquitatibus tuis,
qui sanat omnes infirmitates tuas,
Qui redimit de corruptione vitam tuam,
qui coronat te in misericordia et miserationibus.
Qui replet (h. satiat) bonis ornamentum tuum :
innovabitur sicut aquilæ juventus tua,
Faciens justitias Dominus,
et judicia cunctis qui calumniam sustinent.
Notas fecit vias suas Mosi :
filiis Israel cogitationes (h. adinventiones) suas.
Misericors et clemens Dominus :
patiens (h. tardus ad furorem) et multæ miserationis.
Non in sempiternum judicabit (h. litigabit).
neque in æternum irascetur (h. in sæculum perverabit).
Non secundum peccata nostra fecit nobis :
C neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

[1] Aliter hunc versum interpretari videtur Hieronymus in epist. ad Sunn. et Fretel., ubi ait : « *In Hebræo pro nycticorace verbum* BOS *scriptum est ; quod Aquila, et Septuaginta, et Theodotion*, et Quinta editio, nycticoracem interpretati sunt ; Symmachus, upupam ; sexta editio, noctuam, quod et nos magis sequimur. Denique ubi apud nostros, et Græcos legitur : Factus sum sicut nycticorax in domicilio, apud Hebræos dicitur : Factus sum sicut noctua in ruinosis. Plerique bubonem contentiose significari putant. » Notandum vero pro hodierno Hebræo כבוס *Kekos*, Hieronymum legisse כבוס, *kebos*, sive *chebos*, ut fidem nobis faciunt omnes mss. codices epistolæ jam dictæ ad Sunn. et Fretel., in qua S. Doctor vertit, *sicut noctua in ruinosis*, quod hic in Psalterio interpretatur, *sicut bubo solitudinum*. Plura de *Bos* et *Chos* in adnotationibus Prodromi curiosus lector inveniet. MART. — In epist. quam et Martian. laudat, ad Sunniam et Fretelam probasse videtur magis, *sicut noctua in ruinosis*. Nihilosecius arguere ex eadem licet, maluisse hic S. Interpretem receptæ passim opinioni assentiri, siquidem addit, *Plerique bubonem contentiose significari putant*. Vide, si libet, quæ ad eum locum observamus.

[2] Tres mss., Carcassonensi, Vaticanus, et S. Michaelis, *sicut umbra inclinata*. MART.

[3] Canon Memmianus cum Regio ac Corbeiensi manuscriptis, *quoniam venit tempus, quoniam venit pactum*. Ita quoque scriptum erat in Carnutensi ante ejus emendationem. In Hebræo nihil est quod faveat huic geminationi : unde tanquam superflua abjicienda est, et nisi fallat nos opinio, duplex hic adest ejusdem textus Hebraici interpretatio Latina. MART. — Alterum hocce hemistichium cum nostri, tum aliquot penes Martian. mss., hic addunt, *quoniam venit pactum*. Quibus cum nihil sit quod respondeat sive in Hebræo, sive apud antiquos interpretes, pronum est opinari, ejusdem in sacro textu sententiæ glossema, sive aliam interpretationem hanc esse Et vero מועת nomen, quod Hieronymus vertit *tempus*, nescio quem proprie sonat annorum fluxum, sive certam periodum per condicta tempora, ut ex Daniele non uno in loco colligimus. Qui adeo *pactum* hic vertit, non *fœdus*, et quod ברית in Hebraico sonat, sed pactum tempus, sive constitutum innui voluit. Notum quippe est, hæc Psalmi verba ad prædictam ab Jeremia, c. XXV 11, atque alibi annorum periodum referri, quo exacto temporis spatio, de instauranda Sion urbe, ac solvenda captivitate promissum a Deo fuerat et constitutum. Hebræus quoque scholiastes supra ad Psal. LXXV, v. 2, *condictum* interpretari illud nomen voluit.

D [4] In Canone Carcassonensi, inque duobus aliis mss., Vaticano et S. Michaelis, quos Carcassonensis pedissequos nominamus, hoc modo legitur : *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, et pulveri ejus miserebuntur*. Canon tamen legit, *servis juis*, pro *servi tui*. MART.

[5] Reginæ mss. : *Dicam, Domine Deus meus*, etc., et Cisterciens. : *in dimidio dierum meorum*, etc.

[6] Ms. Cisterciens, *Ipsi David :* tum primo statim verbo *Benedicam* pro *Benedic*.

[7] Idem ms. *propitiabitur :* tum pro relativo *qui* subsequentis ac tertii ab hoc versus *et* copulam ponit.

[8] Male Carcassonensis, Memmianus, atque Vaticanus mss. retinent pronomen primæ personæ, *inventus mea :* nisi Hieronymus legerit forte נעירי *neurai* pro hodierno בעוריכי *neuraiki*, quod habet affixum secundæ personæ femininæ cum *iod* parago gico, ut alibi in Psalmis, more Syrorum. MART.

Quantum enim excelsius est cœlum terra (*Al.* a terra), tantum confortata est misericordia ejus super timentes (*Al.* timentibus) eum :
Quantum longe est oriens ab occidente :
tantum longe fecit a nobis scelera nostra.
Sicut miseretur pater filiorum,
misertus est Dominus timentibus se.
Ipse enim novit plasmationem (h. cogitationem) nostram :
recordatus est quia pulvis sumus.
Homo, quasi herba dies ejus : sicut flos agri sic florebit.
Quia spiritus pertransit eum [1], et non subsistet :
et non cognoscet eum ultra locus ejus.
Misericordia autem Domini ab æterno (h.a sæculo), et usque in æternum (h. in sæculum) super timentes eum :
et justitia ejus in filios filiorum.
His qui custodiunt pactum ejus,
et recordantur præceptorum ejus a faciendum (*Al.* facienda) ea.
Dominus in cœlo stabilivit thronum suum,
regnum illius omnium dominatur [2].
Benedicite Domino, angeli ejus,
fortes robore, facientes verbum ejus :
obedientes voci sermonis ejus.
Benedicite Domino, omnes exercitus ejus,
ministri ejus qui facitis placitum illius.
Benedicite Domino, universa opera ejus,
in omnibus locis potestatis ejus :
benedic, anima mea, Domino.
(CIV.) Benedic, anima mea, Domino.
Domine Deus meus, magnificatus es nimis.
Gloria et decore indutus es :
amictus luce quasi vestimento :
Extendens cœlos ut pellem,
qui tegis (h. texit) aquis cœnacula ejus.
Qui ponis (h. posuit) nubes currum suum [4] :
qui ambulas (h. ambulat) super pennas venti.
Qui facis angelos tuos (h. facit angelos suos) spiritus :
ministros tuos (h. suos) ignem urentem.
Qui fundasti (h. fundavit) terram super bases suas (*Al.* basem suam) :
non commovebitur (h. ut non commoveatur) in sæculum et in sæculum (h. et ultra).
Abysso (*Al.* abyssum) quasi vestimento operuisti eam
super montes stabunt aquæ.
Ab increpatione tua fugient :
a voce tonitrui [6] formidabunt.
Ascendent montes et descendent campi,
ad locum quem fundasti eis.
Terminum posuisti quem non pertransibunt :
nec revertentur ut operiant terram.
Qui emittis fontes [6] in convallibus,
ut inter medios montes ambulent [7].
Ut bibant omnia animalia regionum,
et reficiant onagri sitim suam.
Super ea volucres cœli morabuntur :
de medio nemorum dabunt vocem.
Qui irrigas montes de cœnaculis tuis.
de fructu operum tuorum implebitur (h. satiabitur) terra.
Germinans herbam jumentis (h. san [8]),
et fenum servituti hominum ;
Ut educat panem de terra :
et vinum lætificet cor hominis.
Ad exhilarandam faciem in (h. super) oleo :
panis cor hominis roborat.
Saturabuntur ligna Domini :
cedri Libani quas plantavit [9].
Ibi aves nidificabunt,
milvo abies domus ejus.
Montes excelsi cervis :
petra refugium hericiis [10].
Fecit lunam per tempora :
sol cognovit cubitum suum [11].
Posuisti tenebras, et facta est nox :
in ipsa moventur (h. repunt) omnes bestiæ sylvæ.
Leones rugientes ad prædam.
et quærentes a Deo escam (*Al.* escas) sibi.
Oriente sole recedent,
et in speluncis (h. in cubilibus) suis cubabunt.
Egredietur [12] homo ad opus suum,
et ad servitutem suam usque ad vesperum.
Quam multa sunt opera tua, Domine !
omnia in sapientia fecisti :

[1] Denuo Cisterciens. ms., *sicut flos agri florebit, quia spiritus pertransivit in eum.*

[2] Reginæ ms. in futuro, *dominabitur.*

[3] Nomen *David* pro titulo Cisterc. ms. præponit, quo tamen Hebræus caret.

[4] Videtur S. Pater ad veterum se maluisse lectionem interpretum conformare, qui tegendi verbo usi sunt, ut et LXX ὁ στεγάζων. aut forte cum iis legit in Hebr. גלמה pro מקרה, quod nunc legitur, ac proprie sonat *contignare*, sive tabulatum fornicem superstruere. Mox Cisterciens. ms., *ponis nubem*, et cum Regio, *currum tuum.*

[5] Regine ms. pronomen *tui* tacet (tum Cisterciens, in instanti legit, *Ascendunt montes, et descendunt campi.*

[6] Exemplaria Canonis, cum mss. S. Michaelis, legunt in tertia persona : *Qui emittit fontes*, etc. Scholia quoque marginalia, ut vides, tertiam renuntiant personam, ubi secundam expressit Hieronymus At hæc omnia dissolvit S. Doctor, cum Sunniam ac Fretelam hunc in modum alloquitur : « A quibus breviter quæræ, quomodo cum ad Deum sermo sit, quasi ad alium loquens Propheta repente mutetur : maxime cum sic incipiat : *Domine Deus meus, magnificatus es vehementer ; confessionem et decorem induisti...* Si ergo omnia ad secundam personam sunt, id est ad Deum : quomodo in uno versiculo tertia persona subito, et extra ordinem inducitur ? » Et iterum eadem objecta diluens : « Sed non potest, inquit, aliud ad ipsum, aliud de ipso dici : Aut omnia quasi ad Deum loquebatur propheta ; aut omnia ad alium de eo referebat. Cum autem pleraque ad ipsum dirigantur : et ea, quæ ambigua sunt, ad ipsius personam dirigenda sunt. » MART.

[7] Nostri omnes mss. *fluant* pro *ambulent* : et mox minori numero, *reficiat onager*, etc.

[8] Quid notare voluerit Scholiastes noster, non possumus divinare ; quia nullum est verbum Hebraicum in his versibus, quod *san* scribatur, vel legitur (*a*) MART.

[9] Nodum mss. quibus utimur, pari omnes consensu legunt in secunda persona *plantasti* verum ipse etiam assertor hujusmet lectionis est S. Pater in Commentariis ad Isaiæ cap. II, col. 39, ubi, *In centesimo*, ait, *tertio Psalmo legimus juxta Hebraicam veritatem*, Saturabuntur ligna Domini, et cedri Libani, quas *tu plantasti*. Nihilosecius cum in tertio legat Hebræus textus נטע, nihil hic censeo immutandum.

[10] Editi, *refugium herinacii*. Carcassonensis Canon ut et Memmianus, *refugium cuniculi*. Id legunt similiter mss. Sorbonicus, et S. Michaelis. In has variantes lectiones consule Hieronymi epistolam jam centies recantatam. MART.

[11] Duo mss. *occubitum suum.*

[12] Cisterciens. liber, in instanti, *egreditur.*

(*a*) Locus fortasse sic exponi potest : Pro voce *jumentis* in Hebræo legitur *beeme*, vox generica, quæ *gregis* et *armenti San* et *Bagar* significationem præbet Atqui in primo casu agitur de ovibus (*San*) quarum in usum nascitur *gramen* humile (*Kkasir*), in secundo vero de jumentis et bobus qui herba majori (*Esev*) pascuntur. EDIT.

impleta est terra possessione tua.
Hoc mare magnum et latum manibus,
ibi reptilia innumerabilia :
animalia parva cum grandibus.
Ibi naves pertranseunt[1] :
leviathan istum plasmati ut illuderet ei[2].
Omnia in te sperant,
ut des cibum eis in tempore suo.
Dante te illis, colligent :
aperiente te manum tuam, replebuntur (h. saturabuntur) bono,
Abscondes vultum tuum, turbabuntur ;
aufores spiritum eorum, deficient,
et in pulverem suum revertentur,
Emittes spiritum tuum et creabuntur,
et instaurabis faciem terræ :
Sit gloria Domini in sempiternum (h. in sæculum) :
lætabitur Dominus in operibus suis,
Qui respicit terram et tremet (*Al.* tremit) :
tangit montes et fumabunt.
Cantabo Domino in vita mea :
psallam Deo meo quandiu sum.
Placeat ei eloquium meum :
ego (*Al. add.* autem) lætabor in Domino.
Deficiant peccatores de terra.
et impii ultra non sint :
benedic, anima mea, Domino (*Al.* Dominum). Alleluia.
(CV.) Confitemini Domino, invocate nomen ejus :
notas facite populis cogitationes (h. adinventiones) ejus.
Cantate ei, et pallite illi,
loquimini in universis mirabilibus ejus[3].
Exsultate (h. Laudamini) in nomine sancto ejus :
lætetur cor quærentium Dominum.
Quærite Dominum et virtutem ejus :
quærite faciem ejus jugiter.
Recordamini mirabilium ejus quæ fecit :
signorum (h. prodigiorum) et judiciorum oris ejus:
Semen Abraham servi ejus :
filii Jacob electi ejus.
Ipse Dominus Deus noster :
in universa terra judicia ejus.
Recordatus est in æternum (h. sæculum) pacti sui :
verbi, quod præcepit (h. verbum præcepit) in mille generationes.
Quod pepigit cum Abraham,
et juramenti sui cum Isaac.
Et firmavit (h. statuit) illud Jacob in lege (h. in præceptum) :
Israel in pactum[4] sempiternum.
Dicens, tibi dabo terram Chanaan :
funiculum hæreditatis vestræ.
Cum essent viri pauci,
modici et advenæ in ea.
Et transierunt (h. ambulaverunt) de gente in gentem,
et de regno ad populum alterum.
Non dimisit hominem, ut noceret (h. calumniaretur) eis, et corripuit pro eis reges.
Nolite tangere christos meos,
et prophetas meos nolite affligere.
Et vocavit famem super terram :
omnem virgam (h. baculum) panis contrivit.
Misit ante faciem eorum virum :
in servum venundatus est Joseph.
Afflixerunt in compede pedes ejus :
in ferrum venit anima ejus.
Usque ad tempus donec veniret sermo ejus :
A eloquium Domini probavit eum.
Misit rex (h. regem, et solvit eum,
princeps (h. dominatorem) populorum, et dimisi (h. solvit) illum.
Posuit eum Dominum (h. dominatorem) domus suæ,
et principem (h. dominatorem) in omni possessione sua.
Ut erudiret (h. castigaret) principes ejus secundum voluntatem suum.
et senes ejus sapientiam doceret.
Et ingressus est Israel (*Al add.* in) Ægyptum,
et Jacob advena fuit in terra Cham.
Et crescere fecit populum suum nimis.
et roboravit eum super hostes ejus :
Convertit[5] cor eorum, ut odio haberent populum ejus ;
ut dolose agerent contra servos illius.
Misit Mosen servum suum :
(*Al. add.* et) Aaron, quem elegit sibi,
B Posuit in eis verba signorum suorum,
et portentorum in terra Cham :
Misit tenebras et contenebravit,
et non fuerant increduli verbis ejus.
Commutavit aquas eorum in sanguinem,
et occidit pisces eorum.
Ebullivit terra eorum ranas :
et cubilibus (*Al.* cubiculis) regum eorum.
Dixit, et venit musca omnimoda :
cinifes (h. pediculi) in universis terminis eorum.
Dedit pluvias eorum grandinem :
ignem flammantem in terra eorum.
Et percussit vineam eorum, et ficum eorum.
et confregit lignum finium eorum.
Dixit, et venit locusta,
et bruchus, cujus non erat numerus.
Et comedit omne fenum terræ eorum.
et devoravit fructum terræ eorum.
Et percussit omne primogenitum in terra eorum :
C primitias universi partus (h. doloris) eorum.
Et eduxit eos cum argento et auro.
et non erat in tribubus eorum infirmus.
Lætata est Ægyptus cum egrederentur,
quoniam irruerat terror eorum super eos.
Expandit nubem in tentorium,
et ignem ut luceret nocte.
Petierunt. et adduxit ortygometram (h. coturnicem),
et pane cœlestis saturavit eos.
Aperuit petram et fluxerunt aquæ :
cucurrerunt in aridis flumina.
Quia recordatus est verbi sancti sui :
cum Abraham servo suo.
Et eduxit populum suum in lætitia (h. cum gaudio)[6]
in laude electos suos.
Et dedit eis terras (*Al.* terram gentium)
et laborem (*Al.* labores tribuum (h. plebium) possederunt·
Ut custodirent cæremonias ejus,
D et leges ejus servarent. Alleluia.

ALLELUIA.

(CVI.) Confitemini Domino quoniam bonus :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Quis loquetur fortitudines Domini,
auditas faciet omnes laudes ejus ?
Beati qui custodiunt judicium.
faciunt (*Al.* et faciunt) justitiam in omni tempore.
Recordare mei Domine, in repropitatione populi tui.

[1] Idem ms. *naves pretransibunt.*

[2] Ita Memmiamus Canon, cui consonnant mss. quamplures ; Canon autem Carcassonensis ac ms. S. Michaelis legunt manifestius juxta Hebræum, *ut luderes in eo,* Quod ab scholiaste videtur derivatum. MART.

[3] Sine præpositione *in* legimus in Memmiano ac Sorbonico mss., *Loquimini universis mirabilia ejus.* In Carcassonensi et ms. codice S. Mich., *Loquimini universa mirabilia ejus.* MART.

[4] Hic vero Cisterciens. ms· *cum Jacob in lege : cum Israel in pactum,* etc.

[5] Duo e nostris mss., *Et convertit.* Mox unus Reginæ, *ut dolos agerent.*

[6] Idem nostri mss. aliique apud Martian., *laudantes,* pro *in laude.*

visita me in salutari tuo.
Ut videam bona electorum tuorum,
et lætor in lætitia gentis tuæ :
et exsultem cum hæreditate tua.
Peccavimus cum patribus nostris :
• inique fecimus, impie egimus.
Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua (h. sunt eruditi mirabilibus tuis).
non sunt recordati multitudinis misericordiæ tuæ.
Et iracundiam provocaverunt super mare [1] in mari Rubro :
salvavit autem eos propter nomen suum,
ut ostenderet fortitudinem suam.
Et comminatus est mari Rubro, et aruit :
et transduxit eos per abyssos quasi in deserto.
Et salvavit eos de manu odientis,
et redemit eos de manu inimici.
Et operuerunt aquæ [2] hostes eorum :
unus de ipsis non superfuit.
Et crediderunt verbis ejus :
cecineruntque laudem (*Al.* laudes) ejus.
Cito (h. Festinato) obliti sunt operum illius :
nec exspectaverunt voluntatem (h. consilium) ejus.
Et desideraverunt desiderium in deserto,
et tentaverunt Deum in solitudine.
Dedit ergo eis petitionem ipsorum,
et misit tenuitatem in animam eorum.
Et zelati sunt Mosen in castris :
Aaron (*Al.* et Aaron) sanctum Domini.
Aperta est terra, et devoravit Dathan,
et operuit synagogam Abiram.
Et succensus et ignis in synagoga eorum :
flamma exussit impios (h, montes).
Fecernnt vitulum in Horeb.
et adoraverunt conflatile.
Et mutaverunt gloriam suam,
in similitudinem bovis comedentis fenum.
Obliti sunt Dei salvatoris sui :
qui fecit magnalia in Ægypto,
Mirabilia in terram Cham :
terribilia super mare Rubrum.
Dixit ergo, ut contereret (h. disperderet) eos :
nisi Moses electus ejus
stetisset medius contra faciem illius,
ut converteret indignationem ejus, et non interficeret.
Et despexerunt terram desiderabilem :
nec crediderunt sermoni ejus.
Et murmuraverunt in tabernaculis suis :
non audierunt vocem Domini.
Et elevavit manum suam super eos,
ut dejiceret eos in deserto.
Et ut dejiceret semen eorum in gentibus,
et dispergeret eos in terris.
Et consecrati sunt Beel-Pheor [3],
et comederunt victimas mortuorum.
Et concitaverunt in studiis suis,
et percussit eos plaga.
Stetit autem Phinees [4], et dijudicavit :
et est retenta percussio,
Et reputatum est ei in justitiam :
in generatione et generationem usque in æternum (h. sæculum).

A Et provocaverunt super aquam contradictionis,
et afflictus est Moses propter eos.
Quia provocaverunt spiritum ejus,
et præcepit (h. protulit) in labiis suis.
Non exterminaverunt populos
quos dixit Dominus eis,
Et commisti sunt gentibus,
et didicerunt opera eorum.
Et servierunt sculptilibus (h. idolis) eorum,
et factum est eis in scandalum.
Et immolaverunt filios suos,
et filias suas dæmonibus.
Et effuderunt sanguinem innocentem :
sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum,
quos immolaverunt sculptilibus (h. idolis) Chanaan.
Et pollutus (h. contaminata) est terra [5] (*Al. add.* in) sanguinibus.
et coinquinati sunt in operibus suis,
et fornicati sunt in studiis (h. adinventionibus) suis.
B Iratus est itaque furor Domini in populum suum,
et abominatus est hæreditatem suam.
Et dedit eos in manu gentium,
et dominati sunt eorum, qui oderunt eos.
Et afflixerunt eos inimici sui,
et humiliati sunt sub manu eorum,
Multis vicibus liberabit eos :
ipsi vero provocabant in consilis suis,
et humiliati sunt propter iniquitatem suam (*Al.* iniquitates suas).
Et vidit tribulationem eorum :
cum audiret eos rogantes.
Et recordatus est pacti sui cum eis :
et pœnituit (*Al. add.* eum) secundum multitudinem misericordiæ suæ.
Et dedit eos miserabiles :
coram omnibus qui cœperant eos.
Salva nos, Domine Deus noster,
et congrega nos de gentibus :
C Ut confiteamur nomini sancto tuo,
et canamus laudantes te [6].
Benedictus Dominus Deus Israel,
ab æterno, et usque in æternum (h. a sæculo et usque in sæculum) :
et dicet omnis populus, Amen. Alleluia.
[CVII.] Confitemini Domino, quoniam bonus :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Dicant redempti (*Al.* qui redempti sunt) a Domino :
quos redemit de manu ostis.
Et de terris congregavit eos,
ab oriente et occidente : ab aquilone et mari :
Erraverunt in solitudine, in deserta via :
civitatem quæ habitaretur, non reperunt.
Esurientes et sitientes :
anima eorum in ipsis deficiebat.
Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua :
D de afflictione (h. angustiis) eorum eripuit eos.
Et duxit illos per viam rectam,
ut venirent in civitatem habitamem [7].
Confiteantur Domino misericordiam ejus,
et mirabilia ejus in filios hominum [8].
Quia saturavit animam vacuam,

[1] Solus Carcassonensis ms. legit hic, *et irritaverunt super mare*, etc. MART.

[2] Cisterciens. ms., minori numero, *Et operuit aqua*, etc.

[3] Idem ms. *Beel-Phegor* ; ac plus habet paulo post, *concitavcrunt eum in*, etc.

[4] Ambo exemplaria Canonis. Memmianum scilicet ac Carcassonense nec non alii duo mss. codices : *Stetit Phinees et exoravit.* Addit insuper codex Memmianus vocem *autem. Stetit autem Phinees*, etc MART.

[5] Canon Carcassonensis : *Et adulterata est terra sanguine.* Memmianus et Sorbonicus ms., *Adultera est terra per sanguinem.* MART.

[6] Editi habent, *et canamus in laude tua·* Canon Memmianus non legit *te* in fine : *et canamus laudantes.* MART.

[7] Memmianus Canon : *Eduxit eos per viam rectam, in civitatem habitabilem.* Melius quod est in editis. ac cæteris mss. codicibus. Carcassonensis legit, *ut irent*, pro *ut venirent*. MART.

— Ms. Cisterciens. *Et eduxit eos :* et paulo post *confiteantur Domino misericordiæ ejus.* Quam lectionem inferius quoque retinet, ubi versiculus iste bis terque repetitur.

[8] Mss. aliquot, *Confiteantur Domino misericordiæ*

et animam esurientem implevit bonis.
Habitantes in tenebris et umbra mortis,
alligatos inopia et ferro.
Quia provocaverunt sermones Dei,
et consilium Excelsi blasphemaverunt.
Et humiliavit in labore cor eorum :
corruerunt [1], et non erat qui adjuvaret.
Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua :
de angustiis [2] eorum salvavit eos.
Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis,
et vincula eorum disrupit.
Confiteantur Domino misericordiam ejus,
et mirabilia ejus in filios (*Al.* filiis) hominum.
Quia contrivit portas æreas (h. ostia ærea),
et vectes ferreos confregit.
Stultos propter viam (h. de via) sceleris eorum,
et propter iniquitates (h. de iniquitatibus suis) afflictos.
Omnem cibum abominata est anima eorum,
et accesserunt ad (*Al.* usque ad) portas mortis.
Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua :
de (*Al.* et de) angustiis eorum salvavit eos.
Misit verbum suum, et sanavit eos :
et salvavit de interitu eorum.
Confiteantur Domino misericordiam ejus
et mirabilia ejus in filios (h. filiis) hominum.
Et immolent hostias gratiarum (h. confessionum),
et narrent opera ejus in laude.
Qui descendunt mare in navibus [3] :
facientes opus (*Al.* operationes) in aquis multis.
Ipsi viderunt opera Domini,
et mirabilia ejus in profundo.
Et dixit, et surrexit (h. statuit) ventus tempestatis
et elevavit gurgites ejus.
Ascendunt in cœlum, et descendunt in abyssos :
anima eorum in afflictione (h. malo) consumitur.
Obstupuerunt, et intremuerunt quasi ebrius :
et universa sapientia eorum absorpta est.
Clamaverunt [4] autem ad Dominum in tribulatione sua.
et de angustiis eorum eduxit eos.
Statuet (h. Suscitabit) turbinem in tranquillitatem, et silebunt fluctus ejus.
Lætabuntur quoniam quieverunt,
et deducet eos ad portum quem voluerunt.
Confiteantur Domino misericordiam ejus,
et mirabilia ejus in filios hominum.
Et exaltent eum in ecclesia populi,
et in cathedra seniorum laudent eum.
Ponet flumina in desertum,
et fontes (h. exitus) aquarum in sitim.
Terram fructiferam in salsuginem ;
præ malitia habitatorum ejus,
Ponet desertum in paludes aquarum,
et terram inviam in fontes (h. exitus) aquarum.
Et collocavit ibi esurientes :
et fundabunt urbem ad habitandum.
Et ferent agros, et plantabunt vineas :
et facient fruges germina (*Al.* genimina).
Et benedicent eis, et multiplicabuntur nimis,
et pecora (h. jumenta) eorum non imminuentur [5],
Imminuta sunt autem et afflicta,
A propter angustiam mali et doloris.
Et effundet despectionem super principes.
et errare eos faciet in solitudine devia (h. inani).
Et sublevabit pauperem de inopia,
et ponet quasi gregem (h. oves) familias.
Videbunt recti, et lætabuntur :
et omnis iniquitas contrahet os suum.
Quis sapiens, et custodiet hæc :
et intelliget misericordias Domini ?

CANTICUM PSALMI DAVID.

(CVIII) Paratum cor meum, Deus :
cantabo [6], et psallam, sed et gloria mea.
Consurge (h. expergiscere), psalterium, et cithara,
consurgam mane (h. expergiscar diluculo).
Confitebor tibi in populis, Domine,
et cantabo te in nationibus (h. psallam tibi in plebibus).
Quoniam magna super cœlos misericordia tua,
B et usque ad æthera veritas tua.
Exaltare super cœlos, Deus :
et super omnem terram gloria tua.
Ut liberentur dilecti tui :
salva dextera tua, et exaudi me.
Deus locutus est in sanctuario suo : gaudebo :
dividam Sichem (*Al.* Sicimam), et vallem Soccoth dimetiar.
Meus est Galaad, meus est Manasse, et Ephraim hæreditas (h. fortitudo) capitis mei :
Juda dux (h. legifer) meus.
Moab lebes pelvis meæ ;
Super Idumæam projiciam calciamentem meum :
cum Philisthim fœderabor (h. mihi Palæstina fœderabitur).
Quis deducet me in civitatem munitam ?
quis deducet me usque in Idumæam ?
Nonne tu, Deus, qui projeceras nos,
et non exieras [7], Deus in exercitibus nostris ?
C Da nobis auxilium in tribulatione :
vana est enim salus ab homine [8].
In Deo erimus fortes (faciemus virtutem),
et ipse conculcabit hostes nostros.

VICTORI DAVID CANTICUM [9] (h. PSALMUS).

(CIX.) Deus laudabilis mihi, ne taceas [10] :
quia os impii et os dolosi contra me apertum est.
Locuti sunt de me lingua mendacii :
et verbis odii circumdederunt me,
et expugnaverunt me frustra.
Pro eo quod eos diligebam, adversabantur mihi :
ego autem orabam.
Et posuerunt contra me malum pro bono,
et odium pro dilectione mea.
Constitue super eum impium.
et Satan stet a dextris ejus.
Cum fuerit judicatus, exeat condemnatus :
et oratio ejus sit in peccatum.
Fiant dies ejus pauci :
D episcopatum ejus accipiat alter.
Sint filii ejus pupilli,
et uxor ejus vidua.
Instabiles vagentur liberi ejus, et mendicent :

ejus, et mirabilia ejus in filiis hominum Sorbonicus cum editis libris retinet pluralem numerum *misericordias*, ubi antiquiores mss. legunt in singulari *misericordiam*, quod nos secuti sumus. MART.

[1] Cisterciens. ms., pro *corruerunt*.

[2] Denuo Cisterciens. ms., *Et de angustiis eorum liberavit eos*.

[3] Quatuor ms., *Qui descendunt in mare navibus*. MART.

[4] In eodem ms. *Clamabunt* : et mox *de angustiis eduxit*, pronomine *eorum* prætermiseo.

[5] Active idem legit ms. *non imminuet*.

[6] Reginæ ms., *Canto* ; tum Cisterciensis, *Consurgens Psalterium*, etc.

[7] Canon Carcassonensis cum suis pedissequis : *Nonne tu, Deus, qui projecisti nos, et non exibis*, etc. MART.

[8] Iidem, *vana est enim salus hominis*. MART.

[9] Plures mss., *Pro victoria David Canticum*. Hieronymus id minime improbare videtur præfatione Commentariorum in Danielem. At de his sufficienter supra dictum est. MART. — Nostri omnes codices, *pro Victoria*, etc., inscribunt.

[10] Ambo exemplaria Canonis cum ms. codice S. Michaelis ; *Deus laudem meam ne tacueris*, ut legimus in Vulgata. MART.

et quærent [5] in parietinis suis.
Scrutetur exactor universa quæ habet,
et diripiant alieni laborem ejus.
Non sit qui ejus misereatur :
neque qui clemens sit in pupillos ejus.
Fiat novissimum ejus interitus :
in generatione altera deleatur nomen ejus [2].
Redeat in memoriam (h. commemoretur) iniquitas patrum ejus apud Dominum.
et iniquitas (h. peccatum) matris ejus non deleatur.
Sint contra Dominum semper :
et intereat de terra memoria eorum.
Eo quod non est recordatus facere misericordiam :
et persecutus est virum inopem, et pauperem :
et compunctum corde, ut interficeret.
Et dilexit maledictionem, quæ (*Al.* et) veniet ei :
et noluit benedictionem, quæ elongobitur ab eo.
Et indutus est maledictione quasi vestimento suo,
et ingredietur quasi aqua in viscera ejus :
et quasi oleum in ossa ejus.
Sit ei quasi pallium (h. vestimentum), quo circumdatur.
et quasi cingulum, quo semper accingitur.
Hæc est retributio eorum (*Al.* his), qui adversantur mihi a Domino,
et qui loquuntur malum contra animam meam.
Tu autem Domine Deus [3], fac mecum propter nomen tuum :
quoniam bona est misericordia tua, libera me.
Quoniam egenus, et pauper sum :
et cor meum vulneratum est intrinsecus.
Quasi umbra cum inclinatur, abductus sum,
excussus quasi locusta ;
Genua mea vacillaverunt a jejunio,
et caro mea mutata (h. macilenta) est absque oleo.
Et ego factus sum opprobium eis :
videntes ne moverunt caput suum.
Adjuva me, Domine Deus meus :
salva me secundum misericordiam tuam·
Et (*Al.* ut) scient quoniam manus tua hæc :
tu, Domine, fecisti eam.
Maledicent illi, et tu benedices :
restiterunt, et confundentur (h. restiterunt, et confusi sunt) : servus autem tuus lætabitur.
Induantur adversarii mei confusione [4],
et operiantur quasi pallio confusione sua.
Confitebor Domino vehementer in ore meo.
et in medio populorum (h. multorum) laudabo eum.
Quoniam stabit a dextris pauperis (h. egeni).
ut salvet a judicibus (h. judicantibus) animum ejus :

A DAVID CANTICUM (*h.* PSALMUS).

(CX.) Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis,
donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum
Virgam (h. Baculum) fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Sion :
dominare in medio inimicorum tuorum.
Populi tui spontanei erunt in die fortitudinis tuæ [6] :
in montibus (h. splendoribus) sanctis.
Quasi de vulva orietur tibi
ros adolescentiæ tuæ.
Juravit Dominus, et non pœnitebit eum.
tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.
Dominus ad dexteram tuam (*Al.* a dexteram tua).
percussit in die furoris suis reges.
Judicabit in gentibus, implevit [h. cadaveribus) valles,
B percutiet caput in terra multa.
De torrente in via bibet :
propterea exaltabit caput.
(CXI) (*Aleph.*) Confitebor [7] Domino in toto corde :
(*Beth.*) In consilio justorum (h. rectorum) et congregatione.
(*Ghimel.*) Magna opera Domini :
(*Daleth.*) Exquirenda cunctis [8] volentibus eum.
(*He.*) Gloria et decor opus ejus :
(*Vau.*) Et justitia ejus perseverans semper.
(*Zain.*) Memoriam fecit mirabilium suorum :
[*Heth.*) Clemens et misericors Dominus (*Al.* Deus.)
(*Teth.*) Escam dedit timentibus se :
[*Iod.*) Memor erit in sempiternum (h. sæculum pacti sui :
(*Caph.*) Fortitudinem operum suorum annuntiabit populo suo,
(*Lamed.*) Ut det eis hæreditatem gentium.
C (*Mem.*) Opus manuum ejus veritas et judicium :
(*Nun.*) Fidelia omnia præcepta ejus.
(*Samech.*) Firmata in sempiternum (h. sæculum) jugiter :
(*Ain.*) Facta in veritate et æquitate.
(*Phe.*) Redemptionem misit populo suo.
(*Sade.*) Mandavit in æternum (h. sæculum) pactum suum :
(*Coph.*) Sanctum et terribile nomen ejus.
(*Res.*) Principium sapientiæ timor Domini,
(*Sin.*) Doctrina [h. eruditio) bona cunctis facientibus ea :
(*Thau.*) Laus ejus perseverat jugiter.

[1] Iidem mss. *quærantur*, vel *querantur*. Ad impressam lectionem, quæ proprior Hebræo est, supple *victum*.

[2] Hebræus שמם *schemam*, id est *nomen eorum*. Quod legitur etiam in Canone Carcassonensi, et in codicibus mss. quæ scholiis marginalibus vitiata deprehendimus. MART.

[3] Solus Carcassonensis Canon : *Domine, Domine*, pro *Domine Deus*. MART.

— Cisterc. ms. inverso ordine *Deus, Domine fac*, etc. In Hebræs, יהוה אדני.

[4] Addit idem ms. *sua*, et mox *indumento*, pro *pallio*, legit.

[5] Idem ms., *animam meam*, juxta veterem versionem et Græco, τὴν ψυχήν μου.

[6] Tix duos similes in hoc versiculo invenimus codices mss. Canon Memmianus sic legit : *Populi tui judices erunt, in die fortitudinis tuæ*. Carcassonensis vero : *Populi spontanei in die fortitudinis tuæ*. Corbeiens. ac Reg. mss. *Populi tui duces spontanei erunt*, etc. Codex S, Michaelis : *Populi tui duces in die*, etc. Sorbonicum secuti sumus, quia veram retinere videtur lectionem Hieronymi, Cæterum Canon Carcasson. legit consequenter, *in montibus sanctis*. Idem insuper cum ms. S. Michaelis omittit particulam *quasi*, quæ tamen scripta reperitur in aliis omnibus mss. editisque libris, D De San-Germanensi Canone nihil deinceps dicetur. quia mutilus nobis superest a psal. XCIV. MART.

— Alii ms. cum Cisterciensi *judices* legunt, pro *spontanei* : alii, *duces spontanei* ; quas etiam Martian. in suis mss. variantes lectiones reperit. Hebræus ad verbum, *Populus tibi spontaneus*, etc.

[7] Acrosticho hic et subsequens psalmus artificio constant, non tamen ut singulis versiculis, sed singulis hemistichiis singula ex ordine alphabeti elementa præponantur : quæ et nos in libri albo prænotata, post Martianæum ex nostrorum codicum fide retinemus.

[8] Ita Canonis exemplaria cum aliquot alii mss. Editi autem ac mss. quam plures : *Exquirenda in cunctis voluntatibus suis*. Hebr., *cunctis volentibus ea*, id est *mandata*. MART.

— Cisterciensis ms., *Exquisita*, et cum plerisque aliis, *in cunctis voluntatibus suis* ; alii, *ejus*.

(CXII.) (*Aleph.*) Beatus vir qui timet Dominum,
(*Beth.*) In mandatis ejus volet nimis,
(*Ghimel.*) Potens in terra erit semen ejus :
(*Daleth.*) Generatio justorum [1] (h. rectorum) benedicetur.
(*He.*) Substantia et divitiæ in domo ejus,
(*Vau.*) Et justitia ejus perseverans semper.
(*Zain.*) Ortum est in tenebris lumen justis (h. rectis) :
(*Hheth.*) Clemens et misericors et justus (h. pius).
(*Teth.*) Bonus vir clemens et fenerans :
(*Iod.*) Dispensabit verba sua in judicio [2].
(*Caph.*) Quia in æternum (h. sæculum) non commovebitur :
Lamed.) In memoria sempiterna erit justus.
(*Mem.*) Ab auditu malo non timebit :
(*Nun.*) Paratum cor ejus confidens in Domino.
(*Samech*) Firmum cor ejus non timebit :
(*Ain.*) Donec aspiciat in hostibus suis.
(*Phe.*) Dispersit, dedit pauperibus,
(*Sade.*) Justitia ejus permanet in æternum :
(*Coph.*) Cornu ejus exaltabitur in gloria.
(*Res.*) Impius videbit, et irascetur;
(*Sin.*) Dentibus suis frendet, et tabescet :
(*Thau.*) Desiderium impiorum peribit.

ALLELUIA.

(CXIII.) Laudate, servi, Dominum :
laudate nomen Domini :
Sit nomen Domini benedictum :
amodo et usque in æternum (h. sæculum).
Ab ortu solis usque ad occasum ejus :
laudabile nomen Domini,
Excelsus super omnes gentes Dominus :
super cœlos gloria ejus.
Quis ut Dominus Deus noster :
qui in excelsis habitans.
Humilia respicit [3]
in cœlo et in terra.
Suscitans de terra (h. pulvere) inopem,
et de stercore elevat pauperem,
Ut eum sedere faciat cum principibus,
cum principibus populi sui.
Qui collocat sterilem in domo,
matrem filiorum lætantem. Alleluia [4].
(CXIV.) Cum egrederetur Israel de Ægypto :
domus Jacob de populo barbaro :
Factus est Judas [5] in sanctificationem ejus :
Israel potestas illius.
Mare vidit, et fugit :
Jordanis conversus est retrorsum.
Montes subsilierunt quasi arietes :
colles quasi filii gregis (h. ovium).
Quid tibi est mare, quod fugisti?
Jordanis, conversus es retrorsum.
Montes, subsultastis [6] quasi arietes :
colles, quasi filii gregis (h. ovium).
A facie Domini contremiscit terra [7] :
A a facie Dei Jacob.
Qui convertit petram in paludes aquarum :
silicem in fontes aquarum.
(CXV.) Non nobis [8], Domine, non nobis;
sed nomini tuo da gloriam :
propter misericordiam tuam, et veritatem tuam.
Ne (h. Quare) dicant gentes :
ubi est Deus eorum?
Deus autem noster in cœlo :
universa quæ voluit, fecit.
Idola gentium (h. eorum) argentum et aurum :
opus manuum hominum.
Os habent, et non loquentur :
oculos habent, et non videbunt.
Aures habent, et non audient :
nasum habent, et non odorabunt.
Manus habent, et non palpabunt :
pedes habent, et non ambulabunt :
non (*Al.* nec) sonabunt in gutture suo.
B Similes illis fiant qui faciunt ea,
et omnes qui confidunt in eis.
Israel confidit [9] in Domino :
auxiliator et protector eorum est.
Domus Aaron confidit in Domino :
auxiliator et protector eorum est.
Timentes Dominum confidunt in Domino :
auxiliator et protector eorum est.
Dominus recordatus nostri [10], benedicet,
benedicet domui Israel :
benicet domui Aaron.
Benedicet timentibus Dominum :
parvis et magnis.
Addat Dominus super vos :
super vos et super filios vestros,
Benedicti vos a Domino :
qui fecit cœlum et terram.
Cœlum cœlorum Domino :
terram autem dedit filiis hominum.
C Non mortui laudabunt Dominum :
nec omnes qui descenderunt in silentium.
Sed nos benedicimus Domino :
amodo et usque in æternum. Alleluia [11].
(CXVI.) Dilexi quoniam exaudiet (*Al.* audiet) Dominus [12]
vocem deprecationis meæ.
Quoniam inclinavit aurem suam mihi,
et in diebus meis invocabo [13].
Circumderunt me funes mortis,
et munitiones inferni invenerunt me.
Angustiam et dolorem reperi.
et nomen Domini invocabo :
Obsecro, Domine, salva (h. eripe) animam meam :
clemens Dominus, et justus :
et Deus noster misericors (h. pius),
Custodit parvulos Dominus :
attenuatus sum, et salvabit me.
Revertere, anima mea, in requiem tuam :
D quia Dominus reddet tibi.

[1] Scholia hujusmodi nullatenus probantur Hieronymo, qui his antevertens in epist. ad Sunn. et Fretel. ita ad psal. XLVIII, vers. 15 docte monebat : *Pro justis*, εὐθεῖς, *id est rectos, in Græco vos invenisse dicitis; sed hoc propter* εὐφωνίαν *ita in Latinum versum est. Alioquin et in eo loco ubi scriptum legimus in libro* εὐθοῦς, *justorum intelligimus librum : et non debemus sic verbum de verbo exprimere, ut dum syllabus sequimur, perdamus intelligentiam.* MART.

[2] Nostri omnes mss. *dispensavit :* vitiose autem erat antea *dispersabit.*

[3] In ms. Cisterciensi, *respiciet.*

[4] Vocem hanc, *Alleluia*, transfert Cisterciens. ms. in subsequentis psalmi epigraphem juxta Septuaginta et Vulgatam.

[5] Septuaginta legunt, *facta est Judæa*, etc. Idque retinet Canon Carcass. cum suis pedissequis. MART.

[6] Interserunt duo e nostris ms. *quia :* tum *exsultastis*, pro *subsultastis* legunt.

[7] Reginæ ms., *contremiscat terra,*

[8] Hic apud Hebræos incipit psal. CXV, apud Græcos vero ac Latinos conjunctim descriptus est cum præcedenti. MART.

[9] Cisterciens. ms. hic et paulo post, *confidet.*

[10] Idem, *recordatus est nostri, et benedicet.*

[11] Postremum hoc verbum *Alleluia* tacet Reginæ ms., Cisterciens. autem subsequenti psalmo ad tituli instar juxta Vulgatam præfigit.

[12] Mss. tres , *Dilexi quoniam exaudies, Domine.* Memmianus et Carnutensis emendatus, *exaudivit Dominus.* MART.

[13] Cisterciens. ms., *Invocavi.*

Quia eruet animam meam de morte [1].
oculos meos a lacrymis, pedes meos ab offensa.
Deambulabo coram Domino,
in terris viventium [2].
Credidi propter quod (h. quia) locutus sum [3] :
ego afflictus sum nimis :
Ego dixi in stupore meo :
omnis homo mendacium (h. mentitur).
Quid reddam Domino,
pro omnibus quæ retribuit mihi ?
Calicem salutaris (*Al.* salutis) accipiam,
et nomen Domini invocabo.
Vota mea Domino reddam,
coram omni populo ejus.
Gloriosa in conspectu Domini (h. Pretiosa in oculis Domini),
mors sanctorum (h. misericordium] ejus.
Obsecro, Domine, quia ego servus tuus,
ego servus tuus filius ancillæ tuæ.
Dissolvisti vincula mea :
tibi immolabo hostiam laudis (h. confessionis),
et in nomine Domini invocabo.
Vota mea Domino reddam
in conspectu omnis populi ejus.
In atriis domus Domini,
in medio tui [4], Jerusalem. Alleluia.
(CXVII.) Laudate Dominum, omnes gentes :
collaudate [5] eum, universi populi (h. plebes).
Quia confortata est super nos misericordia ejus,
et veritas Domini in æternum. Alleluia.
(CXVIII.) Confitemini Domino, quoniam bonus :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Dicat nunc (h. obsecro) Israel :
quoniam in æternum (h. sæculum misericordia ejus.
Dicat nunc (h. obsecro) domus Aaron :
Quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Dicant nunc (h. obsecro) qui timent Dominum :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Cum tribularer, invocavi Dominum,
et exaudivit me in latitudine Dominus.
Dominus meus (*Al. add.* est), non timebo
quid faciat mihi homo ;
Dominus mihi auxiliator (h. inter auxiliatores),
et ego despiciam (h. aspiciam) odientes me.
Melius est sperare (h. cŏnfidere) in Domino,
quam sperare in homine.
Melius est sperare (h. confidere) in Domino,
quam sperare in principibus.
Omnes gentes circumdederunt me ;
in nomine Domini quia ultus sum in eas [6] (h. contrivi eas).
Circumdederunt me, et obsederunt me :
sed in nomine Domini, quia ultus sum in eas (h. contrivi eas).
Circumdederunt me quasi apes :
A exstinctæ sunt quasi ignis spinarum
in nomine Domini, quia ultus sum in eas (h. contrivi eas).
Impulsus pellebar ut caderem.
et Dominus sustentavit me (h. et Dominus auxiliatus est mihi).
Fortitudo mea, et laus mea Dominus :
et factus est mihi in salutem.
Vox laudis, et salutis
in tabernaculis justorum.
Dextera Domini fecit fortitudinem (h. virtutem :
dextera Domini excelsa,
dextera Domini fecit fortitudinem (h. virtutem):
Non moriar, sed vivam,
et narrabo opera Domini.
Corripiens arguit (h. Castigans castigavit) me Dominus,
et morti non tradidit me.
Aperite mihi portas justitiæ :
B ingressus in eas confitebor Domino.
Hæc porta Domini,
justi intrabunt in eam.
Confitebor tibi, quoniam exaudisti me,
et factus es mihi in salutem.
Lapidem (*Al.* lapis) quem reprobaverunt ædificantes :
factus est in caput anguli.
A Domino factum est istud,
et hoc est (*Al. tac.* est) mirabile in oculis nostris.
Hæc est dies quam fecit Dominus :
exsultemus et lætemur in ea.
Obsecro, Domine, salva, obsecro :
obsecro, Domine, prosperare, obsecero.
Benedictus qui venit in nomine Domini :
benediximus vobis de domo Domini :
Deus Dominus, et apparuit (h. illuxit) nobis :
frequentate (h. obligate) solemnitatem in frondosis,
C usque ad cornua altaris.
Deus meus es tu, et confitebor tibi :
Deus meus es tu, et exaltabo te.
Confitebor Domino, quoniam bonus :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
(CXIX.) (*Aleph.*) Beati immaculati in via [7] : qui ambulant in lege Domini.
Beati qui custodiunt testimonia ejus : in toto corde requirunt (*Al.* requirent) eum.
Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.
Tu mandasti præcepta tua custodiri nimis.
Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodienda præcepta tua.
Tunc non confundar, cum respexero ad omnia mandata tua.
Confitebor tibi in directione cordis : cum didicero judicia justitiæ tuæ.
D Præcepta tua custodiam : ne derelinquas me nimis.
(*Beth.*) In quo corrigit juvenis (h. mundabit puer)

[1] Cisterc. ms. hic tacet *meam*.

[2] Ex hoc loco idem ms. juxta Septuaginta, ac Vulgatam ab iis derivatam versionem, præposita epigraphe *Alleluia*, psalmum cxv exorditur.

[3] Ab his verbis psalmum cxv auspicantur Græci et Latini. MART.

[4] Pronomen *tui* Cisterciens. ms. hic respuit.

[5] Idem ms., *et laudate ;* tum, *quid confirmata est*, pro *confortata :* denique plus habet *manet* verbum, post *veritas Domini*.

[6] Hoc et proxime sequenti gemino huic loco tacet Cisterciens. mss. *quia*, ac legit *ultus sum eos*.

[7] In Canonis exemplaribus psalmus iste divisus est ut cæteri per cola et commata, ita ut sexdecim versus sub unaquaque littera alphabeti Hebraici positi reperiantur. Hanc quoque divisionem secutus est S. Augustinus in suo *Speculo ;* quia jam usu recepta erat ante Hieronymum in editione Latina Psalmorum vulgata ac communi. Nos vero Hebræorum mss. voluminibus, quæ singulis litteris octo versus attribuunt, atque Hieronymo præsertim adhærentes, tot versus cuique litteræ assignamus, quot ille assignandos admonuit. *Verum debes scire*, inquit S. Doctor *ad Paulam Urbicam*, « in prioribus psalmi (cx et cxi) singulis litteris singulos versiculos, qui trimetro iambico constant, esse subnexos... In centesimo decimo octavo psalmo singulas litteras octoni versus sequuntur, » etc. MART.

— De more juxta Vulgatam præfigit Cisterciens. ms. titulum *Alleluia*. De hujus porro psalmi acrosticho per octonos versu artificio, ipsum recole S. interpretem in epist. 30, *ad Paulam*.

semitam suam, cum custodierit (h. ut custodiat) verba tua.
In toto corde meo exquisivi te : ne errare me facias a mandatis tuis.
In corde meo abscondi eloquium tuum, ut non peccem tibi.
Benedictus tu (*Al.* es), Domine : doce me præcepta tua.
In labiis meis narravi omnes justitias (h. omnia judicia) oris tui.
In via testimoniorum tuorum lætatus (h. gavisus) sum, quasi in omnibus divitiis :
In præceptis tuis meditabor, et contemplabor semitas tuas.
In justitiis (h. præceptis) tuis delectabor, non oblviscar verba tua
(*Ghimel.*) Tribue servo tuo : vivam [1], et custodiam verba tua.
Revela oculos meos, et videbo (h. aspiciam) mirabilia de (*Al.* in) lege tua.
Advena ego sum in terra : ne abscondas a me mandata (h. præcepta) tua.
Desideravit anima mea desiderare : h. Meditari anima mea desideravit) judicia tua in omni tempore.
Increpasti superbos : maledicti qui recedunt a mandatis tuis.
Aufer a me opprobrium, et contemptum, quoniam testimonia tua custodivi.
Etenim sederunt [2] principes, adversum me loquebantur : servus [3] autem tuus meditabatur præcepta tua. [5]
Sed et testimonia tua voluntas [4] (h. delectatio) mea, quasi viri (h. consilii) amicissimi mei.
Adhæsit pulvori anima mea : vivifica me juxta verbum tuum.
(*Daleth.*) Vias meas exposui (h. narravi), et exaudisti me (*Al. tacet* me) : doce me justitiam tuam (h. præcepta tua).
Viam præceptorum (h. mandatorum) tuorum fac me intelligere, et loquar in mirabilibus tuis,
Distillavit anima mea præ stultitia : serva (h. confirma) me juxta eloquium tuum.
Viam mendacii aufer a me, et legem tuam dona mihi (h. miserere mei).
Viam fidei elegi : judicia tua proponebam.
Adhæsi testimoniis tuis : Domine, ne confundas me.
Viam mandatorum tuorum curram : quoniam dilatasti cor meum.
(*He.*) Ostende (h. illumina), mihi, Domine, viam præceptorum tuorum, et custodiam eam per vestigium.
Doce me, et observabo legem tuam : et custodiam eam in toto corde.
Deduc me in semita mandatorum (h. præceptorum) tuorum : quia ipsam volui.
Inclina cor meum ad testimonia tua, et non ad avaritiam.
Averte oculos meos, ne videant vanitatem ; in via tua vivifica me.
Suscita servo tuo eloquium tuum, in timorem tuum,
Averte opprobium meum quod reveritus sum : quia (*Al. tac.* quia) judicia tua bona
Ecce desideravi præcepta (h. mandata) tua : in justitia tua vivifica me.
(*Vau.*) Et veniant mihi misericordiæ tuæ Domine, et salus tua juxta eloquium tuum.
Et respondebo exprobrantibus mihi sermonem : quia speravi in sermone tuo.
Et ne auferas [5] de ore meo verbum veritatis usque nimis ; quoniam judicia tua exspectavi.
Et custodiam legem tuam jugiter, in sempiternum, et ultra.
Et ambulabo in spatioso, quia præcepta tua quæsivi.
Et loquar [6] in testimoniis tuis coram regibus, et non confundar.
Et delectabor in mandatis tuis, quæ dilexi.
Et levabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, et loquar in præceptis tuis.
(*Zain.*) Memento sermonis servo tuo, quem me sperare fecisti.
Hæc est consolatio mea in afflictione mea : quia eloquium tuum vivificavit me.
Superbi deridebant me nimis : a lege tua non declinavi.
Recordatus sum judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum.
Horror obtinuit me ab impiis qui dereliquerunt legem tuam.
Carmina erant mihi præcepta tua, in domo peregrinationis meæ.
Recordatus sum in nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam.
Hoc factum est mihi : quia præcepta tua custodivi.
(*Heth.*) Pars mea, Domine : dixi ut custodiam verbum tuum.
Deprecatus sum vultum tuum in toto corde : miserere mei secundum eloquium tuum.
Recogitavi vias meas, et converti pedes meos ad testimonia tua.
Festinavi, et non neglexi, custodire mandata tua.
Funes impiorum implicaverunt me : legem tuam non sum oblitus.
Medio noctis surgam ad confitendum tibi, super judicia justitiæ (*Al.* justificationis) tuæ.
Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium præcepta tua.
Misericordia tua, Domine, completa est terra, præcepta tua doce me.
(*Teth.*) Benefecisti cum servo tuo, Domine : secundum verbum tuum.
Bonum sermonem [7], et scientiam doce me : quia mandatis tuis credidi.
Antequam audirem, ego ignoravi : nunc autem eloquium tuum custodivi.
Bonus es tu, et benefícus : doce me præcepta. tua.
Applicabant mihi mendacium superbi, ego autem in

[1] Ms. Cisterciens, *ut vivam.*
[2] Idem juncto Reginæ ms., *Etenim sedentes.*, pro *sederunt.*
[3] Exscriptor Canonis Carcassonensis posuit in contextu hujus psalmi omnia fere marginalia scholia, quæ nos ob studium legentis hic describere curavimus notando cuinam litteræ respondent : Ghimel 7, *meditabitur in præceptis tuis,* Vau 1, *pietates tuæ ;* Vau 2, *exprobranti mihi sermonem* ; Vau 4, *in sæculum et ultra ;* Vau 5, *mandata tua quæsivi ;* Vau 7, *in præceptis tuis :* Vau 8, *palmas meas ;* Zain8, *quia mandata tua* ; Hheth 1, *ut custodiam verba tua* ; Hheth 4, *festinavi et non tardavi* ; Heth, 6, *media nocte surgebam ;* Hheth 7, *custodientium mandata tua ;* Teth 2, *bonum saporem . . . . quia præceptis tuis credidi* ; Teth 3, *Antequam humiliarer* ; Teth 5, *Applicaverunt . . . . servabo mandata tua* ; Teth 6, *delectatus sum* : Iod 1, *præcepta tua ;* Iod 3, *justa judicia ;* Iod. 4. *secundum eloquium tuum cum servo tuo ;* Iod 5, *delectationes meæ* ; Iod 6, *quoniam mendaciter iniquitatem fecerunt in me.* MART.
[4] Reginæ ms,, *voluptas,* ferme ut scholiastæ placet.
[5] In Cisterciens. ms., *avertas* pro *auferas.*
[6] Hic et inferius tertio ab hoc versiculo, *loquebar* habet Cisterc. ms. et plerique alii editi Latini libri, pro *loquar.*
[7] Fortasse rectius Cisterc. ms. *Bonum sapere,* pro *Bonum sermonem,* Hebraice enim est טוּב, quod in *sapientiam* vertitur.

toto corde servabam præcepta tua.
Incrassatum est velut adeps cor eorum, et ego in lege tua delectabar.
Bonum (*Al. add.* est) mihi quia afflictus sum, ut discerem præcepta tua.
Melior est mihi lex oris tui ; super millia auri et argenti.
(*Iod.*) Manus tuæ fecerunt me, et firmaverunt me (*Al. tacet* me) : doce me, et discam mandata tua,
Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur : quia sermonem tuum exspectavi.
Scio, Domine, quia justum judicium tuum, et vere afflixisti me.
Sit, obsecro, misericordia tua in consolatione mea; sicut locutus es servo tuo.
Veniant mihi misericordiæ tuæ, et vivam : quia lex tua delectatio mea [1].
Confundantur superbi, quoniam inique contriverunt me : ego autem loquar in præceptis tuis.
Revertantur ad me qui timent te, et qui sciunt testimonium iuum.
Fiat cor meum perfectum in præceptis tuis, ut non confundar.
(*Caph.*) Defecit in salutare tuum anima mea : in verbum tuum expectavi [2] :
Consumpti sunt oculi mei in verbum tuum : dicentes, quando consolaberis me ?
Et cum essem quasi uter in pruina, præcepta tua non sum oblitus.
Quot sunt dies servi tui : quando facies in persequentibus me judicium.
Foderunt mihi superbi fovcas, quæ non erant juxta legem tuam.
Omnia mandata tua vera : falso persecuti sunt me, auxiliare mihi.
Paulo minus consumpserunt me in terra : ego autem non dimisi præcepta tua.
Secundum misericordiam tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris tui [3].
(*Lamed.*) In æternum (*Al.* sæculum), Domine, verbum tuum permanet in cœlo.
In generatione, et generatione fides tua : fundasti terram et stat.
Judicio tuo stant usque hodie : quia omnia serviunt tibi.
Nisi quod lex tua delectatio mea : forte perissem in pressura mea.
In sempiternum non obliviscar præceptorum tuorum quia per ipsa vivificasti me.
Tuus ego sum, salva me : quoniam præcepta tua quæsivi
Me expectaverunt impii, ut perderent me : testimonium tuum considerabo.
Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum (h præceptum) tuum nimis.
(*Mem.*) Quam dilexi legem tuam ! tota die hæc meditatio mea.
Super inimicos meos intruxisti me mandato tuo [4] : quia in sempiternum hoc est mihi.
Super omnes qui docebant me, eruditus sum : quia testimonia tua meditatio mea.
Super senes intellexi : quia præcepta tua servavi.
Ab omni semita mala prohibui pedes meos, ut custodirem (*Al.* cutodiam) verba tua.
A judiciis tuis non recessi : quia tu illuminasti me.
Quam dulce gutturi meo eloquium tuum, super mel ori meo.
Præcepta tua considerabam : propterea odivi omnem semitam mendacii.
(*Nun.*) Lucerna pedi meo verbum tuum, et lux semitæ meæ.
Juravi, et perseverabo : ut custodiam judicia justitiæ tuæ.
Afflictus sum usque nimis : Domine, vivifica me juxta verbum tuum.
Voluntaria oris mei complaceant tibi, Domine, et secundum judicia tua doce me.
Anima mea in manu mea semper, et legis tuæ non sum oblitus,
Posuerunt impii laqueum mihi, et a præceptis tuis non aberravi.
Hæreditas mea testimonia tua in sempiternum : quia gaudium cordis mei sunt.
Inclinavi cor meum ut facerem justitias tuas, propter æternam retributionem.
(*Samech.*) Tumultuosos odivi, et legem tuam dilexi.
Protectio mea et scutum meum tu es : verbum tuum exspectavi.
Recedite a me, maligni, et custodiam mandata Dei mei.
Confirma me secundum verbum tuum, et vivam : et noli me confundere ab exspectatione mea.
Auxiliare mihi, et salvus ero : et delectabor in præceptis tuis jugiter.
Abjecisti omnes qui aversantur præcepta tua : quia mendax cogitatio [5] eorum.
Quasi scoriam computasti omnes impios terræ : propterea dilexi testimonia tua.
Horripilavit a timore tuo caro mea, et judicia tua timui.
(*Ain.*) Feci judicum et justitiam : ne derelinquas me his qui calumniantur me.
Sponde pro servo tuo in bonum : ne calumnientur me superbi.
Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ.
Fac cum servo tuo juxta misericordiam tuam, et præcepta tua doce me.
Servus tuus sum ego, instrue me : et cognoscam testimonia tua.
Tempus est ut facias, Domine : prævaricati sunt legem tuam.
Propterea dilexi mandata tua : super aurum et topazium.
Propterea in (*Al. ad*) universa præcepta tua direxi : omnem semitam mendacii odio habui.
(*Phe.*) Mirabilia testimonia tua : idcirco custodivit ea anima mea.
Ostium sermonum tuorum lucidum, docens (*Al.* docet) parvulos.
Os meum aperui et respiravi : quia mandata (h.

[1] Reginæ ms, juxta Vulgatam, *meditatio mea.*

[2] Manuscripti legunt sine propositione *in Verbum tuum exspectavi.* Scholia autem marginalia sic se habent : Caph 1. *Defecit in salutari tuo ;* Caph 2, *in eloquium tuum ;* Caph 3, *Quia factus sum sicut uter in fumario ;* Lamed 3, *quia omnes servi tui.* Nonnulla jam posita ac minoris momenti prætermittimus. Lamed 8. *Omni consumationi vidi finem ;* Mem 2, *Super inimicos meos instruunt me mandata tua* ; Nun 2, *Juravi et statui* ; Nun 4, *complaceant tibi, obsecro. Domine* ; Nun, 5, *in palma mea* ; Samech 4, *secundum eloquium tuum,* vel *secundum judicium tuum ;* Samech 5, *Sustenta me,* etc. ; Ain 2, *pro servo tuo in bono* ; Ain 6, *Tempus faciendi, Domine, vacare fecerunt legem tuam ;* Ain 8, *Propterea universa mandata tua dilexi ;* Phe 7, *Vulum tuum illumina super servum tuum* ; Sade 1, *Justus tu, Domine, et recta judicia tua* ; Sade 4, *Probatum eloquium tuum . . . . dilexit illud.* MART.

[3] Minori numero *testimonium* præfert Cisterc. ms. ; et mox *perstat verbum tuum,* pro *permanet,* etc.

[4] Iterum Cisterciens. ms., *instruit me mandata tua.*

[5] Idem ms. *mendax, congregatio,* pro *cogitatio.* In Hebræo *fallacia,* aut *calumnia* dicitur.

præcepta tua desiderabam.
Respice ad me, et miserere mei : juxta judicium diligentium nomen tuum.
Gressus meos firma [*Al.* confirma] in sermone [h. eloquio] tuo, et non des potestatem in me universæ iniquitati
Redime me a calumnia hominis, et custodiam [1] præcepta [h. mandata] tua.
Vultum tuum ostende servo tuo, et doce me præcepta tua.
Rivi aquarum fluebant de oculis meis : quia non custodierunt legem tuam.
(*Sade.*) Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.
Præcepisti justitiam testimonii tui, et veritatem : nimis.
Consumpsit me zelus meus : quia obliti sunt verborum tuorum hostes mei.
Probatus sermo tuus nimis, et servus tuus dilexit illum.
Parvulus ego sum, et contemptibilis : sed præcepta tua non sum oblitus.
Justitia tua, justitia sempiterna, et lex tua veritas.
Tribulatio et angustitia invenerunt me : mandata tua voluntas mea.
Justa testimonia tua semper (h. sæculum : doce me, et vivam.
(*Coph.*) Clamavi in toto corde, exaudi me, Domine : præcepta tua custodiam.
Invocavi te, salvum me fac, custodiam testimonia tua.
Surgebam adhuc in tenebris, et clamabam, verbum tuum exspectans.
Præveniebant oculi mei vigilias, ut meditarer in sermonibus tuis.
Vocem meam exaudi juxta misericordiam tuam : Domine, secundum judicium tuum vivifica me.
Appropinquaverunt persecutores mei sceleris [3], et a lege tua procul facti sunt.
Prope es tu, Domine, et omnia mandata veritas.
A principio novi de testimoniis tuis : quod in æternum fundaveris ea,
(*Res.*) Vide afflictionem meam, et eripe me : quia legis tuæ non sum oblitus.
Judica causam meam, et redime me : in sermone tuo vivifica me.
Longe ab impiis salus : quia præcepta tua non quæsierunt.
Misericordiæ tuæ multæ, Domine : juxta judicia tua vivifica me.
Multi qui persequuntur me, et affligunt me : a testimoniis tuis non declinavi.
Vidi prævaricatores tuos, et mærebam : quia verbum tuum non custodierunt.

A Vide quoniam præcepta tua dilexi : Domine juxta misericordiam tuam vivifica me.
Caput verborum tuorum veritas, et in sempiternum omne judicium justitiæ tuæ.
(*Sin.*) Principes persecuti sunt me sine causa : verba autem tua timuit cor meum,
Gaudens ego sum in eloquio tuo : sicut qui invenit spolia multa.
Mendacium odio habui, et detestatus sum : legem (*Al. ad.* autem) tuam dilexi,
Septies in die laudavi te : super judiciis justitiæ tuæ.
Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum,
Expectavi salutare tuum, Domine, et mandata tua feci.
Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea nimis.
Custodivi præcepta tua, et testimonia tua : quia
B omnes viæ meæ in conspectu tuo.
(*Thav.* Ingrediatur (h. Appropinquet) laus mea coram te, Domine secundum verbum tuum doce me.
Veniat deprecatio mea ante vultum tuum : secundum eloquium tuum libera me.
Fundant labia mea hymnum : docebis enim me præcepta tua.
Loquetur [4] lingua mea sermonem tuum : quia omnia mandata tua justa.
Sit manus tua auxiliatrix mea : quia præcepta tua elegi.
Desideravi salutare tuum, Domine, et lex tua voluntas mea.
Vivet anima mea, et laudabit te : et judicia tua auxiliabuntur mihi.
Erravi quasi ovis perdita, quære servum tuum : quia mandatorum (h. præceptorum) tuorum non sum oblitus.

C CANTICUM GRADUUM.

(CXX.) Ad Dominum in tribulatione mea clamavi, et exaudivit me.
Domine, libera animam meam a labio mendacii, a (*Al.* et) lingua dolosa.
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam [5] ?
Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus juniperorum.
Heu mihi quia peregrinatio mea prolangata est : habitavi cum tabernaculis Cedar.
Multum peregrina est [6] anima mea, cum odientibus pacem,
Ego pacifica loquebar, et illi bellantia [7].

[1] In eodem ms., *a calumnia hominum, ut custodiam* etc. sunt hæc : Coph 3, *Surgebam adhuc in tenebris, et deprecabar* : Coph 4, *ut meditarer in eloquiis tuis*

CANTICUM GRADUUM.

(CXXI.) Levavi oculos meos in montes:
unde veniet auxilium mihi.
Auxilium meum a Domino,
factori cœli et terræ.
Non det in commotionem pedem tuum,
nec dormitet qui custodit te.
Ecce non dormitabit, neque dormiet,
qui custodit Israel [1].
Dominus custodit te: Dominus protectio tua,
super manum dexteram tuam.
Per diem sol non percutiet te,
neque luna per noctem.
Dominus custodiet te ab omni malo:
custodiat animam tuam
Dominus custodiat exitum tuum et introitum tuum
amodo et usque in æternum.

CANTICUM GRADUUM DAVID.

(CXXII.) Lætatus sum eo [2] (*Al.* in eo) quod dixerint mihi:
in domum Domini ibimus.
Stantes erant pedes nostri,
in portis tuis, Jerusalem.
Jerusalem quæ ædificatur [3] ut civitas,
cujus participatio ejus simul.
Quia ibi ascenderunt tribus tribus Domini
testimonium Israel: ad confitendum nomini Domini.
Quia ibi sederunt sedes in judicio:
sedes domui (*Al.* domus) David.
Rogate pacem Jerusalem [4]:
sit bene his qui diligunt te.
Sit pax in muris tuis:
abundantia in domibus tuis.
Propter fratres meos et amicos meos loquar pacem tibi.
Propter domum Domini Dei nostri,
quæram bona tibi.

CANTICUM GRADUUM

(CXXIII.) Ad te levavi oculos meos,
qui habitas in cœlis.
Ecce sicut oculi servorum ad manum dominorum suorum:
sicut oculi ancillæ ad manum dominæ suæ,
sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum,
donec misereatur nostri.
Miserere nostri, Domine, miserere nostri:
quia multum repleti sumus despectione.
Multum repleta est anima nostra
opprobrio abundantium, et despectione superborum [5].

CANTICUM GRADUUM DAVID.

CXXIV.) Nisi dominus fuisset in nobis:
dicat nunc Israel.
Nisi Dominus fuisset in nobis:
cum exsurgerent super nos homines,
Forsitan vivos absorbuissent nos:
cum irasceretur furor eorum super nos.

A Forsitan aquæ circumdedissent nos [6]:
torrens transisset super animam nostram [7].
Forsitan transissent super animam nostram,
aquæ superbiæ.
Benedictus Dominus:
qui non dedit nos in prædam dentibus eorum.
Anima nostra quasi avis erepta est
de laqueo venantium:
Laqueus contritus est,
et nos liberati sumus.
Auxilium nostrum in nomine Domini:
qui fecit cœlum et terram.

CANTICUM GRADUUM.

(CXXV.) Qui confidunt in Domino quasi mons Sion,
immobilis, in æternum habitabilis [8].
Jerusalem montes in circuitu ejus.
et Dominus in circuitu populi sui:
B amodo et usque in æternum.
Quia non requiescet (*Al.* requiescit) virga impietatis
super sortem justorum,
ut non mittant justi in iniquitatem manus suas
Benefac, Domine, bonis,
et rectis corde.
Qui autem declinant ad pravitates suas,
deducet eos Dominus cum his, qui operantur iniquitatem:
pax super Israel.

CANTICUM GRADUUM.

(CXXVI.) Cum converteret Dominus captivitatem Sion:
facti sumus quasi somniantes [9].
Tunc implebitur risu os nostrum,
et lingua nostra laude:
Tunc dicent in gentibus:
magnificavit Dominus facere cum istis.
C Magnificavit Dominus facere nobiscum:
facti sumus sicut lætantes.
Converte, Domine, captivitatem nostram:
sicut rivos [10] in austro.
Qui seminant in lacrymis,
in exsultatione metent.
Qui ambulans ibat et flebat, portans ad seminandum sementem:
veniens veniet in exsultatione,
portans manipulos suos.

CANTICUM GRADUUM SALOMONIS [11].

(CXXVII.) Nisi Dominus ædificaverit domum,
in vanum laboraverunt qui ædificant eam,
Nisi Dominus custodierit civitatem,
frustra vigilat [12] qui custodit eam.
Frustra vobis est de mane surgere (*Al.* consurgere),
postquam sederitis,
D qui manducatis panem dolorum:
sic dabit diligentibus se somnum.
Ecce hæreditas Domini, filii:
merces, fructus ventris.
Sicut sagittæ in manu potentis:

[1] Unus Cisterciens., *Neque obdormiet, qui custodiet Israel.*
[2] Codex Si. Michaelis et Memmianus Canon, *in eo quod dixerunt mihi.* MART.
[3] Cisterciensis ms., *quæ ædificaris.*
[4] Aliter mss. Carcass. et S. Mich. qui legunt; *Interrogate pacem Jerusalem, abundantia his qui diligunt te. Sit pax in virtute tua, sit abundantia,* etc.; ita quoque Vaticanus, nisi quod habet, *abundantiam his,* etc. MART.
[5] Nostri omnes mss. in recto, *opprobrium,* et *despectio.*
[6] *Iidem,* forsitan aquæ inundassent super nos. MART.
[7] Notatum S. ipsimet interpreti in Commentariis in Ezechielem, cap. XLVII, *scriptum esse in Hebræo,* Torrens pertransiit animam meam.
[8] Non bene legitur in *Speculo* S. Augustini, *immobilis in æternum inhabitabilis Jerusalem.* Melius in Carcassonensi ms. et ejus sequaci, *non commovebitur, in sæculum habitabit.* MART.
[9] Tres mss. semper similes, Carcassonensis, Vaticanus et S. Michaelis: *Cum converterit... animus quasi somnianles.* MART.
[10] Minori numero habent nostri atque alii pene Martian., mss. *sicut rivum,*
[11] Nomen *Salomonis,* Cisterciens. ms. tacet.
[12] Reginæ ms., *frustra vigilabit.*

ita filii juventutis.
Beatus vir qui implevit pharetram suam ex ipsis:
non confundentur, cum loquentur inimicis suis
in porta.

CANTICUM GRADUUM.

(CXXVIII.) Beatus omnis, qui timet [1] Dominum :
qui ambulat in viis ejus.
Laborem manuum tuarum (h. palmarum) cum comederis :
beatus tu, et bene tibi erit.
Uxor tua sicut vitis fructifera
in penetralibus domus tuæ :
Filii tui sicut germina olivarum,
in circuitu mensæ tuæ.
Ecce sic benedicetur viro
qui timet (h. timenti) Dominum.
Benedicat tibi Dominus ex Sion :
et videas (h. vide) bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.
Et videas filios filiorum tuorum :
pacem (h. pax) super Israel.

CANTICUM GRADUUM.

(CXXIX.) Sæpe expugnaverunt me ab adolescentia mea :
dicat nunc Israel.
Sæpe expugnaverunt me ab adolescentia mea :
sed non potuerunt mihi
Supra cervicem meamarabant arantes :
prolongaverunt sulcum suum :
Dominus justus,
concidet laqueos impiorum.
Confundantur et revereantur retrorsum,
omnes qui oderunt Sion.
Fiat sicut fenum tectorum,
quod statim ut viruerit, arescit.
De quo non implebit manum suam messor,
et sinum suum manipulos faciens.
De quo non dixerunt transeuntes.
Benedictio Domini super vos :
benediximus vobis in nomine Domini.

CANTICUM GRADUUM.

(CXXX.) De profundis clamavi ad te, Domine;
Domine, exaudi vocem meam :
Fiant aures tuæ intendentes,
ad vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates observabis, Domine,
Domine, quis sustinebit?
Quia tecum est propitiatio :
cum terribilis sis.
Sustinui Dominum,
sustinuit anima mea: et verbum ejus exspectavi.
anima mea ad Dominum :
a vigilia matutina usque ad vigiliam matutinam,
exspectet Israel Dominum :
A Quia apud Dominum misericordia,
et multa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israel,
ex omnibus iniquitatibus ejus.

CANTICUM GRADUUM DAVID.

(CXXXI.) Domine, non est exaltatum cor meum,
neque elati sunt oculi mei,
Et non ambulavi in magnis,
et in mirabilibus super me.
Si non proposui,
et silere feci animam meam :
Sicut ablactatus super matrem suam [2],
ita ablactetur super me anima mea.
Exspecta, Israel Dominum :
amodo et usque in æternum (h. in sæculum).

CANTICUM GRADUUM.

(CXXXII.) Memento, Domine, David,
et omnis afflictionis ejus.
B Qui juravit Domino,
votum vovit Deo (h. potenti) Jacob.
Si intravero in tabernaculum domus meæ,
si sedero (h. ascendero [3]) super lectum straminis (h. stratus) mei.
Si dedero somnum oculis meis.
et palpebris meis dormitationem.
Donec inveniam locum Domino :
tabernacula (*Al.* tabernaculum) Deo (h. potenti) Jacob.
Ecce audivimus illum in Ephrata :
invenimus illum in regione saltus [4].
Intremus in tabernacula (*Al.* tabernaculorum) ejus:
adoremus scabellum pedum ejus.
Surge, Domine, in requiem tuam,
tu et arca fortitudinis tuæ.
Sacerdotes tui induantur justitia,
et sancti (h. misericordes te) tui laudent.
C Propter David servum tuum,
ne avertas faciem christi tui.
Juravit Dominus David veritatem,
non (*Al.* et non) avertetur ab ea :
De fructu ventris tui
ponam super sedem tuam (h. thronum tuum).
Si custodierint filii tui pactum meum,
et testificationem meam quam docuero eos,
Et filii eorum usque in æternum [5],
sedebunt super thronum tuum.
Quoniam elegit Dominus Sion,
desideravit eam in habitaculum suum (h. sibi).
Hæc est requies mea in sempiternum,
hic habitabo quia desideravi eam.
Venationem ejus benedicens benedicam [6] :
(*Al. add.* et) pauperes ejus saturabo pane.
Sacerdotes ejus induam salutari,
et sancti (h. misericordes) ejus laude laudabunt.
Ibi oriri faciam cornu David :

[1] Juxta Vulgatam Cisterciens. ms., *Beati omnes, qui timent*, etc.

[2] Ita exemplaria Canonis Memmiani et Carcassonensis, necnon ms. codices Carnutensis, Sorbonicus, et S. Michaelis. Alii duo sic legunt. *Sicut ablactatus a matre sua, ita ablactata a me anima mea.* MART.

— Reginæ ms. *sicut ablactatus ad matrem suam* tum juncto Cisterciensi atque aliis, *ita ablactata ad me anima mea.*

[3] Quod probat scholiastes, *ascendero*. Cisterciens. quoque ms. præfert : ut et variantem lectionem illam *stratus* pro *straminis*.

[4] Hoc modo legendum didicerat beata Paula, ait enim referente Hieronymo : Ecce audivimus eum in Ephrata, invenimus eum in catopis silvæ, *Zo* quippe sermo Hebræus, ut te docente didici, non Mariam matrem Domini, hoc est αὐτήν, *sed* ipsum, *id est* αὐτὸν, *significat*. Cætera vide in Epitaphio D Paulæ matris ad Eustochium virginem. MART.

[5] Ordinem perversum sequuntur exemplaria canonis, ac ms. S. Michaelis : *Et filii eorum super thronum tuum sedebunt usque in æternum*, etc. MART.

[6] De hoc loco Hieronymus in *Quæstionibus Hebraicis* in Genesim. « Verbum Seda, inquit, quod hic omnes ore consono ἐπισιτισμὸν, id est *cibaria* vel *sitarcia*, interpretati sunt, in Psalterio quoque habetur. Ubi enim nostri legunt, *viduam ejus benedicens benedicam :* licet in plerisque codicibus pro *vidua*, hoc est χήρα, nonnulli legant θήραν ; in Hebræo habet SEDA, id est *cibaria ejus benedicens benedicam*. Porro θήραν, *venationem* magis potest sonare, quam *fruges.* » etc. Cæterum imperitia librariorum posuit in nonnullis mss. *Germinationem ejus*, etc. MART.

paravi lucernam christo meo.
Inimicos ejus induam confusione :
super ipsum autem florebit [1] diadema ejus.

CANTICUM GRADUUM DAVID [2].

(CXXXIII.) Ecce quam bonum et quam decorum,
habitare fratres in unum,
Sicut unguentum optimum in capite,
quod descendit in barbam, barbam Aaron :
quod descendit super oram vestimentorum ejus.
Sicut ros Hermon,
qui descendit super montana (h. montes) Sion :
Quoniam ibi mandavit Dominus benedictionem,
(*Al. ad.* et) vitam usque in æternum (h. sæculum).

CANTICUM GRADUUM.

(CXXXIV.) Ecce benedicite Domino,
omnes servi Domini :
quia statis in domo Domini in noctibus.
Levate manus vestras ad sanctum (h. sancte),
et benedicite Dominum.
Benedicat tibi Dominus ex Sion
factor cœli et terræ.

ALLELUIA [3].

(CXXXV.) Laudate nomen Domini :
laudate, servi, Dominum.
Qui statis in domo Domini :
in atriis domus Dei nostri.
Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus [4]
cantate (h. psallite) nomini ejus, quoniam decens.
Quia Jacob elegit sibi Dominus :
Israel in peculium suum.
Quia ego scio quod magnus Dominus,
et Dominus (h. dominator) noster præ omnibus diis.
Omnia quæ (*Al.* quæcunque) voluit Dominus, fecit
in cœlo, et in terra :
in (*Al.* et in) mari et in cunctis abyssis.
Levans nubes de summitatibus terræ,
fulgura in pluviam fecit :
educens ventos (h. ventum) de thesauris suis.
Qui percussit primitiva Ægypti :
ab homine usque ad pecus (h. quadrupedem).
Misit signa et portenta in medio tui, Ægypte :
in Pharao, et in cunctos servos ejus,
Qui percussit gentes multas,
et occidit reges fortes.
Seon regem Amorrhæorum :
et Og regem Basan,
et omnia regna Chanaan.
Et dedit terram eorum hæreditatem :
hæreditatem Israel populo suo.
Domine, nomen tuum in æternum (h. sæculum) :
Domine, memoriale tuum in generatione et generatione.
Quia judicabit Dominus populum suum,
et in servos suos (*Al.* servis tuis) erit placabilis.
Idola gentium argentum et aurum :
opera manuum hominum.
Os habent, et non loquentur :
oculos habent, et non videbunt.
Aures habent, et non audient :
A sed nec est spiritus in ore eorum.
Similes illis fiant qui faciunt ea,
et omnis qui confidit in eis [5],
Domus Israel, benedicite Domino :
domus Aaron, benedicite Domino.
Domus Levi, benedicite Domino :
timentes Dominum, benedicite Domino.
Benedictus Dominus ex Sion,
qui habitat in Jerusalem. Alleluia.
(CXXXVI.) Confitemini Domino quoniam bonus :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Confitemini Deo deorum :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Confitemini Domino dominorum :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Qui fecit [6] mirabilia magna solus :
B quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Qui fecit cœlos [7] in sapientia (h. in intellectu) :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Qui firmavit terram super aquas :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Qui fecit luminaria magna :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Solem in potestatem diei :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Lunam et stellas in potestatem noctis :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus
Qui percussit Ægyptum cum primitivis suis [8] :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
C Et eduxit Israel de medio eorum [9].
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
In manu valida et in brachio extento :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Qui divisit mare Rubrum in divisiones :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Et eduxit Israel e medio ejus :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Et convolvit Pharo (*Al.* Pharaonem) et exercitum ejus in mari Rubro :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Qui perduxit populum suum per desertum :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
D Qui percussit reges magnos :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Et occidit reges potentes (h. magnificos) [10] :

[1] Tres mss. *Florebit sanctificatio ejus.* Memmianus vero ac Sorbonicus retinent pronomen primæ personæ, *diadema meum.* MART.

[2] Nomen *David*, Cirterciens, ms. non addit.

[3] Pro *Alleluia*, titulo Cisterciens. ms. substituit *Canticum Graduum*, male.

[4] Idem ms. *quoniam benignus Dominus*,

[5] Juxta Vulgatam Cisterciens. ms. *omnes qui confidunt.*

[6] Reginæ ms. *qui facit*, Cisterciens., *facis.*

[7] Canon Memmianus, *qui fecit cœlos in simplicitate.* Similiter et Carcassonensis in contextu sacro, in scholio autem marginali legit juxta Hebræum *in intellectu.* MART.

[8] Dissentiunt hic omnes fere mss. Corbeiensis habet, *cum primogenitis eorum.* Regius, *cum primitiis suis.* Carnutensis ac Memmianus, *cum primitivis suis.* Sorbonicus, *cum primitivis ejus.* Denique Carcassonensis ac Vaticanus legunt *in primitivis suis.* MART.

[9] Mss. quatuor, Carcassonens, videlicet, Vaticanus, S. Michaelis, et Carnutensis emendatus, sic legunt: *De trans duxit Israel per medium ejus.* MART.

[10] Editi ac mss. quam plures retinent in textu marginale scholion, *magnificos.* Solus Corbeiensis legit *reges fortes.* Exemplaria Canonis secuti sumus. MART.

quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Seon regem Amorrhæorum :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Et Og regem Basan :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Et dedit terra eorum (*Al. add.* in) hæreditatem :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Hæreditatem Israel servo suo :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Quia in humilitate nostra memor fuit nostri :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Et eripuit [1] nos de tribulationibus nostris (h. Et redemit nos de hostibus nostris) :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Qui dat panem omni carni :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.
Confitemini Deo cœli :
quoniam in æternum (h. sæculum) misericordia ejus.

(CXXXVII.) Super flumina Babylonis [2] ibi sedimus, et flevimus
cum recordaremur Sion.
Super salices in medio ejus,
suspendimus citharas nostras.
Quoniam ibi interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos
verba carminis (h. cantionum) :
Et qui affligebant nos læti :
canite nobis de canticis Sion.
Quomodo cantabimus canticum Domini,
in terra aliena ?
Si oblitus fuero tui, Jeruselem,
in oblivione sit dextera mea.
Adhæreat lingua mea gutturi meo,
si non recordatus fuero tui :
Si non proposuero Jerusalem
in principio lætitiæ meæ.
Memento, Domine, filiorum Edom
in die Jerusalem,
dicentium : evacuate, evacuate (h. effodite, effodite)
usque ad fundamentum ejus.
Filia Babylonis vastata :
beatus qui retribuet tibi
vicissitudinem tuam, quam retribuisti nobis.
Beatus qui tenebit,
et allidet parvulos tuos (*Al.* suos) ad petram.

DAVID.

(CXXXVIII.) Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.
in conspectu deorum cantabo (h. psallam) tibi.
Adorabo in templo sancto tuo (h. ad templum sanctum tuum) :
et confitebor nomini tuo.
Super misericordia tua, et veritate tua,
quia magnificasti super omne nomen eloquium tuum.
In die invocabo, et exaudies me [3] ;
dilatabis animæ meæ fortitudinem.
Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ,
quoniam audierunt eloquia oris tui.
Et cantent in viis Domini,
quoniam magna gloria Domini :
Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit (h. et humile videt et excelsum),
et excelsa de longe cognoscit.
Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me :
super furorem inimicorum meorum mittes manum tuam,
et salvabit me dextera tua.
Dominus operabitur pro me,
Domine, misericordia tua in æternum (h. sæculum)
opera manuum tuarum ne dimittas.

VICTORI DAVID CANTICUM [4] (h. PSALMUS).

(CXXXIX.) Domine, investigati me, et cognovisti :
tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam :
intellexisti malum meum [5] de longe.
Semitam meam et accubationem meam eventilasti :
et omnes vias meas intellexisti :
quia non est eloquium in lingua mea.
Ecce, Domine, nosti omnia :
retrorsum, et ante formasti me :
et posuisti super me manum (h. palmam) tuam.
Mirabilior est scientia a me,
excelsior est [6], non potero ad eam.
Quo ibo a spiritu tuo,
et quo a facie tua fugiam ?
Si ascendero in cœlum, ibi es tu :
si jacuero in inferno, ades.
Si sumpsero pennas diluculo,
(*Al ad.* et) habitavero in novissimo maris,
Etiam ibi manus tua deducet me,
et tenebit me dextera tua.
Si dixero, forte tenebræ operient me :
nox quoque lux erit circa me.
Nec tenebræ habent tenebras apud te,
et nox quasi dies lucet [7] :
similes sunt tenebræ et lux,
Quia tu possedisti renes meos :
orsusque es me in utero matris meæ.
Confitebor tibi; quoniam terribiliter magnificasti me, mirabilia opera tua, et anima mea novit nimis [8].
Non sunt operta ossa mea a te,
quibus factus sum [9] in abscondito :
imaginatus sum in novissimis terræ.
Informem adhuc me viderunt oculi tui,
et in libro tuo omnes scribentur :
dies formati sunt [10], et non est una in eis,
Mihi autem quam honorabiles facti sunt amici (h. so-

[1] Memmianus, *qui eripuit*, etc. Hic quoque scholiastis adnotationem marginalem retinent editi libri, pluresque mss. codices. MART.

[2] Præfigit Cisterciens. ms. epigraphen ferme ex Septuagintavirali interpretatione derivatam : *Ipsi David Hieremiæ lamentatio.* Nulla autem est in Hebræo archetypo.

[3] Cisterciens. ms., *Invocabo te, exaudies*, etc.

[4] Regin. ms. aliique plures apud Martian., *Pro victoria David Canticum.*

[5] Perperam in Cisterciensi ms., *manum meam*, etc.

[6] Ita ambo exemplaria Canonis, et mss. codices duo, Sorbonicus et S. Michaelis. Alii legunt cum editis : *Super me est scientia, et excelsior*, etc. Addunt insuper tria ex prædictis exemplaria mss. pronomen, quod non est in Hebræo, *scientia tua.* Vatican., *Mirabilior scientia tua a me.* etc. MART.

— Nostri mss., cum pridem editis *super me est scientia, et excelsior*, et : Non discipliceret *supra me* id est *supra captum meum.*

[7] In Cisterciens. ms., *quasi lux.*

[8] Idem ms., *novit ea nimis.*

[9] In singulari legunt hæc canon Carcassonensis emendatus, Vatican. et ms. S. Michaelis : *Non est opertum os meum a te, quo factus sum*, etc. MART.

[10] Sequiori genere Reginæ ms., *dies formata*

dales) tui, Deus,
quam fortes pauperes (h. principatus) eorum [1],
Dinumerabo eos, et arena plures erunt :
evigilavi, et adhuc sum tecum.
Si occideris, Deus, impium :
viri sanguinum declinate a me.
Qui contradicent tibi scelerate [2] ;
elati (*Al.* elevati) sunt, frustra adversarii tui.
Nonne odientes te, Domine, odivi,
et contra adversarios tuos distribui (h. resistebam) :
Perfecto odio oderam illos :
inimici facti sunt mihi.
Scrutare me, Deus, et cognosce cor meum :
proba me, et scito cogitationes meas.
Et vide si via doli in me est [3],
et deduc me in via æterna.

VICTORI [4] CANTICUM (*h.* PSALMUS) DAVID.

CXL.) Erue me, Domine, ab homine malo :
a viris iniquis serva me.
Qui cogitaverunt malitias in corde :
tota die versati sunt in præliis.
Exacuerunt linguam suam quasi serpens :
venenum aspidis sub labiis eorum. SEMPER.
Custodi me, Domine, de manu impii,
a viro iniquitatum serva me :
qui cogitaverunt supplantare gressus meos.
Absconderunt superbi laqueum mihi,
et funibus extenderunt rete :
juxta semitam offendiculum posuerunt mihi. SEMPER.
Dixi Domino, Deus meus est tu :
audi (h. auribus percipe), Domine, vocem deprecationis meæ.
Domine Deus fortitudo salutis meæ,
protexisti caput meum in die belli.
Ne des, Domine, desideria impii [5] :
scelera ejus ne effundantur, et eleventur. SEMPER.
Amaritudo [6] convivarum meorum :
labor labiorum operiet eos,
Cadent super eos carbones,
in ignem dejicies eos,
in foveas, ut non consurgant [7].
Vir linguosus non dirigetur in terra :
virum iniquum mala capient (*Al.* capiunt) in interitum.
Scio quod Dominus facit causam inopis, judicia pauperum.
Attamen justi confitebuntur nomini tuo :
habitabunt recti cum vultu tuo.

CANTICUM (*h.* PSALMUS) DAVID.

(CXLI.) Domine, clamavi ad te, festina mihi :
exaudi (h. auribus percipe) vocem meam clamantis ad te.
A Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo :
elevatio manuum mearum (h. palmarum) sacrificium vespertinum :
Pone, Domine, custodiam ori meo :
serva paupertatem labiorum meorum.
Ne declines cor meum in verbum malum,
volvere cogitationes impias
cum viris operantibus iniquitatem :
neque comedere in deliciis [8] eorum.
Corripiat me justus in misericordia, et arguat me,
oleum amaritudinis non impinguet caput meum:
Quia adhuc oratio mea pro malitiis eorum :
sublati sunt juxta petram judices eorum,
et audient verba mea, quoniam decora sunt.
Sicut agricola cum scindit terram :
Sic dissipata sunt ossa nostra in ore inferni (*Al.* inferi),
Quia ad te, Domine Deus, oculi mei :
B in te speravi, ne evacues animam meam.
Custodi me de manibus laquei, quem (*Al.* quod) posuerunt mihi :
de offendiculis operantium iniquitatem :
Incident in rete ejus impii :
simul autem ego transibo.

ERUDITIO DAVID [9], CUM ESSET IN SPELUNCA, ORATIO,

(CXLII.) Voce mea ad Dominum clamavi :
voce mea ad Dominum deprecatus sum.
Effundamin conspectu ejus eloquium meum :
tribulationem meam coram illo annuntiabo.
Cum anxius fuerit in me spiritus meus :
tu enim nosti semitam meam
in via hac, qua ambulabo,
absconderunt laqueum mihi.
Respice ad dexteram, et vide
quia non sit qui cognoscat me :
Periit fuga a me,
C et non est qui quærat animam meam.
Clamavi ad te, Domine, dixi, Tu es spes mea :
pars mea in terra viventium.
Ausculta deprecationem meam,
quoniam infirmatus sum nimis.
Libera me a persecutoribus meis,
quoniam confortati sunt super me.
Educ de carcere animam meam,
ut confiteatur nomini tuo :
In me coronabuntur justi,
cum retribueris mihi.

CANTICUM (*h.* PSALMUS) DAVID [10].

(CXLIII,) Domine. exaudi orationem meam,
ausculta (h. auribus percipe) deprecationem meam in veritate tua;
exaudi me in justitia tua [11].
Et non venias ad judicandum cum servo tuo :

quod et magis cohæret. Mox Cisterc. plus habet, *non est tibi una*, etc. Variat ipsemet Hebræus textus his verbis ולו, et ולא.

[1] Cisterciens. ms. *quam fortes sunt principatus eorum* : quod et scholiastes probat. In Hebræo est ראשיהם, *capita eorum*. Legerit vero S. Interpres absque א intermedio רשיהם, quod est *pauperes eorum*, a רשש verbo, quod significat *depauperari* : unde רש I Regum, XVIII, 25, ipsa, Vulgata vertit in *pauperem*.

[2] Regius ac Corbeiensis : *Quia contradicent tibi scelerati*. MART.

[3] In Reginæ ms., *si via idoli in me est*.

[4] Hunc psalmum inscribunt : *Pro victoria*, ms. plures et Canon Mammianus. MART.

[5] Iterum in Reginæ ms., *impiis* : verius esset *impio* : ita Hebræus redditur, *Ne des, Domine, desideria mea peccatori*.

D [6] Quantum scio aliter Hebræus habet ראש מסבי עמל.

[7] Editi cum aliquot mss. aliter dividunt colon istud : *Cadent super eos carbones ignis : dejicies eos in foveas, ut non consurgant*. Sed melius ac verius est quod edidimus juxta fidem exemplariorum Canonis Hebraicæ veritatis, duorumque aliorum ms. Codicum. MART.

— Cisterciensis alios apud Martianæum citatos codices sequitur.

[8] Perperam Reginæ ms., *in delictis*. Mox vero rectius *arguat* pro *arguet* : denique cum plerisque aliis, *adhuc et oratio mea*.

[9] Pro *Eruditio*, Reginæ ms, *Eruditi*. Cisterciens. *intellectus*, præfert.

[10] Inscribitur in Cisterciens. *Oratio duntaxat*.

[11] Idem ms., *exaudisti me in tua justitia*.

quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.
Persecutus est enim inimicus animam meam,
confregit in terra vitam meam :
posuit me in tenebris (h. collocavit me in tenebris)
quasi mortuos antiquos (h. sæculi).
Et anxiatus fuit [1] in me spiritus meus :
in medio mei sollicitum fuit cor meum.
Recordabor dierum antiquorum,
meditabar omnia opera tua :
facta manuum tuarum loquebar.
Expandi manus meas ad te :
anima mea quasi terra sitiens ad te. SEMPER.
Cito (h. festina) exaudi me, Domine, defecit spiritus meus :
ne abscondas faciem tuam a me,
et comparabor descendentibus in lacum.
Fac me audire mane misericordiam tuam,
quoniam in te confido :
Notam fac mihi viam in qua ambulem,
quoniam ad te levavi animam meam.
Libera me de inimicis meis, Domine :
ad te protectus sum [2].
Doce me, ut faciam voluntatem tuam,
quia tu Deus meus :
spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.
Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me :
in justitia tua educes de angustia animam meam.
Et misericordia tua dissipabis inimicos meos,
et perdes omnes tribulantes [3] animam meam :
ego enim sum servus tuus.

DAVID [4],

(CXLIV.) Benedictus Dominus fortis meus,
qui docet manus meas ad (*Al.* in) prælium :
digitos meos ad bellum.
Misericordia mea, et fortitudo mea,
auxiliator meus, et salvator meus ;
Scutum meum, et in ipso speravi :
qui subjecit populos mihi [5].
Domine, quid est homo, quia cognoscis eum.
filius hominis, quia computas eum.
Homo vanitati assimilatus est :
dies ejus quasi umbra pertransiens.
Domine, inclina cœlos tuos, et descende :
tange, montes, et fumigabunt.
Mica fulmine [6], et dissipa eos.
mitte sagittam tuam, et interfice (h. conturbabis) illos.
Extende manum tuam de excelso :
libera me, et erue me de aquis multis :
de manu filiorum alienorum :
Quorum os locutum est vanitatem,
A et dextera eorum, dextera mendacii.
Deus canticum novum cantabo tibi,
in psalterio decachordo psallam tibi,
Qui dat salutem regibus,
qui eruit David servum suum [7] de gladio pessimo.
Libera me, et erue me de manu filiorum alienorum :
quorum os locutum est vanitatem ;
et dextera eorum, dextera mendacii.
Ut sint filii nostri quasi plantatio
crescens in adolescentia sua :
Filiæ nostræ quasi anguli,
ornati ad similitudinem templi.
Promptuaria nostra plena,
et super effundentia ex hoc in illud :
pecora nostra in millibus,
et innumerabilia in compitis nostris.
Tauri nostri pingues (h. duces nostri portantes) :
non est interuptio, et non est egressus :
et non est ululatus in plateis nostris.
B Beatus populus cujus talia sunt :
Beatus populus cujus Dominus Deus suus.

LAUDATIO DAVID [8].

(CXLV.) (*Aleph.*) Exaltabo te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in æternum (h. sæculum), et ultra.
(*Beth.*) In omni die benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in sempiternum (h. sæculum et ultra jugiter.
(*Ghimel.*) Magnus Dominus, et laudabilis nimis : et magnificentiæ ejus non est investigatio [9].
(*Daleth.*) Generatio ad generationem laudabit opera tua, et fortitudines tuas annuntiabunt.
(*He.*) Decorem gloriæ magnitudinis tuæ, et verba mirabilium tuorum loquar.
(*Vau.*) Et fortitudinem horribilium tuorum loquentur, et magnitudines tuas narrabunt [10].
(*Zain.*) Memoriam multæ bonitatis tuæ loquentur (h. eructabunt), et justitias tuas laudabunt.
C (*Heth.*) Clemens, et misericors Dominus : patiens, et multæ miserationis (h. tardus ad furorem et magnæ misericordiæ).
(*Teth.*) Bonus Dominus omnibus, et misericordiæ ejus in universa opera ejus.
(*Iod.*) Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti (h. misericordes) tui benedicant tibi
(*Caph.*) Gloriam regni tui dicent, et fortitudines tuas loquentur.
(*Lamed.*) Ut ostendant filiis hominum fortitudines ejus [11], et gloriam decoris regni ejus.
(*Mem.*) Regnum tuum regnum omnium sæculorum, et potestas tua in omni generatione, et generationem.
(*Samech.*) Sustentat [12] Dominus omnes corruentes et

[1] Reginæ ms., *anxius* pro *anxiatus* : Cisterciens. *est* pro *fuit*.
[2] Cisterciens. ms., *a te protectus*, etc.
[3] Ita Carnutensis emendatus et ms. S. Michaelis. Alii legunt *ligantes* : quod secunda manus mutavit in *litigantes* in canone Carcassonensi. MART. —Nostri omnes mss., *ligantes*, præferunt pro *tribulantes*.
[4] Cisterciens. inscribit *Canticum David*.
[5] *Qui subjecit populum sub me*. Sic legimus in Carcassonensi et in ms. Michaelis, nec non in Vaticano. MART. — Ms. Reginæ, *subjiciet populos*, etc.
[6] Aliquot mss., *Misca fulmina*. MART.
[7] Mss. tres aut quatuor, *de gladio maligno*. MART.
[8] In eodem ms., *Hymnus David* : in Cisterciens., *Laus David*, prænotatur.
[9] Exemplaria Canonis et mss. S. Michaelis ac Vaticanus hoc modo legunt : in cæteris *inventio* legitur. MART.
[10] Idem mss., *narrabo* pro *narrabunt*.
[11] In Cisterciens. ms., *fortitudines tuas, et gloriam decoris regni tui*.
D [12] Abest in Hebræis voluminibus integer versiculus qui a littera *nun* initium ducebat. Hinc colligas mutilum esse aliqua sui parte totum Hebraicum, et ante Hieronymi tempora excidisse versum decimum quartum hujus psalmi : neque vero illum legas in exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis : etsi scriptus reperiatur temeritate librariorum in quatuor mss. codicibus Hieronymianæ istius versionis. Hæc sunt autem quæ exciderunt : *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis* MART.
— Sufficit Cisterciensis ms., versiculum, *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis et sanctus in omnibus operibus suis*, quem ab Hebraico exemplari excidisse certum est ex ipso litteræ *nun*, a qua est incipiendus, defectu. Videtur autem excidisse ante Hieronymi ipsius tempora, siquidem et melioris notæ codices, qui hanc ejus versionem ex

erigit omnes jacentes (h. incurvatos).
(*Ain.*) Oculi omnium in (h. ad) te sperant, et tu das eis escam suam [1] (h. eorum) in tempore suo.
(*Phe.*) Aperis manus tuas et imples omne animal refectione [2] (h. satias omnem virum placite).
(*Sade.*) Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus (h. misericors) in omnibus operibus suis.
(*Coph.*) Juxta est Dominus omnibus qui invocant eum : omnibus qui invocant illum in veritate.
(*Res.*) Placitum timentium se faciet, et clamorem (h. deprecationem eorum exaudiet, et salvabit eos.
(*Sin.*) Custodit Dominus omnes diligentes se, et universos impios conteret (h. disperdet).
(*Thau.*) Laudem Domini loquetur os meum, et benedicet omnis caro [3] nomini sancto ejus in æternum (h. in sæculum, et ultra), et jugiter.

ALLELUIA.

(CXLVI.) Lauda, anima mea, Dominum :
laudabo Dominum in vita mea :
cantabo (h. psallam) Deo meo quandiu sum.
Nolite confidere in principibus :
in (*Al.* et in) filio hominis, cui non est salus.
Egredietur spiritus ejus, et revertetur in humum suam : in die illa peribunt cogitationes ejus [4].
Beatus cujus Deus Jacob auxiliator ejus :
spes ejus in Domino Deo suo.
Qui fecit cœlum et terram :
mare, et omnia quæ in eis sunt :
et custodit veritatem in sempiternum (h. sæculum).
Qui facit judicium calumniam sustinentibus,
et dat panem esurientibus.
Dominus solvit vinctos :
Dominus illuminat cæcos :
Dominus erigit allisos (h. incurvatos) :
Dominus diligit justos.
Dominus custodit advenas,
pupillum et viduam suscipiet :
et viam impiorum conteret (h. pervertet).
Regnabit Dominus in æternum (h. sæculum),
Deus tuus, Sion, in generationem et generationem.
Alleluia.
(CXLVII.) Laudate [5] (h. Psallite) Dominum, quoniam bonum est canticum Dei nostri :
quoniam decorum est, pulchra laudatio.
Ædificabit (Ædificans) Jerusalem Dominus :
ejectos Israel congregabit (h. congregans).
Qui sanat contritos corde,
et alligat plagas (h. dolores) eorum.
Qui numerat multitudinem stellarum
et omnes nomine suo vocat.
A Magnus Dominus (h. dominator) noster, et multus fortitudine :
et prudentiæ ejus non est numerus,
Suscipiens mansuetos Dominus :
humilians impios usque ad terram.
Canite Domino in confessione :
canite (h. psallite) Deo nostro in cithara.
Qui operit cœlos nubibus,
et præbet terræ pluviam,
et oriri facit in montibus germen [6].
Qui dat jumentis panem suum :
filiis corvi clamantibus.
Non est in fortitudine equi voluntas ejus :
neque in tibiis viri placetur ei.
Placetur Domino in his qui timent eum,
et exspectant misericordiam ejus [7].
Lauda, Jerusalem, Dominum :
Cane Deum tuum, Sion.
Quia confortavit vectes portarum tuarum
B benedixit filiis tuis in medio tui.
Qui posuit terminum tuum pacem :
adipe (*Al.* et adipe) frumenti saturavit te.
Qui emittit eloquium suum terræ :
velociter currit verbum ejus.
Qui dat nivem quasi lanam :
prunam (*Al.* pruinas) quasi cinerem spargit
Projecit glaciem suam quasi buccellas :
ante faciem frigoris ejus quis stabit ?
Mittet verbum suum, et solvet illa :
spirabit spiritu suo, et fluent, aquæ.
Qui annuntiat verbum suum Jacob :
præcepta sua, et judicia sua Israel.
Non fecit similiter omni genti,
et judicia ejus non cognoscent. Alleluia,

ALLELUIA.

(CXLVIII.) Laudate Dominum de cœlis :
laudate eum in excelsis :
C Laudate eum, omnes angeli ejus :
laudate eum, omnes exercitus ejus.
Laudate eum, sol et luna,
laudate eum, omnes stellæ luminis.
Laudate eum, cœli cœlorum,
et aquæ, quæ super cœlos sunt,
Laudent nomen Domini :
Quoniam ipse mandavit (h. præcepit) et creata sunt.
Statuit ea in sæculum (h. æternum), et in æternum [8] (h sæculum),
præceptum dedit, et non præteribit.
Laudate Dominum de terra :
dracones et omnes abyssi.

Hebræo continent, et Veterum diligentissimorum Interpretum, Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis versiones eo carent. Legerunt tamen ex Orientalibus linguis Syrus atque Arabs interpretes, nisi si, quod suspicari ad hunc maxime locum licet, D ipsimet acceperunt ex LXX, qui diu antea sic interpretati sunt, Πιστὸς Κύριος ἐν πᾶσι λόγοις αὐτοῦ καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ. Fit sane ex his verosimillimum in Hebræo quoque archetypo ita scriptum olim exstitisse, ducto ab *nun* litterra versiculi exordio, נאמן יהוה בכל-דבריו וחסיד בכל-מעלשיו

[1] Pronomen *suam* in Cisterciensi m. tacet.

[2] Canon Memmianus et Carcassonensis legunt, *Et imples omnem animam benedictione.* Manifestius vero error apparet in scholio marginali, in quo exscriptor posuit *omnem virum*, ubi scholiastes scripserat, *omne vivum* : quod alio modo depravatum etiam legimus in ms. S. Michaelis ; ibi enim scriptum est, *satias omne obvium placite.* MART.

[3] Reginæ ms., *et benedicat omnis caro* etc.

[4] Ms. Cisterciens hic vocem *omnes* interserit, tum pronomem *ejus* prætermittit.

[5] Male legunt in speculo S. Augustini : *Laudate Dominum, quoniam bonus est : Canticum Dei nostri*, etc. Nam S. ipse Hieronymus docet in Hebræo scriptum esse: ALLELUIA, KI TOB ZAMRA, id est, *Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus.* Vide epist. *ad Marcellam*, cujus principium: *Nuper cum*, etc. MART.

[6] Subjungit Cisterciens. ms. alterum hemistichium *et herbam servituti hominum*, quod in hodierno quidem Hebraico exemplari non est ; sed nedum Septuaginta, verum etiam multo sequiorum interpretum Hexaplarium ævo exstitisse, ex eorum compertum est testimoniis. Alibi, sive ad psalm. CIV, vers. 15, ubi hæc eadem sententia occurit et verba ועשב לעבדת האדם interpretatus est S. Pater, *et fenum servituti hominum.*

[7] Reginæ ms. *Bene placetur.* Jam vero Cisterciensis hoc finito versiculo, juxta Vulgatæ divisionem præponit titulum *Alleluia*, ac novum psalmum a verbis, *Lauda, Jerusalem, Dominum*, auspicatur.

[8] Nostri mss. hic quoque habent *et in sæculum.*

Ignis, et grando, nix, et glacies :
ventus, turbo, quæ facitis sermonem ejus.
Montes et omnes colles :
Lignum fructiferum et univeræ cedri.
Bestiæ, et universa jumenta,
reptilia, et aves volantes.
Reges terræ et omnes populi :
principes et universi judices terræ.
Juvenes, et virgines :
senes cum pueris laudent nomen Domini.
Quoniam sublime nomen ejus solius :
gloria ejus in cœlo et in terra.
Et exaltavit cornu populi sui :
laus omnibus sanctis (h. misericordibus) ejus,
filiis Israel populo appropinquanti (h.propinquo) sibi. Alleluia.

ALLELUIA.

(CXLIX.) Cautate Domino canticum novum :
laus ejus in congregatione sanctorum (h.misericordium).
Lætetur Israel in factore suo :
filii Sion exsultent in rege suo.
Laudent nomen ejus in choro :
in tympano, et cithara cantent (h. psallant) ei.
Quia complacet sibi Dominus in populo suo :
exaltabit (h. glorificabit) mansuetos in Jesu (h. salutem).

A Exsultabant sancti (h. misericordes) in gloria :
laudabunt in cubilibus suis :
Exsultationes [1] Dei in gutture eorum,
et gladii ancipites in manibus eorum.
Ap faciendam vindictam in gentibus :
increpationes in populis (h. plebibus).
Ut alligent reges eorum catenis,
et inclytos eorum compedibus ferreis.
Ut faciant in eis judicium conscriptum :
decor est omnium sanctorum (h.omnibus misericordibus) ejus. Alleluia,

ALLELUIA.

(CL.) Laudate Dominum in sancto ejus :
laudate eum in firmamento fortitudinis) ejus.
Laudate eum in fortitudinibus ejus :
laudate eum juxta multitudinem magnificentiæ suæ.
B Laudate eum in clangore buccinæ :
laudate eum in psalterio et cithara,
Laudate eum in chordis et organo.
Laudate eum in cymbalis sonantibus :
laudate eum in cymbalis tinnientibus (h. jubilationis).
Omne quod spirat. laudet Dominum.
Alleluia [1].

Explicit liber Psalmorum [2].

[1] In Reginæ ms. ut in Vulgata, *Exaltationes.*

[2] Canon Carcassonensis solus ita habet scriptum ad calcem Psalterii. *Explicit Psalterium. Sunt in Psalterio versus* II. D. XXII, id est 3522, tot nempe quot numerantur in Hebræis Massoretharum exemplaribus. Hinc colligimus annotationem illam, qua numerus versuum Psalterii præfinitus est juxta Massorethas Hieronymo ætate multum inferiores, ab scholiaste Canonis Hebraicæ veritatis, vel ab alio scriptore antiquo Hebraice perito fuisse derivatam. MART.

PRÆFATIO [1] HIERONYMI IN LIBROS SALOMONIS [2].

Chromatio et Heliodoro episcopi [3] Hieronymus.

Jungat epistola. quos jungit sacerdotium : imo C Commentarios in Osee, Amos, Zachariam, Malacharta non dividat, quos Christi nectit amor [4]. chiam, quos posutus, scripsissem, si licuisset præ

[1] Canon Memmianæ Bibliothecæ hanc habet inscriptionem in fronte librorum Salomonis : *Hieronymus Chromatio et Heliodoro episcopis, de editione ad liquidum ex Hebræo translata.* Ecclesiæ autem Narbonensis Biblia Sacra, quæ Canonem Hebraicæ veritatis similiter complectuntur, ut suo loco explicatum est, hoc modo Proverbiorum inscribunt librum : *Liber Salomonis, id est Parabolæ ejus secundum Hebraicam veritatem translatæ ab Eusebio Hieronymo presbytero, petente Chromatio et Eliodoro episcopo.* Eadem, sed clarius, leguntur in ms.codices Bibliorum monasterii Silvæ majoris : *Liber Salomonis, id est Parabolæ ejus secundum Hebraicam veritatem translatæ ab Hieronymo presbytero, petentibus Chromatio et Heliodoro episcopis :* quem titulum invenimus in ms. etiam codices S. D Germani a Pratis, num. 6. Hinc, ni fallor, manifeste apparet præsentem translationem librorum Salomonis ipsissimam esse quam Hieronymus adversus Rufinum indicat his verbis : Salomonis etiam libros, quos olim juxta Septuaginta, additis obelis et asteriscis, in Latinum verteram ex Hebraico transferens et dedicans sanctis episcopis Chromatio et Heliodoro, hæc in præfatiunculæ meæ fine subjeci : Si cui

[2] Ita triginta ad minus mss. codices, qui constanter legunt *Masloth* in hac præfatione : quamvis in prologo Scripturarum libris Samuel et Malachim præfixo nonnulli scriptum habeant *Masaloth*, et Vaticanus jam sæpe laudatus, Misloth secundum Origenem Commentario in psalmum I, ubi Μισλὼθ legitur. Idem Vaticanus codex ms. consequenter pro *Cæleth* scribit Acoheleth ; de quo jam dictum est in nostris ad prologum Scripturarum, sive Principium Galeatum. Conferat ista qui voluerit. MART.

[3] Ad veterum librorum ex his etiam. quos Martianæus consuluit fidem addimus, *episcopis*, quod et Rabbanus in suo olim exemplari legit. Et vero Aquileiensis jam tum episcopus erat Chromatius iste, cui Commentariorum librum in Habacuc non ita pridem S. ipse Pater inscripserat : Altini autem cathedram obtinebat Heliodorus, quod nemo ignorat. Quin S. ipse Pater, ubi contra Rufinum lib. II num. 31 de hac sua librorum Salomonis translatione ex Hebraico sermonem habet, eam se ait dedicasse, *sanctis episcopis Chromatio et Heliodoro.*

[4] Iisdem pene usus est verbis epistola in nostra recensione 7 ad eumdem Chromatium. Jovinum et Eusebium scribens : *Non debet charta dividere quos amor mutuus copulavit.*

ne. Mittitis solatia sumptuum : notarios nostros et librarios sustentatis, ut vobis potissimum nostrum desudet ingenium. Et ecce ex latere frequens turba diversa poscentium : quasi aut æquum sit, me, vobis esurientibus, aliis laborare : aut in ratione dati et accepti, cuiquam, præter vos, obnoxius sim. Itaque longa ægrotatione fractus [1], ne penitus hoc anno reticerem, et apud vos mutus essem, tridui opus nomini vestro consecravi, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum, MASLOTH [2] משלות quas Hebræi *Parabolas*, Vulgata autem editio *Proverbia* vocat : COELETH קהלת quem Græce Ecclesiastem, Latine Concionatorem possumus dicere : SIR ASSIRIM שיר השירים quod in nostra lingua vertitur Canticum canticorum. Fertur et πανάρετος Jesu filii Sirach liber, et alius ψευδεπίγραφος qui Sapientia Salomonis inscribitur. Quorum priorem Hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, ut apud Latinos ; sed Parabolas prænotatum, cui juncti erant Ecclesiastes et Canticum canticorum, ut similitudinem Salomonis non solum librorum numero, sed etiam materiarum genere coæquaret. Secundus apud Hebræos nusquam est, quia [3] et ipse stylus Græcam eloquentiam redolet : et nonnulli scriptorum veterum hunc esse judæi Philonis affirmant [4]. Sicut ergo Judith, et Tobi, et Machabæorum libros legit quidem Ecclesia [5], sed inter canonicas Scripturas non recipit : sic et hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Si cui sane Septuaginta interpretum magis editio placet, habet eam [6] a nobis olim emendatam. Neque enim sic nova cudimus, ut vetera destruamus. Et tamen cum diligentissime legerit, sciat magis nostra intelligi, quæ non in tertium vas transfusa coacuerint, sed statim de prelo purissimæ commendata testæ, suum sapsrem servaverint.

jeci : Si cui Septuaginta interpretum magis editio placet, habet eam a nobis olim emendatam,» etc. Nec huic opinioni officiunt additamenta quædam in contextum Vulgatæ nostræ Latinæ e LXX Seniorum interpretatione ; quia hæc longe post ætatem Hieronymi inserta sunt Hebraicæ translationi non temere ut heterodoxi criminantur, sed, ob illuminationem sententiæ, vel lectoris ædificationem, juxta quod testatur auctor hujusmodi additamentorum, qui mox ad signum primi obeli ÷ e tenebris proditurus est in nostras adnotationes ad cap. v hujus editionis. MART.

[1] Hæc illa nobis videtur ægrotatio, in quam se queritur incidisse S. Pater epistola in nostra recensione 114, et ex qua non ita pridem convaluisse se indicat in prologo ad tertium librum Commentariorum in Amos. Verbum hæc fusius in præfixa huic tomo præfatione, eoque luculentius in S. Doctoris Vita prosequemur.

[2] Diximus hac de lectione superius ad prologum Galeatum : nam quod terminatione utitur feminina cum in Scriptura nomen istud משר masculini generis continuo sit, atque adeo ipse libri titulus in statu, ut vocant, constructo ferat משלי שלמה factum videtur ex rabbinorum more, ac vulgo recepta jam inde ab Hieronymi ævo, ejus nominis efferendi ratione atque usu.

[3] Malim legere *quin* pro *quia* ; sive *quin ipse stylus* etc.

[4] Aberrant ab omni veritatis specie qui Philonem Alexandrinum, qui Caii temporibus fuit, nobilissimum Platonis imitatorem hic innui putant. Etenim multo est Philo iste, cui *liber Sapientiæ* tanquam auctori, vel saltem interpreti tribuebatur, antiquior, utpote qui ab Alexandro Polyhistore, qui L. Sullæ temporibus floruit, laudatur, ut auctor est Eusebius libro IX *Præparationis evangelicæ*. ubi quindecim fere versus e Philonis opere των περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα e Polyhistoris testimonio adducit. Laudatur quoque a Josepho lib. I *contra Appionem* num. 23, cui et *Philo senior*, Φίλων ὁ πρεσβύτερος dicitur : tametsi eum ethnicum, non judæum putase videatur, quod inter ethnicos scriptores recenseat. Apertissime vero Judæum vocat Hieronymus : et ejus eum gentis fuisse, quæ tractavit librorum argumenta persuadent, ut est illud *de Regibus Judæorum*, cujus meminit, Clemens Alexandrinus in primo *Stromatum*, ubi et ab ethnico scriptore Demetrio Phalereo in illa consignanda litteris historia, tradit eum longius ablusisse. Porro librum Sapientiæ ab seniore isto Philone exaratum fuisse, quod ait Hieronymus, nonnullos scriptorum veterum putasse, minus est verosimile, quam quod habet vulgo recepta sententia, collegisse eum tantum atque descripsisse, sive tandem liberiori interpretatione eum libri exposuisse, quod Huetio placet.

[5] Videsis quæ hac de re nobis ad prologum galeatum notata sunt.

[6] Hujus recognitæ ad Græcum editionis librorum Salomonis nil hodie superest, nisi prologus ad Paulam et Eustochium, seu potius prologi ejus fragmentum, quod suo loco subsequenti tomo recensebimus. Cæterum hanc ipsam ex Hebræo versionem quam excudimus, Hieronymum auctorem non habere, quod Græcorum additamentis non careat. critici quidam, et cum primis Capellus contendit : quorum argumentis in ipsa operis recognitione faciemus satis : ubi eas quæ tredecim ad summum toto libro additiones sunt ex Græca translatione ascitæ, Hieronymianos melioris notæ codices non habere, neque lectas olim fuisse antiquis scriptoribus, qui ea versione usi sunt, ostendemus.

INCIPIT.

LIBER PROVERBIORUM,

Hebraice dictus

MASLOTH.

[*Cap.* I.] Ad sciendam sapientiam et disciplinam ;
ad intelligenda verba prudentiæ :
Et suscipiendam eruditionem doctrinæ,
justitiam et judicium et æquitatem.
Ut detur parvulis astutia,
adolescenti scientia et intellectus.
Audiens sapiens sapientior erit,
et intelligens gubernacula possidebit.
Animadvertet parabolam et interpretationem, verba
sapientium et ænigmata eorum.
Timor Domini principium scientiæ [1] :
sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt.
Audi, fili mi, disciplinam patris tui,
et ne dimittas legem matris tuæ,
Ut addatur gratia capiti tuo,
et torques collo tuo.
Fili mi, si te lactaverint peccatores,
ne acquiescas [2] :
Si dixerint, veni nobiscum,
insidiemur sanguini,
abscondamus tendiculas contra insontem
frustra.
Deglutiamus eum sicut infernus viventem,
et integrum quasi descendentem in lacum.
Omnem pretiosam substantiam reperiemus,
implebimus domos nostras spoliis.
Sortem mitte nobiscum,
marsupium unum sit omnium nostrum.
Fili mi, ne ambules cum eis,
prohibe pedem tuum a semitis eorum.
Pedes enim illorum ad malum currunt,
et festinant, ut effundant sanguinem.
Frustra autem jacitur rete
ante oculos pennatorum.
Ipsi quoque [*Al.* Ipsique] contra sanguinem suum
insidiantur,
et moliuntur fraudes contra animas suas.
Sic semitæ omnis avari,
animas possidentium rapiunt.
Sapientia foris prædicat,
in plateis dat vocem suam :
In capite turbarum clamitat,
in foribus portarum urbis
profert verba sua, dicens :
Usquequo, parvuli, diligilis infantiam,
et stuti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient,
et imprudentes odibunt scientiam ?
Convertimini ad correptionem meam :
en proferam vobis spiritum meum,
et ostendam verba mea.
Quia vocavi, et renuistis :
extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret.
Despexistis omne consilium meum,
et increpationes meas neglexistis.

A Ego quoque in interitu vestro ridebo,
et subsannabo, cum vobis quod timebatis, adve-
nerit.
Cum irrueruit repentina calamitas,
et interitus quasi tempestas ingruerit :
quando venerit super vos tribulatio, et angustia :
Tunc invocabunt me et non exaudiam :
mane consurgent, et non invenient me :
Eo quod exosam habuerint disciplinam,
et timorem Domini non susceperint :
Nec acquieverint consilio meo,
et detraxerint universæ correptioni meæ.
Comedunt igitur fructus viæ suæ,
suisque consiliis saturabuntur.
Aversio [3] parvulorum interficiet eos,
et prosperitas stultorum perdet illos.
Qui autem me audierit, absque terrore requiescet,
et abundantia perfruetur,
malorum timore sublato.
B [*Cap.* II.] Fili mi, si susceperis sermones meos,
et mandata mea absconderis penes te :
Ut audiat sapientiam auris tua :
inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.
Si enim sapientiam invocaveris,
et inclinaveris cor tuum prudentiæ :
Si quæsieris ea quasi pecuniam,
et sicut thesauros effoderis illam :
Tunc intelliges timorem Domini,
et scientiam Dei invenies :
Quia Dominus dat sapientiam :
et ex ore ejus scientia, et prudentia,
Custodiet rectorum salutem,
et proteget gradientes simpliciter.
Servans semitas justitiæ.
et vias sanctorum custodiens.
Tunc intelliges justitiam, et judicium,
et æquitatem, et omnem semitam bonam.
Si intraverit sapientia cor tuum,
C et scientia animæ tuæ placuerit :
Consilium custodiet te,
et prudentia servabit te,
ut eruaris a via mala,
ab homine, qui perversa loquitur.
Qui relinquunt iter rectum,
et ambulant per vias tenebrosas :
Qui lætantur cum malefecerint,
et exsultant in rebus pessimis :
Quorum viæ perversæ,
et infames gressus eorum.
Ut eruaris a muliere aliena,
et ab extranea, quæ mollit sermones suos :
Et relinquit ducem pubertatis suæ,
et pacti Dei sui oblita est.
Inclinata est enim ad mortem domus ejus,

[1] Aliquot mss. etiam apud Martian. juxta Vulgatam *sapientiæ* : mox vero alii *disciplinam* pro *doctrinam* legunt.

[2] Addunt omnes mss., præter Colbertinum num. 158 et San-Germanansem num. 15, pronmem *eis*, *ne acquiescas ei*, Sed abest in Hebræo, ac facile subauditur in hac sententia. MART.

D

[3] In uno apud nos ms. *Eversio* legitur, in Hebræo est משובת, quod *aversionem*, sive *recessionem*, in malam continuo partem sonat.

et ad inferos semitæ ipsius.
Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur,
nec apprehendent semitas vitæ.
Ut ambules in via bona :
et calles justorum custodias.
Qui enim recti sunt, habitabunt in terra,
et simplices permanebunt in ea.
Impii vero de terra perdentur :
et qui inique agunt, auferuntur ex ea.
[*Cap.* III.] Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et
præcepta mea custodiat cor tuum.
Longitudinem enim dierum, et annos vitæ,
et pacem apponent tibi.
Misericordia et veritas non te deserant,
circumda eas gutturi tuo.
et describe in tabulis cordis tui :
Et invenies gratiam, et disciplinam bonam,
coram Deo et hominibus.
Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo,
et ne innitaris prudentiæ tuæ.
In omnibus viis tuis cogita illum,
et ipse diriget gressus tuos.
Ne sis sapiens apud temetipsum :
time Dominum, et recede a malo :
Sanitas quippe erit umbilico tuo.
et irrigatio ossium tuorum.
Honora Dominum de tua substantia,
et de primitiis omnium frugum tuarum :
Et implebuntur horrea tua saturitate,
et vino torcularia tua redundabunt.
Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias,
nec deficias cum ab eo corriperis :
Quem enim diligit Dominus, corripit:
et quasi pater in filio complacet sibi.
Beatus homo, qui invenit sapientiam,
et cui affluit prudentia :
Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti,
et auro primo et purissimo fructus ejus [1] :
Pretiosior est cunctis opibus :
et omnia, quæ desiderantur, huic non valent
comparari.
Longitudo dierum in dextera ejus,
in sinistra illius divitiæ, et gloria.
Viæ ejus viæ pulchræ
et omnes semitæ illius pacificæ.
Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam :
et qui teneruit eam, beatus.
Dominus sapientia fundavit terram,
stabilivit cœlo prudentia.
Sapientia illius eruperunt abyssi,
et nubes rore concrescunt.
Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis :
Custodi legem atque consilium :
Et erit vita animæ tuæ,
et gratia faucibus tuis.
Tunc ambulabis fiducialiter in via tua,
et pes tuus non impinget.
Si dormieris, non timebis :
quiesces, et suavis erit somnus tuus.
Ne paveas repentino terrore,
et irruentes tibi potentias impiorum.
Dominus enim erit in latere tuo,
et custodiet pedem tuum, ne capiaris.
Noli prohibere benefacere eum qui potest :
si vales, et ipse benefac.
Ne dicas amico tuo : Vade, et revertere :
cras dabo tibi, cum statim possis dare.
Ne moliaris amico tuo malum,
A cum ille in te habeat fiduciam.
Ne contendas adversus hominem frustra,
cum ipse tibi nihil mali fecerit.
Ne æmuleris hominem injustum,
nec imiteris vias ejus :
Quia abominatio Domini est omnis illusor,
et cum simplicibus sermocinatio ejus.
Egestas a domino in domo impii :
tabernacula autem justorum benedicentur.
Illusores ipse deludet,
et mansuetis dabit gratiam.
Gloriam sapientes possidebunt :
stultorum exaltatio [2], ignominia.
[*Cap.* V.] Audite, filii, diciplinam patris,
et attendite, ut sciatis prudentiam.
Donum bonum tribuam vobis,
legem meam ne derelinquatis.
Nam et ego filius fui patris mei.
tenullus, et unigenitus coram matre mea :
B Et docebat me, atque dicebat :
Suscipiat verba mea cor tuum,
custodi præcepta mea, et vives.
Posside sapientiam, posside prudentiam :
ne obliviscaris, neque declines a verbis oris mei.
Ne dimittas eam, et custodiet te :
dilige eam, et servabit te.
Principium sapientiæ posside sapientiam,
et in omni possessione tua acquire prudentiam:
Arripe illam, et exaltabit te.
glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus:
dabit capiti tuo augmenta gratiarum,
et corona inclyta proteget te.
Audi, fili mi, et suscipe verba mea,
ut multiplicentur tibi anni vitæ.
Viam sapientiæ monstrabo tibi,
ducam te per semitas æquitatis.
Quas cum ingressus fueris, non actabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.
C Tene disciplinam, ne dimittas eam :
custodi illam, quia ipsa est vita tua.
Ne delecteris semitis impiorum,
nec tibi placeat malorum via.
Fuge ab ea, nec transeas per illam
declina, et desere eam.
Non enim dormiunt nisi malefecerint :
et rapitur somnus ab eis nisi supplantaverint.
Comedunt panem impietatis,
et vinum iniquitatis bibunt.
Justorum autem semita quasi lux splendens
procedit, et crescit usque ad perfectam diem.
Via impiorum tenebrosa :
nesciunt ubi corruant.
Fili mi, ausculta sermones meos,
et ad eloquia mea inclina aurem tuam.
Ne recedant ab oculis tuis,
custodi ea in medio cordis tui :
Vita enim sunt invenientibus ea,
et universæ carni sanitas.
D Omni custodia serva cor tuum,
quia ex ipso vita procedit :
Remove a te os pravum
et detrebentia labia sint procul a te.
Oculi tui recta videant,
et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.
Dirige semitam pedibus tuis,
et omnes viæ tuæ stabilientur.
Ne declines ad dexteram, et ad sinistram :
averte pedem tuum a malo.

[1] Cannonem hic Memmianum Hebræo consentaneum secuti sumus. Canon Carcassonensis et mss. Corbeiensis num. 14 habebant prima manu, *et auro primo fructus ejus*, sine *purissimo*, quam lectionem adhuc retinent mss. San-Gem. num. 15. Cæteri cum editis legunt, *et auri primi et purissimi*, etc. MART. — Propius ad Vulgatam lectionem, sub aliis tamen interpunctione lectum olim a Rabbano aliquot aliis, *Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti et auri : primi et purissimi fructus ejus.*

[2] Pro *exaltatione*, in mss. corrupte legitur *exsultatio* : nam in Hebræo scriptum est מרום *marim*, quod exaltationem significat. MART.

Vias enim, quæ a dextris sunt, novit Dominus ;
perversæ vero sunt quæ a sinistris sunt.
Ipse autem rectos faciet cursus tuos,
itinera autem tua in pace producet.
[*Cap. V.*] Fili mi, attende ad sapientiam meam.
et prudentiæ meæ inclina aurem tuam,
Ut custodias cogitationes,
et disciplinam labia tua conservent.
[1] Favus enim distillans labia meretricis,
et nitidius oleo guttur ejus :
Novissima autem illius amara quasi absinthium,
et acuta quasi gladius biceps.
Pedes ejus descendunt in mortem.
et ad inferos gressus illius penetrant.
Per semitam vitæ non ambulant,
vagi sunt gressus ejus, et investigabiles [2].
Nunc ergo, fili, audi me,
et ne recedas a verbis oris mei.
Longe fac ab ea viam tuam,
et ne appropinques foribus domus ejus.
Ne des alienis honorem tuum,
et annos tuos crudeli.
Ne forte impleantur extranei viribus tuis,
et labores tui sint in domo aliena :
Et gemas in novissimis,
Quando consumpseris carnes tuas, et corpus tuum.
Et dicas : Cur detestatus sum disciplinam,
et increpationibus non acquievit cor meum,
Nec audivi vocem docentium me,
et magistris non inclinavi aurem meam :
Pene fui in omni malo,
in medio Ecclesiæ et synagogæ.
Bibe aquam de cisterna tua,
et fluenta putei tui :
Deriventur fontes tui foras,
et in plateis aquas tuas divide.
Habeto eas solus,
nec sint alieni participes tui.
Sit vena tua benedicta,
et lætare [*Al. lactare*] cum muliere adolescentiæ tuæ :
Cerva charissima, et gratissimus hinnulus.
Ubera ejus inebrient te omni tempore,
A in amore ejus delectare jugiter.
Quare seduceris, fili mi, ab aliena,
et foveris in sinu alterius ?
Respicit Dominus vias hominis,
et omnes gressus ejus considerat.
Iniquitates suæ capiunt impium,
et funibus peccatorum suorum constringitur.
Ipse morietur, quia non habuit disciplinan,
et in multitudine stultitiæ suæ decipietur.
[*Cap VI.*] Fili mi, si spoponderis pro amico tuo,
defixisti apud extraneum manum tuam ;
ilaqueatus es verbis oris tui,
et captus propriis sermonibus.
Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera :
quia incidisti in manum proximi tui.
Discurre, festina, suscita amicum tuum :
Ne dederis somnum oculis tuis,
nec dormitent palpebræ tuæ.
Eruere quasi damula de manu,
B et quasi avis de insidiis aucupis.
Vade ad formicam, o piger,
et considera vias ejus, et disce sapientiam ;
Quæ cum non habeat ducem,
nec præceptorem, nec principem
Parat æstate cibum sibi,
et congregat in messe quod comedat,
Usquequo, piger, dormies ?
quando consurges e somno tuo ?
Paululum dormies, paululum dormitabis,
paululum conseres manus, ut dormias :
Et veniet tibi quasi viator, egestas,
et pauperis quasi vir armatus [3].
Homo apostata, vir inutilis,
graditur ore perverso,
Annuit oculis, terit pede,
digito loquitur,
Pravo corde machinatur malum,
et in omni tempore jurgia seminat.
C Huic extemplo veniet perditio sua,
et subito conteretur, nec habebit ultra medicinam.
Sex sunt, quæ odit Dominus,
et septimum detestatur anima ejus :
Oculos sublimes, linguam mendacem,

[1] Indicat marginalis iste obelus additamentum quoddam e LXX Interpretibus translatum in Vulgatam Latinam editionem, uti nunc legimus : *Ne attendas fallaciæ mulieris*. Quæ verba absunt in Hebræo in exemplaribus canonis. Heraicæ veritatis, et in omnibus antiquis mss. codicibus : neque hujus additamenti meminit Speculum S. Augustini ad Hieronymianam ex Hebræo translationem concinnatum. At in id genus additamentorum, quæ obelis a nobis indicantur curiosius attendentes, veram eorum deprehendimus originem in antiquo anonymo scriptore, qui sequenten attexuit admonitionem ad finem præfationis in libros Salomonis, editæ ab Hieronymo cum hæc volumina primum recensuit ad Græcos codices LXX Translatorum, obelis et astericis opus omne distinguens : « Ideo et de Hebræo, inquit, anonymus noster, Præfatiuncula utraque in hoc libro præmissa est : quia nonnulla de Græco ob illuminationem sensus, et legentis ædificationen vel inserta Hebraicæ translationi, vel extrinsecus juncta sunt. Et idcirco qui legis semper peregrini memento. » Hæc quidem ille quisquis fuerit, sive scholiastes Canonis Hebraicæ veritatis, sive alius ejusdem ætatis scriptor. Quæcunque igitur lectorem admonuit, posita reperiuntur in Canone Memmiano ante octingentos annos descripto : nam ambæ Hieronymi Præfatiunculæ (hoc est, et prima quam præmiserat ad suam versionem ex LXX Interpretibus, et postorior edita cum translatione Hebraica) initio liborum Salomonis in codice leguntur cum admonitione ejusdem anonymi attexta ad calcem prioris præfationis. Deinde nonnullan partem additarum sententiarum in corpore positam retinet ; cætera e regione ad marginem repræsentat ; ita ut diceres Memmianum codicem eum esse in quo primum auctor hanc e Græco admissionem inseruit in translationem Hebraicam. Non sic canon Carcassonensis, cujus exscriptor omnia additamenta, uno vel duobus exceptis, transtulit in sacrum contextum. Cæteri mss. codices omittunt isthæc adscititia, vel extrinsecus reponunt ad margines : unde idem accidisse in libro
D Poverborium manifestum est, quod in libris Regum supra monuimus ad cap. v. Huc ergo amandari se patietur studiosus lector. Porro præfatio Hieronymi, ad cujus calcem anonymus suam admonitionem attexuit, typis excusa habetur cum notis in fine primæ hujus Bibliothecæ. MART.

[2] Pro *ininvestigabiles*, ut alibi interpretatur a *vestigo* verbo.

[3] Canon Memmianus sententiam quam in Vulgata Latina addita monet obelus noster, intra contextum retinet hoc loco ; Canon vero Carcassonensis extrinsecus in ora inferioris codicis. MART.

— Alterum hocce additamentum in Vulgata, *Si autem impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longe fugiet a te*, ex Græco τῶν LXX depromptum, a Rabbano quoque legitur, qui tamen pleraque ejusmodi alia non novit : Hieronymiani autem vetustiores sinceri codices, juxta Hebræi textus fidem plane nesciunt.

manus effundentes innoxium sanguinem :
Cor machinans cogitationes pessimas,
pedes veloces ad currendum in malum ;
Proferentem mendacia testem fallacem,
et eum qui seminat inter fratres discordias.
Conserva, fili mi, præcepta patris tui,
et ne dimittas legem matris tuæ.
Liga ea in corde tuo jugiter,
et circunda gutturi tuo.
Cum ambulaveris, gradiantur tecum :
cum dormieris, custodiant te ;
et evigilans loquere cum eis.
Quia mandatum lucerna est,
et lex lux,
et via vitæ increpatio disciplinæ :
Ut custodiant te a muliere mala,
et a blanda lingua extraneæ.
Non concupiscat pluchritudinem ejus cor tuum,
nec capiaris nutibus illius.
Pretium enim scorti vix unius est panis :
mulier autem viri pretiosam animam capit.
Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo,
ut vestimenta illius non ardeant ?
Aut ambulare super prunas,
ut non comburantur plantæ ejus ?
Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui,
non erit immundus cum tetigerit eam,
Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit :
furatur enim, ut esurientem impleat animam:
Deprehensus quoque reddet septuplum,
et omnem substantiam domus suæ tradet.
Qui autem adulter est,
propter cordis inopiam perdet animam suam:
Turpitudinem et ignominiam congregat sibi,
et opproprium illius non delebitur :
Quia zelus et furor viri
non parcet in die vindictæ,
nec acquiscet cujusquam precibus.
nec suscipiet pro redemptione dona plurima.
[*Cap.* VII.] Fili mi, custodi sermones meos,
et præcepta mea reconde tibi.
Fili, serva mandata mea, et vives :
et legem meam quasi pupillam oculi tui.
Liga eam in digitis tuis,
scribe illam in tabulis cordis tui .
Dic sapientiæ, soror mea es,
et prudentiam voca amicam tuam :
Ut custodiat te a muliere extranea,
et ab aliena, quæ verba sua dulcia facit.
De fenestra enim domus meæ
per cancellos prospexi :
Et video parvulos,
considero vecordem juvenem,
Qui transit in platea juxta angulum,
et prope viam domus illius graditur :
In obscuro, advesperascente die,
in noctis tenebris, et caligine.
Et ecce occurrit illi mulier,
ornatu meretricio præparata ad capiendas animas
Garrula et vaga, quietis impatiens,
nec valens in domo consistere pedibus suis :
Nunc foris, nunc in plateis,
nunc juxta angulos insidians.
Apprehensumque deosculatur juvenem,
et procaci vultu blanditur, dicens :
Victimas pro salute devovi,
hodie reddidi vota mea.
Idcirco egressa sum in occursum tuum,
desiderans te videre, et reperi.
Intexui funibus lectum meum,
stravi tapetibus pictis ex Ægypto.
Aspersi cubile meum myrrha.
A et aloe, et cinnamomo.
Veni, inebriemur uberibus donec illucescat dies,
et fruamur cupitis amplexibus.
Non est enim vir in domo sua,
abiit via longissima.
Sacculum pecunmæ secui tulit :
in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam.
Irretivit eum multis sermonibus.
et blanditiis labiorum protraxit illum.
Statim eam sequitur
quasi bos ductus ad victiman,
Et quasi agnus lasciviens [1],
et ignorans quod ad vincula stultus trahatur :
Donec transfigat sagitta jecur ejus,
velut si avis festinet ad laqueum :
et nescit quia de periculo animæ illius agitur.
Nunc ergo, fili mi, audi me,
et attende verba oris mei.
Ne abstrahatur in viis illius mens tua :
B neque decipiaris semitis ejus.
Multos enim vulneratos dejecit,
et fortissimi quique interfecti sunt ab ea,
Viæ inferi domus ejus,
penetrantes in interiora mortis
[*Cap.* VIII.] Nunquid non sapientia clamitat,
et prudentia dat vocem suam,
In summis excelsisque verticibus supra viam,
in mediis semitis stans,
Juxta portas civitatis
in ipsis foribus loquitur, dicens :
O viri, ad vos clamito,
et vox mea ad filios hominum.
Intelligite, parvuli, astutiam,
et insipientes, animadvertite,
Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum :
et aperientur labia mea, ut recta prædicent.
Veritatem meditabitur guttur meum,
et labia mea detestabuntur impium.
C Justi sunt omnes sermones mei,
non est in eis pravum quid, neque perversum.
Recti sunt intelligentibus,
et æqui invenientibus scientiam
Accipite disciplinam meam, et non pecuniam :
doctrinam magis, quam aurum eligite.
Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis,
et omne desiderabile ei non potest comparari.
Ego sapientia habito in consilio,
et eruditis intersum cogitationibus.
Timor Domini odit malum ;
arrogantiam et superbiam, et viam pravam,
et os bilingue detestor.
Meum est consilium, et æquitas,
mea est prudentia, mea est fortitudo.
Per me reges regnant;
et legum conditores justa decernunt ;
Per me principes imperant,
et potentes decernunt justitiam.
D Ego diligentes me diligo :
et qui mane vigilant ad me, invenient me.
Mecum sunt divitiæ, et gloria,
opes superbæ, et justita.
Melior est fructus meus auro, et lapide pretioso,
et genimina mea argento electo.
In viis justitiæ ambulo,
in medio semitarum judicii :
Ut ditem diligentes me,
et thesauros eorum repleam.
Dominus possedit me initio viarum suarum,
antequam quidquam faceret a principio.
Ab æterno ordinata sum,
et ex antiquis antequam terra fieret.
Necdum erant abyssi, et ego jam concepta eram :

[1] In Hebræo est עכס, quod *compedem* sonat : estque sensus, *sicut compes ad castigationem stulti.* Vulgo autem putant lectum a S. interprete in suo Hebraico exemplari כבש, quod est *agnus* pro עכס, Malim ego opinari cum Symmacho se aptasse magis. qui vertit σκιρτῶν, id est *saliens* etc.

necdum fontes aquarum eruperant :
necdum montes gravi mole constiterant.
Ante colles ego parturiebar :
adhuc terram non fecerat, et flumina,
et cardines orbis terræ.
Quando præparabat cœlos, aderam :
quando certa lege, et gyro vallabat abyssos :
Quando æthera firmabat sursum,
et librabat fontes aquarum.
Quando circumdabat mari terminum suum,
et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos :
Quando appendebat fundamenta terræ,
cum eo eram cuncta componens :
et delectabar per singulos dies,
Ludens coram eo omni tempore,
ludens in orbe terrarum :
et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.
Nunc ergo, filii, audite me :
Beati qui custodiunt vias meas.
Audite disciplinam, et estote sapientes,
et nolite abjicere eam.
Beatus homo qui audit me,
qui vigilat ad fores meas quotidie,
et observat ad postes ostii mei.
Qui me invenerit, inveniet vitam,
et hauriet salutem a Domino :
Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam.
Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.
[*Cap.* IX.] Sapientia ædificavit sibi domum,
excidit columnas septem.
Immolavit victimas suas, miscuit vinum,
et proposuit mensam suam.
Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem,
et ad mœnia civitatis :
Si quis est parvulus, veniat ad me.
Et insipientibus locuta est :
Venite, comedite panem meum,
et bibite vinum quod miscui vobis
Relinquite infantiam, et vivite,
et ambulate per vias prudentiæ.
Qui erudit derisorem, ipse sibi facit injuriam :
et qui arguit impium, sibi maculam generat.
Noli arguere derisorem, ne oderit te.
Argue sapientem, et diligit te.
Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia.
Doce justum, et festinabit accipere.
Principium sapientiæ, timor Domini :
et scientia sanctorum, prudentia.
Per me enim multiplicabuntur dies tui,
et addentur tibi anni vitæ.
Si sapiens fueris, tibimetipsi eris :
si autem illusor, solus portabis malum.
Mulier stulta et clamosa,
plenaque illecebris, et nihil omnino sciens,
Sedit in foribus domus suæ,
super sellam in excelso urbis loco,
Ut vocaret transeuntes per viam,
et pergentes itinere suo :
Quis est parvulus? declinet ad me.
Et vecordi locuta est :
Aquæ furtivæ dulciores sunt,
et panis absconditus suavior.
Et ignoravit quod ibi gigantes sint,
et in profundis inferni convivæ ejus.

PARABOLÆ SALOMONIS.

[*Cap.* X.] Filius sapiens lætificat patrem :
filius vero stultus mœstitia est matris suæ.
Non proderunt thesauri impietatis :
justitia vero liberabit a morte.
Non affliget Dominus fame animam justi.
et insidias impiorum subvertet [1].

A Egestatem operata est manus remissa :
manus autem fortium divitias parat.
Qui congregat in messe, filius sapiens est :
qui autem stertit æstate, filius confusionis.
Benedictio Domini super caput justi :
os autem impiorum operit iniquitatem,
Memoria justi cum laudibus,
et nomen impiorum putrescet.
Sapiens corde præcepta suscipiet :
stultus cæditur labiis.
Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter :
qui autem depravat vias suas, manifestus erit.
Qui annuit oculo, dabit dolorem :
stultus labiis verberabitur.
Vena vitæ, os justi :
et os impiorum operiet iniquitatem.
Odium suscitat rixas :
et universa delicta operiet charitas.
In labiis sapientis invenitur sapientia :
B et virga in dorso ejus qui indiget corde.
Sapientes abscondunt scientiam :
os autem stulti confusioni proximum est.
Substantia divitis, urbs fortitudinis ejus :
pavor pauperum, egestas eorum.
Opus justi ad vitam :
fructus autem impii ad peccatum.
Via vitæ, custodienti disciplinam :
qui autem increpationes relinquit, errat.
Abscondunt odium labia mendacia :
qui profert contumeliam, insipiens est.
In multiloquio peccatum non deerit :
qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.
Argentum electum, lingua justi :
cor autem impiorum pro nihilo.
Labia justi erudiunt plurimos :
qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.
C Benedictio Domini divites facit,
nec sociabitur eis afflictio.
Quasi per risum stultus operatur scelus :
sapientia autem est viro prudentia.
Quod timet impius, veniet super eum :
desiderium suum justis dabitur.
Quasi tempestas transiens, non erit impius :
justus autem quasi fundamentum sempiternum.
Sicut acetum dentibus, et fumus oculis,
sic piger his qui miserunt eum.
Timor Domini apponet dies :
et anni impiorum breviabuntur.
Exspectatio justorum lætitia :
spes autem impiorum peribit,
Fortitudo simplicis via Domini
et pavor his, qui operantur malum.
Justus in æternum non commovebitur :
impii autem non habitabunt super terram,
D Os justi parturiet sapientiam :
lingua pravorum peribit.
Labia justi considerant placita :
et os impiorum perversa.
[*Cap.* XI.] Statera dolosa, abominatio apud Dominum :
et pondus æquum voluntas ejus.
Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia :
ubi autem humilitas, ibi et sapientia.
Simplicitas justorum diriget eos :
et supplantatio perversorum vastabit illos.
Non proderunt divitiæ in die ultionis :
justitia autem liberabit a morte.
Justitia simplicis diriget viam ejus :
et in impietate sua corruet impius.
Justitia rectorum liberabit eos :

[1] Addunt Vulgatæ codices, *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos; idem autem ipse sequitur aves volantes;* quæ nedum in Hebræo, sed et Græco, et melioris notæ Hieronymianis codicibus atque impressis Regiis bibliis non sunt.

et in insidiis suis capientur iniqui.
Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes :
et exspectatio sollicitorum peribit.
Justus de angustia liberatus est :
et tradetur impius pro eo.
Simulator ore decipit amicum suum :
justi autem liberabuntur scientia.
In bonis justorum exsultabit civitas :
et in perditione impiorum erit laudatio.
Benedictione justorum exaltabitur civitas :
et ore impiorum subvertetur.
Qui despicit amicum suum, indigens corde est :
vir autem prudens tacebit.
Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana :
qui autem fidelis sit animi, celat amici commissum.
Ubi non est gubernator, populus corruet :
salus autem ubi multa consilia.
Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo :
qui autem cavet laqueos, securus erit.
Mulier gratiosa inveniet[1] [*Al.* habebit] gloriam :
et robusti habebunt divitias.
Benefacit animæ suæ vir misericors :
qui autem crudelis est, et propinquos abjicit.
Impius facit opus instabile :
seminanti autem justitiam merces fidelis.
Clementia præparat vitam :
et sectatio malorum mortem.
Abominabile Domino pravum cor :
et voluntas ejus in iis, qui simpliciter ambulant.
Manus in manu non erit innocens malus.
semen autem justorum salvabitur.
Circulus aureus in naribus suis :
mulier pulchra et fatua.
Desiderium justorum omne bonum est :
præstolatio impiorum furor.
Alii dividunt propria, et ditiores fiunt :
alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt.
Anima, quæ benedicit, impinguabitur :
et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.
Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis :
benedictio autem super caput vendentium.
Bene consurgit diluculo qui quærit bona :
qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis.
Qui confidit in divitiis, corruet :
justi autem quasi virens folium germinabunt.
Qui conturbat domum suam, possidebit ventos :
et qui stultus est, serviet sapienti.
Fructus justi lignum vitæ :
et qui suscipit animas sapiens est.
Si justus in terra recipit :
quanto magis impius et peccator?
[*Cap.* XII.] Qui diligit disciplinam, diligit scientiam :
qui autem odit increpationes, insipiens est.
Qui bonus est, hauriet a Domino gratiam :
qui autem confidit in cogitationibus suis, impie agit.
Non roborabitur homo ex impietate :
et radix justorum non commovebitur.
Mulier diligens, corona est viro suo :
et putredo in ossibus ejus, quæ confusione res dignas gerit.
Cogitationes justorum judicia :
et consilia impiorum fraudulenta.
Verba impiorum insidiantur sanguini :
os justorum liberabit eos.
Verte impios, et non erunt :
domus autem justorum permanebit.

A Doctrina sua noscetur vir :
qui autem vanus et excors est, patebit contemptui.
Melior est pauper et sufficiens sibi,
quam gloriosus et indigens pane.
Novit justus animam jumentorum suorum :
viscera autem impiorum crudelia.
Qui operatur terram suam, satiabitur panibus :
qui autem sectatur otium, stultissimus est[2].
÷ Desiderium impii munimentum est pessimorum :
radix autem justorum proficiet,
Propter peccata labiorum ruina proximat malo :
effugiet autem justus de angustia.
De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis,
et juxta opera manuum suarum retribuetur ei.
Via stulti recta in oculis ejus :
qui autem sapiens est, audit consilia.
Fatuus statim indicat iram suam :
qui autem dissimulat injuriam, callidus est :
B Qui quod novit loquitur, index[3] justitiæ est :
qui autem mentitur, testis est fraudulentus.
Est qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiæ :
lingua autem sapientium sanitas est.
Labium veritatis firmum erit in perpetuum :
qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacii.
Dolus in corde cogitantium mala,
qui autem ineunt pacis consilia, sequitur eos gaudium.
Non contristabit justum quidquid ei acciderit :
impii autem replebuntur malo.
Abominatio Domino labia mendacia :
qui autem fideliter agunt, placent ei.
Homo versutus celat scientiam :
et cor insipientium provocat stultitiam.
Manus fortium dominabitur :
quæ autem remissa est tributis serviet.
C Mœror in corde viri humiliabit illum,
et sermone bono lætificabitur.
Qui negligit damnum propter amicum, justus est :
iter autem impiorum decipiet eos.
Non inveniet fraudulentus lucrum :
et substantia hominis erit auri pretium.
In semita justitiæ, vita :
iter autem devium ducit ad mortem.
[*Cap.* XIII.] Filius sapiens, doctrina patris :
qui autem illusor est, non audit cum arguitur.
De fructu oris homo satiabitur bonis :
anima autem prævaricatorum iniqua.
Qui custodit os suum, custodit animam suam :
qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.
Vult et non vult piger :
anima autem operantium impinguabitur.
Verbum mendax justus detestabitur :
impius autem confundit, et confundetur.
D Justitia custodit innocentis viam :
impietas autem peccatorem supplantat.
Et quasi dives, cum nihil habeat :
et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit.
Redemptio animæ viri, divitiæ suæ :
qui autem pauper est, increpationem non sustinet.
Lux justorum lætificat :
lucerna autem impiorum extinguetur.
Inter superbos semper jurgia sunt :
qui autem agunt cuncta cum consilio, reguntur sapientia.
Substantia festinata minuetur :

[1] Pro *inveniet*, aliquot mss. codices legunt, *habebit*. Canon Memmianus utramque retinet varian-tem lectionem in contextu, *habebit*, et in margine *inveniet*. MART.

[2] In Vulgatæ editionibus additum est : *Qui suavis est in vini demorationibus* [male quidam legunt, *moderationibus*] *in suis munitionibus relinquit contumeliam*. Quæ verba ex Græcis exemplaribus petita, Hebræus, ac Hieronymianæ versionis codices plane ignorant.

[3] Quidam editi libri, Latinique Interpretes *judex* pro *index* legunt, haud recte.

quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur
Spes quæ differtur, affligit animam :
lignum vitæ desiderium veniens.
Qui detrahit alicui rei, ipse in futurum obligat se :
qui autem timet præceptum in pace versabitur[1]
Lex sapientis fons vitæ,
ut declinet a ruina mortis.
Doctrina bona dabit gratiam :
in itinere contemptorum vorago.
Astatus omnia agit cum consilio :
qui autem fatuus est, aperit stultitiam.
Nuntius impii cadet in malum.
legatus fidelis sanitas.
Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam :
qui acquiescit arguenti, glorificabitur.
Desiderium si compleatur, delectat animam :
detestantur stulti eos, qui fugiunt mala.
Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit :
amicus stultorum efficietur similis.
Peccatores persequitur malum,
et justis retribuentur bona.
Bonus relinquit hæredes filios, et nepotes :
et custoditur justo substantia peccatoris.
Multi cibi in novalibus patrum :
et aliis congregantur absque judicio.
Qui parcit virgæ, odit filium suum :
qui autem diligit illum, instanter erudit.
Justus comedit, et replet animam suam :
venter autem impiorum insaturabilis.
(*Cap.* XIV.) Sapiens mulier ædificat domum suam,
insipiens exstructam quoque destruet manibus.
Ambulans recto itinere, et timens Deum,
despicitur ab eo qui infami graditur via.
In ore stulti virga superbiæ :
labia autem sapientium custodiunt eos.
Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est ;
ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo bovis.
Testis fidelis non mentitur :
profert autem mendacium dolosus testis.
Quærit derisor sapientiam, et non inveniet :
doctrina prudentium facilis.
Vade contra virum stultum,
et nescit labia prudentiæ.
Sapientia callidi est intelligere viam suam ;
et imprudentia stultorum errans.
Stultus illudet peccatum,
et inter justos morabitur gratia.
Cor quod novit amaritudinem animæ suæ,
in gaudio ejus non miscebitur extraneus.
Domus impiorum delebitur :
tabernacula vero justorum germinabunt.
Est via, quæ videtur homini justa :
novissima autem ejus deducunt ad mortem.
Risus dolore miscebitur,
et extrema gaudii luctus occupat.
Viis suis replebitur stultus,
et super eum erit vir bonus.
Innocens credit omni verbo :
A astutus considerat gressus suos[2].
Sapiens timet, et declinat a malo,
stultus transilit, et confidit.
Impatiens operabitur stultitiam :
et vir versutus odiosus est.
Possidebunt parvuli stultitiam,
et astuti expectabunt scientiam :
Jacebunt mali ante bonos :
et impii ante portas justorum.
Etiam proximo suo pauper odiosus erit :
amici vero divitum multi.
Qui despicit proximum suum, peccat :
Qui autem miseretur pauperis, beatus erit[3].
Errant qui operantur malum :
misericordia et veritas præparant bona.
In omni opere erit abundantia :
ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.
Corona sapientium, divitiæ eorum :
B fatuitas stultorum imprudentia.
Liberat animas testis fidelis :
et profert mendacia versipellis.
In timore Domini fiducia fortitudinis,
et filiis ejus erit spes.
Timor Domini fons vitæ,
ut declinent a ruina mortis.
In multitudine populi dignitas regis :
et in paucitate plebis ignominia principis,
Qui patiens est, multa gubernatur prudentia :
qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.
Vita carnium, sanitas cordis :
putredo ossium, invidia.
Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus :
honorat autem eum, qui miseretur pauperis.
In malitia sua expelletur impius :
sperat autem justus in morte sua :
in corde prudentis requiescit sapientia,
et indoctos quosque erudiet.
C Justitia elevat gentem :
miseros facit populos peccatum.
Acceptus est regi minister intelligens :
iracundiam ejus inutilis sustinebit.
(*Cap.* XV.) Responsio mollis frangit iram :
sermo durus suscitat furorem.
Lingua sapientium ornat scientiam :
os fatuorum ebullit stultitiam.
In omni loco oculi Domini
contemplantur malos et bonos.
Lingua placabilis, lignum vitæ
quæ autem immoderata est, conteret spiritum.
Stultus irridet disciplinam patris sui :
qui autem custodit increpationes, astutior fiet[4].
Domus justi plurima fortitudo.
et in fructibus impii conturbatio.
Labia sapientium disseminabunt scientiam :
cor stultorum dissimile erit.
Victimæ impiorum abominabiles Domino :
D vota justorum placabilia.
Abominatio est Domino via impii :
qui sequitur justitiam, diligitur ab eo.

[1] Manuscripti codices hic quoddam habent additamentum, prout supra dicebamus : non eamdem quidem sententiam, quæ in Vulgata legitur ; sed quæ occurrit infra cap. XIV, vers. 15. MART.

— Vulgatæ codices addunt : *Animæ dolosæ errant in peccatis, justi autem misericordes sunt, et miserentur*, quæ videntur ex fere similibus sententiis Psalmorum XXVI et CXI in Græcum exemplare importata. In Hebræo, ex eoque derivatis Hieronymianis codicibus non habentur.

[2] Additamentum, quod Vulgata retinet hoc loco, non legitur in mss. codicibus. Vide præcedentem annotationem nostram ad cap. III, vers. 13. Prout notatur numerus versuum in editis. MART.

— Iterum idem ferme additamentum in Vulgatæ aliquot editionibus occurrit : *Filio doloso non erit boni, servo autem sapienti prospere erunt actus, et dirigetur via ejus*, quæ ex superioris proxime capituli versu 13 in Græco ad verbum mutuata sunt.

[3] Neque in Hebræo sunt, neque in Græco, neque demum in vetustioribus Latinis mss. quæ hic subjungunt Vulgatæ codices verba, *qui credit in Domino, misericordiam diligit*.

[4] Nonnulla Vulgatæ versionis exemplaria addunt, *In abundanti justitia virtus maxima est ; cogitationes autem impiorum eradicabuntur*, quæ nedum in Hebræo, ex eoque expressis Hieronymianis codicibus, sed et in Græcis aliquot editionibus desiderantur, nec aliud videntur esse, quam subsequentis versiculi, *Domus justi*, etc., duplex interpretatio,

Doctrina mala deserenti viam [1] :
qui increpationes odit, morietur.
Infernus, et perditio coram Domino :
quanto magis corda filiorum hominum !
Non amat pestilens eum, qui se corripit :
nec ad sapientes graditur.
Cor gaudens exhilarat faciem :
in mœrore animi dejicitur spiritus.
Cor sapientis quærit doctrinam :
et os stultorum pascitur imperitia.
Omnes dies pauperis, mali :
secura mens quasi juge convivium.
Melius est parum cum timore Domini,
quam thesauri magni et insatialibes.
Melius est vocare [2] [*Al.* vocari] ad olera cum charitate,
quam ad vitulum saginatum cum odio.
Vir iracundus provocat rixas :
qui patiens est, mitigat suscitatas,
Iter pigrorum quasi sepes spinarum :
via justorum absque offendiculo.
Filius sapiens lætificat patrem :
et stultus homo despicit matrem suam :
Stultitia gaudium stulto :
et vir prudens dirigit gressus.
Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium,
ubi vero sunt plures consiliarii, confirmantur.
Lætatur homo in sententia oris sui :
et sermo opportunus est optimus.
Semita vitæ super eruditum,
ut declinet de inferno novissimo.
Domum superborum demolietur Dominus :
et firmos faciet terminos viduæ.
Abominatio Domini cogitationes malæ,
et purus sermo pulcherrimus [3].
Conturbat domum suam qui sectatur avaritiam :
qui autem odit munera, vivet [4],
Mens justi meditabitur obedientiam[*Al.*sapientiam[5]]:
os impiorum redundat malis.
Longe est Dominus ab impiis ;
et orationes justorum exaudiet.
Lux oculorum lætificat animam :
fama bona impinguat ossa.
Auris, quæ audit increpationes vitæ,
in medio sapientium commorabitur.
Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam :
qui autem acquiescit increpationibus, sessor est cordis.
Timor Domini, disciplina sapientiæ :
et gloriam præcedit humilitas.
(*Cap.* XVI.) Hominis est animam præparare :
et Domini gubernare linguam,
Omnes viæ hominis patent oculis ejus :
spirituum ponderator est Dominus.
Revela Domino opera tua,
et dirigentur cogitationes tuæ.
Universa propter semetipsum operatus est Dominus ;
impium quoque ad diem malum.
Abominatio Domini omnis arrogans :
etiam si manu ad manum fuerit non est innocens [6].
Misericordia et veritate redimitur iniquitas :
A et in timore Domini declinatur a malo.
Cum placuerint Domino viæ hominis,
inimicos quoque ejus convertet ad pacem.
Melius est parum cum justitia,
quam multi fructus cum iniquitate.
Cor hominis disponit viam suam :
sed Domini est dirigere gressus ejus,
Divinatio in labiis regis.
in judicio non errabit os ejus.
Pondus et statera judicia Domini sunt :
et opera ejus omnes lapides sacculi [7],
Abominabiles regi qui agunt impie :
quoniam justitia firmatur solium.
Voluntas regum labia justa :
qui recta loquitur, diligetur.
Indignatio regis nuntii mortis :
et vir sapiens placabit eam.
In hilaritate vultus regis, vita :
et clementia ejus quasi imber serotinus.
B Posside sapientiam, quia auro melior est :
et acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.
Semita justorum declinat mala :
custos animæ suæ servat viam suam.
Contritionem præcedit superbia :
et ante ruinam exaltabitur spiritus.
Melius est humiliari cum mitibus,
quam dividere spolia cum superbis.
Eruditus in verbo reperiet bona :
et qui in Domino sperat, beatus est.
Qui sapiens corde est, appellabitur prudens :
et qui dulcis eloquio, majora percipiet.
Fons vitæ eruditio possidentis,
doctrina stultorum fatuitas.
Cor sapientis erudiet os ejus :
et labiis illius addet gratiam.
Favus mellis, verba composita :
dulcedo animæ, sanitas ossium.
C Est via quæ videtur homini recta :
et novissima ejus ducunt ad mortem.
Anima laborantis laborat sibi,
quia compulit eum os suum.
Vir impius fodit malum,
et in labiis ejus ignis ardescit.
Homo perversus suscitat lites ;
et verbosus separat principes.
Vir iniquus lactat amicum suum :
et ducit eum per viam non bonam.
Qui attonitis oculis cogitat prava,
mordens labia sua perficit malum.
Corona dignitatis senectus,
quæ in viis justitiæ reperietur.
Melior est patiens viro forti :
et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium:
Sortes mittuntur in sinum,
sed a Domino temperantur.
(*Cap.* XVII). Melior est buccella sicca cum gaudio,
quam domus plena victimis cum jurgio.
D Servus sapiens dominabitur filiis stultis,
et inter fratres hæreditatem dividet.
Sicut igne probatur argentum, et aurum camino:
ita corda probat Dominus.
Malus obedit linguæ iniquæ

[1] Plus habet Vulgata *viam vitæ*, quod tamen postremum verbum Hebræus non agnoscit.

[2] Ita omnia mss. exemplaria : editi autem libri habent vocem passivam *vocari*, MART.

[3] Subjungunt Vulgatæ codices una serie, *firmabitur ab eo*, quæ nedum textus originales, sed et Græcus, ac plerique Latini libri cum editi, tum mss. ignorant.

[4] Denuo addit Vulgata, *Per misericordiam et fidem purgantur peccata, per timorem autem Domini declinat omnis a malo* : qui subsequentis capituli sextus est versus : hic vero semel apud solos Septuaginta habetur.

[5] Mss. San-Germanensis num. 15, *meditabitur sapientiam*. In Hebræo scriptum est, יהגה לעצות, *iege laanoth. meditabitur ad respondendum*. MART.

[6] Hic quoque addit Vulgatus interpres. *Initium viæ bonæ facere justitiam : aceepta est autem apud Deum magis quam immolans hastiam*, Hebræo cum plerisque aliis libris refragante. Vid, cap. xv, 7.

[7] Plerique post Bedam legunt *lapides sæculi*.

et fallax obtemperat labiis mendacibus.
Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus :
et qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus.
Corona senum filii filiorum :
et gloria filiorum patres eorum.
Non decent stultum verba composita ;
nec principem labium mentiens.
Gemma gratissima, exspectatio præstolantis :
quocunque se vertit, prudenter intelligit.
Qui celat delictum, quærit amicitias :
qui altero sermone repetit, separat fœderatos.
Plus proficit correptio apud prudentem,
quam centum plagæ apud stultum.
Semper jurgia quærit malus :
angelus autem crudelis mittetur contra eum.
Expedit magis ursæ occurrere raptis fetibus.
quam fatuo confidenti sibi in stultitia sua.
Qui reddit mala pro bonis,
non recedet malum de domo ejus.
Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum :
et antequam patiatur contumeliam, judicium deserit.
Qui justificat impium, et qui condemnat justum,
abominabilis est uterque apud Deum.
Quid prodest stulto habere divitias,
cum sapientiam emere non possit [1] ?
Omni tempore diligit qui amicus est :
et frater in angustiis comprobatur.
Homo stultus plaudet manibus.
cum spoponderit pro amico suo.
Qui meditatur discordiam, dirigit rixas :
et qui exaltat ostium [2], quærit ruinam.
Qui perversi cordis est, non inveniet bonum :
et qui vertit linguam, incidet in malum.
Natus est stultus in ignominiam suam :
sed nec pater in fatuo lætabitur.
Animus gaudens ætatem floridam facit :
spiritus tristis exsiccat ossa.
Munera de sinu impius accipit,
ut pervertat semitas judicii.
In facie prudentis lucet sapientia :
oculi stultorum in finibus terræ.
Ira patris, filius stultus :
et dolor matris quæ genuit eum.
Non est bonum damnum inferre justo,
nec percutere principem, qui recta judicat.
Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est
et pretiosi spiritus vir eruditus.
Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur :
et si compresserit labia sua, intelligens.
(*Cap.* XVIII) Occasiones [3] quærit qui vult recedere ab amico :
omni tempore erit exprobrabilis.
Non recipit stultus verba prudentiæ :
nisi ea dixeris, quæ versantur in corde ejus.

A Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit ;
sed sequitur eum ignominia et opprobrium.
Aqua profunda verba ex ore viri ;
et torrens redundans fons sapientiæ.
Accipere personam impii non est bonum.
ut declines a veritate judicii,
Labia stulti miscent se rixis :
et os ejus jurgia provocat.
Os stulti contritio ejus :
et labia ipsius, ruina animæ ejus.
Verba bilinguis, quasi simplicia :
et ipsa perveniunt ad [*Al.* usque ad] interiora ventris [4].
Qui mollis et dissolutus est in opere suo,
frater est sua opera dissipantis.
Turris fortissima, nomen Domini :
ad ipsum currit justus, et exaltabitur.
Substantia divitis urbs roboris ejus,
B et quasi murus validus circumdans eum.
Antequam conteratur, exaltatur, cor hominis :
et antequam glorificetur, humiliatur.
Qui prius respondet quam audiat,
stultum se esse demonstrat, et confusione dignum
Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam :
spiritum vero ad irascendum facilem quis poterit sustinere ?
Cor prudens possidebit scientiam :
et auris sapientium quærit doctrinam.
Donum hominis dilatat viam ejus,
et ante principes spatium ei facit.
Justus, prior est accusator sui :
venit amicus ejus, et investigabit eum.
Contradictiones comprimit sors,
et inter potentes quoque dijudicat.
Frater. qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma :
et judicia quasi vectes urbium.
De fructu oris viri replebitur venter ejus :
C et genimina labiorum ipsius saturabunt eum.
Mors, et vita in manu linguæ :
qui diligunt eam, comedent fructus ejus.
Qui invenit mulierem bonam [5], invenit bonum :
et hauriet jucunditatem a Domino [6].
Cum obsecrationibus loquetur pauper :
et dives effabitur rigide.
Vir amabilis [7] [*Al.* amicabilis] ad societatem,
magis amicus erit, quam frater.
(*Cap.* XIX.) Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua,
quam torquens labia sua insipiens [8].
Ubi non est scientia animæ, non est bonum :
et qui festinus est pedibus, offendet.
Stultitia hominis supplantat gressus ejus :
et contra Deum fervet animo suo :
Divitiæ addunt amicos plurimos :

[1] Addidit Vulgatus interpres alterum versiculum, *Qui aliam facit domum suam, quærit ruinam ; et qui evitat discere, incidet in mala*, ex solis Septuaginta derivatum.

[2] Nonnulli Latini libri *os tuum* pro *ostium* ferunt : quod item verbum qui legunt, de ore plerumque interpretantur.

[3] In Hebræo est, תאוה quod proprie *desiderium* sonat, sive, ut Aquila et Symmachus interpretantur εἰς ἐπιθυμίαν, Maluerit vero Hieronymus receptam vulgo ex LXX lectionem retinere, aut legerit ipsemet in Hebraico exemplari, voce haud ita absimili, תאנה, id est *occasionem*, pro תאוה.

[4] Subdit Vulgata, *Pigrum dejicit timor, animæ autem effeminatorum esurient ;* que vetus interpretatio est, ex LXX ejusdem versiculi, *Verba bilinguis* etc. In Complutensi autem editione, et Hieronymianis codicibus non habetur.

[5] Neque Hebræus, neque Latinæ aliquot editiones adjunctum istud, *bonam*, agnoscunt.

D [6] Hic iterum alium versiculum Vulgatæ quidam codices addunt : *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum ; qui autem tenet adulteram, stultus est et impius*, quem Latini ipsi codices plerique post Hebræum nesciunt. Vide criticos sacros.

[7] Pro amabili, mss. plures legunt amicabilem : *Vir amicabilis*, etc. Impolita quidem vox, sed quæ sensum Scripturæ non incongruum reddat. Id quoque retinet Speculum S. Augustini. MART.

[8] In exemplaribus Canonis, ac in nonnullis aliis mss. codicibus legitur, *quam dives torquens labia insipiens ;* sed verbum *dives* non habetur in Hebræo. neque in antiquissimis aliquot mss. emendatioribus versionis Hieronymi. Additum est ad complendam oppositionem cum præcedenti commate, in quo *pauper* post se vocem *cives* sibi contrariam exigere videbatur. MART. — Vulgata plus habet hic *dives*, quæ vox neque in Hebræo, neque in ipsis LXX aliisque melioris notæ Hieronymianis codicibus habetur.

a paupere autem et hi, quos habuit, separantur.
Testis falsus non erit impunitus :
et qui mendacia loquitur, non effugiet.
Multi colunt personam potentis,
et amici sunt dona tribuentis,
Fratres hominis pauperis oderunt eum :
insuper et amici procul recesserunt ab eo.
Qui tantum verba sectatur, nihil habebit :
qui autem possessor est mentis, diligit animam suam,
et custos prudentiæ inveniet bona.
Testis falsus non erit impunitus:
et qui loquitur mendacia, peribit.
Non decent stultum deliciæ,
nec servum dominari principibus.
Doctrina viri per patientiam noscitur :
et gloria ejus est iniqua prætergredi.
Sicut fremitus leonis, ita et regis ira :
et sicut ros super herbam, ita hilaritas ejus.
Dolor patris, filius stultus :
et tecta jugiter perstillantia, litigiosa mulier.
Domus, et divitiæ dantur a patribus :
a Domino autem proprie uxor prudens.
Pigredo immittit soporem,
et anima dissoluta esuriet.
Qui custodit mandatum, custodit animam suam
qui autem negligit vias suas, mortificabitur.
Feneratur Domino qui miscretur pauperis :
et vicissitudinem suam reddet ei :
Erudi filium tuum, ne desperes :
ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam.
Qui impatiens est, sustinebit damnum :
et cum rapuerit, aliud apponet.
Audi consilium, et suscipe disciplinam,
ut sis sapiens in novissimis tuis.
Multæ cogitationes in corde viri :
voluntas autem Domini permanebit.
Homo indigens misericors est :
et melior est pauper, quam vir mendax.
Timor Domini ad vitam :
et in plenitudine commorabitur, absque visitatione pessimi [*Al.* pessima].
Abscondit piger manum suam sub ascella,
nec ad os suum applicat eam.
Pestilente flagellato, stultus sapientior erit :
si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam.
Qui affligit patrem, et fugat matrem,
ignominiosus est et infelix.
Non cesses, fili, audire doctrinam,
nec ignores sermones scientiæ.
Testis impiuus deridet judicium :
et os impiorum devorat iniquitatem.
Parata sunt derisoribus judicia :
et mallei percutientes stultorum corporibus.
(*Cap.* XX.) Luxuriosa res, vinum et tumultuosa ebrietas :
quicunque his delectatur, non erit sapiens.
Sicut rugitus leonis, ita terror regis :
qui provocat eum, peccat in animam suam,
Honor est homini, qui separat se a contentionibus:
omnes autem stulti miscentur contumeliis.
Propter frigus piger arare noluit :
mendicabit ergo æstate, et non dabitur illi.
Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri :
sed homo sapiens exhauriet illud.
Multi homines misericordes vocantur :
virum autem fidelem quis inveniet ?

A Justus, qui ambulat in simplicitate sua,
beatos post se filios derelinquet.
Rex, qui sedet in solio judicii,
dissipat omne malum intuitu suo.
Quis potest dicere : Mundum est cor meum,
purus sum a peccato ?
Pondus et pondus, mensura et mensura :
utrumque abominabile est apud Deum.
Ex studiis suis intelligitur puer,
si munda et recta sint opera ejus.
Aurem audientem, et oculum videntem,
Dominus fecit utrumque.
Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat :
aperi oculos tuos, et saturare panibus.
Malum est, malum est, dicit omnis emptor :
et cum recesserit, tunc gloriabitur.
Est aurum, et multitudo gemmarum :
vas autem pretiosum labia scientiæ.
Tolle vestimentum ejus, qui fidejussor exstitit alieni
B et pro extraneis aufer pignus ab eo,
Suavis est homini panis mendacii :
et postea implebitur os ejus calculo.
Cogitationes consiliis roborantur :
et gubernaculis tractanda sunt bella,
Ei, qui revelat mysteria, et ambulat fraudulenter,
et dilatat labia sua, ne commiscearis.
Qui maledicit patri suo, et matri,
exstinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.
Hæreditas, ad quam festinatur in principio,
in novissimo benedictione carebit.
Ne dicas : Reddam malum [1] :
exspecta Dominum, et liberabit te.
Abominatio est apud Dominum pondus et pondus:
statera dolosa non est bona.
A Domino diriguntur gressus viri :
quis autem hominum intelligere potest viam suam ?
Ruina est hominis devorare sanctos [2],
C et post vota tractare.
Dissipat impios rex sapiens,
et incurvat super eos fornicem.
Lucerna Domini spiraculum hominis.
quæ investigat omnia secreta ventris.
Misericordia et veritas custodiunt regem,
et roboratur clementia thronus ejus.
Exsultatio juvenum fortitudo eorum :
et dignitas senum, canities,
Livor vulneris absterget mala :
et plagæ in secretioribus ventris.
(*Cap.* XXI.) Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini :
quocunque voluerit, inclinabit illud,
Omnis via viri recta sibi videtur :
appendit autem corda Dominus.
Facere misericordiam et judicium,
magis placet Domino, quam victimæ.
Exaltatio oculorum et dilatatio cordis :
D lucerna impiorum peccatum.
Cogitationes robusti semper in abundantia :
omnis autem piger semper in egestate.
Qui congregat thesauros lingua mendacii,
vanus est [3], et impingetur ad laqueos mortis.
Rapinæ impiorum detrahent eos,
quia noluerunt facere judicium.
Perversa via viri, aliena est :
qui autem mundus est, rectum opus ejus.
Melius est sedere in angulo domatis,
quam cum muliere litigiosa, et in domo communi
Anima impii desiderat malum,

[1] Exscriptores exemplarium Canonis addiderunt hoc loco verba duo isthæc, *pro malo;* in iis enim legimus, *reddam malum pro malo* ; sed id vitiosum comprobatur. MART.

[2] Dissentiunt inter se Latinæ quædam editiones, quarum aliæ habent, *Ruina est homni devotare sanctos* aliæ *devocare*, aut *Denotare sanctos*. Proprior Hebræo ac germana impressa lectio est. Mox *retractare* vulgati libri pro *tractare* legunt.

[3] Vulgati, et quidam penes Martian. mss. libri, *Vanus et excors est*, etc. ex τῶν LXX versione.

non miserebitur proximo suo.
Mulctato pestilente, sapientior erit parvulus:
et si sectetur sapientem, sumet scientiam.
Excogitat justus de domo impii,
ut detrahet impios a malo.
Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis.
et ipse clamabit, et non exaudietur.
Munus absconditum extinguit iras,
et donum in sinu indignationem maximam.
Gaudium justo est facere judicium,
et pavor operantibus iniquitatem,
Vir qui erraverit a via doctrinæ,
in cœtu gigantum commorabitur.
Qui diligit epulas, in egestate erit:
qui amat vinum, et pinguia, non ditabitur.
Pro justo datur impius:
et pro rectis iniquus.
Melius est habitare in terra deserta,
quam cum muliere rixosa et iracunda.
Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo
justi: et imprudens homo dissipabit illud.
Qui sequitur justitiam, et misericordiam,
inveniet vitam, justitiam, et gloriam.
Civitatem fortium ascendit sapiens,
et destruxit robur fiduciæ ejus.
Qui custodit os suum, et linguam suam,
custodit ab angustiis animam suam.
Superbus et arrogans vocatur indoctus,
qui in ira operatur superbiam.
Desideria occidunt pigrum:
noluerunt enim quidquam manus ejus operari:
Tota die concupiscit et desiderat:
qui autem justus est, tribuet, et non cessabit.
Hostiæ impiorum abominabiles.
quia offeruntur ex scelere.
Testis mendax peribit:
vir obediens loquetur victoriam.
Vir impius procaciter obfirmat vultum suum:
qui autem rectus est, corrigit viam suam.
Non est sapientia, non est prudentia,
non est consilium contra Dominum.
Equus paratur ad diem belli:
Dominus autem salutem tribuit.
(*Cap.* XXII.) Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ:
super argentum et aurum, gratia bona.
Dives et pauper obviaverunt sibi:
utriusque operator est Dominus.
Callidus vidit malum, et abscondit se:
innocens pertransiit, et afflictus est damno.
Finis modestiæ timor Domini,
divitiæ et gloria et vita.
Arma et gladii in via perversi:
custos autem animæ suæ longe recedit ab eis.
Proverbium est: Adolescens juxta viam suam,
etiam cum senuerit, non recedet ab ea,
Dives pauperibus imperat:
et qui accipit mortuum, servus est fenerantis,
Qui seminat iniquitatem, metet mala,
et virga iræ suæ consummabitur.
Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur:
de panibus enim suis dedit pauperi [1],
Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium,
cessabuntque causæ et contumeliæ.
Quidiligit cordis munditiam.
propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.
Oculi Domini custodiunt scientiam:
et supplantantur verba iniqui.
Dicit piger: Leo est foris.
A in medio platearum occidendus sum.
Fovea profunda os alienæ:
cui iratus est Dominus, incidet in eam.
Stultitia colligata est in corde pueri,
et virga disciplinæ fugabit eam.
Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas
dabit ipse ditiori, et egebit.
Inclina aurem tuam, et audi verba sapientium:
appone autem cor ad doctrinam meam.
Quæ pulchra erit tibi, cum servaveris eam in ventre
[*Al.* corde] tuo,
et redundabit in labiis tuis:
Ut sit in Domino fiducia tua,
unde et ostendi eam tibi hodie.
Ecce descripsi eam tibi tripliciter,
in cogitationibus et scientia:
Ut ostenderem tibi firmitatem, et eloquia veritatis,
respondere ex his, illis qui miserunt te.
Non facias violentiam pauperi, quia pauper est:
B neque conteras egenum in porta:
Quia judicabit Dominus causam ejus,
et configet eos, qui confixerunt animam ejus,
Noli esse amicus homini iracundo.
neque ambules cum viro furioso:
Ne forte discas semitas ejus,
et sumas scandalum animæ tuæ.
Noli esse cum his, qui defigunt manus suas,
et qui vades se offerunt pro debitis.
Si enim non habes unde restituas.
quid causæ est ut tollat operimentum de cubili tuo?
Ne transgrediaris terminos antiquos,
quos posuerunt patres tui.
Vidisti virum velocem in opere suo,
coram regibus stabit,
nec erit ante ignobiles.
(*Cap.* XXIII). Quando sederis, ut comedas cum principe,
diligenter attende quæ posita sunt ante faciem tuam:
C Et statue cultrum in gutture tuo,
si tamen habes in potestate animam tuam,
ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii.
Noli laborare ut diteris:
sed prudentiæ tuæ pone modum.
Ne erigas oculos tuos ad opes, quas habere non potes:
quia facient sibi pennas quasi aquilæ,
et volabunt in cœlum.
Ne comedas cum homine invido,
et ne desideres cibos ejus:
Quoniam in similitudinem arioli et conjectoris
æstimat quod ignorat.
Comede et bibe, dicet tibi:
et mens ejus non est tecum.
Cibos, quos comederas, evomes,
et perdes pulchros sermones tuos.
In auribus insipientium ne loquaris:
D quia despicient doctrinam eloquii tui.
Ne attingas terminos parvulorum [2]:
et agrum pupillorum ne introeas.
Propinquus enim illorum fortis est:
et ipse judicabit contra te causam illorum
Ingrediatur ad doctrinam cor tuum,
et aures tuæ ad verba scientiæ.
Noli subtrahere a puero disciplinam:
si enim percusseris eum virga non morietur.
Tu virga percuties eum:
et animam ejus de inferno liberabis.
Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus,

[1] Quædam Vulgatæ editiones addunt, *Victoriam et honorem acquiret qui dat munera, animam autem aufert accipientium* : quæ in aliis itidem editionibus, Hieronymianis codicibus, demum et Hebræo non sunt.

[2] Est autem in Hebræo גבול עולם, quod est *terminos olim*, sive *veteres*, pro quo videtur S. Pater עלם, duplici segol substracto, legisse *helem*, quod est *adolescens*, sive *parvulus*, pro עולם quod solo intermedio *Vau* differt.

gaudebit tecum cor meum :
Et exsultabunt renes mei,
cum locuta fuerint rectum labia tua.
Non æmuletur cor tuum peccatores :
sed in timore Domini esto tota die :
Quia habebis spem in novissimo,
et præstolatio tua non auferetur.
Audi, fili mi, et esto sapiens :
et dirige in via animum tuum.
Noli esse in conviviis potatorum,
nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt :
Quia vacantes potibus, et dantes symbola consumentur.
et vestietur pannis dormitatio.
Audi patrem tuum, qui genuit te,
et ne contemnas cum senuerit mater tua.
Veritatem eme, et noli vendere
sapientem, et doctrinam, et intelligentiam.
Exsultat gaudio pater justi :
qui sapientiam genuit, lætabitur in eo.
Gaudeat pater tuus, et mater tua,
et exsultet, quæ genuit te.
Præbe, fili mi, cor tuum mihi :
et oculi tui vias meas custodiant,
Fovea enim profunda est meretrix.
et putens angustus, aliena.
Insidiatur in via quasi latro:
et quos incautos viderit, interficiet,
Cui væ [1] ? cujus patri væ ?
cui rixæ ? cui foveæ ?
cui sine causa vulnera,
cui suffusio oculorum ?
Nonne his qui commorantur in vino,
et student calicibus epotandis ?
Ne intuearis vinum quando flavescit,
cum splenduerit in vitro color ejus
Ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber,
et sicut regulus venena diffundet.
Oculi tui videbunt extraneas.
et cor tuum loquetur perversa.
Et eris sicut dormiens in medio mari,
et quasi sopitus gubernator, amisso clavo :
Et dices : Verberaverunt me, sed non dolui :
traxerunt me, et ego non sensi :
quando evigilabo, et rursus vina reperiam ?
(*Cap.* XXIV.) Ne æmuleris viros malos,
nec desideres esse cum eis :
Quia rapinas meditatur mens eorum
et fraudes labia eorum loquuntur,
Sapientia ædificabitur domus,
et prudentia reborabitur.
In doctrina replebuntur cellaria,
universa substantia pretiosa et pulcherrima.
Vir sapiens, fortis est :
et vir doctus, robustus et validus.
Quia cum dispositione initur bellum :
et erit salus ubi multa consilia sunt.
Excelsa stulto sapientia.
in porta non aperiet os suum.
Qui cogitat mala facere,
stultus vocabitur.
Cogitatio stulti peccatum est :
et abominatio hominum detractor.
Si desperaveris lassus in die angustiæ :
imminuetur fortitudo tua.
Erue eos, qui ducuntur ad mortem :
et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.

A Si dixeris : Vires non suppetunt :
qui inspector est cordis, ipse intelligit.
Et servatorem animæ tuæ nihil fallit,
reddetque homini juxta opera sua.
Comede, fili mi, mel, quia bonum est,
ut favum dulcissimum gutturi tuo.
Sic et doctrina sapientiæ animæ tuæ :
quam cum inveneris, habebis in novissimis
et spes tua non peribit.
Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justi,
neque vastes requiem ejus.
Septies enim cadet [*Al.* cadit] justus et resurget :
impii autem corruent in malum.
Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas,
et in ruina ejus ne exsultet cor tuum :
Ne forte videat Dominus, et displiceat ei.
et auferat ab eo iram suam.
Ne contendas cum pessimis,
nec æmuleris impios :
B Quoniam non habent futurorum spem mali,
et lucerna impiorum exstinguetur.
Time Dominum, fili mi, et regem :
et cum detractoribus non commiscearis :
Quoniam repente consurget perditio eorum :
et ruinam utriusque quis novit ?
Hæc quoque sapientibus :
Cognoscere personam in judicio, non est bonum,
Qui dicunt impio : Justus es :
maledicent eis populi, et detestabuntur eos tribus.
Qui arguunt, laudabuntur :
et super ipsos veniet benedictio :
Labia deosculabitur,
qui recta verba respondet.
Præpara foris opus tuum,
et diligenter exerce agrum tuum :
ut postea ædifices domum tuam.
Ne sis testis frustra contra proximum tuum,
nec lactes quemquam labiis tuis.
C Ne dicas : Quomodo fecit mihi, sic faciam ei :
reddam unicuique secundum opus suum.
Per agrum hominis pigri transivi,
et per vineam viri stulti,
Et ecce totum repleverant urticæ :
operuerant superficiem ejus spinæ,
et maceria lapidum destructa erat.
Quod cum vidissem, posui in corde meo
et exemplo didici disciplinam.
Parum, inquam, dormies, modicum dormitabis,
pauxillum manus conseres, ut quiescas :
Et veniet tibi quasi cursor egestas tua,
et mendicitas quasi vir armatus.

HÆ QUOQUE PARABOLÆ SALOMONIS,

QUAS TRANSTULERUNT VIRI EZECHIÆ REGIS JUDA [3],

(*Cap.* XXV.) Gloria Dei est celare verbum,
et gloria regum investigare sermonem.
D Cœlum sursum, et terra deorsum,
et cor regum inscrutabile.
Aufer rubiginem de argento,
et egredietur vas purissimum.
Aufer impietatem de vultu regis.
et firmabitur justitia thronus ejus.
Ne gloriosus appareas coram rege,
et in loco magnorum ne steteris.
Melius est enim ut dicatur tibi : Ascende huc :
quam ut humilieris coram principe.
Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito :
ne postea emendare non possis,

[1] Hebræus habet ad verbum, *Cui oi* (sive *væ*) *et cui aboi* (sive *patri væ*). Hebraice : לאבוי לאוי למי. Videtur vero doctis viris Hieronymus alteram isocolon tribus sejunctim verbis ita legisse, לאי אב אוי, sive אב אוי duobus verbis, suffecto altero *Aleph*, pro אבוי.

[2] Plus habent editi, et penes Martianæum mss. aliquo libri *in novissimis spem ;* in Hebræo autem duntaxat est, ויש אחרית, *et erit in extremis.*

[3] Male in Canone Memm. positum hic legitur *Diapsalma* post verbum *Juda*. MART.

cum dehonestaveris amicum tuum :
Causam tuam tracta cum amico tuo,
et secretum extraneo ne reveles :
Ne forte insultet tibi cum audierit,
et exprobrare non cesset [1].
Mala aurea in lectis argenteis,
qui loquitur verbum in tempore suo.
Inauris aurea, et margaritum fulgens,
qui arguit sapientem, et aurem obedientem.
Sicut frigus nivis in die messis.
ita legatus fidelis ei qui misit eum,
animam ipsius requiescere facit.
Nubes, et ventus, et pluviæ non sequentes :
vir gloriosus, et promissa non complens.
Patientia lenietur princeps,
et lingua mollis confringet duritiam.
Mel invenisti, comede quod sufficit tibi,
ne forte satiatus evomas illud.
Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui,
ne quando satiatus oderit te.
Jaculum, et gladius, et sagitta acuta,
homo qui loquitur contra proximum suum testimonium falsum.
Dens putridus, et pes lassus,
qui sperat super infideli in die angustiæ,
et amittit pallium in die frigoris.
Acetum in nitro,
qui cantat carmina cordi pessimo [2].
Si esurierit inimicus tuus, ciba illum :
si sitierit, da ei aquam bibere :
Prunas enim congregabis super caput ejus,
et Dominus reddet tibi.
Ventus aquilo dissipat pluvias,
et facies tristis linguam detrahentem.
Melius est sedere in angulo domatis,
quam cum muliere litigiosa, et in domo communi.
Aqua frigida animæ sitienti,
et nuntius bonus de terra longinqua.
Fons turbatus pede, et vena corrupta,
justus cadens coram impio.
Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum :
sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.
Sicut urbs patens et absque murorum ambitu,
ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.
(*Cap.* XXVI.) Quomodo nix in æstate, et pluviæ in messe :
sic indecens est stulto gloria.
Sicut avis ad alia transvolans [3];
et passer quo libet vadens :
sic maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet.
Flagellum equo, et chamus asino,
et virga dorso imprudentium.
Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam,
ne efficiaris ei similis.
Responde stulto juxta stultitiam suam,
ne sibi sapiens esse videatur.
Claudus pedibus, et iniquitatem bibens,
qui mittit verba per nuntium stultum.
Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias :
sic indecens est in ore stultorum parabola.
Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii :
ita qui tribuit insipienti honorem.
Quomodo si spina nascatur in manu temulenti :
A sic parabola in ore stultorum.
Judicium determinat causas,
et qui imponit stulto silentium, iras mitigat.
Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum,
sic imprudens, qui iterat stultitiam suam.
Vidisti hominem sapientem sibi videri ?
magis illo spem habebit stultus.
Dicit piger : Leæna in via :
leo in itineribus :
Sicut ostium vertitur in cardine suo,
ita piger in lectulo suo.
Abscondit piger manum sub ascella sua,
et laborat si ad os suum eam converterit.
Sapientior sibi piger videtur
septem viris loquentibus sententias.
Sicut qui apprehendit auribus canem,
sic qui transit impatiens, et commiscetur rixæ alterius.
Sicut noxius est qui mittit sagittas, et lanceas in
B mortem :
ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo :
et cum fuerit deprehensus, dicit : Ludens feci.
Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis ;
et susurrone subtracto, jurgia conquiescent.
Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem,
sic homo iracundus suscitat rixas.
Verba susurronis quasi simplicia,
et ipsa perveniunt ad intima ventris.
Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile,
sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.
Labiis suis intelligitur inimicus,
cum in corde tractaverit dolos.
Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei :
quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.
Qui operit odium fraudulenter,
revelabitur malitia ejus in concilio,
Qui fodit foveam, incidet in eam :
et qui volvit lapidem, revertetur ad eum,
C Lingua fallax non amat veritatem,
et os lubricum operatur ruinas.
(*Cap.* XXVII.) Ne glorieris in crastinum,
ignorans quid superventura pariat dies.
Laudet te alienus, et non os tuum :
extraneus, et non labia tua.
Grave est saxum, et onerosa arena :
sed ira stulti utroque gravior.
Ita non habet misericordiam, nec erumpens furor :
et impetum concitati ferre quis poterit ?
Melior est manifesta correptio,
quam amor absconditus.
Meliora sunt vulnera diligentis,
quam fraudulenta oscula odientis.
Anima saturata calcabit favum :
anima esuriens et amarum pro dulci sumet.
Sicut avis transmigrans de nido suo,
sic vir qui derelinquit locum suum,
Unguento et variis odoribus delectatur cor ;
D et bonis amici consiliis anima dulcoratur.
Amicum tuum, et amicum patris tui ne dimiseris :
et domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ.
Melior est vicinus juxta.
quam frater procul.
Stude sapientiæ, fili mi, et lætifica cor meum ;
ut possis exprobranti respondere sermonem.
Astutus videns malum, absconditus est :
parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia.

[1] Hunc alium versiculum sufficiunt Vulgatæ codices : *gratia et amicitia liberant : quas tibi serva ne exprobrabilis fias* : ex solis quidem Septuaginta derivatum, sed qui præterea addunt, ἀλλὰ φύλαξον τὰς ὁδούς σου εὐσυναλλάκτως, *sed observa vias tuas in amicitia.* Nihil vero ex his sive Hebræus, sive Hieronymiani codices ipsi, seu demum Complutensis editio, habent.

[2] Iidem Vulgatæ codices addunt, *Sicut linea vestimento, et vermis ligno : ita tristitia viri nocet cordi*, quæ in Chaldæo quidem resonant, in Hebraico autem, et Hieronymianis codicibus, ut et in Complutensi editione, non sunt.

[3] Sunt nonnullæ editiones, ut est Sixti V et Complutensis, aliæque, tum loci hujus interpretes, qui legunt *ad alta*, pro *ad alia*.

Tolle vestimentum ejus, qui spopondit, pro extraneo :
et pro alienis, aufer ei pignus.
Qui benedicit proximo suo voce grandi,
de nocte consurgens maledicenti similis erit.
Tecta perstillantia in die frigoris,
et litigiosa mulier comparantur ;
Qui retinet eam, quasi qui ventum tenet,
et oleum dexteræ suæ vocabit,
Ferrum ferro acuitur,
et homo exacuit faciem amici sui.
Qui servat ficum, comedet fructus ejus :
et qui custos est Domini sui, glorificabitur,
Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientum, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.
Infernus et perditio non [*Al.* nunquam] replebuntur [1] :
similiter et oculi hominum insatiabiles.
Quomodo probatur in conflatorio argentum,
et in fornace aurum :
sic probatur homo ore laudantis [2].
Si contuderis stultum in pila
quasi ptisanas, feriente desuper pilo,
non auferetur ab eo stultitia ejus.
Diligenter agnosce vultum pecoris tui,
tuosque greges considera.
Non enim habebis jugiter potestatem :
sed corona tribuetur in generatione, et generationem.
Aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ virentes,
et collecta sunt fena de montibus.
Agni ad vestimentum tuum :
et hædi, ad agri pretium.
Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos,
et ad necessaria domus tuæ,
et ad victum ancillis tuis.
(*Cap.* XXVIII.) Fugit impius, nemine persequente :
justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.
Propter peccata terræ multi principes ejus :
et propter hominis sapientiam,
et horum scientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit.
Vir pauper calumnians pauperes,
similis est imbri vehementi, in quo paratur fames.
Qui derelinquunt legem, laudant impium :
qui custodiunt, succenduntur contra eum.
Viri mali non cogitant judicium :
qui autem requirunt Dominum, animadvertunt omnia.
Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam dives in pravis itineribus.
Qui custodit legem, filius sapiens est :
qui autem pascit comessatores, confundit patrem suum.
Qui coacervat divitias usuris et fenore,
liberali in pauperes congregat eas.
Qui declinat aures suas, ne audiat legem,
oratio ejus erit exsecrabilis.
Qui decipit justos in via mala,
in interitu suo corruet :
et simplices possidebunt bona ejus.
Sapiens sibi videtur dives :
pauper autem prudens scrutabitur eum.
In exsultatione justorum multa gloria :
regnantibus impiis ruinæ hominum
Qui abscondit scelera sua, non dirigetur :
qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.
Beatus homo, qui semper est pavidus ;
qui vero mentis est duræ, corruet in malum.
Leo rugiens, et ursus esuriens.
princeps impius super populum pauperem.
Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam :
qui autem odit avaritiam, longi fiunt dies ejus.
Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem,
si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet [3].
Qui ambulat simpliciter, salvus erit :
qui perversis graditur viis, concidet semel.
Qui operatur terram suam, saturabitur panibus :
qui autem sectatur otium, replebitur egestate.
Vir fidelis multum laudabitur :
qui autem festinat ditari, non erit innocens.
Qui cognoscit in judicio faciem, non facit bene :
iste et pro buccella panis deserit veritatem.
Vir qui festinat ditari, et aliis invidet,
ignorat quod egestas superveniet ei,
Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum,
magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit.
Qui subtrahit aliquid a patre suo, et a matre :
et dicit, hoc non est peccatum,
particeps homicidæ est.
Qui se jactat, et dilatat, jurgia concitat :
qui vero sperat in Domino, sanabitur.
Qui confidit in corde suo, stultus est :
qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur.
Qui dat pauperi, non indigebit :
qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.
Cum surrexerint impii, abscondentur homines :
cum illi perierint, multiplicabuntur justi.
(*Cap.* XXIX.) Viro, qui corripientem dura cervice contemnit,
repentinus ei superveniet interitus :
et eum sanitas non sequetur.
In multiplicatione justorum lætabitur vulgus :
cum impii sumpserint principatum, gemet populus.
Vir qui amat sapientiam, lætificat patrem suum ;
qui autem nutrit scorta, perdet substantiam.
Rex justus eriget terram,
vir avarus destruet eam.
Homo, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo,
rete expandit gressibus ejus.
Peccantem virum iniquum involvet laqueus :
et justus laudabit, atque gaudebit.
Novit justus causam pauperum :
impius ignorat scientiam.
Homines pestilentes dissipant civitatem :
sapientes vero avertunt furorem.
Vir sapiens, si cum stulto contenderit,
sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem.
Viri sanguinum oderunt simplicem :
justi autem quærunt animam ejus.
Totum spiritum suum profert stultus :
sapiens differt, et reservat in posterum.
Princeps, qui libenter audit verba mendacii,
omnes ministros habebit impios.
Pauper et creditor obviaverunt sibi :
utriusque illuminator est Dominus,
Rex qui judicat in veritate pauperes,
thronus ejus in æternum firmabitur.
Virga atque correptio tribuit sapientiam :
puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, con-

[1] Aliquot mss. codices, *nunquam replentur*, MART.

[2] Nedum Hebræus textus et Chaldæus, sed et Græcus ipse, et Latinus Complutensis editionis, demum et Hieronymiani codices versiculum, ignorant, quem Vulgata hic interserit : *Cor iniqui inquirit mala : cor autem rectum inquirit scientiam.*

[3] Digna, quam hic repetamus, trium apud Martianæum codicum lectio est : *Homini, qui calumniatur animæ : sanguinem ejus, si usque ad lacum fugerit, nemo sustentet.*

fundet matrem suam.
In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera :
et justi ruinas eorum videbunt,
Erudi filium tuum, et refrigerabit te,
et dabit delicias animæ tuæ.
Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus :
qui vero custodit legem, beatus est.
Servus verbis non potest erudiri :
quia quod dicis intelligit, et respondere contemnit.
Vidisti hominem velocem ad loquendum ?
stultitia magis speranda est quam illius correptio.
Qui delicate a pueritia nutrit servum suum,
postea illum sentiet contumacem.
Vir iracundus provocat rixas :
et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccatum proclivior.
Superbum sequitur humilitas ;
et humilem spiritu suscipiet gloria.
Qui cum fure participat, odit animam suam :
adjurantem audit, et non indicat.
Qui timet hominem, cito corruet :
qui sperat in Domino, sublevabitur :
Multi requirunt faciem principis :
et a Domino judicium egreditur singulorum.
Abominantur justi virum impium :
et abominantur impii eos, qui in recta sunt via [1].

VERBA CONGREGANTIS FILII VOMENTIS,

(*Cap.* XXX.) Visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus,
et qui Deo secum morante confortatus, ait :
Stultissimus sum virorum,
et sapientia hominum non est mecum.
Non didici sapientiam,
et novi sanctorum scientiam [2].
Quis ascendit in cœlum, atque descendit ?
quis continuit spiritum in manibus suis ?
Quis colligavit aquas quasi in vestimento ?
quis suscitavit omnes terminos terræ ?
Quod nomen ejus,
et quod nomen filii ejus, si nosti ?
Omnis sermo Dei ignitus,
clypeus est sperantibus in se.
Ne addas quidquam verbis illius,
et arguaris, inveniarisque mendax.
Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar :
Vanitatem, et verba mendacia longe fac a me.
Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi :
tribue tantum victui meo necessaria :
Ne forte satiatus illiciar ad negandum,
et dicam : Quis est Dominus ?
et egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei.
Ne accuses servum ad Dominum suum,
ne forte maledicat tibi, et corruas.
Generatio, quæ patri suo maledicit,
et quæ non benedicit matri suæ.
Generatio, quæ sibi munda videtur,
et tamen non est lota a sordibus suis.
Generatio, cujus excelsi sunt oculi,
et palpebræ ejus in alta surrectæ.

A Generatio, quæ pro dentibus gladios habet,
et commandit in molaribus suis, ut comedat inopes de terra,
et pauperes ex hominibus.
Sanguisugæ duæ sunt,
filiæ dicentes : Affer, affer.
Tria sunt insaturabilia,
et quartum, quod nunquam dicit : Sufficit,
Infernus, et os vulvæ,
et terra qui non satiatur aqua :
ignis vero nunquam dicit : sufficit.
Oculum, qui subsannat patrem.
et qui despicit partum matris suæ :
Effodiant eum corvi de torrentibus,
et comedant eum filii aquilæ.
Tria sunt difficilia mihi,
et quartum penitus ignoro :
Viam aquilæ in cœlo,
B viam colubri super petram,
viam navis in medio mari,
et viam viri in adolescentia.
Talis est et via mulieris adulteræ,
quæ comedit, et tergens os suum
dicit : Non sum operata malum.
Per tria movetur terra,
et quartum non potest sustinere :
Per servum cum regnaverit :
per stultum cum saturatus fuerit cibo :
Per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta :
et per ancillam cum hæres fuerit dominæ suæ.
Quatuor sunt minima terræ,
et ipsa sunt sapientiora sapientibus.
Formicæ populus infirmus,
quæ præparant in messe cibum sibi :
Lepusculus plebs invalida,
qui collocat in petra cubile suum :
C Regem locusta non habet.
et egreditur universa per turmas suas :
Stellio manibus nititur,
et moratur in ædibus regis.
Tria sunt, quæ bene gradiuntur,
et quartum, quod incedit feliciter :
Leo fortissimus bestiarum,
ad nullius pavebit occursum :
Gallus succinctus lumbos :
et aries : nec est rex, qui resistat ei.
Et qui stultus apparuit postquam elevatus est in sublime :
si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum.
Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac,
exprimit butyrum :
et qui vehementer emungit, elicit sanguinem :
et provocat iras, producit discordias.

VERBA LAMUELIS REGIS.

D (*Cap.* XXXI.) Visio, qua erudivit eum mater sua,
Quid, dilecte mi : quid, dilecte uteri mei ;
quid, dilecte votorum meorum ?
Ne dederis mulieribus substantiam tuam,
et vias tuas [3] ad delendos reges,

[1] Subjungit Vulg. editio versiculum : *Verbum custodiens filius, extra perditionem erit*, qui tametsi ex LXX duntaxat translatione in Latinos codices importatus est : ii tamen non hic loci habent, sed superiori capite XXIV, post versiculum vicesimum secundum. S. Augustinus libro *de Mendacio* ad Consent. c. 18, plus adhuc videtur legisse : *Verbum excipiens filius ; a perditione longe aberit : excipiens autem excipiet illud sibi, et nihil falsi de ore illius procedet.*

[2] Ita exemplaria Canonis Hebraicæ veritatis, nec non universi mss. codices. Editi addunt negativam particulam, *et non novi*, etc. quæ quidem subintelligenda venit in similibus Hebraismis, ut jam monuimus in adnotationibus nostris ad psalmul IX MART.

[3] Locus non uno modo depravatus errore librariorum. Canonis exemplaria, nonnullique alii mss. codices hanc retinent vitiosam lectionem : *Et divitias tuas ad delendos reges.* In multis legimus, *Et delicias tuas*, etc. Corbeiensis autem num. 1 optimæ notæ ac perantiquus, fonti Hebraico directe respondet : habet enim prima manu, *Et vias tuas*, etc., quod ita scriptum reperitur in Hebræis voluminibus, ubi

Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum : quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas.
Ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis.
Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo.
Bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius.
Aperi os tuum muto, et causis omnium filiorum qui pertranseunt :
Aperi os tuum, decerne quod justum est, et judica inopem et pauperem.
[*Aleph.*] Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus.
[*Beth.*] Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit.
[*Ghimel.*] Reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ.
[*Daleth.*] Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum.
[*He.*] Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.
[*Vav.*] Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.
[*Zain.*] Consideravit agrum, et emit eum : de fructu manuum suarum plantavit vineam.
[*Hheth.*] Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum.
[*Teth.*] Gustavit et vidit quia bona est negotiatio ejus : non exstinguetur in nocte lucerna illius.
[*Iod.*] Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum.
[*Caph.*] Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.
[*Lamed.*] Non timebit domui suæ a frigoribus nivis : omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus.
[*Mem.*] Stragulatam vestem fecit sibi : byssus et purpura indumentum ejus.
[*Nun.*] Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.
[*Samech.*] Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo.
[*Ain.*] Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo.
[*Phe.*] Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus.
[*Sade.*] Considerat semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.
[*Coph.*] Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt : vir ejus, et laudavit eam.
[*Res.*] Multæ filiæ congregaverunt divitias ; tu supergressa es universas.
[*Sin.*] Fallax gratia, et vana est pulchritudo : mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.
[*Thav.*] Date ei de fructu manuum suarum : et laudent eam in portis opera ejus.

verbum דרכיך *darkekchecha*, sive *derakeka*, *vias tuas* significat. MART. — Ita et Complutensis Latina editio, et melioris notæ codices Hieronymiani juxta Hebræum דרכיך, *vias tuas* præferunt : ubi alii *divitias*, alii *delicias* habent.

Explicit liber Proverbiorum.

INCIPIT

LIBER ECCLESIASTES,

Hebraice dictus

COELETH.

VERBA ECCLESIASTÆ[1] FILI DAVID REGIS JERUSALEM.

(*Cap.* I.) Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes : vanitas vanitatum, et omnia vanitas.
Quid habet amplius homo, de universo labore suo, quo laborat sub sole?
Generatio præterit, et generatio advenit, terra vero in æternum stat.
Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur :
Ibique renascens, gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem :
Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos regreditur,
Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat :
Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.
Cunctæ res difficiles : non potest eas homo explicare sermone.
Non saturatur oculus visu, nec auris impletur auditu.
Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est :
Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.
Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere : Ecce hoc recens est; Jam enim præcessit in sæculis ; quæ fuerunt ante nos,
Non est priorum memoria : sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo.

EGO ECCLESIASTES

fui rex Israel in Jerusalem.
Et proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole.
Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum,

[1] In cunctis mss. codicibus exscriptores posuerunt. *Verba Ecclesiastes*, etc. quasi *Ecclesiastes* nomen esset inflexibile aut Hebræum. MART.

ut occuparentur in ea.
Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole,
et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus.
Perversi difficile corriguntur,
et stultorum infinitus est numerus.
Locutus sum in corde meo, dicens :
Ecce magnus effectus sum,
et præcessi sapientia omnes,
qui fuerunt ante me in Jerusalem :
et mens contemplata est multa sapienter, et didicit.
Dedique cor meum, ut scirem prudentiam, atque doctrinam,
erroresque et stultitiam ;
Et agnovi quod in his quoque esset labor,
et afflictio spiritus :
Eo quod in multa sapientia, multa sit indignatio :
et qui addit scientiam, addit laborem [*Al.* dolorem].
(*Cap.* II.) Dixi ego in corde meo :
Vadam, et affluam deliciis,
et fruar bonis.
Et vidi quod hoc quoque esset vanitas.
Risum reputavi errorem :
et gaudio dixi : Quid frustra deciperis?
Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam,
ut animum meum transferrem ad sapientiam,
devitaremque stultitiam.
Donec viderem quid esset utile filiis hominum :
quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ.
Magnicavi opera mea :
ædificavi mihi domos,
et plantavi vineas :
Feci hortos, et pomaria,
et consevi ea cuncti generis arboribus ;
Et exstruxi mihi piscinas aquarum,
ut irrigarem silvam lignorum germinantium ;
Possedi servos et ancillas,
multamque familiam habui :
Armenta quoque, et magnos ovium greges,
ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem :
Coacervavi mihi argentum, et aurum, et
substantias regum, ac provinciarum ;
Feci mihi cantores, et cantatrices,
et delicias filiorum hominum,
Scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda,
et supergressus sum opibus omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem.
Sapientia quoque perseveravit mecum :
et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis :
Nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur,
et oblectaret se in his quæ præparaveram :
Et hanc ratus sum partem meam,
si uterer labore meo.
Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ,
et ad labores, in quibus frustra sudaveram,
Vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi,
et nihil permanere sub sole.
Transivi ad contemplandum sapientiam,
erroresque et stultitiam.
Quid est, inquam, homo,
ut sequi possit regem Factorem suum?
Et vidi quia tantum præcederet sapientia stultitiam,

A quantum differt lux a tenebris.
Sapientis oculi in capite ejus :
stultus in tenebris ambulat :
et didici quod unus utriusque esset interitus.
Et dixi in corde meo :
Si unus et stulti et meus occasus erit,
quid mihi prodest quod majorem sapientiæ dedi operam?
Locutus cum mente mea,
animadverti quod hoc quoque esset vanitas.
Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum,
et futura tempora oblivione cuncta pariter operient.
Moritur doctus [2] similiter et indoctus :
et idcirco tæduit me vitæ meæ,
Videntem mala universa esse sub sole,
et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus :
Rursus detestatus sum omnem industriam meam,
B qua sub sole studiosissime laboravi,
Habiturus hæredem post me,
quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit,
Et dominabitur in laboribus meis,
quibus desudavi et sollicitus fui :
et est quidquam tam vanum?
Unde cessavi,
renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole.
Nam cum alius laboret in sapientia, et doctrina,
et sollicitudine,
homini otioso quæsita dimittit :
et hoc ergo vanitas [3], et magnum malum.
Quid enim proderit homini de universo labore suo,
et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est?
Cuncti dies ejus doloribus et ærumnis pleni sunt,
nec per noctem mente requiescit :
et hoc ergo vanitas est [4].
Nonne melius est comedere et bibere,
et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis?
C et hoc de manu Dei est.
Quis ita vorabit,
et deliciis affluet ut ego?
Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam,
et scientiam, et lætitiam :
Peccatori autem dedit afflictionem, et curam superfluam,
ut addat, et congreget, et tradat ei qui placuit Deo :
sed et hoc vanitas, et cassa sollicitudo mentis.
(*Cap.* III.) Omnia tempus habent,
et suis spatiis transeunt universa sub cœlo.
Tempus nascendi,
et tempus moriendi.
Tempus plantandi,
et tempus evellendi quod plantatum est.
Tempus occidendi,
et tempus sanandi.
D Tempus destruendi,
et tempus ædificandi.
Tempus flendi,
et tempus ridendi.
Tempus plangendi,
et tempus saltandi.
Tempus spargendi lapides,
et tempus colligendi.
Tempus amplexandi,
et tempus longe fieri a complexibus.
Tempus acquirendi,

[1] Corbeiensis ms. num. i, *addit et dolorem*, quod emendatores posuerunt in plurimis exemplaribus, ubi prima manu scriptum erat, *addit laborem*. Uterque Canon, Carcassonensis videlicet ac Memmianus, purum retinet contextum. MART.

[2] Aliquot mss. cum Canone Carcass. emendato, *similiter ut indoctus*. MART.

[3] Memmianum hic Canonem secuti sumus. Carcassonensis legit interrogative : *Et hæc nonne vanitas est?* Cui consonant quam plures mss. codices. MART.

[4] Sub interrogandi nota Vulgatus interpres et quidam penes Martian. mss. *et hoc* (al. *hæc*) *nonne vanitas est?*

et tempus perdendi.
Tempus custodiendi,
et tempus abjiciendi.
Tempus scindendi,
et tempus consuendi.
Tempus tacendi,
et tempus loquendi.
Tempus dilectionis,
et tempus odii.
Tempus belli,
et tempus pacis.
Quid habet amplius homo
de labore suo?
Vidi afflictionem,quam dedit Deus filiis hominum,
ut distendantur in ea.
Cuncta fecit bona in tempore suo,
et mundum tradidit disputationi eorum,
ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus
ab initio usque ad finem.
Et cognovi quod non esset melius
nisi lætari, et facere bene in vita sua.
Omnis enim homo, qui comedit et bibit,
et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.
Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus,
perseverent in perpetuum :
Non possumus eis quidquam addere,
nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur.
Quod factum est, ipsum permanet :
quæ futura sunt, jam fuerunt :
et Deus instaurat quod abiit.
Vidi sub sole in loco judicii impietatem,
et in loco justitiæ iniquitatem.
Et dixi in corde meo :
justum et impium judicabit Deus,
et tempus omnis rei tunc erit.
Dixi in corde meo de filiis hominum,
ut probaret eos Deus,
et ostenderet similes esse bestiis.
Idcirco unus interitus est hominis et jumentorum,
et æqua utriusque conditio :
Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur :
similiter spirant omnia,
et nihil habet homo jumento amplius :
Cuncta subjacent vanitati,
et omnia pergunt ad unum locum :
de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur.
Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum,
et si spiritus jumentorum descendat deorsum :
Et deprehendi nihil esse melius
quam lætari hominem in opere suo,
et hanc esse partem illius.

A Quis enim eum adducet,ut post se futura cognoscat?
(*Cap.* IV.) Verti me ad alia,
et vidi calumnias, quæ sub sole geruntur,
Et lacrymas innocentium,
et neminem consolatorem :
Nec posse resistere eorum violentiæ,
cunctorum auxilio destitutos.
Et laudavi magis mortuos, quam viventes :
et feliciorem utroque judicavi,qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.
Rursum contemplatus sum omnes labores hominum,
et industrias :
Animadverti patere invidiæ proximi :
et in hoc ergo vanitas, et cura superflua est.
Stultus complicat manus suas,
et comedit carnes suas, dicens
Melior est pugillus cum requie,
quam plena utraque manus cum labore,et afflictione animi.
B Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole :
unus est, et secundum non habet,
non filium, non fratrem,
Et tamen labore non cessat,
nec satiantur oculi ejus divitiis :
Nec recogitat, dicens :
Cui laboro, et fraudo animam meam bonis?
et [*Al.* in] hoc quoque vanitas est [1],
et afflictio pessima.
Melius est ergo duo simul esse, quam unum :
habent enim emolumentum societatis suæ :
si unus ceciderit, ab altero fulcietur :
Væ soli; quia cum ceciderit,
non habet sublevantem se.
Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo;
unus quomodo calefiet?
Et si quispiam prævaluerit contra unum,
duo resistunt ei :
C funiculus triplex difficile rumpitur.
Melior est pauper et sapiens,
rege sene et stulto,
qui nescit prævidere in posterum.
Quod et de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum :
et alius natus in regno, inopia consumatur.
Vidi cunctos viventes, qui ambulant sub sole
cum adolescente secundo, qui consurget pro eo.
Infinitus numerus est populi
omnium, qui fuerunt ante eum :
Et qui postea futuri sunt,
et non lætabuntur in eo :
Sed et hoc vanitas
et afflictio spiritus,
Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei [2],
multo enim melior est obedientia, quam stulto-

[1] Editi libri, *in hoc quoque vanitas est*; sed melius ac Hebræo magis proximum quod nos edidimus ad fidem plurimorum mss. exemplariorum. MART.

[2] Huc transtulerunt exscriptores comma istud integrum : *Et appropinqua, ut audias.* Id quidem abest in *Speculo* S.Augustini, et in ms. Colbertino Aniciensi positum est in margine, manu recentiori. Regius quoque corruptus est ab aliquo emendatore,qui hæc sacro textui intermiscuit, cum antea purus legeretur absque tali additamento.in Canone Carcassonensi eadem verba leguntur, sed extra seriem et supra contextum imposita:in Memmiano autem positus visitur idem versiculus inconfusus, ac primo linearum ductu. Sciendum tamen hoc mutuatum esse ex editione Græca LXX Interpretum,aut ex Commentariis Hieronymi in Ecclesiasten, ubi magis Septuaginta consuetudini se coaptavit; hic enim sufficienter expressus est textus Hebraicus וקרוב לשמע מתת הכסילים זבח *vocarob lischmoa mihtheth hakkesiliu zabahh*, per hæc Latina verba, *multo enim melior est obedientia, quam* D *stultorum victima* : quia apud Hebræos *propinquus ad audiendum*, et *obediens* unum et idem sunt. MART.— Quæ sequuntur hujus versiculi in Hebræo archetypo verba, sic se habent וקרוב לשמע מתת הכסילים זבח : quæ sic ad verbum interpretantur, *et appropinqua ad audiendum, ne des* (vel, *magis quam ut des*) *stultorum sacrificium.* Si Hieronymus priora illa quæ diximus, *et appropinqua ad audiendum*, commodo satis sensu ex Hebraica interpretatus est phrasi, *multo melior est obedientia*, quod est, *eligito magis audire, sive obedire.* Hinc jure collegit ante nos editor Benedictinus, minime videri Hieronymiana illa, *et appropinqua, ut audias*, quæ cum mss. quidam, tum editi omnes interserunt, subsequenti simul retenta interpretatione, *multo enim melior est obedientia*, quæ ejusdem in Hebraico sententiæ altera est expositio. Notatum quoque, illa in S. Augustini *Speculo* non haberi.

rum victimæ.
qui nesciunt quid faciant mali.
(*Cap.* V.) Ne temere quid loquaris.
neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo.
Deus enim in cœlo, et tu super terram :
idcirco sint pauci sermones tui.
Multas curas sequuntur somnia,
et in multis sermonibus invenitur stultitia.
Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere :
displicet enim ei infidelis et stulta promissio :
sed quodcunque voveris, redde.
Multoque melius est non vovere,
quam post votum promissa non reddere.
Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam :
neque dicas coram angelo : Non est providentia :
Ne forte iratus Deus super sermone tuo,
dissipet cuncta opera manuum tuarum.
Ubi multa sunt somnia,
plurimæ vanitates, et sermones innumeri.
tu vero Deum time :
Si videris calumnias egenorum, et violenta judicia.
et subverti justitiam in provincia,
Non mireris super hoc negotio :
quia excelso alius excelsior est,
Et super hos quoque eminentiores sunt alii,
et insuper universæ terræ rex imperat servienti.
Avarus non implebitur pecunia :
et qui amat divitias, fructus non capiet ex eis,
et hoc ergo vanitas.
Ubi multæ sunt opes,
multi et qui comedunt eas.
Et quid prodest possessori,
nisi quod cernit divitias oculis suis?
Dulcis est somnus operanti,
sive parum, sive multum comedat :
saturitas autem divitis non sinit dormire eum.
Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole
divitiæ conservatæ in malum domini sui : C
pereunt enim in afflictione pessima :
Generavit filium, qui in summa egestate erit :
sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur,
et nihil auferet secum de labore suo.
Miserabilis prorsus infirmitas ;
quo modo venit, sic revertetur.
Quid ergo prodest ei quod laboravit in ventum,
cunctis diebus vitæ suæ ?
Comedit in tenebris et in curis multis,
et in ærumna atque tristitia.
Hoc itaque mihi visum est bonum,
ut comedat quis, et bibat,
et fruatur lætitia ex labore suo,
quo laboravit ipse sub sole,
Numero dierum vitæ suæ,
quos dedit ei Deus :
et hæc pars illius.
Et omni homini, cui dedit Deus divitias, atque sub- D
stantiam,
potestatemque ei tribuit ut comedat ex eis,
et fruatur parte sua, et lætetur de labore suo
hoc est donum Dei.
Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ,
eo quod Deus occupet deliciis cor ejus.
(*Cap.* VI.) Est et aliud malum, quod vidi sub sole
et quidem frequens apud homines :
Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam et ho- A
norem,
et nihil deest animæ ejus, ex omnibus quæ desiderat :
Nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo.
sed homo extraneus vorabit illud :
Hoc vanitas, et magna miseria est.
Si genuerit quispiam centum [1],
et vixerit multos annos,
et plures dies ætatis habuerit,
et anima illius non utatur bonis substantiæ suæ,
sepulturaque careat :
De hoc ego pronuntio.
quod melior illo sit abortivus,
Frustra enim venit, et pergit ad tenebras,
et oblivione delebitur nomen ejus.
Non vidit solem,
neque cognovit distantiam boni et mali :
Etiamsi duobus millibus annis vixerit,
et non fuerit perfruitus bonis :
nonne ad unum locum properant omnia ? B
Omnis labor hominis in ore ejus :
sed anima illius non implebitur.
Quid habet amplius sapiens a stulto ?
et quid pauper, nisi ut pergat illuc,
ubi est vita ?
Melius est videre quod cupias.
quam desiderare quod nescias ;
Sed et hoc vanitas est,
et præsumptio spiritus.
Qui futurus est, jam vocatum est nomen ejus :
et scitur quod homo sit.
et non possit contra fortiorem se in judicio contendere.
Verba sunt plurima,
multam in disputando habentia vanitatem.
(*Cap.* VII.) Quid necesse est homini majora se quærere.
cum ignoret quid conducat sibi vita sua,
numero dierum peregrinationis suæ, C
et tempore quod velut umbra præterit ?
Aut quis ei poterit indicare.
quid post eum futurum sub sole sit ?
Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa :
et dies mortis die nativitatis.
Melius est ire ad domum luctus,
quam ad domum convivii :
In illa enim finis cunctorum admonetur hominum,
et vivens cogitat quid futurum sit [2].
Melior est ira risu :
quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis.
Cor sapientium ubi tristitia est,
et cor stultorum ubi lætitia.
Melius est a sapiente corripi,
quam stultorum adulatione decipi.
Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla,
sic risus stulti :
sed et hoc vanitas.
Calumnia conturbat sapientem, D
et perdet robur cordis illius.
Melior est finis orationis, quam principium.
melior est patiens arrogante.
Ne velox sis ad irascendum :
quia ira in sinu stulti requiescit.
Ne dicas : Quid, putas, causæ est
quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt ?
stulta enim est hujuscemodi interrogatio.

[1] Non habet Hebræus verbum *filios*, quod non nulli mss. hic retinent cum editis. MART. — Vulgata subjungit *liberos*, quidam mss. *filios* : nihil vero Hebræus textus.

[2] In aliquot mss. codicibus legitur, *quid futurus sit*. Cæterum hanc divisionem versuum agnoscit S. Hieronymus, cum ait : *Novissimum versum apertius interpretatus est Symmachus, dicens : et qui vivit, respiciet ad mentem.* Vide librum Commentariorum Hieronymi in caput septimum Ecclesiastæ, et Speculum S. Augustini ; quia omnino sibi consentiunt infra vers. 8 et 10 Vulgatæ nostræ ; id est, in versiculorum distinctione ; quam Canonis exemplaria retinent. MART.

Utilior est sapientia cum divitiis.
et magis prodest videntibus solem.
Sicut enim protegit sapientia,
sic protegit pecunia.
Hoc autem plus habet eruditio et sapientia,
quod vitam tribuunt possessori suo.
Considera opera Dei,
quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.
In die bona fruere bonis.
et malam diem præcave.
Sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus,
ut non inveniat homo contra eum justas querimonias.
Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ :
Justus perit in justitia sua,
et impius multo vivit tempore in malitia sua.
Noli esse justus multum :
Neque plus sapias quam necesse est,
ne obstupescas.
Ne impie agas multum :
et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.
Bonum est te sustentare justum,
sed et ab illo ne subtrahas manum tuam :
quia qui Deum timet, nihil negligit.
Sapientia confortavit sapientem
super decem principes civitatis.
Non est enim homo justus in terra,
qui faciat bonum, et non peccet.
Sed et cunctis sermonibus, qui dicuntur,
ne accommodes cor tuum :
Ne forte audias servum tuum maledicentem tibi :
scit enim tua conscientia, quia et tu crebro maledixisti aliis.
Cuncta tentavi in sapientia.
Dixi : Sapiens efficiar :
Et ipsa longius recessit a me multo magis quam erat :
et alta profunditas, quis inveniet eam ?
Lustravi universa animo meo,
ut scirem, et considerarem, et quærerem sapientiam, et rationem :
Et ut cognoscerem impietatem stulti,
et errorem imprudentium :
Et inveni amariorem morte mulierem,
quæ laqueus venatorum est,
et sagena cor ejus,
Vincula sunt manus illius :
qui placet Deo, effugiet illam :
qui autem peccator est, capietur ab illa.
Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum et alterum,
ut invenirent [1] rationem, quam adhuc quærit anima mea,
et non inveni.
Virum de mille unum reperi,
mulierem ex omnibus non inveni.
Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum,
et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.
Quis talis ut sapiens est ?
et quis cognovit solutionem verbi
(*Cap.* VIII.) Sapientia hominis lucet in vultu ejus,
et potentissimus faciem illius commutabit.
Ego os regis observo,
et præcepta juramenti Dei.
Ne festines recedere a facie ejus,
neque permaneas in opere malo :
Quia omne, quod voluerit, faciet :
et sermo illius potestate plenus est :
nec dicere ei quisquam potest : Quare ita facis ?
Qui custodit præceptum,
A non experietur quidquam mali.
Tempus et responsionem
cor sapientis intelligit.
Omni negotio tempus est, et opportunitas,
et multa hominis afflictio :
Quia ignorat præterita,
et ventura nullo scire potest nuntio.
Non est in hominis potestate prohibere spiritum,
nec habet potestatem in die mortis :
Nec finitur quiescere ingruente bello,
neque salvabit impietas impium.
Omnia hæc consideravi,
et dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub sole.
Interdum dominatur homo homini
in malum suum.
Vidi impios sepultos :
qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant,
B et laudabantur in civitate quasi justorum operum :
sed et hoc vanitas est.
Etenim quia non profertur cito contra malos sententia,
absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.
Attamen peccator ex eo quod centies facit malum,
et per patientiam sustentatur,
Ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum,
qui verentur faciem ejus.
Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus,
sed quasi umbra transeant qui non timent faciem Dei.
Est et alia vanitas, quæ fit super terram :
sunt justi, quibus multa proveniunt,
quasi opera egerint impiorum.
Et sunt impii, qui ita securi sunt.
quasi justorum facta habeant :
sed et hoc vanissimum judico.
Laudavi igitur lætitiam,
C quod non esset homini bonum sub sole,
Nisi quod comederet, et biberet atque gauderet,
et hoc solum secum auferret de labore suo,
in diebus vitæ suæ quos dedit ei Deus sub sole.
Et apposuit cor meum, ut scirem sapientiam,
et intelligerem distentionem [2] quæ versatur in terra :
Est homo, qui diebus ac noctibus somnum non capit oculis,
Et intellexi, quod omnium operum Dei
nullam possit homo invenire rationem,
eorum quæ fiunt sub sole :
et quanto plus laboraverit ad quærendum,
tanto minus inveniat :
Etiamsi dixerit sapiens se nosse,
non poterit reperire,
(*Cap.* IX.) Omnia hæc tractavi in corde meo,
ut curiose intelligerem :
Sunt justi atque sapientes,
D et opera eorum in manu Dei :
Et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit :
sed omnia in futurum servantur incerta :
Eo quod universa æque eveniant
justo et impio,
bono et malo,
mundo et immundo,
Immolanti victimas,
et sacrificia contemnenti.
Sicut bonus, sic et peccator :
ut perjurus, ita et ille qui verum dejerat.
Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt,
quia eadem cunctis evenient.
Unde et corda filiorum hominum implentur malitia,

[1] S. ipse Pater in Commentario cum interpretatus esset, *unam ad unam, ut invenirem*, etc., Hebraico sermoni se propius tradit adhæsisse.

[2] Complutensis Latina editio cum aliis haud paucis, *Dissensionem*, Glossa interlinearis *Distractionem* præfert

et contemptu in vita sua,
et post hæc ad inferos deducuntur.
Nemo est qui semper vivat,
et qui hujus rei habeat fiduciam :
Melior est canis vivus leone mortuo.
Viventes enim sciunt esse morituros.
Mortui vero nihil noverunt amplius,
nec habent ultra mercedem,
quia oblivioni tradita est memoria eorum.
Amor quoque, et odium, et invidiæ simul perierunt,
nec habent partem in hoc sæculo,
et in opere quod sub sole geritur.
Vade ergo, et comede in lætititia panem tuum,
et bibe cum gaudio vinum tuum :
quia Deo placent opera tua.
Omni tempore sint vestimenta tua candida,
et oleum de capite tuo non deficiat.
Perfruere vita cum uxore, quam diligis,
cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ :
qui dati sunt tibi sub sole
omni tempore vanitatis tuæ,
Hæc est enim pars in vita,
et in labore tuo, quo laboras sub sole.
Quodcunque potest manus tua facere,
instanter operare :
Quia nec opus, nec ratio,
nec sapientia, nec scientia
erunt apud inferos, quo tu properas.
Verti me ad aliud, et vidi sub sole,
nec velocium esse cursum,
nec fortium bellum,
nec sapientium panem,
nec doctorum divitias,
nec artificum gratiam :
sed tempus casumque in omnibus.
Nescit homo finem suum :
sed sicut pisces capiuntur hamo,
et sicut aves laqueo comprehenduntur :
Sic capiuntur homines in tempore malo,
cum eis extemplo supervenerit.
Hanc quoque sub sole vidi sapientiam,
et probavi maximam.
Civitas parva, et pauci in ea viri :
venit contra eam rex magnus, et vallavit eam :
Exstruxitque munitiones per gyrum,
et perfecta est obsidio.
Inventusque est in ea vir pauper et sapiens,
liberavit urbem per sapientiam suam.
Et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.
Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine.
Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est,
et verba ejus non sunt audita?
Verba sapientium audiuntur in silentio,
plus quam clamor principis inter stultos.
Melior est sapientia, quam arma bellica :
et qui in uno peccaverit multa bona perdet.
(*Cap.* X.) Muscæ morientes
perdunt suavitatem unguenti.
Pretiosior est sapientia et gloria,
parva ad tempus stultitia.
Cor sapientis in dextera ejus,
et cor stulti in sinistra illius.
Sed et in via stultus ambulans [1],
A cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.
Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te,
locum tuum ne dimiseris :
quia curatio cessare faciet peccata maxima.
Est malum quod vidi sub sole,
quasi per errorem egrediens a facie principis :
Positum stultum in dignitate sublimi,
et divites sedere deorsum.
Vidi servos in equis,
et principes ambulantes quasi servos super terram.
Qui fodit foveam, incidet in eam :
et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.
Qui transfert lapides, affligetur in eis :
et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.
Si retusum fuerit ferrum,
et hoc non ut prius, sed hebetatum erit :
Multo labore exacuetur,
et post industriam sequetur sapientia.
B Si mordeat serpens in silentio,
nihil eo minus habet qui occulte detrahit.
Verba oris sapientis gratia :
et labia insipientis præcipitabunt eum :
Initium verborum ejus stultitia,
et novissimum oris illius error pessimus.
Stultus verba multiplicat.
Ignorat homo, quid ante se fuerit :
et quod post futurum est, quis illi poterit indicare?
Labor stultorum affliget eos,
qui nesciunt in urbem pergere.
Væ tibi, terra, cujus rex est puer,
et cujus principes mane comedunt.
Beata terra, cujus rex nobilis est,
et cujus principes vescuntur in tempore suo,
ad reficiendum, et non ad luxuriam.
In pigritiis humiliabitur contignatio,
et in infirmitate manuum perstillabit domus.
C In risum faciunt panem, et vinum ut epulentur viventes [2] :
et pecuniæ obediunt omnia.
In cogitatione tua regi ne detrahas,
et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti.
Quia avis cœli portabit vocem tuam,
et qui habet pennas annuntiabit sententiam.
(*Cap.* XI.) Mitte panem tuum super transeuntes aquas :
quia post multa tempora invenies illum.
Da partem septem, necnon et octo :
quia ignoras quid futurum sit mali super terram.
Si repletæ fuerint nubes,
imbrem super terram effundent.
Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem,
in quocunque loco ceciderit, ibi erit.
Qui observat ventum, non seminat :
et qui considerat nubes, nunquam metet.
Quomodo ignoras quæ sit via spiritus,
D et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis :
sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.
Mane semina semen tuum,
et vespere ne cesset manus tua :
Quia nescis quid magis oriatur, hoc an illud,
et si utrumque simul, melius erit.
Dulce lumen,

[1] Sanctus Hieronymus in Commentariis ad hunc locum, colon istud integrum duobus versibus constans in exemplaribus Canonis, unum dicit esse versiculum : *Sequentis autem versiculi*, verba sunt S. Doctoris, *in quo ait : Sed et in via cum stultus ambulat, cor ejus indiget, et dicit : omnis insipiens est; hic est sensus*, etc. Agnoscit igitur hoc loco versiculorum distinctionem, quam vocamus Massoreticam, in Hebræis voluminibus usurpatam. E contra versu 15 hujus capitis, plures dicit versiculos existere in una sententia aut unico versu Vulgatæ nostræ; nam cum hanc Scripturam recitasset: *Labor stultorum affligit eos, qui nesciunt ire in civitatem*, subjungit dicens : *Cum superioribus etiam hos junge versiculos*. Plures itaque in hac sententia versiculos esse non negabat. Vide de his nostras conjecturas in Prolegomenis. MART.

[2] Plerique mss. libri atque editi *bibentes* pro *viventes* legunt.

et delectabile est oculis videre solem.
Si annis multis vixerit homo,
et in his omnibus lætatus fuerit :
Meminisse debet tenebrosi temporis,
et dierum multorum :
qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.
Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua,
et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ,
Et ambula in viis cordis tui,
et in introitu oculorum tuorum :
Et scito quod pro omnibus his
adducet te Deus in judicium.
Aufer iram a corde tuo,
et amove malitiam a carne tua.
Adolescentia enim et voluptas vana sunt.
(*Cap.* XII.) Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ,
antequam veniat tempus afflictionis,
et appropinquent anni, de quibus dicas : Non mihi placent.
Antequam tenebrescat sol,
et lumen, et luna, et stellæ,
et revertantur nubes post pluviam :
Quando commovebuntur custodes domus,
et nutabunt viri fortissimi ;
Et otiosæ erunt molentes in minuto numero,
et tenebrescent videntes per foramina :
Et claudent ostia in platea,
in humilitate vocis molentis :
Et consurgent ad vocem volucris,
et obsurdescent [1] omnes filiæ carminis.
Excelsa quoque timebunt,
et formidabunt in via.
A Florebit amygdalum,
et impinguabitur locusta,
et dissipabitur capparis :
Quoniam ibi homo in domum æternitatis suæ,
et circuibunt in platea plangentes.
Antequam rumpatur funiculus argenteus,
et recurrat vitta aurea :
Et conteratur hydria super fontem,
et confringatur tota super cisternam :
Et revertatur pulvis in terram suam unde erat,
et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.
Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, omnia vanitas.
Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes,
docuit populum, et enarravit quæ fecerat :
et investigans composuit parabolas multas.
Quæsivit verba utilia,
et conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.
B Verba sapientium sicut stimuli,
et quasi clavi in altum defixi,
quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.
His amplius, fili mi, ne requiras.
Faciendi plures libros nullus est finis :
frequensque meditatio, carnis afflictio est.
Finem loquendi omnes pariter audiamus.
Deum time, et mandata ejus observa :
Hoc est enim omnis homo :
et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium
pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.

Explicit liber Ecclesiastes.

[1] Legit olim Alcuinus *obmutescent ;* verum ait, *melius habetur in Hebræo, surdescere.*

INCIPIT

CANTICUM CANTICORUM

Quod Hebraice dicitur

SIR ASSIRIM.

(*Cap.* I.) Osculetur me osculo oris sui :
quia meliora sunt ubera tua vino,
fragrantia unguentis optimis.
Oleum effusum nomen tuum :
ideo adolescentulæ dilexerunt te.
Trahe me,
post te curremus [1],
Introduxit me rex in cellaria sua :
exsultabimus, et lætabimur in te :
Memores uberum tuorum super vinum :
recti diligunt te.
Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem,
sicut tabernacula Cedar,
sicut pelles Salomonis.
Nolite me considerare quod fusca sim,
quia decoloravit me sol :
Filii matris meæ pugnaverunt contra me,
posuerunt me custodem in vineis :
C vineam meam non custodivi.
Indica mihi, quem diligit anima mea :
ut pascas, ubi cubes in meridie,
ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum:
Si ignoras te, o pulchra inter mulieres,
egredere, et abi post vestigia gregum,
et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.
Equitatui meo in curribus Pharaonis
assimilavi te, amica mea.
Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis
collum tuum sicut monilia.
Murenulas aureas faciemus tibi,
vermiculatas argento.
Dum esset rex in accubitu suo,
nardus mea dedit odorem suum :
Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi,
inter ubera mea commorabitur.
Botrus Cypri dilectus meus mihi,

[1] Quæ subjungit Vulgata, *in odorem unguentorum tuorum*, ex LXX Interpretibus derivantur, neque Hebræus habet ; sed et ipsa Complutensis Latina editio expungit.

in vineis Engaddi.
Ecce tu pulchra es, amica mea,
ecce tu pulchra es,
oculi tui columbarum.
Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.
Lectulus noster floridus :
Tigna domorum nostrarum cedrina,
laquearia nostra cupressina.
[*Cap.* II.) Ego flos campi,
et lilium convalium.
Sicut lilium inter spinas,
sic amica mea inter filias.
Sicut malus (*Al.* malum [1]) inter ligna silvarum,
sic dilectus meus inter filios.
Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi :
et fructus ejus dulcis gutturi meo.
Introduxit me in cellam vinariam,
ordinavit in me charitatem.
Fulcite me floribus,
stipate me malis :
quia amore langueo.
Læva ejus sub capite meo.
et dextera illius amplexabitur me.
Adjuro vos, filiæ Jerusalem,
per capreas cervosque camporum :
ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam,
quoadusque ipsa velit.
Vox dilecti mei,
ecce iste venis saliens in montibus,
transiliens colles :
Similis est dilectus meus capreæ,
hinnuloque cervorum :
En ipse stat post parietem nostrum,
respiciens per fenestras,
prospiciens per cancellos.
En dilectus meus loquitur mihi :
Surge, propera, amica mea, columba mea,
formosa mea, et veni.
Jam enim hiems transiit,
imber abiit, et recessit.
Flores apparuerunt in terra,
tempus putationis advenit :
Vox turturis audita est in terra nostra :
ficus protulit grossos suos :
vineæ florentes dederunt odorem suum.
Surge, amica mea, speciosa mea, et veni :
columba mea in foraminibus petræ,
in caverna maceriæ.
Ostende mihi faciem tuam,
sonet vox tua in auribus meis
Vox enim tua dulcis,
et facies tua decora.
Capite nobis vulpes parvulas,
quæ demoliuntur vineas :
nam vinea nostra floruit.
Dilectus meus mihi, et ego illi,
qui pascitur inter lilia,
donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.
Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ,
aut hinnulo cervorum super montes Bether.
(*Cap.* III.) In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea :
quæsivi illum, et non inveni.
Surgam, et circuibo civitatem :
per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea :
quæsivi illum, et non inveni.
Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem :
Num quem dilexit anima mea, vidistis ?
Paululum cum pertransissem eos,
inveni quem diligit anima mea :
Tenui eum, nec dimittam,
donec introducam illum in domum matris meæ,
et in cubiculum genitricis meæ.
Adjuro vos, filiæ Jerusalem,

A per capreas cervosque camporum,
ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam,
donec ipsa velit.
Quæ est ista, quæ ascendit per desertum,
sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris.
et universi pulveris pigmentarii ?
En lectulum Salomonis
sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel :
Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi :
uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.
Ferculum fecit sibi rex Salomon
de lignis Libani
Columnas ejus fecit argenteas,
reclinatorium aureum,
ascensum purpureum :
Media charitate constravit
propter filias Jerusalem :
B Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem
in diademate, quo coronavit illum mater sua
in die desponsationis illius,
Et in die lætitiæ cordis ejus.
(*Cap.* IV.) Quam pulchra es, amica mea,
quam pulchra es !
Oculi tui columbarum,
absque eo quod intrinsecus latet.
Capilli tui sicut greges caprarum,
quæ ascenderunt de monte Galaad.
Dentes tui sicut greges tonsarum,
quæ ascenderunt de lavacro :
Omnes gemellis fetibus,
et sterilis non est inter eas.
Sicut vitta coccinea, labia tua :
et eloquium tuum, dulce.
Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ,
absque eo quod intrinsecus latet.
Sicut turris David collum tuum,
quæ ædificata est cum propugnaculis :
C Mille clypei pendent ex ea,
omnis armatura fortium.
Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli,
qui pascuntur in liliis,
donec aspiret dies, et inclinentur umbræ
Vadam ad montem myrrhæ,
et ad collem thuris.
Tota pulchra es, amica mea,
et macula non est in te.
Veni de Libano, sponsa,
veni de Libano, veni :
Coronaberis de capite Amana,
de vertice Sanir et Hermon,
de cubilibus leonum, de montibus pardorum.
Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa,
vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum,
et in uno crine colli tui.
Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa!
pulchriora sunt ubera tua vino.
D et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.
Favus distillans labia tua, sponsa,
mel et lac sub lingua tua :
et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.
Hortus conclusus, soror mea sponsa,
hortus conclusus, fons signatus.
Emissiones tuæ paradisus
malorum punicorum cum pomorum fructibus.
Cypri cum nardo, nardus et crocus,
fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani,
myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis.
Fons hortorum : puteus aquarum viventium,
quæ fluunt impetu de Libano.
Surge. Aquilo, et veni, Auster,
perfla hortum meum, et fluant aromata illius :

[1] Mss. codices legunt *malum*, quod non videtur satis convenire sensui hujus loci. MART.

(*Cap.* V.) Veniat dilectus meus in hortum suum,
et comedat fructum pomorum suorum.
Veni in hortum meum, soror mea sponsa,
messui myrrham meam cum aromatibus meis :
Comedi favum cum melle meo,
bibi vinum meum de lacte meo :
Comedite, amici, et bibite,
et inebriamini, charissimi.
Ego dormio.
et cor meum vigilat :
Vox dilecti mei pulsantis :
Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea,
immaculata mea :
Quia caput meum plenum est rore,
et cincinni mei guttis noctium.
Exspoliavi me tunica mea,
quomodo induar illa?
Lavi pedes meos,
quomodo inquinabo illos?
Dilectus meus misit manum suam per foramen,
et venter meus intremuit ad tactum ejus.
Surrexi, ut aperirem dilecto meo :
manus meæ stillaverunt myrrham,
et digiti mei pleni myrrha probatissima.
Pessulum ostii mei aperui dilecto meo :
at ille declinaverat, atque transierat.
Anima mea liquefacta est, ut locutus est :
quæsivi, et non inveni illum :
vocavi, et non respondit mihi.
Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem :
percusserunt me, et vulneraverunt me :
tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.
Adjuro vos, filiæ Jerusalem,
si inveneritis dilectum meum,
ut nuntietis ei quia amore langueo.
Qualis est dilectus tuus ex dilecto,
o pulcherrima mulierum?
Qualis est dilectus tuus ex dilecto,
quia sic adjurasti nos?
Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.
Caput ejus aurum optimum :
Comæ ejus sicut elatæ palmarum,
nigræ quasi corvus.
Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum,
quæ lacte sunt lotæ,
et resident juxta fluenta plenissima.
Genæ illius sicut areolæ aromatum
consitæ a pigmentariis.
Labia illius lilia
distillantia myrrham primam.
Manus illius tornatiles aureæ,
plenæ hyacinthis.
Venter ejus eburneus,
distinctus sapphiris.
Crura illius columnæ marmoreæ,
quæ fundatæ sunt super bases aureas.
Species ejus ut Libani,
electus ut cedri.
Guttur illius suavissimum,
et totus desiderabilis :
Talis est dilectus meus,
et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.
Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?
quo declinavit dilectus tuus : et quæremus eum tecum?
(*Cap.* VI.) Dilectus meus descendit in hortum suum
ad aerolam aromatum.
ut pascatur in hortis, et lilia colligat.
Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.
Pulchra es, amica mea, suavis, et decora sicut Jerusalem :
terribilis ut castrorum acies ordinata.
Averte oculos tuos a me,
quia ipsi me avolare fecerunt.
Capilli tui sicut grex caprarum,
quæ apparuerunt de Galaad.
Dentes tui sicut grex ovium,
quæ ascenderunt de lavacro :
Omnes gemellis fetibus,
et sterilis non est in eis.
Sicut cortex mali punici genæ tuæ
absque occultis tuis.
Sexaginta sunt reginæ,
et octoginta concubinæ,
et adolescentularum non est numerus.
Una est columba mea, perfecta mea,
una est matris suæ, electa genetrici suæ.
Viderunt eam filiæ,
et beatissimam prædicaverunt :
Reginæ et concubinæ,
et laudaverunt eam.
Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens,
pulchra ut luna, electa ut sol,
terribilis ut castrorum acies ordinata?
Descendi ad hortum nucum,
ut viderem poma convallis,
et inspicerem si floruisset vinea,
et germinassent mala punica.
Nescivi : anima mea conturbavit me
propter quadrigas Aminadab.
Revertere, revertere, Sulamitis[1] :
revertere, revertere, ut intueamur te.
(*Cap.* VII.) Quid videbis in Sulamite,
nisi choros castrorum?
Quam pulchri sunt gressus tui
in calceamentis, filia principis!
Junctura femorum tuorum, sicut monilia,
quæ fabricata sunt manu artificis.
Umbilicus tuus crater tornatilis ;
nunquam indigens poculis.
Venter tuus sicut acervus tritici,
vallatus liliis.
Duo ubera tua,
sicut duo hinnuli gemelli capreæ.
Collum tuum
sicut turris eburnea.
Oculi tui sicut piscinæ in Esebon,
quæ sunt in porta filiæ multitudinis.
Nasus tuus sicut turris Libani,
quæ respicit contra Damascum.
Caput tuum ut Carmelus :
et comæ capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus.
Quam pulchra es, et quam decora,
charissima in deliciis!
Statura tua assimilata est palmæ,
et ubera tua botris.
Dixi : Ascendam in palmam,
et apprehendam fructus ejus :
Et erunt ubera tua sicut botri vineæ :
et odor oris tui sicut malorum.
Guttur tuum sicut vinum optimum,
dignum dilecto meo ad potandum.
labiisque et dentibus illius ad ruminandum.
Ego dilecto meo,
et ad me conversio ejus.
Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum,
commoremur in villis.
Mane surgamus ad vineas,

[1] Non *Sulamitem*, sed *Sunamitem* legimus in codicibus mss. Latinis : in Græcis autem exemplaribus et *Sulamitis* et *Sunamitis* legitur; sed hoc, ni fallor, librariorum errore. MART.

— Tametsi hæc præferenda ex Hebræo lectio est, plures tamen mss. codices atque editi etiam e Græcis, ipsaque in divinis Officiis Ecclesia vocat *Sunamitin*.

videamus si floruit vinea,
si flores fructus parturiunt,
si floruerunt mala punica :
ibi dabo tibi ubera mea.
Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris :
omnia poma nova et vetera, dilecte mi,
servavi tibi.
(*Cap.* VIII.) Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ,
ut inveniam te foris. et deosculer te,
et jam me nemo despiciat ?
Apprehendam te,
et ducam in domum matris meæ :
Ibi me docebis,
et dabo tibi poculum ex vino condito,
et mustum malorum granatorum meorum.
Læva ejus sub capite meo.
et dextera illius amplexabitur me.
Adjuro vos filiæ Jerusalem,
ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, B
donec ipsa velit.
Quæ est ista, quæ ascendit de deserto,
deliciis affluens, innixa super dilectum suum ?
Sub arbore malo suscitavi te :
ibi corrupta est mater tua,
ibi violata est genitrix tua :
Pone me ut signaculum super cor tuum :
ut signaculum super brachium tuum :
Quia fortis est ut mors dilectio,
dura sicut infernus æmulatio :
A Lampades ejus,
lampades ignis atque flammarum.
Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem,
nec flumina obruent illam :
Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione,
quasi nihil despicient eum [1].
Soror nostra parva,
et ubera non habet :
Quid faciemus sorori nostræ
in die quando alloquenda est ?
Si murus est,
ædificemus super eum propugnacula argentea :
Si ostium est,
compingamus illud tabulis cedrinis.
Ego murus : et ubera mea sicut turris,
ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.
Vinea fuit pacifico,
in ea, quæ habet populos :
Tradidit eam custodibus :
vir affert pro fructu ejus mille argenteos.
Vinea mea coram me est.
Mille tui pacifici,
et ducenti his qui custodiunt fructus ejus.
Quæ habitas in hortis, amici auscultant :
fac me audire vocem tuam.
Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ
hinnuloque cervorum super montes aromatum.

[1] Ita exemplaria Canonis cum aliis mss. codicibus, ubi constanter retinetur quod edidimus. In Hebr. quoque vercum pluralis est numeri ac pronomen masculinum בזה יבוזו לו *bos iabuzulo*, id est *contemnendo contemnent eum*. Augustinus insuper eodem modo legisse videtur : quia exemplaria mss. Speculi scriptum habent verbum in plurali, *despicient*, non *despiciet*. MART.

Explicit Canticum canticorum.

PRÆFATIO HIERONYMI IN DANIELEM PROPHETAM.

Danielem prophetam juxta Septuaginta Interpretes Domini Salvatoris Ecclesiæ non legunt utentes Theodotionis editione, et hoc cur acciderit, nescio. Sive enim quia sermo Chaldaicus est, et quibusdam proprietatibus a nostro eloquio discrepat, noluerunt Septuaginta Interpretes easdem linguæ [2] lineas in translatione servare : sive sub nomine eorum ab alio nescio quo non satis Chaldæam linguam sciente, editus liber est : sive aliud quid causæ exstiterit ignorans : hoc unum affirmare possum, quod multum a veritate discordet, et recto judicio repudiatus sit. Sciendum quippe, Danielem [3] maxime et Ezram, Hebraicis quidem litteris ; sed Chaldaico C sermone conscriptos, et unam Jeremiæ περικοπὴν Job quoque cum Arabica lingua habere plurimam societatem. Denique et ego adolescentulus, post Quintiliani et Tullii lectionem ac flores rhetoricos, cum me in linguæ hujus pistrinum reclusissem, et multo sudore, multoque tempore vix cœpissem anhelantia stridentiaque verba resonare, et quasi per cryptam ambulans, rarum desuper lumen aspicerem, impegi novissime, in Danielem, et tanto tædio affectus sum, ut desperatione subita omnen veterem laborem voluerim contemnere, Verum adhortante me quodam Hebræo, et illud mihi crebrius in [4] sua lingua ingerente [5], *Labor omnia vincit improbus*

[1] Hunc Hieronymi prologum, ipsamque omnem Danielis interpretationem Latinam ex integro adduos optimæ cum primis notæ codices mss. exegimus, alterum Palatinum numero 3, alterum Vaticanum numero 333 prænotatos. D

[2] Plures mss. omittunt vocem *linguæ*, sicque legunt etiam vetustiores : Noluerunt Septuaginta Interpretes easdem lineas in translatione servare. MART.

— Fortasse verius Palatin. ms. aliique plures apud Martianæum, *easdem lineas*, voce intermedia, *linguæ* prætermissa.

Daniel Chaldaico sermone conscriptus est a versu 2 cap. ad cap. VIII. Esdras vero a versu 8 cap. IV ad cap. VII, vers,. 27. Jeremiæ tandem pericope Chaldaice scripta legitur cap. X,. vers. 11, in nostra editione vers. 32, 33 et 34. MART.

— Non a secundo, ut Martianæus putat, sed a quarto capitis secundi versu usque ad initium octavi Chaldaice scriptus est Daniel, quod S. ipse Pater in Commentario testatur. Esdras ab octavo capitis quarti, ad septimum versum capitis XXVII, et Jeremiæ περικοπὴ tribus constans versiculis a 32 ad 34 capitis decimi Chaldaicum sermonem sonant.

[4] Voculam *in* Palatinus ms. tacet, ut et paulo ante alii apud Martianæum nomen *quodam*.

[5] Virgilianum illud est e 1 *Georg*. mutuatum. MART.

qui [*Al.* et qui] mihi videbar sciolus inter eos [1], cœpi rursum discipulus esse Chaldaicus. Et ut verum fatear, usque ad præsentem diem magis possum sermonem Chaldaicum legere et intelligere, quam sonare. Hæc idcireo, ut [2] difficultatem vobis Danielis ostenderem, qui apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis, draconisque fabulas : quas nos [3], quia in toto orbe dispersæ sunt, veru ÷ antepositо [4], easque jugulante, subjecimus : ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse. Audivi ego quemdam de præceptoribus Judæorum, cum Susannæ derideret historiam, et a Græco nescio quo diceret esse confictam, illud opponere, quod Origeni quoque Africanus opposuit [5], et etymologias has ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, de Græco sermone descendere. Cujus rei nos intelligentiam nostris hanc possumus dare : Ut, verbi gratia, dicamus ab arbore ilice dixisse eum, Illico pereas : et a lentisco, In lentem te comminuat angelus, vel non lente pereas, aut lentus, id est flexibilis ducaris ad mortem : sive aliud quid ad arboris nomen conveniens. Deinde tantum fuisse otii [6] tribus pueris cavillabatur, ut in camino æstuantis incendii metro luderent, et per ordinem ad laudem Dei omnia elementa provocarent : aut quod miraculum, divinæque aspirationes indicium, vel draconem interfectum offa picis, el sacerdotum Belis machinas deprehensas : quæ magis prudentia solertis viri, quam prophetali essent *Al.* esse] spiritu perpetrata ? Cum vero ad Habacuc veniret et de Judæa in Chaldæam raptum discophorum [*Al.* discumferentem] lectitaret [7] : quærebat exemplum, ubi legissemus in toto Veteri Testamento, quemquam sanctorum gravi volasse corpore, et in puncto horæ tanta terrarum spatia transisse. Cui cum quidam e nostris satis ad loquendum promptulus, Ezechielem adduxisset in medium, et diceret eum de Chaldæa in Judæam fuisse translatum : derisit hominem, et ex ipso volumine demonstravit Ezechielem in spiritu se vidisse transpositum. Denique et Apostolum nostrum, videlicet ut eruditum virum, et qui legem ab Hebræis didicisset, non fuisse ausum affirmare se raptum in corpore, sed dixisse : *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit* (*II Cor.* XII, 2) His et talibus argumentis apocryphas in libro Ecclesiæ fabulas arguebat. Super qua re lectoris arbitrio judicium derelinquens, illud admoneo, non haberi Danielem apud Hebræos inter prophetas, sed inter eos qui Ἁγιόγραφα conscripserunt. In tres siquidem partes omnis ab eis Scriptura dividitur [8] : in Legem, in Prophetas, in Ἁγιόγραφα, id est, in quinque, et octo, et in undecim libros : de quo non est hujus temporis disserere. Quæ autem ex hoc propheta, imo contra hunc librum, Porphyrius objiciat, testes sunt Methodius, Eusebius, Apollinaris : qui multis versum millibus ejus vesaniæ respondentes, nescio an curioso lectori satisfecerint. Unde obsecro vos, o Paula et Eustochium, fundatis pro me ad Dominum preces : ut quandiu in hoc corpusculo sum, scribam aliquid gratum vobis, utile Ecclesiæ, dignum posteris. Præsentium quippe judiciis non satis moveor : qui in utramque partem, aut amore labuntur, aut odio.

[1] Verius hic quoque videtur in Palatin. ms. legi *sciolus inter Hebræos* : quod nomen Iuculentius opponetur Chaleæo.

[2] Plus habent duo mss. *Hæc idcirco dixi, ut*, etc.

[3] Refellendis eum Erasmi, tum Clerici, atque aliorum ex hujus occasione loci calumniis in Hieronymum satis abundeque sit, ab ipsomet intelligere libro II num. 33 in Rufinum qua hæc mente dixerit, et quo accipi sensu velit : « De Daniele, inquit, breviter respondebo, me non negasse eum prophetam, quem statim in fronte prologi prophetam esse confessus sum : sed quid HEBRÆI dicerent, et quibus argumentis suam niterentur probare sententiam, voluisse monstrare. » Et paulo post : « Quod autem refero quid adversus Susannæ historiam, et hymnum trium puerorum, et Belis, Draconisque fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, HEBRÆI soleant dicere, qui me criminatur, stultum re sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant explicavi, etc. Reoole quæ ad hunc quoque locum nobis adnotata sunt.

[4] Consule adnotationes Leandri de S. Martino in hanc Hieronymi Præfationem, ubi vir doctus jure merito reprehendit Erasmum, qui temere contra mentem S. Doctoris, usus Ecclesiæ sugillare nititur in suis scholiis, nonnunquam male concoctis, quidquid velint admiratores nimii eruditionis Erasmianæ, ac parum æqui rerum æstimatores. MART.

[5] Vide epistolam Origenis ad Africanum, numero præsertim 7, et quæ nos ad Commentarios Hieronymi in cap. XIII ex eodem Origene edisseruimus in notis.

[6] Cum negandi particula, secunda tamen addita, ut videtur, manu. *tantum non fuisse otii*. in Palatin. ms. legitur. Cæterum ipsum recole S. Doctorem in prologo Commentariorum in hunc prophetam.

[7] Vaticanus codex, cujus supra sæpe meminimus, habet Latinam hujus vocis interpretationem: *raptum discumferentem lectitaret*. MART.

[8] Videsis quæ scripta leguntur in Prologo Scripturarum libris Samuel ac Malachiæ præfixo. MART.

INCIPIT

LIBER DANIELIS PROPHETÆ.

[*Visio* I.] Anno tertio regni Joiacim regis Juda,
venit Nabuchodonosor rex Babylonis in (*Al. tac.* in) Jerusalem,
et obsedit eam :
Et tradidit Dominus in manu ejus Joiacim regem Juda,
et partem vasorum domus Dei [1] :
Et asportavit in terram Sennaar in domum Dei sui,
et vasa intulit in domum thesauri Dei sui.
Et ait rex Asphanaz præposito eunuchorum [2],
ut introduceret de filiis Israel,
et de semine regio et tyrannorum, pueros,
In quibus nulla esset macula, decoros forma,
et eruditos omni sapientia,
cautos scientia, et doctos disciplina,
Et qui possent stare in palatio regis,
ut doceret eos litteras, et linguam Chaldæorum,
Et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis,
et de vino unde bibebat ipse :
Ut enutriti tribus annis,
postea starent in conspectu regis.
Fuerunt ergo inter eos de filiis Juda,
Daniel, Ananias, Misael, et Azarias.
Et imposuit eis præpositus eunuchorum, nomina :
Danieli, Baltassar :
Ananiæ, Sidrach :
Misaeli, Misach,
et Azariæ, Abdenago.
Proposuit autem Daniel in corde suo,
ne pollueretur de mensa regis,
neque de vino potus ejus,
et rogavit eunuchorum præpositum ne contaminaretur.
Dedit autem Deus Danieli gratiam et misericordiam
in conspectu principis eunuchorum.
Et ait princeps eunuchorum ad Danielem ;
Timeo ego dominum meum regem,
qui constituit vobis cibum et potum :
Qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus cœvis vestris,
condemnabitis caput meum regi.
Et dixit Daniel ad Mabassar,
quem constituerat princeps eunuchorum super Danielem, Ananiam
Misaelem et Azariam,
Tenta nos, obsecro, servos tuos diebus decem,
et dentur nobis legumina ad vescendum, et aqua ad bibendum :
Et contemplare vultus nostros,
et vultus puerorum qui vescuntur cibo regio :
et sicut videris, facies cum servis tuis.
Qui audito sermone hujuscemodi,
tentavit eos diebus decem.
Post dies autem decem,
apparuerunt vultus eorum meliores et corpulentiores præ omnibus pueris
qui vescebantur cibo regio [3].
Porro Malassar tollebat cibaria, et vinum potus eorum :
dabatque eis legumina.

A Pueris autem his dedit Deus scientiam et disciplinam, in omni libro et sapientia :
Danieli autem intelligentiam omnium visionum et somniorum.
Completis itaque diebus, post quos dixerat rex ut introducerentur :
introduxit eos præpositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor.
Cumque eis locutus fuisset rex,
non sunt inventi de universis tales,
ut Daniel, Ananias, Misael, et Azarias :
Et steterunt in conspectu regis ;
et omne verbum sapientiæ et intellectus, quod sciscitatus est ab eis rex,
invenit in eis decuplum, super cunctos ariolos et magos,
qui erant in universo regno ejus.
Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis.
B (*Visio* II.) In anno secundo regni Nabuchodonosor,
vidit Nabuchodonosor somnium,
et conterritus est spiritus ejus,
et somnium ejus fugit ab eo.
Præcepit autem rex, ut convocarentur arioli, et magi, et malefici, et Chaldæi,
ut indicarent regi somnia sua :
qui cum venissent, steterunt coram rege.
Et dixit ad eos rex : Vidi somnium :
et mente confusus ignoro quid viderim.
Responderuntque Chaldæi regi Syriace :
Rex, in æternum vive :
Dic somnium servis tuis,
et interpretationem ejus indicabimus.
Et respondens rex, ait Chaldæis :
Sermo recessit a me :
Nisi indicaveritis mihi somnium, et conjecturam ejus,
peribitis vos, et domus vestræ publicabuntur.
C Si autem somnium, et conjecturam ejus narraveritis,
præmia, et dona, et honorem multum accipietis a me :
somnium igitur, et interpretationem ejus indicate mihi.
Responderunt secundo, atque dixerunt :
Rex somnium dicat servis suis,
et interpretationem illius indicabimus.
Respondit rex, et ait :
Certe novi quia tempus redimitis,
scientes quod recesserit a me sermo.
Si ergo somnium non indicaveritis mihi una est de vobis sententia,
quod interpretationem quoque fallacem et deceptione plenam composueritis,
ut loquamini mihi donec tempus pertranseat.
Somnium itaque dicite mihi,
ut sciam, quod interpretationem quoque ejus veram loquamini.
D Respondentes ergo Chaldæi coram rege, dixerunt :
Non est homo super terram, qui sermonem tuum rex, possit impleret.

[1] Vaticanus ms. addit hic verbum, *cepit* : quod in Hebræo tamen, aut Græco, denique Latinis libris non est.

[2] Hic vero quod plus habet idem ms. pronomen *suorum*, et in Hebræo archetypo resonat סריסיו, et commode suppleri in Latino potest.

[3] Duo hæc verba *cibo regio*, Vatican. ms. tacet, quæ tamen originales textus agnoscunt.

Sed neque regum quisquam magnus et potens verbum hujuscemodi sciscitatur
ab omni ariolo, et mago, et Chaldæo,
Sermo enim, quem tu, rex, quæris, gravis est:
nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu regis:
exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio.
Quo audito, rex in furore et in ira magna præcepit ut perirent omnes sapientes Babylonis.
Et egressa sententia, sapientes interficiebantur:
quærebaturque Daniel et socii ejus, ut perirent.
Tunc Daniel requisivit de lege atque sententia.
ab Arioch principe militiæ regis,
qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis.
Et interrogavit eum, qui a rege potestatem acceperat,
quam ob causam tam crudelis sententia a facie regis esset egressa.
Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli,
Daniel ingressus rogavit regem,
ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi.
Et ingressus est domum suam,
Ananiæque, Misaeli et Azariæ sociis suis indicavit negotium:
Ut quærerent misericordiam a facie Dei cœli super sacramento isto.
et non perirent Daniel et socii ejus cum cæteris sapientibus Babylonis
Tunc Danieli per visionem nocte mysterium revelatum est:
et Daniel benedixit Deo cœli,
et locutus ait:
Sit nomen Dei benedictum a sæculo et usque in sæculum:
quia sapientia et fortitudo ejus sunt.
Et ipse mutat tempora, et ætates:
transfert regna, atque constituit:
dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam:
Ipse revelat profunda, et abscondita,
et novit in tenebris constituta:
et lux cum eo est.
Tibi, Deus patrum meorum [1], confiteor, teque laudo:
quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi:
Et nunc ostendisti mihi quæ rogavimus te,
quia sermonem regis aperuisti nobis.
Post hæc Daniel ingressus ad Arioch,
quem constituerat rex ut perderet sapientes Babylonis,
sic ei locutus est:
Sapientes Babylonis ne perdas;
introduc me in conspectu regis,
et solutionem regi narrabo.
Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem,
et dixit ei:
Inveni hominem de filiis transmigrationis Juda,
qui solutionem regi annuntiet.
Respondit rex, et dixit Danieli,
cujus nomen erat Baltassar:
Putasne vere potes indicare mihi somnium, quod vidi,
et interpretationem ejus?
Et respondens Daniel coram rege, ait;
Mysterium, quod rex interrogat,
sapientes, magi, et arioli, et aruspices non queunt indicare regi.
Sed est Deus in cœlo revelans mysteria,
qui indicavit tibi, rex Nabuchodonosor,
quæ ventura sunt in novissimis temporibus.
Somnium tuum et visiones capitis tui in cubili tuo hujuscemodi sunt:

A Tu, rex, cogitare cœpisti in stratu tuo,
quid esset futurum post hæc
Et qui revelat mysteria,
ostendit tibi quæ ventura sunt.
Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plus quam cunctis viventibus,
sacramentum hoc revelatum est:
Sed ut interpretatio regi manifesta fieret,
et cogitationes mentis tuæ scires.
Tu, rex, videbas, et ecce quasi statua una grandis:
statua illa magna, et statura sublimis stabat contra te,
et intuitus ejus erat terribilis,
Hujus statuæ caput ex auro optimo erat,
pectus autem et brachia de argento,
porro venter et femora ex ære.
Tibiæ autem ferreæ,
pedum quædam pars erat ferrea,
quædam fictilis,
B Videbas ita, donec abscisus est lapis de monte sine manibus:
et percussit statuam in pedibus ejus ferreis et fictilibus,
et comminuit eos.
Tunc contrita sunt pariter ferrum,
testa, æs, argentum et aurum:
Et redacta quasi in favillam æstivæ areæ,
quæ rapta sunt vento:
nullusque locus inventus est eis:
Lapis autem, qui percusserat statuam,
factus est mons magnus,
et implevit universam terram.
Hoc est somnium:
Interpretationem quoque ejus dicemus coram te, rex.
Tu rex regum es:
Et Deus cœli, regnum, et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi:
C Et omnia in quibus habitant filii hominum:
et bestias agri, volucres quoque cœli dedit in manu tua,
et sub ditione tua universa constituit;
tu es ergo caput aureum.
Et post te consurget regnum aliud minus te [*Vulg. add.* argenteum]:
et regnum tertium aliud æreum,
quod imperabit universæ terræ.
Et regnum quartum erit velut ferrum:
quomodo ferrum comminuit et domat omnia.
sic comminuet omnia hæc, et conteret.
Porro quia vidisti pedum et digitorum partem testæ figuli,
et partem ferream:
Regnum divisum erit,
quod tamen de plantario ferri orietur,
secundum quod vidisti, ferrum mistum testæ ex luto.
D Et digitos pedum ex parte ferreos, et ex parte fictiles:
ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum,
Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto,
commiscebuntur quidem humano semine:
Sed non adhærebunt sibi,
sicut ferrum misceri non potest testæ.
In diebus autem regnorum illorum,
suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur,
et regnum ejus populo alteri non tradetur,
Comminuet. et consumet universa regna hæc:
et ipsum stabit in æternum.
Secundum quod vidisti, quod de monte abscisus est lapis, sine manibus,
et comminuit testam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum.

[1] Vaticanus ms. ut et Memmianus, Martianæo teste, et Vulgata *nostrorum* pro *meorum* legunt.

Deus magnus ostendit regi, quæ futura sunt postea,
et verum est somnium,
et fidelis interpretatio ejus.
Tunc rex Nabuchodonoser cecidit in faciem suam,
et Danielem adoravit:
et hostias et incensum præcepit ut sacrificarent ei.
Loquens ergo rex, ait Danieli :
Vere Deus vester Deus deorum est.
et Dominus regum, et revelans mysteria :
quoniam potuisti aperire sacramentum hoc.
Tunc rex Danielem in sublime extulit,
munera multa et magna dedit ei :
Et constituit eum principem super omnes provincias Babylonis,
et præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis,
Daniel autem postulavit a rege,
et constituit super opera provinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, et Abdenago :
ipse autem Daniel erat in foribus regis.
[*Visio* III.] Nabuchodonoser rex fecit statuam auream,
altitudine cubitorum sexaginta,
latitudine cubitorum sex,
et statuit eam in campo Dura provinciæ Babylonis ;
Itaque Nabuchodonoser rex
misit ad congregandos satrapas, magistratus, et judices, duces, et tyrannos, et præfectos,
omnesque principes regionum :
ut convenirent ad dedicationem statuæ,
quam erexerat Nabuchodonosor rex.
Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus, et judices, et duces, et tyranni,
et optimates qui erant in potestatibus constituti,
et universi principes regionum ;
Ut convenirent ad dedicationem statuæ,
quam erexerat Nabuchodonosor rex.
Stabant autem in conspectu statuæ,
quam posuerat Nabuchodonosor rex :
Et præco clamabat valenter :
Vobis dicitur populis, tribubus, et linguis :
In hora, qua audieritis sonitum tubæ,
et fistulæ, et citharæ,
sambucæ, et psalterii, et symphoniæ,
et universi generis musicorum,
Cadentes adorate statuam auream,
quam constituit Nabuchodonosor rex.
Si quis autem non prostratus adoraverit,
eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.
Post hæc igitur statim, ut audierunt omnes populi sonitum tubæ,
fistulæ, et citharæ,
sambucæ et psalterii, et symphoniæ,
et omis generis musicorum :
Cadentes omnes populi, et tribus et linguæ adoraverunt statuam auream,
quam constituerat Nabuchodonosor rex.
Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldæi accusaverunt Judæos :
dixeruntque Nabuchodonosor regi : Rex, in æternum vive :
Tu, rex, posuisti decretum,
ut omnis homo, qui audierit sonitum tubæ,
fistulæ, et citharæ,
sambucæ, et psalterii, et symphoniæ,
et universi generis musicorum,
prosternat se, et adoret statuam auream.
Si quis autem non procidens adoraverit,
mittatur in fornacem ignis ardentis.
Sunt ergo viri Judæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis,
Sidrach, Misach, et Abdenago :
Viri isti contempserunt, rex, decretum
tuum : deos tuos non colunt,
et statuam auream, quam erexisti, non adorant.
Tunc Nabuchodonosor in furore et in ira precepit,
ut adducerentur Sidrach, Misach et Abdenago :
qui confestim adducti sunt in conspectu regis.
Pronuntiansque Nabuchodonosor rex, ait eis :
Verene, Sidrach, Misach, et Abdenago, deos meos non colitis,
et statuam auream, quam constitui, non adoratis?
Nunc ergo si estis parati, quacunque
hora audieritis sonitum tubæ,
fistulæ, citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphoniæ,
omnisque generis musicorum,
prosternite vos, et adorate statuam quam feci :
Quod si non adoraveritis,
eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis:
et quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea?
Respondentes Sidrach, Misach, et Abdenago, dixerunt regi [1] Nabuchodonosor :
Non oportet nos de hac re respondere tibi.
Ecce enim Deus noster, quem colimus.
potest eripere nos de camino ignis ardentis,
et de manibus tuis, o rex, liberare.
Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus,
et statuam auream, quam erexisti, non adoramus.
Tunc Nabuchodonosor repletus est furore :
et aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach, et Abdenago,
et præcepit, ut succenderetur fornax septuplum quam succendi consueverat.
Et viris fortissimis de exercitu suo jussit,
ut ligatis pedibus Sidrach, Misach, et Abdenago,
mitterent eos in fornacem ignis ardentis.
Et confestim viri illi vincti, cum braccis suis, et tiaris, et calceamentis, et vestibus,
missi sunt in medium fornacis ignis ardentis.
Nam jussio regis urgebat :
fornax autem succensa erat nimis.
Porro viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, et Abdenago,
interfecit flamma ignis,
Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, et Abdenago,
ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati.
Quæ sequuntur [2], *in Hebræis voluminibus non reperi.*
Et ambulabant in medio flammæ,
laudantes Deum, et benedicentes Domino.
Stans autem Azarias oravit sic,
aperiensque os suum in medio ignis, ait :
Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum,
et laudabile et gloriosum nomen [3] tuum in sæcula :
Quia justus es in omnibus quæ fecisti in nobis,
et universa opera tua vera,
et viæ tuæ rectæ, et omnia judicia tua vera.

[1] Videsis quo sensu notet S. ipse Pater in Commentariis ad hunc locum : *In Hebræo non habere regem sicut in LXX, ne adulari viderentur impio*, etc. Satis enim Incuienter legimus in hodierno exemplari, לבילא נבצדנור.

[2] Clarius in Comment. libro primo : *Quæ sequuntur in Hebr., seu potius Chaldaico non habentur, sed ex editione Theodotionis addita sunt :* ista enim pars obelis prænotata hic posita est inter ea quæ Chaldaice scripta leguntur in Daniele. Cæterum signa istæc obelorum retinet adhuc exemplar ms. sacrorum Bibliorum, quod fuit olim monasterii S. Dionysii in Francia ; hunc autem exstat in bibliotheca christianissimi regis, num. 3561. MART.

[3] Manuscripti omnes, excepto codice S. Albini Andegavensis, sic dividunt hos versus : *Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis, et gloriosum nomen*, etc. MART.

Judicia enim vera fecisti,
juxta omnia quæ induxisti super nos,
et super civitatem sanctam patrum nostrorum Jerusalem :
Quia in veritate, et in judicio,
induxisti omnia hæc propter peccata nostra.
Peccavimus enim, et inique egimus recedentes a te:
et deliquimus in omnibus :
Et præcepta tua non audivimus, nec observavimus,
nec fecimus sicut præceperas nobis, ut bene nobis esset.
Omnia ergo, quæ induxisti super nos,
et universa, quæ fecisti nobis, vero judicio fecisti:
Et tradidisti nos in manibus inimicorum iniquorum,
et pessimorum, prævaricatorumque,
et regi injusto et pessimo ultra omnem terram.
Et nunc non possumus aperire os :
confusio et opprobrium facti sumus servis tuis, et his qui colunt te.
Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum, B
propter nomen tuum,
et ne dissipes testamentum tuum :
Neque auferas misericordiam tuam a nobis,
propter Abraham dilectum tuum :
et Isaac servum tuum,
et Israel sanctum tuum :
Quibus locutus es pollicens,
quod multiplicares semen eorum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris :
Quia, Domine, imminuti sumus plus quam omnes gentes,
sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra.
Et non est in tempore hoc princeps,
et propheta, et dux,
neque holocaustum, neque sacrificium,
neque oblatio, neque incensum,
Neque locus primitiarum coram te,
ut possimus invenire misericordiam : C
Sed in anima contrita,
et spiritu humilitatis suscipiamur.
Sicut in holocausto arietum, et taurorum.
et sicut in millibus agnorum pinguium,
Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi.
quoniam non est confusio confidentibus in te,
Et nunc sequimur in toto corde,
et timemus te, et quærimus faciem tuam.
Ne confundas nos :
sed fac nobiscum juxta mensuetudinem tuam,
et secundum multitudinem misericordiæ tuæ,
Et erue nos in mirabilibus tuis,
et da gloriam nomini tuo, Domine :
Et confundantur omnes, qui ostendunt servis tuis mala,
confundantur in omni potentia,
et robur eorum conteratur :
Et sciant, quia tu es Dominus Deus solus, D
et gloriosus super orbem terrarum.
Et non cessabant qui miserant eos, ministri regis succendere fornacem,
naphta, et stuppa, et pice, et malleolis :
Et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta et novem :
Et erupit,
et incendit quos repetit juxta fornacem de Chaldæis.
Angelus autem Domini descendit cum Azaria, et sociis ejus, in fornacem :
Et excussit flammam ignis de fornace,
et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem ;
Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.
Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant,
et glorificabant, et benedicebant Deo in fornace, dicentes :
Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum :
et laudabilis, et superexaltatus in sæcula.
Et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum :
et laudabile, et superexaltatum in omnibus sæculis.
Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ :
et superlaudabilis, et superexaltatus [1] in sæcula.
Benedictus es in throno regni tui :
et superlaudabilis, et superexaltatus in sæcula.
Benedictus es, qui intueris abyssos,
et sedes super cherubim :
et laudabilis, et superexaltatus in sæcula.
Benedictus es in firmento cœli :
et laudabilis et gloriosus in sæcula.
Benedicite omnia opera Domini Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite angeli Domini Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite cœli Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite omnes virtutes Domini Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite sol et luna Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite stellæ cœli Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite omnis imber et ros Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite omnes spiritus Dei Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite ignis et æstus [1] Domino ;
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite frigus et æstus Domino ;
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite rores et pruina Domino ;
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite gelu et frigus Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite glacies et nives Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite noctes et dies Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite lux et tenebræ Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite fulgura et nubes Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicat terra Dominum :
laudet et superexaltet eum in sæcula.
Benedicite montes et colles Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite universa germinantia in terra Domino:
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite fontes Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Bedicite maria et flumina Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite cete, et omnia quæ moventur in aquis, Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite omnes volucres cœli Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite omnes bestiæ et pecora Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite filii hominum Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicat Israel Dominum.

[1] Hic quoque cum plerisque aliis apud Martian. ms. nostri legunt, *supergloriosus* pro *superexaltatus*.

[1] M. codex Regius, *ignis et cauma*. MART.

laudet et superexaltet eum in sæcula.
Benedicite sacerdotes Domini Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite servi Domini Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite spiritus et animæ justorum Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicite sancti et humiles corde Domino ;
laudate et superexaltate eum in sæcula,
Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino :
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Quia eruit nos de inferno,
et salvos fecit de manu mortis,
et liberavit nos de medio ardentis flammæ,
et de medio ignis eruit nos.
Confitemini Domino quoniam bonus;
quoniam in sæculum misericordia ejus.
Benedicite omnes religiosi Domino Deo deorum :
laudate et confitemini ei,
quia in omnia sæcula misericordia ejus.
Hucusque non habentur in Hebræo, ut quæ posuimus, de Theodotionis editione translata sunt.
Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, et surrexit propere,
et ait optimatibus suis :
Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos?
Qui respondentes dixerunt regi :
Vere, rex,
Respondit, et ait :
Ecce ego video viros quatuor solutos,
et ambulantes in medio ignis,
et nihil corruptionis in eis est,
et species quarti similis filio Dei.
Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis, et ait :
Sidrach, Misach, et Abdenago, servi Dei excelsi, egredimini, et venite ;
Statimque egressi sunt Sidrach, Misach, et Abdenago de medio ignis.
Et congregati satrapæ, magistratus, et judices, et potentes regis,
contemplabantur viros illos.
Quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum,
et capillus capitis eorum non esset adustus.
et saraballa[1] eorum non fuisset immutata,
et odor ignis non transisset per eos.
Et erumpens Nabuchodonosor ait ;
Benedictus Deus eorum,
Sidrach videlicet, Misach et Abdenago,
qui misit angelum suum ;
Et eruit servos suos,
qui crediderunt in eum :
Et verbum regis immutaverunt,
Et tradiderunt corpora sua ne servirent,
et ne adorarent omnem Deum, excepto Deo suo :
A me ergo positum est hoc decretum,
ut omnis populus, tribus, et lingua,
quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, et Abdenago,
dispereat, et domus ejus vastetur :
Neque enim est Deus alius,
qui possit ita salvare.
Tunc rex promovit Sidrach, Misach, et Abdenago,
A in provincia Babylonis.
Nabuchxdonosor rex,
omnibus populis, gentibus, et linguis, qui habitant in universa terra,
pax vobis multiplicetur.
Signa et mirabilia fecit aqud me Deus excelsus·
Placuit ergo mihi prædicare signa ejus, quia magna sunt:
et mirabilia ejus, quia fortia ;
Et regnum ejus regnum sempiternum :
et potestas ejus in generationem et generationen.
[*Visio* IV.] Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea,
et florens in palatio meo :
Somnium vidi, quod perterruit me :
et cogitationes meæ in stratu meo,
et visiones capitis mei conturbaverint me.
Et per me propositum est decretum,
B ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis,
et ut solutionem somnii indicarent mihi.
Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldæi, et aruspices,
et somnium narravi in conspectu eorum :
et solutionem ejus non indicaverunt mihi.
Donec collega[2] ingressus est in conspectu meo Daniel,
cui nomen Baltassar secundum nomen Dei mei,
qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso :
et somnium coram ipso locutus sum.
Baltassar, princeps ariolorum,
quem ego scio quod spiritum sanctorum deorum habeas in te,
et omne sacramentum non est impossibile tibi :
Visiones somniorum meorum, quas vidi, et solutionem eorum narra.
C Visio capitis mei in cubili meo :
Videbam, et ecce arbor in medio terræ,
et altitudo ejus nimia.
Magna arbor, et fortis :
et proceritas ejus contingens cœlum :
aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ.
Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius :
et esca universorum in ea.
Subter eam habitabant animalia et bestiæ,
et in ramis ejus conversabantur volucres cœli :
et ex ea vescebatur omnis caro.
Videbam in visione capitis mei super stratum meum,
et ecce vigil et sanctus de cœlo descendit.
Clamavit fortiter, et sic ait :
Succidite arborem, et præcidite ramos ejus :
Excutite folia ejus,
et dispergite fructum ejus :
D Fugiant bestiæ quæ subter eam sunt,
et volucres de ramis ejus.
Verumtamen germen radicum ejus in terra sinite,
et alligetur vinculo ferreo et æreo, in herbis quæ foris sunt.
et rore cœli tingatur,
et cum feris pars ejus in herba terræ.
Cor ejus ab humano commutetur,

[1] Pro *saraballa* mss. fere omnes legunt ut in LXX, *sarabara*, Canon Memmianus in corpore habet *sarabara*, in margine vero hanc variantem lectionem, *alibi sarabarie*. Hos errores redarguit S. Hieron. l. I. Comment. in Danielem : « Pro braccis, inquit, quas Symmachus ἀναξυρίδας interpretatus est, Aquila et Theodotio *saraballa* dixerunt, et non, ut corrupte legitur, *sarabatla*. Lingua autem Chaldæorum *saraballa* crura hominum vocantur et tibiæ et ὁμωνύμως etiam braccæ eorum, quibus crura teguntur et tibiæ. quasi crurales et tibiales appellatæ sunt » Mart.

[2] Textus Hebræus habet אהרין, quæ Chaldaica vox proprie significat *alium*. Quamobrem visus est doctis viris S. Pater Græcum exemplar hic præ oculis habuisse, atque ipsum quidem mendosum. utpote quo pro ἕτερον legeret ἑταῖρο, quæ vox *collegam* sonat. Videsis tamen quæ ad hunc locum in Commentaris adnotamus.

et cor feræ detur ei :
et septem tempora mutentur super eum.
In sententia vigilum decretum est.
et sermo sanctorum, et petitio :
Donec cognoscant viventes,
quoniam dominatur Excelsus in regno hominum;
Et cuicunque voluerit, dabit illud,
et humillimum hominem constituet super eum.
Hoc somnium vidi
ego rex Nabuchodonosor :
Tu ego, Baltassar, interpretationem narra festinus:
quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi :
Tu autem potes,
quia spiritus deorum sanctorum in te est.
Tunc Daniel, cujus nomen Baltassar,
cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi hora una :
et cogitationes ejus conturbabant eum.
Respondens autem rex ait :
Baltassar, somnium et interpretatio ejus non conturbent te.
Respondit Baltassar, et dixit :
Domine mi, somnium his qui te oderunt,
et interpretatio ejus hostibus tuis sit.
Arborem quam vidisti sublimem atque robustam,
cujus altitudo pertingit ad cœlum, et aspectus illius in omnem terram :
Et rami ejus pulcherrimi,
et fructus ejus nimius;
Et esca omnium in ea.
et subter eam habitantes bestiæ agri,
et in ramis ejus commorantes aves cœli :
Tu es rex, qui magnificatus es, et invaluisti.
et magnitudo tua crevit, et pervenit usque ad cœlum,
et potestas tua in terminos universæ terræ.
Quod autem vidit rex vigilem et sanctum descendere de cœlo, et dicere :
Succidite arborem, et dissipate illam;
Attamen germen radicum ejus in terra dimittite,
et vinciatur ferro et ære in herbis foris,
et rore cœli conspergatur,
et cum feris sit pabulum ejus.
donec septem tempora mutentur super eum :
Hæc interpretatio sententiæ Altissimi,
quæ pervenit super dominum meum regem :
Ejicient te ab hominibus,
et cum bestiis feris erit habitatio tua.
et fenum ut bos comedes,
et rore cœli infunderis :
Septem quoque tempora mutabuntur super te,
donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum,
et cuicunque voluerit, det illud.
Quod autem præcepit, ut relinqueretur germen radicum ejus,
id est arboris :
Regnum tuum tibi manebit,
postquam cognoveris potestatem esse cœlestem
Quamobrem, rex, consilium meum placeat tibi,
et peccata tua eleemosynis redime,
et iniquitates tuas misericordiis pauperum :
forsitan ignoscet delictis tuis.
Omnia venerunt super Nabuchodonosor regem.
Post finem mensium duodecim,
in aula Babylonis deambulabat.
Responditque rex, et ait :
Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni.
in robore, fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei ?
Cum adhuc sermo esset in ore regis,
vox de cœlo ruit :
Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex :
A Regnum transiit a te :
Et ab hominibus te ejicient,
et cum bestiis feris erit habitatio tua :
Fenum quasi bos comedes,
et septem tempora mutabuntur super te :
Donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum,
et cuicunque voluerit, det illud.
Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor,
et ex hominibus ejectus est;
Et fenum ut bos comedit,
et rore cœli corpus ejus infectum est :
Donec capilli ejus in similitudem aquilarum crescerent,
et ungues ejus quasi avium.
Igitur post finem dierum,
ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi,
B et sensus meus redditus est mihi :
Et Altissimo benedixi,
et viventem in sempiternum laudavi et glorificavi :
Quia potestas ejus potestas sempiterna.
et regnum ejus in generationem et generationem.
Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt :
juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ :
Et non est qui resistat manui ejus,
et dicat ei : Quare fecisti ?
In ipso tempore sensus meus reversus est ad me,
et ad honorem regni mei decoremque perveni,
et figura mea reversa est ad me :
Et optimates mei, et magistratus mei requisierunt me.
et in regno meo restitutus sum :
et magnificentia amplior addita est mihi.
C Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico.
et glorifico regem cœli :
Quia omnia opera ejus vera,
et viæ ejus judicia :
et gradientes in superbia potest humiliare.
[*Visio* V.] Baltassar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille :
et unusquisque secundum suam bibebat ætatem.
Præcepit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea et argentea,
quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem,
Ut biberent in eis rex et optimates ejus,
uxoresque ejus, et concubinæ.
Tunc allata sunt vasa aurea,
quæ asportaverat te templo, quod fuerat in Jerusalem :
D Et biberunt in eis rex et optimates ejus,
uxores et concubinæ ejus.
Bibebant vinum, et laudabant deos suos aureos,
et argenteos, et æreos, ferreos, ligneosque et lapideos.
In eadem hora apparuerunt digiti,
quasi manu hominis scribentis contra candelabrum
in superficie parietis aulæ regiæ :
et rex aspicebat articulos manus scribentis.
Tunc regis facies commutata est,
et cogitationes ejus perturbabant eum ;
Et compages renum ejus solvebantur,
et genua ejus ad se invicem collidebantur.
Exclamavit itaque rex fortiter,
ut introducerent magos, Chaldæos, et aruspices.
Et proloquens rex ait sapientibus Babylonis :
Quicumque legerit scripturam hanc,
et interpretationem ejus manifestam mihi fecerit,

Purpura vestietur, et torquem auream habebit in collo,
et tertius in regno meo erit.
Tunc ingressi omnes sapientes regis,non potuerunt scripturam legere,
nec interpretationem indicare regi.
Unde rex Baltassar satis conturbatus est,
et vultus illius immutatus est :
sed et optimates ejus turbabantur.
Regina autem,pro re quæ acciderat regi,et optimatibus ejus,
domum convivii ingressa est :
Et proloquens ait : Rex, in æternum vive :
non te conturbent cogitationes tuæ,neque facies tua immutetur.
Est vir in regno tuo,qui spiritum deorum sanctorum habet in se :
et in diebus patris tui scientia et sapientia inventæ sunt in eo :
Nam et rex Nabuchodonosor pater tuus,
principem magorum, incantatorum, Chaldæorum et aruspicum constituit eum,
pater, inquam, tuus, o rex :
Quia spiritus amplior,et prudentia intelligentiaque,
interpretatio somniorum, et ostensio secretorum,
ac solutio ligatorum, inventæ sunt in eo,
hoc est in Daniele : cui rex posuit nomen Baltassar.
Nunc itaque Daniel vocetur,
et interpretationem narrabit.
Igitur introductus est Daniel coram rege.
Ad quem præfatus rex ait :
Tu es Daniel de filiis captivitatis Judæ.
quem adduxit rex pater meus de Judæa?
Audivit de te, quoniam spiritum deorum habeas :
et scientia intelligentiaque ac sapientia amplior inventa est in te.
Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi, ut scripturam hanc legerent,
et interpretationem ejus indicarent mihi :
et nequiverunt sensum sermonis hujus edicere.
Porro ego audivi de te, quod possis obscura interpretari,
et ligata dissolvere :
Si ergo vales scripturam legere,
et interpretationem ejus indicare mihi,
Purpura vestieris, et torquem auream circa collum tuum habebis,
et tertius in regno meo princeps eris.
Ad quæ respondens Daniel, ait coram rege :
Munera tua sint tibi,et dona domus tuæ alteri da:
Scripturam autem legam tibi, rex,
et interpretationem ejus ostendam tibi.
O rex, Deus altissimus, regnum et magnificentiam,
et gloriam et honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo.
Et propter magnificentiam quam dederat ei,universi populi, tribus, et linguæ,
tremebant et metuebant eum :
Quos volebat, interficiebat :
et quos volebat, percutiebat :
Quos volebat, exaltabat
et quos volebat humiliabat.
Quando autem elevatum est cor ejus,
et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam,
depositus est de solio regni sui,
A et gloria ejus ablata est :
Et a filiis hominum ejectus est,
sed et cor ejus cum bestiis positum est,
et cum onagris erat habitatio ejus :
Fenum quoque ut bos comedebat,
et rore cœli corpus ejus infectum est :
Donec cognosceret quod potestatem habeat Altissimus in regno hominum,
et quemcumque voluerit, suscitabit super illud.
Tu quoque,filius ejus Baltassar,non humiliasti cor tuum,
cum scires hæc omnia :
Sed adversum Dominatorem cœli elevatus es,
et vasa domus ejus allata sunt coram te :
Et tu, et optimates tui,
et uxores tuæ et concubinæ tuæ, vinum bibistis in eis?
Deos quoque argenteos, et aureos, et æreos, ferreos, ligneosque et lapideos,
B qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti :
Porro Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, et omnes vias tuas,
non glorificasti.
Idcirco ab eo missus est articulus manus,
quæ scripsit hoc [1], quod exaratum est.
Hæc est autem scriptura, quæ digesta est :
MANE, THECEL, PHARES.
Et hæc est interpretatio sermonis.
MANE : numeravit Deus regnum tuum,
et complevit illud.
THEKEL : appensus es in statera,
et inventus es minus habens.
PHARES : divisum est regnum tuum,
et datum est Medis et Persis.
Tunc, jubente rege, indutus est Daniel purpura,
et circumdata est torques aurea collo ejus :
et prædicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno suo [2].
C Eadem nocte interfectus est Baltassar [3] rex Chaldæus.
Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.
[*Visio* VI.] Placuit Dario, et constituit super regnum satrapas centum viginti,
ut essent in toto regno suo.
Et super eos principes tres,
ex quibus Daniel unus erat :
Ut satrapæ illis redderent rationem,
et rex non sustineret molestiam.
Igitur Daniel superabat omnes principes et satrapas;
quia spiritus Dei amplior erat in eo.
Porro rex cogitabat constituere cum super omne regnum :
unde principes et satrapæ quærebant occasionem
ut invenirent Danieli ex latere regis [4];
Nullamque causam et suspicionem reperire potuerunt, eo quod fidelis esset,
D et omnis culpa et suspicio non inveniretur in eo.
Dixerunt ergo viri illi :
Non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem,
nisi forte in lege Dei sui.
Tunc principes et satrapæ surripuerunt regi,
et sic loculi sunt ei :
Dari rex, in æternum vive :
consilium inierunt cuncti principes regni,

[1] Plures mss. genere masculino legunt pronomen relativum, *qui scripsit hoc :* id vero ad *articulum* minus referri potest;licet in Chaldaico textu relativum *manum* respiciat די ידא *di ieda*, id est *hujus manus*. MART.

[2] Pronomen *suo* Vaticanus ms. tacet : estque etiam in Hebræo duntaxat בסלכותא.

[3] Canon Carcassonensis pronomine gentilitio posuit nomen proprium Babylonis urbis regiæ: *Eadem nocte interfectus est Baltassar rex Babylonis. Et Darius*, etc. MART.

[4] In Chaldæo scriptum legimus מלכותא, *malkutha*, quod *regnum* significat,non *regem*.Hinc genuinam dicere possumus lectionem codicis ms. Regii n. 3564, ubi habetur, *ex latore regni*. Hieronymus tamen *regem* interpretatur,ut manifestissime comprobari potest tum e ms.,tum e Comment.ejusdem. MART.

magistratus, et satrapæ, senatores, et judices,
ut decretum imperatorium exeat, et edictum :
Ut omnis qui petierit aliquam petitionem a quocunque Deo et homine,usque ad dies triginta,
nisi a te, rex,
mittatur in lacum leonum,
Nunc itaque,rex,confirma sententiam, et scribe decretum :
ut non immutetur quod statutum est a Medis et Persis,
nec prævaricari cuiquam liceat.
Porro rex Darius proposuit edictum,
et statuit.
Quod cum Daniel comperisset, id est, constitutam legem,
ingressus est domum suam :
Et fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat.
Confitebaturque coram Deo suo,
sicut et ante facere consueverat.
Viri igitur illi curiosius inquirentes,
invenerunt Danielem orantem et obsecrantem Deum suum.
Et accedentes locuti sunt regi super edicto :
Rex, nunquid non constituisti,
ut omnis homo,qui rogaret quemquam de diis et hominibus, usque ad dies triginta,
nisi te, rex,
mitteretur in lacum leonum?
Ad quos respondens rex, ait :
Verus sermo, juxta decretum Medorum atque Persarum,
quod prævaricari non licet.
Tunc respondentes dixerunt coram rege :
Daniel de filiis captivitatis Judæ,
non curavit de lege tua et de edicto quod constituisti,
sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua.
Quod verbum cum audisset rex,
satis contristatus est :
Et pro Daniele posuit cor ut liberaret eum,
et usque ad occasum solis laborabat ut erueret illum.
Viri autem illi intelligentes regem, dixerunt ei :
Scito,rex,quia lex Medorum atque Persarum est,
ut omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari.
Tunc rex præcepit :
et adduxerunt Danielem,
et miserunt eum in lacum leonum.
Dixitque rex Danieli :
Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te.
Allatusque est lapis unus,
et positus est super os laci :
Quem obsignavit rex annulo suo,et annulo optimatum suorum,
ne quid fieret contra Danielem.
Et abiit rex in domum suam,et dormivit incœnatus,
cibique non sunt illati coram eo,
insuper et somnus recessit ab eo.
Tunc rex primo diluculo consurgens,
festinus ad lacum leonum perrexit :
Appropinquansque lacui,Danielem voce lacrymabili inclamavit,
et affatus est eum :
Daniel, serve Dei viventis,
Deus tuus, cui tu servis semper, putasne valuit te liberare a leonibus?
Et Daniel regi respondens ait :
Rex, in æternum vive;
Deus meus misit angelum suum,
et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi:
Quia coram eo justitia inventa est in me :
sed et coram te, rex, delictum non feci.
Tunc rex vehementer gavisus est super eo.
A et Danielem præcepit educi de lacu :
Eductusque est Daniel de lacu,
et nulla læsio inventa est in eo,
quia credidit Deo suo.
Jubente autem rege, adducti sunt viri illi,
qui accusaverant Danielem :
Et in lacum leonum missi sunt,
ipsi, et filii, et uxores eorum.
Et non pervenerunt usque ad pavimentum laci,
donec arriperent eos leones, et omnia ossa eorum comminerunt.
Tunc Darius rex scripsit universis populis,tribubus, et linguis,
habitantibus in universa terra :
Pax vobis multiplicetur.
A me constitutum est decretum,
ut in universo imperio et regno meo,
tremiscant et paveant Deum Danielis.
Ipse est enim Deus vivens, et æternus in sæcula,
et regnum ejus non dissipabitur,
B et potestas ejus usque in æternum.
Ipse liberator, atque salvator,
faciens signa, et mirabilia in cœlo et in terra :
qui liberavit Danielem de lacu leonum.
Porro Daniel perseveravit usque ad regnum Darii, regnumque Cyri Persæ.
[*Visio* VII.] Anno primo Baltassar regis Babylonis, Daniel somnium vidit :
visio autem capitis ejus in cubili suo :
et somnium scribens,brevi sermone comprehendit: summatimque perstringens, ait :
Videbam in visione mea nocte,
et ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.
Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se.
Prima quasi leæna,
et alas habebat aquilæ :
C Aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus,
et sublata est de terra ;
Et super pedes quasi homo stetit,
et cor ejus datum est ei,
Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit :
et tres ordines erant in ore ejus,
et in dentibus ejus,
Et sic dicebant ei :
Surge, comede carnes plurimas.
Post hoc aspiciebam,
et ecce alia quasi pardus :
Et alas habebat avis quatuor super se,
et quatuor capita erant in bestia,
et potestas data est ei.
Post hoc aspiciebam in visione noctis,
et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis,
et fortis nimis.
Dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens,
et reliqua pedibus suis conculcans :
D Dissimilis autem erat cæteris bestiis,quas videram ante eam,
et habebat cornua decem.
Considerabam cornua,
et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum :
Et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus:
et ecce oculi,quasi oculi hominis erant in cornu isto,
et os loquens ingentia.
Aspiciebam donec throni positi sunt,
et Antiquus dierum sedit.
Vestimentum ejus quasi nix candidum,
et capitis ejus quasi lana munda :
Thronus ejus flammæ ignis :
rotæ ejus ignis accensus.
Fluvius igneus, rapidusque
egrediebatur a facie ejus.
Millia millium ministrabant ei,
et decies millies centena millia assistebant ei.

Judicium sedit,
et libri aperti sunt.
Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur:
Et vidi quoniam interfecta esset bestia.
et perisset corpus ejus, et traditum esset ad comburendum igni:
Aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas.
et tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus et tempus.
Aspiciebam ergo in visione noctis,
et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat,
et usque ad Antiquum dierum pervenit:
et in conspectu ejus obtulerunt eum.
Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum:
et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient;
Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur:
et regnum ejus, quod non corrumpetur.
Horruit spiritus meus,
ego Daniel territus sum in his,
et visiones capitis mei conturbaverunt me.
Accessi ad unum de assistentibus,
et veritatem quærebam ab eo de omnibus his.
Qui dixit mihi interpretationem sermonum,
et docuit me:
Hæ bestiæ magnæ quatuor,
quatuor regna consurgent de terra [1].
Suspicient autem regnum sancti Dei altissimi,
et obtinebunt regnum usque in sæculum, et sæculum sæculorum.
Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta,
quæ erat dissimilis valde ab omnibus, et terribilis nimis,
dentes et ungues ejus ferrei:
Comedebat, et comminuebat,
et reliquias pedibus suis conculcabat:
et de cornibus decem, quæ habebat in capite:
et de alio, quod ortum fuerat,
ante quod ceciderant tria cornua:
Et de cornu illo quod habebat oculos,
et os loquens grandia, et majus erat cæteris.
Aspiciebam,
et ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos,
et prævalebat eis,
donec venit Antiquus dierum, et judicium dedit sanctis Excelsi,
et tempus advenit, et regnum obtinuerunt sancti.
et sic ait: Bestia quarta, regnum quartum erit in terra,
quod majus erit omnibus regnis.
et devorabit universam terram, et conculcabit, et comminuet eam.
Porro cornua decem ipsius regni,
decem reges erunt:
Et alius consurget post eos,
et ipse potentior erit prioribus,
et tres reges humiliabit.
Et sermones contra Excelsum loquetur.
et sanctos Altissimi conteret:
Et putabit quod possit mutare tempora, et leges:
et tradentur in manu ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis.
Et judicium sedebit,
A ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem.
Regnum autem, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum,
detur populo sanctorum Altissimi:
Cujus regnum sempiternum est,
et omnes reges servient ei, et obedient.
HUCUSQUE FINIS VERBI.
Ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar,
et facies mea mutata est in me:
verbum autem in corde meo conservavi.
(*Visio* VIII.) Anno tertio regni Baltassar regis,
visio apparuit mihi.
Ego Daniel, post id quod videram in principio, vidi in visione mea [2],
cum essem in Susis castro, quod est in Elam civitate:
Vidi autem in visione
B esse me super portam Ulai:
Et levavi oculos meos, et vidi:
et ecce aries unus stabat ante paludem, habens cornua excelsa,
et unum excelsius altero atque succrescens.
Postea vidi arietem cornibus ventilantem contra occidentem.
et contra aquilonem,
et contra meridiem,
Et omnes bestiæ non poterant resistere ei,
neque liberari de manu ejus:
Fecitque secundum voluntatem suam,
et magnificatus est:
Et ego intelligebam:
ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terræ,
et non tangebat terram:
porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos.
C Et venit usque ad arietem illum cornutum,
quem videram stantem ante portam,
et cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ,
Cumque appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum,
et percussit arietem:
Et comminuit duo cornua ejus,
et non poterat aries resistere ei:
Cumque eum mississet in terra, conculcavit,
et nemo quibat liberare arietem de manu ejus.
Hircus autem caprarum magnus factus est nimis:
cumque crevisset, fractum est cornu magnum,
et orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cœli.
De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum:
et factum est grande contra meridiem,
et contra orientem,
et contra fortitudinem:
D Et magnificatum est usque ad fortitudinem cœli:
et dejecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas:
Et usque ad principem fortitudinis magnificatum est
et ab eo tulit juge sacrificium,
et dejecit locum sanctificationis ejus.
Robur autem datum est contra juge sacrificium, propter peccata:
et prosternetur veritas in terrra, et faciet, et pro-

[1] Ita mss. antiquiores ac melioris notæ juxta phrasim Hebr. sive Chaldaicam, ubi nec verbum substantivum, nec pronomen relativum invenias. hæc tamen supplet textus Comment. Hieronymi in Danielem, in quo legimus: *Hæ quatuor bestiæ magnæ quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra.* In Chaldaico fonte scriptum est, אבעה מלכים יקומו מן ארעא *arbea malkin jecumun min araa*, id est, *quatuor reges consurgent de terra.* MART.

[2] Sex vel septem mss. codices, et cum eis exemplaria Canonis legunt hoc modo: alii vero pro civitate regionem habent: *quod est in Elam regione.* Id nimine prætermissum est ab Hieronymo in Comment. hujus loci, sic enim scribit: *In Elam regione, sive, ut Symmachus interpretatus est, civitate, a qua etiam regio nomen accepit, ut a Babylone Babylonii, et ab Elam Elamitæ*, etc. MART.

sperabitur.
Et audivi unum de sanctis loquentem :
Et dixit unus sanctus alteri nescio cui loquenti,
Usquequo visio, et juge sacrificium,
et peccatum desolationis, quæ facta est :
et sanctuarium, et fortitudo conculcabitur?
Et dixit ei : Usque ad vesperam et mane, duo millia [1] trecenti :
et mundabitur sanctuarium :
Factum est autem cum viderem ego Daniel visionem, et quærerem intelligentiam :
ecce stetit in conspectu meo quasi species viri.
Et audivi vocem viri inter Ulai :
et clamavit, et ait :
Gabriel, fac intelligere istam visionem.
Et venit, et stetit juxta ubi ego stabam :
cumque venisset, pavens corrui in faciem meam,
et ait ad me :
Intellige, fili hominis,
quoniam in tempore finis complebitur visio.
Cumque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram,
et tetigit me, et statuit me in gradu meo, dixitque mihi :
Ego ostendam tibi quæ futura sunt in novissimo maledictionis :
quoniam habet tempus finem suum.
Aries quem vidisti habere cornua,
rex Medorum est atque Persarum.
Porro hircus caprarum, rex Græcorum est,
et cornu grande quod erat inter oculos ejus, ipse est rex primus,
Quod autem, fracto illo, surrexerunt quatuor pro eo,
quatuor reges de gente ejus consurgent,
sed non in fortitudine ejus.
Et post regnum eorum, cum creverint iniquitates,
consurget rex impudens facie, et intelligens propositiones,
Et roborabitur fortitudo ejus,
sed non in viribus suis :
Et supra quam credi potest, universa vastabit,
et prosperabitur, et faciet.
Et interficiet robustos,
et populum sanctorum, secundum voluntatem suam,
et dirigetur dolus in manu ejus :
Et cor suum magnificabit,
et in copia rerum omnium occidet plurimos :
Et contra principem principum consurget,
et sine manu conteretur.
Et visio vespere et mane, quæ dicta est, vera est :
tu ergo signa visionem, quia post dies multos erit.
Et ego Daniel langui.
et ægrotavi per dies :
Cumque surrexissem, faciebam opera regis,
et stupebam ad visionem,
et non erat qui interpretaretur.
(*Visio* IX.) In anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum,
qui imperavit super regnum Chaldæorum :
Anno uno regni ejus,
ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam,
ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni,
Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare,
et deprecari in jejuniis, sacco et cinere.
Et oravi Dominum Deum meum,
et confessus sum, et dixi :
Obsecro, Domine Deus magne et terribilis,
A custodiens pactum et misericordiam diligentibus te.
et custodientibus mandata tua.
Peccavimus,
iniquitatem fecimus,
impie egimus,
et recessimus :
Et declinavimus a mandatis tuis ac judiciis :
Non obedivimus servis tuis prophetis,
qui locuti sunt in nomine tuo regibus nostris,
principibus nostris,
patribus nostris,
omnique populo terræ.
Tibi, Domine, justitia :
nobis autem confusio faciei :
sicut est hodie viro Juda, et habitatoribus Jerusalem, et omni Israel ;
His qui prope sunt, et his qui procul,
in universis terris, ad quas ejecisti eos,
B propter iniquitates eorum, in quibus peccaverunt in te.
Domine, nobis confusio faciei,
regibus nostris,
principibus nostris,
et patribus nostris, qui peccaverunt.
Tibi autem Domino Deo nostro misericordia, et propitiatio,
quia recessimus a te :
Et non audivimus vocem Domini Dei nostri,
ut ambularemus in lege ejus, quam posuit nobis per servos suos prophetas.
Et omnis Israel prævaricati sunt legem tuam, et declinaverunt, ne audirent vocem tuam,
Et stillavit super nos maledictio, et detestatio, quæ scripta est in libro Mosi servi Dei,
quia peccavimus ei.
Et statuit sermones suos, quos locutus est super nos,
C et super principes nostros, qui judicaverunt nos,
Ut superinduceret in nos malum magnum,
quale nunquam fuit sub omni cœlo,
secundum quod factum est in Jerusalem.
Sicut scriptum est in lege Mosi,
omne malum hoc venit super nos.
Et non rogavimus faciem tuam, Domine Deus noster,
ut reverteremur ab iniquitatibus nostris,
et cogitaremus veritatem tuam.
Et vigilavit Dominus super malitiam,
et adduxit eam super nos :
Justus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis, quæ fecit :
non enim audivimus vocem ejus.
Et nunc, Domine Deus noster,
qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu forti,
et fecisti tibi nomen secundum diem hanc :
D Peccavimus, iniquitatem fecimus,
Domine, in omnem justitiam tuam :
Avertatur, obsecro, ira tua, et furor, tuus,
a civitate tua Jerusalem, et monte sancto tuo.
Propter peccata enim nostra et iniquitates patrum nostrorum.
Jerusalem et populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum.
Nunc ergo exaudi, Deus noster, orationem servi tui, et preces ejus :
et ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est,
propter temetipsum.
Inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi :
aperi oculus tuos, et vide desolationem nostram

[1] Nostri mss. cum Vulgata ipsum, *dies*, nomen præponunt, *dies duo millia*, etc., quod tamen in Hebraico tacet.

et civitatem, super quam invocatum est nomen tuum :
Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam,
sed in miserationibus tuis multis.
Exaudi, Domine.
placare, Domine :
attende, et fac :
Ne moreris propter temetipsum, Deus meus !
quia nomen tuum invocatum est super civitatem,
et super populum tuum,
Cumque adhuc loquerer, et orarem,
et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israel,
et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei :
Adhuc me loquente in oratione,
ecce vir Gabriel, quem videram in visione in principio,
cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini.
Et docuit me,
et locutus est mihi, dixitque :
Daniel nunc egressus sum, ut docerem te,
et intelligeres.
Ab exordio precum tuarum egressus est sermo :
ego autem veni, ut indicarem tibi,
quia vir desideriorum es :
Tu ergo animadverte sermonem,
et intellige visionem.
Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam,
ut consumetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum,
Et deleatur iniquitas,
et adducatur justitia sempiterna,
Et impleatur visio, et prophetia [1],
et ungatur Sanctus sanctorum.
Scito ergo, et animadverte :
Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem,
hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt :
Et rursum ædificabitur platea,
et muri in angustia temporum.
Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus :
et non erit ejus [1] :
Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo :
Et finis ejus vastitas,
et post finem belli statuta desolatio.
Confirmabit autem pactum multis hebdomada una
et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium :
Et in templo erit abominatio desolationis :
et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.
(*Visio* X.) Anno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Danieli cognomento Baltassar
et verbum verum, et fortitudo magna :
Intellexitque sermonem :
intelligentia enim opus est in visione.
In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus :
panem desiderabilem non comedi,
et caro et vinum non introierunt in os meum ;

A Sed neque unguento unctus sum :
donec complerentur trium hebdomadarum dies.
Die autem vegesima et quarta mensis primi,
eram juxta fluvium magnum, qui est Tigris,
Et levavi oculos meos, et vidi :
et ecce vir unus vestitus lineis,
et renes ejus accincti auro obryzo :
Et corpus ejus quasi chrysolithus,
et facies ejus velut species fulguris,
et oculi ejus, ut lampas ardens :
Et brachia ejus, et quæ deorsum usque ad pedes.
quasi species æris candantis :
et vox sermonum ejus, ut vox multitudinis.
Vidi autem ego Daniel solus visionem :
porro viri, qui erant mecum, non viderunt :
sed terror nimius irruit super eos, et fugerunt in absconditum.
Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc :
B et non remansit in me fortitudo,
sed et species mea immutata est in me,
et emarcui, nec habui quidquam virium.
Et audivi vocem sermonum ejus :
et audiens jacebam consternatus super faciem meam,
vultusque meus hærebat terræ.
Et ecce manus tetigit me,
et erexit me super genua mea.
Et super articulos manuum mearum.
Et dixit ad me : Daniel, vir desideriorum,
intellige verba, quæ ego loquor ad te, et sta in gradu tuo :
nunc enim missus sum ad te.
Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens.
Et ait ad me : Noli metuere, Daniel :
quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum,
ut te affligeres in conspectu Dei tui,
C exaudita sunt verba tua :
et ego veni propter sermones tuos.
Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus,
et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum,
et ego remansi ibi juxta regem Persarum.
Veni autem, ut docerem te quæ ventura sunt populo tuo in novissimis, diebus,
quoniam adhuc visio in dies.
Cumque laqueretur mihi hujuscemodi verbis,
dejeci vultum meum ad terram, et tacui.
Et ecce quasi similitudo filii hominis tetigit labia mea
et aperiens os meum locutus sum,
et dixi ad eum qui stabat contra me :
Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ,
et nihil in me remansit virium.
D Et quomodo poterit servus Domini mei loqui cum Domino meo ?
nihil enim in me remansit virium,
sed et halitus meum intercluditur.
Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis,
et confortavit me, et dixit :
Noli timere, vir desideriorum :
pax tibi :
confortare, et esto robustus.

[1] In Regio ms. codice Bibliorum *et impleatur visio et prophetes*. In eo autem, quem S. Albini Andegavensis diximus supra, idem legitur, sed casu plurali, *et impleatur visio et prophetæ*. Exemplaria Canonis, aliique quamplures mss. codices retinent quod nos edidimus. MART.

— Vaticanus ms. *et propheta* ; alii habent, *prophetes*, in Hebræo autem נביא.

[1] Subaudienda hic sunt quæ supplentur in editis ac pluribus mss, libris, nempe *populus qui eum negaturus est* : nam in Hebræo nthil aliud legas præter ista, ואין לו *veen lo*, id est *et non ei*, sive *et non ejus*, cui consonat Regius codex, quem hoc loco secuti sumus utpote putrum ab omni additamento. MART.

Cumque loqueretur mecum, convalui, et dixi:
Loquere, Domine mi, quia confortasti me.
Et ait:
Nunquid scis quare venerim ad te?
Et nunc revertar ut prælier adversum principem Persarum:
cum ergo egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens.
Verumtamen annuntiabo tibi, quod expressum est in scriptura veritatis,
et nemo est adjutor meus in omnibus his,
nisi Michael principes vester,
(*Cap.* XI.) Ego autem ab anno primo Darii Medi stabam ut confortaretur, et roboraretur.
Et nunc veritatem annuntiabo tibi.
Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside.
et quartus ditabitur opibus nimiis super omnes:
Et cum invaluerit divitiis suis,
concitabit omnes adversum regnum Græciæ.
Surget vero rex fortis,
et dominabitur potestate multa,
et faciet quod placuerit ei.
Et cum steterit, conteretur regnum ejus,
et dividetur in quatuor ventos cœli;
Sed non in posteros ejus,
neque secundum potentiam illius, qua dominatus est,
Lacerabitur enim regnum ejus etiam in externos, exceptis his.
Et confortabitur rex Austri:
et de principibus ejus prævalebit super eum, et dominabitur ditione:
multa enim dominatio ejus.
Et post finem annorum fœderabuntur:
filiaque regis austri veniet ad regem aquilonis facere amicitiam;
Et non obtinebit fortitudinem brachii, nec stabit semen ejus:
Et tradetur ipsa, et qui adduxerunt eam,
adolescentes ejus, et qui confortabant eam in temporibus.
Et stabit de germine radicum ejus plantatio:
et veniet cum exercitu, et ingredietur provinciam regis aquilonis:
et abutetur eis; et obtinebit.
Insuper et deos eorum, et sculptilia,
vasa quoque pretiosa argenti et auri,
et captiva ducet in Ægyptum:
ipse prævalebit adversus regem aquilonis,
Et intrabit in regnum rex austri,
et revertetur ad terram suam.
Filii autem ejus provocabuntur,
et congregabunt multitudinem exercituum plurimorum:
Et veniet properans, et inundans:
et revertetur, et concitabitur, et egredietur cum robore ejus.
Et provocatus rex austri egredietur,
et pugnabit adversus regem aquilonis;
et præparabit multitudinem nimiam,
et dabitur multitudo in manu ejus.
Et capiet multitudinum, et exaltabitur cor ejus.
et dejiciet multa, sed non prævalebit.
Convertetur enim rex aquilonis,
et præparabit multitudinem multo majorem quam prius:
Et in fine temporum annorumque,
veniet properans cum exercitu magno, et opibus nimiis,
Et in temporibus illis multi consurgent adversus regem austri:
filii quoque prævaricatorum populi tui extollentur, ut impleant visionem,
et corruent.
Et veniet rex aquilonis, et comportabit aggerem,
et capiet urbes munitissimas:
Et brachia austri non sustinebunt,
A et consurgent electi ejus ad resistendum,
et non erit fortitudo.
Et faciet veniens super eum juxta placitum suum,
et non erit qui stet contra faciem ejus.
Et stabit in terra inclyta,
et consumetur in manu ejus.
Et ponet faciem suam, ut veniat ad tenendum universum regnum ejus,
et recta faciet cum eo.
Et filiam feminarum dabit ei, ut evertat illud:
et non stabit, nec illius erit.
Et convertet faciem suam ad insulas,
et capiet multas,
Et cessare faciet principem opprobrii sui,
et opprobrium ejus convertetur in eum.
Et convertet faciem suam ad imperium terræ suæ,
et impinget, et corruet, et non invenietur.
Et stabit in loco ejus vilissimus, et indignus decore regio:
B et in paucis diebus conteretur,
non in furore, nec in prælio.
Et stabit in loco ejus despectus,
et non tribuetur ei honor regius:
et veniet clam, et obtinebit regnum in fraudulentia,
Et brachia pugnantis expugnabuntur a facie ejus, et conterentur.
insuper et dux fœderis.
Et post amicitias, cum eo faciet dolum:
et ascendet, et superabit in modico populo.
Et abundantes et uberes urbes ingredietur;
et faciet quæ non fecerunt patres ejus, et patres patrum ejus.
Rapinas, et prædam, et divitias eorum dissipabit,
et contra firmissimas cogitationes inibit:
et hoc usque ad tempus.
Et concitabitur fortitudo ejus,
et cor ejus adversum regem austri in exercitu magno.
C Et rex austri provocabitur ad bellum multis auxiliis et fortibus nimis:
et non stabunt, quia inibunt adversus eum consilia.
Et comedentes panem cum eo, conterent illum,
exercitusque ejus opprimetur,
et cadent interfecti plurimi.
Duorum quoque regum cor erit, ut malefaciant,
et ad mensam unam mendacium loquentur, et non proficient:
quia adhuc finis in aliud tempus.
Et revertetur in terram suam cum opibus multis:
et cor ejus adversum testamentum sanctum, et faciet,
et revertetur in terram suam.
Statuto tempore revertetur, et veniet ad austrum:
et non erit priori simile novissimum,
Et venient super eum Trieres et Romani:
et percutietur, et revertetur,
D et indignabitur contra testamentum sanctuarii, et faciet.
Reverteturque et cogitabit adversum eos,
qui dereliquerunt testamentum sanctuarii,
Et brachia ex eo stabunt,
et polluent sanctuarium fortitudinis,
et auferent juge sacrificium
et dabunt abominationem et desolationem,
Et impii in testamentum simulabunt fraudulenter
populus autem sciens Deum suum, obtinebit et faciet.
Et docti in populo docebunt plurimos:
et ruent in gladio, et flamma, et in captivitate, et in rapina dierum.
Cumque corruerint, sublevabuntur auxilio parvulo:
et applicabuntur eis plurimi fraudulenter.
Et de eruditis ruent, ut conflentur, et eligantur,
et dealbentur usque ad tempus præfinitum
quia adhuc aliud tempus erit.

Et faciet juxta voluntatem suam rex, et elevabitur, A
et magnificabitur adversum omnem Deum.
Et adversum Deum deorum loquetur magnifica, et
dirigetur,
donec compleatur iracundia,
perpetrata quippe est definitio.
Et Deum patrum suorum non reputabit.
et erit in concupiscentiis feminarum, nec quem-
quam deorum curabit ;
quia adversum universa consurget.
Deum autem Maozim [1] in loco suo venerabitur :
et Deum, quem ignoraverunt patres ejus,
colet auro, et argento, et lapide pretioso rebus-
que pretiosis.
Et faciet, ut muniat Maozim cum deo alieno, quem
cognovit,
et multiplicabit gloriam,
et dabit eis potestatem in multis
et terram dividet gratuito.
Et in tempore præfinito, præliabitur adversus eum B
rex austri,
et quasi tempestas veniet contra illum rex aqui-
lonis,
in curribus, et in equitibus, et in classe magna,
et ingredietur terras, et conteret et pertransiet.
Et introibit in terram gloriosam,
et multæ corruent :
Hæ autem solæ salvabuntur de manu ejus ;
Edom, et Moab, et principium filiorum Ammon:
Et mittet manum suam in terras :
et terra Ægypti non effugiet.
Et dominabitur thesaurorum auri et argenti,
et in omnibus pretiosis Ægypti :
Per Libyam quoque et Æthiopiam transibit.
Et fama turbabit eam ab oriente et ab aquilone :
et veniet in multitudine magna, ut conterat et
interficiat plurimos.
Et figet tabernaculum suum Apedno [2] inter maria,
super montem inclytum et sanctum.
Et veniet usque ad summitatem ejus, C
et nemo auxiliabitur ei.
[*Cap.* XII.] In tempore autem illo consurget Michael
princeps magnus,
qui stat pro filiis populi tui ;
Et veniet tempus :
quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœpe-
runt,
usque ad tempus illud.
Et in tempore salvabitur populus tuus,
omnis qui inventus fuerit scriptus in libro.
Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere
evigilabunt :
alii in vitam æternam,
et alii in opprobrium, ut videant semper [3].
Qui autem docti fuerint,
fulgebunt quasi splendor firmamenti.
Et qui ad justitiam erudiunt multos,
quasi stellæ in perpetuas æternitates [4].
Tu autem, Daniel, claude sermones,
et signa librum : usque ad tempus statutum
Pertransibunt plurimi,
et multiplex erit scientia.
Et vidi ego Daniel,
et ecce quasi alii duo stabant :
Unus hinc super ripam fluminis,
et alius inde ex altera ripa fluminis.
Et dixi viro, qui indutus erat lineis:
qui stabat super aquas fluminis :
Usquequo finis horum mirabilium ?
Et audivi virum, qui indutus erat lineis,
qui stabat super aquas fluminis.
Cum elevasset dexteram et sinistram suam in
cœlum,
et jurasset per viventem in æternum,
quia in tempus, et tempora, et dimidium tem-
poris.
Et cum completa fuerit dispersio manus populi
sancti,
complebuntur universa hæc.
Et ego audivi, et non intellexi.
Et dixi : Domine mi, quid erit post hæc ?
Et ait : Vade, Daniel.
quia clausi sunt, signatique sermones,
usque ad tempus præfinitum.
Eligentur, et dealbabuntur,
et quasi ignis probabuntur multi :
Et impie agent impii,
neque intelligent omnes impii,
porro docti intelligent.
Et a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium,
et posita fuerit abominatio in desolationem.
dies mille ducenti nonaginta.
Beatus qui exspectat,
et pervenit usque ad dies mille trecentos tri-
ginta quinque.
Tu autem vade ad præfinitum :
et requiesces et stabis in sorte tua in finem
dierum

Hucusque Danielem in Hebræo volumine legimus. Cætera quæ sequuntur usque ad finem libri, de Theodotionis editione translata sunt [5],

[*Visio* XI.] Et erat vir habitans in Babylone [6]. et nomen ejus Joacim : Et accepit uxorem nomine

[1] Canon Carcass. habet *Moozim*, Memmian, autem *Maozim*. Utrumque legi potest ex Hebr. מעזים quod Massorethæ *Maumyim* legunt. MART.
—Ita et Vaticanus ms. cum Vulgatis habet; alii *Moozim* præferunt.

[2] Hunc locum notatum invenimus in Canone Memmiano : nam in contextu cum posuisset exscriptor *Ephedno*, ad latus in margine hæc apposuit : *Secundum LXX, Ephadanon.* Notandum autem, inquit Hieronymus in Comment., *quod cum litteram P. Hebr. sermo non habeat, sed pro ipsa utatur PHE, cujus vim Græcum sonat, in isto tantum loco apud Hebr. scribatur quidam PHE, sed legatur P.* MART.

[3] Pro *ut videant* in Hebraico exemplari est לדראון id est *ad ignominiam*, nimirum continenti sensu, *ad opprobrium. et ad ignominium sempiternam*, sive *semper*. Est itaque verosimillimum, legisse S. Interpretem in eo, quod ob oculos habebat, exemplari, expuncta ד littera, לראון, quod est *ad videndum*, sive *ut videant*. Certe ex LXX, qui vertunt juxta Hebræum, καὶ εἰς αἰσχύνην, eam lectionem mutuatus non est.

[4] Huc referendum ipsiusmet S. Interpretis testimonium in epist. 53, *ad Paulinum*, num. 3 : « Daniel in fine sacratissimæ visionis justos ait fulgere sicut stellas, et intelligentes, hoc est doctos, quasi firmamentum... Quanquam juxta Hebraicam veritatem utrumque de eruditis possit intelligi, ita enim legitur : *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti. Et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* »

[5] Sunt qui ex his verbis *translata sunt*, colligant quæ subsequuntur additamenta de Theodotionis editione, non fuisse abs Hieronymo Latine reddita, sed emendata duntaxat ex Græco in priori illa editione Scripturarum, quam ad Græcum textum refixit. Neque huic quidem obstat sententiæ, quod de se ipse testatur S. Pater in prologo Commentarior. ad hunc prophetam : « Unde et nos ante annos plurimos, cum verteremus Danielem, has visiones obelo prænotavimus, significantes, eas in Hebraico non haberi. »

[6] De hac parte Danielis ita monet S. Hieronymus Procœmio Comment. in eumdem prophetam : « Unde et nos ante annos plurimos cum verteremus Danie-

Susannam, filiam Helciæ, pulchram nimis, et timentem Deum : parentes enim illius, cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. Erat autem Joacim dives valde, et erat ei ponarium [1] vicinum domui suæ : et ad ipsum confluebant Judæi, eo quod esset honorabilior omnium. Et constituti sunt duo senes judices in anno illo : de quibus locutus est Dominus : Quia egressa est iniquitas de Babylone a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum. Isti frequentabant domum Joacim, et veniebant ad eos omnes qui habebant judicia. Cum autem populus revertisset per meridiem, ingrediebatur Susanna, et deambulabat in pomario viri sui. Et videbant eam senes quotidie ingredientem, et deambulantem : et exarserunt in concupiscentiam ejus : et everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum. Erant enim ambo vulnerati amore ejus, nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum : erubescebant enim indicare sibi concupiscentiam suam, volentes concumbere cum ea, et observabant quotidie sollicitius videre eam. Dixitque alter ad alterum: Eamus domum, quia prandii hora est. Egressi recesserunt a se. Cumque revertissent, venerunt in unum : et sciscitantes ab invicem causam, confessi sunt concupiscentiam suam ; et tunc in communi statuerunt tempus, quando eam possent invenire solam. Factum est autem, cum observarent diem aptum, ingressa est aliquando sicut heri et nudiustertius, cum duabus solis puellis, voluitque lavari in pomario : æstus quippe erat : et non erat ibi quisquam, præter duos senes absconditos, et contemplantes eam. Dixit ergo puellis : Afferte mihi oleum, et smignata, et ostia pomarii claudite, ut laver. Et fecerunt sicut præceperat, clauserunt ostia pomarii, et egressæ sunt per posticum, ut afferrent quæ jusserat : nesciebantque senes intus esse absconditos. Cum autem egressæ essent puellæ, surrexerunt duo senes, et accurrerunt ad eam, et dixerunt : Ecce ostia pomarii clausa sunt, et nemo nos videt, et nos in concupiscentia tui sumus ; quam ob rem assentire nobis, et commiscere nobiscum. Quod si nolueris, dicemus testimonium contra te, quod fuerit tecum juvenis, et ob hanc causam emiseris puellas a te. Ingemuit Susanna, et ait : Angustiæ mihi undique, si enim hoc egero, mors mihi est ; si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius mihi est absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. Et exclamavit voce magna Susanna : exclamaverunt autem et senes adversus eam. Et cucurrit unus, et aperuit ostia pomarii. Cum ego audissent clamorem famuli domus in pomario, irruerunt per posticum, ut viderent quidnam esset. Postquam autem senes locuti sunt, erubuerunt servi vehementer : quia nunquam dictus fuerat sermo hujuscemodi de Susanna. Et facta est dies crastina. Cumque venisset populus ad virum ejus Joacim, venerunt et duo præsbyteri pleni iniqua cogitatione adversus Susannam, ut interficerent eam. Et dixerunt coram populo : Mitte ad Susannam, filiam Helciæ, uxorem Joacim. Et statim miserunt. Et venit cum parentibus, et filiis, et universis cognatis suis. Porro Susanna erat delicata nimis, et pulchra specie. At iniqui illi jusserunt, ut discooperiretur (erat enim cooperta), ut vel sic satiarentur decore ejus. Flebant igitur sui, et omnes qui noverant eam. Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput ejus, Quæ flens suspexit ad cœlum : erat enim cor ejus fiduciam habens in Do-

A mino. Et dixerunt presbyteri : Dum deambularemus in pomario soli, ingressa est hæc cum duabus puellis : et clausit ostia pomarii, et dimisit a se puellas. Venitque ad eam adolescens qui erat absconditus, et concubuit cum ea. Porro nos cum essemus in angulo pomarii, videntes iniquitatem, currimus ad eos, et vidimus eos pariter commisceri. Et illum quidem non quivimus comprehendere, quia fortior nobis erat, et apertis ostiis exsilivit : hanc autem cum apprehendissemus, interrogavimus, quisnam esset adolescens, et noluit indicare nobis : hujus rei testes sumus. Credidit eis multitudo, quasi judicibus et senibus populi, et condemnaverunt eam ad mortem. Exclamavit autem voce magna Susanna, et dixit : Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum contra me tulerunt testimonium : et ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt
B adversum me. Exaudivit autem Dominus vocem ejus. Cumque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel, et exclamavit voce magna : Mundus ego sum a sanguine hujus. Et conversus omnis populus ad eum, dixit : Quis est iste sermo, quem tu locutus es ? Qui cum staret in medio eorum, ait : Sic fatui, filii Israel, non judicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israel ? Revertimini ad judicium, quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam. Reversus est ergo populus cum festinatione, et dixerunt ei senes : Veni, et sede in medio nostrum, et indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis. Et dixit ad eos Daniel : Separate illos ab invicem procul, et dijudicabo eos. Cum ergo divisi essent alter ab altero, vocavit unum de eis et dixit ad eum : Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius, judicans judicia injusta, innocentes opprimens, et dimittens
C noxios, dicente Domine : Innocentem et justum non interficies. Nunc ergo si vidisti eam, dic, sub qua arbore videris eos loquentes sibi. Qui ait : Sub schino. Dixit autem Daniel : Recte mentitus es in caput tuum : Ecce enim angelus Dei accepta sententia ab eo, scindet te medium. Et, amoto eo, jussit venire alium, et dixit ei : Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum ; sic faciebatis filiabus Israel, et illæ timentes loquebantur vobis, sed filia Juda non sustinuit iniquitatem vestram. Nunc ergo dic mihi, sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait : Sub prino. Dixit autem ei Daniel : Recte mentitus es et tu in caput tuum : manet enim angelus Dei, gladium habens, ut secet te medium, et interficiat vos. Exclamavit itaque omnis cœtus voce magna, et benedixerunt Deum, qui salvat sperantes in se. Et consurrexerunt adversus eos presbyteros (convicerat enim eos Daniel ex ore
D suo falsum dixisse testimonium), feceruntque eis sicut male egerant adversus proximum, ut facerent secundum legem Moysi : et interfecerunt eos, et salvatus est sanguis innoxius in die illa, Helcias autem et uxor ejus laudaverunt Deum pro filia sua Susenna, cum Joacim marito ejus, et cognatis omnibus, quia non esset inventa in ea res turpis. Daniel autem factus est magnus in conspectu populi, a die illa, et deinceps. Et rex Astyages appositus est ad patres suos, et suscepit Cyrus Perses regnum ejus.

[*Visio* XII.] Erat autem Daniel conviva regis, et honoratus super omnes amicos ejus. Erat quoque idolum nomine Bel apud Babylonios : et im-

lem, has visiones obelo prænotavimus ; significantes eas in Hebraico non haberi, » etc. MART.

[1] Mss. codices legunt *Pomerium*, quod maxime distat ac diversum est a *Pomario*, si scribatur *Pomœrium*, ut scitur ab omnibus eruditis. MART.

pendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim, et oves quadraginta, vinique amphoræ sex. Rex quoque colebat eum, et ibat per singulos dies adorare eum : porro Daniel adorabat Deum suum. Dixitque ei rex : Quare non adoras Bel? Qui respondens ait ei : Quia non colo idola manufacta, sed viventem Deum, qui creavit cœlum et terram, et habet potestatem omnis carnis. Et dixit ad eum rex : Non tibi videtur esse Bel vivens deus? Annon vides quanta comedat et bibat quotidie? Et ait Daniel arridens : Ne erres, rex. Iste enim intrinsecus luteus est, et forinsecus æreus, neque comedit aliquando. Et iratus rex vocavit sacerdotes ejus, et ait eis : Nisi dixeritis mihi, quis est qui concedat impensas has, moriemini. Si autem ostenderitis quoniam Bel comedat hæc, morietur Daniel, quia blasphemavit in Bel. Et dixit Daniel regi : Fiat juxta verbum tuum. Erant autem sacerdotes Bel septuaginta, exceptis uxoribus, et parvulis, et filiis. Et venit rex cum Daniele in templum Bel. Et dixerunt sacerdotes Bel : Ecce nos egredimur foras, et tu, rex, pone escas, et vinum misce, et claude ostium, et signa annulo tuo : et cum ingressus fueris mane nisi inveneris omnia comesta a Bel, moriamur, vel Daniel qui mentitus est adversum nos. Contemnebant autem, quia fecerant sub mensa absconditum introitum, et per illum ingrediebantur semper et devorabant ea. Factum est igitur postquam egressi sunt illi; et rex posuit cibos ante Bel : præcepit Daniel pueris suis, et attulerunt cinerem, et cibravit per totum templum coram rege : et egressi clauserunt ostium : et signantes annulo regis abierunt. Sacerdotes autem ingressi sunt nocte juxta consuetudinem suam, et uxores, et filii eorum : et comederunt omnia, et biberunt. Surrexit autem rex primo diluculo, et Daniel cum eo. Et ait rex : Salvane sunt signacula, Daniel? Qui respondit : Salva, rex. Statimque cum aperuisset ostium, intuitus rex mensam, exclamavit voce magna : Magnus es, Bel, et non est apud te dolus quisquam. Et risit Daniel, et tenuit regem ne ingrederetur intro et dixit : Ecce pavimentum, animadverte cujus vestigia sint hæc. Et dixit rex : Video vestigia virorum, et mulierum, et infantium. Et iratus est rex. Tunc apprehendit sacerdotes, et uxores, et filios eorum, et ostenderunt ei abscondita ostiola, A per quæ ingrediebantur, et consumebant quæ erant super mensam. Occidit ergo illos rex, et tradidit Bel in potestatem Danielis, qui subvertit eum et templum ejus. Et erat draco magnus in loco illo, et colebant eum Babylonii. Et dixit rex Danieli : Ecce nunc non potes dicere quia non sit iste deus vivens : adora ergo eum. Dixitque Daniel : Dominum Deum meum adoro, quia ipse est Deus vivens : tu autem [1], rex, da mihi potestatem, et interficiam draconem absque gladio et fuste. Et ait rex : Do tibi. Tulit ergo Daniel picem, et adipem, et pilos, et coxit pariter : fecitque massas, et dedit in os draconis, et diruptus est draco. Et dixit : Ecce quem colebatis. Quod cum audissent Babylonii, indignati sunt vehementer, et congregati adversum regem, dixerunt : Judæus factus est rex, Bel destruxit, draconem interfecit, et sacerdotes occidit. Et dixerunt cum venissent ad regem : Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te et domum tuam. Vidit ergo B rex quod irruerent in eum vehementer : et necessitate compulsus tradidit eis Danielem. Qui miserunt eum in lacum leonum, et erat ibi diebus sex. Porro in lacu erant septem leones, et dabantur eis quotidie duo corpora et duæ oves : et tunc non data sunt eis, ut devorarent Danielem. Erat autem Habacuc propheta in Judæa, et ipse coxerat pulmentum, et intriverat panes in alveolo, et ibat in campum ut ferret messoribus. Dixitque angelus Domini ad Habacuc : Fer prandium quod habes. in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. Et dixit Habacuc : Domine, Babylonem non vidi, et lacum nescio. Et apprehendit eum angelus Domini in vertice ejus, et portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. Et clamavit Habacuc, dicens : Daniel, tolle [2] prandium quod misit tibi Deus. Et ait Daniel. Recordatus es enim mei, Deus, et non dereliquisti C diligentes te. Surgensque Daniel, comedit. Porro angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo. Venit ergo rex die septimo ut lugeret Danielem : et venit ad lacum, et introspexit, et ecce Daniel sedens. Et [3] exclamavit voce magna rex, dicens; Magnus es, Domine, Deus Danielis. Et extraxit eum [4]. Porro illos qui perditionis ejus causa fuerant intromisit, et devorati sunt in momento coram eo [5].

[1] Occurrunt hic et infra plura additamenta in editis libris, quæ non leguntur in mss. antiquioribus, præcipue in exemplaribus Canonis Hebr. veritatis. Consulat qui voluerit, nostram editionem cum antea vulgatis. MART.

[2] Addunt vulgati iidem libri *serve Dei*, quæ mss. ignorant. Græcus pro his geminat Danielis nomen, Δανιὴλ, Δανιὴλ, λάβε, etc.

[3] Plus decuo Vulgati hic habent, *in medio leonum*, quæ neque in Græco sunt, neque in mss. D

[3] Vaticanus ms. addit *de lacu*. Vulgati præterea subdunt *leonum*. Mox pari consensu post verbum *intromisit*, addunt *in locum*. Græcus et melioris notæ mss. nihil habent ejusmodi.

[5] Quam imponunt libro coronidem Vulgati : *Tunc rex ait : Pavinti omnes habitantes in universa terra Deum Danielis, quia ipse est Salvator faciens signa et mirabilia in terra, qui liberavit Danielem de lacu leonum*, cum alii penes Martianæum, tum nostri mss. textusque ipse Græcus nescit.

Explicit liber Danielis Prophetæ.

PRÆFATIO HIERONYMI IN LIBRUM PARALIPOMENON

Si Septuaginta Interpretum pura, et ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superflue me, mi Chromati [1], episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut Hebræa volumina Latino

[1] Manuscriptus sacrorum Bibliorum codex D. eminentiss. card. Bondii hoc modo legit, scilicet : *Superfluo me, mi Chromaci*, etc. Ita quoque ms. monasterii B. Mariæ Deauratæ Tolosanæ. Alius autem Ecclesiæ Narbonensis : *Superflue me, Chromaci*, etc. Cæ'era exemplaria mss. triginta vel amplius, omittunt pronomen *me*. MART.

— Quidam mss. *mi* voculam hic tacent : alii plus

sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, et nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem, justum erat etiam nostro silentio comprobari. Nunc vero, cum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, et germana illa antiquaque translatio corrupta sit, atque violata : habent mox *tibi*, ut et in laudata Apologia legitur, *ut tibi Hebræa*, etc.

[1] Proverbii hujus diversas afferunt interpretationes Budæus et Erasmus : sed ad manifestandam Hieronymi sententiam nihil magis accommodatum videtur, quam quod ipse scribit præfatione in librum Josue, *Doluisse*, scilicet, *Judæos quod calumniandi eis et irridendi Christianos sit ablata occasio*, ex Latina translatione ad Hebr. codices annotata ; hinc enim adversarii maxime torquebantur : cum antea Scripturarum divinarum, ac propheticorum oraculorum notitiam soli se habere jactitarent. Hujus rei testem habemus Sophronium, virum alioquin eruditissimum, sed linguæ Hebr. inconsultum: qui cum aliquando cum Hebræo disputans, quædam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisset, ab adversario derisus est ; illudens enim Judæus per sermones pene singulos asserebat non ita haberi in Heb. ut Sophronius de Septuaginta ita haberi in Heb. ut Sophronius de Septuaginta Interpretibus opponebat. Unde ab Hieronymo studiosissime postulavit ut post Aquilam et Symmachum et Theodotionem, novam Editionem, Latino sermone transferret. Inventus est itaque Doctor egregius, qui cornicum oculos confixerit, quia Judæorum oculos, qui se sapientiores videri volebant et duces cæcorum, sua translatione Hebraica confixit. Vide præfationem in librum Psalmorum. MART.

— Rectissime pridem notatum Erasmo ac Victorio, Proverbium hoc esse quo Latini utebantur ἀντὶ τοῦ iis illudere, qui omnibus se posse putant aut jactant illudere. Nempe, aut quod cornix oculatissimum est animal, aut quod oculas cadaverum ad quæ fertur, cum primis atque avidissime petit quemadmodum Bochartus Hierozoici parte II, lib. II, cap. 10, observat, confingere cornicum oculos, idem est παροιμιωδῶς, atque homines callidos versutosque, versutia et calliditate circumvenire, ac veteratoria ipsa arte veteratores decipere. Hoc sensu occurrit Proverbium istud apud veteres, ac præcipue Ciceronem, a quo Hieronymus accepit, Oratione pro L. Murena cap. 11, et subsequenti pro L. Flacco cap. 20, quæ loca unus post alium, Erasmus, Victorius, Clericus, atque alii laudant, addito illo Macrobii Saturnaliorum lib. VII, cap. 5 : « Græcus Græco eripiat hunc plausum, tanquam cornix cornicis oculos effodiat. » Martian. tamen Hieronymianam allusionem, locique hujus sensum non videtur assecutus.

[2] Hunc locum male intelligunt, qui putant in omnibus Ecclesiis ita usurpatas fuisse editiones Græcas LXX Interpretum, ut in Alexandrinorum et Ægyptiorum conventibus publice populo Christiano legerentur sacri codices juxta emendationem Hesychii ; in Ecclesiis autem Constantinopolitanis usque ad Antiochiam juxta Lucian. martyris recognitionem. Contrarium docet Hieronymus multis in locis : ac primum præfatione in quatuor Evangelia ad Damasum expresse testatur, hase ditiones paucis acceptas esse : « Prætermitto eos codices, inquit, quos a Luciano et Hesychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio : quibus utique, nec in toto Veteri Instrumento post Septuaginta Interpr. emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendasse, etc. Vides igitur, lector, intra provincias jam dictas a paucis, qui etiam perverse contenderent, fuisse suscepta Hesychii et Luciani exemplaria Scripturarum. Non idem sentiendum de codicibus elaboratis ab Origene, qui in editione Septuaginta Theodotionis editionem miscuit, astericis designans quæ minus ante fuerant, et virgulis quæ ex superfluo videbantur apposita : illa namque editio celebris adeo fuit apud omnes, ut publice usurparetur in cunctis Christianorum Ecclesiis. Unde Hieron. procœmio Comment. in Danielem hoc admonuit : « Sed et Origenes de Theodotionis opere in Edit. Vulgata astericos posuit, docens defuisse quæ addita sunt ; et rursus quosdam versus obelis prænotavit, superflua quæque designans. Cumque omnes Christi Ecclesiæ, tam Græcorum quam Latinorum, Syrorum et Ægyptiorum, hanc sub asteriscis et obelis editionem legant, ignoscant invidi labori meo, » etc. Nec de solo Danielis volumine hæc intelligenda quis dixerit: quia cum Augustino alibi disserens, usum Ecclesiæ plane declarat, universaque divinorum Scripturarum exemplaria his verbis consequentibus ab eo fuisse comprehensa, nemo est qui eat inficias : « Vis, ait, amator esse verus Septuaginta Interpretum ? non legas ea quæ sub astericis sunt, imo rade de voluminibus, ut veterum te fautorem probes. Quod si feceris, omnes Ecclesiarum bibliothecas condemnare cogeris : vix enim unus aut alter invenitur liber qui ista non habeat. » Vide epist. 89, apud Aug. 75. MART.

— Hoc tamen ipsum, quod diserte adero asserit S. Pater, pernegat Martian. aut certe eo sensu vetat intelligi, ut in Alexandriæ atque Ægypti conventibus Hesychiana, in Constantinopolitanis vero usque Antiochiam Lucianea editio dicantur obtinuisse. Nititur vero hoc altero Hieronymi testimonio in prologo Evangeliorum ad Damasum : « Prætermitto eos codices quos a Luciano et Hesychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio. » Et re quidem ipsa nisi plane perspectam habeas S. Doctoris mentem, contextumque loci, nedum quod Martian. facit, contra earum editionum celebritatem hinc colligas, sed secum ipso pugnabit S. Pater, qui et satis hic luculenter doceat Alexandriam et Ægyptum Hesychium laudare auctorem, reliquas a Constantinopoli ad Antiochiam provincias Luciani martyris probare exemplaria : scripserit vero antea ad Damasum paucorum esse hominum pro Luciano, et Hesychio contentionem, eamque perversam. Verum ex toto alterius hujusce loci contextu ac proposito liquet, de Novi Testamenti Lucianeis, sive Hesychianis codicibus sermonem ibi esse, in quo quidem recognoscendo minus horum probata fuerit auctorum industria : contra hic de vetere dici, quod eorum editiones tantarum regionum Ecclesiæ suscipiant. Hoc porro manifestum adeo est, ut liceat etiamnum laudata Patribus Alexandrinis Scripturarum loca Hesychianæ interpretationis arguere : ut et Lucianeam continuo referunt, quæ Constantinopolitani laudant. Ex uno Chrysostomo, qui prius Antiochiæ, deinde Constantinopolis cathedram tenuit, fuitque Hieronymianis temporibus, si periculum feceris, numera occurrent testimonia, ex Luciani recensione laudata, quæ ab Alexandrinæ Ecclesiæ codicibus dissonant : rursumque isti ab Hesychio recogniti, a Palæstinæ exemplaribus variant, quæ Origenes elaboravit. Rem exemplis, quæ nimis multa suppetunt, edisserere, nostri non est instituti. Videsis quæ tum alibi, tum ad laudatum prologum Evangeliorum adnotamus.

liani) martyris exemplaria probat. Mediæ inter has provinciæ Palæstinos (*Al.* Palæstinæ) codices legunt: quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt: totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat. Et certe Origenes non solum exemplaria [1] composuit quatuor editionum, e regione singula verba describens, ut unus dissentiens, statim cæteris inter se consentientibus arguatur; sed, quod majoris audaciæ est in editione Septuaginta Theodotionis editionem miscuit, asteriscis designans quæ minus ante fuerant, et virgulis quæ ex superfluo videbantur apposita. Si igitur aliis licuit non tenere quod semel susceperant, et post septuaginta cellulas, quæ vulgo sine auctore jactantur [2], singulas cellulas aperuere, hocque in Ecclesiis legitur quod Septuaginta nescierunt, cur me non suscipiant Latini mei, qui inviolata editione veteri ita novam condidi, ut laborem meum Hebræis, et, quod his majus est, apostolis auctoribus probem [3]? Scripsi nuper librum *de Optimo genere interpretandi* [4], ostendens illa de Evangelio, *Ex Ægypto vocavi filium meum* (*Matth.* II, 13); et *Quoniam Nazaræus vocabitur* (*Ibid.* 23); et, *Videbunt in quem compunxerunt* (*Joan.* XIX, 37); et illud Apostoli, *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II, 9): cæteraque his similia in Hebræorum libris inveniri. Certe apostoli et evangelistæ, Septuaginta Interpretes noverant: et unde eis hæc dicere quæ in Septuaginta non habentur? Christus Dominus noster utriusque Testamenti conditor, in Evangelio secundum Joannem, *Qui credit*, inquit, *in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38). Utique scriptum est, quod Salvator scriptum esse testatur. Ubi scriptum est? Septuaginta non habent: apocrypha nescit Ecclesia. Ad Hebræos igitur revertendum est, unde et Dominus loquitur, et discipuli exempla præsumunt. Hæc pace veterum loquor, et obtrectatoribus meis tantum respondeo, qui canino dente me rodunt, in publico detrahentes; legentes in angulis, iidem et accusatores et defensores, cum in aliis probent quod in me reprobant; quasi virtus et vitium non in rebus sit, sed cum auctore mutetur. Cæterum memini, editionem Septuaginta Translatorum olim de Græco emendatam tribuisse me nostris [5]: nec inimicum debere æstimari eorum, quos in conventu fratrum semper edissero. Et quod nunc DABRE IAMIM (דברי הימים), id est *Verba dierum*, interpretatus sum, idcirco feci, ut inextricabiles moras, et silvam nominum, quæ scriptorum confusa sunt vitio, sensuumque barbariem, apertius et per versuum cola digererem: mihimetipsi et meis juxta Ismeniam [6] canens. si aures surdæ sunt cæterorum.

[1] Vaticanus ms. unus, et alter e nostris, legunt *Hexapla*, sed incongrue; quia de quatuor editionibus hic sermo est. id est de *Tetraplis*, non de *Hexaplis* Origenis. MART.

[2] Sine auctore jactantur hæ singulæ cellulæ Septuaginta Interp.: « Cum Aristæus Ptolomæi regis ὑπερασπιστής et multo post tempore Josephus, nihil tale retulerint: sed in eadem basilica congregatos, contulisse scribant, non prophetasse. » Hæc S. Hieronymus prologo in Genesim. MART.

[3] Eodem sensu legit supra laudatus ms. codex D. Card. Bonzii, *apostolicis auctoritatibus probem*. MART.

[4] Est *ad Pammachium* epistola in nostra recensione 57 scripta sub anni 395 finem, ut in Chronologicis ad eam Notis ostendimus,

[5] Diximus, non nisi exiguam ejus editionis partem superesse, quam subsequenti tomo recensebimus dicemusque de ea pluribus in Præfatione.

[6] Non *Ismeniam*, sed *Hismenium* legimus in omnibus mss. codicibus excepto Canone Hebraicæ veritatis, in quo scriptum reperimus *Hismæniam*. Porro apud Apuleium, et Plutarchum in Pericle, *Ismenias* nomen est Thebani optimi tibicinis, cui sane frigenti ad populum aiebat Antigenidas præceptor, referente Cicerone *de Clar., Orat. Mihi cane et musis*. Meminit etiam *Historiæ* Valerius Maximus lib. *Rerum memorabilium*, III, c. 7. Hinc canere sibi et musis, significat scribere aut dicere quod docti soli intelligant, aut ipse cantor, non vulgus imperitum et ingratum. Id vero perfecte quadrat ad mentem ac sententiam Hieronymi; cum soli docti, aut ipse conditor hujus editionis ex Hebr. maximam intelligerent utilitatem Ecclesiis ex ea futuram. MART.

INCIPIT

LIBER DABRE IAMIM.

ID EST

VERBA DIERUM,

Qui apud nos dicitur

PARALIPOMENON.

(*Cap.* I.) Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Enoch, Mathusale, Lamech, Noe, Sem, Cham, et Japheth.

Filii Japheth, Gomer Magog, et Madai, et Javan,

Thubal, Mosoch, Thiras.

Porro filii Gomer: Ascenez, et Riphath [1], et Thogorma.

Filii autem Javan: Elisa et Tharsis, Chetim et Dodanim.

Filii Cham: Chus, et Mesraim, et Phut, et Chanaan.

Filii autem Chus; Saba. et Evila, Sabatha, et Regma, et Sabathacha.

Porro filii Regma; Saba. et Dadan.

Chus autem genuit Nemrod: iste cœpit esse potens in terra.

Mesraim vero genuit Ludim, et Anamim, et Laabim, et Nepthuim, Phetrsim quoque et Casluim: de quibus egressi sunt Philisthim, et Caphthorim.

Chanaan vero genuit Sidonem primogenitum suum, et Heth, Jebusæum quoque, et Amorrhæum, et Gergesæum.

Evæumque et Aracæum, et Asinæum.

Aradium quoque, et Samaræum, et Amathæum,

Filii Sem: Elam, et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram, et Hus, et Hul, et Gothor, et Mosoch.

Arphaxad autem genuit Sala, qui et ipse genuit Heber.

Porro Heber nati sunt duo filii, nomen uni Phaleg, quia in diebus ejus divisa est terra, et nomen fratris ejus Jectan.

Jectan autem genuit Elmodad, et Saleph, et Asermoth, et Jare, Adoram quoque, et Uzal, et Decla, Hebal etiam, et Abimael, et Saba, necnon et Ophir, et Evila, et Jobab; omnes isti filii Jectan.

Sem, Arphaxad, Sala, Heber, Phaleg, Ragau, Serug, Nahor, Thare, Abram, iste est Abraham.

Filii autem Abraham, Isaac et Ismael.

Et hæ generationes eorum. Primogenitus Ismaelis, Nabajoth, et Cedar, et Abdeel, et Mabsam, et Masma, et Duma, Massa, Adad, et Thema, Jatur, Naphis, Cedma. Ili sunt filii Ismaelis.

Filii autem Ceturæ concubinæ Abraham, quos genuit: Zamram, Jescan, Madan, Madian, Jesboc, et Sue.

Porro filii Jescan: Saba, et Dadan [2].

Filii autem Madian: Epha, et Epher et Enoch, et Abida, et Eldaa. Omnes hi filii Ceturæ.

Genuit autem Abraham Isaac: cujus fuerunt filii, Esau et Israel.

Filii Esau. Eliphaz, Rauel, Jaus, Jalam et Core.

Filii Eliphaz; Theman, Omer, Sephi, Gethem, Cenez, Thamna, Amalec.

Filii Rauel: Naath, Zara, Semma, Maza.

Filii Seir: Lotan, Sobal, Sebeon. Ana, Dison, Eser, Disan.

Filii Lotan, Hori, Umam. Soror autem Lotan fuit Thamna.

Filii Sobal: Alian, et Manaath, et Ebal, Sephi et Onam.

Filii Sebeon: Aia et et Ana.

Filii Ana: Dison.

Filii Dison: Amaran, et Eseban, et Jethran, et Charan.

A Filii Eser: Balaan, et Zavan, et Jacan.

Filii Disan: Hus et Aran.

Isti sunt reges qui imperaverunt in terra Edom, antequam esset rex super filios Israel: Bale filius Beor | et nomen civitatis ejus, Denaba.

Mortuus est autem Bale, et regnavit pro eo Jobab filius Zare de Bosra.

Cumque Jobab fuisset mortuus, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum.

Obiit quoque et Husam, et regnavit pro eo Adad filiius Badad, qui percussit Madian in terra Moab: et nomen civitatis ejus Avith.

Cumque et Adad fuisset mortuus, regnavit pro eo Semla de Maresca.

Sed et Semla mortuus est, et regnavit pro eo Saul de Rohoboth, quæ juxta amnem sita est.

Mortuo quoque Sal, regnavit pro eo Bahalanan filius Achobor,

Sed et hic mortuus est, et regnavit pro eo Adad: cujus urbis nomen fuit Phon [3], et appellata est uxor B ejus Meetabel filia Matred filiæ Mezaab.

Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom esse cœperunt: dux Thamna, dux Alva dux Jetheth, dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, dux Magdiel, dux Hiram. Hi duces Edom.

(*Cap.* II.) Filii autem Israel: Ruben, Simeon, Levi, Juda, Issachar et Zabulon, Dan, Joseph et Benjamin, Nephtali, Gad et Aser.

Filii Juda: Her, Onan et Sela. Tres nati sunt ei de filia Sue Chananitide.

Fuit autem Her primogenitus Juda, malus coram Domino, et occidit eum:

Thamar autem nurus ejus peperit ei Phares et Zara.

Omnes ergo filii Juda, quinque:

Filii autem Phares: Esron et Amul,

Filii quoque Zaræ, Zamri, et Ethan, et Eman, Chalchal quoque, et Dara, simul quinque.

C Filii Charmi: Achar, qui turbavit Israel, et peccavit in furto anathematis.

Filii Ethan: Azarias.

Filii autem Esron qui nati sunt ei: Jerameel, et Ram, et Calubi.

Porro Ram genuit Aminadab.

Aminadab autem genuit Naasson, principem filiorum Juda.

Naasson quoque genuit Salma, de quo ortus est Booz.

Booz vero genuit Obed, qui et ipse genuit Isai.

Isai autem genuit primogenitum Eliab, secundum Abinadab, tertium Samaa, quartum Nathanael, quintum Raddei, sextum Asom, septimum David.

Quorum sorores fuerunt, Sarvia, et Abigail.

Filii Sarviæ: Abisai, Joab, et Asael, tres.

Abigail autem genuit Amasa, cujus pater fuit Jether Ismaelites.

Chaleb vero filius Esron accepit uxorem nomine D Azuba, de qua genuit Jerioth: fueruntque filii ejus Jesar, et Sobab, et Ardon.

Cumque mortua fuisset Azuba, accepit uxorem Chaleb, Ephrath [4]: quæ peperit ei Hur.

[1] In Hebræo per ד primam litteram scribitur דיפת, *Diphath*. Videsis tamen quæ ad Genesis x, 3, de hujus scriptura nominis annotantur.

[2] Quæ subjungunt Vulgati libri verba, *Filii autem Dadan*: *Assurim, et Latussim, et Leomim* ad fidem Hebæi textus ac vetustiorum, meliorisque notæ codicum a Martianæo pridem expuncta, videntur ex Genesis xxv, 3, huc fuisse olim ascita.

[3] Nota falsus Hieronymus, auctor *Quæstionum Hebraicarum* in librum primum Paralipomenon, nomen istud in Genesi *Phau*, in Paralipomenon autem scribi *Phai*. Quod verum esse comprobatur ex Massorethicis exemplaribus: nam Gen. xxxvi, 29, scriptum legimus פעו *Phau*; hic vero פעי *Phai*. At versus Hieronymus utrobique legebat in suis exemplaribus Hebræis פעו *Phau*. sive *Phou*, cum *Vau* in fine, et *Ain*, ut *o* vel *u* vocalem litteram. Qui plura scire voluerit de variantibus lectionibus in nominibus propriis, consulat Quæstiones jam dictas falsi Hieronymi, qui diligens exstitit in hujusmodi rebus observandis. MART.

[4] Canon Carcassonensis habet *Ephrata*. Cæteri mss. codices legunt *Ephrath* juxta Hebræum hodiernum hic enim scriptum est אפרת, *Ephrath*, licet infra x. 24 legatur אפרתה, *Ephratha*, cum ה in fine; ubi etiam mss. Latini retinent *Ephratha*. Id non ad-

Porro Hur genuit Uri : genuit Bezeleel.

Post hæc ingressus est Esron ad filiam Machir patris Galaad, et accepit eam cum esset annorum sexaginta : quæ peperit ei Segub.

Sed et Segub genuit Jair, et possedit viginti tres civitates in terra Galaad. Cepitque Gessur, et Aram, oppida Jair, et Canath, et viculos ejus sexaginta civitatum. Omnes isti, filii Machir patris Galaad.

Cum autem mortuus esset Esron, ingressus est Chaleb ad Ephrata.

Habuit quoque Esron uxorem Abia, quæ peperit ei Assur patrem Thecue.

Nati sunt autem filii Jerameel primogeniti Esron, Ram primogenitus ejus, et Buna, et Aram, et Asom et Abia.

Duxit quoque uxorem alteram Jerameel, nomine Atara, quæ fuit mater Onam.

Sed et filii Ram primogeniti Jerameel, fuerunt Moos, et Jamin, et Achar.

Onam autem habuit filios, Semei, et Jada.

Filii autem Semei : Nadab, et Abisur, Nomen vero uxoris Abisur, Abiail, quæ peperit ei Ahobban, et Molid.

Filii autem Nadab fuerunt, Saled, et Apphaim Mortuus est autem Saled absque liberis.

Filius vero Apphaim, Jesi : qui Jesi genuit Sesan Porro Sesan genuit Oholi.

Filii autem Jada fratris Semei : Jether, et Jonathan. Sed et Jether mortuus est absque liberis.

Porro Jonathan genuit Phaleth, et Ziza. Isti fuerunt filii Jerameel.

Sesan autem non habuit filios, sed filias et servum Ægyptium nomine Jeraa.

Deditque ei filiam suam uxorem : quæ peperit ei Ethei.

Ethei autem genuit Nathan, et Nathan genuit Zabad.

Zabad quoque genuit Ophlal, et Ophlal genuit Obed :

Obed genuit Jeu, Jeu genuit Azariam.

Azarias genuit Helles, Helles genuit Elasa.

Elasa genuit Sisamoi, Sisamoi genuit Sellum,

Sellum genuit Icamiam, Icamiam autem genuit Elisama.

Filii autem Chaleb fratris Jerameel : Mosa primogenitus ejus, ipse est pater Ziph, et filii Maresa patris Hebron.

Porro filii Hebron, Core, et Thaphphu, et Recem, et Samma.

Samma autem genuit Raham, patrem Jercaam, et Recem genuit Sammai.

Filius Sammai, Maon : et Maon pater Bethsur.

Epha autem concubina Chaleb peperit Aran, et Musa, et Gezez.

Porro Aran genuit Gezez.

Filii Jadai, Regom, et Joathan, et Gesan, et Phalet, et Epha et Saaph.

Concubina Chaleb Maacha peperit Saber, et Tharana.

Genuit autem Saaph pater Madmena, Sue patrem Machbena, et patrem Gabaa.

Filia vera Chaleb, fuit Achsa. Hi erant filii Chaleb, filii Hur primogenti Ephrata, Sochal pater Cariath-Iarim, Salma pater Beth-Leem, Hariph pater Beth-Gader.

A Fuerunt autem filii Sobal patris Cariath-Iarim, qui videbat dimidium requietionum.

Et de cogitatione Gariath-Iarim, Jethrei, et Aphuthei, et Semathei, ei Maserei. Ex his egressi sunt Saraitæ, et Esthaolitæ.

Filii Salma, Beth-Leem, et Netophati Coronæ domus Joab, et dimidium requietionis Sarai.

Cognationes quoque scribarum habitantium in Jabes, canentes atque resonantes, et in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore patris domus Rechab.

[*Cap.* III.] David vero hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron, primogenitum Amnon ex Ahinaam Jezraelitide, secundum Daniel de Abigail Carmelitide tertium Absalon filium Maacha filiæ Tholmai regis Gessur, quartum Adoniam filium Aggith, quintum Saphatiam ex Abital, sextum Jethraam de Egla uxore sua.

Sex ergo nati sunt ei Hebron, ubi regnavit
B septem annis sex mensibus.

Triginta autem et tribus annis regnavit in Jerusalem.

Porro in Jerusalem nati sunt ei filii, Samaa, et Sobab, et Nathan, et Salomon, quatuor de Bethsabee filia Amiel :

Jebaar, quoque, et Elisama, et Eliphaleth, et Noge, et Nepheg, et Japhie, necnon Elisama, et Eliade, et Eliphaleth, novem :

Omnes filii David, absque filii concubinarum, habuerunt sororem Thamar :

Filius autem Salomonis, Roboam ; cujus Abia filius genuit Asa.

De hoc quoque natus est Josaphat, pater Joram :

Qui Joram genuit Ohoziam, ex quo ortus est Joas ethujus Amasias filius genuit Azariam.

Porro Azariæ filius Joatham procreavit Ahaz patrem Ezechiæ, de quo natus est Manasses.

Sed et Manasses genuit Amon patrem Josiæ.

Filii autem Josiæ fuerunt, primogenitus Johanan
C secundus Joiacim, tertius Sedecias, quartus Sellum

De Joiacim natus est Jechonias, et Sedecias.

Filii Jechoniæ fuerunt, Asir, Salathiel, Melchiram Phadaia, Sennaser et Jecemia, Sama, et Nadabia.

De Phadia orti sunt Zorobabel et Semei.

Zorobabel genuit Mosollam, Ananiam, et Salomith sororem eorum.

Asaban quoque, et Ool, et Barachian, et Asadiam, Josabesed, quinque :

Filius autem Ananiæ, Phaltias pater Jeseiæ, cujus filius Raphaia. Hujus quoque filius, Arnan, de quo natus est Obdia, cujus filius fuit Sechenia.

Filius Secheniæ, Semeia : cujus filii, Attus, et Jegal, et Barta et Naaria, et Saphat, numero sex[1]

Filius Naariæ, Elioenai, et Ezechias. et Ezricam tres.

Filii Elioenai, Odvia. et Eliasub, et Pheleia, et Accub, et Joanan, et Dalaia, et Anani, septem.

D [*Cap.* IV.] Filii Juda : Phares, Esron, et Charmi, et Hur, et Subal.

Reaia vero filius Subal genuit Jeth de quo nati sunt Abimai et Lad. Hæ cogitationes Sarathi.

Ista quoque stirps Etam : Jezrael, et Jesema, et Jedebos. Nomen quoque sororis eorum, Asalelphuni.

Phanuel[2] autem pater Gedor, et Ezer pater Hosa.

vertit falsus Hieronymus in suis *Quæstionibus Hebraicis* in libros Paralipomenon. MART.

[1] Tres mss. codices nempe Regius, Corbeiens. I et Colbertinus Aniciensis emendatus, legunt hoc modo *Et Saphat : sessa, numero sex.* San-Germ. autem num. 4 posuit *sessa* in margine. In Hebræo scriptum est, וגשפט ששה, *vesaphat sissa* id est *et Saphat sex.* Unde nomen ששה, *sissa*, vel *sessa*, quod interpretatur *sex*, integrum posuerunt cum ejusdem interpretatione mss. supra dicti, quod ab aliquo scholiaste profectum esse, credere fas est. MART.

— Tres apud Martian. mss nec non editi aliquot libri, ut Bibl. Roberti Stephani, Sixti V, Polyglotti. Antuerp. aliique, interserunt hic nomen *sessa*, vel *sesa*, quod ipsum est Hebræum ששה, quod *sex* significat ac videtur ad explendum eum numerum repeti sub proprii nominis acceptione : frustra tamen, eum Semeiam ipsum parentem eo in numero una esse computandum, constet.

[2] In Hebræo hodierno, *Phanuel* ; mss. tamen Latini legunt *Phuniel.* MART.

Isti sunt filii Hur primogeniti Ephratha patris Beth-Leem.

Assur vero patri Thecue erant duæ uxores, Hala, et Naara.

Peperit autem ei Naara. Oozam, et Hepher et Themani, et Ahasthari. Isti sunt filii Naara.

Porro filii Halaa, Sereth, Isaar, et Ethnan.

Cos autem genuit Anob, et Soboba, et cognationem Haral filii Arum.

Fuit autem Jabes inclytus præ fratribus suis, et mater ejus vocavit nomen illius Jabes, dicens : Quia peperi eum in dolore.

Invocavit vero Jabes Deum Israel, dicens : Si benedicens benedixeris, mihi, et dilataveris terminos meos, et fuerit manus tua mecum, et feceris me a malitia non opprimi. Et præstitit Deus quæ precatus est.

Chaleb autem frater Sua genuit Machir, qui fuit pater Esthon.

Porro Esthon genuit Bethrapha, et Phesse, et Thena patrem urbis Naas : sunt viri Recha.

Filii autem Cenez: Othoniel, et Saraia· Porro filii Othoniel, Athath, et Maonathi.

Maonathi genuit Ophra, Saraia autem genuit Joab patrem Vallis artificum : ibi quippe artifices erant.

Filii vero Chaleb filii Jephone, Hir, et Ela, et Nahem.

Filii quoque Ela, Cenez.

Filii quoque Jaleleel : Ziph, et Zipha, Thiria, et Asrael.

Et filii Ezra, Jether, et Mered, et Epher, et Jalon genuitque Mariam, et Sammai, et Jesba patrem Esthamo.

Uxor quoque ejus Judaia, peperit Jared patrem Gedor, et Heber patrem Socho, et Icuthiel patrem Zano. Hi autem filii Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mered.

Et filii uxoris Odaiæ sororis Naham patris Ceila, et Garmi, et Esthamo, qui fuit de Machathi.

Filii quoque Simon, Amnon et Renna filius Anon, et Thilon. Et filii Jesi, Zoeth, et Benzoeth.

Filii Sela, filii Juda : Her pater Lecha, et Laada pater Maresa, et cognationes domus operantium byssum in domo juramenti.

Et qui stare fecit Solem, virique mendacii; et Securus, et Incendens qui principes fuerunt in Moab et qui reversi sunt in Leem. Hæc autem verba vetera.

Hi sunt figuli habitantes in Plantationibus, et in Præsepibus [1], apud regem in operibus ejus, commoratique sunt ibi.

Filii Simeon : Namuel et Jamin, Jarib, Zara, Saul.

Sellum filius ejus, Mapsam filius ejus, Masma filius ejus.

Filii Masma : Amuel filius ejus, Zachur filius ejus, Semei filius ejus.

Filii Semei sedecim, et filiæ sex : fratres autem ejus non habuerunt filios multos, et universa cognatio non potuit adæquare summam filiorum Juda.

Habitaverunt autem in Bersabee, et Molada, et Hasarsual : et in Bala, et in Asom, et in Tholad ; et in Bathuel, et in Horma, et in Siceleg ; et in Bethmarchaboth, et in Asarsusim, et in Bethberai, et in Saarim. Hæ civitates eorum usque ad regem David.

Villæ quoque eorum ; Etam, et Aen ; et Remmon et Thochen, et Asan, civitates quinque.

Et universi viculi eorum per circuitum civitatum A istarum usque ad Baal. Hæc est habitatio eorum et sedium distributio.

Mosobab quoque at Jemlech et Josa filius Amasiæ, et Joel, et Jeu filius Josabiæ filii Saraiæ filii Asiel et Elioenai, et Jacoba, ut Isuaia, et Asaia, et Adiel, et Ismiel, et Banaia.

Ziza quoque filius Sephei, filiis Allon, filii Idaia, filii Semri filii Samaia.

Isti sunt nominati principes in cognationibus suis et in domo affinitatum suarum multiplicati sunt vehementer.

Et profecti sunt, ut ingrederentur in Gador usque ad orientem vallis, et ut quærerent pascua gregibus suis. Invenruntque pascuas uberes, et valde bonas, et terram latissimam et quietam et fertilem, in qua ante habitaverant de stirpe Cham.

Hi ergo venerunt, quos supra descripsimus nominatim, in diebus Ezechiæ regis Juda, et percusserunt tabernacula eorum, et habitatores qui inventi B fuerant ibi, et deleverunt eos usque in præsentem diem : habitaveruntque pro eis, quoniam uberrimas ibidem pascuas repererunt.

De filiis quoque Simeon abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes principes Phaltiam et Naariam et Raphaiam et Oziel filios Jesi, et percusserunt reliquias, quæ evadere potuerant, Amalecitarum, et habitaverunt ibi pro eis usque ad diem hanc.

[*Cap.* V.] Filii quoque Ruben primogeniti Israel (ipse quippe fuit primogenitus : sed cum violasset thorum patris sui, data sunt primogenita ejus, filiis Joseph filii Israel, et non est ille reputatus in primogenitum.

Porro Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt: primogenita autem reputata sunt Joseph).

Filii ergo Ruben primogeniti Israel : Enoch, et Phallu, Esron, et Charmi.

C Filii Joel : Samaia filius ejus, Gog, filius ejus, Semei filius ejus, Micha filius ejus. Reeia filius ejus, Baal, filius ejus, Beera filius ejus, quem captivum duxit Theglatphalnasar [2] rex Assyriorum, et fuit princeps in tribu Ruben.

Fratres autem ejus, et universa cognatio ejus, quando numerabantur per familias suas, habuerunt principes, Jeiel et Zachariam,

Porro Bala filius Azaz, filii Samma, filii Joel, ipse habitavit in Aroer usque ad Nebo et Beelmon

Contra orientalem quoque plagam habitavit usque ad introitum eremi, et flumen Euphraten. Multum quippe jumentorum numerum possidebat in terra Galaad.

In diebus autem Saul præliati sunt contra Agareos [*Al.* Agarenos], et interfecerunt illos, habitaveruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga quæ respicit ad orientem Galaad.

Filii vero Gad e regione eorum· habitaverunt in terra Basan usque Selcha :

D Joel in capite, et Saphan secundus : Janai autem, et Saphat, in Basan.

Fratres vero eorum, secundum domos cognationum suarum, Michael, et Mosollam, et Sebe, et Jori et Jachan, et Zie, et Heber, septem.

Hi filii Abihail, filii Huri, filii Jaro fili Galaad, filii Michael, filii Jesisi, filii Jeddo, filii Buz.

Fratres quoque filii Abdiel, filii Guni, princeps domus in familiis suis.

Et habitaverunt in Galaad, et in Basan, et in

[1] Editiones pleræque omnes *sepibus* habent pro *præsepibus* : Hebræus גדרה, quod pro nomine proprio Γαδηρὰ Septuaginta ipsi Interpretes acceperunt.

[2] Aliquot mss., *Sheglath-Phalassar* ; alii, *Theglath-Phalnasar*. Nec mirum quod diversimode scribatur in Latinis codicibus, cum eadem reperiatur varietas in voluminibus Hebræorum ; nam libro secundo Malachim, quem nos IV Regnum nuncupamus cap. XV, vers. 29, et cap. XVI, vers. 7 et 10, scriptum legimus תגלת פלאסר, *Theglath-Phalasar*; hic autem, et infra lib. II Paralip. c. XXVIII, vers. 20, סולת כלנאסר *Seglath-Phalnasar*. MART.

viculis ejus, et in cunctis suburbanis Saron usque ad terminos.

Omnes hi numerati sunt in diebus Joathan regis Juda, et in diebus Jeroboam regis Israel.

Filii Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, viri bellatores, scuta portantes et gladios : et tendentes arcum, eruditique ad prælia, quadraginta quatuor millia et septingenti sexaginta, procedentes ad pugnam.

Dimicaverunt contra Agareos[1] : Ituræi vero, et Naphæi, et Nodab, præbuerunt eis auxillum.

Traditique sunt in manus eorum Agarei, et universi qui fuerant cum eis, quia Deum invocaverunt cum præliarentur : et exaudivit eos, eo quod credidissent in eum :

Ceperuntque omnia quæ possederant, camelorum quinquaginta millia, et ovium ducenta quinquaginta millia, asinos duo millia, et animas hominum centum millia.

Vulnerati autem multi corruerunt : fuit enim bellum Domini.

Habitaveruntque pro eis usque ad transmigrationem.

Filii quoque dimidiæ tribu Manasse, possederunt terram a finibus Basan usque Baal, Hermon, et Sanir, et montem Hermon, ingens quippe numerus erat.

Et hi fuerunt principes domus cognationis eorum, Epher, et Jesi, et Eliel, et Ezriel, et Jeremia, et Odoia, et Jediel, viri fortissimi et potentes, et nominati duces in familis suis.

Reliquerunt autem Deum patrum suorum, et fornicati sunt post deos populorum terræ, quos abstulit coram eis.

Et suscitavit Deus Israel spiritum Phul regis Assyriorum, et spiritum Theglathphalnasar regis Assur : et transtulit Ruben, et Gad, et dimidiam tribum Manasse, et adduxit eos in Lale, et Abor, et Ara, et fluvium Gozan, usque ad diem hanc.

(*Cap.* VI.) Filii Levi: Gerson, Caath, et Merari.

Filii Caath : Amram, Isaar, Hebron, et Oziel.

Filii Amram : Aaron, Moses, et Maria :

Filii Aaron : Nabad et Abiu, Eleazar et Ithamar.

Eleazar genuit Phinees, et Phinees genuit Abisue,

Abisue vero genuit Bocci, et Bocci genuit Ozi.

Ozi genuit Zaraiam, et Zaraias genuit Meraioth.

Porro Meraioth genuit Amariam, et Amarias genuit Ahitob.

Ahitob genuit Sadoc, genuit Ahimaas :

Ahimaas genuit Azariam. Azarias genuit Johanan,

Johanan genuit Azariam. Ipse est qui sacerdotio functus est in domo quam ædificavit Salomon in Jerusalem.

Genuit autem Azarias Amariam, et Amarias genuit Ahitob.

Ahitob genuit Sadoc, et Sadoc genuit Sellum.

Sellum genuit Helciam, Helcias genuit Azariam.

Azarias genuit Saraiam, et Saraias genuit Josedec.

Porro Josedec egressus est, quando transtulit Dominus Judam et Jerusalem per manus Nabuchodonosor.

Filii ergo Levi : Gerson, Caath, et Merari.

Et hæc nomina filiorum Gerson : Lobeni, et Semei.

Filii Caath : Amram, et Isaar, et Hebron, et Oziel.

Filii Merari : Mooli et Musi. Hæ autem cognationes Levi secundum familias eorum.

Gerson, Lobeni filius ejus, Jaath filius ejus, Zamma filius ejus, Joaa filius ejus, Addo filius ejus, Zara filius ejus, Jethrai filius ejus.

Filii Caath, Aminadab filius ejus, Core filius ejus.

Asir filius ejus, Elcana filius ejus, Abiasaph filius ejus, Asir filius ejus, Thaat filius ejus, Uriel filius ejus, Ozias filius ejus, Saul filius ejus.

Filii Elcana, Amasai et Ahimoth et Elcana :

Filii Elcana : Sophai filius ejus, Naath filius ejus,

Eliab filius ejus, Jeroam filius ejus, Elcana filius ejus.

Filii Samuel, primogenitus, Vasseni, et Abia.

Filii autem merari, Mooli : Lobeni filius ejus, Semei filius ejus, Oza filius ejus, Samma filius ejus, Haggia filius ejus, Isaia filius ejus.

Isti sunt quos constituit David super cantores domus Domini, ex quo collocata est arca : et ministrabant coram tabernaculo testimonii, canentes donec ædificaret Salomon domum Domini in Jerusalem :

Stabant autem juxta ordinem suum in ministerio.

Hi vero sunt, qui assistebant cum filiis suis, de filiis Caat, Eman cantor filius Joel, filii Samuel ;

Filii Elcana, filii Jeroam, filii Eliel, filii Thou ;

Filii Suph, filii Elcana, filii Maath, filii Amasai ;

Filii Elcana, filii Joel, filii Azariæ, filii Sophoniæ :

Filii Thaath, filii Asir, filii Abiasaph, filii Core ;

Filii Iser, filii Caet, filii Levi, filii Israel.

Et frater ejus Asaph, qui stabat a dextris ejus.

Asaph filius Barachiæ, filii Samaa ;

Filii Machael, filii Basiæ, filii Melchiæ ;

Filii Athnai, filii Zara, filii Adaia ;

Filii Ethan, filii Zamma, filii Semei ;

Filii Jeth, filii Gersom; filii Levi.

Filii autem Merari fratres eorum, ad sinistram, Ethan filius Cusi, filii Abdi, filii Maloch ;

Filii Asabiæ, filii Amasiæ filii Helciæ,

Filii Amasai, filii Boni, filii Somer ;

Filii Mooli, filii Musi, filii Merari, filii Levi.

Fratres quoque eorum Levitæ, qui ordinati sunt in cunctum ministerium tabernaculi domus Domini.

Aaron vero, et filii ejus adolebant incensum super altare holocausti, et super altare thymiamatis, in omne opus Sancti sanctorum : et ut precarentur pro Israel, juxta omnia quæ præceperat Moses servus Dei.

Hi sunt autem filii Aaron : Eleazar filius ejus, Phinees filius ejus, Abisue filius ejus, Boec filius ejus, Ozi filius ejus. Zaraira filius ejus, Merajoth filius ejus, Amaria filius ejus, Ahitob filius ejus, Sadoc filius ejus, Ahimaas filius ejus,

Et hæc habitacula eorum per vicos atque confinia, filiorum scilicet Aaron, juxta cognationes Caathitarum : ipsis enim sorte contigerant.

Dederunt igitur eis Hebron in terra Juda, et suburbana ejus per circuitum :

Agros autem civitatis, et villas, Chaleb filio Jephone.

Porro filiis Aaron dederunt civitates ad confugiendum, Hebron et Lobda et suburbana ejus : Jether quoque et est homo[2] cum suburbanis suis, sed et Helon set Dabir cum suburbanis suis, Asan quoque, et Beth-Semes et suburbana earum.

De tribu autem Benjamin, Gabee et suburbana ejus, et Almath cum suburbanis suis, Anathoth

[1] In mss., *Agarenos*, juxta usum alibi receptum. MART.

[2] Notat Memmianus Canon, qui legit in contextu sacro *Esthom*, alibi, id est in aliis exemplaribus, scriptum esse *Esthamo*. Has variantes lectiones minime abjiciendas censemus, quippe cum ex Hebræo אשתמה facile deduci queant ; licet hodie ex punctis Massoretharum *Eschtemoa* multi legamus. In libro nominum Hebraicorum, *Asthemoe* dicitur. Notandum vero frequentes esse in codice Memmiano hujusmodi diversæ lectiones nominum propriorum, ac sæpius duas vel tres simul afferri : verbi gratia, *filii Her, alibi Aer, alibi Aser ; Agag quoque, alibi Asac, alibi Achac*, etc. MART.

quoque cum suburbanis suis. Omnes civitates, tredecim, per cognationes suas.

Filiis autem Caath residuis de cognatione sua dederunt ex dimidia tribu Manasse in possessionem urbes decem.

Porro filiis Gersom per cognationes suas, de tribu Issachar, et de tribu Aser, et de tribu Nephtali, et de tribu Manasse in Basan, urbes tredecim.

Filiis autem Merari per cognationes suas, de tribu Ruben et de tribu Gad, et de tribu Zabulon, dederunt sorte civitates duodecim.

Dederunt quoque filii Israel Levitis civitates et suburbana earum :

Dederuntque per sortem, ex tribu filiorum Juda, et ex tribu filiorum Simeon, et ex tribu filiorum Benjamin, urbes has, quas vocaverunt nominibus suis :

Et his qui erant de cognatione filiorum Caath, fueruntque civitates in terminis eorum de tribu B Ephraim.

Dederuntque ergo eis urbes ad confugiendum, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, et Gazer cum suburbanis suis, Jecmaam quoque cum suburbanis suis, et Bethoron similiter, necnon et Helon cum suburbanis suis, et Gethromon in eumdem modum.

Porro ex dimidia tribu Manasse, Aner et suburbana ejus, Baalam et suburbana ejus : hi videlicet, qui de cognatione filiorum Caath reliqui erant. Filiis autem Gersom, de cognatione dimidiæ tribus Manasse, Ganlon in Basan et suburbana ejus, et Astaroth cum suburbanis suis.

De tribu Issachar, Cedes et suburbana ejus, et Dabereth cum suburbanis suis, Ramoth quoque et suburbana ejus, et Anem cum suburbanis suis.

De tribu vero Aser : Masal cum suburbanis suis, et Abdon similiter, Hucac quoque et suburbana ejus, et Roob cum suburbanis suis.

Porro de tribu Nephthali Cedes in Galilæa et suburbana ejus, Hamon cum suburbanis suis, et Cariathaim et suburbana ejus. C

Filiis autem Merari residuis : de tribu Zabulon, Remmono et suburbana ejus, et Thabor cum suburbanis suis.

Trans Jordanem quoque ex adverso Jericho contra ordinem Jordanis, de tribu Ruben, Bosor in solitudine cum suburbanis suis, et Jasa cum suburbanis suis, Cademot quoque et suburbana ejus, et Miphaat cum suburbanis suis.

Necnon de tribu Gad, Ramoth in Galaad et suburbana ejus, et Manaim cum suburbanis suis ; sed et Esbon cum suburbanis suis, et Jezer cum suburbanis suis.

(*Cap.* VII.) Porro filii Issachar : Thola, et Phua, Jasub, et Simeron, quatuor.

Filii Thola : Ozi et Raphaia, et Jeriel, et Jemai, et Jebsem, et Samuel, principes per domos cognationum suarum. D

De stirpe Thola viri fortissimi numerati sunt in diebus David, viginti duo millia sexcenti.

Filii Ozi : Jezraira, de quo nati sunt Michael, et Obadia, et Joel, et Jesia, quinque omnes principes. Cumque eis per familias et populos suos, accincti ad prælium, viri fortissimi, triginta sex millia : multas enim habuerunt uxores, et filios.

Fratres quoque eorum per omnem cognationem Issachar, robustissimi ad pugnandum, octoginta septem millia numerati sunt.

Filii Benjamin : Bale et Bochor, et Jadiel, tres.

Filii Bale : Esbon, et Ozi, et Oziel, et Jerimoth, et Urai, quinque principe familiarum, et ad pugnandum robustissimi.

Numerus autem eorum, viginti duo millia et triginta quatuor. A

Porro filii Bochor [Zamira, et Joas, et Eliezer, et Elioenai, et Amri, et Jerimoth, et Abiah, et Anathoth, et Almathan [a] [omnes hi filii Bochor.

Numerati sunt autem per familias suas principes cognationum suarum, ad bella fortissimi, viginti millia et ducenti.

Porro filii Jadiel, Balan :

Filii autem Balan, Jeus, et Benjamin, et Aod, et Chanana, et Zethan, et Tharsis, et Ahisahar.

Omnes hi filii Jadiel, principes cognationum suarum, viri fortissimi, decem et septem millia et ducenti, ad prælium procedentes.

Sepham quoque et Hapham filii Hir l et Hasim filii Aher.

Filii autem Nephthali : Jasiel, et Guni, et Jeser, et Sellum, filii Bala.

Porro filius Manasse, Esriel : concubinaque ejus B Syra peperit Machir patrem Galaad.

Machir autem accepit uxores filiis suis Apphiam et Sephan : et habuit sororem nomine Maacha :

Nomen autem secundi, Salphaad, natæque sunt Salphaad filiæ.

Et peperit Maacha uxor Machir filium, vocavitque nomen ejus Phares :

Porro nomen fratris ejus, Sares : et filii ejus Ulam et Recen.

Filius autem Ulam, Badan.

Hi sunt filii Galaad, filii Machir, filii Manasse.

Soror autem ejus Regina peperit virum decorum, et Abiezer, et Moola.

Erant autem filii Semida, Ahin, et Sechem, et Leci et Antam.

Filii autem Ephraim : Suthula, Bared filius ejus, Thaath filius ejus, Elada filius ejus, Thaath filius ejus, hujus filius Zabad, et hujus filius Suthala, et hujus filius Ezer et Elad :

Occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, C quia descenderant, ut invaderent possessiones eorum.

Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus et venerunt fratres ejus, ut consolarentur eum.

Ingressusque est ad uxorem suam : quæ concepit, et peperit filium, et vocavit nomen ejus Beria, eo quod in malis domus ejus ortus esset :

Filii autem ejus Sara, quæ ædificavit Bethoron inferiorem et superiorem, et Ozensara.

Porro filius ejus Rapha, et Reseph, et Thalc, de quo natus est Thaan, qui genuit Laadan : hujus quoque filius Ammiud genuit Elizama, de quo ortus est Nun, qui habuit filium Josue.

Possessio autem eorum et habitatio, Beth-El cum filiabus suis contra orientem Noran, ac occidentalem plagam Gazer, et filiæ ejus, Sichem quoque cum filiabus suis, usque ad Aza cum filiabus ejus.

Juxta filios quoque Manasse, Bethsan et filias D ejus, Thanach et filias ejus, Mageddo et filias ejus : Dor et filius ejus :

In his habitaverunt filii Joseph, filii Israel :

Filii Aser : Jemna, et Jesua, et Jesui, et Baria, et Sara soror eorum.

Filii autem Baria : Heber, et Melchiel : ipse est pater Bersaith.

Heber autem genuit Jephlat, et Somer, et Otham, et Suaa sororem eorum.

Filii Jephlat : Phosech, et Chamaal, et Asoth : hi filii Jephlat.

Porrp filii Somer : Ahi, et Roaga, et Jaba, et Aram,

Filii autem Helem fratris ejus : Supha et Jemna, et Selles, et Amal.

[a] Ita Martian. e suis codicibus, et Græco Alexandrino rescripsit : cumque in Hebræo tantum sit עלמת suspiscatur finalem ת litteram exiude excidisse. Nihilo secius Græcus, quem ipse laudat, textus, non *Almathan*, sed E'λμαθὰμ legit. Vulgata quoque satis bene *Almath*.

Filii Supha, Sue, Arnaphed [1], et Sual, et Beri, et Jamra, Bosor, et Od, et Samma, et Salusa, et Jethran, et Bera.

Filii Jether, Jephone, et Phaspha, et Ara.

Filii autem Olla, Aree, et Aniel, et Resia.

Omnes hi filii Aser, principes cognationum, electi atque fortissimi duces ducum.

Numerus autem eorum ætatis, quæ apta esset ad bellum, viginti sex millia.

(*Cap.* VIII.) Benjamin autem genuit Bale primogenitum suum, Asbal secundum.

Ahora tertium, Nuhaa quartum, et Rapha quintum.

Fueruntque filii Bale, Addar, et Gera, et Abiud, Abisue quoque et Nooman, et Ahoe, sed et Gera, et Sephuphan, et Uram.

Hi sunt filii Aod, principes cognationum habitantium in Gabaa, qui translati sunt in Manaath.

Nooman autem, et Achia, et Gera ipse transtulit eos, et genuit Oza, et Ahiud.

Porro Saaraim genuit in regione Moab, postquam dimisit Usim et Bara uxores suas.

Genuit autem de Hedes uxore sua Jobab, et Sebia, et Mosa, et Molchom, Jeus quoque, et Sechia, et Marma.

Hi sunt filii ejus, principes in familiis suis.

Meusim vero genuit Ahitob, et Elphaal.

Porro filii Elphaal : Heber, et Misaam, et Samad : Hic ædificavit Ono, et Lod et filias ejus :

Baria autem et Sama, principes cognationum habitantium in Aialon : hi fugaverunt habitatores Geth.

Et Ahio, et Sesac, et Jerimoth, et Zabadia, et Arue, et Heder, Michael quoque, et Jespha, et Joha filii Baria.

Et Zabadia, ei Mossolam et Hezeci et Heber, et Jesamari, et Jezlia, et Jobab, filii Elphaal.

Et Jacim, et Zechri, et Zabdi, et Elioenai, et Selethai, et Eliel, et Adaia, et Baraia, et Samarath filii Semei.

Et Jesphan, et Eber, et Eliel, et Abdon, et Zechri, et Anan, et Anania, et Ahilam, et Anathothia, et Jephdaia, et Phanuel filii Sesac.

Et Samsari, et Sooria, et Otholia, et Jersia, et Elia, et Zechri, filii Jeroam.

Hi patriarchæ, et cognationum principes, qui habitaverunt in Jerusalem.

In Gabaon autem habitaverunt Abigabaon, et nomen uxoris ejus Maacha : filiusque ejus primogenitus Abdon, et Sur, et Cis, et Baal, et Nadab. Gedor quoque, et Ahio, et Zacher, et Macelloth quæ genuit Samaa :

Habitaveruntque ex adverso fratrum suorum in Jerusalem cum fratribus suis.

Ner autem genuit Cis, et Cis genuit Saul :

Porro Saul genuit Jonathan, et Melchisue, et Abinadab, et Esbaal.

Filius autem Jonathan, Meribbaal, et Meribbaal genuit Micha.

Filii Micha, Phiton, et Melech, et Thara, et Ahaz.

Et Ahaz genuit Joada, et Joada genuit Almoth [*Al.* Alamoth], et Azmoth [2], et Zamri :

Porro Zamri genuit Mosa, et Mosa genuit Banaa, cujus filius fuit Rapha, de quo ortus est Elasa, qui genuit Asel.

Porro Asel sex filii fuerunt his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismael, Saria, Obadia, et Anan. Omnes hi filii Asel.

Filii autem Esec fratris ejus. Ulam primogenitus, et Us secundus, et Eliphalet tertius.

Fueruntque filii Ulam viri robustissimi, et magno robore tendentes arcum, et multos habentes filos ac nepotes, usque ad centum quinquaginta [3].

Omnes hi, filii Benjamin.

[*Cap.* IX.] Universus ergo Israel dinumeratus est, et summa eorum scripta est in libro Regum Israel, et Juda.

Translatique sunt in Babylonem propter delictum suum.

Qui autem habitaverunt primi in possessionibus, et in urbibus suis : Israel, et Sacerdotes, et Levitæ, et Nathinæi.

Commorati sunt in Jerusalem de filiis Juda, et de filiis Benjamin, de filiis quoque Ephraim, et Manasse.

Othei filius Ammiud, filii Amri, filii Omrai, filii Bonni, de filiis Phares filii Juda.

Et de Siloni ; Assia primogenitus, et filii ejus.

De filiis autem Zara Jenel, et fratres eorum, sexcenti nonaginta.

Porro de filiis Benjamin : Salo filius Mosollam, filii Odvia, filii Asana :

Et Jobania filius Jeroam, et Ela filius Ozi, filii Mochori, et Mosollam filius Saphatiæ, filii Rauel, filii Jebaniæ :

Et fratres eorum per familias suas, nongenti quinquaginta sex.

Omnes hi, principes cognationum per domos patrum suorum.

De sacerdotibus autem : Jedaia, Joarib, et Jachin :

Azarias quoque filius Helciæ, filii Mosollam, filii Sadoc, filii Maraioth, filii Ahitob, pontifex domus Dei.

Porro Adaias, filius Jeroam, filii Phasuc, filii Melchiæ :

Et Massia filius Adiel, filii Jezra, filii Mosollam, filii Mossolamith filii Em.

Fratres quoque eorum principes per familias suas, mille septingenti sexaginta, fortissimi robore ad faciendum opus ministerii in domo Dei.

De Levitis autem : Semeia filius Assub, filii Ezricam, filii Asebia, de filiis Merari.

Bacbacar quoque carpentarius, et Galal, et Mothania filius Micha, filii Zechri, filii Asaph.,

Et Obdia filius Semeiæ, filii Galal, filii Idithun.

Et Barachia filius Asa, filii Eleana, qui habitavit in atriis Netophati.

Janitores autem : Sellum, et Accub, et Telmon, et Ahiman, et frater eorum Sellum princeps :

Usque ad illud tempus : in porta regis ad orientem, observabant per vices suas de filiis Levi.

Sellum vero filius Core, filii Abiasaph, filii Core, cum fratribus suis, et domo patris sui, hi sunt Coritæ super opera ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi, et familiæ eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum.

Phinees autem filius Eleazari, erat dux eorum coram Domino.

Porro Zacharias filius Mosollamia, janitor portæ tabernaculi testimonii.

Omnes hi electi in ostiarios per portas, ducenti duodecim, et descripti in villis propriis, quos constituerunt David, et Samuel videns, in fide sua, tam ipsos, quam filios eorum, in ostiis domus Domini, et in tabernaculo, vicibus suis.

Per quatuor ventos erant ostiarii, id est ad

[1] Pro *Arnaphed*, in Hebræo *Arnapher* legimus cum *Resch* in fine. Proclivi vero librariorum lapsu ר scribitur loco ד, id est *Resch* pro *Daleth*. MART.

— Originales libri omnes, ne Græco quidem, et Vulgato Interprete exceptis, per *r* legunt *Arnapher*.

[2] Exemplaria Canonis bis posuerunt nomen *Almoth*, sic enim legunt : *Et Joada genuit Almoth, et Almoth genuit Zamri* ; quod exscriptorum vitio profluxit. MART.

[3] Idem dicendum de verbo *millia* hic addito in Latinis codicibus : quia absurdum est et alienum a Scripturæ sensu, dicere Ulam habuisse nepotes, *usque ad centum quinquaginta millia*. MART.

Orientem, et ad Occidentem, et ad Aquilonem, et ad Austrum.

Fratres autem eorum in vinculis morabantur, et veniebant in Sabbatis suis de tempore usque ad tempus.

His quatuor Levitis creditus erat omnis numerus janitorum, et erant super exedras, et thesauros domus Domini.

Per gyrum quoque templi Domini morabantur in custodiis suis, ut cum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores.

De horum genere erant et super vasa ministerii, ad numerum enim inferebantur vasa, et efferebantur.

De ipsis, et qui credita habebant utensilia sanctuarii, præerant similæ, et vino, et oleo, et thuri, et aromatibus.

Filii autem sacerdotum unguenta ex aromatibus conficiebant.

Et Mathathias Levites primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum quæ in sartagine frigebantur.

Porro de filiis Caath fratribus eorum, super panes erant propositionis, ut semper novos per singula sabbata præpararent.

Hi sunt principes cantorum per familias Levitarum, qui in exedris morabantur, ut die ac nocte, jugiter suo ministerio deservirent.

Capita Levitarum, per familias suas principes, manserunt in Jerusalem.

In Gabaon autem commorati sunt, pater Gabaon Jaiel, et nomen uxoris ejus [1] Maacha.

Filius primogenitus ejus Abdon, et Sur, et Cis, et Baal, et Ner, et Nadab, Gedor quoque, et Ahio, et Zacharias, et Macelloth.

Porro Macelloth genuit Semmam :

Isti habitaverunt e regione fratrum suorum in Jerusalem, cum fratribus suis.

Ner autem genuit Cis ; et Cis genuit Saul, et Saul genuit Jonathan, et Melchisue, et Abinadab, et Esbaal.

Filius autem Jonathan, Meribaal, et Meribaal genuit Micha.

Porro filii Micha, Phiton, et Melech, et Thara.

Ahaz autem genuit Jara, et Jara genuit Almoth, et Azmoth, et Zamri, Zamri autem genuit Mosa.

Mosa vero genuit Banaa, cujus filius Raphaia, genuit Elasa, de quo ortus est Asel.

Porro Asel sex filios habuit his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismabel, Saria, Obdia, Anan. Hi sunt filii Asel.

(*Cap.* X.) Philisthim, autem pugnabant contra Israel, fugeruntque viri Israel Palæstinos, et ceciderunt vulnerati in monte Gelboe.

Cumque appropinquassent Philisthæi persequentes Saul, et filios ejus, percusserunt Jonathan, et Abinadab, et Melchisue, filios Saul.

Et aggravatum est prælium contra Saul, inveneruntque eum sagittarii, et vulneraverunt jaculis.

Et dixit Saul ad armigerum suum : Evagina gladium tuum, et interfice me ; ne forte veniant incircumcisi isti, et illudant mihi.

Noluit autem armiger ejus hoc facere, timore perterritus :

Arripuit ergo Saul ensem, et irruit in eum.

Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet mortuum esse Saul, irruit etiam ipse in gladium suum, et mortuus est.

Interiit ergo Saul, et tres filii ejus, et omnis domus illius pariter concidit.

Quod cum vidissent viri Israel, qui habitabant in campestribus, fugerunt : et Saul ac filiis ejus mortuis : dereliquerunt urbes suas, et huc illucque dispersi sunt :

Veneruntque Philisthim, et habitaverunt in eis.

Die igitur altero detrahentes Philisthim spolia cæsorum, invenerunt Saul, et filios ejus jacentes in monte Gelboe.

Cumque spoliassent eum, et amputassent caput armisque nudassent, miserunt in terram suam, ut circumferretur, et ostenderetur idolorum templis, et populis :

Arma autem ejus consecraverunt in fano Dei sui, et caput affixerunt in templo Dagon.

Hoc cum audissent viri Jabes Galaad, omnia scilicet quæ Philisthim fecerant super Saul, consurrexerunt singuli virorum fortium, et tulerunt cadavera Saul et filiorum ejus :

Attuleruntque ea in Jabes, et sepelierunt ossa eorum subter quercum, quæ erat in Jabes, et jejunaverunt septem diebus.

Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit mandatum Domini quod præceperat, et non custodierit illud : sed insuper etiam pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino : propter quod interfecit eum, et transtulit regnum ejus ad David filium Isai.

(*Cap.* XI.) Congregatus est igitur omnis Israel ad David in Hebron, dicens :

Os tuum sumus, et caro tua. Heri quoque et nudiusterius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas, et introducebas Israel :

Tibi enim dixit Dominus Deus tuus : Tu pasces populum meum Israel, et tu eris princeps super eum.

Venerunt ergo omnes majores natu Israel ad regem in Hebron, et iniit David cum eis fœdus coram Domino :

Unxeruntque eum regem super Israel, juxta sermonem Domini, quem locutus est in manu Samuel.

Abiit quoque David, et omnis Israel, in Jerusalem. Hæc est Jebus, qui erant Jebusæi habitatores terræ.

Dixeruntque qui habitabant in Jebus ad David : Non ingredieris huc.

Porro David cepit arcem Sion, quæ est civitas David, dixitque :

Omnis qui perousserit Jebusæum in primis, erit princeps et dux.

Ascendit igitur primus Joab filius Sarviæ, et factus est princeps.

Habitavit autem David in arce, et idcirco appellata est civitas David.

Ædificavitque urbem in circuitu a Mello usque ad gyrum, Joab autem reliqua urbis exstruxit.

Proficiebatque David vadens et crescens, et Dominus exercituum erat cum eo.

Hi principes virorum fortium David, qui adjuverunt eum ut rex fieret super omnem Israel, juxta verbum Domini quod locutus est ad Israel.

Et iste numerus robustorum David :

Jesbaam filius Achamoni princeps inter triginta : iste levavit hastam suam super trecentos vulneratos in una vice.

Et post eum Eleazar filius patrui ejus Ahohites, qui erat inter tres potentes. Iste fuit cum David in Aphesdomini [2] (*Al.* Phesdomi), quando Philisthim congregati sunt ad locum illum in prælium, et erat ager regionis illius plenus hordeo, fugeratque populus a facie Philisthinorum.

Hi steterunt [3] in medio agri, et defenderunt eum.

[1] Minus igitur recte quidam Hebræi codices præferunt, אחתו *sororis ejus*, pro אשתו, *uxoris*, quemadmodum et Hieronymus legit, et plerique alii omnes Interpretes reddunt.

[2] Sic legunt omnes mss. cum exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis *in Phesdomim* juxta Hebræum, בפס דמים *Baphas dammim*. Mart.

[3] Restituimus plurium numero, *Hi steterunt*, et

Cumque percussissent Philisthæos, dedit Dominus salutem magnam populo suo.

Descenderunt autem tres de triginta principibus ad petram in qua erat David, ad speluncam Odollam quando Philisthim fuerant castrametati in valle Raphaim.

Porro David erat in præsidio, et statio Philisthinorum Beth-Leem.

Desideravit igitur David, et dixit : O si quis daret mihi aquam de cisterna Beth-Leem, quæ est in porta.

Tres ergo isti per media castra Philisthinorum perrexerunt, et hauserunt aquam de cisterna Beth-Leem, quæ erat in porta, et attulerunt ad David ut biberet :

Qui noluit, sed magis libavit illam Domino, dicens :

Absit ut in conspectu Dei mei hoc faciam, et sanguinem virorum istorum bibam, quia in periculo animarum suarum attulerunt mihi aquam. Et ob hanc causam noluit bibere.

Hæc fecerunt tres robustissimi.

Abisai quoque frater Joab ipse erat princeps trium, et ipse levavit hastam suam contra trecentos vulneratos, et ipse erat inter tres nominatissimus, inter tres secundos inclytus[1], et princeps eorum.

Verumtamen usque ad tres primos non pervenerat.

Banaias filius Joiadæ viri robustissimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabseel :

Ipse percussit duos Ariel Moab, et ipse descendit. et interfecit leonem in media cisterna tempore nivis.

Et ipse percussit virum Ægyptium, cujus statura erat quinque cubitorum, et habebat lanceam ut liciatorium texentium.

Descendit igitur ad eum cum virga, et rapuit hastam, quam tenebat manu, et interfecit eum hasta sua.

Hæc fecit Banaias filius Joiadæ, qui erat inter tres robustos, nominatissimus, inter triginta primus, verumtamen ad tres usque non pervenerat.

Posuit autem eum David ad auriculam suam.

Porro fortissimi in exeritu, Asael fratrer Joab, et Eleanam filius patrui ejus de Beth-Leem, Semmoth Arorites, Helles Phallonites, Ira filius Acces Thecuites, Abiezer Anathothites, Sobochai Asothites, Hai Ahohites, Marai Netophatites, Heled filius Baana Netophatites, Ethai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin Banaia Pharatonites, Uri de Torrente Gaas, Abiel Arabathites, Asmoth Bauramites, Eliaba Salabonites.

Filii Asom Genositis, Jonathan filius Sega Ararites, Ahiam filius Sachar Ararites, Eliphai filius Ur, Epher Mecharathites, Ahia Phelonites, Asro Charmelites, Noorai filius Azbi. Joel frater Nathan, Mabsar filius Agarai, Selec Amonites, Noorai Berothites armiger Joab filii Sarviæ. Ira Jethræus, Gareb Jethræus, Urias Hetthæus ; Zabad filius Ooli. Adina filius Seza Rubenites princeps Rubenitarum, et cum eo triginta : Hanan filius Maacha, et Josaphat. Mathanites, Ozia Astarothites, Samma et Jaiel filii Hotham Arorites, Jediel filius Samri, et Joha fratrer ejus Thosaites, Eliel Maumites, et Jeribal, et Josaia filii Elnaem, et Jethma Moabites, Eliel, et Obeb, et Jasiel de Masobia.

(*Cap.* XII.) Hi quoque venerunt ad David in Siceleg cum adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortissimi et egregii puguatores, tendentes arcum, et utraque manu fundis saxa et jacientes et dirigentes sagittas (de fratribus Saul ex Benjamin.

Princeps Ahiezer, et Joas, filii Samaa, Gabaathites, et Jaziel et Phallet filii Azmoth, et Baracha, et Jeu Anathotites.

Samaia quoque Gabanites fortissimus inter triginta et super triginta.

Jeremias, et Jeziel, et Johanan, et Jezbad Gaderothites, Eluzai et Jerimuth, et Baalia, et Samaria, et Saphatia Aruphites. Elcana, et Jesta, et Azrel, et Joezer, et Jesbaam de Carehim :

Joela quoque, et Zabadia, filii Jeroam de Gedor.

Sed et de Gaddi transfugerunt ad David, cum lateret in deserto, viri robustissimi, et pugnatores optimi, tenentes clypeum et hastam : facies eorum quasi facies leonis, et veloces quasi capreæ in montibus.

Ezer princeps, Obdias secundus, Eliab tertius, Masmana quartus, Jeremias quinthus, Ethi sextus, Eliel septimus, Johanan octavus, Elzebad nonus, Jeremias decimus, Machbanai undecimus.

Hi de filiis Gad principes exercitus : novissimus centum militibus præerat, et maximus, mille.

Isti sunt qui transierunt Jordanem mense primo, quando inundare consuevit super ripas suas : et omnes fugaverunt qui morabantur in vallibus ad orientalem plagam occidentalem.

Venerunt autem et de Benjamin, et de Juda, ad præsidium in quo morabatur David.

Egressusque est David obviam eis, et ait :

Si pacifice venistis ad me, ut auxiliemi mihi, cor meum jungatur vobis : si autem insidiamini mihi pro adversariis meis, cum ego iniquitatem in manibus meis non habeam, videat Deus patrum nostrorum, et judicet,

Spiritus vero induit Amasai principem inter triginta et ait :

Tui sumus, o David, et tecum, filii Isai : pax, pax tibi, et pax adjutoribus tuis. Te enim adjuvat Deus tuus.

Suscepit ergo eos David, et constituit principes turmæ.

Porro de Manasse transfugerunt ad David, quando veniebat cum Philisthim adversus Saul, ut pugnaret :

Et non dimicavit eum eis, quia, inito consilio, remiserunt eum principes Philisthinorum, dicentes: Periculo capitis nostri revertetur ad dominum suum Saul.

Quando igitur reversus est in Siceleg, fugerunt

defenderunt, et mox *percussissent* ad Hebræi textus, et Latinorum quot vidimus codicum fidem. Auctor quoque *Hebraicarum Questionum* in hunc librum ab ipso laudatus Martianæo ita legit, causamque addit cur, *in Regnum libris singulariter ponitur, ut regis fortitudo monstretur*. Ad hæc probabilius longe est, superiori proxime versu nomen *Semma*, scribarum incuria in ipso archetypo prætermissum. Martian. tamen e suis aliquot mss. minori numero posuit, *Hic stetit, defendit*, etc.

— In singulari legunt ista msn. codices, editi autem in plurali, *Hi steterum..... defenderunt* etc. Pluralem quoque in verbis numerum retinet Hebræus hic loci, sed libro secundo Samuelis v. 12 eamdem historiam, sive eamdem sententiam legit in singulari. Unde auctor *Quæst. Hebraicarum* in Paralipomenon ita docet : « Steterunt in medio agri, et eum defenderunt, David scilicet et Eleazar. Hoc in Paralipomenon : in Regum vero singulariter ponitur, ut regis fortitudo monstretur, » Nos utrobique exemplaria mss versionis Hieronymianæ secuti sumus. MART.

[1] In ms. Regio et duobus S. Germani a Pratis, ac in utroque Canon Hebraicæ veritatis, casus est absolutus. *Inter tres secundus inclytus*. MART.

— Vocem *primos* Hebræus textus non habet, sed tantum ועד-השלשה לא בא, *Verumtamen usque ad tres*, sive *tertios, non pervenit* (Græcus quoque, καὶ ἕως τῶν τριῶν οὐκ ἦρχετο.

ad eum de Manasse, Ednas et Jozabab, et Jediel, et Michael [1], et Jozabad et Eliu, et Salathi, principes mill um in Manasse.

Hi præbuerunt auxilium David adversus latrunculos : omnes enim erant viri fortissimi, et facti sunt principes in exercitu.

Sed et per singulos dies veniebant ad David ad auxiliandum ei, usque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei.

Iste quoque est numerus principum exercitus, qui venerunt ad David, cum esset in Hebron, ut transferrent regnum Saul ad eum, juxta verbum Domini.

Filii Juda portantes clypeum et hastam, sex millia octingenti expediti ad prælium.

De filiis Simeon, virorum fortissimorum ad pugnandum, septem millia centum.

De filiis Levi, quatuor milia sexcenti.

Joiada quoque princeps de Stirpe Aaron, et cum eo tria millia septingenti.

Sadoc etiam puer egregiæ indolis, et domus patris ejus, principes viginti duo.

De filiis autem Benjamin fratribus Saul tria millia : magna enim pars eorum adhuc sequebatur demum Saul :

Porro de filiis Ephraim viginti millia octingenti, fortissimi robore, viri nominati in cognationibus suis.

Et ex dimidia tribu Manasse, decem et octo millia, singuli per nomina sua venerunt ut constituerent regem David.

De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, principes ducenti :

Omnis autem reliqua tribus eorum consilium sequebatur.

Porro de Zabulon qui egrediebantur ad prælium, et stabant in acie instructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium [2], non in corde duplici.

Et de Nephthali, principes mille : et cum eis instructi clypeo et hasta, triginta et septem millia.

De Dan etiam præparati ad prælium, viginti octo millia sexcenti.

Et de Aser egredientes ad pugnam, et in acie provocantes, quadraginta millia.

Trans Jordanem autem de filiis Ruben, et de Gad, et dimidia parte tribus Manasse, instructi armis bellicis centum viginti millia.

Omnes isti viri bellatores expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, ut constituerent regem David super universum Israel :

Sed et omnes reliqui ex Israel, uno corde erant, ut rex fieret David.

Fueruntque ibi apud David tribus diebus comedentes et bibentes. Præparaverunt enim eis fratres sui.

Sed et qui juxta eos erant, usque ad Issachar, et Zabulon, et Nephthali, afferebant panes in asinis, et camelis, et mulis et bobus, ad vescendum) farinam, palathas, uvam passam, vinum, oleum, boves, arietes ad omnem copiam. Gaudium quippe erat in Israel.

(*Cap.* XIII.) Iniit autem consilium David cum tribunis et centurionibus, et universis principibus, et ait ad omnem cœtum Israel :

Si placet vobis, et a Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquor : mittamus ad fratres nostros reliquos in universas regiones Israel, et ad Sacerdotes, et Levitas, qui habitant in suburbanis urbium, ut congregentur ad nos, et reducamus arcam Dei nostri ad nos : non enim requisivimus eam in diebus Saul.

Et respondit universa multitudo, ut ita fieret : placuerat enim sermo omni populo.

Congregavit ergo David cunctum Israel, a Sior Ægypti, usque dum ingrediaris Emath, ut adduceret arcam Dei de Cariath-Iarim.

Et ascendit David, et omnis vir Israel ad collem Cariath-Iarim qui est in Juda, ut afferret inde arcam Domini Dei, sedentes super cherubim, ubi invocatum est nomen ejus.

Imposueruntque arcam Dei super plaustrum novum, de domo Abinadab :

Oza autem, et frater ejus minabant plaustrum.

Porro David, et universus Israel ludebant coram Deo omni virtute in canticis, et in citharis, et psalteriis, et tympanis, et cymbalis, et tubis.

Cum autem pervenissent ad Aream Chidon, tetendit Oza manum suam, ut sustentaret arcam : bos quippe lasciviens paululum inclinaverat eam.

Iratus est itaque Dominus contra Ozam, et percussit eum, eo quod tetigisset arcam : et mortuus est ibi coram Domino.

Contristatusque est David, eo quod divisisset Dominus Ozam :

Vocavique locum illum : Divisio Ozæ, usque in præsentem diem.

Et timuit Deum tunc temporis, dicens . Quomodo possum ad me introducere arcam Dei ?

Et ob hanc causam non eam adduxit ad se, hoc est in civitatem David, sed avertit in domum Obededom Getthæi.

Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus ;

Et benedixit Dominus domui ejus, et omnibus quæ habebat.

(*Cap* XIV.) Misit quoque Hiram rex Tyrii nuntios ad David, et ligna cedrina.

et artifices parietum, lignorumque : ut ædificarent ei domum.

Cognovitque David quod confirmasset eum Dominus in regem super Israel, et sublevatum esset regnum suum super populum ejus Israel.

Accepit quoque David alias uxores in Jerusalem : genuitque filios et filias.

Et hæc nomina eorum qui nati sunt ei in Jerusalem ; Samua, et Sobab, Nathan, et Salomon, Jebar, et Elisua, et Eliphalet, Noga quoque, et Napheg, et Japhie, Elisama, et Baliada, et Eliphalet.

Audientes autem Philisthim eo quod unctus esset David regem super universum Israel ascenderunt omnes ut quærerent eum :

Quod cum audisset David egressus est obviam eis.

Porro Philisthim venientes, diffusi sunt in Valle Raphaim.

Consuluitque David Dominum, dicens ;

Si ascendam ad Philisthæos, et si trades eos in manu mea.

Et dixit ei Dominus ; Ascende, et tradam eos in manu tua.

[1] Addunt hoc loco editi libri post verbum. *Michael et Ednas*, Colbertinus ms. Aniciens, legit, et *Michael, et Nas, et Jozabad*. Hoc vero id est, *et Nas*, sive *et Ednas*, abest in Hebræo, inque cæteris mss. Latinis. MART.

— Quod hic interserunt Vulgati codices, sive repetunt nomen *et Ednas*, neque Hebræus neque Græcus textus, nec denique veteres Hieronymiani et melioris notæ mss. habent.

[2] Hebræus vero textus habet לעזר quod proprie significat, *ad instruendam aciem*. Videtur autem Hieronymus, et ante Hieronymum, Septuaginta in eo quod ob oculos habebant exemplari legisse לעזר, quod est *in auxilium* : altera ז litterula, atque ea ד perquam simili permutata.

Cumque illi ascendissent in Baal-Pharasim, percussit eos ibi David, et dixit :

Divisit Deus inimicos meos per manum meam, sicut dividuntur aquæ :

Et idcirco vocatum est nomen illius loci Baal-Pharasim.

Dereliqueruntque ibi deos suos, quod David jussit exuri.

Alia etiam vice Philistim irruerunt, et diffusi sunt in valle.

Consuluitque rursum David Deum, et dixit ei Deus :

Non ascendas post eos, recede ab eis, et venies contra illos ex adverso pyrorum.

Cumque audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc egredieris ad bellum.

Egressus est enim Deus ante te, ut percutiat castra Philisthim.

Fecit ergo David sicut præceperat ei Deus, et percussit castra Philistinorum, de Gabaon usque Gazera.

Divulgatumque est nomen David in universis regionibus, et Dominus dedit pavorem ejus super omnes gentes.

(*Cap.* XV.) Fecit quoque sibi domos in civitate David; et ædificavit locum arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum.

Tunc dixit David : Illicitum est ut a quocumque portetur arca Dei nisi a Levitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, et ad ministrandum sibi usque in æternum.

Congregavitque universum Israel in Jerusalem, ut afferretur arca Dei in locum suum, quem præparaverat ei.

Necnon et filios Aaron, et Levitas.

De filiis Merari, Asaia princeps, et fratres ejus ducenti viginti.

De filiis Gersom, Joel princeps, et fratres ejus centum triginta.

De filiis Elisaphan, Semeias princeps, et fratres ejus ducenti.

De filiis Hebron, Eliel princeps, et fratres ejus octoginta.

De filiis Oziel, Aminadab princeps, et fratres ejus, centum duodecim.

Vocavitque David Sadoc et Abiathar sacerdotes et Levitas, Uriel, Asaiam, Joel, Semeiam, Eliel et Aminadab :

Et dixit ad eos : Vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, et afferte arcam Domini Dei Israel, ad locum qui ei præparatus est :

Ne ut a principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus : sic et nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus.

Sanctificati sunt ergo sacerdotes, et Levitæ, ut portarent arcam Domini Dei Israel.

Et tulerunt filii Levi arcam Dei, sicut præceperat Moses juxta verbum Domini, humeris suis, in vectibus

Dixitque David principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet, et lyris, et cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ.

Constitueruntque Levitas : Eman filium Joel, et de fratribus ejus, Asaph filium Barachiæ :

De filiis vero Merari fratribus eorum, Ethan filium Casaiæ.

Et cum eis fratres eorum : in secundo ordine, Zachariam, et Ben, et Jaziel, et Semiramoth, et Jahiel, et Ani, Eliab, et Benaiam, et Maasiam, et Mathathiam et Eliphalu, et Maceniam, et Obededom, et Jeiel, janitores.

Porro cantores, Eman, Asaph, et Ethan, in cymbalis æneis concrepantes.

Zacharias autem, et Oziel, et Semiramoth, et Jahiel, et Ani, et Eliab, et Maasias, et Banaias, in nabiis arcana cantabant.

Porro Mathathias, et Eliphalu, et Macenias, et Obededom et Jeiel, et Ozaziu, in citharis pro octava canebant ὑπινίκιον [1].

Chonenias autem princeps Levitarum, prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiam : erat quippe valde sapiens.

Et Barachias, et Elcana, janitores arcæ.

Porro Sebenias, et Josaphat, et Nathanael, et Amasai, et Zacharias, et Banaias, et Eliezer, sacerdotes, clangebant tubis coram arca Dei.

Et Obededom, et Jehias, erant janitores arcæ :

Igitur David, et omnes majores natu Israel, et tribuni, ierunt ad deportandam arcam fœderis Domini de domo Obededom, cum lætitia.

Cumque adjuvisset Deus Levitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri, et septem arietes.

Porro David erat indutus stola byssina, et universi Levitæ, qui portabant arcam, cantoresque, et Chorenias princeps prophetiæ inter cantores.

David autem indutus erat etiam ephod lineo.

Universusque Israel deducebant arcam fœderis Domini in jubilo, et sonitu buccinæ, et tubis, et cymbalis, et nablis, et citharis concrepantes.

Cumque pervenisset arca fœderis Domini usque ad civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David saltantem atque ludentem, et despexit eum in corde suo.

(*Cap.* XVI.) Attulerunt igitur arcam Dei, et constituerunt eam in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David : et obtulerunt holocausta, et pacifica coram Deo.

Cumque complesset David offerens holocausta, et pacifica, benedixit populo in nomine Domini.

Et divisit universis per singulos, a viro usque ad mulierem tortam panis, et partem assæ carnis bubulæ, et frixam oleo similam.

Constituitque coram arca Domini de Levitis, qui ministrarent, et recordarentur operum ejus, et glorificarent, atque laudarent Dominum Deum Israel :

Asaph principem, et secundum ejus Zachariam :

Porro Jaiel, et Semiramoth, et Jehiel, et Mathathiam, et Eliab, et Banaian, et Obededom, et Jeiel super organa psalterii, et lyras;

Asaph autem, ut cymbalis personaret.

Banaiam vero et Jaziel sacerdotes, canere tuba jugiter coram arca fœderis Domini.

In illo die fecit David principem ad confitendum Domino Asaph, et fratres ejus,

Confitemini Domino, et invocate nomen ejus :
notas facite in populis adinventiones ejus [2].
Cantate ei, et psallite ei :
narrate omnia mirabilia ejus.
Laudate nomen sanctum ejus :
lætetur cor quærentium Dominum.
Quærite Dominum, et virtutem ejus :
quærite faciem ejus semper,
Recordamini mirabilium ejus, quæ fecit :
signorum illius (*Al. tac.* illius), et judiciorum

[1] Hebræus habet למנצח *lamnatseahh*, quod Hieronymus legit *Lamanasse* proœmio Commentariorum in Danielem, ubi asserit hanc vocem Symmachum interpretari ὑπινίκιον, quod proprie triumphum, palmamque significat. MART.

[2] In Psalmorum libro, quem supra excudimus, ubi psalmi cv locum hic tenet, aliter sæpe legitur : hic, *notas facite populis cogitationes ejus :* et tertio ab hoc versu, *loquimini in universis mirabilibus ejus;* etc. *Exsultate in nomine sanctos ejus,* atque his similia infra, quæ tute conferendo animadvertas.

oris ejus.
Semen Israel servi ejus :
filii Jacob electi ejus,
Ipse Dominus Deus noster :
in universa terra judicia ejus.
Recordamini in sempiternum pacti ejus :
sermonis, quem præcepit in mille generationes.
Quem pepigit cum Abraham :
et juramenti illius cum Isaac.
Et constituit illud Jacob in præceptum :
et Israel in pactum sempiternum.
Dicens : Tibi dabo terram Chanaan,
funiculum hæreditatis vestræ.
Cum essent pauci numero,
Parvi et coloni ejus.
Et transierunt de gente in gentem,
et de regno ad populum alterum.
Non dimisit quemquam calumniari eos,
sed increpuit pro eis reges.
Nolite tangere christos meos :
et in prophetis meis nolite malignari.
Cantate Domino omnis terra :
annuntiate ex die in diem salutare ejus.
Narrate in gentibus gloriam ejus :
in cunctis populis mirabilia ejus.
Quia magnus Dominus, et laudabilis nimis :
et horribilis super omnes deos.
Omnes enim dii populorum idola.
Dominus autem cœlos fecit.
Confessio et magnificentia coram eo :
fortitudo et gaudium in loco ejus,
Afferte Domino, familiæ populorum,
afferte Domino gloriam et imperium.
Date Domino gloriam nomini ejus,
levate sacrificium, et venite in conspectu ejus :
et adorate Dominum in decore sancto.
Commoveatur a facie ejus omnis terra :
ipse enim fundavit orbem immobilem.
Lætentur cœli, et exsultet terra :
et dicant in nationibus, Dominus regnavit.
Tonet mare, et plenitudo ejus :
exsultent agri, et omnia quæ in eis sunt.
Tunc laudabunt ligna saltus coram Domino :
quia venit judicare terram.
Confitemini Domino, quoniam bonus :
quoniam in æternum misericordia ejus.
Et dicite : Salva nos, Deus salvator noster,
et congrega nos, et erue de gentibus :
Ut confiteamur nomini sancto tuo,
et exsultemus in carminibus tuis.
Benedictus Dominus Deus Israel ab æterno usque in æternum :
et dicat omnis populus :
Amen, et hymnum [*Al.* hymnus] Domino.
Dereliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini,
Asaph et fratres ejus, ut ministrarent in conspectu arcæ jugiter, per singulos dies, et vices suas,
Porro Obededom, et fratres ejus sexaginta octo :
Et Obededom filium Idithun, et Asa constituit janitores.

Sadoc autem sacerdotem, et fratres ejus sacerdotes, coram tabernaculo Domini in excelso, quod erat in Gabaon :

Ut offerent holocausta Domino super altare holocautomatis jugiter, mane et vespere, juxta omnia quæ scripta sunt in lege Domini, quam præcepit Israeli.

Et post eum Eman, et Idithum, et reliquos electos unumquemque vocabulo suo ad confitendum

A Domino : Quoniam in æternum misericordia ejus.

Eman quoque et Idithum canentes tuba, et quatientes cymbala, et omnia musicorum organa, ad canendum Deo :

Filios autem Idithun fecit esse portarios.

Reversusque est omnis populus in domum suam, et David, ut benedicoret etiam domui suæ.

(*Cap.* XVII.) Cum autem habitaret David in domo sua, dixit ad Nathan prophetam :

Ecce ego habitabo in domo cedrina : arca autem fœderis Domini sub pellibus est.

Et ait Nathan ad David : omnia quæ in corde tuo sunt, fac : Deus enim tecum est.

Igitur nocte illa factus est sermo Dei ad Nathan, dicens :

Vade, et loquere David servo meo : Hæc dicit Dominus :

Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum.

B Neque enim mansi in domo, ex eo tempore quo eduxi Israel, usque ad hanc diem : sed fui semper mutans loca tabernaculi, et in tentorio manens cum omni Israel.

Nunquid locutus sum saltem uni judicum Israel, quibus præceperam ut pascerent populum meum, et dixi : Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?

Nunc itaque sic loqueris ad servum meum David : Hæc dicit Dominus exercituum : Ego tuli te, cum in pascuis sequereris gregem, ut esses dux populi mei Israel :

Et fui tecum quocunque perrexisti : et interfeci omnes mimicos tuos coram te, fecique tibi nomen quasi unius magnorum, qui celebrantur in terra.

Et dedi locum populo meo Israel : plantabitur, et habitabit in eo, et ultra non commovebitur :

Nec filii iniquitatis atterent eos, sicut a principio, ex diebus quibus dedi judices populo meo
C Israel, et humiliavi universos inimicos tuos.

Annuntio ergo tibi, quod ædificaturus sit domum tibi Dominus :

Cumque impleveris dies tuos, ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum ejus.

Ipse ædificabit mihi domum, et firmabo solium ejus usque in æternum.

Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium; et misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit.

Et statuam eum in domo mea, et in regno meo, usque in sempiternum : et thronus ejus erit firmissimus in perpetuum.

Juxta omnia verba hæc, et juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David.

Cumque venisset rex David, et sedisset coram Domino, dixit :

Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea,
D ut præstares mihi talia?

Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, ideoque locutus es super domum servi tui etiam in futurum.

Et fecisti me spectabilem super omnes homines, Domine Deus.

Quid ultra addere potest David, cum ita glorificaveris servum tuum, et cognoveris eum?

Domine, propter famulum tuum juxta cor tuum fecisti omnem magnificentiam hanc, et nota esse voluisti universa magnalia.

Domine, non est similis tui; et non est alius

[1] Hic psalmus est XCVI in Psalterio juxta Hebræum. Passim vero etiam iste ab superius excusa ejus interpretatione Hieronymiana discordat. Sed et Hebræus utriusque libri textus variat, qui critici loca observant.

[2] Manuscripti aliquot, *Amen et hymnus a Domino.*

Conferat lector studiosus psalmum hujus loci cum eodem Cantico, quod in Psalterio numeratur CV, et deinde cum XCVI inveniet profecto multa diversa tam in Hebræis, quam in Latinis exemplaribus. MART.

Deus absque te, ex omnibus quos audivimus auribus nostris.

Quis enim est alius, et populus tuus Israel, gens una in terra, ad quam perrexit Deus, ut liberaret, et faceret populum sibi, et magnitudine sua atque terroribus ejiceret nationes a facie ejus, quem de Ægypto liberarat?

Et posuisti populum tuum Israel tibi in populum usque in æternum, et tu, Domine, factus es Deus ejus.

Nunc igitur, Domine, sermo quem locutus es famulo tuo, et super domum ejus, confirmetur in perpetuum, et fac sicut locutus es.

Permaneatque et magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, et dicatur : Dominus exercituum Deus Israel, et domus David servi ejus permanens coram eo.

Tu enim, Domine Deus meus, revelasti auriculam servi tui, ut ædificares ei domum, et idcirco invenit servus tuus fiduciam, ut oret coram te.

Nunc ergo, Domine, tu es Deus, et locutus es ad servum tuum tanta beneficia. Et cœpisti benedicere domui servi tui, ut sit semper coram te; te enim, Domine, benedicente, benedicta erit in perpetuum.

[*Cap.* XVIII.] Factum est autem post hæc, ut percuteret David Philisthim, et humiliaret eos, et tolleret Geth, et filias ejus, de manu Philisthim, percuteretque Moab, et fierent Moabitæ servi David, offerentes ei munera.

Eo tempore percussit David etiam Adadezer [1] regem Soba regionis Emath, quando perrexit ut dilataret imperium suum usque ad flumen Euphraten.

Cepit ergo David mille quadrigas ejus, et septem millia equites, ac viginti millia virorum peditum, subnervavitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reservavit sibi.

Supervenit autem et Syrus Damascenus, ut auxilium præberet Adadezer regi Soba : sed et hujus percussit David viginti duo millia virorum.

Et posuit milites in Damasco, ut Syria quoque serviret sibi, et offerret munera. Adjuvitque eum Dominus in cunctis, ad quæ perrexerat.

Tulit quoque David pharetras aureas, quas habuerant servi Adadezer, et attulit eas in Jerusalem.

Necnon de Thebath et Chun, urbibus Adadezer, æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æreum, et columnas, et vasa ænea.

Quod cum audisset Thou rex Emath percussisse videlicet David omnem exercitum Adadezer regis Soba, misit Aduram filium suum ad regem David, ut postularet ab eo pacem, et congratularetur ei, eo quod expugnasset et percussisset Adadezer : adversarius quippe erat Thou Adadezer.

Sed et omnia vasa aurea, et argentea, et ænea consecravit David rex Domino, cum argento et auro quod tulerat ex universis gentibus, tam de Idumæa, et Moab, et filiis Ammon, quam de Philisthim et Amalec.

Abisai vero filius Sarviæ percussit Edom in valle Salinarum, decem et octo millia.

Et constituit in Edom præsidium, ut serviret Idumæa David :

Salvavitque Dominus David in cunctis ad quæ perrexerat.

Regnavit ergo David super universum Israel, et faciebat judicium atque justitiam cuncto populo suo.

Porro Joab filius Sarviæ erat super exercitum, et Josaphat filius Ahilud a commentariis.

Sadoc autem filius Ahitob, et Ahimelec filius Abiathar, sacerdotes : et Susa, scriba.

Banaias vero filius Joiadæ super legiones Cherethi, et Pheleti,

Porro filii David primi ad manum regis.

[*Cap.* XIX.] Accidit autem, ut moreretur Naas rex filiorum Ammon et regnaret filius ejus pro eo:

Dixitque David : Faciam misericordiam cum Anon filio Naas : præstitit enim mihi pater ejus gratiam.

Misitque David nuntios ad consolandum eum super morte patris sui.

Qui cum pervenissent in terram filiorum Ammon, ut consolarentur Anon, dixerunt principes filiorum Ammon ad Anon :

Tu forsitan putas, quod David honoris causa in patrem tuum miserit qui consolentur te : nec animadvertis, quod ut explorent, et investigent, et scrutentur terram tuam, venerint ad te servi ejus?

Igitur Anon pueros David decalvavit, et rasit, et præcidit tunicas eorum a natibus usque ad pedes, et dimisit eos.

Qui cum abiissent, et hoc mandassent David, misit in occursum eorum (grandem enim contumeliam sustinuerant) et præcepit ut manerent in Jericho, donec cresceret barba eorum, et tunc reverterentur.

Videntes autem filii Ammon, quod injuriam fecisset David, tam Anon, quam reliquus populus, miserunt mille talenta argenti, ut conducerent sibi de Mesopotamia, et de Syria Maacha, et de Soba, currus et equites.

Conduxeruntque triginta duo millia curruum, et regem Maacha cum populo ejus. Qui cum venissent, castrametati sunt e regione Medaba.

Filii quoque Ammon congregati de urbibus suis venerunt ad bellum.

Quod cum audisset David, misit Joab, et omnem exercitum virorum fortium :

Egressique filii Ammon, direxerunt aciem juxta portam civitatis : reges autem, qui ad auxilium ejus venerant, separatim in agro steterunt.

Igitur Joab intelligens bellum ex adverso et post tergum contra se fieri, elegit viros fortissimos de universo Israel, et perrexit contra Syrum.

Reliquam autem partem populi dedit sub manu Abisai fratris sui, et perrexerunt contra filios Ammon.

Dixitque : Si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi; si autem superaverint te filii Ammon, ero tibi in præsidium,

Confortare, et agamus viriliter pro populo nostro, et pro urbibus Dei nostri. Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciet.

Perrexit ergo Joab, et populus qui cum eo erat, contra Syrum ad prælium : et fugavit eos.

Porro filii Ammon videntes quod fugisset Syrus, ipsi quoque fugerunt Abisai fratrem ejus, et ingressi sunt civitatem :

Leversusque et etiam Joab in Jerusalem.

Videns autem Syrus quod cecidisset coram Israel, misit nuntios, et adduxit Syrum, qui erat trans fluvium :

Sophach autem princeps millitiæ Adadezer, erat dux eorum.

Quod cum nuntiatum esset David, congregavit universum Israel, et transivit Jordanem, irruitque in eos, et direxit ex adverso aciem, illis contra pugnantibus.

Fugit autem Syrus Israel :

Et interfecit David de Syris septem millia curruum, et quadraginta milita pedidum, et Sophach exercitus principem.

Videntes autem servi Adadezer, se ab Israel esse superatos, transfugerunt ad David, et servierunt ei

[1] Ita mss. Latini codices. In Hebræo legimus hic Adarezer cum *Res* in medio; cum in libris Samuel legatur *Adadezer* cum *Daleth*. Consule annotationes nostras. MART.

noluitque ultra Syria auxilium præbere filiis Ammon.

(*Cap.* XX.) Factum est autem post anni circulum, eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, congregavit Joab exercitum,et robur militiæ, et vastavit terram filiorum Ammon, perrexitque, et obsedit Rabba :

Porro David manebat in Jerusalem,quando Joab percussit Rabba, et destruxit eam.

Tulit autem David coronam Melchom de capite ejus, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema : manubias quoque urbis plurimas tulit :

Populum autem, qui erat in ea,eduxit ; et fecit super eos tribulas, et trabas, et ferrata carpenta transire; ita ut dissecarentur, et conterererentur :

Sic fecit David cunctis urbibus filiorum Ammon, et reversus est cum omni populo suo in Jerusalem.

Post hæc initum est bellum in Gazer adversum Philisthæos : in quo percussit Sobbochai Usathites, Saphai de genere Raphaim, et humiliavit eos.

Aliud quoque bellum gestum est adversus Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus [1] Leemites fratrem Goliath Getthæi, cujus hastæ lignum erat quasi liciatorium texentium.

Sed et aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus, senos habens digitos, id est, simul viginti quatuor ; qui et ipse de Rapha fuerat stirpe generatus.

Hic blasphemavit Israel : et percussit eum Jonathan filius Samaa fratris David.

Hi sunt filii Rapha in Geth, qui ceciderunt in manu David et servorum ejus,

[*Cap.* XXI.] Consurrexit autem Satan contra Israeli: et incitavit David, ut numeraret Israel.

Dixitque David ad Joab, et ad principes populi : Ite, et numerate Israel a Bersabee usque Dan : et afferte mihi numerum ut sciam.

Responditque Joab : Augeat Dominus populum suum centuplum, quam sunt : nonne, domine mi rex, omnes servi tui sunt? quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israel ?

Sed sermo regis magis prævaluit : egressusque est Joab : et circuivit universum Israel ; et reversus est Jerusalem :

Deditque David numerum eorum,quos circumierat, et inventus est omnis Israel numerus : mille millia et centum millia virorum educentium gladium :

De Juda autem trecenta [2] septuaginta millia bellatorum :

Nam Levi et Benjamin non numeravit : eo quod Joab invitus exsequeretur regis imperium.

Displicuit autem Deo quod jussum erat ; et percussit Israel.

Dixitque David ad Deum : Peccavi nimis ut hoc facerem : obsecro aufer iniquitatem servi tui,quia insipienter egi.

Et locutus est Dominus ad Gad Videntem David, dicens [3] : Vade, et loquere ad David, et dic ei :

Hæc dicit Dominus : Trium tibi optionem do : unum quod volueris, elige et faciam tibi.

Cumque venisset Gad ad David, dixit ei : Hæc dixit Dominus : Elige quod volueris :

Aut tribus annis famem : aut tribus mensibus fugere te hostes tuos, et gladium eorum non posse evadere : aut tribus diebus gladium Domini, et mortem (*Al.* pestilentiam [3]) versari in terra, et angelum Domini interficere in universis finibus Israel :

Nunc igitur vide quid respondeam ei, qui misit me.

Et dixit David ad Gad ; Ex omni parte me angustiæ premunt : sed melius mihi est, incidam in manus Domini,quia multæ sunt miserationes ejus, quam in manus hominum.

Misit ergo Dominus pestilentiam in Israel : et ceciderunt de Israel septuaginta millia virorum.

Misit quoque angelum in Jerusalem, ut percuteret eam :

Cumque percuteretur,vidit Dominus, et misertus est super magnitudine mali :

Et imperavit angelo, qui percutiebat : Sufficit, jam cesset manus tua.

Porro angelus Domini stabat juxta aream Ornan [4] Jebusæi.

Levansque David oculos suos, vidit angelum Domini stante inter terram et cœlum, et evaginatum gladium in manu ejus,et versum contra Jerusalem :

Et ceciderunt, tam ipse quam majores nata vestiti ciliciis, pronini in terram.

Dixitque David ad Deum : Nonne ego sum, qui jussi ut numeraretur populus? Ego, qui peccavi: ego, qui malum feci : iste grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur, obsecro, manus tua in me et in domum patris mei : populus autem tuus non percutiatur.

Angelus autem Domini præcepit Gad, ut diceret David ut ascenderet, exstrueretque altare Domino Deo in area Ornan Jebusæi.

Ascendit ergo David juxta sermonem Gad, quem locutus ei fuerat ex nomine Domini.

Porro Ornam cum suspexisse, et vidisse t angelum, quatuorque filii ejus cum eo, absconderunt se : nam eo tempore terebat in area triticum.

Igitur cum veniret David ad Ornan, conspexit eum Ornan,et processit ei obviam de area, et adoravit illum pronus in terram.

Dixitque ei David : Da mihi locum areæ tuæ ut ædificem in ea altare Domino : ita ut quantum valet argenti, accipias, et cesset plaga a populo.

Dixit autem Ornan ad David : Tolle, et faciat dominus meus rex quodcunque et placet : sed et boves do in holocaustum, et tribulas in ligna, et triticum in sacrificium : omnia libens præbebo.

Dixitque ei rex David : Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantum valet : neque enim tibi auferre debeo, et sic offerre Domino holocausta gratuita.

[1] Canon Memmianus hoc modo legit in sacro contextu,habens in latere marginali variantes istas lectiones, *alibi Bethlemites, alibi Helemites.* Notat vero falsus Hieronymus in quæst. Hebraicis hujus loci, quomodo comma præsens in Hebræo legatur. « In quo percussit Adeodatus. In Hebræo inquit, scribitur Eleanam filius Jair Leemites frater. Jair, vigilans, in Regum scribitur Hur filius Jare quod interpretatur *Saltus* : in Regum scribitur Bethhcemites. in Paralipamenon, Leemites frater, » etc. Vide Samuelis II cap. XXI, vers 19. Advertat lector diversas esse lectiones *Qu. Hebraicarum* in mss. ac in editis libris, de quibus, si vita comes fuerit, propriis locis dicturi sumus. MART.

[2] Hunc numerum retinent exemplaria Canonis. ac mss. omnes Latini codices, quos inspeximus, Editi legunt juxta Hebræum, *quadringenta septuaginta millia.* Arabs vero intepres auctiorem habet numerum, nempe, *quingenta septuaginta millia.* Dissonantias hujusmodi, quæ occurunt in libris Regum ac Paralipomenon,couciliare nititur auctor *Quæst. Hebraicarum,* cujus jam sæpe meminimus. MART.

[3] Editi legunt *pestilentiam.* Verbum Hebraicum דבר *deber,* sive *dever* et *mortem,* et *pestem* significat. MART.

[4] Memmianus Canon scriptum bis habet in corpore *Areuna,* in margine *Ornan.* MART.

— Videsis quæ ad II Samuel. sub finem hac de nomine, quod ibi *Areuna* dicitur, adnotata sunt.

Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri justissimi ponderis sexcentos.

Et ædificavit ibi altare Domino: obtulitque holocausta, et pacifica, et invocavit Dominum, et exaudivit eum in igne de cœlo super altare holocausti.

Præcepitque Dominus angelo; et convertit gladium suum in vaginam.

Protinus ergo David, videns quod exaudisset eum Dominus in area Ornan Jebusæi, immolavit ibi victimas.

Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moses in deserto, et altare holocaustorum, ea tempestate erat in excelso Gabaon.

Et non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obsecraret Deum: nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium angeli Domini.

(*Cap.* XXII.) Dixitque David: Hæc est domus Dei, et hoc altare in holocaustum Israel.

Et præcepit ut congregarentur omnes proselyti B de terra Israel, et constituit ex eis latomos ad cædendos lapides et poliendos, ut ædificaretur domus Dei.

Ferrum quoque plurimum ad clavos januarum, et ad commissuras atque juncturas præparavit David: et æris pondus innumerabile:

Ligna quoque cedrina non poterant æstimari, quæ Sidonii et Tyrii deportaverant ad David.

Et dixit David: Salomon filius meus puer parvulus est et delicatus; domus autem, quam ædificari volo Domino, talis esse debet, ut in cunctis regionibus nominetur; præparabo ergo ei necessaria.

Et ob hanc causam ante mortem suam omnes paravit impensas.

Vocavitque Salomonem filium suum, et præcepit ei ut ædificaret domum Domino Deo Israel.

Dixitque David ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit ut ædificarem domum nomini Domini Dei mei, sed factus est sermo Domini ad me dicens: Multum sanguinem effudisti, et pluriima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.

Filius qui nascetur tibi erit vir quietissimus: faciam enim cum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: et ob hanc causam Pacificus vocabitur: et pacem et otium dabo in Israel cunctis diebus ejus.

Ipse ædificabit domum nomini meo, et ipse erit mihi in filium, et ego ero ei in patrem: firmaboque solium regni ejus super Israel in æternum.

Nunc ergo, fili mi, sit Dominus tecum, et prosperare, et ædifica domum Domino Deo tuo, sicut locutus est de te.

Det quoque tibi Dominus prudentiam et sensum, ut regere possis Israel, et custodire legem Domini Dei tui.

Tunc enim proficere poteris, si custodieris mandata et judicia quæ præcepit Dominus Mosi, ut doceret Israel: D

Confortare, et viriliter age, ne timeas, neque paveas.

Ecce ego in paupertatula mea præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum: æris vero et ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine: ligna et lapides præparavi ad universa impendia.

Habes quoque plurimos artifices, latomos, et cæmentarios, artificesque lignorum, et omnium artium ad faciendum opus prudentissimos, in auro, et argento, et ære et ferro, cujus non est numerus.

Surge igitur, et fac, et erit Dominus tecum.

A Præcepit quoque David cunctis principibus Israel. ut adjuvarent Salomonem filium suum.

Cernitis, inquiens, quod Dominus Deus vester vobiscum sit, et dederit vobis requiem per circuitum, et tradiderit omnes in manu vestra, et subjecta sit terra coram Domino et coram populo ejus,

Præbete igitur corda vestra et animas vestras, ut quæratis Dominum Deum vestrum:

Et consurgite, et ædificate sanctuarium Domino Deo, ut introducatur arca fœderis Domini, et vasa Domino consecrata, in domum quæ ædificatur nomini Domini.

[*Cap.* XXIII] Igitur David senex et plenus dierum regem constituit Salomonem filium suum super Israel.

Et congregavit omnes principes Israel, et Sacerdotes atque Levitas.

Numeratique sunt Levitæ a triginta [1] annis, et supra: et inventa sunt triginta octo millia virorum.

Ex his electi sunt, et distributi in ministerium domus Domini, viginti quatuor millia: præpositorum autem et judicum sex millia.

Porro quatuor millia janitores, et totidem psaltæ canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum.

Et distribuit eos David per vices filiorum Levi, Gerson videlicet, et Gaath, et Merari.

Filii Gerson: Leedan, et Semei.

Filii Leedan: princeps Jahiel. et Zethan, et Joel, tres.

Filii Semei: Salomith, et Osiel, et Aran, tres: isti principes familiarum Leedan.

Porro filii Semei, Leeth, et Ziza, et Jans, et Baria: isti filii Semei, quatuor.

Erat autem Leeth prior, Ziza secundus.

Porro Jaus et Barianon habuerunt filios plurimos, et idcirco in una familia, unaque domo com- C putati sunt.

Filii Caath: Amram, et Isaar, Hebron, et Oziel, quatuor.

Filii Amram: Aaron et Moses.

Separatusque est Aaron: ut ministraret in Sancto sanctorum, ipse et filii ejus in sempiternum, et adoleret incensum Domino secundum ritum suum, ac benediceret nomini ejus in perpetuum.

Mosi quoque hominis Dei filii annumerati sunt in tribu Levi.

Filii Mosi: Gersom. et Eliezer.

Filii Gersom: Subuel primus.

Fuerunt autem filii Eliezer: Roobia primus: et non erant Eliezer filii alii.

Porro filii Roobia multiplicati sunt nimis.

Filii Isaar: Salomith. primus.

Filii Hebron: Jeriau primus, Amarias secundus, Jaziel tertius, Jecmaam quartus.

Filii Oziel: Micha primus, Jesia secundus.

Filii Merari: Mooli, et Musi.

Filii Mooli: Eleazar, et Cis.

Mortuus est autem Eleazar, et non habuit filios, sed filias: acceperuntque eas filii Cis fratres earum.

Filii Musi: Mooli, et Eder, et Jerimoth, tres.

Hi filii Levi in cognationibus et familiis suis principes per vices, et numerum capitum singulorum qui faciebant opera ministerii domus Domini a viginti annis et supra.

Dixit enim David: Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, et habitationem Jerusalem usque in æternum.

Nec erit officii Levitarum ut ultra portent tabernaculum, et omnia vasa ejus ad ministrandum.

[1] Nonnulli mss. etiam Martianæo inspecti, *viginti* habent pro *triginta*: sed et paulo inferius hoc ipso capitulo, *supputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis et supra.*

Juxta præcepta quoque David novissima, supputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis et supra.

Et erunt sub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in vestibulis, et in exedris, et in loco purificationis, et in sanctuario, et in universis operibus ministerii templi Domini.

Sacerdotes autem, super panes propositionis, et ad similæ sacrificium, et ad legana azyma, et sartaginem, et ad ferventem similam [1], et super omne pondus atque mensuram.

Levitæ vero, ut stent mane ad confitendum et canendum Domino : similiterque ad vesperam, tam in oblatione holocaustorum Domini. quam in sabbatis et kalendis, et solemnitatibus reliquis, juxta numerum et cæremonias uniuscujusque rei, jugiter coram Domino.

Et custodiant observationes tabernaculi fœderis, et ritum sanctuarii, et observationem filiorum Aaron fratrum suorum, ut ministrent in domo Domini.

(*Cap.* XXIV.) Porro filiis Aaron hæ partitiones erant :

Filii Aaron : Nadab, et Abiu, et Eleazar, et Ithamar.

Mortui sunt autem Nadab et Abiu ante patrem suum absque liberis, sacerdotioque functus est Eleazar, et Ithamar.

Et divisit eos David, id est, Sadoc de filiis Eleazar, et Ahimelech de filiis Ithamar, secundum vices suas et ministerium,

Inventique sunt multo plures filii Eleazar in principibus viris, quam filii Ithamar.

Divisit autem eis, hoc est, filiis Eleazar, principes per familias sedecim : et filiis Ithamar per familias et domos suas octo.

Porro divisit utrasque inter se familias sortibus : erant enim principes sanctuarii, et principes Dei, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar.

Descripsitque eos Semeias filius Nathanael scriba Levites, coram rege et principibus, et Sadoch sacerdote, et Ahimelech filio Abiathar, principibus quoque familiarum sacerdotalium et Leviticarum: unam domum, quæ cæteris præerat, Eleazar : et alteram domum, quæ sub se habebat cæteros, Ithamar.

Exivit autem sors prima Jojarib,
Secunda Jedeiæ,
Tertia Harim,
Quarta Seorim,
Quinta Melchia,
Sexta Maiman,
Septima Accos,
Octava Abia,
Nona Jesue,
Decima Sechenia,
Undecima Eliasib,
Duodecima Jacim,
Tertiadecima Hoppha
Quartadecima Isbaab,
Quintadecima Belga,
Sextadecima Emmer,
Septimadecima Ezir,
Octavadecima Aphses,
Nonadecima Phetheia,
Vigesima Jezecel,
Vigesimaprima Jachin,
Vigesimasecuda Gamul,
Vigesimatertia Dalaiau,
Vigesima quarta Maazian.

Hæ vices eorum secundum ministeria sua, ut ingrediantur domum Domini, et juxta ritum suum sub manu Aaron patris eorum : sicut præcepit Dominus Deus Israel,

Porro filiorum Levi, qui reliqui fuerant, de filiis Amram erat Subael, et de filiis Subael, Jedeia.

de filiis quoque Roobiæ princeps Jesias.

Isaari vero filius Salemoth, filiusque Salemoth Jaath :

Filiusque ejus Jeriau, Amarias secundus, Jaziel tertius, Jecmaan quartus.

Filius Oziel, Micha : filius Micha, Samir.

Frater Micha, Jesia : filiusque Jesiæ Zacharias.

Filii Merari, Mooli et Musi.

Filius Oziau, Benno.

Filius quoque Merari, Oziau et Soem et Zachur et Hebri.

Porro Mooli filius Eleazar, qui non habebat liberos.

Filius vero Cis, Jerameel.

Filii Musi, Mooli, Eder et Jerimoth.

Isti filii Levi secundum domos familiarum suarum.

Miseruntque ei ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron, coram David rege, et Sadoo, et Ahimelech et principibus familiarum sacerdotalium et Leviticarum, tam majores, quam minores. Omnes sors æqualiter dividebat,

[*Cap.* XXV.] Igitur David et magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, et Eman, et Idithun : qui prophetarent in citharis, et psalteriis, et cymbalis, secundum numerum suum dedicato sibi officio servientes :

De filiis Asaph : Zachur, et Joseph, et Nathania, et Asarela, filii Asaph : sub manu Asaph : prophetantis juxta regem.

Porro Idithun : filii Idithun Godolias, Sori, Jesaias, et Asabias, et Mathathias, sex sub manu patris sui Idithun, qui cithara prophetabat super confitentes et laudantes Dominum.

Eman quoque : filii Eman, Bocciau, Mathanie, Oziel, Subuel, et Jerimoth, Ananias, Anani. Elatha, Geddelthi, et Romemthiezer, et Jesbacassa, Mellothi, Othir : Mazioth :

Omnes isti filii Eman Videntis regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu : deditque Deus Eman filios quatordecim, et filias tres.

Universi sub manu patris sui ad cantandum in templo Domini distributi erant, in cymbalis, et psalteriis, et citharis in ministeria domus Domini juxta regem : Asaph videlicet, et Idithun, et Eman.

Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti doctores, ducenti octoginta octo.

Miseruntque sortes per vices suas, ex æquo tam major quam minor, doctus pariter, et indoctus.

Egressaque est sors prima Joseph, qui erat de Asaph

Secunda Godoliæ, ipsi et filiis, et fratribus ejus duodecim.

Tertia Zachur, filiis et fratribus ejus duodecim.

[1] Hebræus ולמרבכת *velammurbaketh*, quod *ad torrendum* interpretatur falsus Hieronymus, dicens : « Quod in quibusdam codicibus habetur, *ad ferventem similam*, et in quibusdam *ad ferventem* tantummodo, error est. In Hebræo non habetur in hoc loco *simila*, quia *simila* paulo jam superius nominata : sed ad torrendum, in Hebræo ponitur, ut subaudias *spicas*. Primitiæ enim spicarum quando deferebantur, torrebantur, et grana comedebantur. Quod genus cibi vulgo graneas vocant. » Subjungit quoque statim : « In quibusdam codicibus habetur *super omne pondus et mensuram* : sed in Hebræo in hoc loco *pondus* non habetur, sed *mensura* tantum gemina nominatim posita, » etc. Hæc quidem ille: nos vero fidem omnium mss. exemplariorum sequi satius esse duximus, quam huic scriptori adhærere. MART

Quarta Isari, filiis et fratribus ejus duodecim.
Quinta Nathaniæ, filiis et fratribus ejus duodecim.
Sexta Bocciau, filiis et fratribus ejus duodecim.
Septima Israela, filiis et fratribus ejus duodecim.
Octava Jesaiæ, filiis et fratribus ejus duodecim.
Nona Mathaniæ, filiis et fratribus ejus duodecim.
Decima Semeiæ, filiis et fratribus ejus duodecim.
Undecima Azareel, filiis et fratribus ejus duodecim.
Duodecima Asabiæ, filiis et fratribus ejus duodecim.
Tertiadecima Subael, filiis et fratribus ejus duodecim.
Quartadecima Mathathiæ, filiis et fratribus ejus duodecim.
Quintadecima Jerimoth, filiis et fratribus ejus duodecim
Sextadecima Ananiæ, filiis et fratribus ejus duodecim.
Septimadecima Jesbacassæ, filiis et fratribus ejus duodecim.
Octavadecima Anani, filiis et fratribus ejus duodecim.
Nonadecima Mellothi, filiis et fratribus ejus duodecim.
Vigesima Eliatha, filiis et fratribus ejus duodecim.
Vigesimaprima Othir, filiis et fratribus ejus duodecim.
Vigesimasecunda Geddelthi, filiis et fratribus ejus duodecim.
Vigesimatertia Mazioth, filiis et fratribus ejus duodecim.
Vigesimaquarta Romemthiezer, filiis et fratribus ejus duodecim.

[*Cap.* XXVI.] Divisiones autem janitorum : de Coritis Meselemia, filius Core, de filiis Asaph.

Filii Meselemiæ : Zacharias primogenitus, Jadiel secundus, Zabadias tertius, Jathanael quartus, Elam quintus, Johanan sextus, Elioenai septimus.

Filii autem Obededom : Semeias primogenitus, Jozabad secundus. Joaa tertius, Sachar quartus, Nathanaei quintus, Ammiel sextus, Issachar septimus, Phollathi octavus : quia benedixit illi Dominus.

Semei autem filio ejus nati sunt filii, præfecti familiarum suarum : erant enim viri fortissimi.

Filii ergo Semeiæ ; Othni, et Raphael, et Obed, Elzabad, fratres ejus viri fortissimi : Eliu quoque et Samachias.

Omnes hi de filiis Obededom : ipsi, et filii, et fratres eorum fortissimi ad ministrandum, sexaginta duo de Obededom.

Porro Meselemiæ filii, et fratres eorum robustissimi, decem et octo.

De Hosa autem, id est de filiis Merari. Semri princeps (non enim habuerat primogenitum, et idcirco posuerat eum pater ejus in principem) Helctas secundus, Tabelias tertius. Zacharias quartus, Omnes hi filii, et fratres Hosa, tredecim.

Hi divisi sunt in janitores, ut semper principes custodiarum, sicut et fratres eorum, ministrarent in domo Domini.

Missæ sunt autem sortes ex æquo, et parvis, et magnis, per familias suas in unamquamque portarum.

Cecidit ergo sors orientalis, Selemiæ. Porro Zachariæ filio ejus, viro prudentissimo, et erudito, sortito obtigit plaga septentrionalis.

Obededom vero et filius ejus ad austrum : in qua parte domus erat seniorum concilium.

Sophim et Hosa ad occidentem, juxta portam quæ ducit ad viam ascensionis : custodia contra custodiam.

Ad orientem vero Levitæ sex : et ad aquilonem A quatuor per diem, atque ad meridiem similiter in die quatuor : et ubi erat concilium, bini et bini.

In cellulis quoque janitorum ad occidentem quatuor in via : binique per cellulas.

Hæ sunt divisiones janitorum, filiorum Core et Merari :

Porro Athias erat super thesauros domus Dei, et vasa sanctorum.

Filii Ledan, filii Gersonni : de Ledan principes familiarum, Ledan, et Gersonni, Jeieli.

Filii Jeieli : Zethan, et Joel fratres ejus, super thesauros domus Domini.

Amramitis, et Isaaritis, et Hebronitis, et Ozielitis.

Subael autem filius Gersom, filii Mosi præpositus thesauris.

Fratres quoque ejus Eliezer, cujus filius Rahabia, et hujus filius Isaias, et hujus filius Joram, hujus quoque filius Zechri : sed et hujus filius Selemith.

B Ipse Selemith, et fratres ejus, super thesauros sanctorum quæ sanctificavit David rex, et principes familiarum, et tribuni, et centuriones, et duces exercitus, de bellis et manubiis prælіorum, quæ consecraverant ad instaurationem et supellectilem templi Domini.

Hæc autem universa sanctificavit Samuel Videns et Saul filius Cis, et Abner filius Ner, et Joab filius Sarviæ : omnes, qui sanctificaverant ea per manum Selemith, et fratrum ejus.

Isaaritis vero præerat Chonenias, et filii ejus, ad opera forinsecus super Israel, ad docendum et judicandum eos.

Porro de Hebronitis Asabias, et fratres ejus viri fortissimi, mille septingenti, præerant Israeli trans Jordanem contra occidentem, in cunctis operibus Domini, et in ministerium regis.

Hebronitarum autem princeps fuit Jeria, secundum familias et cognationes eorum.

C Quadragesimo anno regni David recensiti sunt, et inventi viri fortissimi in Jazer Galaad, fratresque ejus robustioris ætatis, duo millia septingenti principes familiarum,

Præposuit autem eos David rex Rubenitis, et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse, in omne ministerium Dei et regis.

[*Cap.* XXVII.] Filii autem Israel secundum numerum suum, principes familiarum, tribuni, et centuriones, et præfecti qui ministrabant regi juxta turmas suas, ingredientes et egredientes per singulos menses in anno, viginti quatuor millibus singuli præerant.

Primæ turmæ in primo mense Jesboam præerat filius Zabdiel, et sub eo viginti quatuor millia.

De filiis Phares, princeps cunctorum principum in exercitu mense primo.

Secundi mensis habebat turmam Dudi Ahohites et post se alterum nomine Mecellotæ, qui regebat partem exercitus viginti quatuor millium.

D Dux quoque turmæ tertiæ in mense tertio, erat Banaias filius Joiadæ sacerdos: et in divisione sua viginti quatuor millia.

Ipse est Banaias fortissimus inter triginta, et super triginta, præerat autem turmæ ipsius Amizabad filius ejus.

Quartus, mense quarto, Asael frater Joab, et Zabadias filius ejus post eum: et in turma ejus viginti quatuor millia.

Quintus, mense quinto, princeps Samaoth Jezarites; et in turma ejus viginti quatuor millia.

Sextus, mense sexto, Hira filius Acces Thecuites: et in turma ejus viginti quatuor millia.

Septimus, mense septimo, Helles Phallonites de filiis Ephraim : et in turma ejus viginti quatuor millia.

Octavus, mense octavo, Sobochai Usathithes de stirpe Zarai; et in turma ejus viginti quatuor millia.

Nonus, mense nono, Abiezer Anathothites de filiis Jemini: et in turma ejus viginti quatuor millia.

Decimus, mense decimo, Marai, et ipse Netophathites de stirpe Zarai: et in turma ejus viginti quatuor millia.

Undecimus, mense undecimo, Banaias Pharathonites de filiis Ephraim: et in turma ejus viginti quatuor millia.

Duodecimus, mense duodecimo, Holdai Nethophatites, de stirpe Gothoniel : et in turma ejus viginti quatuor millia.

Porro tribubus præerant Israel, Rubenitis, dux Eliezer filius Zechri :

Simeonitis, dux Saphatias filius Maacha :

Levitis, Asabias filius Camuel :

Aaronitis, Sadoc:

Juda, Eliu frater David :

Issachar, Aniri filius Michael:

Zabulonitis, Jesimaias filius Abdiæ :

Nepthalitibus, Jerimoth filius Oziel :

Filiis Ephraim, Osee filius Ozazin :

Dimidiæ tribui Manasse,Joel filius Phadaiæ ;

Et dimidiæ tribui Manasse in Galaad, Jaddo filius Zachariæ :

Benjamin autem, Jasiel filius Abner.

Bon vero, Ezriel filius Jeroam :

Hi principes filiorum Israel.

Noluit autem David numerare eos a viginti annis inferius: quia dixerat Dominus, ut multiplicaret Israel quasi stellas cœli.

Joab filius Sarviæ cœperat numerare, nec complevit : quia super hoc ira irruerat in Israel : et idcirco numerus eorum qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David.

Super thesauros autem regis fuit Azmoth filius Adiel. His autem thesauris, qui erant in urbibus, et in vicis, et in turribus, præsidebat Jonathan filius Oziæ.

Operi autem rustico, et agricolis qui exercebant terram, præerat Ezri filius Chelub :

Vinearumque cultoribus, Semeias Ramathites : cellis autem vinariis Zabdia Saphonites [1].

Nam super oliveta et ficeta, quæ erant in campestribus, Balanan Gaderites :

Super apothecas autem olei, Joas.

Porro armentis, quæ pascebantur in Saron, præpositus fuit Setrai Saronites :

Et super boves in vallibus, Saphat filius Adli :

Super camelos vero Ubil Ismaelites :

Et super asinos, Jadias Meronathites.

Super oves quoque Jaziz Agareus (*Al.* Agarenus).

Omni hi, principes substantiæ regis David.

Jonathan autem patruus David, consiliarius, vir prudens et litteratus :

Ipse et Jaiel filius Achamoni erant cum filiis regis :

Ahitophel etiam consiliarius regis, et Chusai Arachites amicus regis.

Post Ahitophel fuit Joiada filius Bananiæ, et Abiathar.

Princeps autem exercitus regis erat Joab.

(*Cap.* XXVIII.) Convocavit igitur David omnes principes Israel, duces tribuum, et præpositos turmarum, qui ministrabant regi, tribunos quoque et centuriones, et qui præerant substantiæ et possessionibus regis, filiosque suos cum eunuchis, et potentes, et robustissimos quoque in exercitu Jerusalem.

Cumque surrexisset rex, et stetisset, ait: Audite me, fratres mei, et populus meus. Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, et scabellum pedum Dei nostri: et ad ædificandum, omnia præparavi.

Deus autem dixit mihi: Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator et sanguinem fuderis.

Sed elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israel in sempiternum; de Juda enim elegit principes:

Porro de domo Juda, domum patris mei : et de filiis patris mei, placuit ei ut me eligeret regem super cunctum Israel.

Sed et de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Domini super Israel.

Dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, et atria mea: ipsum enim elegi mihi in filium, et ego ero ei in patrem.

Et firmabo regnum ejus usque in æternum, si perseveravit facere præcepta mea, et judicia, sicut et hodie.

Nunc ergo coram universo cœtu Israel, audiente Domino Deo nostro, custodite et perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri: ut possideatis terram bonam, et relinquatis eam filiis vestris post vos usque in sempiternum.

Tu autem, Salomon fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto et animo voluntario.

Omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit.

Si quæsieris eum, invenies : si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.

Nunc ergo quia elegit te Dominus ut ædificares domum sanctuarii, confortare et perfice.

Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus, et templi, et cellariorum et cœnaculi, et cubiculorum in adytis, et domus propitiationis.

Necnon et omnium quæ cogitaverit atriorum, et exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, et in thesauros sanctorum.

Divisionumque sacerdotalium, et Leviticarum, in omnia opera domus Domini, et in universa vasa ministerii templi Domini.

Aurum in pondere per singula vasa ministerii. Argenti quoque pondus pro vasorum et operum diversitate.

Sed et ad candelabra aurea, et ad lucernam eorum aurum pro mensura uniuscujusque candelabri et lucernarum.

Similiter et in candelabris argenteis, et in lucernis eorum, pro diversitate mensuræ, pondus argenti tradit.

Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diversitate mensarum : similiter et argentum in alias mensas argenteas.

Ad fuscinulas quoque, et phialas, et thuribula ex auro purissimo,et leunculos aureos [2],pro qualitate mensuræ pondus distribuit in leunculum et leunculum.

Similiter et in leones argenteos diversum argenti pondus separavit.

Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit: ut ex ipso fieret similitudo quadrigæ cherubim, extendentium alas, et velantium arcam fœderis Domini.

[1] Sic Regius atque Colbertinus Aniciensis prima manu: alii cum editis legunt *Zabdias Aphonites*, quod errore librariorum fluxisse videtur qui *s* litteram ultimam *Zabdius* cum initio sequentis *Aphonites* copulare debebant. In Hebræo hodierno scriptum est זבדי חשכמי *Zabdi Assiphmi*, quibus dam litteris mutatis et permixtis. MART.

[2] Legitur vero in Hebraico exemplari כפור, quod nomen Chaldaicæ potius originis, quam Hebræa, ubi apud Esdram bis occurrit c. 2 et 8 ab ipso vulgato interprete in *Craterem* vertitur. At enim Hieronymus levi unius litterulæ ר in ך quæ sola magnitudine differunt, mutatione, legit כפור, et *leunculos* interpretatur.

Omnia inquit, venerunt scripta manum Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.

Dixit quoque David Salomoni filio suo : Viriliter age, et confortare, et fac : ne timeas, et ne paveas :

Dominus enim Deus meus tecum erit,et non dimittet te, nec derelinquet, donec perficias omne opus ministerii domus Domini.

Ecce divisiones sacerdotum et Levitarum, in omne ministerium domus Domini assistunt tibi,et parati sunt,et noverunt tam principes quam populus facere omnia præcepta tua.

[*Cap.* XXIX.] Locutusque est David rex ad omnem ecclesiam, Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum, et tenellum : opus autem grande est,neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.

Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus Dei mei. Aurum ad vasa aurea, et argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna, ad lignea; lapides onychinos, et quasi stibinos, et diversorem colorum, omnem pretiosum lapidem, et marmor Parium abundantissime.

Et super hæc, quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum et argentum, do in templum Dei mei exceptis his,quæ præparavit in ædem sanctam.

Tria millia talenta auri de auro Ophir, et septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes templi.

Et ubicunque opus est aurum de auro, et ubicunque opus est argentum de argento, opera fiant per manus artificum :

Et si quis sponte offert, impleat manum suam hodie, et offerat quod voluerit Domino.

Polliciti sunt itaque principes familiarum,et proceres tribuum Israel, tribuni quoque, et centuriones, et principes possessionum regis.

Dederuntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, et solidos decem millia, argenti talenta decem millia, et æris talenta decem et octo millia; ferri quoque centum millia talentorum.

Et apud quemcunque inventi sunt lapides,dederunt in thesaurum domus Domini,per manum Jeiel Gersonitis.

Lætatusque est populus, cum vota sponte promitterent : quia corde toto offerebant ea Domino.

Sed et David rex lætatus est gaudio magno, et benedixit Domino coram universa multitudine, et ait :

Benedictus es, Domine Deus Israel patris nostri ab æterno in æternum.

Tua est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria, et tibi laus.

Cuncta enim quæ in cœlo sunt, et in terra, tua sunt, tuum, Domine, regnum. et tu es super omnes principes.

Tuæ divitiæ, et tua est gloria, tu dominaris omnium, in manu tua virtus et potentia,in manu tua magnitudo et imperium omnium.

Nunc igitur, Deus noster, confitemur tibi,et laudamus nomen tuum inclytum.

Quis ego,et quis populus meus,ut possimus hæc tibi universa promittere?

Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.

Peregrini enim sumus coram te,et advenæ,sicut omnes patres nostri.

Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora.

Domine Deus noster,omnis hæc copia, quam paravimus ut ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, et tua sunt omnia.

Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas, unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc.

Et populum tuum,qui hic repertus est,vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria.

Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum,et semper in venerationem tui mens ista permaneat.

Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, ut custodiat mandata tua, testimonia tua,et cæremonias tuas, et faciat universa, et ædificet ædem, cujus impensas paravi.

Præcepit autem David universæ Ecclesiæ : Benedicite Domino Deo nostro.

Et benedixit omnis Ecclesia Domino Deo patrum suorum, et inclinaverunt se,et adoraverunt Deum, et deinde regem.

Immolaveruntque victimas Domino, et obtulerunt holocausta die sequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille cum libaminibus suis, et universo ritu abundantissime in omnem Israel :

Et comederunt,et biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia.

Et unxerunt secundo Salomonem filium David.

Unxerunt autem Domino in principem, et Sadoc in pontificem.

Seditque Salomon super solium Domini in regem pro David patre suo, et cunctis placuit, et paruit illi omnis Israel.

Sed et universi principes, et potentes, et cuncti filii regis David dederunt manum, et subjecti fuerunt Salomoni regi.

Magnificavit ergo Dominus Salomonem super omnem Israel, et dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israel.

Igitur David filius Issi regnavit super universum Israel. Et dies, quibus regnavit super Israel, fuerunt quadraginta anni :

In Hebron regnavit septem annis, et in Jerusalem annis triginta tribus,

Et mortuus est in senectute bona.plenus dierum, et divitiis, et gloria. Regnavitque Salomon filius ejus pro eo.

Gesta autem David regis priora, et novissima, scripta sunt in libro Samuel Videntis, et in libro Nathan prophetæ,atque in volumine Gad Videntis, universique regni ejus,et fortitudinis,et temporum, quæ transierunt sub eo,sive in Israel, sive in cunctis regnis terrarum.

[*Lib.* II. — *Cap.* I.] Confortatus est ergo Salomon filius David in regno suo, et Dominus Deus ejus [1] erat cum eo, et magnificavit eum, in excelsum.

Præcepitque Salomon universo Israeli, tribunis, et centurionibus, et ducibus, et judicibus omnis Israel, et principibus familiarum.

Et abiit cum universa multitudine in excelsum Gabaon, ubi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moses famulus Dei in solitudine.

Arcam autem Dei adduxerat David de Cariathlarim, in locum quem paraverat ei, et ubi fixerat illi tabernaculum, hoc est in Jerusalem.

Altare quoque æneum, quod fabricatus fuerat Beseleei filius Uri filii Ur, ibi erat coram tabernaculo Domini, quod et requisivit Salomon,et omnis ecclesia.

Ascenditque Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, et obtulit in eo mille hostias.

Ecce autem in ipsa nocte apparuit ei Deus dicens : Postula quod vis, ut dem tibi.

[1] In mss. codicibus omissa sunt duo hæc verba *Deus ejus*, quæ tamen leguntur in Hebræorum voluminibus. MART.

Dixitque Salomon Deo : Tu fecisti cum David patre meo misericordiam magnam, et constituisti me regem pro eo.

Nunc igitur,Domine Deus,impleatur sermo tuus quem pollicitus es David patri meo :

Tu enim me fecisti regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est, quam pulvis terræ.

Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut egrediar coram populo tuo, et ingrediar :

Quis enim potest hunc populum tuum digne,qui tam grandis est, judicare?

Dixit autem Deus ad Salomonem : Quia hoc magis placuit cordi tuo, et non postulasti divitias, et substantiam, et gloriam,neque animam eorum qui te oderant, sed nec dies vitæ plurimos, petisti autem sapientiam et scientiam, ut judicare possis populum meum, super quem constitui te regem : Sapientia et scientia data sunt tibi :

Divitias autem, et substantiam, et gloriam dabo tibi :

Ita ut nullus in regibus, nec ante te, nec post te fuerit similis tui.

Venit ergo Salomon ab Excelso Gabaon in Jerusalem coram tabernaculo fœderis,et regnavit super Israel.

Congregavitque sibi currus et equites, et facti sunt ei mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum;et fecit eos esse in urbibus quadrigarum, et cum rege in Jerusalem.

Præbuitque rex argentum et aurum in Jerusalem quasi lapides, et cedros quasi sycomoros,quæ nascuntur in campestribus multitudine magna.

Adducebantur autem ei equi de Ægypto et de Coa, a negotiatoribus regis, qui ibant, et coemebant pretio, quadrigam equorum sexcenti argenteis, et equum centum quinquaginta.

Similiter de universis regnis Hetthæorum, et a regibus Syriæ, emptio celebrabatur.

(*Cap.*II.) Decrevit autem Salomon ædificare domum nomini Domini, et palatium sibi.

Et numeravit septuaginta millia virorum portantium humeris,et octoginta millia qui cæderent lapides in montibus, præpositosque eorum tria millia sexcentos.

Misit quoque ad Huram regem Tyri, dicens : Sicut egisti cum David patre meo, et misisti ei ligna cedrina ut ædificaret sibi domum, in qua et habitavit : sic fac mecum, ut ædificem domum nomini Domini Dei mei, et consecrem eam ad adolendum incensum coram illo, et fumiganda aromata, et ad propositionem panum sempiternam, et ad holocautomata mane et vespere, sabbatis quoque, et neomeniis et solemnitatibus Domini Dei nostri in sempiternum, quæ mandata sunt Israeli.

Domus autem, quam ædificare cupio, magna est, magnus est enim Deus noster super omnes deos.

Quis ergo poterit prævalere, ut ædificet ei dignam domum?

Si cœlum et cœli cœlorum capere eum non queunt, quantus ego sum, ut possim ædificare ei domum?

Sed ad hoc tantum, ut adoleatur incensum coram illo.

Mitte igitur mihi virum eruditum, qui noverit operari in auro, et argento, ære, ferro, purpura, coccino, et hyacintho, et qui sciat sculpere cælaturas [1], cum his artificibus, quos mecum habeo in Judæa et Jerusalem, quos præparavit David pater mens.

Sed et ligna cedrina mitte mihi, et arcen thina, et pinea, de Libano, scio enim quod servi tui noverint cædere ligna de Libano.

Et erunt servi mei cum servis tuis, ut parentur mihi ligna plurima.

Domus enim, quam cupio ædificare, magna est nimis, et inclyta.

Præterea operariis, qui cæsuri sunt ligna, servis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, et hordei coros totidem, et vini viginti millia metretas, olei quoque sata viginti millia.

Dixit autem Huram rex Tyri per litteras, quas miserat Salomoni :

Quia dilexit Dominus populum suum, idcirco te regnare fecit super eum.

Et addidit dicens : Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cœlum et terram, qui dedit David rege filium sapientem et eruditum et sensatum atque prudentem, ut ædificaret domum Domino, et palatium sibi.

Misi ergo tibi virum prudentem et scientissimum Huram, patrem meum, filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater Tyrius fuit, qui novit operari in auro, et argento, ære, et ferro, et marmore, et lignis, in purpura quoque, et hyacintho, et bysso, et coccino, et qui scit cælare omnem sculpturam, et adinvenire prudenter quodcunque in opere necessarium est, cum artificibus tuis et cum artificibus domini mei David patris tui.

Triticum ergo, et hordeum, et oleum, et vinum, quæ pollicitus es, domine mi, mitte servis tuis.

Nos autem cædemus ligna de Libano, quot necessaria habueris, et applicabimus ea ratibus per mare in Joppe; tuum erit transferre ea in Jerusalem.

Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post dinumerationem,quam dinumeravit David pater ejus et inventi sunt centum quinquaginta millia, et tria millia sexcenti.

Fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent, et octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent,tria millia autem et sexcentos propositos operum populi.

[*Cap.* III.] Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus,in loco quem paraverat David in arca Ornam Jebusæi.

Cœpit autem ædificare mense secundo, anno quarto regni sui.

Et hæc sunt fundamenta, quæ jecit Salomon, ut ædificaret domum Dei longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta latitudinis cubitos viginti.

Porticum vero ante frontem, quæ tendebatur in longum juxta mensuram latitudinis domus,cubitorum viginti, porro altitudo centum viginti cubitorum erat, et deauravit eam intrinsecus auro mundissimo.

Domum quoque majorem texit tabulis ligneis abiegnis, et laminas auri obrizi affixit per totum : sculpsitque in ea palmas, et quasi catenulas se invicem complectentes.

Stravit quoque pavimentum templi pretiosissimo marmore, decore multo.

Porro aurum erat probatissimum,de cujus laminis texit domum, et trabes ejus, et postes, et parietes, et ostia, et cælavit cherubim in parietibus.

Fecit quoque domum Sancti sanctorum ; longitudinem juxta latitudinem domus,cubitorum viginti, et latitudinem similiter viginti cubitorum,et laminis aureis texit eam, quasi talentis sexcentis.

Sed et clavos fecit aureos, ita ut singuli clavi

[1] Canon Memmianus eum aliquot mss., *sculpere cælata*. De Canone Carcassonensi nihil deinceps dicetur, quia non perfecimus ejusdem collationem nisi ad secundum librum Paralipomenon. MART.

siclos quinquagenos appenderent: cœnacula quoque texit auro.

Fecit etiam in domo Sancti sanctorum cherubim duos, opere statuario : et texit eos auro.

Alæ cherubim viginti cubitis extendebantur : ita ut una ala haberet cubitos quinque, et tangeret parietem domus : et altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius cherub.

Similiter cherub alterius ala quinque habebat cubitos, et tangebat parietem : et ala ejus altera quinque cubitorum alam cherub alterius contingebat.

Igitur alæ utriusque cherubim expansæ erant, et extendebantur per cubitos viginti, ipsi autem stabant erectis pedibus et facies eorum versæ erant ad exteriorem domum.

Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, et bysso : et intextuit ei cherubim.

Ante fores etiam templi durs columnas, quæ triginta et quinque cubitos habebant altitudinis : B Porro capita earum quinque cubitorum.

Necnon et quasi catenulas in oraculo, et superposuit eas capitibus columnarum : malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit.

Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, unam a dextris, et alteram a sinistris : eam quæ a dextris erat, vocavit Jahin, et quæ ad lævam, Booz.

[*Cap.* IV.] Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, et viginti cubitorum latitudinis, et decem cubitorum altitudinis.

Mare etiam fusile decem cubitis a labio usque ad labium, rotundum, per circuitum : quinque cubitos habebat altitudinis, et funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum ejus.

Similitudo quoque boum erat subter illud, et decem cubitis quædam extrinsecus cælaturæ, quasi duobus versibus alvum maris circumibant. Boves autem erant fusiles :

Et ipsum mare super duodecim boves impositum C erat, quorum tres respiciebant ad aquilonem, et alii tres ad occidentem : porro tres alii meridiem, et tres qui reliqui erant, orientem, mare habentes superpositum : posteriora autem boum erant intrinsecus sub mari.

Porro vastitas ejus habebat mensuram palmi, et erat labium illius quasi labium calicis, vel repandi lilii : capiebatque mensuræ tria millia metretas.

Fecit quoque conchas decem : et posuit quinque a dextris, et quinque a sinistris, ut lavarent in eis omnia quæ in holocaustum oblaturi erant :

Porro in mari sacerdotes lavabantur.

Fecit autem et candelabra aurea decem, secundum speciem qua jussa erant fieri : et posuit ea in templo, quinque a dextris, et quinque a sinistris :

Necnon et mensas decem : posuitque eas in templo, quinque a dextris, et quinque a sinistris :

Phialas quoque aureas centum.

Fecit etiam atrium sacerdotum, et basilicam D grandem : et ostia in basilica, quæ texit ære.

Porro mare posuit in latere dextro contra orientem ad meridiem.

Fecit autem Hiram lebetes, et creagras, et phialas : et complevit omne opus regis in domo Dei :

Hoc est, columnas duas, et epistylia, et capita, et quasi quædam retiacula, quæ capita tegerent super epistylia.

Malogranata quoque quadraginta, et retiacula duo, ita ut bini ordines malogranatorum singulis retiaculis jungerentur, quæ protegerent epistylia et capita columnarum.

Bases etiam fecit, et conchas, quas superposuit basibus.

Mare unum, boves quoque duodecim sub mari.

Et lebetas, et creagras, et phialas. Omnia vasa fecit Salomoni Hiram pater ejus in domo Domini ex ære mundissimo.

In regione Jordanis fudit ea rex in argillosa A terra, inter Sochot et Saredatha.

Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita ut ignoraretur pondus æris.

Fecitque Salomon omni vasa domus Dei, et altare aureum, et mensas, et super eas panes propositionis :

Candelabra quoque cum lucernis suis, ut lucerent ante oraculum juxta ritum, ex auro purissimo :

Et florentia quædam, et lucernas, et forcipes aureos : omnia de auro mundissimo facta sunt·

Thymiamateria quoque, et thuribula, et phialas, et mortariola, ex auro purissimo.

Et ostia cælavit templi interioris, id est, in Sancto sanctorum ; et ostia templi forinsecus aurea.

Sicque completum est omne opus, quod fecit Salomon in domo Domini.

[*Cap.* V.] Intulit igitur Salomon omnia quæ voverat David pater suus, argentum, et aurum, et universa vasa in thesauris domus Dei. B

Post quæ congregavit majores natu Israel, et cunctos principes tribuum, et capita familiarum de filiis Israel in Jerusalem, ut adducerent arcam fœderis Domini de civitate David, quæ est Sion.

Venerunt igitur ad regem omnes viri Israel in die solemni mensis septimi.

Cumque venissent cuncti seniorum Israel portaverunt Levitæ arcam, et intulerunt eam, et omnem paraturam tabernaculi.

Porro vasa sanctuarii, quæ erant in tabernaculo, portaverunt sacerdotes cum Levitis.

Rex autem Salomon, et universus cœtus Israel, et omnes qui fuerant congregati ante arcam, immolabant arietes, et boves absque ullo numero : tanta enim erat multitudo victimarum.

Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est ad oraculum templi, in Sancta sanctorum subter alas cherubim : ita ut cherubim expanderent alas suas super locum in C quo posita erat arca, et ipsam arcam tegerent cum vectibus ejus.

Vectium autem, quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum : si vero quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat.

Fuit itaque arca ibi usque in præsentem diem :

Nihilque erat aliud in arca, nisi duæ tabulæ, quas posuerat Moses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israel egredientibus ex Ægypto.

Egressis autem sacerdotibus de sanctuario : omnes enim sacerdotes, qui ibi potuerant inveniri, sanctificati sunt :

Nec adhuc in illo tempore vices, et ministeriorum ordo inter eos divisus erat.

Tam Levitæ quam cantores, id est, et qui sub Asaph erant, et qui sub Eman, et qui sub Idithun, filii, et fratres eorum, vestiti byssinis, cymbalis, et psalteriis et citharis concrepabant, stantes ad D orientalem plagam altaris, et cum eis sacerdotes centum viginti canentes tubis.

Igitur cunctis pariter, et tubis, et voce, et cymbalis, et organis, et diversi generis musicorum concinentibus, et vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur ;

Ita ut eum Dominum laudare cœpissent et dicere : Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus, impleretur domus Dei nube, nec possent sacerdotes stare, et ministrare propter caliginem.

Compleverat enim gloria Domini domum Dei.

[*Cap.* VI.] Tunc Salomon ait : Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine : ego autem ædificavi domum nomini ejus, ut habitaret ibi in perpetuum.

Et convertit rex faciem suam, et benedixit universæ multitudini Israel, nam omnis turba stabat intenta, et ait :

Benedictus Dominus Deus Israel, qui quod locutus est David patri meo, opere complevit, dicens:

A die, qua eduxi populum meum de terra Ægypti, non elegi civitatem de cunctis tribubus Israel, ut ædificaretur in ea domus nomini meo:

Neque elegi quemquam alium virum, ut esset dux in populo meo Israel;

Sed elegi Jerusalem, ut sit nomen meum in ea, et elegi David ut constituerem eam super populum meum Israel:

Cumque fuisset voluntatis David patris mei, ut ædificaret domum nomini Domini Dei Israel, dixit Dominus ad eum: Quia hæc fuit voluntas tua, ut ædificares domum nomini meo, bene quidem fecisti voluntatem habere hujuscemodi: sed non tu ædificabis domum: verum filius tuus qui egredietur de lumbis tuis, ipse ædificabit domum nomini meo.

Complevit ergo Dominus sermonem suum, quem locutus fuerat: et ego surrexi pro David patre meo, et sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus: et ædificavi domum nomini Domini Dei Israel.

Et posui in ea arcam, in qua est pactum Domini, quod pepigit cum filiis Israel.

Stetit ergo coram altari Domini ex adverso universæ multitudinis Israel, et extendit manus suas.

Siquidem fecerat Salomon basim æneam, et posuerat eam in medio basilicæ, habentem quinque cubitos latitudinis, et quinque cubitos latitudinis, et tres cubitos altitudinis.

Stetitque super eam: et deinceps flexis genibus contra universam multitudinem Israel, et palmis in cœlum levatis ait:

Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cœlo et in terra: qui custodis pactum et misericordiam cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo:

Qui præstitisti servo tuo David patri meo quæcunque locutus fueras ei: et quæ ore promiseras, opere complesti, sicut et præsens tempus probat.

Nunc ergo, Domine Deus Israel, imple servo tuo patri meo David quæcunque locutus es, dicens: Non deficiet ex te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint in lege mea, sicut et tu ambulasti coram me.

Et nunc, Domine Deus Israel, firmetur sermo tuus, quem locutus es servo tuo David.

Ergone credibile est ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si cœlum et cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificavi?

Sed ad hoc tantum facta est, ut respicias orationem servi tui, et obsecrationem ejus Domine Deus meus: et audias preces, quas fundit famulus tuus coram te, ut aperias oculos tuos super domum istam diebus et noctibus, super locum in quo pollicitus es ut invocaretur, nomen tuum, et exaudires orationem, quam servus tuus orat in eo: et exaudias preces famuli tui et populi tui Israel.

Quicunque oraverit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, id est de cœlis, et propitiare.

Si peccaverit quispiam in proximum suum, et jurare contra eum paratus venerit, seque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista: tu audies de cœlo, et facies judicium servorum tuorum: ita ut reddas iniquo viam suam in caput proprium, et ulcicaris justum, retribuens ei secundum justitiam suam.

Si superatus fuerit populus tuus Israel ab inimicis (peccabunt enim tibi), et conversi egerint pœnitentiam, et obsecraverint nomen tuum, et fuerint deprecati in loco isto, tu exaudi de cœlo, et propitiare peccato populi tui Israel, et reduc eos in terram quam dedisti eis et patribus eorum.

Si, clauso cœlo, pluvia non fluxerit propter peccata populi, et deprecati te fuerint in loco isto, et confessi nomine tuo, et conversi a peccatis suis, cum eos afflixeris, exaudi de cœlo, Domine, et dimitte peccata servis tuis et populi tui Israel, et doce eos viam bonam, per quam ingredientur: et da pluviam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum.

Fames si orta fuerit in terra, et pestilentia, ærugo, et aurugo, et locusta, et bruchus, et hostes, vastatis regionibus, portas obsederint civitatis, omnisque plaga et infirmitas presserit: si quis de populo tuo Israel fuerit deprecatus, cognoscens plagam et infirmitatem suam, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudi de cœlo, de sublimi scilicet habitaculo tuo, et propitiare, et redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo:

Tu enim solus nosti corda filiorum hominum.

Ut timeant te, et ambulent in vii tuis cunctis diebus quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris.

Externum quoque, qui non est de populo tuo Israel, si venerit de terra longinqua, propter nomen tuum magnum, et propter manum tuam robustam, et brachium tuum extentum, et oraverit in loco isto, tu exaudies de cœlo firmissimo habitaculo tuo, et facies cuncta, pro quibus invocaverit te ille peregrinus: ut sciant omnes populi terræ nomen tuum. et timeant te sicut populus tuus Israel, et cognoscant quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi.

Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra adversarios suos per viam in qua miseris eos, adorabunt te contra viam, in qua civitas hæc est, quam elegisti, et domus, quam ædificavi nomini tuo: tu exaudies de cœlo preces eorum, et obsecrationem, et ulciscaris.

Si autem peccaverint tibi (neque enim est homo qui non peccet) et iratus fueris eis, et tradideris hostibus, et captivos eos duxerint in terram longinquam, vel certe quæ juxta est, et conversi in corde suo, in terra, ad quam captivi ducti fuerant, egerint pœnitentiam, et deprecati te fuerint in terra captivitatis suæ, dicentes: Peccavimus, inique egimus, injuste gessimus: et reversi fuerint ad te in toto corde suo, et in tota anima sua, in terra captivitatis suæ, ad quam ducti sunt, adorabunt te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum et urbis, quam elegisti, et domus quam ædificavi nomini tuo:

Tu exaudies de cœlo, hoc est de firmo habitaculo tuo, preces eorum, et facias judicium, et dimittas populo tuo, quamvis peccatori:

Tu es enim Deus meus: aperiantur, quæso, oculi tui, et aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto.

Nunc igitur consurge, Domine Deus, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ:

Sacerdotes tui, Domine Deus, induantur salutem, et sancti tui lætentur in bonis.

Domine Deus, ne averteris faciem christi tui: memento misericordiarum David servi tui.

[*Cap.* VII.] Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devoravit holocausta et victimas: et majestas Domini implevit domum.

Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset majestas Domini templum Domini.

Sed et omnes filii Israel videbant descendentem ignem, et gloriam Domini super domum:

Et corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt et laudaverunt Dominum: Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.

Rex autem, et omnis populus, immolabant victimas coram Domino.

Mactavit igitur rex Salomon hostias, boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia : et dedicavit domum Dei rex, et universus populus.

Sacerdotes autem stabant in officiis suis : et Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David rex ad laudandum Dominum : Quoniam in æternum misericordia ejus, hymnos David canentes per manus suas.

Porro sacerdotes canebant tubis ante eos, cunctusque Israel stabat.

Sanctificavit quoque Salomon medium atrii ante templum Domini obtulerat enim ibi holocausta et adipes pacificorum ; quia altare æneum, quod fecerat, non poterat sustinere holocausta et sacrificia et adipes.

Fecit ergo Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus, et omnis Israel cum eo, ecclesia magna valde, ab introitu Emath usque ad torrentem Ægypti.

Fecitque die octavo collectam, eo quod dedicasset altare septem diebus, et solemnitatem celebrasset diebus septem.

Igitur in die vicesimo tertio mensis septimi dimisit populos ad tabernacula sua, lætantes atque gaudentes super bono quod fecerat Dominus Davidi, et Salomoni, et Israeli populo suo.

Complevitque Salomon domum Domini, et domum regis, et omnia quæ disposuerat in corde suo, ut faceret in domo Domini, et in domo sua, et prosperatus est.

Apparuit autem ei Dominus nocte, et ait : Audivi orationem tuam, et elegi locum istum mihi in domum sacrificii.

Si clausero cœlum, et pluvia non fluxerit, et mandavero et præcepero locustæ, ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum :

Conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit pœnitentiam a viis suis pessimis :

Et ego exaudiam de cœlo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum,

Oculi quoque mei erunt aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.

Elegi enim, et sanctificavi locum istum ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus.

Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit David pater tuus, et feceris juxta omnia quæ præcepi tibi : et justitias meas judiciaque servaveris :

Suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum David patri tuo, dicens : Non auferetur de stirpe tua vir, qui sit princeps in Israel.

Si autem aversi fueritis, et dereliqueritis justitias meas, et præcepta mea, quæ proposui vobis, et abeuntes servieritis diis alienis, et adoraveritis eos, evellam vos de terra mea, quam dedi vobis :

Et domum hanc, quam sanctificavi nomini meo, projiciam a facie mea, et tradam eam in parabolam, et in exemplum cunctis populis.

Et domus ista erit in proverbium universis transeuntibus, et dicent stupentes : Quare fecit Dominus sic terræ huic et domui huic ?

Respondebuntque : Quia dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxit eos de terra Ægypti, et apprehenderunt deos alienos, et adoraverunt eos, atque coluerunt :

Idcirco venerunt super eos universa hæc mala,

[*Cap.* VIII.] Expletis autem viginti annis, postquam ædificavit Salomon domum Domini et domum suam : civitates, quos dederat Hiram Salomoni, ædificavit, et habitare ibi fecit filios Israel.

Abiit quoque in Emat Suba, et obtinuit eam.

Et ædificavit Palmiram in deserto, et alias civitates munitissimas ædificavit in Emath.

Exstruxitque Bethoron superiorem, et Bethoron inferiorem, civitates muratas habentes portas, et vectes et seras :

Balaath etiam et omnes urbes firmissimas, quæ fuerunt Salomonis, cunctosque urbes quadrigarum, et urbes equitum : omnia quæ voluit Salomon atque disposuit, ædificavit in Jerusalem, et in Libano, et in universa terra potestatis suæ.

Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hetthæis, Amorrhæis, et Pherezæis, et Evæis, et Jebusæis, qui non erant de stirpe Israel : de filiis eorum, et de posteris, quos non interfecerant filii Israel, subjugavit Salomon in tributarios, usque in diem hanc.

Porro de filiis Israel non posuit, ut servirent operibus regis ; ipsi enim erant viri bellatores, et duces primi, et principes quadrigarum et equitum ejus.

Omnes autem principes exercitus regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum.

Filiam vero Pharaonis transtulit de civitate David, in domum quam ædificaverat ei. Dixit enim :

Non habitabit uxor mea in domo David regis Israel eo quod sanctificata sit : quia ingressa est eam arca, Domini.

Tunc obtulit Salomon holocausta Domini super altare Domini, quod exstruxerat ante porticum, ut per singulos dies offerretur in ea juxta præceptum Mosi in Sabbatis et in kalendis, et in festis diebus, ter per annum, id est, in solemnitate Azymorum, et in solemnitate Hebdomadarum, et in solemnitate Tabernaculorum.

Et constituit juxta dispositionem David patris sui officia sacerdotum in ministeriis suis :

Et Levitas in ordine suo, ut laudarent et ministrarent coram sacerdotibus, juxta ritum uniuscujusque diei :

Et janitores in divisionibus suis per portam et portam : sic enim præceperat David homo Dei.

Nec prætergressi sunt de mandatis regis, tam sacerdotes quam Levitæ, ex omnibus quæ præceperat, et in custodiis thesaurorum.

Omnes impensas præparatas habuit Salomon, ex eo die quo fundavit domum Domini, usque in diem quo perfecit eam.

Tunc abiit Salomon in Asiongaber, et in Ailath ad oram maris Rubri, quæ est terra Edom.

Misit autem ei Huram per manus servorum suorum naves, et nautas gnaros maris, et abierunt cum servis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, et attulerunt ad regem Salomonem.

[*Cap.* IX.] Regina quoque Saba, cum audisset famam Salomonis, venit ut tentaret eum in ænigmatibus, in Jerusalem, cum magnis opibus, et camelis qui portabant aromata, et auri plurium, gemmasque pretiosas.

Cumque venisset ad Salomonem, locuta est ei quæcunque erant in corde suo.

Et exposuit ei Salomon omnia quæ proposuerat : nec quidquam fuit, quod ei non perspicuum fecerit.

Quod postquam vidit, sapientiam scilicet Salomonis et domum quam ædificaverat, nec non escibaria mensæ ejus, et habitacula servorum, et officia ministrorum ejus, et vestimenta eorum pincernas quoque et vestes eorum, victimas quas immolabat in domo Domini : non erat præ stupore ultra in ea spiritus.

Dixitque ad regem : Verus sermo quem audieram in terra mea de virtutibus et sapientia tua.

Non credebam narrantibus, donec ipsa venissem, et vidissent oculi mei, et probassem, vix medietatem sapientiæ tuæ mihi fuisse narratam : vicisti famam virtutibus tuis.

Beati viri tui, et beati servi tui : hi qui assistunt coram te in omni tempore, et audiunt sapientiam tuam.

Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te

ordinare super thronum suum, regem Domini Dei tui.

Quia diligit Deus Israel, et vult servare eum in æternum, idcirco posuit te super eum regem, ut facias judicia atque justitiam.

Dedit autem regi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosissimas :

Non fuerunt aromata talia ut hæc quæ dedit regina Saba regi Salomonis.

Sed et servi Huram cum servis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, et ligna thyina, et gemmas pretiosissimas : de quibus fecit rex, de lignis scilicet thyinis, gradus in domo Domini, et in domo regia, citharas quoque, et psalteria cantoribus :

Nunquam visa sunt in terra Juda ligna talia.

Rex autem Salomon dedit reginæ Saba cuncta quæ voluit et quæ postulavit, multo plura quam attulerat ad eum :

Quæ reversa, abiit in terram suam cum servis suis. B

Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcenta sexaginta sex talenta auri : excepta ea summa quam legati diversarum gentium, et negotiatores afferre consueverant, omnesque reges Arabiæ, et satrapæ terrarum, qui comportabant aurum et argentum Salomoni.

Fecit igitur rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in hastis singulis expendebantur.

Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur scuta singula ;

Posuitque ea rex in armentario quod erat consitum nemore.

Fecit quoque rex solium eburneum grande, et vestivit illud auro mundissimo. Sexque gradus, quibus ascendebatur ad solium, et scabellum aureum, et brachiola duo altrinsecus, et duos leones stantes juxta brachiola : sed et alios duodecim leunculos stantes super sex gradus ex utraque parte : C

Non fuit tale solium in universis regnis.

Omnia quoque vasa convivii regis erant aurea, et vasa domus saltus Libani ex auro purissimo,

Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur.

Siquidem naves regis ibant in Tharsis cum servis Huram, semel in annis tribus, et deferebant inde aurum et argentum, et ebur, et simias, et pavos.

Magnificatus est igitur Salomon super omnes reges terræ divitiis et gloria.

Omnesque reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam quam dederat Deus in corde ejus.

Et deferebant ei munera, vasa argentea, et aurea, et vestes, et arma, et aromata, equos, et mulos, per singulos annos.

Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, et curruum equitumque duodecim millia, constituitque eos in urbibus quadrigarum, et ubi erat rex in Jerusalem. D

Exercuit etiam potestatem super cunctos reges, a flumine Euphrate usque ad terram Philisthinorum, et usque ad terminos Ægypti.

Tantamque copiam præbuit argenti in Jerusalem quasi lapidum ; et cedrorum tantam multitudinem velut sycomorum, quæ gignuntur in campestribus.

Adducebantur autem ei equi de Ægypto, cunctisque regionibus.

Reliqua autem operum Salomonis priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Jaddo Videntis, contra Jeroboam filium Nabat.

Regnavit autem Salomon in Jerusalem super omnem Israel quadraginta annis.

Dormivitque cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David : regnavitque pro eo Roboam filius ejus.

[*Cap.* X.] Profectus est autem Roboam in Sichem : illuc enim cunctus Israel convenerat, ut constituerent eum regem.

Quod cum audisset Jeroboam filius Nabat, qui erat in Ægypto (fugerat quippe illuc ante Salomonem), statim reversus est.

Vocaveruntque eum, et venit cum universo Israel, et locuti sunt Roboam, dicentes :

Pater tuus durissimo jugo nos pressit, tu leviora impera patre tuo, qui nobis gravem imposuit servitutem, et paululum de onere subleva, ut serviamus tibi.

Qui ait : Post tres dies revertimini ad me.

Cumque abisset populus, iniit consilium cum senibus, qui steterant coram patre ejus Salomone dum adhuc viveret, dicens : Quid datis consilii, ut respondeam populo ?

Qui dixerunt ei : Si placueris populo huic, et lenieris eos verbis clementibus, servient tibi omni tempore.

At ille reliquit consilium senum, et cum juvenibus tractare cœpit, qui cum eo nutriti fuerant, et erant in comitatu illius.

Dixitque ad eos : Quid vobis videtur ? vel respondere quid debeo populo huic, qui dixit mihi : Subleva jugum quod imposuit nobis pater tuus ?

At illi responderunt ut juvenes, et nutriti cum eo in deliciis, atque dixerunt :

Sic loqueris populo, qui dixit tibi : Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu subleva, et sic respondebis ei.

Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei. Pater meus imposuit vobis jugum grave, et ego majus pondus apponam : pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus.

Venit ergo Jeroboam, et universus populus, ad Roboam die tertio, sicut præceperat eis.

Responditque rex dura, derelicto consilio seniorum : locutusque est juxta juvenum voluntatem. Pater meus grave vobis imposuit jugum, quod ego gravius faciam : pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionionibus.

Et non acquievit populi precibus : erat enim voluntatis Dei, ut compleretur sermo ejus, quem locutus fuerat per manum Ahiæ Silonitis ad Jeroboam filium Nabat.

Populus autem universus, rege duriora dicente, sic locutus est ad eum :

Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai, Revertere in tabernacula tua Israel, tu autem pasce domum tuam David.

Et abiit Israel in tabernacula sua.

Super filios autem Israel, qui habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam.

Misitque rex Roboam Aduram, qui præerat tributis, et lapidaverunt eum filii Israel, et mortuus est.

Porro rex Roboam currum festinavit ascendere, et fugit in Jerusalem.

Recessitque Israel a domo David, usque ad diem hanc [1].

[1] Biblia quædam impressa annis 1478, 1489 et 1521, tum alia secutis temporibus, et præsertim Nivelliana Parisiis 1575, denique et mss. quidam codices, teste P. Calmeto, subjungunt hic pericopem e III Regnum cap. XII, 20, derivatam : *Factum est autem cum audisset omnis Israel quod reversus esset Jeroboam, miserunt et vocaverunt eum congregato cœtu, et constituerunt eum regem super omnem Israel, nec secutus est quisquis domum David, præter domum Juda solam.* Quæ et Lyranus in suo legit exemplari : tametsi originales textus ea plane ignorent.

(*Cap.* XI.) Venit autem Roboam in Jerusalem, et convocavit universam domum Juda et Benjamin, centum octoginta millia electorum atque bellantium, ut dimicaret contra Israel, et converteret ad se regnum suum.

Factusque est sermo Domini ad Semeiam hominem Dei, dicens : Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, et ad universum Israel, qui est in Juda et Benjamin :

Hæc dicit Dominus : Non ascendetis, neque pugnabitis contra fratres vestros : revertatur unusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate.

Qui cum audissent sermonem Domini, reversi sunt, nec perrexerunt contra Jeroboam.

Habitavit autem Roboam in Jerusalem, et ædificavit civitates muratas in Juda. Exstruxitque Bethleem, et Etam, et Thecue, Bethsur quoque, et Socho, et Odollam, necnon et Geth, et Maresa, et Ziph, sed et Aduraim, et Lachis, et Azeca, Sarea quoque, et Ajalon, et Hebron, quæ erant in Juda et Benjamin, civitates munitissimas.

Cumque clausisset eas muris, posuit in eis principes, ciborumque horrea, hoc est olei et vini.

Sed et in singulis urbibus fecit armentaria scutorum et hastarum, firmavitque eas multa diligentia, et imperavit super Judam et Benjamin.

Sacerdotes autem et Levitæ, qui erant in universo Israel, venerunt ad eum de cunctis sedibus suis, relinquentes suburbana et possessiones suas, et transeuntes ad Judam et Jerusalem : eo quod abjecisset eos Jeroboam, et posteri ejus, ne sacerdotio Domini fungerentur.

Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum, et dæmoniorum, vitulorumque quos fecerat.

Sed et de cunctis tribubus Israel, quicunque dederant cor suum ut quærerent Dominum Deum Israel venerunt Jerusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum.

Et roboraverunt regnum Juda, et confirmaverunt Roboam filium Salomonis per tres annos : ambulaverunt enim in viis David et Salomonis, annis tantum tribus.

Duxit autem Roboam uxorem Maalath, filiam Jerimuth, filii David : Abiail quoque filiam Eliab filii Isai : quæ peperit ei filios, Jeus, et Somoriam, et Zoom.

Post hanc quoque accepit Maacha filiam Absalom, quæ peperit ei Abia, et Ethai, et Ziza, et Salomith.

Amavit autem Roboam Maacha filiam Absalom, super omnes uxores suas, et concubinas.

Nam uxores decem et octo duxerat, concubinas autem sexaginta : et genuit viginti octo filios, et sexaginta filias.

Constituit vero in capite Abiam filium Maacha, ducem super fratres suos : ipsum enim regem facere cogitabat, quæ sapientior fuit, et potentior super omnes filios ejus ;

Et in cunctis finibus Juda, et Benjamin, et in universis civitatibus muratis : præbuitque eis escas plurimas et multas petivit uxores.

(*Cap.* XII.) Cumque roboratum fuisset regnum Roboam et confortatum, dereliquit legem Domini, et omnis Israel eum eo.

Anno autem quinto regni Roboam, ascendit Sesach rex Ægypti in Jerusalem (quia peccaverant Domino) cum mille ducentis curribus, et sexaginta millibus equitum : nec erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex Ægypto, Libyes scilicet, et Troglodytæ, et Æthiopes. Cepitque civitates munitissimas in Juda, et venit usque ad Jerusalem.

Semeias autem propheta ingressus est ad Roboam, et principes Juda, qui congregati fuerant in Jerusalem, fugientes Sesac, dixitque ad eos :

Hæc dicit Dominus : Vos reliquistis me, et ego reliqui vos in manu Sesac :

Consternatique principes Israel et rex dixerunt : Justus est Dominus.

Cumque vidisset Dominus quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens :

Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac.

Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ et servitutis regni terrarum.

Recessit itaque Sesac rex Ægypti ab Jerusalem, sublatis thesauris domus Domini et domus regis omniaque secum tulit, et clypeos aureos, quos fecerat Salomon.

Pro quibus fecit rex æneos, et tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatii.

Cumque introiret rex domum Domini, veniebant scutarii, et tollebant eos, iterumque referebant ad armentarium suum.

Verumtamen quia humliati sunt, aversa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus : siquidem in Juda inventa sunt opera bona.

Confortatus est igitur rex Roboam in Jerusalem, atque regnavit : quadraginta autem et unius anni erat cum regnare cœpisset, et decem et septem annis regnavit in Jerusalem, urbe quam elegit Dominus ut confirmaret nomen suum ibi, de cunctis tribubus Israel ;

Nomen autem matris ejus Naama Ammanitis.

Fecit autem malum et non præparavit cor suum ut quæreret Dominum.

Opera vero Roboam prima et novissima scripta sunt in libris Semeiæ prophetæ, et Addo Videntis, et diligenter exposita ;

Pugnaveruntque adversum se Roboam et Jeroboam cunctis diebus.

Et dormivit Roboam cum patribus suis, sepultusque est in civitate David. Et regnavit Abia filius ejus pro eo.

(*Cap.* XIII.) Anno octavo decimo regis Jeroboam, regnavit Abia super Judam. Tribus annis regnavit in Jerusalem, nomenque matris ejus Michaia, filia Uriel de Gabaa ;

Et erat bellum inter Abia et Jeroboam :

Cumque iniisset Abia certamen, et haberet bellicosissimos viros, et electorum quadringenta millia [1], Jeroboam instruxit econtra aciem octingenta millia virorum, qui et ipsi electi erant, et ad bella fortissimi.

Stetit ergo Abia super montem Someron, qui erat in Ephraim, et ait :

Audi, Jeroboam, et omnis Israel : Num ignoratis quod Dominus Deus Israel dederit regnum David super Israel in sempiternum, ipsi et filiis ejus in pactum salis ?

Et surrexit Jeroboam filius Nabat, servus Salomonis filii David : et rebellavit contra Dominum suum.

Congregatique sunt ad eum viri vanissimi, et

[1] Laudat Martianæus tres mss. codices, in quibus *quadraginta millia* pro *quadringenta millia* legitur, et subsequenti versu *octoginta* pro *octingenta*. Ita vero et vestutiores editiones præferunt, ut est, Veneta an. 1478, et alia an. 1489, tum altera Notimbergensis 1521, Basil., Froben. 1558, Paris. Rob. Steph. 1546, et aliæ piures. Verum Aebræus textus, Septuaginta, Josephus, atque emendatiores aliæ Latinæ editiones pari consensu *quadringenta millia* Abiæ, et *octingenta millia* Jeroboamo tribuunt. Quod et inferiori contextui consonat, ubi *quingenta millia virorum fortium*, ex Jeroboami exercitu dicuntur cecidisse.

filii Belial : et prævaluerunt contra Roboam filium Salomonis :

Porro Roboam erat rudis, et corde pavido, nec potuit resistere eis.

Nunc ergo vos dicitis quod resistere possitis regno Domini, quod possidet per filios David, habetisque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Jereboam in deos.

Et ejecistis sacerdotes Domini, filios Aaron, atque Levitas : et fecistis vobis sacerdotes sicut omnes populi terrarum : quicunque venerit, et initiaverit manum suam in tauro, in bobus, et in arietibus septem, fit sacerdos eorum qui non sunt dii.

Noster autem Dominus Deus est quem non relinquimus :

Sacerdotesque ministrant Domino de filiis Aaron, et Levitæ sunt in ordine suo :

Holocausta quoque offerunt Domino per singulos dies mane et vespere, et thymiama juxta legis præcepta confectum, et proponuntur panes in mensa mundissima ;

Estque apud nos candelabrum aureum, et lucernæ ejus, ut accendantur semper ad vesperam :

Nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis.

Ergo in exercitu nostro dux Deus est, et sacerdotes ejus, qui clangunt tubis, et resonant contra vos :

Filii Israel, nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit.

Hæc illo loquente, Jeroboam retro moliebatur insidias.

Cumque ex adverso hostium staret, ignorantem Judam suo ambiebat exercitu.

Respiciensque Judas vidit instare bellum et ex adverso et post tergum, et clamavit ad Dominum : ac sacerdotes tubis canere cœperunt.

Omnesque viri Juda vociferati sunt : et ecce illis clamantibus, perterruit Deus Jeroboam, et omnem Israel, qui stabat ex adverso Abia et Juda.

Fugeruntque filii Israel Judam, et tradidit eos Deus in manu eorum.

Percussit ergo eos Abia, et populus ejus, plaga magna : et corruerunt vulnerati ex Israel quingenta millia virorum, fortium.

Humiliatique sunt filii Israel in tempore illo, et vehementissime confortati filii Juda, eo quod sperassent in Domino Deo patrum suorum.

Persecutus est autem Abia fugientem Jeroboam, et cepit civitates ejus, Beth-El, et filias ejus, et Jesana cum filiabus suis, Ephron quoque et filias ejus :

Nec valuit ultra resistere Jeroboam in diebus Abia : quem percussit Dominus, et mortuus est.

Igitur Abia, confortato imperio suo, accepit uxores quatuordecim : procreavitque viginti duos filios, et sedecim filias.

Reliqua autem sermonum Abia, viarumque et operum ejus, scripta sunt diligentissime in libro prophetæ Addo.

(*Cap.* XIV.) Dormivit autem Abia cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David :

Regnavitque Asa filius ejus pro eo, in cujus diebus quievit terra annis decem.

Fecit autem Asa quod bonum et placitum erat in conspectu Dei sui, et subvertit altaria peregrimi cultus, et excelsa, et confregit statuas, lucosque succidit.

Ac præcepit Judæ ut quæreret Dominum Deum patrum suorum, et faceret legem, et universa mandata :

Et abstulit de cunctis urbibus Juda, aras, et fana, et regnavit in pace.

Ædificavit quoque urbes munitas in Juda, quia quietus erat, et nulla temporibus ejus bella surrexerant, pacem Domino largiente.

Dixit autem Judæ : Ædificemus civitates istas, et vallemus muris, et roboremus turribus, et portis, et seris, donec a bellis quieta sunt omnia, eo quod quæsierimus Dominum Deum patrum nostrorum, et dederit nobis pacem per gyrum.

Ædificaverunt igitur, et nullum in exstruendo impedimentum fuit.

Habuit autem Asa in exercitu suo portantium scuta et hastas de Juda trecenta millia, de Benjamin vero scutariorum et sagittariorum ducenta octoginta millia, omnes isti viri fortissimi.

Egressus est autem contra eos Zala Æthiops cum exercitu suo, decies centa millia, et curribus trecentis : et venit usque Maresa.

Porro Asa perrexit obviam ei, et instruxit aciem ad bellum in valle Sephata, quæ est juxta Maresa, et invocavit Dominum Deum, et ait :

Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus : adjuva nos, Domine Deus noster : in te enim, et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo.

Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Asa et Juda : fugeruntque Æthiopes. Et persecutus est eos Asa, et populus qui cum eo, erat, usque Gerara, et ruerunt Æthiopes usque ad internecionem, quia, Domino cædente, contriti sunt, et exercitu illius præliante.

Tulerunt ergo spolia multa, et percusserunt civitates omnes per circuitum Geraræ ; grandis quippe cunctos terror invaserat : et diripuerunt urbes, et multam prædam asportaverunt.

Sed et caulas ovium destruentes, tulerunt pecorum infinitam multitudinem, et camelorum : reversique sunt Jerusalem.

(*Cap.* XV.) Azarias autem filius Obed, facto in se spiritu Dei, egressus est in occursum Asa, et dixit ei : Audite me Asa, et omnis Juda, et Benjamin : Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, invenietis : si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.

Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote doctore, et absque lege.

Cumque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israel : et quæsierint eum, reperient eum.

In tempore illo non erit pax egredienti et ingredienti, sed terrores undique in cunctis habitatoribus terrarum : pugnabit enim gens contra gentem, et civitas contra civitatem, quia Dominus conturbabit eos in omni angustia.

Vos ergo confortamini, et non dissolvantur manus vestræ : erit enim merces operi vestro.

Quod cum audisset Asa, verba scilicet et prophetiam Obed prophetæ, confortatus est, et abstulit idola de omni terra Juda, et de Benjamin, et ex urbibus, quas ceperat, montis Ephraim, et dedicavit altare Domini quod erat ante porticum Domini.

Congregavitque universum Judam et Benjamin, et advenas cum eis de Ephraim, et de Manasse, et de Simeon : plures enim ad eum confugerant ex Israel, videntes quod Dominus Deus illius esset cum eo.

Cumque venissent in Jerusalem mense tertio, et anno quintodecimo regni Asa, immolaverunt Domino in die illa, de manubiis et præda quam adduxerant, boves septingentos et arietes septem millia.

Et intravit ex more ad corroborandum fœdus, ut quærerent Dominum Deum patrum suorum in toto corde et in tota anima sua.

Si quis autem, inquit, non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur a minimo usque ad maximum, a viro usque ad mulierem.

Juraveruntque Domino voce magna in jubilo, et in clangore tubæ, et in sonitu buccinarum, omnes qui erant in Juda cum exsecratione : in omni enim corde suo juraverunt, et in tota voluntate quæsierunt eum, et invenerunt : præstititque eis Dominus requiem per circuitum.

Sed et Maacha matrem Asa regis ex augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi : quod omne contrivit, et in frustra comminuens combussit in torrente Cedron.

Excelsa autem derelicta sunt in Israel : attamen cor Asa erat perfectum cunctis diebus ejus.

Eaque quæ voverat pater suus, et ipse, intulit in domum Domini, argentum et aurum, vasorumque diversam suppellectilem.

Bellum vero non fuit usque ad tricesimum quintum annum regni Asa.

[*Cap.* XVI.) Anno autem tricesimo sexto regni ejus, ascendit Baasa rex Israel in Judam, et muro circundabat Rama, ut nullus posset tuteegredi et ingredi de regno Asa.

Protulit ergo Asa argentum et aurum de thesauris domus Domini, et de thesauris regis, misitque ad Benadad regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens :

Fœdus inter me et te est, pater quoque meus et pater tuus habuere concordiam : quam ob rem misi tibi argentum et aurum, ut rupto fœdere, quod habes cum, Baasa rege Israel, facias eum a me recedere.

Quo comperto, Benadad misit principes exercituum suorum ad urbes Israel ; qui percusserunt Aïon et Dan. et Abelmaim, et universas urbes Nephthali muratas.

Quod cum audisset Baasa, desiit ædificare Rama, et intermisit opus suum.

Porro Asa rex assumpsit universum Judam, et tulerunt lapides de Rama, et ligna quæ ædificationi præparaverat Baasa, ædificavitque ex eis Gabaa et Maspha.

In tempore illo venit Anani propheta ad Asa regem Juda, et dixit ei : Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, et non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua.

Nonne Æthiopes et Libyes multo plures erant quadrigis et equibus, et multitudine nimia: quos, cum Domino credidisses, tradidit in manu tua ?

Oculi enim Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum.

Stulte igitur egisti, et propter hoc ex præsenti tempore contra te bella consurgent.

Iratusque Asa adversus Videntem, jussit eum mitti in nervum :

Valde quippe super hoc fuerat indignatus :

Et interfecit de populo in tempore illo plurimos.

Opera autem Asa prima et novissima scripta sunt in libro regum Juda et Israel,

Ægrotavit etiam Asa anno tricesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo, et nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.

Dormivitque cum patribus suis : et mortuus est anno quadragesimo primo regni sui.

Et sepelierunt eum in sepulcro suo, quod foderat sibi in civitate David ; posueruntque eum super lectulum suum, plenum aromatibus et unguentis meretricûs, quæ erant pigmentariorum arte confecta, et combusserunt super eo ambitione nimia.

[*Cap.* XVII.] Regnavit autem Josaphat filius ejus pro eo, et invaluit contra Israel.

Constituitque militum numeros in cunctis urbibus Juda, quæ erant vallatæ muris. Præsidiaque disposuit in terra Juda, et in civitatibus Ephraim, quas ceperat Asa pater ejus.

Et fuit Dominus cum Josaphat, quia ambulavit in viis David patris sui primis : et non [1] speravit in Baalim, sed in Deo patris sui, et perrexit in præceptis illius, et non juxta peccata Israel.

Confirmavitque Dominus regnum in manu ejus, et dedit omnis Juda munera Josaphat : factæque sunt ei infinitiæ divitiæ, et multa gloria.

Cumque sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini, etiam excelsa et lucos de Juda abstulit.

Tertio autem anno regni sui, misit de principibus suis Benail, et Obdiam, et Zachariam, et Nathanael, et Michæam, ut docerent in civitatibus Juda :

Et cum eis Levitas, Semeiam, et Nathaniam, et Zabadiam, Asael quoque et Semiramoth, et Jonathan, Adoniam, et Thobiam, et Thobadoniam, Levitas, et cum eis Elisama et Joram sacerdotes.

Docebantque in Juda, habentes librum legis Domini, et circumibant cunctas urbes Juda, atque erudiebant populum.

Itaque factus est pavor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Juda, nec audebant bellare contra Josaphat.

Sed et Philisthæi Josaphat munera deferebant, et vectigal argenti, Arabes quoque adducebant pecora, arietum septem millia septingentos, et hircorum totidem.

Crevit ergo Josaphat, et magnificatus est usque in sublime: atque ædificavit in Juda domos ad instar turrium, urbesque muratas. Et multa opera paravit in urbibus Juda.

Viri quoque bellatores, et robusti erant in Jerusalem, quorum iste est numerus per domos atque familias singulorum.

In Juda principes exercitus, Ednas dux, et cum eo robustissimorum trecenta millia.

Post hunc Johanan princeps, et cum eo ducenta octoginta millia.

Post istum quoque Amasias filius Zechri, consecratus Domino, et cum eo ducenta millia virorum fortium.

Hunc sequebatur robustus ad prælia Eliada, et cum eo tenentium arcum et clypeum ducenta millia.

Post istum etiam Jozabad, et cum eo centum octoginta millia expeditorum militum.

Illi omnes erant ad manum regis, exceptis aliis, quos posuerat in urbibus muratis et in universo Juda.

[*Cap.* XVIII.] Fuit ergo Josaphat dives et inclytus multum, et affinitate conjunctus est Ahab.

Descenditque post annos ad eum in Samariam.

Ad cujus adventum mactavit Ahab arietes et boves plurimos, et populo qui venerat cum eo : persuasitque illi, ut ascenderet in Ramoth Galaad.

Dixitque Ahab rex Israel ad Josaphat regem Juda: Veni mecum in Raimoth Galaad.

Cui ille respondit : Ut ego, et tu : sicut populus tuus, sic et populus meus : tecumque erimus in bello.

Dixitque Josaphat ad regem Israel : Consule, obsecro, impræsentiarum sermonem Domini.

Congregavitque rex Israel prophetarum quadringentos viros, et dixit ad eos : In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus, an quiescere ?

At illi, Ascende, inquiunt, et tradet Deus in manu regis.

Dixitque Josaphat : Numquid non est hic prophetes Domini, ut ab illo etiam requiramus ?

Et ait rex Israel ad Josaphat : Est vir unus a quo possumu squærere Domini voluntatem, sed ego odi

[1] Dicuntur veteres quidam Latini codices addere *et novissimis*, qui videtur tamen scribarum error, ob subsequentum vocum, *et non*, occursum.

eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore:

Est autem Michæas filius Jemla.

Dixitque Josaphat: Ne loquaris, rex, hoc modo.

Vocavit ergo rex Israel unum de eunuchis, et dixit ei: Voca mihi cito Michæam filium Jemla.

Porro rex Israel, et Josaphat rex Juda, uterque sedebat in solio suo, vestiti cultu regio:

Sedebant autem in area juxta portam Samariæ, omnesque prophetæ vaticinabantur coram eis.

Sedecias vero filius Chanaana fecit sibi cornua ferrea, et ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec conteras eam.

Omnesque prophetæ similiter prophetabant, atque dicebant: Ascende in Ramoth Galaad, et prosperaberis, et tradet eos Dominus in manu regis.

Nuntius autem, qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi:

En verba omnium prophetarum uno ore bona regi annuntiant; quæso ergo te ut et sermo tuus ab eis non dissentiat, loquarisque prospera.

Cui respondit Michæas: Vivit Dominus, quia quodcunque dixerit Deus meus, hoc loquar.

Venit ergo ad regem. Cui rex ait: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ab bellandum, an quiescere?

Cui ille respondit: Ascendite cuncta enim prospere venient, et tradentur hostes in manus vestras.

Dixitque rex: Iterum atque iterum te adjuro, ut non mihi loquaris, nisi quod verum est, in nomine Domini.

At ille ait: Vidi universum Israel dispersum in montibus, sicut oves absque pastore, et dixit Dominus: Non habent isti dominos: revertatur unusquisque in domum suam in pace,

Et ait rex Israel ad Josaphat: Nonne dixi tibi, quod non prophetaret iste mihi quidquam boni, sed ea quæ mala sunt?

At ille, Idcirco, ait, audite verbum Domini; Vidi Dominum sedentem in solio suo, et omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris et sinistris.

Et dixit Dominus: Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat et corruat in Ramoth Galaad? Cumque diceret unus hoc modo, et alter alio: processit spiritus, et stetit coram Domino, et ait: Ego decipiam eum. Cui Dominus: In quo, inquit, decipies?

At ille respondit: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.

Dixitque Dominus: Decipies, et prævalebis, egredere, et fac ita.

Nunc igitur, ecce Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, et Dominus locutus est de te mala.

Accessit autem Sedecias filius Chanaana, et percussit Michææ maxillam, et ait:

Per quam viam transivit Spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi?

Dixitque Michæas: Tu ipse videbis in die illo, quando ingressus fueris cubiculum de cubiculo, ut abscondaris.

Præcepit autem rex Israel, dicens: Tollite Michæam, et ducite eum ad Amnon principem civitatis, et ad Joas filium Amelech.

Et dicetis: Hæc dicit rex, mittite hunc in carcerem, et date ei panis modicum, et aquæ pauxillum, donec revertar in pace.

Dixitque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me. Et ait: Audite, populi omnes.

Igitur ascenderunt rex Israel et Josaphat rex Juda in Ramoth Galaad.

Dixitque rex Israel ad Josaphat: Mutabo habitum, et sic ad pugnandum vadam, tu autem induere vestibus tuis.

Mutatoque rex Israel habitu, venit ad bellum.

Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus sui, dicens: Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum, nisi contra solum regem Israel.

Itaque cum vidissent principes equitatus Josaphat, dixerunt: Rex Israel iste est.

Et circumdederunt eum dimicantes:

At ille clamavit ad Dominum, et auxiliatus est ei, atque avertit eos ab illo.

Cum enim vidissent duces equitatus, quod non esset rex Israel, reliquerunt eum.

Accidit autem ut unus e populo sagittam in incertum jaceret, et percuteret regem Israel inter cervicem et scapulas.

At ille aurigæ suo ait: Converte manum tuam, et educ me de acie, quia vulneratus sum.

Et finita est pugna in die illo:

Porro rex Israel stabat in curru suo contra Syres usque ad vesperam, et mortuus est, occidente sole.

[*Cap.* XIX.] Reversus est autem Josaphat rex Juda in domum suam pacifice in Jerusalem.

Cui occurrit Jeu filius Anani Videns, et ait ad eum: Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda, et præparaveris cor tuum, ut requireres Deum.

Habitavit ergo Josaphat in Jerusalem.

Rursumque egressus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, et revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum.

Constituitque judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca.

Et præcipiens judicibus. Videte, ait, quid facitis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, et quodcunque judicaveritis, in vos redundabit.

Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.

In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas, et sacerdotes, et principes familiarum ex Israel, ut judicium et causam Domini judicarent habitatoribus ejus[1].

Præcepitque eis, dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter et corde perfecto.

Omnem causam, quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter cognationem et cognationem, ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Dominum, et ne veniat ira super vos et super fratres vestros:

Sic ergo agetis, et non peccabitis.

Amarias autem sacerdos et pontifex vester, in his, quæ ad Dominum pertinent, præsidebit.

Porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent: habebitisque magistros Levitas coram vobis:

Confortamini, et agite diligenter, et erit Dominus vobiscum in bonis.

[*Cap.* XX.] Post hæc congregati sunt filii Moab, et filii Ammon, et cum eis de Ammonitis[2], ad Josaphat, ut pugnarent contra eum.

[1] Pro *habitatoribus ejus*, præfert Hebræum exemplar ושבו ירושלם, quod est, *et reversi sunt* (sive *habitaverunt Jerusalem*. Quod vero Hieronymus post Septuaginta eo verterit sensu, una causa est, quod pro ישבו perquam simili scriptura legerit ישבי, sive *iod* ultimum pro *vau*, quæ sola magnitudine distant, acceperit; hoc nempe *habitatores* nomen significat, Græc., κατοικοῦντας.

[2] Mss. plerique omnes, *Ammanitis*, quod et Martianæus notat. Sed alii multo aliter, præcipue editi,

Veneruntque nuntii, et indicaverunt Josaphat, dicentes : Venit contra te multitudo magna,de his locis quæ trans mare sunt,et de Syria,et ecce consistunt in Asasonthamar, quæ est Engaddi.

Josaphat autem timore perterritus,totum se contulit ad rogandum Dominum,et prædicavit jejunium universo Juda.

Congregatusque est Juda ad deprecandum Dominum; sed et omnes de urbibus suis venerunt ad obsecrandum eum.

Cumque stetisset Josaphat in medio cœtu Juda, et Jerusalem, in domo Domini ante atrium novum, ait : Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cœlo, et dominaris cunctis regnis gentium.

In manu tua est fortitudo et potentia, nec quisquam tibi potest resistere.

Nonne tu, Deus noster, interfecisti omnes habitatores terræ hujus coram populo tuo Israel,et dediati eam semini Abraham amici tui in sempiternum?

Habitaveruntque in ea, et exstruxerunt in illa sanctuarium nomini tuo, dicentes :

Si irruerint super nos mala, gladius judicii, pestilentia, et fames, stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua invocatum est nomen tuum, et clamabimus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies, salvosque facies.

Nunc igitur ecce filii Ammon, et Moab, et mons Seir, per quos non concessisti Israeli, ut transiret quando egrediebatur de Ægypto,sed declinaverunt ab eis, et non interfecerunt illos.

E contrario agunt et nituntur ejicere nos de possessione, quam tradidisti nobis, Deus noster, ergo non judicabis eos?

In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos.Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.

Omnis vero Juda stabat coram Domino, cum parvulis, et uxoribus et liberis suis :

Erat autem Jaziel filius Zachariæ, filii Banaiæ, filii Jeiel, filii Mathaniæ, levites de filiis Asaph,super quem factus est Spiritus Domini in medio turbæ, et ait :

Attendite,omnis Juda,et qui habitatis in Jerusalem,et tu, rex Josaphat : Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem : non est enim vestra pugna, sed Dei.

Cras descendetis contra eos:ascensuri enim sunt per clivum nomine Sis, et invenietis illos in summitate torrentis,qui est contra solitudinem Jeruel.

Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state,et videbitis auxilium Domini super vos.

Juda et Jerusalem, nolite timere, nec paveatis : cras egrediemini contra eos,et Dominus erit vobiscum.

Josaphat ergo, et Juda,et omnes habitatores Jerusalem, ceciderunt proni in terra coram Domino, et adoraverunt eum.

Porro Levitæ de filiis Caath, de filiis Core, laubabant Dominum Deum Israel voce magna, in excelsum.

Cumque mane surrexissent,egressi sunt per desertum Thecue : profectisque eis, stans Josaphat in medio eorum, dixit :

Audite me,Juda,et omnes habitatores Jerusalem: credite in Domino Deo vestro, et securi eritis : credite prophetis ejus,et cuncta evenient prospera.

Deditque consilium populo, et statuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, et antecederent exercitum, ac voce consona dicerent :

Confitemini Domino,quoniam in æternum misericordia ejus.

Cumque cœpissent laudes canere,vertit Dominus insidias eorum in semetipsos,filiorum scilicet Ammon, et Moab, et montis Seir, qui egressi fuerant, ut pugnarent contra Judam, et percussi sunt.

Namque filii Ammon, et Moab consurrexerunt adversum habitatores montis Seir, ut interficerent et delerent eos : cumque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi,mutuis concidere vulneribus.

Porro Juda cum venisset ad speculam, quæ respicit ad solitudinem, vidit procul omnem late regionem plenam cadaveribus, nec superesse quemquam, qui necem potuisset evadere.

Venit ergo Josaphat, et omnis populus cum eo, ad detrahenda spolia mortuorum : inveneruntque inter cadavera variam supellectilem,vestes quoque, et vasa pretiosissima, et diripuerunt, ita ut omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre præ prædæ magnitudine.

Die autem quarto congregati sunt in valle Benedictionis; et enim quoniam ibi benedixerant Domino, vocaverunt locum illum vallis Benedictionis usque in præsentem diem.

Reversusque est omnis vir Juda, et habitatores Jerusalem, et Josaphat ante eos,in Jerusalem cum lætitia magna, eo quod dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis.

Ingressique sunt Jerusalem cum psalteriis,et citharis, et tubis, in domum Domini.

Irruit autem pavor Domini, super univers regna terrarum, cum audissent quod pugnasset Dominus contra inimicos Israel.

Quievitque regnum Josaphat, et præbuit ei Deus pacem per circuitum.

Regnavit igitur Josaphat super Judam,et erat triginta quinque annorum cum regnare cœpisset : viginti autem et quinque annis regnavit in Jerusalem.

Nomen matris ejus Azuba, filia Selahi.

Et ambulavit in via patris sui Asa,nec declinavit ab ea, faciens quæ placita erant coram Domino.

Verumtamen excelsa non abstulit, et adhuc populus non direxerat cor suum ad Dominum Deum patrum suorum.

Reliqua autem gestorum Josaphat priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Jeu filii Anani, quæ digessit in libro regum Israel.

Post hæc iniit amicitias Josaphat rex Juda cum Ohozia rege Israel,cujus opera fuerunt impiissima.

Et particeps fuit,ut facerent naves, quæ irent in Tharsis : feceruntque classem in Asiongaber.

Prophetavit autem Eliezer filius Dodau de Maresa ad Josaphat, dicens ; Quia habuisti fœdus cum Ohozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.

(*Cap.* XXI.) Dormivit autem Josaphat cum patribus suis,et sepultus est cum eis in civitate David.

Regnavitque Joram filius ejus pro eo. Qui habuit fratres, filios Josaphat, Azariam, et Jaiel, et Zachariam, et Azariam, et Michael, et Saphatiam, omnes hi, filii Josaphat regis Israel [1].

Deditque eis pater suas multa munera argenti, et auri,et pensitationes,cum civitatibus munitissi-

et quos magno numero laudat Menochius,libri, pro eo præferunt *Idumæi*.Quam tamen lectionem in iis, quos ipse consuluit P. Calmetus, non in textu,sed margini appositam testatur.Consule auctorem Quæstion. Hebraic, in hunc librum.

[1] Editi libri cum aliquot mss., *regis Juda*. Canon Memmianus legit in contextu, *regis Juda*, in margine vero,*Israel*.Plures antiquioresque Latini mss. consonant Hebræorum codicibus, ubi legimus nomen *Israel*,tam in excusis quam in mss. מלך ישראל *melek Israel*. In hanc difficultatem consulat qui voluerit volumina Criticorum sacrorum. MART.

mis in Juda : regnum autem tradidit Joram, eo quod esset primogenitus.

Surrexit ergo Joram super regnum patris sui : cumque se confirmasset,occidit omnes fratres suos gladio, et quosdam de principibus Israel.

Viginta duorum annorum erat Joram cum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem.

Ambulavitque in viis regum Israel, sicut egerat domus Ahab : filia quippe Ahab erat uxor ejus, et fecit malum in conspectu Domini,

Noluit autem Dominus disperdere domum David, propter pactum quod inierat cum eo, et quia promiserat ut daret lucernam, et filiis ejus omni tempore.

In diebus illis rebellavit Edom, ne esset subditus Judæ, et constituit sibi regem.

Cumque transisset Joram cum principibus suis, et cuncto equitatu qui erat secum, surrexit nocte, et percussit Edom,qui se circumdederat, et omnes duces equitatus ejus.

Attamen rebellavit Edom, ne esset sub ditione Juda, usque ad hanc diem.

Eo tempore et Lobna recessit,ne esset sub manu illius.

Dereliquerat enim Dominum Deum patrum suorum : insuper et excelsa fabricatus est in urbibus Juda, et fornicari fecit habitatores Jerusalem, et prævaricari Judam.

Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia propheta,in quibus scriptum erat :

Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui, et in viis Asa regis Juda,sed incessisti per iter regum Israel, et fornicari fecisti Judam, et habitatores Jerusalem, imitatus fornicationem domus Ahab, insuper et fratres tuos, domum patris tui, meliores te,occidisti,ecce Dominus percutiet te plaga magna, cum populo tuo, et filiis, et uxoribus tuis, universaque substantia tua.

Tu autem ægrotabis pessimo languore uteri, donec egrediantur vitalia tua paulatim per dies singulos.

Suscitavit ergo Dominus contra Joram spiritum Philisthinorum,et Arabum,qui confines sunt Æthiopibus. Et ascenderunt in terram Juda, et vastaverunt eam,diripueruntque cunctam substantiam,quæ inventa est in domo regis.

Insuper et filios ejus, et uxores : nec remansit ei filius, nisi Joahaz, qui minimus natu erat.

Et super hæc omnia percussit eum Dominus alvi languore insanabili.

Cumque diei succederet dies,et temporum spatia volverentur,duorum annorum expletus est circulus: et sic longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera sua, languore pariter et vita caruit.

Mortuusque est in infirmitate pessima, et non fecit ei populus secundum morem combustionis, exsequias, sicut fecerat majoribus ejus.

Triginta duorum annorum fuit,cum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem.

Ambulavitque non recte, et sepelierunt eum in civitate David:verumtamen non in sepulcro regum.

(*Cap.* XXII.) Constituerunt autem habitatores Jerusalem Ohoziam filium ejus minimum,regem pro eo: Omnes enim majores natu,qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum,qui irruerant in castra.

Regnavitque Ohozias filius Joram regis Juda.

Quadraginta duorum annorum erat Ohozias cum regnare cœpisset, et uno anno regnavit in Jerusalem, et nomen matris ejus Athalia filia Amri.

Sed et ipse ingressus est per vias domus Ahab : mater enim ejus impulit eum, ut impie ageret.

Fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Ahab : ipsi enim fuerunt ei consiliarii post mortem patris sui, in interitum ejus.

Ambulavitque in consiliis eorum.Et perrexit cum Joram filio Ahab rege Israel, in bellum contra Azael regem Syriæ in Ramoth Galaad :

Vulneraveruntque Syri Joram. Qui reversus est, ut curaretur in Jezrael : multas enim plagas acceperat in supradicto certamine.

Igitur Ohozias filius Joram rex Juda, descendit ut inviseret Joram filium Ahab in Jezrael ægrotantem.

Voluntatis quippe fuit Dei adversus Ohoziam, ut veniret ad Joram :

Et cum venisset,et egrederetur cum eo adversum Jeu filium Namsi, quem unxit Dominus, ut deleret domum Ahab.

Cum ergo subverteret Jeu domum Ahab, invenit principes Juda, et filios fratrum Ohoziæ, qui ministrabant ei, et interfecit illos.

Ipsumque perquirens Ohoziam,comprehendit latitantem in Samaria : adductumque ad se, occidit, et sepelierunt eum : eo quod esset filius Josaphat, qui quæsierat Dominum in toto corde suo. Nec erat ultra spes aliqua, ut de stirpe quis regnaret Ohoziæ.

Siquidem Athalia mater ejus, videns quod mortuus esset filius suus,surrexit, et interfecit omnem stirpem regiam domus Joram.

Porro Josabeth filia regis tulit Joas filium Ohoziæ, et furata est eum de medio filiorum regis, cum interficerentur : absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum :

Josabeth autem, quæ absconderat eum,erat filia regis Joram uxor Joiadæ pontificis, soror Ohoziæ, et idcirco Athalia non interfecit eum.

Fuit ergo cum eis in domo Dei absconditus sex annis, quibus regnavit Athalia super terram.

(*Cap.* XXIII.) Anno autem septimo confortatus Joiada, assumpsit centuriones, Azariam videlicet filium Jeroham,et Ismael filium Johanam,Azariam quoque filium Obed [1], et Maasiam filium Adaiæ,et Elisaphat filium Zechri : et iniit cum eis fœdus.

Qui circumeuntes Judam,congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda, et principes familiarum Israel, veneruntque in Jerusalem.

Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege, dixitque ad eos Joiada :

Ecce filius regis regnabit, sicut locutus est Dominus super filios David.

Iste est ergo sermo quem facietis :

Tertia pars vestrum, qui veniunt ad Sabbatum, sacerdotum et Levitarum et janitorum,erit in portis :

Tertia vero pars ad domum regis :

Et tertia ad portam, quæ appellatur Fundamenti : Omne vero reliquum vulgus sit in atriis domus Domini.

Nec quispiam alius ingrediatur domum Domini, nisi sacerdotes, et qui ministrant de Levitis : ipsi tantummodo ingrediantur, quia sanctificati sunt; et omne reliquum vulgus observet custodias Domini.

Levitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua (et si quis alius ingressus fuerit templum, interficiatur), sintque cum rege et intrante et egrediente.

Fecerunt ergo Levitæ, et universus Juda, juxta omnia quæ præceperat Joiada pontifex, et assumpserunt singuli viros qui sub se erant,et veniebant

[1] Intactum reliquimus nomen istud *Obed*, quod ita scriptum reperiretur in editis libris,in ms.Colbertino Aniciensi ac in textu Hebraico.Cæteri mss. codices legunt *Oded* cum duplici *d* juxta primum versiculum superioris capitis decimi quinti,in qua nomen עודד *Oded* occurrit; et Azarias filius etiam *Oded* dicitur. MART.

per ordinem Sabbati,cum his qui impleverant Sabbatum, et egressuri erant.

Siquidem Joiada pontifex non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant.

Deditque Joiada sacerdos centurionibus lanceas, clypeosque et peltas regis David, quas consecraverat in domo Domini.

Constituitque omnem populum tenentium pugiones, a parte templi dextra,usque ad partem templi sinistram, coram altari et templo, per circuitum regis.

Et eduxerunt filium regis,et imposuerunt ei diadema, et testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem [1], et constituerunt eum regem :

Unxit quoque illum Joiada pontifex et filii ejus : imprecatique sunt, atque dixerunt : Vivat rex.

Quod cum audisset Athalia, vocem scilicet currentium atque laudantium regem, ingressa est ad populum in templum Domini.

Cumque vidisset regem stantem super gradum in introitu et principes turmasque circa eum,omnemque populum terræ gaudentem, atque clangentem tubis, et diversi generis organis concinentem, vocemque laudantium, scidit vestimenta sua, et ait : Insidiæ, insidiæ.

Egressus autem Joiada pontifex ad centuriones et principes exercitus, dixit eis : Educite illam extra septa templi, et interficiatur foris gladio.

Præcepitque sacerdos, ne occideretur in domo Domini.

Et imposuerunt cervicibus ejus manus :

Cumque intrasset portam equorum domus regis, interfecceunt eam ibi.

Pepigit autem Joiada fœdus inter se,universumque populum, et regem, ut esset populus Domini.

Itaque ingressus est omnis populus domum Baal, et destruxerunt eam : et altaria ac simulacra illius confregerunt :

Mathan quoque sacerdotem Baal interfecerunt ante aras.

Constituit autem Joiada præpositos in domo Domini sub manibus sacerdotum et Levitarum, quos distribuit David in domo Domini, ut offerrent holocausta Domino,sicut scriptum est in lege Mosi, in gaudio et canticis, juxta dispositionem David.

Constituit quoque janitores, in portis domus Domini, ut non ingrederetur eam immundus in omni re.

Assumpsitque centuriones, et fortissimos viros ac principes populi,et omne vulgus terræ, et fecerunt descendere regem de domo Domini,et introire per medium portæ superioris in domum regis, et collocaverunt eum in solio regali.

Lætatusque est omnis populus terræ, et urbs quievit : porro Athalia interfecta est gladio.

(*Cap.* XXIV.) Septem annorum erat Joas cum regnare cœpisset, et quadraginta annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Sebia de Bersabee.

Fecitque quod bonum est coram Domino cunctis diebus Joiadæ sacerdotis.

Accepit autem ei Joiada uxores duas, e quibus genuit filios et filias.

Post quæ placuit Joas, ut instauraret domum Domini. Congregavitque sacerdotes, et Levitas, et dixit eis :

Egredimini ad civitates Juda, et colliget de universo Israel pecuniam ad sarta tecta templi Dei vestri, per singulos annos, festinatoque hoc facite.

Porro Levitæ egere negligentius.

Vocavitque rex Joiadam principem et dixit ei : Quare tibi non fuit curæ, ut cogeres Levitas inferre de Juda et Jerusalem pecuniam, quæ constituta est a Mose servo Domini, ut inferret eam omnis multitudo Israel in tabernaculum testimonii?

Athalia enim impiissima, et filii ejus, dextruxerant domum Dei, et de universis, quæ sanctificata fuerant templo Domini, ornaverant fanum Baalim.

Præcepit ergo rex, et fecerunt arcam ; posueruntque eam juxta portam domus Domini forinsecus.

Et prædicatum est in Juda et Jerusalem, ut deferrent singuli pretium Domino, quod constituit Moses servus Dei super omnem Israel in deserto.

Lætatique sunt cuncti principes, et omnis populus : et ingressi contulerunt in arcam Domini, atque miserunt ita ut impleretur.

Cumque tempus esset ut deferrent arcam coram rege per manus Levitarum (videbant enim multam pecuniam), ingrediebatur scriba regis,et quem primus sacerdos constituerat : effundebantque pecuniam quæ erat in arca : porro arcam reportabant ad locum suum, sicque faciebant per singulos dies, et congregata est infinita pecunia.

Quam dederunt rex et Joiada his qui præerant operibus domus Domini.

At illi conducebant ex ea cæsores lapidum, et artifices operum singulorum, ut instaurarent domum Domini ; fabros quoque ferri et æris, ut quod cadere cœperat, fulciretur.

Egeruntque hi qui operabantur industrie, et abducebatur parietum cicatrix per manus eorum, ac suscitaverunt domum Domini in statum pristinum, et firmiter eam stare fecerunt.

Cumque complessent omnia opera, detulerunt coram rege et Joiada reliquam partem pecuniæ : de qua facta sunt vasa templi in ministerium, et ad holocausta, phialæ quoque, et cætera vasa aurea et argentea :

Et offerebantur holocausta in domo Domini jugiter cunctis diebus Joiadæ.

Senuit autem Joaida plenus dierum, et mortuus est, cum centum triginta esset annorum.

Sepelieruntque eum in civitate David cum regibus, eo quod fecisset bonum cum Israel et cum domo ejus.

Postquam autem obiit Joiada,ingressi sunt principes Juda, et adoraverunt regem, qui delinitus obsequiis eorum, acquievit eis.

Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum,servieruntque lucis et sculptilibus,et facta est ira contra Judam et Jerusalem propter hoc peccatum.

Mittebatque eis prophetas, ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes filii audire nolebant.

Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Joiadæ sacerdotem, et stetit in conspectu populi, et dixit eis :

Hæc dicit Dominus Deus : Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum, ut derelinqueret vos ?

Qui congregati adversus eum, miserunt lapides juxta regis imperium in atrio domus Domini.

Et non est recordatus Joas rex misericordiæ, quam fecerat Joiada pater illius secum, sed interfecit filium ejus.

Qui cum moreretur, ait : Videat Dominus,et requirat :

Cumque evolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ : venitque in Judam et Jerusalem, et interfecit cunctos principes populi,

[1] Verba istæc,*dederuntque in manu ejus tenendam legem*,neque Hebræus textus, neque Græcus, neque demum veteres aliæ Versiones habent. Ac liceat fortasse suspicari (siquidem *testimonii* nomine significari hic vulgo putant legis præcepta, ut Hebræi autumant phylacteria,parva ex membranis volumina ob oculos gerenda) totam hancce pericopem ejus esse nominis glossema ab studioso aliquo assutum: sunt enim et mss. nonnulli codices Latini, Calmeto teste, qui eam plane omittant.

atque universam prædam miserunt regi Damascum.

Et certe cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquissent Dominum Deum patrum suorum :

In Joas quoque ignominiosa exercuere judicia.

Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis :

Surrexerunt autem contra eum servi sui, in ultionem sanguinis filii Joiadæ sacerdotis, et occiderunt eum in lectulo suo, et mortuus est :

Sepelieruntque eum in civitate David, sed non in sepulcris regum.

Insidiati vero sunt ei Zabad filius Semmaath Ammonitidis, et Jozabad filius Semarith Moabitidis.

Porro filii ejus, ac summa pecuniæ quæ adunata fuerat sub eo, et instauratio domus Dei scripta sunt diligentius in libro Regum.

Regnavit autem Amasias filius ejus pro eo.

(*Cap.* XXV.) Viginti quinque annorum erat Amasias cum regnare cœpisset, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem, nomen matris Joadam de Jerusalem.

Fecitque bonum in conspectu Domini : verumtamen non in corde perfecto.

Cumque roboratum sibi videret imperium, jugulavit servos, qui occiderant regem patrem suum, sed filios eorum non interfecit, sicut scriptum est in libro Legis Mosi, ubi præcepit Dominus, dicens :

Non occidentur patres pro filiis, neque filii pro patribus suis, sed unusquisque in suo peccato morietur.

Congregavit igitur Amasias Judam, et constituit eos per familias, tribunosque et centuriones in universo Juda et Benjamin :

Et recensuit a viginti annis et sursum, invenitque trecenta millia juvenum, qui egrederentur ad pugnam, et tenerent hastam et clypeum.

Mercede quoque conduxit de Israel centum millia robustorum, centum talentis argenti.

Venit autem homo Dei ad illum, et ait : O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel : non est enim Dominus cum Israel et cunctis filiis Ephraim :

Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus : Dei quippe est et adjuvare, et in fugam convertere.

Dixitque Amasias ad hominem Dei : Quid ergo fiet de centum talentis quæ dedi militibus Israel : Et respondit ei homo Dei : Habet Dominus unde tibi dare possit multo his plura.

Separavit itaque Amasias exercitum, qui venerat ad eum ex Ephraim, ut reverteretur in locum suum:

At illi contra Judam vehementer irati, reversi sunt in regionem suam.

Porro Amasias confidenter eduxit populum suum, et abiit in vallem Salinarum, percussitque filios Seir decem millia.

Et alia decem millia ceperunt filii Juda, et adduxerunt ad præruptum cujusdam petræ præcipitaveruntque eos de summo in præceps, qui universi crepuerunt.

At ille exercitus, quem remiserat Amasias ne secum iret ad prælium, diffusus est in civitatibus Juda, a Samaria usque ad Bethoron, et interfectis tribus millibus, diripuit prædam magnam.

Amasias vero post cædem Idumæorum, et allatos deos filiorum Seir, statuit illos in deos sibi, et adorabat eos, et illis adolebat incensum.

Quamobrem iratus Dominus contra Amasiam, misit ad illum prophetam, qui diceret ei : Cur adorasti deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua?

A Cumque hæc ille loqueretur, respondit ei : Num consiliarius regis es? quiesce, ne interficiam te.

Discedensque propheta : Scio, inquit, quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, et insuper non acquievisti consilio meo.

Igitur Amasias rex Juda, inito pessimo consilio, misit ad Joas filium Joahaz filii Jeu, regem Israel, dicens : Veni, videamus nos mutuo.

At ille remisit nuntium, dicens : Carduus, qui est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens : Da filiam tum filio meo uxorem : et ecce bestiæ, quæ erant in silva Libani, transierunt, et conculcaverunt carduum.

Dixisti : Percussi Edom, et idcirco erigitur cor tuum in superbiam : sede in domo tua, cur malum adversum te provocas, ut cadas et tu, et Juda tecum?

Noluit audire Amasias, eo quod Domini esset voluntas, ut traderetur in manibus hostium propter B deos Edom.

Ascendit igitur Joas rex Israel, et mutuos sibi præbuere conspectus :

Amasias autem rex Juda erat in Beth-Sames Juda:

Corruitque Juda coram Israel, et fugit in tabernacula sua.

Porro Amasiam regem Juda, filium Joas filii Joahaz, cepit Joas rex Israel in Beth-Sames, et adduxit in Jerusalem : destruxitque murum ejus a porta Ephraim usque ad portam Anguli, quadringentis cubitis.

Omne quoque aurum, et argentum, et universa vasa, quæ repererat in domo Dei, et apud Obeddom. In thesauris etiam domus regiæ, et filios obsidum reduxit Samariam.

Vixit autem Amasias filius Joas rex Juda, postquam mortuus est Joas filius Joahaz rex Israel, quindecim annis.

Reliqua autem sermonum Amasiæ priorum et C novissimorum scripta sunt in libro Regum Juda et Israel.

Qui postquam recessit a Domino, tetenderunt ei insidias in Jerusalem.

Cumque fugisset Lachis, miserunt, et interfecerunt eum ibi.

Reportantesque super equos sepelierunt eum cum patribus suis in civitate David [1].

(*Cap.* XXVI.) Omnis autem populus Juda filium ejus Oziam annorum sedecim constituit regem pro patre suo Amasia.

Ipse ædificavit Ailath, et restituit eam ditioni Juda, postquam dormivit rex cum patribus suis.

Sedecim annorum erat Ozias cum regnare cœpisset, et quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem :

Nomen matris ejus Jechelia de Jerusalem.

Fecitque quod erat rectum in oculis Domini, D juxta omnia quæ fecerat Amasias pater ejus. Et exquisivit Deum in diebus Zachariæ intelligentis et videntis Deum : cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus,

Denique egressus est, et pugnavit contra Philisthim, et destruxit murum Geth, et murum Jabniæ, murumque Azoti :

Ædificavit quoque oppida in Azoto, et in Philisthim.

Et adjuvit eum Deus contra Philisthim, et contra Arabes, qui habitabant in Gurbaal, et contra Ammonitas.

Appendebantque Ammonitæ munera Oziæ : et divulgatum est nomen ejus usque ad introitum Ægypti propter crebras victorias.

Ædificavitque Ozias turres in Jerusalem super

[1] Hebræus non דויד *David* hic habet sed יהודה *Juda*. Nihilosecius, veteres alii plerique omnes interpretes, ac vulgati Latini libri *David* pari consensu præferunt.

portam Anguli et super portam Vallis, et reliquas in eodem muri latere, firmavitque eas.

Exstruxit etiam turres in solitudine, et fodit cisternas plurimas, eo quod haberet multa pecora, tam in campestribus quam in eremi vastitate :

Vineas quoque habuit et vinitores in montibus, et in Carmelo : erat quippe homo agriculturæ deditus.

Fuit autem exercitus bellatorum ejus, qui procedebant ad prælia, sub manu Jeiel scriba, Masiæque doctoris, et sub manu Ananiæ, qui erat de ducibus regis.

Omnisque numerus principum per familias virorum fortium duorum millium sexcentorum.

Et sub eis universus exercitus [1], trecentorum et septem millium quingentorum : qui erant apti ad bella, et pro rege contra adversarios dimicabant.

Præparavit quoque eis Ozias, id est, cuncto exercitui, clypeos, et hastas, et galeas, et loricas, arcusque et fundas ad jaciendos lapides.

Et fecit in Jerusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit, et in angulis murorum ut mitterent sagittas et saxa grandia : egressumque est nomen ejus procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, et corroborasset illum.

Sed cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum :

Ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis.

Statimque ingressus post eum Azarias sacerdos, et cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt regi, atque dixerunt :

Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium : egredere de sanctuario, ne contempseris ; quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo.

Iratusque est Ozias, et tenens in manu thuribulum ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus.

Statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis.

Cumque respexisset eum Azarias pontifex, et omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, et festinato expulerunt eum.

Sed et ipse perterritus, acceleravit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini.

Fuit igitur Ozias rex leprosus usque ad diem mortis suæ, et habitavit in domo separata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini.

Porro Joatham filius ejus rexit domum regis, et judicabat populum terræ.

Reliqua autem sermonum Oziæ priorum et novissimorum scripsit Isaias filius Amos, propheta,

Dormivitque Ozias cum patribus suis, et sepelierunt eum in agro regalium sepulcrorum, eo quod esset leprosus : regnavitque Joatham filius ejus pro eo.

(*Cap.* XXVII.) Viginti quinque annorum erat Joatham cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem :

Nomen matris ejus Jerusa filia Sadoc.

Fecitque quod rectum erat coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, excepto quod non est ingressus templum Domini, et adhuc populus delinquebat.

Ipse ædificavit portam domus Domini excelsam, et in muro Ophel multo construxit.

Urbes quoque ædificavit in montibus Juda, et in saltibus castella et turres.

Ipse pugnavit contra regem filiorum Ammon, et vicit eos, dederuntque ei filii Ammon in tempore illo centum talenta argenti, et decem millia coros tritici, ac totidem coros hordei : hæc ei præbuerunt filii Ammon, in anno secundo et tertio.

Corroboratusque est Joatham, eo quod direxisset vias suas coram Domino Deo suo.

Reliqua autem sermonum Joatham et omnes pugnæ ejus, et opera, scripta sunt in libro Regum Israel et Juda.

Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem.

Dormivitque Joatham cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David, et regnavit Ahaz filius ejus pro eo.

(*Cap.* XXVIII.) Viginti annorum erat Ahaz cum regnare cœpisset : et sedecim annis regnavit in Jerusalem :

Non fecit rectum in conspectu Domini sicut David pater ejus : sed ambulavit in viis regum Israel, insuper et statuas fudit Baalim.

Ipse est, qui adolevit incensum in valle Benennom, et lustravit filios suos in igne, juxta ritum gentium quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israel.

Sacrificabat quoque, et thymiama succendebat in excelsis, et in collibus, et sub omni ligno frondoso.

Tradiditque eum Dominus Deus ejus in manu regis Syriæ, qui percussit eum, magnamque prædam cepit de ejus imperio, et adduxit in Damascum ;

Manibus quoque regis Israel traditus est, et percussus plaga grandi.

Occiditque Phacee, filius Romeliæ, de Juda centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores eo quod reliquissent Dominum Deum patrum suorum.

Eodem tempore occidit Zechri, vir potens ex Ephraim, Maasiam filium regis, et Ezricam ducem domus ejus, Elcanam quoque secundum a rege.

Ceperuntque filii Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum, et puellarum, et infinitam prædam : pertuleruntque eam in Samariam.

Ea tempestate erat ibi propheta Domini, nomine Oded, qui egressus obviam exercitui venienti in Samariam, dixit eis :

Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Juda : tradidit eos in manibus vestris, et occidistis eos atrociter, ita ut ad cœlum pertingeret vestra crudelitas.

Insuper filios Juda et Jerusalem vultis vobis subjicere in servos et ancillas : quod nequaquam facto opus est : peccastis enim super hoc Domino Deo vestro.

Sed audite consilium meum, et reducite captivos, quos adduxistis de fratribus vestris, quia magnus furor Domini imminet vobis.

Steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraim, Azarias filius Johanan, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Sellum, et Amasa filius Adali, contra eos qui veniebant de prælio, et dixerunt eis :

Non introducetis huc captivos, ne peccemus Domino. Quare vultis adjicere super peccata nostra, et vetera cumulare delicta ? grande quippe peccatum est, et ira furoris Domini imminet super Israel.

Dimiseruntque viri bellatores prædam, et universa quæ ceperant, coram principibus et omni multitudine.

Steteruntque viri quos supra memoravimus, et apprehendentes captivos, omnesque qui nudi erant vestierunt de spoliis.

Cumque vestissent eos, et calceassent, et refecissent cibo ac potu, unxissentque propter laborem, et adhibuissent eis curam : quicunque ambulare non poterant, et erant imbecillo corpore, imposuerunt

[1] Sic legit Canon Memmianus in corpore : pro *trecentis* vero in margine *sexcentos* notat, et pro *septem millibus*, VIII millia. Quæ variantes lectiones, errores sunt antiquariorum seu veterum exscriptorum Latinorum. MART.

eos jumentis, et adduxerunt Jericho civitatem palmarum ad fratres eorum, ipsique reversi sunt Samariam.

Tempore illo misit rex Ahas ad regem Assyriorum, anxilium postulans.

Veneruntque Idumæi, et percusserunt multos ex Juda, et ceperunt prædam magnam.

Philisthim quoque diffusi sunt per urbes campestres. et ad meridiem Juda: ceperuntque Beth-Sames et Aialon, et Gaderoth, Socho quoque, et Thamnan, et Gamzo, cum viculis suis, et habitaverunt in eis.

Humiliaverat enim Dominus Judam propter Ahaz regem Juda, eo quod nudasset eum auxilio, et contemptui habuisset Dominum.

Adduxitque contra eum Thelgath Phalnasar [1], regem Assyriorum, qui et afflixit eum et, nullo resistente, vastavit.

Igitur Ahaz. spoliata domo Domini, et domo regum ac principum, dedit regi Assyriorum munera, et tamen nihil ei profuit.

Insuper et in tempore augustiæ suæ auxit contemptum in Dominum, ipse per se rex Ahaz immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit:

Di regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi; cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei et universo Israel.

Direptis itaque Ahaz omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausitjanuas templi Dei, et fecit sibi altaria in universis angulis Jerusalem.

In omnibus quoque urbibus Juda exstruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum suorum.

Reliqua autem sermonum ejus et omnium operum priorum [2] et novissimorum scripta sunt in libro Regum Juda et Israel.

Dormivitque Ahaz cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate Jerusalem [3]: neque enim receperunt eum in sepulcra regum Israel. Regnavitque Ezechias filius ejus pro eo.

(*Cap.* XXIX.) Igitur Ezechias regnare cœpit, cum viginti quinque esset annorum, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem:

Nomen matris ejus Abia, filia Zachariæ.

Fecitque quod erat placitum in conspectu Domini, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus.

Ipse (*Al.* ipso) anno et mense primo regni sui aperuit valvas domus Domini, et instauravit eas.

Adduxitque sacerdotes atque Levitas, et congregavit eos in plateam orientalem.

Dixitque ad eos: Audite me, Levitæ, et sanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, et auferte omnem immunditiam de sanctuario.

Peccaverunt patres nostri, et fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum: everterunt facies suas a tabernaculo Domini et præbuerunt dorsum.

Clauserunt ostia, quæ erant in porticu, et exstinxerunt lucernas, incensumque non adoleverunt et holocausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israel.

Concitatus est itaque furor Domini super Judam et Jerusalem, tradiditque eos in commotionem, et in interitum, et in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris.

En, corruerunt patres nostri gladiis, filii nostri, et filiæ nostræ, et conjuges captivæ ductæ sunt, propter hoc scelus.

Nunc ergo placet mihi ut ineamus fœdus cum Domino Deo Israel, et avertet a nobis furorem iræ suæ.

Filii mei [4], nolite negligere: vos elegit Dominus, ut stetis coram eo. et ministretis illi, colatisque eum, et cremetis [5] incensum.

Surrexerunt ergo Levitæ: Maath filius Amasai (*Al.* Amasiæ), et Joel filius Azariæ de filiis Caath:

Porro de filiis Merari, Cis filius Abdi (*Al.* Abdai), et Azarias filius Jaalelel (*Al.* Jalaleel).

De filiis autem Gerson, Joaa filius Zemma, et Eden filius Joaa.

At vero de filiis Elisaphan, Samri, et Jaiel.

De filiis quoque Asaph, Zacharias et Mathanias:

Necnon de filiis Eman, Jaiel, et Semei:

Sed et de filiis Idithun, Semeias et Oziel.

Congregaveruntque fratres suos, et sanctificati sunt, et ingressi sunt juxta mandatum regis et imperium Domini, ut expiarent domum Dei.

Sacerdotes quoque ingressi templum Domini ut sanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intro repererant in vestibulo domus Domini, quam tulerunt Levitæ, et asportaverunt ad torrentem Cedron foras.

Cœperunt autem prima die mensis primi mundare, et in die octavo ejusdem mensis ingressi sunt porticum templi Domini. expiaveruntque templum diebus octo, et in die sexta decima mensis ejusdem quod cœperant, impleverunt.

Ingressi quoque sunt ad Ezechiam regem, et dixerunt ei:

Sanctificavimus omnem domum Domini, et altare holocausti, vasaque ejus, necnon et mensam propositionis cum omnibus vasis suis, cunctamque templi supellectilem, quam polluerat rex Ahaz in regno suo, postquam prævaricatus est, et ecce exposita sunt omnia coram altare Domini.

Consurgensque diluculo Ezechias rex, adunavit omnes principes civitatis, et ascendit in domum Domini:

Obtuleruntque simul tauros septem, arietes septem, agnos septem, et hircos septem pro peccato, pro regno pro sanctuario, pro Juda.

Dixitque sacerdotibus filiis Aaron ut offerrent super altare Domini.

Mactaverunt igitur tauros et susceperunt sacerdotes sanguinem, et fuderunt illum super altare:

Mactaverunt etiam arietes, et illorum sanguinem super altare fuderunt;

Immolaveruntque agnos, et fuderunt super altare sanguinem.

Applicueruntque hircos pro peccato, coram rege et universa multitudine, imposueruntque manus suas super eos: et immolaverunt illos sacerdotes, et asperserunt sanguinem eorum coram altare pro piaculo universi Israelis:

Pro omni quippe Israel præceperat rex ut holocaustum fieret, et pro peccato.

Constituit quoque Levitas in domo Domini cum cymbalis, et psalteriis, et citharis, secundum dispositionem David, et Gad Videntis regis, et Nathan prophetæ:

Siquidem Domini præceptum fuit per manum prophetarum ejus.

[1] Mss. Latini constanter legunt hic supra *Thegglath Phalasar*, de quo dictum est sufficienter. MART.

[2] Latini alii libri addunt *suorum*.

[3] Memmianus Canon retinet hoc loco variantem lectionem: nam in contextu ita habet, *in civitate David*: sed pro *David* notat in margine *Hierusalem*. LXX legunt, *in civitate David*, quod verum comprobatur e vers. 20 cap. XVI lib. IV Regum. Hebræus, *sepelierunt eum in civitatein Jerusalem*. MART.

[4] In mss. codicibus. *filii mi*. Consequenter etiam legunt iidem mss. *filius Amasiæ*, et *filius Abdai*, non *filius Amasai*, aut *filius Abdi*. MART.

[5] Iidem hic *ei* pronomen interserunt.

Steteruntque Levitæ tenentes organa David, et sacerdotes tubas.

Et jussit Ezechias ut offerrent holocausta super altare :

Cumque offerrentur holocausta, cœperunt laudes canere Domino, et clangere tubis, atque in diversis organis, quæ David rex Israel [1] præparaverat, concrepare.

Omni autem turba adorante, cantores et ii qui tenebant tubas, erant in officio suo, donec completeretur holocaustum.

Cumque finita esset oblatio, incurvatus est rex, et omnes qui erant cum eo, et adoraverunt.

Præcepitque Ezechias et principes Levitis, ut, laudarent Dominum sermonibus David, et Asaph Videntis : qui laudaverunt eum magna lætitia, et curvato genu adoraverunt.

Ezechias autem etiam hæc addidit : Implestis manus vestras Domino, accedite, et offerte victimas, et laudes in domo Domini.

Obtulit ergo universa multitudo hostias, et laudes, et holocausta, mente devota.

Porro numerus holocaustorum, quæ obtulit multitudo, hic fuit, tauros septuaginta, arietes centum, agnos ducentos.

Sanctificaveruntque Domino boves sexcentos, et oves tria millia.

Sacerdotes vero pauci erant nec poterant sufficere ut pelles holocaustorum detraherent : unde et Levitæ fratres eorum adjuverunt eos, donec impleretur opus, et sanctificarentur antistites :

Levitæ quippe faciliori ritu sanctificantur quam sacerdotes.

Fuerunt ergo holocausta plurima, adipes pacificorum et libamina holocaustorum : et completus est cultus domus Domini.

Lætatusque est Ezechias, et omnis populus, eo quod ministerium Domini esset expletum. Derepente quippe hoc fieri placuerat.

(*Cap.* XXX.) Misit quoque Ezechias ad omnem Israel et Judam : scripsitque epistolas ad Ephraim et Manassen, ut venirent ad domum Domini in Jerusalem, et facerent Phase Domino Deo Israel.

Inito ergo consilio regis et principum, et universi cœtus Jerusalem, decreverunt ut facerent Phase mense secundo.

Non enim potuerant facere in tempore suo, quia sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, et populus nondum congregatus fuerat in Jerusalem.

Placuitque sermo regi et omni multitudini.

Et decreverunt ut mitterent nuntios in universum Israel, de Bersabee usque Dan, ut venirent, et facerent Phase Domino Deo Israel in Jerusalem : multi enim non fecerant sicut lege præscriptum est.

Perrexeruntque cursores cum epistolis ex regis imperio, et principum ejus, in universum Israel et Judam, juxta id, quod rex jusserat, prædicantes :

Filii Israel, revertimini ad Dominum Deum Abraham, et Isaac, et Israel : et revertetur ad reliquias, quæ effugerunt manum regis Assyriorum.

Nolite fieri sicut patres vestri et fratres, qui recesserunt a Domino Deo patrum suorum, qui tradidit eos in interitum, ut ipsi cernitis.

Nolite indurare cervices vestras, sicut patres vestri : tradite manus Domino, et venite ad sanctuarium ejus, quod sanctificavit in æternum :

Servite Domino Deo patrum vestrorum, et avertetur a vobis ira furoris ejus.

Si enim vos reversi fueritis ad Dominum : fratres vestri et filii habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captivos, et revertentur in terram hanc :

Pius enim et clemens est Dominus Deus vester, et non avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum.

Igitur cursores pergebant velociter de civitate in civitatem, per terram Ephraim et Manasse usque ad Zabulon, illis irridentibus et subsannantibus eos.

Attamen quidam viri ex Aser, et Manasse, et Zabulon, acquiescentes consilio venerunt Jerusalem.

In Juda vero facta est manus Domini, ut daret eis cor unum : ut facerent, juxta præceptum regis et principum, verbum Domini.

Congregatique sunt in Jerusalem populi multi, ut facerent salemnitatem azymorum, mense secundo;

Et surgentes destruxerunt altaria quæ erant in Jerusalem, atque universa, in quibus idolis adolebatur incensum, subvertentes, projecerunt in torrentem Cedron.

Immolaverunt autem Phase quarta decima die mensis secundi.

Sacerdotes quoque atque Levitæ tandem sanctificati obtulerunt holocausta in domo Domini :

Steteruntque in ordine suo, juxta dispositionem et legem Mosi hominis Dei : sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Levitarum, eo quod multa turba sanctificata non esset : et idcirco Levitæ immolarent Phase his qui non occurerant sanctificari Domino.

Magna etiam pars populi de Ephraim, et Manasse, et Issachar, et Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase, non juxta quod scriptum est :

Et oravit pro eis Ezechias, dicens : Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum : et non imputabit eis quod minus sanctificati sunt.

Quem exaudivit Dominus, et placatus est populo.

Feceruntque filii Israel, qui inventi sunt in Jerusalem, solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia magna, laudantes Dominum per singulos dies :

Levitæ quoque et sacerdotes, per organa [2], quæ suo officio congruebant.

Et locutus est Ezechias ad cor omnium Levitarum, qui habebant intelligentiam bonam super Domino :

Et comederunt septem diebus solemnitatis, immolantes victimas pacificorum, et laudantes Dominum Deum patrum suorum.

Placuitque universæ multitudini, ut celebrarent etiam alios dies septem : quod et fecerunt cum ingenti gaudio.

Ezechias enim rex Juda præbuerat multitudini mille tauros, et septem millia ovium :

Principes vero dederunt populo tauros mille, et oves decem millia : sanctificata ergo est sacerdotum plurima multitudo.

Et hilaritate perfusa omnis turba Juda, tam sacerdotum et Levitarum quam universæ frequentiæ, quæ venerat ex Israel : proselytorum quoque de terra Israel, et habitantium in Juda.

Factaque est grandis celebritas in Jerusalem, qualis a diebus Salomonis filii David regis Israel in ea urbe non fuerat.

Surrexerunt autem sacerdotes atque Levitæ benedicentes populo : et exaudita est vox eorum : pervenitque oratio in habitaculum sanctum cœli.

(*Cap.* XXXI.) Cumque hæc fuissent rite celebrata, egressus est omnis Israel, qui inventus fuerat

[1] Hebræus atque ipse Græcus textus tantum habent, *Organa David regis Israelis*, verbis quæ subsequuntur, *præparaverat concrepare*, prætermissis. In pluribus autem mss. Marlianæus *repererat* legit pro *præparaverat*.

[2] In Hebræo est, *in organis*, seu, *vasis fortitudinis Domini* : בכלי עז ליהוה : strictius adhuc in Græco ἐν ὀργάνοις τῷ Κυρίῳ. Videtur autem aliter in suo legisse exemplari Hieronymus.

in urbibus Juda, et fregerunt simulacra, succiderunt-
que lucos, demoliti sunt excelsa, et altaria de-
struxerunt non solum de universo Juda et Benja-
min, sed et de Ephraim quoque et Manasse, donec
penitus everterent :

Reversique sunt omnes filii Israel in possessio-
nes et civitates suas.

Ezechias autem constituit turmas sacerdotales
et leviticas per divisiones suas, unumquemque in
officio proprio, tam sacerdotum videlicet quam
Levitarum, ad holocausta et pacifica, ut ministra-
rent et confiterentur, canerentque in portis cas-
trorum Domini.

Pars autem regis erat, ut de propria ejus sub-
stantia offerretur holocaustum, mane semper et
vespere, Sabbatis quoque et kalendis, et solemni-
tatibus cæteris, sicut scriptum est in lege Mosi.

Præcepit etiam populo habitantium in Jerusa-
lem, ut darent partes sacerdotibus et Levitis, ut
possent vacare legi Domini.

Quod cum percrebuisset in auribus multitudinis,
plurimas obtulere primitias filii Israel frumenti,
vini, et olei, mellis quoque, et omnium, quæ gi-
gnit humus, decimas obtulerunt.

Sed et filii Israel et Juda, qui habitabant in ur-
bibus Juda, obtulerunt decimas boum et ovium,
decimasque sanctorum, quæ voverant Domino Deo
suo : atque universa portantes, fecerunt acervos
plurimos.

Mense tertio cœperunt acervorum jacere funda-
menta, et mense septimo compleverunt eos.

Cumque ingressi fuissent Ezechias et principes
ejus, viderunt acervos, et benedixerunt Domino
ac populo Israel.

Interrogavitque Ezechias sacerdotes et Levitas,
cur ita jacerent acervi.

Respondit illi Azarias sacerdos primus de stirpe
Sadoc, dicens :

Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini,
comedimus, et saturati sumus, remanseruntque
plurima, eo quod benedixerit Dominus populo suo :
reliquiarum autem copia est ista, quam cernis.

Præcepit igitur Ezechias, ut præpararent horrea
in domo Domini.

Quod cum fecissent, intulerunt tam primitias,
quam decimas, et quæcunque voverant, fideliter :

Fuit autem præfectus eorum Chonenias Levita,
et Semei frater ejus, secundus.

Post quem Jaiel, et Azarias, et Naath, et Asael,
et Jerimoth :

Jazabad quoque, et Eliel, et Jesmachias, et Maath,
et Banaias, præpositi sub manibus Choneniæ, et
Semei fratris ejus, ex imperio Ezechiæ regis et
Azariæ pontificis domus Dei ad quos omnia perti-
nebant.

Core vero filius Jemua Levites et janitor orien-
talis portæ, præpositus erat iis quæ sponte offere-
bantur Domino, primitiisque et consecratis in San-
cta sanctorum.

Et sub cura ejus Eden, et Benjamin, Jesue, et
Semeias, Amarias quoque et Sechenias, in civita-
tibus sacerdotum, ut fideliter distribuerent fratri-
bus suis partes, minoribus atque majoribus : ex-
ceptis maribus ab annis tribus et supra, cunctisque
qui ingrediebantur templum Domini, et quidquid
per singulos dies conducebat in ministerio, atque
observationibus juxta divisiones suas, sacerdotibus
per familias, et Levitis a vicesimo anno et supra,
per ordines et turmas suas, universæque multitu-
dini, tam uxoribus quam liberis eorum utriusque
sexus, fideliter cibi, de his quæ sanctificata fue-
rant, præbebantur.

Sed et filiorum Aaron per agros et suburbana
urbium singularum, dispositi erant viri, qui partes
distribuerent universo sexui masculino de sacer-
dotibus et Levitis.

Fecit ergo Ezechias universa quæ diximus, in
omni Juda : operatusque est bonum et rectum et
verum, coram Domino Deo suo, in universa cultura
ministerii domus Domini, juxta legem et cæremo-
nias, volens requirere Deum suum in toto corde
suo : fecitque, et prosperatus est.

(*Cap.* XXXII.) Post quæ et hujuscemodi verita-
tem, venit Sennacherib rex Assyriorum, et ingres-
sus Judam, obsedit civitates munitas, volens eas
capere.

Quod cum vidisset Ezechias, venisse scilicet
Sennacherib, et totum belli impetum verti contra
Jerusalem, inito cum principibus consilio virisque
fortissimis, ut obturarent [1] capita fontium, qui
erant extra urbem :

Et hoc omnium decernente sententia, congrega-
vit plurimam multitudinem, et obturaverunt cunc-
tos fontes, et rivum qui fluebat in medio terræ,
dicentes :

Ne veniant reges Assyriorum, et inveniant aqua-
rum abundantiam.

Ædificavit quoque, agens industrie, omnem mu-
rum, qui fuerat dissipatus, et exstruxit turres de-
super, et forinsecus alterum murum : instauravit-
que Mello in civitate David, et fecit universi gene-
ris armaturam et clypeos :

Constituitque principes bellatorum in exercitu,
et convocavit universos in platea portæ civitatis,
ac locutus est ad cor eorum dicens :

Viriliter agite, et confortamini : nolite timere,
nec paveatis regem Assyriorum, et universam mul-
titudinem, quæ est cum eo.

Multo enim plures nobiscum sunt, quam cum
illo.

Cum illo est brachium carneum, nobiscum Do-
minus Deus noster, qui auxiliator est noster, pu-
gnatque pro nobis.

Confortatusque est populus hujuscemodi verbis
Ezechiæ regis Juda.

Quæ postquam gesta sunt, misit Sennacherib
rex Assyriorum servos suos Jerusalem (ipse enim
cum universo exercitu obsidebat Lachis) ad Eze-
chiam regem Juda, et ad omnem populum qui erat
in urbe, dicens :

Hæc dicit Sennacherib rex Assyriorum : In
quo habentes fiduciam sedetis obsessi in Jerusa-
lem ?

Num Ezechias decipit vos, ut tradat morti in
fame et in siti, affirmans quod Dominus Deus ve-
ster liberet vos de manu regis Assyriorum ?

Numquid non iste est Ezechias qui destruxit ex-
celsa illius et altaria, et præcepit Juda et Jerusa-
lem, dicens : Coram altari uno adorabitis, et in
ipso comburetis incensum ?

An ignoratis quæ ego fecerim, et patres mei
cunctis terrarum populis ?

Numquid prævaluerunt dii gentium, omnium-
que terrarum, liberare regionem suam de manu
mea ?

Quis est de universis diis gentium quas vasta-
verunt patres mei, qui potuerit eruere populum
suum de manu mea, ut possit etiam Deus vester
eruere vos de hac manu ?

Non vos ergo decipiat Ezechias, nec vana per-
suasione deludat, neque credatis ei. Si enim nullus
potuit deus cunctarum gentium atque regnorum
liberare populum suum de manu mea, et de manu
patrum meorum, consequenter nec Deus vester
poterit eruere vos de manu mea.

Sed et alia multa locuti sunt servi ejus, contra
Dominum Deum, et contra Ezechiam servum ejus.
Epistolas quoque scripsit plenas blasphemiæ in
Dominum Deum Israel, et locutus est adversus
eum :

Sicut dii gentium cæterarum non potuerunt li-
berare populum suum de manu mea : sic et Deus

[1] Vitiose Latini quidam impressi libri *obumbrarent.*

Ezechiæ eruere non poterit populum suum de manu ista.

Insuper et clamore magno, lingua Judaica, contra populum qui sedebat, in muris Jerusalem, personabat, ut terreret eos, et caperet civitatem.

Locutusque est contra Deum Jerusalem, sicut adversum deos populorum terræ, opera manuum hominum.

Oraverunt igitur, Ezechias rex, et Isaias filius Amos prophetes, adversum hanc blasphemiam, ac vociferati sunt usque in cœlum.

Et misit Dominus angelum, qui percussit omnem virum robustum, et bellatorem, et principem exercitus regis Assyriorum : reversusque est cum ignominia in terram suam.

Cumque ingressus esset domum dei sui, filii qui egressi fuerant de utero ejus, interfecerunt eum gladio.

Salvavitque Dominus Ezechiam et habitatores Jerusalem de manu Sennacherib regis Assyriorum, et de manu omnium, et præstitit eis quietem per circuitum.

Multi etiam deferebant hostias et sacrificia Domino in Jerusalem, et munera Ezechiæ regi Juda ; qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus.

In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, et oravit Dominum : exaudivitque eum, et dedit ei signum.

Sed non juxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia elevatum est cor ejus : et facta est contra eum ira et contra Judam et Jerusalem.

Humiliatusque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor ejus, tam ipse, quam habitatores Jerusalem : et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ.

Fuit autem Ezechias dives et inclytus valde, et thesauros sibi plurimos congregavit argenti et auri et lapidis pretiosi, aromatum, et armorum universi generis, et vasorum magni pretii.

Apothecas quoque frumenti, vini, et olei, et præsepia omnium jumentorum, caulasque pecorum :

Et urbes ædificavit sibi : habebat quippe greges ovium et armentorum innumerabiles, eo quod dedisset ei Dominus substantiam multam nimis.

Ipse est Ezechias, qui obturavit superiorem fontem aquarum Gion, et avertit eas subter ad occidentem urbis David : in omnibus operibus suis fecit prospere quæ voluit.

Attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus, ut tentaretur et nota fierent omnia quæ erant in corde ejus.

Reliqua autem sermonum Ezechiæ, et misericordiarum ejus, scripta sunt in visione Isaiæ filii Amos prophetæ, et in libro Regum Juda et Israel.

Dormivitque Ezechias, cum patribus suis, et sepelierunt eum super sepulcra filiorum David, et celebravit ejus exsequias universus Juda, et omnes habitatores Jerusalem : regnavitque Manasse filius ejus pro eo.

(*Cap.* XXXIII.) Duodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, et quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem.

Fecit autem malum coram Domino, juxta abominationes gentium, quas subvertit Dominus coram filiis Israel :

Et conversus instauravit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater ejus.

Construxitque aras Baalim, et fecit lucos, et adoravit omnem militiam cœli, et coluit eam.

Ædificavit quoque altaria in domo Domini, de qua dixerat Dominus : In Jerusalem erit nomen meum in æternum.

Ædificavit autem ea cuncto exercitui cœli, in duobus atriis domus Domini.

Transireque fecit filios suos per ignem in valle Benenom :

Observabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inserviebat, habebat secum magos et incantatores :

Multaque mala operatus est coram Domino, ut irritaret eum.

Sculptile quoque et conflatile signum posuit in domo Dei, de qua locutus est Deus ad David, et ad Salomonem filium ejus, dicens :

In domo hac et (*Al. tac.* et) in Jerusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum.

Et moveri non faciam pedem Israel de terra quam tradidi patribus eorum : ita duntaxat si custodierint facere quæ præcepi eis, cunctamque legem et cæremonias atque judicia per manum Mosi.

Igitur Manasses seduxit Judam, et habitatores Jerusalem, ut facerent malum super omnes gentes quas subverterat Dominus a facie filiorum Israel.

Locutusque est Dominus ad eum, et ad populum illius, et attendere noluerunt.

Idcirco superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum : ceperuntque Manassen, et vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem.

Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum : et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum.

Deprecatusque est eum, et obsecravit intente, et exaudivit orationem ejus.

Reduxitque eum Jerusalem in regnum suum, et cognovit Manasses quod Dominus ipse est (*Al.* esset) Deus.

Post hæc ædificavit murum extra civitatem David, ad occidentem Gion in convalle ab introitu portæ piscium per circuitum usque ad Ophel, et exaltavit illum vehementer.

Constituitque principes exercitus in cunctis civitatibus Juda munitis :

Et abstulit deos alienos, et simulacrum de domo Domini :

Aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, et in Jerusalem, et projecit omnia extra urbem.

Porro instauravit altare Domini, et immolavit super illud victimas, et pacifica, et laudem.

Præcepitque Judæ, ut serviret Domino Deo Israel.

Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo.

Reliqua autem gestorum Manasse, et obsecratio ejus ad Deum suum : verba quoque Videntium, qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israel, continentur in sermonibus regum Israel.

Oratio quoque ejus et exauditio, et cuncta peccata atque contemptus, loca etiam in quibus ædificavit excelsa, et fecit lucos et statuas, antequam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Ozai.

Dormivit ergo Manasses cum patribus suis, et sepelierunt eum in domo sua : regnavitque pro eo filius ejus Amon.

Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset, et duobus annis regnavit in Jerusalem.

Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus :

Et cunctis idolis, quæ Manasses fuerat fabricatus, immolavit atque servivit.

Et non est veritus faciem Domini, sicut veritus est Manasses pater ejus : et multo majora deliquit.

Cumque conjurassent adversus eum servi sui, interfecerunt eum in domo sua.

Porro reliqua populi multitudo, cæsis iis, qui Amon percusserant, constituit regem Josiam filium ejus pro eo.

(*Cap.* XXXIV.) Octo annorum erat Josias cum

regnare cœpisset, et triginta et uno anno regnavit in Jerusalem.

Fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, et ambulavit in viis David patris sui: non declinavit neque ad dextram, neque ad sinistram.

Octavo autem anno regni sui, cum ad adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui David :

Et duodecimo anno, postquam [1] cœperat, mundavit Judam et Jerusalem ab excelsis, et lucis, simulacrisque sculptilibus.

Destruxeruntque coram eo aras Baalim : et simulacra, quæ superposita fuerant, demoliti sunt :

Lucos etiam, et sculptilia succidit atque comminuit :

Et super tumulos eorum, qui eis immolare consueverant, fragmenta dispersit.

Ossa præterea sacerdotum combussit in altaribus idolorum, mundavitque Judam et Jerusalem.

Sed et in urbibus Manasse, et Ephraim, et Simeon usque Nephthali, cuncta subvertit.

Cumque altaria dissipasset, et lucos, et sculptilia contrivisset in frusta, cunctaque delubra demolitus esset de universa terra Israel, reversus est Jerusalem.

Igitur anno octavo decimo regni sui, mundata jam terra, et templo Domini, misit Saphan filium Eseliæ, et Maasiam principem civitatis, et Joa filium Joahaz a Commentariis, ut instaurarent domum Domini Dei sui.

Qui venerunt ad Helciam sacerdotem magnum : Acceptamque ab eo pecuniam, quæ illata fuerat in domum Domini, et quam congregaverant Levitæ, et janitores de Manasse, et Ephraim, et universis reliquiis Israel, ab omni quoque Juda, et Benjamin, et habitatoribus Jerusalem, tradiderunt in manibus eorum qui præerant operariis in domo Domini, ut instaurarent templum, et infirma quæque sarcirent.

At illi dederunt eam artificibus et cæmentariis, ut emerent lapides de lapicidinis [2], et ligna ad commissuras ædificii, et ad contignationem domorum, quas destruxerant reges Juda. Qui fideliter cuncta faciebant.

Erant autem præpositi operantium, Jaath et Abdias de filiis Merari, Zacharias et Mosollam de filiis Caath, qui urgebant opus : omnes Levitæ scientes organis canere.

Super eos vero, qui ad varios usus onera portabant, erant scribæ, et magistri de Levitis janitores.

Cumque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias sacerdos librum legis Domini per manum Mosi.

Et ait ad Saphan scribam : Librum legis inveni in domo Domini : et tradidit ei.

At ille intulit volumen ad regem, et nuntiavit ei dicens : Omnia quæ dedisti in manu servorum tuorum, ecce complentur.

Argentum quod repertum est in domo Domini, conflaverunt datumque est præfectis artificum, et diversa opera fabricantium.

Præterea tradidit mihi Helcias sacerdos hunc librum.

Quem cum, rege præsente, recitasset, audissetque ille verba legis, scidit vestimenta sua : et præcepit Helciæ, et Anicam filio Saphan, et Abdon filio Micha, Saphan quoque scribæ, et Asiæ servo regis, dicens :

Ite, et orate Dominum pro me, et pro reliquiis Israel et Juda, super universis sermonibus libri istius, qui repertus est :

A Magnus enim furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba Domini, ut facerent omnia quæ scripta sunt in isto volumine.

Abiit ergo Helcias, et hi qui simul a rege missi fuerant, ad Oldam prophetidem (*Al.* propheten), uxorem Sellum filii Thecuat, filii Hasra custodis vestium : quæ habitabat in Jerusalem in Secunda : et locuti sunt ei verba, quæ supra narravimus.

At illa respondit eis : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Dicite viro qui misit vos ad me :

Hæc dicit Dominus : Ecce ego inducam mala super locum istum, et super habitatores ejus, cunctaque maledicta quæ scripta sunt in libro hoc, quem legerunt coram rege Juda. Quia dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis, ut me ad iracundiam provocarent in cuntis operibus manuum suarum.

Idcirco stillabit furor meus super locum istum, et non exstinguetur.

B Ad regem autem Juda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini.

Hæc dicit Dominus Deus Israel : Quoniam audisti verba voluminis, atque emollitum est cor tuum, et humiliatus es in conspectu Dei, super his quæ dicta sunt contra locum hunc, et habitatores Jerusalem, reveritusque faciem meam, scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me : ego quoque exaudivi te, dicit Dominus,

Jam enim colligam te ad patres tuos, et infereris in sepulcrum tuum in pace : nec videbunt oculi tui omne malum quod ego inducturus sum super locum istum et super habitatores ejus.

Retulerunt itaque regi cuncta quæ dixerat.

At ille, convocatis universis majoribus natu Juda et Jerusalem, ascendit in domum Domini, unaque omnes viri Juda et habitatores Jerusalem, sacerdotes et Levitæ, et cunctus populus a minimo usque ad maximum.

C Quibus audientibus in domo Domini, legit rex omnia verba voluminis :

Et stans in tribunali suo, percussit fœdus, coram Domino, ut ambularet post eum, et custodiret præcepta, et testimonia, et justificationes ejus, in toto corde suo, et in tota anima sua, faceretque quæ scripta sunt in volumine illo, quod legerat.

Adjuravit quoque super hoc omnes, qui reperti fuerant in Jerusalem et Benjamin : et fecerunt habitatores Jerusalem juxta pactum Domini Dei patrum suorum.

Abstulit ergo Josias cunctas abominationes de universis regionibus filiorum Israel : et fecit omnes, qui residui erant in Israel, servire Domino Deo suo.

Cunctis diebus ejus non recesserunt a Domino Deo patrum suorum.

(*Cap.* XXXV.) Fecit autem Josias in Jerusalem Phase Domino, quod immolatum est quarta decima D die mensis primi :

Et constituit sacerdotes in officiis suis, hortatusque est eos ut ministrarent in domo Domini.

Levitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino, locutus est :

Ponite arcam in sanctuario templi, quod ædificavit Salomon filius David rex Israel, nequaquam enim eam ultra portabitis :

Nunc autem ministrate Domino Deo vestro, et populo ejus Israel. Et præparate vos per domos et cognationes vestras, in divisionibus singulorum, sic-

[1] Vulgati interserunt, quod et subaudiendum est, verbum *regnare*. Ad veterum tamen ms. et Hebr. contextus fidem illud Martianæus expunxit. Verum Hebræus non illud modo verbum reticet, sed et præcedens *postquam*, atque alio fere sensu habet. *Duodecimo anno cœpit mundare Judam*, etc. Videtur adeo, ut recte constet et in Latino, aut illud quoque verbum retinendum cum Vulgatis et Græco, aut neutrum cum Hebræo.

[2] Hic constanter legitur in mss. exemplaribus *lapidicinis* : et postea vers. 22, *ad Oldam prophetam*. MART.

ut præcepit David rex Israel et descripsit Salomon filius ejus.

Et ministrate in sanctuario per familias turmasque leviticas, et sanctificati immolate Phase :

Fratres etiam vestros, ut possint juxta verba quæ locutus est Dominus in manu Mosi facere, præparate.

Dedit præterea Josias omni populo, qui fuerat inventus in solemnitate Phase, agnos et hædos de gregibus, et reliqui pecoris triginta millia, boumque tria millia. Hæc de regis universa substantia.

Duces quoque ejus, sponte quod voverant, obtulerunt, tam populo, quam sacerdotibus et Levitis.

Porro Helcias, et Zacharias, et Jaiel, principes domus Domini, dederunt sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commistim duo millia sexcenta, et boves trecentos.

Chonenias autem, et Semeias etiam, et Nathanael, et fratres ejus, necnon Absabias, et Jeiel, et Jozabad. principes Levitarum, dederunt cæteris Levitis ad celebrandum Phase quinque millia pecorum, et boves quingentos.

Præparatumque est ministerium, et steterunt sacerdotes in officio suo :

Levitæ quoque in turmis, juxta regis imperium.

Et immolatum est Phase, asperseruntque sacerdotes manu sua sanguinem, et Levitæ detraxerunt pelles holocaustorum : et separaverunt ea, ut darent per domos et familias singulorum, et offerrentur Domino, sicut scriptum est in libro Mosi :

De bobus quoque fecerunt similiter.

Et assaverunt Phase super ignem, juxta quod lege præceptum est :

Pacificas verohostias coxerunt in lebetibus, et cacabis, et ollis, festinato distribuerunt universæ plebi :

Sibi autem et sacerdotibus postea paraverunt :

Nam in oblatione holocaustorum et adipum usque ad noctem sacerdotes fuerunt occupati.

Unde Levitæ sibi et sacerdotibus filiis Aaron paraverunt novissimis.

Porro cantores filii Asaph stabant in ordine suo, juxta præceptum David, et Asaph, et Emam, et Idithun, prophetarum regis :

Janitores vero per portas singulas observabant, ita ut ne puncto quidem discederent a ministerio :

Quam ob rem et fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibos.

Omnis igitur cultura Domini rite completa est in die illa, ut facerent Phase, et offerrent holocausta super altare Domini, juxta præceptum regis Josiæ.

Feceruntque filii Israel, qui reperti fuerant ibi, Phase in tempore illo, et solemnitatem azymorum septem diebus.

Non fuit Phase simile huic in Israel a diebus Samuelis prophetæ :

Sed nec quisquam de cunctis regibus Israel fecit Phase sicut Josias, sacerdotibus, et Levitis, et omni Judæ, et Israel qui repertus fuerat, et habitantibus in Jerusalem.

Octavo decimo anno regni Josiæ hoc Phase celebratum est.

Postquam instauraverat Josias templum, ascendit Necao [1] rex Ægypti ad pugnandum in Charcamis juxta Euphraten : et processit in occursum ejus Josias.

At ille, missis ad eum nuntiis, ait :

Quid mihi et tibi est, rex Juda? non adversum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinato ire præcepit : desine adversum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te.

Noluit Josias reverti, sed præparavit contra eum bellum, nec acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei, verum perrexit ut dimicaret in campo Mageddo.

Ibique vulneratus a sagittariis, dixit pueris suis : Educite me de prælio, quia oppido vulneratus sum.

Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum qui sequebatur eum more regio, et asportaverunt eum in Jerusalem, mortuusque est, et sepultus in mausoleo patrum suorum :

Et universus Juda et Jerusalem luxerunt eum : Jeremias maxime : cujus omnes cantores atque cantatrices, usque in præsentem diem, lamentationes super Josia replicant : et quasi lex obtinuit in Israel :

Ecce scriptum fertur in Lamentationibus.

Reliqua autem sermonum Josiæ et misericordiarum ejus, quæ lege præcepta sunt Domini, opera quoque illius prima et novissima scripta sunt in libro Regum Israel et Juda.

(*Cap.* XXXVI.) Tulit ergo populus terræ Joahaz filium Josiæ, et constituit regem pro patre suo in Jerusalem.

Viginti trium annorum erat Joahaz cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem.

Amovit autem eum rex Ægypti cum venisset Jerusalem, et condemnavit terram centum talentis argenti, et talento auri.

Constituitque regem pro eo, Eliacim fratrem ejus, super Judam et Jerusalem, et vertit nomen ejus Joiacim.

Ipsum vero Joahaz tulit secum, et abduxit in Ægyptum.

Viginti quinque annorum erat Jojacim cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem : fecitque malum coram Domino Deo suo.

Contra hunc ascendit Nabuchodonosor rex Chaldæorum, et vinctum catenis duxit in Babylonem.

Ad quam et vasa Domini transtulit, et posuit ea in templo suo.

Reliqua autem verborum Jojacim, et abominationum ejus, quas operatus est, quæ inventa sunt in eo, continentur in libro Regum Israel et Juda.

Regnavitque Jojachin filius ejus pro eo.

Octo annorum erat Jojachin cum regnare cœpisset et tribus mensibus ac decem diebus regnavit in Jerusalem, fecitque malum in conspectu Domini.

Cumque anni circulus volveretur, misit Nabuchodonosor rex, qui adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini.

Regem constituit Sedeciam fratrem ejus [2] super Judam et Jerusalem.

Viginti et unius anni erat Sedecias cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem.

Fecitque malum in oculis Domini Dei sui, nec

[1] In Memmiano Canone legitur varians isthæc lectio *Necho* et *Nechato*. MART.

[2] In Hebræo scriptum legimus אחיו *ahhiv*. quod significat *fratrem ejus*. Hanc lectionem Latini mss. antiquiores retinent, Regius scilicet, Memmian., Colbert, Aniciensis, San-German. num. 15, Corbeiens. num. 14, et alius num. 1 prima manu. Sciendum tamen hic esse Hebraismum, quo *patruus* dicitur *frater*, sicut in Genesi Abraham et Lot *fratres* appellantur, Sedecias enim frater fuit patris Jojachin, ut Abraham frater fuit patris Lot. *Frater* igitur hoc loco idem est quod avunculus, seu consanguineus. MART.

Vulgata, *patrum*, quemadmodum et Syrus præfert, et luculentissime Græcus, Σεδεκίαν, ἀδελφὸν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ut cum satis abunde constet Sedeciam Jechoniæ patruum exstitisse, non proprie fratrem, suspicari liceat, in Hebræo quoque archetypo scriptum olim אח אביו pro quo nunc obtinet uno verbo אחיו. Cæterum et Martianæus, qui impressam lectionem ad plurium mss. fidem restituit, Hebraismum hunc esse notat Abrami exemplo, qui Lothum filium fratris sui, fratrem appellavit.

erubuit faciem Jeremiæ prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini.

A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adjuraverat eum per Deum,

et induravit cervicem suam et cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Israel.

Sed et universi principes sacerdotum, et populus, prævaricati sunt inique juxta universas abominationes gentium, et polluerunt domum Domini, quam sanctificaverat sibi in Jerusalem.

Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum de nocte consurgens, et quotidie commonens, eo quod parceret populo et habitaculo suo.

At illi subsannabant nuntios Dei, et parvipendebant sermones ejus, illudebantque prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, et esset nulla curatio.

Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, et interfecit juvenes eorum gladio in domo sanctuarii sui.

Non est misertus adolescentis, et virginis, et senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus ejus.

Universaque vasa domus Domini, tam majora quam minora, et thesauros templi, et regis, et principum, transtulit in Babylonem.

Incenderunt hostes domum Dei, dextruxeruntque murum Jerusalem, universas turres combusserunt, et quidquid pretiosum fuerat, demoliti sunt.

Si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem servivit regi et filiis ejus, donec imperaret rex Persarum, ut compleretur sermo Domini ex ore Jeremiæ, et celebraret terra sabbata sua :

Cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni.

Anno autem primo Cyri regis Persarum ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ. suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, qui jussit prædicari in universo regno suo, etiam per scripturam, dicens :

Hæc dicit Cyrus rex Persarum : Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, et ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa.

Quis ex vobis est in omni populo ejus ? sit Dominus Deus suus cum eo, et ascendat.

Explicit liber Paralipomenon, Hebraice Verba Dierum.

PRÆFATIO HIERONYMI IN EZRAM [1].

Utrum difficilius sit, facere quod poscitis, an negare, necdum statui. Nam neque vobis aliquid imperantibus abnuere, sententiæ est : et magnitudo oneris impositi ita cervices premit, ut ante sub fasce ruendum sit, quam levandum. Accedunt ad hoc invidorum studia, qui omne quod scribimus, reprehendendum putant : et interdum contra se conscientia repugnante, publice lacerant quæ occulte legunt, in tantum ut clamare compellar, et dicere : *Domine libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa* (*Psal.* CXIX, 2). Tertius annus est quod semper scribitis atque rescribitis, ut Ezræ librum [2] vobis de Hebræo transferam : quasi non habeatis Græca et Latina volumina, aut quidquid illud est quod a nobis vertitur, non statim ab omnibus (*Al.* hominibus) conspuendum sit. Frustra autem, ut ait quidam [3], niti, neque aliud fatigando nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Itaque obsecro vos, mi Domnion et Rogatiane charissimi, ut privata lectione contenti, librum non efferatis in publicum, nec fastidiosis ingeratis cibos, vitetisque eorum supercilium, qui judicare tantum de aliis, et ipsi facere nihil noverunt. Si qui autem fratrum sunt, quibus nostra non displicent, his tribuatis exemplar, admonentes ut Hebræa nomina, quorum grandis in hoc volumine copia est, distincte et per intervalla transcribant. Nihil enim proderit emendasse librum, nisi emendatio librariorum diligentia conservetur. Nec quemquam moveat quod unus a nobis editus liber est : nec apocryphorum tertii et quarti [4] somniis delectetur : quia et apud Hebræos Ezræ Neemiæque sermones in unum volumen coarctantur : et quæ non habentur apud illos, nec de viginti quatuor senibus sunt [5], procul abjicienda. Si

[1] Exegimus cum hanc Præfationem, tum vero ipsum Ezræ librum ad Vaticanum ms. olim reginæ Suecorum num. 7, prænotatum, remotissimæ illum antiquitatis, ac probæ cumprimis notæ.

[2] Addunt editi libri cum aliquot recentioribus mss. *et Esther* : quasi non solum pro Ezræ volumine Latine reddendo, sed etiam pro libro Esther scriberent atque rescriberent Domnion et Rogatianus. Quod tamen falsum esse deprehenditur, tum ex tempore quo liber Estheris, longe post Ezram, in Latinum sermonem ab Hieronymo translatus est, tum ex personis ad quas infra Præfatio in librum Esther perhibetur scripta : Paulæ namque juniori ac Eustochio virgini dedicatum esse constat, non Domnioni et Rogatiano. MART.

— Domnion et Rogatianus quibus inscribitur. Paulo ante, verba *atque rescribitis* Reginæ ms. præ-

termittit, qui et *Esdram* pro *Ezram* constanter legit.

[3] Crispus Sallustius hic est, qui eam promit sententiam in Jugurtha cap. 3, « Frustra autem niti, neque aliud fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. »

[4] Addit Reginæ mss. cum vetustioribus editis, *libri*

[5] Libros Canone Hebraice veritatis comprehensos intelligit, uti fidem facit principium Scripturarum Galeatum libris Samuelis ac Malachim præfixum. MART.

— Mavult Victorius verbum *habentur* hic repeti hoc modo : « Quæ non habentur apud illos, nec de viginti quatuor senibus habentur, sunt procul abjicienda. » Ms. Reginæ *senioribus*. Vide Prologum Galeatum, ubi ex aliorum sententia, non sua, XXIV senibus Apocal. librorum Scripturæ numerum comparat.

quis autem Septuaginta vobis opposuerit interpretes, quorum exemplaria varietas ipsa, lacerata et eversa [1] demonstrat (nec potest utique verum asseri quod diversum est), mittite eum ad Evangelia : in quibus multa ponuntur quasi de Veteri Testamento, quæ apud Septuaginta Interpretes non habentur, velut illud, *Quoniam Nazaræus vocabitur ;* et, *Ex Ægypto vocavi filium meum* : et, *Videbunt in quem compunxerunt;* multaque alia, quæ latiori operi [2] reservamus : et quærite ab eo ubi scripta sint. Cumque proferre non potuerit, vos legite de his exemplaribus quæ nuper a nobis edita [3], maledicorum quotidie linguis confodiuntur. Sed ut ad compendium veniam, certe quod illaturus sum, æquissimum est. Edidi aliquid quod non habetur in Græco, vel aliter habetur quam a me versum est ? Quid interpretem laniant? interrogent [4] Hebræos: et ipsis auctoribus, translationi meæ vel arrogent vel derogent fidem. Porro aliud est, si clausis, quod dicitur, oculis mihi volunt maledicere [5], et non imitantur Græcorum studium ac benevolentiam, qui post Septuaginta Translatores, jam Christi Evangelio coruscante, Judæos et Ebionitas Legis veteris interpretes, A Aquilam videlicet, et Symmachum, et Theodotionem, et curiose legunt, et per Origenis laborem in Ἑξαπλοῖς, Ecclesiis dedicarunt. Quanto magis Latini grati esse deberent,quod exultantem cernerent Græciam a se aliquid mutuari [6]? Primum enim magnorum sumptuum est et infinitæ difficultatis,exemplaria posse habere omnia: deinde etiam qui habuerint, et Hebræi sermonis ignari sunt, magis errabunt, ignorantes quis e multis verius dixerit. Quod etiam sapientissimo cuidam nuper apud Græcos accidit [7], ut interdum Scripturæ sensum relinquens, uniuscujusque interpretis [8] sequeretur errorem.Nos autem qui Hebrææ linguæ saltem parvam habemus scientiam, et Latinus nobis utcunque sermo non deest, et de aliis magis possumus judicare, et ea quæ ipsi intelligimus, in nostra lingua promere. B Itaque licet et excetra sibilet [9], *victorque Sinon* [10] *incendia jactet* (*Æneid.* lib. II) : nunquam meum, juvante Christo, silebit eloquium : etiam præcisa lingua balbutiet. Legant qui volunt : qui nolunt abjiciant. Eventilent apices, litteras calumnientur : magis vestra charitate provocabor ad studium, quam illorum detractione et odio deterrebor.

[1] Malim equidem *inversa* legi, siquidem compertum est, exemplaria Græca, et quæ ex iis sunt omnium antiquissima ac præstantissima, Alexandrinum, quod dicimus, et Romanum, nedum in Canonicorum librorum seriem tertium quoque Esdræ recipere, sed et cæteris præponere, inverso ordine, ut qui ab Ecclesia Latina inter apocryphos rejicitur, ita Græcis probetur, ut in eorum codicibus priorem locum obtineat. Hoc vero est quod maxime causatur S. Pater, qui genuinos Esdræ libros ad Hebræum canonem exigens, primus, ut videtur, omnium etiam apud Latinos, tertium librum qui Ἱερεὺς α' Græce inscribitur, utpote Hebræis repudiatum, nec eorum lingua conscriptum, sed Græca, docuit cum apocryphis esse abjiciendum. Nihil jam dicimus de quarto, quem acriori adhuc censura S. Pater perstringit cum hic atque alibi, tum præcipue libro contra Vigilantium. Falluntur enim qui eum putant auctoritatis aliquid ei libro tribuisse, cum scribens contra Helvidium, « Sive, inquit, Mosem volueris auctorem Pentateuchi, sive Esdram ejusdem instauratorem, non recuso. »Nam etsi illa de sacris codicibus instauratis mentio, ab hoc Esdræ libro repeti videatur: vulgaris tamen adeo erat ac tralatitia omnium sermone fabula, ut nihil ab eo repeti auctore opus esset. Cum vero Hieronymianæ sententiæ accesserint universæ Ecclesiæ decreta, duoque tantum priores Esdræ libri in canonem recepti C sint, projectæ ad omne mendacium audaciæ est, quod Clericus ad hunc Hieronymi locum, Erasmianam calumniam instaurans contra Catholicos, blaterat, *citra discrimen ullum tertium et quartum Esdræ librum a nobis nunc legi.*

[2] Opus illud latius liber est *de Optimo genere interpretandi*, de quo superius Præfatione in Paralipomena sermonem habuit, ubi easdem Scripturæ sententias replicat, dicens: « scripsi nuper librum *de Optimo genere interpretandi*, ostendens illa de Evangelio: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, » etc. MART.

— Hæc est quam exaravit haud multo post ad Pammachium epistola in nostra recensione 57, *de Optimo genere interpretandi*. Vide quæ de ea diximus paulo superius ad Præf. in Paralipomena.

[3] De prophetarum, opinor, versione loquitur a se nuper adornata. Vide Præfationem quam huic tomo præfiximus.

[4] Bono æquæ sensu in Reginæ ms., *Qui interpretem laniant interrogent*, etc.

[5] De hoc proverbo vide *Chiliadas* Erasmi in voce *Andabatæ*. Huc enim amandat ipse lectorem. MART.

[6] Hic autem puto innui Psalterium et Prophetas, quæ ex Hebræo fuerat interpretatus, et Sophronius in Græcum ex Latino refudit. Vide cap., 134 libri *de Viris Illustribus*.

[7] Hic Apollinaris Laodicenus est, quem de nomine appellat libro secundo *Apologiæ contra Rufinum* , num 34:« Prætermitto, *inquiens*, Apollinarium, qui bono quidem studio, sed non secundum scientiam, de omnium translationibus in unum vestimentum pannos assuere conatus est, et consequentiam Scripturæ non ex regula veritatis,sed ex suo judicio retexere, » etc.

[8] Plures mss. *uniuscujuslibet interpretis.*

[9] Exemplaria Canonis legunt hic *excetra*, sicque D scriptum habent quamplures mss. alii codices. Unus Vaticanus, et alter Domus Cartusianorum secus Avenionem ita retinent, *et hydra sibilet.* Eodem sensu Biblia sacra mss. Collegii Avenionens's e Societate Jesu legunt, *licet serpens sibilet.* In uno e manuscripiis Silvæ Majoris ridicula posuit exscriptor hujusmodi lectionem: *licet extra citiara sibilet.* MART.

[10] Hemistichium istud est Virgilianum, quo Rufinum carpere videtur Hieronymus. De Sinone prodirore insigni vide III lib. *Ænid.* MART.

INCIPIT

LIBER EZRÆ

(*Cap.* I.) In anno primo Cyri regis Persarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum : et transduxit vocem in universo regno suo, etiam per scripturam, dicens [1]:

Hæc dicit Cyrus rex Persarum : Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa. Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat Jerusalem, quæ est in Juda, et ædificet domum Domini Dei Israel, ipse est Deus qui est in Jerusalem. Et omnes reliqui in cunctis locis ubicunque habitant, adjuvent eum viri de loco suo, argento et auro, et substantia, et pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt templo Dei, quod est in Jerusalem.

Et surrexerunt principes patrum de Juda, et Benjamin, et sacerdotes, et Levitæ, et omnis cujus Deus suscitavit spiritum [2], ut ascenderent ad ædificandum templum Domini, quod erat in Jerusalem. Universique qui erant in circuitu, adjuverunt manus eorum in vasis argenteis et aureis, in substantia, in jumentis, in supellectili, exceptis his quæ sponte obtulerant. Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, et posuerat ea in templo dei sui.

Protulit autem ea Cyrus rex Persarum per manum Mithridatis filii Gazabar, et annumeravit ea Sassabasar principi Judæ. Et hic est numerus eorum: phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille, cultri viginti novem, scyphi aurei triginta, scyphi argentei secundi quadringenti decem: vasa alia mille. Omnia vasa aurea et argentea quinque millia quadringenta: universa tulit Sassabasar cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Jerusalem.

(*Cap.* II.) Hi sunt autem filii provinciæ qui ascenderunt de captivitate, quam transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis in Babylonem, et reversi sunt in Jerusalem et Judam, unusquisque in civitatem suam. Qui venerunt cum Zorobabel, Jesita : Neemia, Saraia, Raelaia, Mardochai, Belsan [3], Mesphar, Beguai, Reum, Baana. Numerus virorum populi Israel.

Filii Pharos [4], duo millia centum septuaginta duo; filii Sephetia, trecenti septuaginta duo; filii Arca, septingenti septuaginta quinque; filii Phaeth Moab, filiorum Josue Joab, duo millia octingenti duodecim: filii Elam, mille ducenti quinquaginta quatuor: filii Zethua nongenti quadraginta quinque: filii Zachai septingenti sexaginta; filii Bani, sexcenti quadraginta duo; filii Bebai, sexcenti viginti tres; filii Azgad, mille ducenti viginti duo; filii Adonicam, sexcenti sexaginta sex; filii Beguai, duo millia quinquaginta sex; filii Adin, quadringenti quinquaginta quatuor; filii Ather qui erant ex Ezechia [5], nonaginta octo ; filii Bezai, trecenti viginti tres; filii Jora, centum duodecim; fili Asom, ducenti viginti tres, filii Gebbar nonaginta quinque; filii Beth-Leem, centum viginti tres viri; Netupha, quinquaginta sex; viri Anathothi, centum viginti octo; filii Azmaveth, quadraginta duo: filii Cariath-Arim, Cephira, et Beroth, septingenti quadraginta tres; filii Arama et Gaba, sexcenti viginti unus; viri Machmas, centum viginti duo viri : Beth-El et Ai [6] ducenti viginti tres; filii Nebo, quinquaginta duo; filii Megbis, centum quinquaginta sex; filii Elam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor: filii Arim, trecenti viginti : filii Lod, Adid, et Ono, septingenti viginti quinque; filii Jeriho, trecenti quadraginta quinque; filii Senaa, tria millia sexcenti triginta.

Sacerdotes: filii Idata [7] in domo Jesuæ, nongenti septuaginta tres : filii Emmer, mille quinquaginta duo; filii Pheshur [8] mille ducenti quadraginta septem, filii Arim, mille decem et septem.

Levitæ: filii Jesuæ, et Cedmiel filiorum Odevia, septuaginta quatuor. Cantores: filii Asaph, centum viginti octo. Filii Janitorum: filii Seltum, filii Ater, filii Telmon, filii Accub, filii Hatita, filii Sobai : universi centum triginta novem. Nathinæi : filii Silia, filii Asupha, filii Tebbaotæ, filii Ceros, filii Siaa, filii Pitadon, filii Lebana, filii Agaba, filii Accub, filii Agab, filii Senila, filii Anan, filii Gaddel, Gaer, filii Raaia, filii Rasin, filii Necoda, filii Gazem, filii Aza, filii Phasea, filii Besee, filii Asennaa, filii Munim, filii Nephusim, filii Becbuc, filii Acupha, filii Arur, filii Besluth, filii Naida, fili Arsa, filii Bercos, filii Sisara, filii Thema, filii Nasia, filii Athupha.

Filii servorum Salomonis, filii Sotei, filii Sopheret, filii Pharuda, filii Iala, filii Dercon: filii Geddel, filii Saphatia, filii Atil, filii Phochereth, qui erant de Asebaim, filii Amni : omnes Nathmæi, et filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.

Et hi qui ascenderunt de Tiremelaa (*Al.* Thelmala), Tuelarsa, Cherub, Eddon, Emmer [9], et non potuerunt indicare domum patrum suorum et semen

[1] Regius codex : *Et præcepit per totum regnum suum ex scripto dicens*, etc. MART.

[2] Plus habet Reginæ ms. *Spiritum sanctum*: paulo quoque post *adjuvarent* pro *adjuvarunt* legi.

[3] Reginæ ms. *Belran* et *Beguiai*, minus tamen recte.

[4] Idem ms. *Phares* pro *Pharos*, tum *Thessesfetia* pro *Sephetia*, denique *Fet Moab* pro *Phael Moab*, atque alia ejusmodi scripturæ vitia quæ sigillatim adnotare vix operæ pretium est.

[5] Hic paulo pressius ad Hebræum legit Reginæ ms. *Jezechia*: et mox *Gabbar* pro *Gebbar*, et *Nepte* pro *Netupha*, *Cephiara* pro *Cephira*, denique *Gabasses* pro *Gabaa*, quæ videntur scribarum menda.

[6] Cum sint et nostri, et quos Martianæus laudat, mss. libri qui præferant *Gai* pro *Ai*, non scribarum eam esse culpam, sed doctam ipsius fortasse interpretis curam putandum est, cum et in Hebræo per ע efferatur העי, quam litteram per *g* vetustiores interpretes passim reddunt.

[7] Vulgati, *Iadaia*; Regin. ms. *Adaia*: piget vero longius hæc persequi.

[8] Idem retinent hic loci *Phesur* vel *Phessur* sine אא, hoc est sine *Hheth* Hebræo, quod tamen legitur פשחור *Pheshhur*. MART.

[9] Scriptorum vitio confusa sunt istæc nomina, sic enim habent ms. codices *Arsacherub et Dom* et *Mer*: proclivi quidem lapsu scribunt, *et Dom* pro *Eddon* pro *et*, *Mer* pro *Emmer*. MART.

suum ; utrum ex Israel essent. Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexenti quinquaginta duo.

Et de filiis sacerdotum : Filii Hobia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis uxorem, et vocatus est nomine eorum : hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, et non invenerunt, et ejecti sunt de sacerdotio.

Et dixit Athersatha eis ut non comederent de Sancto sanctorum, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus. Omnis multitudo quasi unus, quadraginta duo millia trecenti sexaginta, exceptis servis eorum et ancillis, qui erant septem millia trecenti triginta septem : et in ipsis cantores atque cantatrices ducenti. Equi eorum septingenti triginta sex ; muli eorum, ducenti quadraginta quinque ; cameli eorum, quadringenti triginta quinque ; asini eorum, sex millia septingenti viginti.

Et de principibus patrum, cum ingrederentur templum Domini, quod est in Jerusalem, sponte obtulerunt in domum Dei ad extruendam eam in loco suo. Secundum vires suas dederunt impensas operis, auri solidos sexaginta [1] millia et mille, argenti minas quinque millia, et vestes sacerdotales centum. Habitaverunt ergo sacerdotes et Levitæ, et de populo, et cantores, et janitores, et Nathinæi, in urbibus suis, universusque Israel in civitatibus suis.

(*Cap.* III.) Jamque venerat mensis septimus, et erant filii Israel in civitatibus suis : congregatus est ergo populus quasi vir unus in Jerusalem, et surrexit Josue filius Josedec, et fratres ejus sacerdotes, et Zorobabel filius Salathiel, et fratres ejus, et ædificaverunt altare Dei Israel, ut offerrent in eo holocautomata, sicut scriptum est in lege Mosi vir Dei. Collocaverunt autem [2] altare Dei [3] super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis terrarum, et obtulerunt super illud holocaustum Domino mane et vespere : feceruntque solemnitatem Tabernaculorum, sicut scriptum est, et holocaustum diebus singulis per ordinem secundum præceptum opus diei in die suo. Et post hæc holocaustum juge, tam in Kalendis quam in universis solemnitatibus Domini, quæ erant consecratæ, et in omnibus in quibus ultro offerebatur munus Domino. A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino : porro templum Dei fundatum necdum erat. Dederunt autem pecunias latomis et cæmentariis : cibum quoque et potum, et oleum, Sydoniis Tyriisque, ut deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Joppe, juxta quod præceperat Cyrus rex Persarum eis.

Anno autem secundo adventus eorum ad templum Dei in Jerusalem, mense secundo, cœperunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedec, et reliqui de fratribus eorum sacerdotes, et Levitæ, et omnes qui venerant de captivitate in Jerusalem, et constituerunt levitas a viginti annis et supra, ut urgerent opus Domini. Steti que Jesue et filii ejus, et fratres ejus : Cedmiel et filii ejus, et filii Juda, quasi vir unus, ut instarent super eos qui faciebant opus in templo Dei [4] : filii Enadad, et filii eorum, et fratres eorum Levitæ.

Fundato igitur a cæmentariis templo Domini, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis et Levitæ filii Asaph in cymbalis, ut laudarent Deum per manus David regis Israel. Et concinnebant in hymnis et confessione Domino : Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus super Israel. Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eo quod fundatum esset templum Domini : plurimi etiam de sacerdotibus et Levitis, et principes patrum, seniores [5], qui viderant templum prius, cum fundatum esset hoc templum [6] in oculis eorum, flebant voce magna : et multi vociferantes in lætitia, elevabant vocem. Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, et vocem fletus populi : commistim enim populus vociferabatur clamore magno, et vox audiebatur procul.

(*Cap.* IV.) Audierent autem hostes Judæ et Benjamin quia filii captivitatis ædificarent templum Domino Deo Israel : et accedentes ad Zorobabel et ad principes patrum, dixerunt eis : Ædificemus vobiscum, quia ita ut vos, quærimus Deum vestrum : ecce nos immolamus victimas a diebus Azor Addan regis Assur, qui adduxit nos huc. Et dixit eis Zorobabel, et Josue, et reliqui principes patrum Israel : Non est vobis et nobis ut ædificemus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro sicut præcepit nobis Cyrius rex Persarum.

Factum est igitur ut populus terræ impediret manus populi Judæ, et turbaret eos in ædificando. Conduxerunt quoque (*Al.* autem) adversus eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum, et usque ad regnum Darii regis Persarum.

In regno autem Assueri, in principio regni ejus, scripserunt accusationem adversus habitatores Judæ et Jerusalem. Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam Mithridates, et Thabeel, et reliqui qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem regem Persarum : epistola autem accusationis scripta erat Syriace, et legebatur sermone Syro. Reum Beelteem, et Samsai scriba scripserunt epistolam unam de Jerusalem Artaxerci regi, hujusmodi : Reum Beelteem, et Samsai scriba, et reliqui consiliatores eorum. Dinæi, et Aptiarsathonæi [7], Terphalæi, Apharsæi, Erchuæi, Babylonii, Susanechæi [8], Deæi, Elamith, et cæteri de gentibus quas transtulit Asenaphar magnus et gloriosus : et habitare eas fecit in civitatibus Samariæ, et in reliquis regionibus trans flumen in pace.

Hoc est exemplar epistolæ quam miserunt ad eum :

ARTAXERXI REGI, SERVI TUI, VIRI QUI SUNT TRANS FLUVIUM, SALUTEM DICUNT.

Notum sit regi, quia Judæi, qui ascenderunt a te

[1] Hic quoque error est in numero : nam pro *sexaginta* posuerunt *quadraginta*, numericis notis hoc modo transpositis, XL *millia*, pra LX *millia*. Canon Memmiauus habet in contextu, *solidos* CCCC *millia et mille*, in margine vero XL notat pro CCCC. MART. — Regin. ms. perperam, *solidos quadringenta et mille* : Martianæus in suis videtur offendisse, *quadraginta millia et mille* : quæ tamen falsa ipsa quoque est lectio.

[2] *Collocaverunt autem*, etc. Regius codex : *Et collocaverunt altare Dei Israel super bases suas ; deterrebant autem eos per circuitum populi terrarum.* MART.

[3] Nomen *Dei* hic reticet cum Reginæ ms. ipse etiam Hebræus textus et Græcus.

[4] Aliter idem Regius ms : *Et filii Juda unanimiter, ut instarent super eos qui faciebant opera in domo Dei . . . et fratres eorum Levitæ fundaverunt ædificantes templum Domini, et steterunt sacerdotes*, etc. Deinde v. 11 : *Et responderunt in laude et in confessione Domino, quoniam bonus est.* Has omnes variantes lectiones retinet supra dictus codex num. 5564 in bibliotheca Christianissimi regis. MART.

[5] Hoc modo legit præstantissimum exemplar ms. San-Germanens. num. 15. Alii mss. codices minus bene legunt, *et hoc templum*, etc. MART.

[6] Vulgati *et hoc templum*, etc. refragantibus nostris aliorumque mss.

[7] Reginæ ms., *Dinai et Pharsathæi*, et mox *Susanechanei*.

[8] Mss. habent *Apharsathæi* sine ס *Caph* in fine vocis. Hebræus non sibi constat in hoc scribendo nomine, nam hic scribitur cum ת *Thau* in medio, infra autem capite v. vers. 6, absque ullo *Thau*, *Apharsachæi*.

ad nos, venerunt in Jerusalem civitatem rebellem et pessimam, quam ædificant, exstruentes muros ejus, et parietes componentes. Nunc igitur notum sit regi, quia si civitas illa ædificata fuerit, et muri ejus instaurati, tributum, et vectigal, et annuos reditus non dabunt, et usque ad reges hæc noxa perveniet. Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus, et quia læsiones regis videre nefas ducimus, idcirco misimus et nuntiavimus regi, ut recenseas in libris historiarum patrum tuorum, et invenies scriptum in Commentariis : et scies quoniam urbs illa urbs rebellis est, et nocens regibus et provinciis, et bella concitantur in ea ex diebus antiquis : quamobrem et civitas ipsa destructa est. Nuntiamus nos regi, quoniam si civitas illa ædificata fuerit, et muri ipsius instaurati, possessionem trans fluvium non habebis.

Verbum misit rex ad ReumBeelteem, et Samsai scribam, et ad reliquos qui erant in consilio eorum habitatores Samariæ, et cæteris trans fluvium, salutem dicens et pacem.

Accusatio, quam misistis ad nos, manifeste lecta est coram me. Et a me præceptum est : et recensuerunt, inveneruntque quoniam civitas illa a diebus antiquis adversum reges rebellat, et seditiones et prælia concitantur in ea : nam et reges fortissimi fuerunt in Jerusalem, qui et dominati sunt omni regioni quæ trans fluvium est : tributum quoque et vectigal, et reditus accipiebant. Nunc ergo audite sententiam : ut prohibeatis viros illos, et urbs illa non ædificetur, donec si forte a me jussum fuerit. Videte ne negligenter hoc impleatis, et paulatim crescat malum contra reges.

Itaque exemplum edicti Artaxerxis regis lectum est coram Reum, et Samsai scriba, et consiliariis eorum : et abierunt festini in Jerusalem ad Judæos, et prohibuerunt eos in brachio et robore. Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem, et non fiebat uoque ad annum secundum regni Darii regis Persarum.

(*Cap.* V.) Prophetaverunt autem Aggæus propheta et Zacharia filius Addo, prophetantes ad Judæos, qui erant in Judæa et Jerusalem, in nomine Dei Israel, tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedec, et cœperuut ædificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis prophetæ Dei adjuvantes eos.

In ipso tempore venit ad eos Thathannai [1], qui erat dux trans flumen, et Stharbuzanai, et consiliarii eorum : sicque dixerunt eis : Quis dedit vobis consilium, ut domum hanc ædificaretis, et muros hos intauraretis ? Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina hominum auctorum illius ædificationis. Oculus autem Dei eorum factus est super senes (*Al.* seniores) Judæorum, et non potuerunt inhibere eos. Placuitque ut res ad Darium referretur, et tunc satisfacerent adversus accusationem illam.

Exemplar epistolæ, quam misit Thathannai dux regionis trans flumen. et Stharbuzanai, et consiliatores ejus Arphasachæi, qui erant trans flumen, ad Darium regem. Sermo quem miserant ei, sic scriptus erat.

DARIO REGI PAX OMNIS.

Notum sit regi, isse nos ad Judæam provinciam, ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito, et ligna ponuntur in parietibus, opusque illud diligenter exstruitur, et crescit in manibus eorum. Interrogavimus ergo senes illos, et ita diximus eis : Quis dedit vobis potestatem ut domum hanc ædificaretis, et muros hos instauraretis ? Sed et nomina eorum quæsivimus ab eis, ut nuntiaremus tibi, quæ scripsimus nomina virorum, qui sunt principes in eis. Hujuscemodi autem sermonem responderunt nobis, dicentes : Nos sumus servi Dei cœli et terræ, et ædificamus templum, quod erat exstructum ante hos annos multos, quodque rex Israel [2] magnus ædificaverat, et exstruxerat. Postquam autem ad iracundiam provocaverunt patres nostri Deum cœli, tradidit eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis Chaldæi, domum quoque hanc destruxit, et populum ejus transtulit Babylonem.

Anno autem primo Cyri regis Babylonis, Cyrus rex proposuit edictum, ut domus Dei hæc ædificaretur. Nam et vasa templi Dei [3] aurea et argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo, quod erat in Jerusalem, et apostaverat ea in templum Babylonis, protulit Cyrus rex de templo. Babylonis, et data sunt Sassabasar vocabulo, quem et principem constituit, dixitque ei : Hæc vasa tolle, et vade, et pone ea in templo, quod est in Jerusalem, et domus Dei ædificetur in loco suo. Tunc itaque Sassabasar ille venit et posuit fundamentum templi Dei in Jerusalem, et ex eo tempore usque nunc ædificatur, et necdum completum est.

Nunc ergo, sive videtur regi bonum, recenseat in bibliotheca regis, quæ est in Babylone, utrumnam a Cyro rege jussum sit ut ædificaretur domus Dei in Jerusalem, et voluntatem regis super hæc remittat ad nos.

(*Cap.* VI.) Tunc Darius rex præcepit : et recensuerunt in bibliotheca librorum qui erant repositi in Babylone, et inventum est in Ecbatanis, quod est castrum in Medena [4] provincia, volumen unum, talisque scriptus erat in eo commentarius ;

Anno primo Cyri regis ; Cyrus rex decrevit ut domus Dei, quæ est in Jerusalem, ædificaretur in loco ubi immolent hostias, et ut ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta [5], et latitudinem cubitorum sexaginta, ordines de lapidibus impolitis tres, et sic ordines de lignis novis : sumptus autem de domo regis dabuntur. Sed et vasa templi Dei aurea et argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo Jerusalem, et attulerat ea in Babylonem, reddantur et referantur in templum Jesusalem in locum suum ; quæ et posita sunt in templo Dei.

Nunc ergo Thathannai (*Al.* Thannæ) dux regionis, quæ est trans flumen, Stharbuzanai, et consiliarii vestri Apharsachæi, qui estis trans flumen, procul recedite ab illis, et dimittite fieri templum Dei [6] illud a duce Judæorum et a senioribus eorum, domum Dei illam ædificent in loco suo. Sed et a me præceptum est, quid oporteat fieri a presbyteris Judæorum illis, ut ædificetur domus Dei, scilicet, ut de arca regis, id est, de tributis, quæ dantur de regione trans flumen, studiose sumptus dentur viris illius, ne impediatur opus. Quod si necesse fuerit, et vitulos, et agnos, et hædos in holocaustum Deo cœli, frumentum, sal, vinum, et oleum, secundum ritum sacerdotum, qui sunt in Jerusalem, de-

[1] Constanter absque aspiratione, *Tatannai* affert Regin, mss.

[2] Tacet Reginæ ms. *Israel*, quod est tamen in Hebræo textu nomen.

[3] Hic vero *Dei* nomen, quod Martianæus prætermiserat, restituimus ex Reginæ ms. consentiente Hebr. textu, cæterisque vulgatis libris.

[4] In regio codice legitur, *in media provincia*. Canon Memmianus in textu habet *Medana*, in margine vero, *alibi Madana, ulibi Madena*. Quæ profecto sunt levissimi momenti, nec tamen omnino prætermittenda propter eos, qui laboribus studiosorum insidiantur. MART,

[5] Altitudinis cubitos *septuaginta*, et latitudinis *triginta* Regin. ms. supputat.

[6] Illud *Dei*, quod tamen et in Hebr. resonat, Regin ms. omittit.

tur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia. Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita regis et filiorum ejus. A me ergo positum est decretum, ut omnis homo qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ipsius, et erigatur, et configatur in eo : domus autem ejus publicetur. Deus autem, qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna, et populum qui extenderit manum suam ut repugnet, et dissipet domum Dei illam, quæ est in Jerusalem. Ego Darius statui decretum quod studiose impleri volo.

Igitur Thathannai, dux regionis trans flumen, et Stharbuzanai, et consiliarii ejus, secundum quod præceperat Darius rex, sic diligenter exsecuti sunt. Seniores autem Judæorum ædificabant et prosperabantur juxta prophetiam Aggæi prophetæ, et Zachariæ filii Addo : et ædificaverunt et construxerunt, jubente Deo Israel, et jubente Cyro, et Dario, et Artaxerxe, regibus Persarum : et compleverunt domum Dei istam usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darii regis.

Fecerunt autem filii Israel, sacerdotes et Levitæ, et reliqui filiorum transmigrationis, dedicationem domus Dei in gaudio. Et obtulerunt in dedicationem domus Dei vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israel, duodecim, juxta numerum tribuum Israel. Et statuerunt sacerdotes in ordinibus suis, et Levitas in vicibus suis, super opera Dei in Jerusalem, sicut scriptum est in libro Mosi. Fecerunt autem filii Israel transmigrationis Pascha quartadecima die mensis primi. Purificati enim fuerant sacerdotes et Levitæ quasi unus : omnes mundi ad immolandum pascha universis filiis transmigrationis, et fratribus suis sacerdotibus, et sibi. Et comederunt filii Israel, qui reversi fuerant de transmigratione, et omnes qui se separaverant a coinquinatione gentium terræ ad eos, ut quærerent Dominum Deum Israel. Et fecerunt solemnitatem Azymorum septem diebus in lætitia, quoniam lætificaverat eos Dominus, et converterat cor regis Assur ad eos, ut adjuvaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israel.

(*Cap.* VII.] Post hæc autem verba, in regno Artaxerxis regis Persarum, Ezras filius Saraiæ, filii Azariæ, filii Helciæ, filii Sellum, filii Sadoc, filii Ahitob, filii Amariæ, filii Azariæ [1], filii Marioth, filii Zaraiæ, filii Ozi, filii Bocci, filii Abisue, filii Phinees, filii Eleazar, filii Aaron sacerdotis ab initio. Ipse Ezras ascendit de Babylone, et ipse scriba velox in lege Mosi, quam dedit Dominus Deus Israel : et dedit ei rex secundum manum Domini Dei ejus super eum, omnem petitionem ejus. Et ascenderunt de filiis Israel, et de filiis sacerdotum, et de filiis Levitarum, et de cantoribus, et de janitoribus, et de Nathinæis, in Jerusalem, anno septimo Artaxerxis regis Et venerunt in Jerusalem mense quinto, ipse est annus septimus regis. Quia in primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, et in primo die mensis quinti venit in Jerusalem, juxta manum Dei sui bonam super se. Ezras enim paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, et faceret et doceret in Israel præceptum et judicium.

Hoc est autem exemplar epistolæ editi, quod dedit rex Artaxerxes Ezræ sacerdoti, scribæ erudito in sermonibus et præceptis Domini, et cæremoniis ejus in Israel.

ARTAXERXES REX REGUM EZRÆ SACERDOTI, SCRIBÆ LEGIS DEI CŒLI DOCTISSIMO, SALUTEM.

A me decretum est, ut cuicunque placuerit in regno meo de populo Israel, et de sacerdotibus ejus, et de Levitis, ire in Jerusalem, tecum vadat. A facie enim regis, et septem consiliatorum ejus, missus es, ut visites Judæam et Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua, et ut feras argentum et aurum, quod rex et consiliatores ejus sponte obtulerunt Deo Israel, cujus in Jerusalem tabernaculum est. Et omne argentum et aurum quodcunque inveneris in universa provincia Babylonis, et populus offerre voluerit, et de sacerdotibus quæ sponte obtulerint domui Dei sui, quæ est in Jerusalem, libere accipe, et studiose eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos et sacrificia et libamina eorum, et offer ea super altare templi Dei vestri, quod est in Jerusalem. Sed et si quid tibi et fratribus tuis placuerit, de reliquo argento et auro ut faciatis, juxta voluntatem Dei vestri facite. Vasa quoque, quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Jerusalem. Sed et cætera, quibus opus fuerit in domo Dei tui, quantumcunque necesse est ut expandas, dabitur [2] de thesauro, et de fisco regis, et a me. Ego Artaxerxes, rex, statui atque decrevi omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, ut quodcunque petierit a vobis Ezras sacerdos, scriba legis Dei cœli, absque mora detis, usque ad argenti talenta centum, et usque ad frumenti coros centum, et usque ad vini batos centum, et usque ad batos olei centum, sal vero absque mensura. Omne, quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli, ne forte irascatur contra regnum regis et filiorum ejus. Vobisque notum facimus de universis sacerdotibus, et Levitis, et cantoribus, et janitoribus, Nathinæis, et ministris domus Dei hujus, ut vectigal, et tributum, et annonas non habeatis potestatem imponendi super eos. Tu autem, Ezra, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue judices et præsides, ut judicent omni populo qui est trans flumen, his videlicet qui noverunt legem Dei tui, sed et imperitos docete libere. Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, et legem regis diligenter, judicium erit de eo, sive in mortem, sive in exsilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certe in carcerem.

Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificaret domum Domini, quæ est in Jerusalem, et in me inclinavit misericordiam suam coram rege et consiliatoribus ejus, et universis principibus regis potentibus.

Et ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me, congregavi de Israel principes qui ascenderent mecum.

[*Cap.* VIII.] Hi sunt ergo principes familiarum, et genealogia eorum qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis regis de Babylone. De filiis Phinees, Gerson. De filiis Ithamar, Daniel. De filiis David, Attus. De filiis Secheniæ, filius Pharos, Zacharias : et cum eo numerati sunt viri centum quinquaginta. De filiis Phaeth-Moab [3], Elioenai filius Zaræ, et cum eo ducenti viri. De filiis Secheniæ, filius Ezechiel, et cum eo trecenti viri. De filiis Adden, Abed, filius Jonathan, et cum eo quinquaginta viri. De filiis Elam, Isaias filius Athaliæ, et cum eo septuaginta viri. De filiis Saphatiæ, Zebedia, filius Michael, et cum eo octoginta viri. De filiis Joab, Obedia filius Jehiel, et cum eo ducenti decem et octo viri. De filiis Selomith, filius Josphiæ, et cum eo centum sexaginta viri. De filiis Bebai, Zacharias filius Bebai, et cum eo viginti octo viri. De filiis Ezgad, Jo-

[1] In Regin. ms. *filii Achitob, filii Amraias* tum, *filii Maraioth filii Azariæ*, etc.

[2] Prima manu in Reginæ codice scriptum fuit *nabis*.

[3] Idem ms. *Pheth Moab*, et *Azariæ* pro *Zaræ* : tum præponit versiculum, *De filiis Adden Ahed*, et qui subsequitur, *De filiis Secheniæ*, etc., qui amanuensium est lapsus. *Hiezechiel* quoque pro *Ezechiel* mox legit, et paulo post *Abedia filius Iechiel*, denique *Ezgad*, pro *Exgad*, et *Secctan* pro *Eccetan*.

hanan filius Eccetan, et cum eo centum et decem viri. De filiis Adonicam, qui erant novissimi : et hæc nomina eorum ; Elipheleth, et Jeiel [1], et Samaias, et cum eis sexaginta viri. De filiis Begui, Uthai et Zachur [2], et cum eis sexaginta viri.

Congregavi autem eos ad fluvium qui decurrit ad Aava [3], et mansimus ibi tribus diebus : quæsivique in populo et in sacerdotibus de filiis Levi, et non inveni ibi. Itaque misi Eliezer, et Ariel, et Semeiam, et Elnathan, et Jarib, et alterum Elnathan, et Nathan, et Zachariam, et Mosollam principes : et Joiarib, et Elnathan sapientes. Et misi eos ad Eddo, qui est primus in Chasphiæ loco, et posui in ore eorum verba quæ loquerentur ad Eddo, et fratres ejus Nathinæos, in loco Chasphiæ, ut adducerent nobis ministros domus Dei nostri. Et adduxerunt nobis per manum Dei nostri bonam super nos, virum doctissimum de filiis Mooli, filii Levi, filii Israel, et Sarabaiam, et filios ejus et fratres ejus decem et octo, et Asabiam [4], et cum eo Isaiam de filiis Merari, fratresque ejus et filios ejus viginti : et de Nathinæis, quos dederat David et principes ad ministeria Levitarum, Nathinæos ducentos viginti : omnes hi suis nominibus vocabantur.

Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Aava, ut affligeremur coram Domino Deo nostro, et peteremus ab eo viam rectam nobis et filiis nostris, universæque substantiæ nostræ. Erubui enim petere a rege auxilium et equites, qui defenderent nos ab inimico in via : quia dixeramus regi : Manus Dei nostri est super omnes qui quærunt eum in bonitate : et imperium ejus et fortitudo ejus, et furor super omnes, qui derelinquunt eum. Jejunavimus autem, et rogavimus Deum nostrum pro hoc : et evenit nobis prospere. Et separavi de principibus sacerdotum duodecim, Sarabaiam, Asabiam, et cum eis de fratribus eorum decem. Appendique eis argentum et aurum, et vasa consecrata domus Dei nostri, quæ obtulerat rex et consiliatores ejus, et principes ejus, universusque Israel eorum, qui inventi fuerant : et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, et vasa argentea centum, auri centum talenta : et crateres aureos viginti, qui habebant solidos millenos, et vasa æris fulgentis optimi duo pulchra ut aurum. Et dixi eis : Vos sancti Domini, et vasa sancta, et argentum et aurum quod sponte oblatum est Domino Deo patrum nostrorum : vigilate et custodite donec appendatis coram principibus sacerdotum, et Levitarum, et ducibus familiarum Israel in Jerusalem, in thesaurum domus Domini. Susceperunt autem sacerdotes et Levitæ pondus argenti, et auri, et vasorum, ut deferrent Jerusalem in domum Dei nostri.

Promovimus ergo [5] a flumine Aava duodecimo die mensis primi, ut pergeremus Jerusalem : et manus Dei nostri fuit super nos, et liberavit nos de manu inimici et insidiatoris in via. Et venimus Jerusalem et mansimus ibi diebus tribus. Die autem quarta appensum est argentum, et aurum, et vasa [6] in domo Dei nostri per manum Meremoth filii Uriæ sacerdotis, et cum eo Eleazar filius Phinees, cumque eis Jozabed filius Josue, et Noadaia filius Bennoi Levitæ, juxta numerum et pondus omnium : descriptumque est omne pondus in tempore illo.

Sed et qui venerant de captivitate filii transmigrationis, obtulerunt holocautomata Deo Israel, vitulos duodecim pro omni populo Israel, arietes nonaginta sex, agnos septuaginta septem, hircos pro peccato duodecim : omnia in holocaustum Domino. Dederunt autem edicta regis satrapis, qui erant de conspectu regis, et ducibus trans flumen, et elevaverunt populum et domum Dei.

[*Cap.* IX.] Postquam autem hæc completa sunt, accesserunt ad me principes, dicentes : Non est separatus populus Israel, sacerdotes et Levitæ, a populis terrarum, et de abominationibus eorum, Chananæi videlicet, et Hetthæi, et Pherezæi, et Jebusæi, et Ammonitarum, et Moabitarum, et Ægyptiorum, et Amorrhæorum : tulerunt enim de filiabus eorum sibi et filiis suis, et commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum : manus etiam principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima. Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum et tunicam, et evelli capillos capitis mei et barbæ, et sedi mœrens. Convenerunt autem ad me omnes qui timebant verbum Dei Israel, pro transgressione eorum qui de captivitate venerant, et ego sedebam tristis usque ad sacrificium vespertinum : et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, et scisso pallio et tunica, curvavi genua mea, et expandi manus meas ad Dominum Deum meum, et dixi : Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te : quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum, a diebus patrum nostrorum : sed et nos ipsi peccavimus graviter usque ad diem hanc, et in iniquitatibus nostris traditi sumus ipsi, et reges nostri, et sacerdotes nostri, in manum regum terrarum, in gladium, in captivitatem, in rapinam, et in confusionem vultus, sicut et die hac. Et nunc quasi parum et ad momentum facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum, ut dimitterentur nobis reliquiæ, et daretur nobis paxillus [7] in loco sancto ejus, et illummaret oculos nostros Deus noster, et daret nobis vitam modicam in servitute nostra, quia servi sumus, et in servitute nostra non dereliquit nos Deus noster, sed inclinavit super nos misericordiam coram rege Persarum, ut daret nobis vitam, et sublimaret domum Dei nostri, et exstrueret solitudines ejus, et daret nobis sepem [8] in Juda et Jerusalem. Et nunc quid dicemus, Deus noster, post hæc? quia dereliquimus mandata tua, quæ præcepisti in manu servorum tuorum prophetarum, dicens : Terra ad quam vos ingredimini ut possideatis eam, terra immunda est, juxta immunditiam populorum cæterarumque terrarum, abominationibus eorum qui repleverunt eam ab ore usque ad os coinquinatione sua. Nunc ergo filias vestras ne detis filiis eorum, et filias eorum ne accipiatis filiis vestris, et non quæratis pacem eorum, et prosperitatem eorum,

[1] Reginæ ms. *Hehihel*, ubi et notat de subsequenti nomine *Samaias*, quod *alibi Ramaias* dicitur. Præterea *Zacchur* cum gemino *c* legit : in Hebr. et Græco *Zabud* scriptum est. Hieronymus quod et Martianæus observat, כ pro ב, et ר pro ד accepit.

[2] In Hebræo hodierno זבוד *Zabud* legimus, quod Septuaginta Interpretes etiam legebant Ζαβούδ. Hieronymus econtra pro ב *Beth*, in suis exemplaribus Hebræis legebat כ *Caph*, et ר *Res*, pro ד *Daleth*, זכור *Rachur*, non *Zabud*. MART.

[3] Hic atque intra *Havua* pro *Aava*, et *Mesolam* pro *Mosollam* in Reginæ ms. legitur.

[4] Idem ms., *Sabiam* pro *Asabiam*, et *Saiam* pro *Isaiam* præfert.

[5] Priora hæc verba, *Promovimus ergo*, in Reginæ ms. desiderantur.

[6] Hic iterum voces *et vasa*, quæ in Hebr. tamen sunt, Reginæ ms. omittit. Mox *Remoth* pro *Meremoth* legit.

[7] Reginæ ms. *pax illius* habet duobus verbis pro *paxillus*, quem errorem ahi quoque Latini codices errant.

[8] Iterum *spem* pro *sepem* haud recte cum quibusdam aliis Latinis codicibus, Lyrano atque Estio, Reginæ ms. præfert.

usque in æternum : ut confortemini, et comedatis quæ bona sunt terræ, et hæredes habeatis filios vestros usque in sæculum. Et post omnia quæ venerunt super nos in operibus nostris pessimis, et in delicto nostro magno,quia tu Deus noster liberasti nos de iniquitate nostra,et dedisti nobis salutem sicut est hodie,ut non converteremur et irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia jungeremus cum populis abominationum istarum.Numquid iratus es nobis usque ad consummationem,ne dimitteres nobis reliquias ad salutem? Domine Deus Israel,justus es tu:quoniam derelicti sumus, qui salvaremur sicut die hac. Ecce, coram te sumus in delicto nostro.Non enim stari potest coram te super hoc.

[*Cap.* X.] Sic ergo orante Ezra, et imprecante eo, et flente, et jacente ante templum Dei, collectus est ad eum de Israel cœtus grandis nimis virorum et mulierum et puerorum, et flevit populus multo fletu. Et respondit Sechenias filius Jeiel[1] de filiis Elam, et dixit Ezræ : Non prævaricati sumus in Deum nostrum,et duximus uxores alienigenas de populis terræ, et nunc, si est pœnitentia in Israel super hoc, percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut projiciamus universas uxores,et eos qui de his nati sunt,juxta voluntatem Domini et eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri : secundum legem fiat. Surge,tuum est decernere, nosque erimus tecum : confortare, et fac.

Surrexit ergo Ezras, et adjuravit principes sacerdotum et Levitarum, et omnem Israel, ut facerent secundum verbum hoc, et juraverunt. Et surrexit Ezras ante domum Dei, et abiit ad cubiculum Johanam filii Eliasib, et ingressus est illuc, panem non comedit, et aquam non bibit : lugebat enim in transgressione eorum qui de captivitate venerant. Et missa est vox in Juda et in Jerusalem omnibus filiis transmigrationis,ut congregarentur in Jerusalem : et omnis qui non venerit in tribus diebus juxta consilium principum et seniorum, auferetur universa substantia ejus,et ipse abjicietur de cœtu transmigrationis.

Convenerunt igitur omnes viri Juda et Benjamin in Jerusalem tribus diebus,ipse est mensis nonus, vicesimo die mensis : et sedit omnis populus in platea domus Dei, trementes pro peccato et pluviis. Et surrexit Ezras sacerdos, et dixit ad eos : Vos transgressi estis, et duxistis uxores alienigenas,ut adderetis super delictum Israel. Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum,et facite placitum ejus, et separamini a populis terræ,et ab uxoribus alienigenis. Et respondit universa multitudo, dixitque voce magna:Juxta verbum tuum ad nos, sic fiat.

Verumtamen quia populus multus est,et tempus pluviæ, et non sustinemus stare foris, et opus non est diei unius vel duorum (vehementer quippe peccavimus in sermone isto),constituantur principes in universa multitudine : et omnes in civitatibus nostris qui duxerunt uxores alienigenas, veniant in temporibus statutis,et cum his seniores per civitatem et civitatem, et judices ejus, donec avertatur ira Dei nostri a nobis super peccato hoc.

Igitur Jonathan filius Azael,et Jaasia filius Thecue, steterunt super hoc, et Mosollam et Sebethai Levites adjuverunt eos : Feceruntque sic filii transmigrationis. Et abierunt, Ezras sacerdos, viri et principes familiarum, in domum patrum suorum, et omnes per nomina sua,et sederunt in die primo mensis decimi ut quærerent rem. Et consummati sunt omnes viri qui duxerunt uxores alienigenas, usque ad diem primam mensis primi.

Et inventi sunt de filiis sacerdotum, qui duxerant uxores alienigenas. De filiis Josue filii Josedec, et fratres ejus, Maasia, et Eliezer, et Jarib, et Godolia. Et dederunt manus suas ut ejicerent uxores suas, et pro delicto suo arietem de ovibus offerrent. Et de filiis Emmer, Anani, et Zebedia. Et de filiis Arim, Maasia, et Elia [2], et Semeia, et Jehiel, et Ozias.Et de filiis Phesbur,Elioenai, Maasia, Ismael, Nathanael,Jozabed, et Elasa.Et de filiis Levitarum, Jozabed, et Semel, et Celaia,ipse est Calita, Phataia, Juda, et Eliezer.Et de cantoribus, Eliasib. Et de janitoribus, Sellum, et Telem, et Uri. Et ex Israel,de filiis Pharos,Romeia, et Jezia, et Melchia, et Miamin, et Eliczer, et Melchia, et Banea. Et de filiis Elam, Mathania. Zacharias, et Jehiel,et Abdi, et Jerimoth, et Elia. Et de filiis Zetha, Elioenai, Eliazib, Mathania, et Jerimuth, et Zabed,et Aziza. Et de filiis Bebail, Johanan, Anania, Zabbai, Athalai. Et de filiis Bani, Mosollam, et Melluch, et Adaia, Jasub, et Saal et Ramoth. Et de filiis Phaeth [3] Moab, Edna, et Chalal, Banaias, Maasias, Mathanias, Beseleel, et Beunui, et Manasse. Et de filiis Erem, Eliezer, Jesue, Melchias, Semeias. Simeon, Benjamin, Maloch, Samarias. De filiis Asom. Mathanai, Matthetha, Zabed, Eliphelet, Jermai, Manasse, Semei. De filiis Bani, Maadi, Amram, et Uel,Baneas, et Badaias, Chelian, Vania, Marimuth, et Eliasib, Mathanas, Matthanai,et Jas, et Bani, et Bennui, Semei, et Salmias, et Nathan, et Adaias, Mecnedabai [*Al.* Mechnebedai], Sisai, Sarai, Ezrel,et Selemiau, Semeria, Sellum, Amaria, Joseph. De filiis Nebo, Jeiel Matthathia, Zabed, Zabina, Jeddu et Joel, Bannaia. Omnes hi acceperunt uxores alienigenas,et fuerunt ex eis mulieres quæ pepererant filios.

VERBA NEEMLE FILII HECHILIÆ [5].

[*Lib.* II. — *Cap.* I.] Et factum est in mense Casleu, anno vicesimo, et ego eram in Susis castro. Et venit Anani unus de fratribus meis, ipse et viri ex Juda : et interrogavi eos de Judæis qui remanserant et supererant de captivitate,et de Jerusalem. Et dixerunt mihi : Qui remanserunt,et relicti sunt de captivitate ibi in provincia,in afflictione magna sunt, et in opprobrio : et murus Jerusalem dissipatus est et portæ ejus combustæ sunt igni. Cumque audissem verba hujuscemodi, sedi, et flevi, et luxi diebus multis ; et jejunabam, et orabam ante faciem Dei cœli. Et dixi : Quæso, Domine Deus cœli fortis, magne atque terribilis, qui custodis pactum et misericordiam cum his qui te diligunt,et custodiunt mandata tua : fiat auris tua auscultans [*Al.* fiant aures tuæ auscultantes], et oculi tui aperti, ut audias orationem servi tui, quam ego oro coram te hodie, nocte et die, pro filiis Israel servis tuis, et confiteor pro peccatis filiorum Israel, quibus peccaverunt tibi : et ego et domus patris mei peccavimus,vanitate seducti sumus, et non custodivimus mandatum tuum, et cæremonias, et judicia, quæ præcepisti Mesi servo tuo. Memento verbi,

[1] Continuo Reginæ ms. aspirat *Jehiel*.

[2] Regin. ms., *de filiis Jerim, Masaia, et Helia*. Mox *Josabeth*, et *Helesa*, aliaque his certiora menda, quæ consulto præterimus.

[3] Idem ms. hic quemadmodum et supra notatum est, *Phet Moab* pro *Phaeth* legit : Vulgati, *Phahath*.

[4] Nomina, *Jedu et Joel et Banaia*, Reginæ ms. tacet.

[5] Ita legunt mss. San-Germanensis num. 15 et Canon Memmianus prima manu, in quo corrupte emendator posuit *Helchiæ* pro *Echliæ*,sive *Hechliæ*. In Hebræo scriptum legimus חבליה *Hakalia*, id est ב *Caph* ante ל *Lamed*. MART.

— Ita verius ad Hebræum חבויה Reginæ quoque ms. præfert. Alii, *Haheliæ* : vetustissimum e Græcis Alexandrinum exemplar : Αχαλία.

quod mandasti Mosi famulo tuo, dicens : Cum transgressi fueritis,ego dispergam vos in populos: et si revertamini ad me, et custodiatis mandata mea, et faciatis ea, etiamsi abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, et inducam [*Al.* reducam] in locum quem elegi ut habitaret nomen meum ibi. Et ipsi servi tui, et populus tuus, quos redemisit in fortitudine tua magna,et in manu tua valida.Obsecro, Domine, sit auris tua attendens ad orationem servi tui,et ad orationem servorum tuorum,qui volunt timere nomen tuum: et dirige servum tuum hodie,et da ei misericordiam ante virum hunc. Ego enim eram pincerna regis.

(*Cap.* II.) Factum est autem in mense Nisan, anno vicesimo Artaxerxis regis : et vinum erat ante eum, et levavi vinum, et dedi regi : et eram quasi languidus ante faciem ejus. Dixitque mihi rex : Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valde, ac nimis: et dixi regi :Rex in æternum vive : quare non mœreat vultus meus, quia, civitas domus sepulcrorum patris mei deserta est, et portæ ejus combustæ sunt igni? Et ait mihi rex : Pro qua re postulas? Et oravi Deum cœli, et dixi ad regem: Si videtur regi bonum, et si placet servus tuus ante faciem tuam,ut mittas me in Judæam, ad civitatem sepulcri patris mei, et ædificabo eam.Dixitque mihi rex, et regina, quæ sedebat juxta eum : Usque ad quod tempuserit iter tuum, et quando reverteris? Et placuit ante vultum regis, et misit me : et constitui ei tempus. Et dixi regi : Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen,ut transducant me,donec veniam in Judæam:et epistolam ad Asaph custodem saltus regis, ut det mihi ligna,ut tegere possim portas turris domus, et muros civitatis, et domum quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex juxta manum Dei mei bonam mecum. Et veni ad duces regionis trans flumen, dedique eis epistolas regis.Miserat autem rex mecum principes militum, et equites. Et audierunt, Sanaballat Horonites, et Tobias servus Ammanites: et contristati sunt afflictione magna, quod venisset homo qui quæreret prosperitatem filiorum Israel.Et veni Jerusalem, et eram ibi tribus diebus, et surrexi nocte ego,et viri pauci mecum, et non indicavi cuiquam quid Deus dedisset in corde meo, ut facerem in Jerusalem, et jumentum non erat mecum, nisi animal, cui sedebam. Et egressus sum per portam vallis nocte, et ante fontem draconis, et ad portam stercoris, et considerabam murum Jerusalem dissipatum,et portas ejus consumptas igni. Et transivi ad portas fontis, et ad æquæductum regis, et non erat locus jumento, cui sedebam, ut transiret. Et ascendi per torrentem nocte,et considerabam murum,et reversus veni ad portam vallis,et redii. Magistratus autem nesciebant quo abiissem,aut quid ego facerem: sed et Judæis, et sacerdotibus, et optimatibus, et magistratibus,et reliquis qui faciebant opus,usque ad id loci nihil indicaveram.Et dixi eis : Vox nostis afflictionem in qua sumus,quia Jerusalem deserta est, et portæ ejus consumptæ sunt igni : venite et ædificemus muros Jerusalem, et non simus ultra opprobrium.Et indicavi eis manum Dei mei, quod esset bona mecum, et verba regis quæ locutus esset mihi, et aio : Surgamus, et ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono. Audierunt autem,Sanaballat Horonites,et Tobias servus Ammanites,et Gosem Arabs,et subsannaverunt nos,et despexerunt, dixeruntque : Quæ est hæc res quam facitis? numquid contra regem vos rebellatis? et reddidi eis sermonem, dixique ad eos : Deus cœli ipse nos juvat (*Al.*juvet), et nos servi ejus sumus : surgamus et ædificemus:vobis autem non est pars, et justitia, et memoria in Jerusalem.

(*Cap.* III.) Et surrexit Eliasib sacerdos magnus, et fratres ejus sacerdotes, et ædificaverunt portam gregis:ipsi sanctificaverunt eam:et statuerunt valvas ejus,et usque ad turrim centum cubitorum sanctificaverunteam usque ad turrim Ananeel.Et juxta eum ædificaverunt viri Jericho : et juxta eum ædificavit Zachur filius Amri.Portam autem piscium ædificaverunt filii Asnaa : ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas ejus, et seras, et vectes. Et juxta eos ædificavit Marimuth filius Uriæ, filii Arcus.Et juxta eos ædificavit Mosollam filius Barachiæ,filii Mesezebel[1]: et juxta eos ædificavit Sadoc filius Baana : et juxta eos ædificaverunt Thecueni: optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui.Et portam veterem ædificaverunt,Joiada filius Phasea, et Mosollam filius Besodia : ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas ejus, et seras, et vectes : et juxta eos ædificaverunt, Meletias (*Al.* Melthias) Gabaonites, et Jadon Moronathites, viri de Gabaon et Maspha, pro duce qui erat in regione trans flumen. Et juxta eum ædificavit Eziel filius Araia aurifex : et juxta eum ædificavit Ananias filius pigmentarii:et dimiserunt Jerusalem usque ad murum plateæ latioris. Et juxta eum ædificavit Raphaia filius Abur [2], princeps vici Jerusalem. Et juxta eum ædificavit Joiada filius Aromaph contra domum suam et juxta eum ædificavit Aitus filius Asebeniæ. Mediam partem vici ædificavit Melchias filius Evem, et Asub filius Phaeth Moab,et turrim furnorum.Et juxta eum ædificavit Sellum filius Alloes princeps mediæ partis vici Jerusalem,et ipse et filiæ ejus.Et portam vallis ædificavit Anna et habitatores Zanoc : ipsi ædificaverunt eam,et statuerunt valvas ejus,et seras, et vectes, et mille cubitos in muro usque ad portam sterquilinii.Et portam sterquilinii ædificavit Melchias filius Rechab,princeps vici Betaccharem:ipse ædificavit eam,et statuit valvas ejus,et seras,et vectes. Et portam fontis ædificavit Sellum filius Cholozai [3] princeps pagi Maspha ipse ædificavit eam;et texit,et statuit valvas ejus,et seras.et vectes,et muros piscinæ Siloe in hortum regis, et usque ad gradus qui descendunt de civitate David. Post eum ædificavit Neemias filius Azboc,princeps dimidiæ partis vici Bethsur, usque contra sepulcra (*Al.* sepultorum) David, et usque ad piscinam quæ grandi opere constructa est,et usque ad domum fortium. Post eum ædificaverunt Levitæ, Reum filius Benni. Post eum ædificavit Asebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo. Post eum ædificaverunt fratres eorum, Bavai [4] filius Enadad,princeps dimidiæ partis Ceilæ. Et ædificavit juxta eum Azer filius Josue, princeps Maspha,mensuram secundam,contra ascensum firmissimi anguli.Post eum in monte ædificavit [5] Baruch filius Zachar mensuram secundam,ab angulo usque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni. Post eum ædificavit Merimuth filius Uriæ filii Accus, mensuram secundam, a porta domus Eliasib, do-

[1] In Regin. ms. *Meszabal.*

[2] Ita mss. cum *a* ab initio,quasi in Hebræo olim esset ח *Ile* ante ח *Ilheth.* בך חחור,*ben Ahhur* Editi legunt. MART.

— In Reg. ms. *filius Bahur* dicitur vulgati *Hur* legunt. Mox pro *Jeduia filius Aromaph*,præfertidem ms. *Ieida filius Aromath;* deinde *Aseboniæ*, cum Vulgatis, pro *Asebeniæ*, et continuo *Phet Moab* pro *Phueth*, etc., quod et infra constanter retinet.

[3] Sic mss. omnes libri constanter retinent *Colhozai*, cum Hebræus hodiernus legat absque *lod* in fine *Colhoza.* MART.

Pro *Bavai* in Reginæ mss. est *Behui* : Hebraice בוי.

[5] Præfert vero Hebræus textus והחרה, quod est *accendit sese. animos sumpsit*, sive *indignatus est*, LXX verbo, non sensu, abludunt, ἐκρατησε, *tenuit*, quod et aliis placet. Apparet autem Hieronymum, qui vertit *in monte*, ח litteram pro ה accepisse, ac legisse והחרה, pro והחרה.

nec extenderetur domus Eliasib. Et post eum ædificaverunt sacerdotes, viri de campestribus Jordanis. Post eum ædificavit Benjamin et Asub contra domum suam ; et post eum ædificavit Azarias filius Maasiæ filii Ananiæ contra domum suam. Post eum ædificavit Bennui filius Enadad mensuram secundam, a domo Azariæ usque ad flexuram, et usque ad angulum. Phalel filius Ozi contra flexuram et turrim, quæ eminet de domo regis excelsa, id est in atrio carceris : post eum Phadaia filius Pharos. Nathinæi autem habitabant in Ophel usque contra portam aquarum ad orientem, et turrim, quæ prominebat. Post eum ædificaverunt Thecueni mensuram secundam a regione, a turre magna et eminente usque ad murum templi. Sursum autem a porta equorum ædificaverunt sacerdotes, unusquisque contra domum suam. Post eos ædificavit Sadoch filius Emmer contra domum suam. Et post eum ædificavit Semaia filius Sechoniæ, custos portæ orientalis. Post eum ædificavit Anania filius Selemiæ, et Anun filius Seleph [1] sextus mensuram secundam : post eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, contra gazophylacium suum. Post eum ædificavit Melchias filius artificis usque ad domum Nathinæorum, et scruta vendentium contra portam judicialem, et usque ad cœnaculum anguli. Et inter cœnaculum anguli in porta gregis [2] ædificaverunt aurifices et negotiatores.

(*Cap.* IV.) Factum est autem, cum audisset Sanaballat quod ædificaremus murum, iratus est valde ; et motus nimis subsannavit Judæos, et dixit coram fratribus suis et frequentia Samaritanorum ; Quid Judæi faciunt imbecilles ? Num dimittent eos gentes ? num sacrificabunt, et complebunt in una die ? Numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt ? Sed et Tobias Ammanites proximus ejus, ait : Ædificent : si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum. Audi, Deus noster, quia facti sumus despectio [*Al.* despectui] : converte opprobrium super caput eorum, et da eos in despectionem in terra captivitatis. Ne operias iniquitatem eorum, et peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes. Itaque ædificavimus murum, et conjunximus totum usque ad partem dimidiam : et provocatum est cor populi ad operandum.

Factum est autem, cum audisset Sanaballat, et Tobias, et Arabes, et Ammanitæ, et Azotii, quod obducta esset cicatrix muri Jerusalem, et quod cœpissent interrupta concludi, irati sunt nimis. Et congregati sunt omnes pariter, ut venirent, et pugnarent contra Jerusalem, et molirentur insidias. Et oravimus Deum nostrum, et posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos. Dixit autem Judas : Debilitata est fortitudo portantis, et humus nimia est, et nos non poterimus ædificare murum. Et dixerunt hostes nostri : Ne sciant, et ignorent, donec veniamus in medium eorum, et interficiamus eos, et cessare faciamus opus.

Factum est autem, venientibus Judæis, qui habitabant juxta eos, et dicentibus nobis per decem vices, ex omnibus locis quibus venerant ad nos, statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis suis, et lanceis, et arcubus. Et perspexi atque surrexi : et aio ad optimates et magistratus, et ad reliquam partem vulgi : Nolite timere a facie eorum. Domini magni et terribilis mementote, et pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris, et filiabus vestris, et uxoribus vestris, et domibus vestris.

Factum est autem, cum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis, dissipavit Deus consilium eorum. Et reversi sumus omnes ad muros, unusquisque ad opus suum. Et factum est a die illa, media pars juvenum eorum faciebat opus, et media parata erat ad bellum, et lanceæ, et scuta, et arcus [3], et loricæ, et principes post eos in omni domo Juda, ædificantium in muro, et portantium onera, et imponentium : una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium : ædificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes. Et ædificabant, et clangebant buccina juxta me. Et dixi ad optimates, et ad magistratus, et ad reliquam partem vulgi : Opus grande est et latum, et nos separati sumus in muro procul alter ab altero : in loco quocunque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos : Deus noster pugnabit pro nobis. Et nos ipsi faciamus opus : et media pars nostrum teneat lanceas, ab ascensu auroræ donec egrediantur astra. In tempore quoque illo dixi populo : Unusquisque cum puero suo maneat in medio Jerusalem, et sint nobis vices per noctem, et diem ad operandum. Ego autem et fratres mei, et pueri mei, et custodes qui erant post me, non deponebamus vestimenta nostra : unusquisque tantum nudabatur ad baptismum.

[*Cap.* V.] Et factus est clamor populi et uxorum ejus magnus, adversus fratres suos Judæos. Et erant qui dicerent : Filii nostri et filiæ nostræ multæ sunt nimis : accipiamus pro pretio eorum frumentum, et comedamus, et vivamus. Et erant qui dicerent : Agros nostros, et vineas, et domos nostras opponamus, et accipiamus frumentum in fame. Et alii dicebant : Mutuo sumamus pecunias in tributa regis, demusque agros nostros et vineas : et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt : sicut filii eorum, ita et filii nostri. Ecce nos subjugamus filios nostros et filias nostras in servitutem, et de filiabus nostris sunt famulæ, nec habemus unde possint redimi, et agros nostros, et vineas nostras alii possident. Et iratus sum nimis cum audissem clamorem eorum secundum verba hæc : cogitavitque cor meum mecum : et increpui optimates et magistratus, et dixi [4] eis : Usurasne singuli a fratribus vestris exigitis ? Et congregavi adversum eos concionem magnam, et dixi eis :

Nos, ut scitis, redemimus fratres nostros Judæos, qui venditi fuerant gentibus, secundum possibilitatem nostram : et vos igitur vendetis fratres vestros, et redimemus eos [5] ? Et siluerunt, nec invenerunt quid responderent : Dixique ad eos : Non est bona res quam facitis : quare non in timore Dei nostri ambulatis, ne exprobretur nobis a gentibus inimicis nostris ? Et ego, et fratres mei, et pueri mei, commodavimus plurimis pecuniam et frumentum : non repetamus in commune istud, æs alienum concedamus, quod debetur nobis. Reddite eis hodie agros suos, et vineas suas, et oliveta sua, et domos suas : quin potius et centesimam pecuniæ, frumenti, vini, et olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis. Et dixerunt : Reddemus, et ab eis nihil quæremus : sicque faciemus ut loqueris. Et vocavi sacerdotes, et adjuravi eos ut facerent juxta quod dixeram. Insuper excussi sinum meum, et

[1] Ms. Reginæ, *Annon filius Selo.* Mox *Mesollam*, pro *Mosollam.* Denique paulo post, *aurificis*, quod et Vulgati Latini præferunt, pro *artificis*, idque rectius ad Hebræum verbum הצרפי ; sæpius enim conflatorem auri, sive aurifabrum, nomen צורף sonat.

[2] Idem ms., *angulis ad portam gregis.*

[3] Voces *et arcus*, quæ tamen et in Hebr. sunt, Reginæ ms. tacet.

[4] Vitiose antea scriptum erat *et dixit.*

[5] Variam in hoc versiculo retinent lectionem mss. codices ; plures ita legunt : *Et vos igitur vendite fratres nostros, et ememus eos.* Canon Memmianus in textu habet : *Et vos igitur venditis fratres nostros, redimemus eos.* In margine, *alibi, vendite fratres vestros, et ememus eos.* MART.

dixi : Sic excutiat Deus omnem virum qui non impleverit verbum istud, de domo sua, et de laboribus suis : sic excutiatur, et vacuus fiat. Et dixit universa multitudo : Amen. Et laudaverunt Deum. Fecit ergo populus sicut erat dictum.

A die autem illa, qua præceperat rex mihi ut essem dux in terra Juda, ab anno vicesimo usque ad annum tricesimum secundum Artaxerxis regis, per annos duodecim, ego et fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus. Duces autem primi, qui fuerant ante me, gravaverunt populum, et acceperunt ab eis, in pane, et vino, et pecunia, quotidie siclos quadraginta : sed et ministri eorum depresserunt populum. Ego autem non feci ita propter timorem Dei : quin potius in opere muri ædificavi, et agrum non emi, et omnes pueri mei congregati ad opus erant. Judæi quoque et magistratus, centum quinquaginta viri, et qui veniebant ad nos de gentibus quæ in circuitu nostro sunt [*Al.* erant], in mensa mea erant. Parabatur autem mihi per dies singulos bos unus, arietes sex electi, exceptis volatilibus, et inter dies decem vina diversa, et alia multa tribuebam : insuper et annonas ducatus mei non quæsivi : valde enim attenuatus erat populus. Memento mei, Deus meus, in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic.

[*Cap.* VI.] Factum est autem, cum audisset Sanaballat, et Tobias [1], et Gosem Arabs, et cæteri inimici nostri, quod ædificassem ego murum, et non esset in ipso residua interruptio (usque ad tempus autem illud valvas non posueram in portis) miserunt Sanaballat et Gosem ad me, dicentes : Veni, et percutiamus fœdus pariter in viculis [2] in campo Ono. Ipsi autem cogitabant ut facerent mihi malum : Misi ergo ad eos nuntios, dicens : Opus grande ego facio, et non possum descendere, ne forte negligatur cum venero et descendero ad vos. Miserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices : et respondi eis juxta sermonem priorem. Et misit ad me Sanaballat juxta verbum prius quinta vice puerum suum, et epistolam habebat in manu scriptam hoc modo :

In gentibus auditum est, et Gosem dixit, quod tu et Judæi cogitetis rebellare, et propterea ædifices murum et levare te velis super eos regem, propter quam causam et prophetas posueris, qui prædicent de te Jerusalem, dicentes, Rex in Judæa est. Auditurus est rex verba hæc, idcirco nunc veni, ut ineamus consilium pariter. Et misi ad eos, dicens, Non est factum secundum verba hæc, quæ tu loqueris : de corde enim tuo tu componis hæc. Omnes autem [*Al.* enim] hi terrebant nos, cogitantes quod cessarent manus nostræ ab opere, et quiesceremus. Quam ob causam magis confortavi manus meas, et ingressus sum domum Semaiæ filii Dalaiæ filii Metabeel secreto. Qui ait : Tractemus nobiscum in domo Dei in medio templi, et claudamus portas ædis : quia venturi sunt ut interficiant te, et nocte venturi sunt ad occidendum te. Et dixi : Num quisquam similis mei fugit [3]? et quis ut ego ingredietur templum, et vivet? non ingrediar. Et intellexi quod Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, et Tobias, et Sanaballat conduxissent eum ; acceperat enim pretium, ut territus facerem, et peccarem, et haberent malum, quod exprobrarent mihi. Memento mei, Domine, pro Tobia, et Sanaballat, juxta opera eorum talia : sed et Noadiæ [4] prophetæ, et cæterorum prophetarum, qui terrebant me. Completus est autem murus vicesimo quinto die mensis Elui, quinquaginta duobus diebus.

Factum est ergo cum audissent omnes inimici nostri, ut timerent universæ gentes quæ erant in circuitu nostro, et conciderent intra semetipsos, et scirent quod a Deo factum esset opus hoc. Sed et in diebus illis, multæ optimatum Judæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, et a Tobia veniebant ad eos. Multi enim erant in Judæa habentes Juramentum ejus, quia gener erat Secheniæ filii Jorei [5], et Johanan filius ejus acceperat filiam Musollam filii Barachiæ : sed et laudabant eum coram me, et verba mea nuntiabant ei : et Tobias mittebat epistolas, ut terreret me.

[*Cap.* VII.] Postquam autem ædificatus est murus, et posui valvas, et recensui janitores, et cantores, et Levitas : præcepi Anani fratri meo, et Ananiæ principi domus de Jerusalem (ipse enim quasi vir verax et timens Deum plus cæteris videbatur), et dixi eis : Non aperiuntur portæ Jerusalem usque ad calorem solis. Cumque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt, et oppilatæ : et posui custodes de habitatoribus Jerusalem, singulos per vices suas, et unumquemque contra domum suam. Civitas autem erat lata nimis et grandis, et populus parvus in medio ejus, et non erant domus ædificatæ. Dedit Deus autem in corde meo, et congregavi optimates, et magistratus, et vulgus, ut recenserem eos, et inveni librum census eorum, qui ascenderant primum, et inventum est scriptum in eo :

Isti filii provinciæ, qui ascenderunt de captivitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis, et reversi sunt in Jerusalem, et in Judæam unusquisque in civitatem suam. Qui venerunt cum Zorobabel Josue, Neemias, Azarias, Raamias, Naamani [*Al.* Naamanin], Mardochæus, Belsan, Mespharat, Beggoai, Nahum, Baana. Numerus virorum populi Israel :

Filii Pharos, duo millia centum septuaginta duos. Filii Saphatiæ, trecenti septuaginta duo. Filii Area, sexcenti quinquaginta duo. Filii Phaet Moab, filiorum Josue et Joab, duo millia octingenti decem et octo. Filii Elam, mille ducenti quinquaginta quatuor (*Al.* octoginta). Filii Zethua, octingenti quadraginta quinque. Filii Zachai, septingenti sexaginta. Filii Bannui, sexcenti quadraginta octo. Filii Bebai, sexcenti viginti octo. Filii Azgad, duo millia trecenti viginti duo. Filii Adonicam, sexcenti sexaginta septem. Filii Baggoai, duo millia sexaginta septem [6]. Filii Adin, sexcenti quinquaginta quinque. Filii Ater, filii Ezekiæ, nonaginta octo. Filii Asem, trecenti viginti octo. Filii Besai, trecenti viginti quatuor ! Filii Areph, centum duodecim. Filii Gabaon, nonaginta quinque. Viri [7] Beth-Leem et Netupha, centum octoginta octo. Viri Anathoth, centum viginti octo. Viri Beth-Azmoth, quadraginta duo. Viri Cariathlarim, Chephira, et Beroth, septingenti quadraginta tres. Viri Rama et Geba [8], sexcenti viginti

— Reginæ ms. cum aliis penes Martian. *rendite fratres nostros et ememus eos.*

[1] Interserit hic idem ms. nomen *Maralis*, quod quidem haud scio unde excuderit.

[2] Reginæ ms. aliique apud Martian. *in vitulis :* alii codices et Vulgati plerique omnes ante Sixti V editionem æque male *in vinculis* præferebant. Taceo quod *uno.* pro *Ono*, in nonnullis legitur.

[3] Vitiose in eodem ms., *fuit*, pro *fugit.*

[4] Idem ms. vitiose iterum, *et non Adiæ.* Præstat vero admonere, in Heb. חגביאה esse sequiori genere, sive prophetissam Noadiam dici, non prophetam.

[5] Ita Canon Memmiamus ac cæteri omnes mss. codices. Editi legunt *filii Area* juxta Hebræum, ubi nullum apparet *Iod* initio hujus nominis. MART.

[6] Reg. ms. *septuaginta septem :* mox quoque *Baggoim* pro *Baggoai :* Vulg. *Beguai.*

[7] Cum Vulgatis et Græco, Reginæ ms. *Filii* hic præfert pro *viri :* Hebræus autem אנשי.

[8] Uno auget numerum Reginæ ms. qui et *Gola* pro *Goba*, et mox *Agi* pro *Ai* legit. De Nebo, quæ

unus. Viri Machmas, centum viginti duo. Viri Beth-El, et Ai, centum viginti tres. Viri Nebo alterius, quinquaginta duo. Viri Elam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor. Filii Arem, trecenti viginti. Filii Jeriho, trecenti quadraginta quinque. Filii Lod Hadid et Ono, septingenti viginti unus. Filii Senaa, tria millia nongenti triginta.

Sacerdotes : Filii Idaia in domo Josua, nongenti septuaginta tres. Filii Emmer, mille quinquaginta duo. Filii Phashur, mille ducenti quadraginta septem. Filii Arem, mille decem et septem. Levitæ: Filii Josue et Cadmiel [*Al.* Cedmiel], filiorum Odviæ, septuaginta quatuor. Cantores: Filii Asaph, centum quadraginta octo. Janitores : Filii Sellum, filii Ater, filii Telmon, filii Accub, filii Atita, filii Sobai : centum triginta octo. Nathinæi : filii Soa, filii Aspha (*Al.* Hasupha), filii Tebbaoth. filiii Ceros, filii Siaa, filii [1] Phadon, filii Lebana, filii Agaba, filii Selmon [2], filii Anan, filii Geddel, filii Gaer, filii Raia, filii Rasin, filii Necoda, filii Gezem, filii Aza, filii Phasea, filii Besai, filii Munim, filii Nephussim, filii Bechuc (*Al.* Bachuc), filii Acupha, filii Arur, filii Bestoth, filii Meida (*Al.* Maid), filii Arsa, filii Bercos, filii Sisara, filii Thema, filii Nasia, filii Atipha, filii servorum Salomonis, filii Sothai, filii Sophereth, filii Pherida, filii Jahala, filii Darcon, filii Jeddel, filii Saphatia, filii Atil, filii Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim, filio Amon. Omnes Natthinæi, et filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo. Hi sunt autem, qui ascenderunt de Thelmela, Thelarsa, Cherub, Addon, et Emmer : et non potuerunt indicare domum patrum suorum, et semen suum, utrum ex Israel essent. Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quadraginta duo.

Et de sacerdotibus, filii Abia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis [3] uxorem, et vocatus est nomine eorum. Hi quæsierunt scripturam suam in censu, et non invenerunt, et ejecti sunt de sacerdotio. Dixitque Athersatha eis, ut non manducarent de Sanctis sanctorum, donec staret sacerdos doctus et eruditus. Omnis multitudo quasi vir unus, quadraginta duo millia trecenti sexaginta [4], absque servis et ancillis eorum, qui erant septem millia trecenti triginta septem, et inter eos cantores et cantatrices ducenti quadraginta quinque. Cameli eorum, quadringenti triginta quinque [5] ; asini, sex millia septingenti viginti [6].

Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Athersatha dedit in thesaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas sacerdotales quingentas triginta [7]. Et de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis, auri drachmas viginti millia, et argenti minas duo millia ducentas. Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia, et argenti minas duo millia, et tunicas sacerdotales sexaginta septem. Habitaverunt autem sacerdotes, et Levitæ, et janitores, et cantores, et reliquum vulgus, et Nathinæi, et omnis Israel, in civitatibus suis.

(*Cap.* VIII.) Et venerat mensis septimus : filii autem Israel erant in civitatibus suis [8]. Congregatusque est omnis populus quasi vir unus, ad plateam quæ est ante portam aquarum : et dixerunt Ezræ scribæ [9] ut afferret librum legis Mosi, quam præcepit Dominus Israeli.

Attulit ergo Ezras sacerdos legem coram multitudine virorum et mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima, mensis septimi. Et legit in eo aperte in platea quæ erat ante portam Aquarum, de mane usque ad mediam diem, in conspectu virorum et mulierum et sapientium ; et aures omnis populi erant erectæ ad librum.

Stetit autem Ezras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum, et steterunt juxta eum, Mathathia, et Sema [10], et Ania, et Uria, et Helcia, et Maasia, ad dexteram ejus : et ad sini-

altera nominatur, notatum doctis viris, priorem Nebo in vetustis editionibus Latinis olim exstitisse. Vide supra Esdram cap. XI, 52.

[1] Regin, ms. haud tamen recte, prætermissa voce *filii Siaafado* serie continua præfert. Pro *Selmon*, quod sequitur, atque ita in nostris quoque legitur mss. propius ad Hebræum textum Vulgati habent *Selmai*. Paulo post pro *Gezem* idem habet ms. *Gezfa*, et *Unim* pro *Munim*, et *Neptusim* pro *Nephussim*, denique inferius *Gachubada*, pro *Jahala*, etc.

[2] In editis libris legimus *Selmai* ex hodierno Hebræo שלמי : Canon tamen Memmianus cum aliis omnibus mss. Latinis *Selmon* habet, ut nos edidimus. Unde necesse est scriptum fuisse שלמן in exemplaribus Hebraicis S. Hieronymi, *Nun* scilicet ן quale pro *lod* ל, quod plane idem est cum parte *Nun* superiori, in mss. maxime ; ubi etiam omitti potuit a librariis ductus inferior litteræ. MART.

[3] In Reg. ms., *Gabaaditidis*.

[4] Numerat Cod. Reginæ, *sexcentos, sexaginta*, etc.

[5] Post ista, in editis additus legitur integer versic. 68 : *Equi eorum septingenti triginta sex, muli eorum ducenti quadraginta quinque*. At de equis ac mulis altum silentium in mss. Latinis, nec non apud Syrum et Arabem interpretes, qui supradictum omittunt versiculum. Massoretharum exemplaria, Alexandriuumque ms. Græcum adhuc retinent quod in Vulg. Latina legimus. Hinc non levis exoritur suspicio nonnulla excidisse in aliquot exemplaribus Hebræis, Græcis atque Latinis. Eadem leguntur cap. II. lib. I Ezræ, sed in multis valde diversa. Vid. Crit. Sacros. MART.

[6] Advertat lector adnotationem hoc loco positam in Vulgata, inque pluribus mss. libris abesse prorsus in optimo ac perantiquo ms. Colbertino Aniciensi. In San-Germanensi autem nostro num. 45 scriptam esse in margine, nec tamen eodem loco ; sed infra cap. VIII e regione horum verborum : *Attulit ergo Ezras*, etc. Quibus, ni fallor, satis probatum exstat hujusmodi adnotatiunculam, nullatus ab Hieronymo, sed ab alio auctore nescio quo, fuisse derivatam. Sic autem scriptum est in ea : *Huc usque refertur quid in Commentario scriptum fuerit, exin Neemiæ historia texitur*. MART.

— Reginæ ms., *nongentos viginti* numerat. Statim vero subjungunt Vulgati codices glossema illud, *Hucusque refertur, quid in Commentario scriptum fuerit, exin Neemiæ Historia texitur*, quod ex Hieronymi calamo profectum non esse, tum originalium textuum silentium, tum Latini ipsi mss. nobis et Martianæo inspecti, indicio sunt. Præterea non hic loci, sed paulo superius post versic. 64, seu verbis, *Dixitque Athersatha*, etc., rectius videbatur præponendum.

[7] Nedum Vulgata, sed et ipsum Hebræum exemplar supputant *triginta quinque*, חמשים ושלשים. Nostri autem mss. non addunt illud *quinque*, neque in suis illud invenisse Martian. videtur, tametsi lectorem hac de re non admoneat.

[8] Alterum hic de suo adsuit glossema Regin. ms. his verbis, *Schenophegia Saul. Esdra et Neemia :* quod facile fuit autea scholion ad libri album annotatum dein temere intrusum in textum.

[9] Nomen *Scribæ* in Reginæ ms. deest.

[10] In Reginæ ms., *Semeia* et *Ahania*, quorum prius cum Vulgata lectione consonat, alterum rectius ad Hebræum legeris *Hanabia*. Mox *Phædia*, pro *Phadaia*, et *Missahel* aspiratur.

stram, Phadaia, Misael, et Melchia, et Asum, et Asebdana, Zacharia, et Mosollam. Et aperuit Ezras librum coram omni populo : super universum quippe populum eminebat : et cum aperuisset eum, stetit omnis populus. Et benedixit Ezras Domino Deo magno : et respondit omnis populus : Amen, amen : elevans manus suas, et incurvati sunt, et adoraverunt Deum proni in terram. Porro Josue,et Rani, et Serebia, Jamin, Accub, Sebthai, Odia, Maasia, Celitha, Azarias, Josabed, Anan, Phalaia, Levitæ,silentium faciebant in populo ad audiendam legem : populus autem stabat in gradu suo. Et legerunt in libro legis Dei distincte,et apposite.(*Al.* aperte) ad intelligendum, et intellexerunt cum legeretur.

Dixit autem Neemias (ipse est Athersatha) et Ezras sacerdos et scriba, et Levitæ interpretantes universo populo : Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere, et nolite flere. Flebat enim omnis populus, cum audiret verba legis. Et dixit eis : Ite, comedite pinguia et bibite mulsum [1], et mittite partes ei qui non præparavit sibi:quia sanctus dies Domini est,et nolite contristari, gaudium enim Domini est fortitudo nostra. Levitæ autem silentium faciebant in omni populo, dicentes : Tacete,quia dies sanctus est, et nolite dolere. Abiit itaque omnis populus ut comederet et biberet, et mitteret partes, et faceret lætitiam magnam : quia intellexerant verba quæ docuerat eos. Et in die secundo congregati sunt principes familiarum universi populi, sacerdotes et Levitæ, ad Ezram scribam,ut interpretaretur eis verba legis. Et invenerunt scriptum in lege, præcepisse Dominum in manu Mosi, ut habitent filii Israel in tabernaculis,in die solemni, mense septimo: et ut prædicent,et divulgent vocem in universis urbibus suis,et in Jerusalem,dicentes: Egredimini in montem, et afferte frondes olivæ, et frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, et ramos palmarum,et frondes ligni nemorosi,ut fiant tabernacula,sicut scriptum est. Et egressus est populus, et attulerunt. Feceruntque sibi tabernacula, unusquisque in domate suo [2],et in atriis suis,et in atriis domus Dei,et in platea portæ aquarum,et in platea Ephraim.

Fecit ergo universa ecclesia eorum qui redierant de captivitate,tabernacula,et habitaverunt in tabernaculis: non enim fecerant a diebus Josue filii Nun taliter filii Israel usque ad diem illum.Et fuit lætitia magna nimis. Legit autem in libro Legis Dei per dies singulos, a die primo usque. ad diem novissimum. Et fecerunt solemnitatem septem diebus, et in die octave collectam juxta ritum.

(*Cap.* IX.) In die autem vicesimo quarto mensis hujus, convenerunt filii Israel in jejunio et in saccis,et humus super eos.Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena: et steterunt, et confitebantur peccata sua, et iniquitates patrum suorum.Et consurrexerunt ad standum : et legerunt in volumine Legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur,et adorabant Dominum Deum suum.

Surrexit autem super gradum Levitarum Josue, et Bani,Cedmiel, Sebnia (*Al.* Sabania), Bonni, Sarebias, Bani, Chanani : et inclamaverunt voce magna ad Dominum Deum suum. Et dixerunt Levitæ, Josue, et Cedmiel, Bonni, Absebnia,Serebia [3], Odaia, Sebnia. Phataia; Surgite, Benedicite Domino Deo vestro ab æterno usque in æternum; et benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione et laude.

Tu ipse,Domine,solus tu fecisti cœlum, et cœlum cœlorum ; et omnem exercitum eorum : terram, et universa quæ in ea sunt : Maria,et omnia quæ in eis sunt : et tu vivificas [4] omnia hæc, et exercitus cœli te adorat. Tu ipse,Domine, Deus qui elegisti Abraham, et eduxisti eum de igne [5] Chaldæorum, et posuisti nomen ejus Abraham.Et invenisti cor ejus fidele coram te : percussisti cum eo fœdus,ut dares ei terram Chananæi, Hetthæi,et Amorrhæi, et Pherezæi,et Jebusæi,et Gergesæi,ut dares semini ejus: et implesti verba tua, quoniam justus es. Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto : clamoremque eorum audisti super mare Rubeum.Et dedisti signa et portenta in Pharao, et in universis servis ejus, et in omni populo terræ illus : cognovisti enim quia superbe egerunt contra eos : et fecisti tibi nomen, sicut et in hac die. Et mare divisisti ante eos, et transierunt per medium maris in sicco : persecutores autem eorum projecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas (*Al.* aquis validis).Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem,et in columna ignis per noctem,ut appareret eis via per quam ingrediebantur. Ad montem quoque Sinai descendisti, et locutus es cum eis de cœlo, et dedisti eis judicia recta, et legem veritatis, cæremonias et præcepta bona : et Sabbatum sanctificatum tuum [6] ostendisti eis, et mandata,et cæremonias, et legem præcepisti eis,in manu Mosi servi tui.Panem quoque de cælo dedisti eis in fame eorum, et aquam de petra eduxisti eis sitientibus, et dixisti eis, ut ingrederentur et possiderent terram,super quam levasti manum tuam, ut traderes eis. Ipsi vero et patres nostri superbe egerunt, et induraverunt cervices suas, et non audierunt mandata tua. Et noluerunt audire, et non sunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis.Et induraverunt cervices suas, et dederunt caput,ut converterentur ad servitutem suam, quasi per contentionem. Tu autem Deus propitius, clemens et misericors, longanimis et multæ miserationis, non dereliquisti eos, et quidem cum fecissent sibi vitulum conflatilem, et dixissent : Iste est Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto : feceruntque blasphemias magnas. Tu autem in misericordiis tuis multis non dimisisti eos in deserto : columna nubis non recessit ab eis per diem, ut duceret eos in viam, et columna igis per noctem,ut ostenderet eis iter per quod ingrederentur. Et spiritum tuum bonum dedisti [7], qui doceret eos, et manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, et aquam dedisti eis in siti.Quadraginta annis pavisti eos in deserto,nihilque eis defuit : vestimenta eorum non inveteraverunt, et pedes eorum non sunt attriti. Et dedisti eis regna, et populos, et partitus es eis sortes : et possederunt terram Seon,et terram regis [8] Esebon, et terram Og regis Basan. Et filios eorum multiplicasti sicut stellas cœli, et adduxisti eos ad terram de qua dixeras patribus eorum ut ingrederentur et possiderent. Et venerunt filii, et possederunt terram,et humiliasti coram eis habitatores terræ Cha-

[1] Pro *mulsum* in eodem ms.est *mustum*,quod non nemo magis probarit.Attamen in Hebræo מִמְתַּקִּים legitur, quod *dulcia* et suavia gustu sonat.

[2] Regius codex ms. pro *in domate suo*, scriptum habet *in angulo suo*. MART.

[3] Quatuor hæc nomina ita Regin.mss.effert : *Asebia, Sarechia, Odoia, Sebna*, minus certe bene.

[4] Idem ms., *tu vivificasti*, neque hoc satis recte.

[5] San-Germanensis ms.num.15 hanc in margine retinet variantem lectionem, *Hur*. Significat autem quod Deus eduxerit Abraham de *Ur* Chaldæorum. Porro *Ur* Latine interpretatum *ignis* dicitur. Vide Gen. XIII, 31, ac *Quæstiones Hebraicas* Hieronymi in hunc locum. MART.

[6] Non addit Regin. ms. *tuum*, quod tamen in Hebræo textu resonat.

[7] Hic vero *eis* pronomen sufficit idem ms., quod Hebræus tacet.

[8] Vacat in Reginæ ms. vox *regis*, quæ est tamen in Hebræo archetypo.

nanæos, et dedisti eos in manu eorum,et reges eorum et populos terræ,ut facerent eis sicut placebat illis. Ceperunt itaque urbes munitas, et humum pinguem, et possederunt domos plenas cunctis bonis ; cisternas ab aliis fabricatas,vineas,et oliveta, et ligna pomifera multa : et comederunt et saturati sunt,et impinguati sunt,abundaverunt deliciis in bonitate tua magna. Provocaverunt autem te ad iracundiam, et recesserunt a te, et projecerunt legem tuam post terga sua : et prophetas tuos occiderunt, qui contestabantur eos ut reverterentur ad te, feceruntque blasphemias grandes. Et dedisti eos in manu hostium suorum, et afflixerunt eos.Et in tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, et tu de cœlo audisti,et secundum [1] miserationes tuas multas dedisti eis salvatores, qui salvarent eos de manu hostium suorum. Cumque requievissent, reversi sunt ut facerent malum in conspectu tuo : et dereliquisti eos in manu inimicorum suorum; et possederunt eos. Conversique sunt, et clamaverunt ad te : tu autem de cœlo exaudisti, et liberasti eos in misericordiis tuis, multis temporibus.Et contestatus es eos, ut reverterentur ad legem tuam. Ipsi vero superbe egerunt et non audierunt mandata tua,et in judiciis tuis peccaverunt,quæ faciet homo, et vivet in eis : et dederunt humerum recedentem, et cervicem suam induraverunt, nec audierunt. Et protraxisti super eos annos mutos, et contestatus es eos in spiritu tuo per manum prophetarum tuorum, et non audierunt, et tradidisti eos in manu populorum terrarum [2]. In misericordiis autem tuis plurimis non fecistis eos in consumptionem,nec dereliquisti eos : quoniam Deus miserationum,et clemens es tu Nunc itaque, Deus noster magne, fortis, et terribilis, custodiens pactum et misericordiam, ne avertas a facie tua omnem laborem qui invenit nos, reges nostros, principes nostros,et sacerdotes nostros, et prophetas nostros, et patres nostros et omnem populum tuum, a diebus regis Assur usque in diem hanc.Et tu justus es in omnibus quæ venerunt super nos,quia veritatem fecisti, nos autem impie egimus. Reges nostri, principes nostri, sacerdotes nostri, et patres nostri non fecerunt legem tuam, et non attenderunt mandata tua, et testimonia tua quæ testificatus es in eis [3] Et ipsi in regnis suis,et in bonitate tua multa,quem dederas eis, et in terra latissima et pingui,quam tradideras in conspectu eorum, non servierunt tibi,nec reversi sunt a studiis suis pessimis. Ecce nos ipsi hodie servi sumus, et terra quam dedisti patribus nostris, ut comederent panem ejus et quæ bona sunt ejus, et nos ipsi servi sumus in ea. Et fruges ejus multiplicantur regibus quos posuisti super nos propter peccata nostra,et corporibus nostris dominantur, et jumentis nostris secundum voluntatem suam,et in tribulatione magna sumus.Super omnibus ergo his nos ipsi percutinus fœdus, et scribimus, et signant principes nostri, Levitæ nostri, et sacerdotes nostri.

[*Cap.* X.] Signatores autem fuerunt, Neemias, Athersatha filius Achelai, et Sedecias, Saraias, Azarias, Jeremias, Pheshur [*Al.* Phassur], Amarias, Melchia, Attus, Sebenia, Meluch,Arem. Merimuth, Obdias, Daniel, Genthon, Baruch, Mosollam, Abia, Miamin, Maazia, Belgai, Semeia : hi sacerdotes.

Porro Levitæ, Josue filius Azaniæ [4], Bennui de filiis Enaddan, Cedmiel. et fratres eorum,Schemia [*Al.* Sebenia], Odevia, Celita, Phalaia, Anan, Micha, Roob, Asebia, Zachur, Serebia, Sabania, Odia [*Al.* Odaia], Bani, Baninu.

Capita populi, Pharos, Phaeth-Moab [5], Elam, Zethu, Bani, Bonni,Azgad, Bebai, Adonia, Bergoai, Adin, Ater, Ezechia, Azur, Odevia [*Al.* Odaia], Asum, Besai, Areph, Anathoth, Nebai. Megphias, Mosotlam, Azir, Mesizabel, Sadoc, Jeddua, Pheltia. Anan, Ania [*Al.* Anaia], Osee, Anania, Asub, Aloes, Phalea, Sobet, Reum, Asebna, Maasia, et Haia [*Al.* Echaia], Hanan, Anan, Melluch, Arem, Baana : et reliqui de populo, sacerdotes [6], Levitæ, janitores, et cantores, Nathinæi, et omnes qui se separaverunt de populis terrarum ad legem Dei, uxores eorum, filii eorum, et filiæ eorum, omnis qui poterat sapere spondentes pro fratribus suis, optimates eorum,et qui veniebant ad pollicendum et jurandum, ut ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Mosis servi Dei,ut facerent et custodirent universa mandata Domini Dei nostri,et judicia ejus et cæremonias ejus,et ut non daremus filias nostras populo terræ,et filias eorum non acciperemus filiis nostris. Populi quoque terræ, qui important venalia, et omnia ad usum per diem Sabbati ut vendant, non accipiemus ab eis in Sabbato et in die sanctificato Et dimittemus annum septimum.et exactionem universæ manus. Et statuemus super nos præcepta,ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri. ad panes propositionis, et ad sacrificium sempiternum,et in holocaustum sempiternum, in Sabbatis,in kalendis, in solemnitatibus,et in sanctificatis, et pro peccato : ut exoretur pro Israel, et in omnem usum domus Dei nostri.

Sortes ergo misimus super oblationem lignorum, inter sacerdotes, et Levitas, et populum, ut inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, per tempora,a temporibus anni usque ad annum, ut arderent super altare [7] Domini Dei nostri,sicut scriptum est in lege Mosi : et ut afferremus primogenita terræ nostræ,et primitiva universi fructus omnis ligni. ab anno in annum, in domo Domini. Et primitiva filiorum nostrorum et pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege, et primitiva boum nostrorum et ovium nostrarum,ut offerrentur in domo Dei nostri, sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri : et primitias ciborum nostrorum et libaminum nostrorum, et poma omnis ligni, vindemiæ quoque et olei, afferremus sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri,et decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum. Erit autem sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, et Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domum [8] Dei nostri,ad gazophylacium in domum thesauri. Ad gazophylacium enim deportabunt filii Israel,et filii Levi, primitias frumenti,vini et olei : et ibi erunt vasa sanctificata, et sacerdotes, et cantores, et janitores,et ministri, et non dimittemus domum Dei nostri.

[1] Reginæ ms., *de cælo exaudisti eos,et secundum*, etc.

[2] Quod olim apposuerit nonnemo studiosus ad marginem libri scholion, *Regis Babylonis Chaldæi*, perperam Reginæ ms. in textu hic sufficit.

[3] Neque hic satis bene idem ms., *testificatus es nobis. Et ipsis in regnis suis bonis, et in*, etc.

[4] Omnes mss. sic legunt, editi vero *Benadad*, et consequenter, *Sebenia*, *Odaia* pro *Sechenia* et *Odevia*. MART.

— Reg.,ms. *Azuriæ :* quod sequitur *Enaddam*,rectius ad Hebræum הנדד, Vulgati efferunt *Henadad*.

[5] Constanter Regin. ms., *Phet Moab*,et paulo post *Iezechia* pro *Ezechia*. Alias variantes lectiones e regione adnotamus.

[6] A Scholiaste quopiam margini appositum lemma istiusmodi, *Exderis verba narrantur*,temere Reginæ ms. hic adsuit contextui.

[7] Reginæ ms.,*ut arderent semper ante altare*,etc., cum impressa autem lectione Hebræus textus על ; qui et subsequens *Mosi* nomen tacet.

[8] Idem ms.,*Levitæ offerunt in decimam partem decimæ. quas in domum*, etc., lapsu, ut videtur, scribarum.

[*Cap.* XI.] Habitaverunt autem principes populi in Jerusalem : reliqua vero plebs misit sortem ut tollerent unam partem de decem qui habitaturi essent in Jerusalem civitate sancta, novem vero partes in civitatibus. Benedixit autem populus omnibus viris qui se sponte obtulerant ut habitarent in Jerusalem. Hi sunt itaque principes provinciæ, qui habitaverunt in Jerusalem, et in civitatibus Juda. Habitavit [*Al. add.* autem] unusquisque in possessione sua, in urbibus suis, Israel, sacerdotes, Levitæ, Nathinæi, et filii servorum Salomonis.

Et in Jerusalem habitaverunt de filiis Juda et de filiis Benjamin : de filiis Juda, Athaia filius Aziam, filii Zachariæ, filii Amariæ, filii Saphatiæ, filii Malaleel : de filiis Phares, Maasia filius Baruch, filius Colhoza, filius Azia, filius Adaia, filius Joiarib, filius Zachariæ, filius Silonitis ; omnes hi filii Phares, qui habitaverunt in Jerusalem, quadringenti sexaginta octo viri fortes.

Hi sunt autem filii Benjamin ; Sellum filius Mosollam, filius Joel, filius Phadaia, filius Colaia, filius Masia, filius Etheel, filius Isaia, et post eum Gebbai. Sellai [1], nongenti viginti octo, et Joel filius Zechri præpositus eorum, et Judas filius Senua super civitatem secundus.

Et de sacerdotibus. Idaia filius Joarin, Jachin, Saria filius Helciæ, filius Mosollam, filius Sadoc, filius Moraioth, filius Ahitub [*Al.* Achitob] princeps domus Dei, et fratres eorum facientes opera templi, octingenti viginti duo.

Et Adaia filius Jeroam, filius Phelelia, filius Amsi, filius Zachariæ, filius Phesur, filius Melchiæ, et fratres ejus principes patrum : ducenti quadraginta duo. Et Amassai filius Azreel, filius Ahazi [2], filius Mosollamoth, filius Emmer, et fratres eorum potentes nimis : centum viginti octo, et præpositus eorum Zabdiel filius potentium.

Et de Levitis Sebenia [3] filius Asub, filius Azaricam, filius Asabia, filius Boni, et Sabathai et Josabed, super [*Al. add.* omnia] opera quæ erant forinsecus in domo Dei, a principibus Levitarum,

Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Asaph, princeps ad laudandum et ad confitendum in oratione [4], et Becbecia secundus de fratribus ejus, et Abda filius Samua, filius Galal, filius Idithun, omnes Levitæ in civitate sancta ducenti octoginta, quatuor.

Et janitores, Accub, Temon, et fratres eorum, qui custodiebant ostia : centum septuaginta duo. Et reliqui ex Israel sacerdotes et Levitæ in universis civitatibus Juda, unusquisque in possessione sua [5].

Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel, et Siaba, et Gaspha de Nathinæis. Et episcopus Levitarum in Jerusalem, Azzi filius Bani, filiis Asabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ. De filiis Asaph, cantores in ministerio domus Dei. Præceptum quippe regis super eos erat, et ordo in cantoribus per dies singulos : et Phathalia filius Mesebel, de filiis Zera filii Juda in manu regis, juxta omne verbum populi, et in domibus per omnes regiones eorum.

De filiis Juda habitaverunt in Cariath-Arbe et in filiabus ejus : et in Dibon, et in filiabus ejus et in Cabseel, et in viculis ejus, et in Jesue, et in Molada, et in Bethphaleth, et in Asersual, et in Bersabee et in filiabus ejus, et in Siceleg, et in Mochona [6], et in filiabus ejus, et in Remmon, et in Saraa, et in Jerimuth, Zanoo, Odollam, et in villis earum, Lachis et regionibus ejus, et Azeca, et filiabus ejus. Et manserunt in Bersabee usque ad vallem Ennom.

Filii autem Benjamin, a Geba, Mechmas et Aia [7], et Beth-El, et filiabus ejus : Anathoth, Nob, Anania, Asor, Rama, Gethaim, Adid, Seboim, et Neballat, Lod, et Ono valle artificum. Et de Levitis portiones Judæ et Benjamin.

[*Cap.* XII.] Hi sunt autem sacerdotes et Levitæ, et qui ascenderunt cum Zorobabel filio Salathiel [8], et Josue : Sara, Jeremias, Ezra [*Al.* Esdras], Amaria, Melluch. Attus, Sechenias, Reum, Merimuth, Addo, Genthon. Abia, Miamin, Madia, Belga, Semeia, et Joiarib, Idaia, Sellum, Amoc, Helcia, Idaia. Isti principes sacerdotum, et fratres eorum, in diebus Josue.

Porro Levitæ, Jesua, Bennui, Cedmiel, Sarabia, Juda, Mathania, super hymnos ipsi et fratres eorum, et Becbecia atque Anni, et fratres eorum. unusquisque in officio suo. Jesue [*Al.* Josue] autem genuit Joiacim, et Joiacim genuit Eliasib, et Eliasib genuit Joiada, et Joiada genuit Jonathan [9], et Jonathan genuit Jeddoa.

In diebus autem Joacim erant sacerdotes et principes familiarum. Saraiæ, Amaria [10]. Jeremiæ. Anania. Ezræ, Mosollam, Amariæ, Johanan. Milicho, Jonathan. Sebeniæ. Joseph. Arem, Edna. Maraioth, Elei. Adaiæ, Zacharia. Genthon, Mosollam. Abiæ, Zecri, Miamin, et Moadiæ, Phelti. Belgæ, Sammua. Semaiæ, Jonathan. Joiarib, Mathanai. Jodaiæ [*Al.* Joiadæ], Azzi. Sellai, Belai. Amoc, Eber. Helciæ, Asebia. Idaiæ, Nathanael.

Levitæ in diebus Eliasib, et Joiada, et Johanan, et Jeddoa, scripti principes familiarum, et sacerdotes in regno Darii Persæ.

Filii Levi principes familiarum, scripti in libro Verborum Dierum, et usque ad dies Jonathan, filii Eliasib. Et principes Levitarum, Asebia, Serebia, et Jesue (*Al.* Josue) filius Cedmiel : et fratres eorum per vices suas, ut laudarent et confiterentur juxta præceptum David viri Dei, et observarent æque per ordinem [11]. Mathania, et Becbecia, Obedia Mosollam, Telmon, Accub, custodes portarum et vestibulorum ante portas.

Hi in diebus Joiacim [*Al.* Joacim] filii Josue, filii Josedec, et in diebus Neemiæ ducis, et Ezræ sacerdotis scribæque.

In dedicatione autem muri Jerusalem, requisierunt Levitas de omnibus locis suis, ut adducerent

[1] Ms. Reginæ, *filius Asaia, et post cum Gabbas* pro *Isaia*, et *Gebbai* : paulo etiam superius *Malehel*, pro *Malaleel* præferebat.

[2] Iterum hic, *Ezriel*, et *Saazi*, pro *Azrael*, et *Ahazi*, legit.

[3] Rectius ad Hebræam scripturam שמעיה Vulgati efferunt *Semeia*. Mss. vero cum nostri, tum quos Martianæus consuluit, impressam lectionem pariconsensu retinent. Paulo post *Zehedei*, pro *Zebedei* Regius legit.

[4] Hebræus habet ראש התחלה, quod est *princeps exorationis*, pro quo Hieronymus videtur legisse התהלה, ה scilicet pro ח medio. Neque porro lectionem mutuatus est ex LXX, qui totum fere hunc versiculum prætermittunt.

[5] Reginæ ms., *in civitate sua*. Mox *Ofel*, et *Siaba* pro *Ophel*, et *Siaha*.

[6] Legit idem ms., *Sicileg* et *Monochona* : mox *Adollam*, pro *Odollam*, et *Ezea et filia ejus, et remanserunt*, etc., pro *Azeca et filiabus ejus*, etc.

[7] Idem ms., *Achia*, Vulgat. *Hai*, et paulo post *Onna*, pro *Ono*.

[8] Voces *filio Salathiel* in Reginæ ms. desiderantur. Infra legit *Semaia et Joarib*, pro *Semeia et Joiarib*, etc.

[9] Alibi *Johannanum*, pro *Jonathano*, post Josephum atque Eusebium ipse legit S. Pater in Commentariis in Danielem.

[10] Ita quidem et nostri habent mss. ; verius autem, juxta Hebræum saltem textum, Vulgati præferunt *Maraia*.

[11] Reginæ ms., *observarent ea quæ per ordinem*, etc.

eos in Jerusalem, et facerent dedicationem et A lætitiam in actione gratiarum, et cantico, et in cymbalis, psalteriis, et citharis.

Congregati sunt ergo filii cantorum de campestribus circa Jerusalem, et de villis Nethuphati, et de domo Galgal, et de regionibus Gebba et Azmaveth [1], quoniam villas ædificaverunt sibi cantores in circuitu Jerusalem. Et mundati sunt sacerdotes et Levitæ, et mundaverunt populum, et portas et murum. Ascendere autem feci principes Juda super murum, et statui duos choros [2] laudantium magnos. Et ierunt ad dexteram super murum ad portam Sterquilinii. Et ivit post eos Osaias, et media pars principum Juda, et Azarias, Ezra, et Mosollam, Juda, et Benjamin, et Semeia, et Jeremias. Et de filiis sacerdotum in tubis, Zacharias filius Jonathan, filius Semeiæ, filius Mathaniæ, filius Michaiæ, filius Zechur, filius Asaph, et fratres ejus, Semeia, et Azareel, Malalai, Galalai [3], Maai, Nathanael, et Judas, et Anani, in vasis cantici David viri Dei : et B Ezra scriba ante eos in porta Fontis. Et contra eos ascenderunt in gradibus civitatis David, in ascensu muri super domum David, et usque ad portam Aquarum ad orientem. Et chorus secundus gratias referentium ibat ex adverso, et ego post eum, et media pars populi super murum et super turrim Furnorum, et usque ad murum Latissimum, et super portam Ephraim, et super portam Antiquam, et super portam Piscium et turrim Ananeel, et turrim Emath : et usque ad portam Gregis : et steterunt in porta Custodiæ, steteruntque duo chori laudantium in domo Dei, et ego, et dimidia pars magistratuum mecum. Et sacerdotes, Eliacim, Maasia, Miamin, Michea, Elioenai, Zacharia, Anania in tubis, et Maasia, et Semeia, et Eleazar et Azzi, et Joanan, et Melchia, et Elam, et Ezer. Et clare cecinerunt cantores et Jezraia præpositus, et immolaverunt in die illa victimas magnas, et lætati sunt : Deus enim lætificaverat eos lætitia magna : sed et uxores C eorum et liberi gavisi sunt, et audita est lætitia Jerusalem procul.

Recensuerunt quoque in die illa viros super gazophilacia thesauri ad libamina, et ad primitias, et ad decimas, ut introferrent [4] per eos principes civitatis in decore gratiarum actionis, sacerdotes et Levitas : quia lætificatus est Juda in sacerdotibus et Levitis astantibus. Et custodierunt observationem Dei sui, et observationem expiationis, et cantores, et janitores juxta præceptum David et Salomonis filii ejus, quia in diebus David et Asaph ab exordio erant principes constituti cantorum, in carmine laudantium, et confitentium Deo. Et omnis Israel, in diebus Zorobabel, et in diebus Nehemiæ, dabant partes cantoribus et janitoribus per dies singulos, et sanctificabant Levitas, et Levitæ sanctificabant filios Aaron.

[*Cap.* XIII.] In die autem illo lectum est in volumine Mosi, audiente populo : et inventum est scriptum D in eo quod non debeant introire Ammonites et Moabites in Ecclesiam Dei usque in æternum : eo quod non occurrerint filiis Israel eum pane et aqua, et conduxerint adversus eum [*Al.* eos] Balaam, ad maledicendum eis et convertit Deus noster maledictionem in benedictionem.

Factum est autem, cum audissent legem, separaverunt omnem alienigenam ab Israel. Et super hoc erat Eliasib sacerdos, qui fuerat præpositus in gazophylacio domus Dei nostri, et proximus Tobiæ.

Fecit ergo sibi gazophylacium grande, et ibi erant ante eum reponentes munera, et thus, et vasa, et decimam frumenti, vini, et olei, partes Levitarum, et cantorum, et janitorum, et primitias sacerdotales.

In omnibus autem his non fui in Jerusalem, quia anno tricesimo secundo Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem, et in fine dierum rogavi regem [5].

Et veni in Jerusalem, et intellexi malum quod fecerat Eliasib Tobiæ, ut faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei. Et malum mihi visum est valde. Et projeci vasa domus Tobiæ foras de gazophylacio : præcepique, et emendaverunt gazophylacia : et retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium, et thus. Et cognovi quoniam partes Levitarum non fuissent datæ : et fugisset unusquisque in regionem B suam de Levitis, et cantoribus et de his qui ministrabant : et egi causam adversus magistratus, et dixi : Quare dereliquimus domum Dei ? Et congregavi eos, et feci stare in stationibus suis. Et omnis Juda apportabat decimam frumenti, vini, et olei, in horrea. Et constituimus super horrea Selemiam sacerdotem, et Sadoc scribam, et Phadaiam de Levitis, et juxta eos Anon filium Zachur, filium Mathaniæ : quoniam fideles comprobati sunt, et ipsis creditæ sunt partes fratrum suorum,

Memento mei, Deus meus, pro hoc [6], et ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, et in cæremoniis ejus.

In diebus illis vidi in Juda calcantes torcularia in Sabbato [7], portantes acervos, et onerantes super asinos vinum, et uvas, et ficus, et omne onus, et inferentes in Jerusalem die Sabbati. Et contestatus sum, ut in die qua vendere liceret, venderent. Et Tyrii habitaverunt in ea, inferentes pisces, et omnia C venalia : et vendebant in Sabbatis filiis Juda in Jerusalem : et objurgavi optimates Juda, et dixi eis : Quæ est hæc res mala quam vos facitis, et profanatis diem Sabbati ? Numquid non hæc fecerunt patres nostri, et adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, et super civitatem hanc ? Et vos additis iracundiam super Israel violando Sabbatum.

Factum est itaque, cum quiovissent portæ Jerusalem in die Sabbati, dixi : et clauserunt januas, et præcepi ut non aperirent eas usque post Sabbatum : et de pueris meis constitui super portas, ut nullus inferret onus in die Sabbati. Et manserunt negotiatores, et vendentes universa venalia, foris Jerusalem semel et bis. Et contestatus sum eos, et dixi eis : Quare manetis ex adverso muri ? si secundo hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in Sabbato. Dixi quoque Levitis, ut mundarentur, et venirent ad custodiendas portas, et sanctificandum diem Sab- D bati : et pro hoc ergo memento mei, Deus meus, et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum.

Sed et in diebus illis vidi Judæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, et Moabitidas. Et filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, et ne-

[1] Reginæ ms., *Gabe et Azamabeth.*

[2] In eodem ms. *Ascenderunt autem principes Judæ super murum et statuit duos choros*, etc.

[3] Nomen *Galalai* deest in eodem ms., qui et *Maia* pro *Maai* legit.

[4] Alia est in Hebræo, prout nunc certe habetur, sententia, hæc nimirum, *ut coacervarent per eos ex agris civitatum partes sacerdotum* Hier ; qui *principes civitatis* vertit, facile legerit שרי *sarei* pro שדי *sadai*, sive ר pro ד. Concinunt tamen Hieronymo Syriaca versio, *Præfectorum civitatis*, et LXX. Rursum vero S. Pater, qui vertit *in decore gratiarum actionis*, pro quo Syrus, *quemadmodum scriptum est in libro Legis*, videtur legisse תודה *thoda*, pro תורה *thora*, iterum nempe *Daleth* pro *Res*.

[5] Ms. Reginæ, *rogavi eum, et veni*, etc.

[6] Interserit Reginæ ms. hic voces, *in bono*, quod pridem studiosus nonnemo glossema posuerit ad libri oram.

[7] Hic voces *in subbato*, quæ tamen et in Hebr. resonant, Reginæ ms. tacet.

sciebant loqui Judaice et loquebantur juxta linguam populi et populi. Et objurgavi eos, et maledixi. Et cecidi ex eis viros, et declaravi eos et adjuravi in Deo ut non darent filias suas filiis eorum, et non acciperent de filiabus eorum filiis suis, et sibemetipsis, dicens : Numquid non in hujuscemodi re peccavit Salomon rex Israel? et certe in gentibus multis non erat rex similis ei, et dilectus Deo suo erat, et posuit eum Deus regem super omnem Israel : et ipsum ergo ad peccatum duxerunt mulieres alienigenæ. Nunquid et nos inobedientes faciemus omne malum grande A hoc, ut prævaricemur in Deo nostro, et ducamus uxores peregrinas?

De filiis autem Joaida filii Eliasib sacerdotes magni, gener erat Sanaballat[1] Oronites, quem fugavi a me. Recordare. Domine Deus meus, adversum eos qui polluunt sacerdotium, jusque sacerdotale et Leviticum. Igitur mundavi eos ab omnibus alienigenis, et constitui ordines sacerdotum et Levitarum, unumquemque in ministerio suo; et in oblatione lignorum in temporibus constitutis,et in primitivis[2] : memento mei Deus meus, in bonum. Amen.

Explicit liber Ezræ.

[1] Mendose habet Reginæ ms. *generaret Sanaballat Toronitis.*

[2] Idem ms., *primitii*, qui et postremum verbum *Amen*, quod neque in Hebræo est, verius tacet.

PRÆFATIO HIERONYMI IN LIBRUM ESTHER[1].

Librum Esther variis translatoribus constat esse B vitiatum, quem ego de archivis Hebræorum relevans, verbum e verbo pressius transtuli. Quem librum editio Vulgata laciniosis hinc inde verborum sinibus traht[2] : addens ea quæ ex tempore dici poterant, et audiri, sicut solitum est scholaribus disciplinis[3] sumpto themate, excogitare quibus verbis uti potuit qui injuriam passus est, vel ille qui injuriam fecit. Vos autem, o Paula et Eustochium[4], quoniam in Bibliothecas[5] Hebr. studuistis intrare,

[1] Hunc librum cum Prologo ad duos Vaticanæ bibliothecæ vestustissimos codices mss. exegimus : alterum quem olim Reginæ Suecorum numero 7 prænotatum diximus, alterum Vaticano Palatinum numero præscriptum 24, quem oppido emendatiorem illo perspeximus.

[2] Plures mss. Codices, *verborum funibus trahit* : nonnulli, *verborum funibus* pro *sinibus*. Porro quam laciniosis sinibus traheretur liber Esther in exemplaribus veteris Vulgatæ Latinæ, testis est ms. noster num. 7, qui editionem Vulgatam usu receptam ante Hieronymum complectitur. Tot enim tantaque ibi addita leguntur, quæ ex tempore dici C poterant et audiri ; ut vix ea conjecturis assequi potuissemus, nisi adhuc scripta nobis superessent in prædicto antiquo monumento San-Germanensi. Quis namque credidisset pro unico versiculo quinto capitis decimi quarti, ista ab auctore ejus editionis veteris Latinæ fuisse subjecta? « Ego audivi in libris paternis meis, Domine, quoniam Noe in aquis diluvii conservasti : ego audivi in libris paternis meis, Domine, quoniam tu Abrahæ in trecentis et decem octo viris novem reges tradidisti : ego audivi in libris paternis meis, Domine, quoniam tu Jonam de ventre ceti liberasti : ego audivi in libris paternis meis, Domine, quoniam tu Ananiam, Azariam, Misael de camino ignis liberasti : ego audivi in libris paternis meis, Domine, quoniam tu Daniel de lacu leonum eruisti : ego audivi in libris paternis meis, Domine, quoniam tu Ezechiæ regi Judæorum morte damnato, et oranti pro vita, misertus es, et donasti ei vitæ annos quindecim : ego audivi in D libris paternis meis, Domine, quoniam tu Annæ petenti in desiderio animæ filii generationem donasti : ego audivi in libris paternis meis, Domine, quoniam tu complacentes tibi liberas, Domine, usque in finem, » etc. Multa alia occurrunt in hac editione Vulgata, quæ fidem faciunt Hieronymi verbis : quod quidem fatebuntur studiosi quique viri si eam perlegerint in appendice nostra Veteris Instrumenti. MART.

[3] Ms. San-Germanensis num. 4 ac Memmianus Canon hoc modo legunt, *sicut solitum est, sæcularibus diciplinis.* Idem tamen codex Memmianus notat in margine aliam lectionem, nempe *Scholaribus.* MART.

[4] Juniorem Paulam intelligequia Paula Eustochii mater defuncta erat ante Latinam istam translationem ex Hebræo, uti plane liquet ex iis quæ de libro Esther Hieronymus scripsit Præfatione in Josue, quam consuli omnino volumus. Nec quemquam moveat quod nomen junioris virginis positum legatur ante nomen Eustochii, cujus et fratre neptis fuit Paula filia Lætæ : sic enim fieri amat apud exscriptores, qui in libris Hieronyniaminis quotidie scriptitabant, *o Paula et Eustochium.* Nesciebant alteram Paulam, nesciebant tempus scriptionum Hieronymi : quid igitur mirum, si ordinem perverterint in hac vocandi formula? MART.

— Sunt qui pro *Paula et Eustochium,* substitui velint, *Domnion et Rogatiane*, quibus hunc fuisse inscriptum abs Hieronymo librum gemino ex capite argumentantur. Primum, quod in Prologo ad Esdram, ut simul *Esther ex Hebræo transferret*, rogari se ab iis, dixerit S. Pater. Alterum, quod Paula mater Eustochii antea obiisset quam hanc interpretationem Hieronymus adornaret. Ac prius quidem argumentum, quod falsæ lectionis præjudicio nititur, nullo negotio exsufflamus : ac dudum nos juxta Martianæum ab eo loco Prologi in Esdram, ad mss. fere omnium fidem, *Estheræ* nomen amovimus, ac satis manifesto ostendimus, fuisse illuc temere librariorum culpa importatum. Alteri autem argumento repositum a Martianæo eum eruditorum vulgo, non hic Paulam Eustochii matrem, sed juniorem debere intelligi, Lætæ filiam, ex fratre neptim Eustochii : illudque scribarum oscitantiæ, ac receptæ in his ponendis nominibus consuetudini imputandum, quod amitæ neptis, seniori junior præponitur, Nobis quid hac super re videatur, quandoquidem hæc non longius a Notarum proposito abducerent, in præfixa huic Tomo Præfatione dicendum est.

[5] Apud veteres *Biblia Sacra* appellabantur *Bibliothecæ;* quare intrare Hebræorum Bibliothecas nihil aliud id significat, quam esse sufficientem legendis ac intelligendis voluminibus Hebræis Scripturæ sacræ : in quo religiosæ feminæ, Christique sponsæ

et interpretum certamina comprobatis, tenentes Esther Hebraicum librum, per singula verba nostram translationem aspicite, ut possitis agnoscere me nihil etiam augmentasse addendo[1], sed fideli testimonio simpliciter sicut in Hebræo habetur, historiam Hebraicam Latinæ linguæ tradidisse. Nec virgines multos superarunt hujus ævi sciolos, qui si viderint studiosos nonnullos linguæ Hebraicæ homines, attollunt statim cachinnum, Judæos ac Rabbinos eos cum risu acclamantes : quasi puderet ingenuos viros, sanctam prophetarum linguam addiscere, Ecclesiæ doctorum vestigia terere, nobilissimarumque virginum Eustochii ac Paulæ exemplum imitari. MART.

[1] Regius Bibliorum codex ms. ac San-Germanensis noster numer. 4, pro *etiam* habent *unquam*, id est, *me nihil unquam augmentasse addendo*. MART. — Quidam mss. *unquam* pro *etiam* legunt. Videtur autem alterum huic oppositum comma excidisse, quod ab eadem voce *nihil* inciperet : puta : *nihil silendo truncasse*, aut quid simile.

[2] Post ista in cunctis editionibus Præfationis S. Hieronymi in librum Esther, assutum legitur sequens additamentum : « Rursum, in libro Esther alphabetum ex minio usque ad *theta* litteram fecimus diversis in locis volentes scilicet Septuaginta Interpretum ordinem per hoc insinuare studioso lectori. Nos enim juxta nomen Hebraicum, ordinem prosequi etiam in septuaginta editione maluimus. » Prologi vero pars isthæc spuria ac supposititia, nemini unquam, quod sciamus, suspecta habita est : ideo ab aliquot eruditis hominibus, velut genuinus Hieronymi fetus scholiis illustrata reperitur. Verum enim vero imposturam scire jurat, quam nos subsidio mss. codicum perspectam primum habuimus, sed adhuc manifestiorem attenta ac frequenti meditatione eorumdem verborum : nullus siquidem sensus ex iis elici potest, quae Hieronymo disserenti conveniat. Primum itaque fraudis argumentum capiamus ex mutata priori dictione ejusdem additamenti, non enim legunt mss. antiquiores ac melioris notæ, vaticanos dico, Regios, ac San-Germanenses, *Rursum in libro Esther*, sed, *Rufini in libro Esther*, etc. Unde certum exstat artificem istius modi suppositæ annotationis, *Rufini* exemplum fuisse imitatum in alphabeto litteris Græcis apponendo ad designandum ordinem translationis LXX, cum ipse tamen interpres aut scriptor seriem Hebræorum voluminum prosequeretur. Jam quis nesciat Hieronymum in sacris Scriptura vertendis, emendandis, illustrandisque superiorem semper exstitisse Rufino, a quo neque originem seu contextum versionis LXX neque elementa alphabeti Græci vel Hebraici mutuari unquam indiguit. Posterior ergo ac plane diversus censendus est ab Hieronymo quisquis a Rufino nonnihil habet emendicatum in divinis Scripturis adornandis, sive dirigendis. Rursum adnotatiunculæ S. Hieronymi diversis locis positæ ad ultima capitula libri Esther nullatenus conveniunt cum additamento Præfationis; sed neque ejusdem libri contextus; nam auctor additamenti lectorem monet juxta morem Hebraicum ordinem se esse secutum etiam in Septuaginta Interpretum editione. Econtra Hieronymus asserit editionem istam libri Esther pure esse Hebraicam, quæ nunquam in Hebraico contextu edita perhibentur? Proinde fatendum videtur ultimam Prologi partem ascribendam esse incognito cuidam scriptori, qui in sua editione Latina ad codices Græcos LXX Interpretum elaborata ordinem historiæ Hebraicæ sequeretur. Quod ita pri-

A affectamus laudes hominum, nec vituperationes expavescimus. Deo enim placere curantes, minas hominum penitus non timemus : quia Deus dissipat ossa eorum qui hominibus placere desiderant (*Psal.* LII. 6), et secundum Apostolum, qui ejusmodi sunt, servi Christi esse non possunt (*Galat.* I, 10)[2].

dem nobis persuasum erat ex sensu verborum hujus additamenti; nunc autem evidentissimum atque indubitatum sit ab eo quam diximus, ms. codice Latino Vulgatum veterem, seu Italam libri Esther editionem complexo. Curiosissima enim ejusdem exemplaris contentione facta cum Græcis pluribus translationibus, deprehendi in illa editone Latina LXX Interpretum ordinem ac morem historiæ Hebraicæ. Exempli causa duorum eunuchorum Gabatæ et Tharræ machinatio parricidalis in regem Artarxerxem, quæ apud LXX Interpretes narratur B initio libri Estheris, legitur in nostro ms. codice juxta morem Hebraicum post celebratas nuptias Estheris cum rege Artaxerxe. Iterum quæ Mardochæi captivitate et translatione in Babylonem leguntur capite primo editionis Septuaginta, ea retinet Latinus ms. capite secundo juxta morem Hebræorum codicum. Quibus profecto vera esse ac explorata comprobantur quæcunque præmisimus de ultima parte suppositia præfationis in librum Esther. Accedunt ad hæc tres perantiqui mss. codices ac optimæ notæ, in quibus nihil additum reperitur, Hi sunt Memmianus, codex Ecclesiæ Narbonensis, et alter Cisterciensis monasterii Fontis Frigidi, qui finem faciunt præfationis in his Apostoli verbis, *Servi Christi esse non possunt*, addentes immediate, EXPLICIT PRÆFATIO, etc. Nec omittendus est Colbertinus Aniciensis, ubi in latere marginali jam dictorum verborum Apostoli, exscriptor posuit, C EXPLICIT PROLOGUS, quo manifestissime finem præfationis indicat in hac scripturæ sententia, cætera vero quæ sequuntur, aliena esse et ascitia : ideoque tanquam spuria expuncta sunt tandem ab aliquo emendatore, qui integrum non timuit oblitterare additamentum hujus loci. Cæterum in aliquot aliis mss. Vaticanis, Regiis, ac San-Germanensibus, ultima pars præfationis supposita non eumdem habet contextum cum superioribus, sed separatim et a capite describitur miniaceo colore litterisque marginalis in hunc modum : RUFINI IN LIBRO ESTHER ALPHABETUM, etc. Quod satis esset ad probandum suspectæ hujus partis novitatem et impostu:am : at de his hactenus.

Ne quid vero prætermittamus ex quo utilitatis nonnihil possit hauriri, lectiones etiam variantes in supposititio addimento præfationis hic subjicimus. Ms. Bibliorum codex eminentissimi cardinalis a Bonzio sic legit : *Alfabetum ex Græca scilicet littera minio usque ad Thetam litteram fecimus* D *in diversis locis*, etc. Aliud exemplar ms. monasterii nostri Narbonense, pro *fecimus*, habet tertiam personam *fecerunt;* quasi istud alphabetum non auctori prologi seu additamenti tribueretur, sed ab aliis diceretur appositum. His verbis refelluntur qui putarunt tale alphabetum notatum fuisse ab Hieronymo, et litteris quidem Hebraicis usque ad *Teth*, quod utrumque falsum esse manifestum est, tam ex istis variantibus lectionibus, quam ex iis quæ a nobis paulo superius dicta leguntur. Videant nunc malevoli illi, qui fidem mss. codicum magnis interdum clamoribus elevare conantur, quanto lucis emolumento careant invidorum næniæ : quantum in contrario lucis et scientiæ accrescat sudiosis omnibus, venerandæque antiquitatis assertoribus. MART.

INCIPIT

LIBER ESTHER.

[*Cap.* I.] In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiam, super centum viginti septem provincias: quando sedit in solio regni sui, Susan[1] civitas regni ejus exordium fuit.

Tertio igitur anno imperii sui, fecit grande convivium cunctis principibus et pueris suis, fortissimis Persarum, et Medorum inclytis, et præfectis provinciarum coram se, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet et octoginta diebus.

Cumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum qui inventus est Susis[2], a maximo usque ad minimum: et jussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti, et nemoris, quod regio cultu et manu consitum erat. Et pendebant ex omni parte tentoria aerii coloris, et carbasini ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis atque purpereis, qui eburneis circulis inserti erant et columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei et argentei, super pavimentum smaragdino et pario stratum lapide dispositi erant: quod mira varietate pictura decorabat. Bibebant autem qui invitati erant aureis poculis, et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque in magnificentia regia dignum erat abundans, et præcipuum ponebatur. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut rex statuerat, præponens mensis[3] singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet.

Vasthi quoque regina fecit convivium feminarum in palatio, ubi rex Assuerus manere consueverat.

Itaque die septimo, cum rex esset hilarior, et post nimiam potationem [*Al.* potionem] incaluisset mero, præcepit Mauman, et Bazatha[4], Arbona, et Bagatha, et Abgatha, et Zarath[5] et Charchas, septem eunuchis, qui in conspectu ejus ministrabant, ut introducerent Vasthi reginam coram rege, posito super caput ejus diademate, ut ostenderet cunctis populis in principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde. Quæ renuit, et ad regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit.

Unde iratus rex, et nimio furore succensus, interrogavit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, et illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac jura majorum (erant autem primi et proximi, Charsena, et Sethar, et Admatha, et Tharsis et Mares, et Marsana, et Mamuchan, septem duces Persarum[6] atque Medorum, qui videbant faciem regis, et primi post eum residere soliti erant) cui sententiæ Vasthi regina subjaceret, quæ Assueri regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, facere noluisset.

A Responditque Mamuchan, audiente rege, atque principibus: Non solum regem læsit regina Vasthi, sed et omnes populos, et principes, qui sunt in cunctis provinciis regis Assueri. Egredietur enim sermo reginæ ad omnes mulieres, ut contemnant viros suos, et dicant: Rex Assuerus jussit ut regina Vasthi intraret ad eum et illa noluit. Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Persarum atque Medorum, parvipendent imperia maritorum: unde regis justa est indignatio. Si [*Al. add.* ergo] tibi placet, egrediatur edictum a facie tua; et scribatur juxta legem Persarum atque Medorum, quam præteriri illicitum est, ut nequaquam ultra Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius altera, quæ melior illa est, accipiat. Et hoc in omne (*quod* latissimum est) provinciarum tuarum divulgetur imperium, et cunctæ uxores tam majorum quam minorum, deferant maritis suis honorem[7].

B Placuit consilium ejus regi, et principibus; fecitque rex juxta consilium Mamuchan, et misit epistolas ad universas provincias regni sui, ut quæquæ gens audire et legere poterat, diversis linguis et litteris, esse viros principes ac majores in domibus suis: et hoc per cunctos populos divulgari.

[*Cap.* II.] His ita gestis, postquam regis Assueri deferbuerat indignatio, recordatus est Vasthi, et quæ fecisset, vel quæ passa esset: dixeruntque pueri regis, ac ministri ejus quærantur regi puellæ virgines ac speciosæ, et mittantur qui consideren per universas provincias puellas speciosas et virgines: et adducant eas ad civitatem Susan, et tradant [*Al. add.* eas] in domum feminarum sub manu Egei eunuchi; qui est præpositus et custos mulierum regiarum: et accipiant mundum muliebrem, et cætera ad usus necessaria. Et quæcunque inter omnes oculis regis placuerit, ipsa regnet pro Vasthi. Placuit sermo regi: et ita, ut suggesserant, jussit fieri.

C Erat vir Judæus in Susis civitate, vocabulo Mardochæus: filius Jair, filii Semei, filii Cis, de Stirpe Jemini, qui translatus fuerat de Jerusalem eo tempore, quo Jechoniam regem Juda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat, qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther, et utrumque parentem amiserat: pulchra nimis, et decora facie. Mortuisque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam.

Cumque percrebuisset regis imperium, et juxta mandatum illius multæ virgines pulchræ adducerentur Susan, et Egeo traderentur eunucho: Esther quoque inter cæteras puellas ei tradita est, ut servaretur in numero feminarum. Quæ placuit ei, et invenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit eunucho, ut acceleraret mundum muliebrem, et tra-

[1] In Vaticano Palatino ms. *Susa* continuo dicitur.

[2] Editi legunt *in Susan*; at mss. omnes Latini constanter retinent quod nos edidimus, *Susis* nempe; ut impressi etiam habent Nehemiæ cap. I, vers. 1. MART.

[3] Pro *mensis*, in Palatino ms. est *eis*.

[4] Idem ms., *Balatha*. Pro *Zarath*, quod sequitur, rectius, saltem ad Hebræum textum, Vulgati habent *Zesthar*.

[5] Ita Canon Memmianus cunctique mss. codices: editi vero legunt *Zethar* juxta hodiernum Hebræum, ubi successu temporis facile potuit scribi *Thau* ante *Res*, id est *Zethar* pro Zerath, sive Zarath. MART.

[6] Nostri mss., *Mamucha septem duces regis Persuarum*, etc., nec tamen hic *Regis* vocabulum originales alii libri addunt.

[7] Reginæ ms. postremam hanc vocem, *honorem*, tacet. Mox addit *ejus* pronomen voci *principibus*; utrum minus bene.

deret ei partes suas, et septem puellas speciosissimas de domo regis, et tam ipsam quam pedissequas ejus ornaret atque excoleret. Quæ noluit indicare ei populum et patriam suam: Mardochæus enim præceperat ei ut de hac re omnino reticeret: qui deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virgines servabantur, curam agens salutis Esther, et scire volens quid ei accideret.

Cum autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, ut intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum mulierem pertinebant, mensis duodecimus vertebatur: ita duntaxat, ut sex mensibus oleo ungerentur myrtino [1], et aliis sex quibusdam pigmentis et aromatibus uterentur. Ingredientesque ad regem, quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant, et ut eis placuerat, compositæ de triclinio feminarum ad regis cubiculum transibant. Et quæ intraverat vespere, egrediebatur mane, atque inde in secundas ædes deducebatur, quæ sub manu Susagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præsidebat: nec habebat potestatem ad regem ultra redeundi, nisi voluisset rex, et eam venire jussisset ex nomine.

Evoluto autem tempore per ordinem, instabat dies quo Esther filia Abihail fratris Mardochæi, quam sibi adoptaverat in filiam, intrare deberet ad regem. Quæ non quæsivit muliebrem cultum, sed quæcunque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde, et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur. Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Thebeth, septimo anno regni ejus. Et amavit [*Al.* adamavit] eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare in loco Vasthi. Et jussit convivium præparari permagnificum cunctis principibus, et servis suis, pro conjunctione et nuptiis Esther. Et dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem.

Cumque secundo quærerentur virgines et congregarentur, Mardochæus manebat ad regis januam: necdum prodiderat Esther patriam et populum suum, juxta mandatum ejus. Quidquid enim ille præcipiebat, observabat Esther: et ita cuncta faciebat, ut tempore solita erat quo eam parvulam nutriebat.

Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis januam morabatur, irati sunt Bagathan et Thares, duo eunuchi regis, qui janitores erant, et in primo palatii limine præsidebant: volueruntque insurgere in regem, et occidere eum. Quod Mardochæum non latuit, statimque nuntiavit reginæ Esther: et illa regi, ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat. Quæsitum est, et inventum: et appensus uterque eorum est in patibulo. Mandatumque est historiis, et annalibus traditum coram rege.

(*Cap.* III.) Post hæc rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag: et posuit solium ejus super omnes principes quos habebat. Cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, et adorabant Aman: sic enim eis præceperat imperator. Solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum.

A Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatii præsidebant: Cui præter cæteros non observas mandatum regis?

Cumque hoc crebrius dicerent, et ille nollet audire, nuntiaverunt Aman, scire cupientes utrum perseveraret in sententia; dixerat enim eis se esse Judæum. Quod cum audisset Aman, et experimento probasset quod Mardochæus non sibi flecteret genu, nec se adoraret, iratus est valde, et pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas: audierat enim quod esset gentis Judææ. Magisque voluit omnem Judæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem.

Mense primo (cujus vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam, quæ Hebraice dicitur Phur, coram Aman, quo die et quo mense gens Judæorum deberet interfici: et exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar.

B Dixitque Aman regi Assuero: Est populus per omnes provincias regni tui dispersus, et a se mutuo separatus, novis utens legibus et cæremoniis insuper et regis scita contemnens. Et optime nosti quod non expediat regno tuo ut insolescat per licentiam: Si tibi placet, decerne ut pereat: et decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.

Tulit ergo rex annulum quo utebatur, de manu sua, et dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Judæorum, dixitque ad eum, Argentum, quod tu polliceris, tuum sit, de populo age quod tibi placet.

Vocatique sunt scribæ regis mense primo Nisan, tertia decima die ejusdem mensis, et scriptum est, ut jusserat Aman, ad omnes satrapas regis, et judices provinciarum, diversarumque gentium, ut quæque gens legere poterat, et audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri: et litteræ signatæ ipsius annulo, missæ sunt per cursores regis

C ad universas provincias, ut occiderent atque delerent omnes Judæos, a puero usque ad senem, parvulos et mulieres, uno die, hoc est tertio decimo mensis duodecimi qui vocatur Adar, et bona eorum diriperent.

Summa autem epistolarum hæc fuit, ut omnes provinciæ scirent, et pararent se ad prædictam diem. Festinabant cursores, qui missi erant, regis imperium explere. Statimque in Susis pendit edictum, rege et Aman celebrante convivium, et cunctis [2], qui in urbe erant, flentibus.

(*Cap.* IV.) Quæ cum audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, spargens cinerem capiti: et in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, et hoc ejulatu usque ad fores palatii gradiens. Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare.

In omnibus quoque provinciis, oppidis, ac locis,

D ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, et fletus, sacco et cinere multis pro strato utentibus.

Ingressæ autem sunt puellæ Esther et eunuchi, nuntiaverunt ei. Quod audiens consternata est: et mesit vestem, ut, ablato sacco, induerent eum, quam accipere noluit. Accitoque Athach eunucho[3], quem rex ministrum ei dederat, præcepit ei ut iret

[1] Vulgati *Myrrhino*, quemadmodum et Græci oleum hoc vocant. Ac sane myrrham ungendis capillis matronas ac virgines usurpavisse, compertum est; ex quo illud Propertii:

Orontea crines perfundere myrrha.

Concinit et Hebr. textus, בשמן המר, tametsi Chaldæus *Omphacinum*, אנקינון, vertat. Ut ut vero se res habeat, cum nostri, tum quos præsto habuit Martian. mss. pari omnes consensu, *myrtino* ut edidimus, legunt.

[2] Scholion marginale, quod visitur e latere in Canone Memmiano, translatum est in contextum librorum editorum, verbum videlicet istud, *Judæis*. Ita ut sit sensus, *cunctis Judæis in urbe flentibus*: cum in Hebræo æque ac in mss. Latinis legamus absolute, absque Judæorum vocabulo, *cunctis qui in urbe erant flentibus*. Mart.

ad Mardochæum, et disceret ab eo cur hoc faceret. Egressusque Athach, ivit ad Mardochæum stantem in platea civitatis, ante ostium palatii : qui indicavit ei omnia quæ acciderant, quomodo Aman promisisset ut in thesauros [*Al.* thesauro] regis pro Judæorum nece inferret argentum. Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susis, dedit ei, ut reginæ ostenderet, et moneret eam ut intraret ad regem, et deprecaretur eum pro populo suo. Regressus Athach, nuntiavit Esther omnia quæ Mardochæus dixerat. Quæ respondit ei, et jussit ut diceret Mardochæo : Omnes servi regis, et cunctæ, quæ sub ditione ejus sunt, norunt provinciæ, quod sive vir, sive mulier, non vocatus [1], interius atrium regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur : nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit vivere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero, quæ triginta jam diebus non sum vocata ad eum? Quod cum audisset Mardochæus, rursum mandavit Esther, dicens : Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Judæis : si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Judæi : et tu, et domus patris tui peribitis. Et quis novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris?

Rursumque Esther hæc Mardochæo verba mandavit : Vade et congrega omnes Judæos, quos in Susis repereris, et orate pro me. Non comedatis, et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus : et ego cum ancillis meis similiter jejunabo, et tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti et periculo. Ivit itaque Mardochæus, et fecit omnia quæ ei Esther præceperat.

[*Cap.* V.] Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, et stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra basilicam regis : at ille sedebat super solium [2] in consistorio palatii contra ostium domus. Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, et extendit contra eam virgam auream quam tenebat manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ ejus.

Dixitque ad eam rex; Quid vis, Esther regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam regni partem petieris, dabitur tibi. At illa respondit : Si regi placet, obsecro, ut venias ad me hodie, et Aman tecum, ad convivium quod paravi. Statimque rex, Vocate, inquit, cito Aman, ut Esther obediat voluntati. Venerunt itaque rex et Aman ad convivium, quod eis regina paraverat.

Dixitque ei rex, postquam vinum biberat abundanter (Quid petis ut detur tibi? et pro qua re postulas? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Cui respondit Esther : Petitio mea, et preces istæ sunt (Si inveni in conspectu regis gratiam, et si regi placet ut det mihi quod postulo, et meam impleat petitionem, veniat rex et Aman ad convivium quod paravi eis, et cras regi aperiam voluntatem meam.

Egressus est itaque illo die Aman lætus et alacer. Cumque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatii et non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde : et dissimulata ira, reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos, et Zares uxorem suam : et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, et quanta eum gloria super omnes principes et servos suos rex elevasset. Et post hæc ait : Regina quoque Esther nullum alium vocavit cum rege ad convivium, præter me : apud quam etiam cras cum rege pransurus sum. Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias. Responderuntque ei Zares uxor ejus, et cæteri amici : Jube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, et dic mane regi, ut appendatur super eam Mardochæus, et sic ibis cum rege lætus ad convivium. Placuit ei consilium, et jussit excelsam parari crucem.

[*Cap.* VI.] Noctem illam duxit rex insomnem, jussitque afferri sibi historias, et annales priorum temporum. Quæ cum, illo præsente, legerentur, ventum est ad illum locum, ubi scriptum erat, quomodo nuntiasset Mardochæus insidias Bagathan et Thares ennuchorum, regem Assuerum jugulare cupientium, Quod cum audisset rex, ait : Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei servi illius ac ministri : Nihil omnino mercedis accepit.

Statimque rex, Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiæ intraverat, ut suggereret regi, et juberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum. Responderunt pueri : Aman stat in atrio. Dixitque rex : Ingrediatur. Cumque esset ingressus, ait illi : Quid debet fieri viro quem rex honorare desiderat? Cogitans Aman in corde suo, et reputans quod nullum alium rex, nisi se, vellet honorare, respondit : Homo, quem rex honorare cupit, debet indui *vestibus* regiis, et imponi super equum qui de sella regis est, et accipere regium diadema super caput suum, et primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum ejus, ut per plateam civitatis incedens clamet, et dicat : Sic honorabitur quemcunque rex voluerit honorare.

Dixitque ei rex : Festina, et sumpta stola et equo, fac ut locutus es Mardochæo Judæo qui sedet ante fores palatii. Cave ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas. Tulit itaque Aman stolam et equum, indutumque Mardochæum in platea civitatis, et impositum equo præcedebat, atque clamabat : Hoc honore condignus est, quemcunque rex voluerit honorare.

Reversusque est Mardochæus ad januam palatii, et Aman festinavit ire in domum suam, lugens et operto capite : narravitque Zares uxori suæ, et amicis suis [*Al. tac.* suis] omnia quæ evenissent sibi. Cui responderunt sapientes quos habebat in consilio, et uxor ejus : Si de semine Judæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu ejus. Adhuc illis loquentibus, venerunt ennuchi regis, et cito eum ad convivium, quod regina paraverat, pergere compulerunt.

[*Cap.* VII.] Intravit itaque rex et Aman, ut biberent cum regina. Dixitque ei rex etiam in secundo die, postquam vino incaluerat : Quæ est petitio tua, Esther, ut detur tibi? et quid vis fieri? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.

Ad quem illa respondit : Si inveni gratiam in oculis tuis, o rex, et si tibi placet, dona mihi animam, pro qua rogo, et populum meum, pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego et populus meus, ut conteramur, jugulemur, et pereamus. Atque utinam in servos et in famulas venderemur, esset tolerabile malum, et gemens tacerem : nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in regem.

Respondensque rex Assuerus ait : Quis est iste, et cujus potentiæ, ut hæc audeat facere? Dixit Esther : Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman, quod ille audiens, illico obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens.

Rex autem iratus surrexit, et de loco convivii

[1] In reginæ ms. *arreptoque Athace eunucho*, etc.

[2] Uno verbo Palatin. ms., *invocatus*. Sicque paulo infra *invocata* pro *non vocata*.

[2] Cum vulgatis addit Reginæ mss. pronomen *suum*.

intravit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit, ut rogaret Esther reginam pro anima sua; intellexit enim a rege sibi paratum malum. Qui cum reversus esset de horto nemoribus consito, et intrasset convivii locum, reperit Aman super lectulum corruisse [1], in quo jacebat Esther, et ait: Etiam reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, et statim operuerunt faciem ejus.

Dixitque Arbona, unus de eunuchis, qui stabant in ministerio regis: En lignum, quod paraverat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo. Suspensus est itaque Aman in patibulo quod paraverat Mardochæo, et regis ira quievit.

(*Cap.* VIII.) Die illo dedit rex Assuerus Esther reginæ domum Aman adversarii Judæorum. et Mardochæus ingressus est ante faciem regis. Confessa est enim ei Esther, quod esset patruus suus.

Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi jusserat, et fradidit Mardochæo. Esther autem constituit Mardochæum super domum suam. Nec his contenta, procidit [2] ad pedes regis, flevitque, et locuta ad eum oravit, ut malitiam Aman Agagitæ, et machinationes ejus pessimas, quas excogitaverat contra Judæos, juberet irritas fieri. At ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur: illaque consurgens stetit ante eum, et ait: Si placet regi, et si inveni gratiam in oculis ejus, et deprecatio mea non ei videtur esse contraria, obsecro, ut novis epistolis, veteres Aman litteræ, insidiatoris et hostis Judæorum quibus eos in cunctis regia provinciis perire præceperat corrigantur. Quomodo enim potero sustinere necem, et interfectionem populi mei? Responditque rex Assuerus Esther reginæ, et Mardochæo Judæo: Domum Aman concessi Esther, et ipsum jussi affigi cruci, quia ausus est manum mittere in Judæos. Scribite ergo Judæis, sicut vobis placet, regis nomine, signantes litteras annulo meo. Hæc enim consuetudo erat, ut epistolis quæ ex regis (*Al.* regio) nomine mittebantur, et illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere.

Accitisque scribis et librariis regis (erat autem tempus tertii mensis, qui appellatur Siban) vicesima et tertia illius die, scriptæ sunt epistolæ, ut Mardochæus voluerat, ad Judæos, et ad principes, procuratoresque et judices, qui centum viginti septem provinciis ab India usque Æthiopiam præsidebant, provinciæ atque provinciæ, populo et populo, juxta linguas et litteras suas, et Judæis, ut (*Al.* prout) legere poterant, et audire. Ipsæque epistolæ, quæ regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, et missæ per veredarios: qui per omnes provincias discurrentes, veteres litteras novis nuntiis prævenirent. Quibus imperavit rex, ut convenirent Judæos per singulas civitates, et in unum præciperent congregari, ut starent pro animabus suis, et omnes inimicos suos, cum conjugibus ac liberis et universis domibus, et interficerent atque delerent, et spolia earum diriperent [3]. Et constituta est per omnes provincias una ultionis dies, id est, tertia decima mensis duodecimi Adar. Summaque epistolæ hæc fuit, ut in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri imperio subjacebant, notum fieret, paratos esse Judæos ad capiendam vindictam de hostibus suis;

A Egressique sunt veredarii celeres nuntios perferentes, et edictum regis pependit in Susis.

Mardochæus autem, de palatio et de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet et aereis, coronam auream portans in capite, et amictus serico pallio stque purpureo. Omnisque civitas exsultavit, atque lætata est. Judæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium. Apud omnes populos, urbes atque provincias quocunque regis jussa veniebant, mira exsultatio, epulæ atque convivia, et festus dies: in tantum ut plures alterius gentis et sectæ, eorum religioni et cæremoniis jungerentur. Grandis enim cunctos Judaici nominis terror invaserat.

(*Cap.* IX.) Igitur duodecimi mensis, quem Adar vocari ante jam diximus, tertia decima die, quando cunctis Judæis interfectio parabatur, et hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Judæi superiores esse cœperunt, et se de adversariis vindicare.
B Congregatique sunt per singulas civitates, oppida, et loca, ut extenderent manum contra inimicos et persecutores suos. Nullusque ausus est resistere, eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat. Nam et provinciarum judices, et duces, et procuratores, omnisque dignitas quæ singulis locis ac operibus præerat, extollebant Judæos timore Mardochæi. Quem principem esse palatii, plurimum posse cognoverant: fama quoque nominis ejus crescebat quotidie, et per cunctorum ora volitabat.

Itaque percusserunt Judæi inimicos suos plaga magna, et occiderunt eos, reddente eis quod sibi paraverant facere: in tantum ut etiam in Susan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ hostis Judæorum [4]; quorum ista sunt nomina: Pharsandatha, et Delphon, et Esphatha, et Phoratha, et Adalia, et Aridatha, et Phermesta, et Arisai, et Aridai (*Al.* Arisati), et Vaizatha (*Al.* Jezatha). Quos cum occidissent, prædas
C de substantiis eorum tangere noluerunt.

Statimque numerus eorum, qui occisi erant in Susan, ad regem relatus est. Qui dixit reginæ: In urbe Susan interfecerunt Judæi quingentos viros, et alios decem filios Aman; quantam putas eos exercere cædem in universis provinciis? Quid ultra postulas, et quid vis ut fieri jubeam? cui illa respondit: Si regi placet. detur potestas Judæis, ut sicut fecerunt hodie in Susan, sic et cras faciant, et decem filii Aman in patibulis suspendantur. Præcepitque rex, ut ita fieret. Statimque in Susan pependit edictum, et decem filii Aman suspensi sunt.

Congregatis Judæis quarta decima die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta substantia est. Sed et per omnes provincias, quæ ditioni regis subjacebant, pro animabus suis steterunt Judæi, interfectis
D hostibus ac persecutoribus suis: in tantum ut septuaginta quinque millia occisorum implerentur et nullus de substantiis eorum quidquam contingeret.

Dies autem tertius decimus mensis Adar, unus (*Al.* primus) apud omnes interfectionis fuit, et quartadecima die cædere desierunt. Quem constituerunt esse solemnem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conviviis. At hi qui in urbe Susan cædem exercuerant, tertio decimo, et quarto decimo die ejusdem mensis in cæde versati sunt; quinto decimo autem die percutere desierunt. Et idcirco eumdem diem constituerunt solemnem epularum atque lætitiæ. Hi vero

[1] Palatinus, *super lectulum suum corruisse*, etc.
[2] Vitiose lectum antea est Martianæo, *procedit*.
[3] Istam pericopen, *et spolia eorum diriperent*, nostri ms. non agnoscunt.
[4] Nostri mss. hic atque infra *in Susis*: tum valde diverso sensu, *quingentos viros interficerent et decem, extra filios Aman*: minus tamen recte.

Judæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartum decimum diem mensis ADAR conviviorum et gaudii decreverunt, ita ut exsultent in eo, et mittant sibi mutuo partes epularum et ciborum.

Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, et litteris comprehensa misit ad Judæos, qui in omnibus regis provinciis morabantur, tam in vicino positis [*Al. tac.* positis], quam procul, ut quartam decimam et quintam decimam diem mensis ADAR pro festis susciperent, et revertente semper anno solemni honore celebrarent; quia in ipsis diebus se ulti sunt Judæi de inimicis suis et luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversa sunt, essentque dies isti epularum atque lætitiæ, et mitterent sibi invicem ciborum partes, et pauperibus munuscula largirentur.

Susceperuntque Judæi id solemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant [1], et quæ Mardochæus litteris facienda mandaverat. Aman enim filius Adamathi stirpis Agag, hostis et adversarius Judæorum, cogitavit contra eos malum, ut occideret illos, atque deleret : et misit PHUR, quod nostra lingua vertitur in sortem. Et postea ingressa est Esther ad regem, obsecrans ut conatus ejus litteris regis irriti fierent, et malum, quod contra Judæos cogitaverat, reverteretur in caput ejus. Denique et ipsum et filios ejus affixerunt cruci, atque ex illo tempore dies isti appellati sunt PHURIM, id est Sortium, eo quod PHUR, id est sors, in urnam missa fuerit. Et cuncta quæ gesta sunt, epistolæ, idi est libri hujus volumine continentur : quæque sustinuerunt, et quæ deinceps immutata sunt, susceperunt Judæi super et semen suum, et super cunctos, qui religioni eorum voluerunt (*Al.* voluerint) copulari, ut nulli liceat duos hos dies absque solemnitate transigere : quod scriptura testatur, et certa expetunt tempora, annis sibi jugiter succedentibus. Isti sunt dies, quos nulla unquam delebit oblivio, et per singulas generationes cunctæ in toto orbe provinciæ celebrabunt : nec est ulla civitas, in qua dies PHURIM, in est sortium, non observentur a Judæis, et ab eorum progenie, quæ his cæremoniis obligata est.

Scripseruntque Esther regina filia Abihail [2] et Mardochæus, Judæus, etiam secundam epistolam, ut omni studio dies ista solemnis sanciretur in posterum. Et miserunt ad omnes Judæos, qui in centum viginti septem regis Assueri provinciis versabantur, ut haberent pacem et susciperent veritatem observantes dies Sortium, et suo tempore cum gaudio celebrarent : sicut constituerant Mardochæus et Esther, et illi observanda susceperunt a se, et a semine suo, jejunia et clamores, et Sortium dies, et omnia, quæ libri hujus, qui vocatur Esther, historia continentur.

[*Cap.* X.] Rex vero Assuerus, omnem terram et cunctas maris insulas fecit tributarias : cujus fortitudo et imperium, et dignitas atque sublimitas, qua exaltavit Mardochæum, scripta sunt in libris Medorum, atque Persarum, et quomodo Mardochæus Judaici generis secundus a rege Assuero fuerit, et magnus apud Judæos [3], et acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, et loquens ea quæ ad pacem seminis sui pertinerent. *Quæ habentur in Hebræo, plena fide expressi. Hæc autem, quæ sequuntur, scripta reperi in editione*

A *Vulgata, quæ Græcorum lingua et litteris continetur, et interim post finem libri hoc capitulum ferelatur : quod juxta consuetudinem nostram obelo id est ; veru prænotavimus* [4].

Dixitque Mardochæus [5] : A Deo facta sunt ista. Recordatus sum somnii, quod videram, hæc eadem significantis ; nec eorum quidquam irritum fuit. Parvus fons, qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit : Esther est, quam rex accepit uxorem, et voluit esse reginam. Duo autem dracones : ego sum, et Aman. Gentes, quæ convenerant, hi sunt, qui conati sunt delere nomen Judæorum. Gens autem mea : Israel est, quæ clamavit ad Dominum, et salvum fecit Dominus populum suum : liberavitque nos de omnibus malis, et fecit signa magna atque portenta inter gentes : et duas sortes esse præcepit, unam B populi Dei, et alteram cunctarum gentium. Venitque utraque sors in statutum ex illo jam tempore diem [6] coram Deo universis gentibus : et recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hæreditatis suæ. Et observabuntur dies isti in mense ADAR, quarta decima et quinta decima die ejusdem mensis, cum omni studio et gaudio in unum cœtum populi congregati, in cunctas deinceps generationes populi Israel.

[*Cap.* XI.] Anno quarto regnantibus Piolemæo [7] et Cleopatra attulerunt Dositheus, qui se sacerdotem et Levitici generis ferebat, et Ptolemæus filius ejus, hanc epistolam PHURIM, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum Ptolemæi filium in Jerusalem.

C *Hoc quoque principium erat in editione Vulgata, quod nec in Hebræo, nec apud ullum fertur interpretum*

Anno secundo, regnante Artaxerxe Maximo, prima die mensis NISAN, vidit somnium Mardochæus filius Jairi, filii Semei, filii Cis, de tribu Benjamin : homo Judæus, qui habitabat in urbe Susis, vir magnus, et inter primos aulæ regiæ. Erat autem de eo numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis cum Jechonia rege Juda, et hoc ejus somnium fuit : Apparuerunt voces, et tumultus, et tonitrua, et terræmotus, et conturbatio super terram, et ecce duo dracones magni, paratique contra se in prælium. Ad quorum clamorem concitatæ sunt nationes, ut pugnarent contra gentem justorum. Fuitque dies illa tenebrarum et discri- D minis, tribulationis et angustiæ, et ingens formido super terram. Conturbataque est gens justorum timentium mala sua, et præparata ad mortem. Clamaveruntque ad Deum : et illis vociferantibus, fons parvus crevit in fluvium maximum, et in aquas plurimas redundavit. Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos. Quod cum vidisset Mardochæus, et surrexisset de strato, et cogita-

[1] Reginæ ms., *facere poterant*, pro *cæperant*.

[2] Palatin. ms., *Abigail* : haud tamen recte Hebr. habet אתיחיל.

[3] Idem ms., *magnus inter Judæos*.

[4] Obelorum signa isthæc abjiciunt plures mss. codices : quæ tamen Memmianus Canon cum antiquioribus duobus mss. exemplaribus nostri S Germani a Pratis, notatis 4 et 15, exactissime repræsentant ex hoc loco usque ad finem libri. MART.

[5] Addit idem ms., *ad eos*. Quæ subsequuntur, veteris sunt editionis Vulgatæ fragmenta, singulis versibus etiam in Palatino codice obelis prænotata, nec Hieronymus tamen habuere interpretem.

[6] Vocem *diem* Regin. ms. prætermittit.

[7] Constanter idem ms. *tholomeum* per *th* effert.

bat quid Deus facere vellet, et fixum habebat in animo scire cupiens quid significaret somnium.

[*Cap.* XI.] Morabatur autem eo tempore in aula regis, cum Bagatha et Thara, eunuchis regis qui janitores erant palatii. Cumque intellexisset cogitationes eorum, et curas diligentius pervidisset, didicit quod conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, nuntiavit super eo regi. Qui de utroque habita quæstione, confessos duci jussit ad mortem. rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis: sed et Mardochæus rei memoriam litteris tradidit. Præcepitque ei rex, ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus. Aman vero filius Amadathi Bugæus, erat gloriosissimus coram rege et voluit nocere Mardochæo et populo ejus, pro duobus regis enuchis qui fuerant interfecti.

Hucusque Proœmium.

Quæ sequuntur, in eo loco posita erant, ubi scriptum est in volumine.

Et diripuerunt bona, vel substantias eorum.

Quæ in sola Vulgata editione reperimus.

Epistolæ autem hoc exemplar fuit.

(*Cap.* XIII.) Rex maximus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciarum principibus et ducibus, qui ejus imperio subjecti sunt salutem[1]. Cum plurimis gentibus imperarem, et universum orbem meæ ditioni subjugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia et lenitate gubernare subjectos, ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur. Quærente autem me a consiliariis meis, quomodo hoc posset impleri, unus qui sapientia et fide cæteros præcellebat, et erat post regem secundus, Aman nomine, indicavit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui novis uteretur legibus, et contra omnium gentium consuetudinem faciens, regum jussa contemneret, et universaram concordiam nationum sua dissensione violaret. Quod cum dedicissemus, videntes unam gentem rebellem adversus omne hominum genus perversis uti legibus, nostrisque jussionibus contraire, et turbare subjectarum nobis provinciarum pacem atque concordiam jussimus, ut quoscunque Aman, qui omnibus provinciis præpositus est, et secundus a rege, et quem patris loco colimus, monstraverit, cum conjugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis: nullusque eorum misereatur, quarta decima die duodecim mensis Adar anni præsentis: ut nefarii homines una die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbaverant.

Hucusque exemplar epistolæ.

Quæ sequuntur, post eum locum scripta reperi, ubi legitur.

Pergensque Marduchæus, fecit omnia quæ ei mandaverat Esther.

Nec tamen habentur in Hebraico, et apud nullum penitus feruntur interpretum.

A Mardochæus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum ejus, et dixit: Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. Tu fecisti cœlum et terram, et quiquid cœli ambitu continetur. Domine omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ. Cuncta nosti, et scis, quia non pro superbia et contumelia, et aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc ut non adorarem Aman superbissimum (libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem), sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem excepto Deo meo. Et nunc, Domine rex Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici perdere, et hæreditatem tuam delere.

B Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto. Exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti et fumiculo tuo; et converte luctum nostrum in gandium, ut viventes laudemus nomen tuum, Domine, et ne claudas ora te canentium. Omnis quoque Israel pari mente et obsecratione clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

(*Cap.* XIV.) Esther quoque regina confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus et luctui apta indumenta suscepit, et pro unguentis variis, cinere et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit jejuniis, omniaque loca, in quibus lætari ante consueverat, crinium laceratione complevit. Et deprecabatur Dominum Deum Israel, dicens: Domine mi, qui rex noster es solus, adjuva me solitariam, et cujus C præter te nullus auxiliator est alius. Periculum meum in manibus meis est. Audivi a patre meo, quod tu, Domine, tulisses Israel de cunctis gentibus, et patres nostros ex omnibus retro majoribus suis, ut possideres hæreditatem sempiternam, fecistique eis sicut locutus es. Peccavimus in conspectu tuo, et idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum: coluimus enim deos eorum. Justus es, Domine: et nunc eis sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute; sed robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes, volunt tua mutare promissa, et delere hæreditatem tuam, et claudere ora te laudantium, atque exstinguere gloriam templi et altaris tui, ut aperiant ora gentium, et laudent idolorum fortitudinem, et prædicent D carnalem regem in sempiternum. Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his, qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed converte consilium eorum super eos, et eum qui in nos cœpit sævire, disperde. Memento, Domine, et ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, et da mihi fiduciam, Domine rex deorum, et universæ potestatis[2]: tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, et transfer cor illius in odium hostis nostri, ut et ipse pereat, et cæteri qui ei consentiunt. Nos autem libera manu tua, et adjuva me, nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam, et nosti quia oderim gloriam

[1] Adit Reginæ ms. verbum *dicit*.
[2] Reginæ ms., *Da mihi fiduciam, rex Deorum et universæ Domine potestatis.*

iniquorum, et detester cubile incircumcisorum, et omnis alienigenæ, Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud quasi pannum menstruatæ, et non portem in diebus silentii mei, et quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit convivium regis, et non biberim vinum libaminum : et nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus Abraham Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent, et libera nos de manu iniquorum, et erue me a timore meo.

Hæc quoque addita reperi in aditione Vulgata.

(*Cap.* XV.) Et mandavit ei (*haud dubium quin Esther Mardochæus*) ut ingrederetur ad regem, et rogaret pro populo suo et pro patria sua. Memorare, inquit, dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu mea, quia Aman secundus a rege locutus est contra nos in mortem : et tu invoca Dominum, et loquere regi pro nobis, et libera nos de morte.

Necnon et ista quæ subdita sunt.

Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, et circumdata est gloria sua. Cumque regio fulgeret habitu, et invocasset omnium rectorem et salvatorem Deum, assumpsit duas famulas, et super unam quidem innitebatur, quasi præ deliciis et nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens : altera autem famularum sequebatur dominam defluentia in humum indumenta sustentans. Ipsa autem roseo vultum colore perfusa, et gratis ac nitentibus oculis, tristem celabat animum, et nimio timore contractum. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens et pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu. Cumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, et in pallorem colore mutato, lassum super ancillam [1] reclinavit caput. Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, et festinus ac metuens exsilivit de solio, et sustentans eam ulnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur : Quid habes, Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere. Non morieris : non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Accede igitur, et tange sceptrum. Cumque illa reticeret, tulit auream virgam, et posuit super collum ejus, et osculatus est eam, et ait : Cur mihi non loqueris? Quæ respondit : Vidi te, domine, quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, domine, et facies tua plena gratiarum. Cumque loqueretur, rursus corruit, et pene exanimata est Rex. autem turbabatur et omnes [2] ministri ejus consolabantur eam.

Exemplar epistolæ regis Artaxerxis, quam pro Judæis ad totus regni sui provincias misit : quod et ipsum in Hebraico volumine non habetur.

Cap. XVI.) Rex magnus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciarum ducibus ac principibus, qui nostræ obediunt jussioni, salutem dicit. Multi bonitate principum, et honore qui in eos collatus est abusi sunt in superbiam : et non solum subjectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes [3], in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias. Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, et humanitatis in se jura violare; sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se fugere posse sententiam. Et in tantum vesaniæ proruperunt, ut eos, qui credita sibi officia diligenter observant, et ita cuncta agunt ut omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subvertere, dum aures principum simplices, et ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. Quæ res et ex veteribus probatur historiis, et ex his quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorumdam suggestionibus regum studia depraventur. Unde providendum et paci omnium provinciarum. Nec putare debetis, si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate sed pro qualitate et necessitate temporum, ut reipublicæ poscit utilitas, ferre sententiam. Et ut manifestius, quod dicimus, intelligatis, Aman filius Amadathi, et animo et gente Macedo, alienusque a Persarum sanguine, et pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus susceptus est a nobis, et tantam in se expertus humanitatem, ut pater noster vocaretur, et adoraretur ab omnibus post regem secundus; qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est [4], ut regno privare nos niteretur et spiritu. Nam Mardochæum, cujus fide et beneficiis vivimus, et conservatem regni nostri Esther, cum omni gente sua, novis quibusdam atque inauditis machinis, expetivit in mortem : hoc cogitans, ut filiis interfectis, insidiaretur nostræ solitudini, et regnum Persarum transferret in Macedonas. Nos autem, a pessimo mortalium Judæos neci destinatus, in nulla penitus culpa reperimus, sed econtrario justis utentes legibus, et filios altissimi, et maximi, semperque viventis Dei, cujus beneficio et patribus nostris et nobis regnum est traditum, et usque hodie custoditur. Unde eas litteras, quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas. Pro quo scelere ante portas hujus urbis, id et ipse qui machinatus est, et omnis cognatio ejus pendet in patibulis : non nobis, sed Deo ei reddente quod meruit. Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cunctis urbibus proponatur, ut liceat Judæis uti legibus suis. Quibus debetis esse adminiculo, ut eos, qui se ad necem eorum paraverant, possint interficere tertia decima die mensis duodecimi qui vocatur Adar. Hunc enim diem, omnipotens Deus, mœroris et luctus, eis vertit in gaudium. Unde et vos, inter cæteros

[1] Idem ms., *super ancillam.*

[2] Postrema isthæc sententia, *Rex autem turbabatur, et omnes*, etc., in Reginæ ms. desideratur.

[3] Idem ms. *gloriam non inferentes.*

[4] Idem ms. *in tantum arrogantia et honore sublatus est.*

festos dies hanc habetote diem,et celebrate eam cum omni lætitia, ut et in posterum cognoscatur, omnes qui fideliter Persis obediunt, dignam pro fidei recipere mercedem : qui autem insidiantur regno eorum, perire pro scelere. Omnis autem provincia et civitas quæ noluerit solemnitatis hujus esse particeps,gladio et igne peresat et sic deleatur,ut non solum hominibus,sed etiam bestiis invia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus, et inobedientiæ [1].

Explicit liber Esther.

[1] Finito Estherlibro ad Canonis Hebraicæ veritatis conclusionem istam subjungit Memmianum exemplar : EXPLICIT TERTIUS ORDO HAGIOGRAPHORUM INCIPIT QUARTUS ORDO EORUM LIBRORUM QUI IN HEBRÆORUM CANONE NON HABENTUR,Quæ litteris aureis descripta leguntur in medio figuræ orbiculatæ coronam civicam exprimentis veterum nummorum. Eadem habet ms. Bibliorum codex Ecclesiæ Narbonensis,sed stylo simpliciori in hunc modum : EXPLICIT LIBER ESTHER V. DCC. EXPLICIT TERTIUS ORDO HAGIOGRAPHORUM, etc. Notat igitur versus esse septingentos in libro Esther,in quo volumine explicit ultimus ordo librorum Canonis.Hæc etiam leguntur partim minio,partim atramento : litteris autem uncialibus seu majusculis scripta in ms. San-Germanensi num.15:

« Finis Esther, Deo gratias, Amen, Hucusque completum est Vetus Testamentum, id est omnes canonicas scripturas (lege, omnes canonicæ Scripturæ, quæ fient) quod fient libri viginti quatuor : quas transtulit Hieronymus presbyter, de Hebraica Veritate in Latinum vertit sermonem. Summo studio summaque cura per diversos codices oberrans editiones perquisivi : in unum collegi corpus, et scribens transfusi, fecique pandectem... Cæteræ vero scripturæ,quæ non sunt canonicæ,sed dicuntur *ecclesiasticæ* istæ sunt, id est, liber *Judith*, *Tobias*, libri *Machabæorum* duo, *Sapientia*,quæ dicitur *Salomonis*, et liber Jesu filii Sirac, et liber *Pastoris* Explicit in nomine Patris, et Filii,et Spiritus sancit. Amen. «

His subjungit idem exscriptor librum Judith secundum antiquam translationem Latinam usu receptam in Ecclesia ante Hieronymum : de qua veteri Vulgata dicturi sumus in Appendice Veteris Testamenti. De Canone vero hactenus dicta sufficiant. MART.

EXPLICIT CANON HEBRAICÆ VERITATIS.

APPENDICULA

AD PRIMAM PARTEM

DIV. BIBLIOTHECÆ S. HIERONIMY.

J. MARTIANÆI ADMONITIO.

Quod in adnotationibus ad psalmum XLV nos facturos promisimus hic redendum est cum fœnore. Partem itaque non exiguam psalmi secundi, cum toto sacro contextu psalmi quadragesimi quarti, sive quadragesimi quinti apud Hebræos, studiosorum curiositati consulentes in hac Canonis appendicula, lingua Hebræorum vernacula, characteribus vero Latinis exhibemus ; prout res conceptæ sunt in perantiquo manuscripto monasterii nostri S. Petri Carnutensis, qui Psalterium triplex complectitur. Ne quid tamen deperiret legentium eruditioni ex absentia Hebræorum elementorum, in adversa altera columna Hebræos characteres apposuimus cum lectione eorumdem Latina juxta puncta vocalia, seu motiones hodiernas Massoretharum : ut sic uno intuitu statim appareat discrepantia Hebraicæ lectionis antiquæ, ab ea quæ nunc viget apud grammaticos Hebræos. Ex hac porro veterum ac hodiernarum diversa lectione nonnihil subolet nobis ætas antiqui Scriptoris nostri hebraizantis : nam quod in multis bene conveniat cum Massoræ doctoribus, ; in aliis nonnullis aliquando dissentiat, proximus tempore putandus videtur his Judæorum magistris. Certe Hieronymo inferiorem eum esse nemo inficiabitur, qui utriusque lectiones Hebraicas inter se composuerit ; sonos enim litterarum tum vocalium, tum consonantium valde diversos in eisdem deprehendet : ut inferius scholiorum nostrorum exempla demonstrant. Cæterum hujus anonymi scriptoris quamtumvis dubia nobis sit ætas, ex ipso tamen minime dubium exsurgit argumentum, Ecclesiæ Christi nunquam defuisse viros Hebraice doctos, qui in studio divinarum Scripturarum S. Hieronymi vestigia consectarentur : quod secus fuisse heterodoxorum hujus temporis docuit inscitia.

PSALMI II PARS MAXIMA HEBRAICE SCRIPTA.

Ex triplici psalterio ms. monasterii S. Petri Carnutensis

Saal mimenni veethna goim nahelathecha
8 Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem
vaaHuzadcha afSe arez.
tuam, et possessionem tuam terminos terræ.
Teroaem besevet barzel ki chli jocer tenapecem.
9 Pasces eos in virga ferrea, ut vas figuli conteres eos.
Vaatta malachim bazkilu hiveSru softe
10 Nunc ergo, reges, intelligite, erudimini, judices
arez.
terræ.
Aivedu eth adn birea vegilu bireada.
11 Servite Domino in timore, et exsultate in tremore.
Nascu bar pen jeanaf vethovedu derech·
12 Adorate pure, ne forte irascatur, et peccatis de via.
Ki jivear ki maat apo asre col
13 Cum exarserit post pauluum furor ejus : Festi
Hose bo.
omnes qui sperant in eo.

A *Hebræi characteres Latinis litteris expressi juxta Massoretharum punctationem.*

nachalathecha gojim veettena mimmenni chocal
שאל מכני ואתנה גיום נחלתך
arets aphse vaachuzatheca
ואחזתך אפסי-ארץ:
tenappetsen jotser kichli barzel beschevet terohem
תרעם בשבט ברזל ככלי יוצר תנפצים :
schophte hivvaseru haschkilu melachim vehatta
ועתה מלכים השכילו הוסרו שפטי
arets
ארץ :
birhada veghillu bejira adonai eth hivdu
אבדו את-יהוה ביראה וגילו ברעדה :
derech vothovedu jeenaph pen bar nasscheca
נשקי בר פן יאנף ותאבדו דרך
kol aschre appo kimhat jivhar ki
כי יבער כמעט אפו אשרי כל
bo chose
חסי בו :

B

PSALMUS XLIV, APUD HEBRÆOS XLV.

Ex eodem triplici psalterio descriptus Hebraice characteribus Latinis.

RaHas libbi davar tovo omer ani
1 Eructavit cor meum verbum bonum ; dico ego
mAsai lamelech.
opera mea regi.

Hebræi characteres Latinis litteris expressi juxta Massoretharum punctationem.

ani omer tov davar libbi rachash
וחש לבי דבר טוב אמר אני
lemelech mahassi
מעשי למלך :

LeSoni At sofer mahir.
2 Lingua mea stylus scribæ velocis.
Jasjafitha mibne Adam hutfak Hen
3 Decore pulchrior es filiis hominum: effusa est gratia
besifethothecha alken berachecha elohim
in labiis tuis : propterea benedixit tibi Deus
LAolam.
in æternum.
Hagor Harbacha al jerech
4 Accingere gladio tuo super femur tuum,
gibbor.
potentissime.
Hodccha va hedarecha vahedarecha celaH
5 Gloria tua et decore tuo : et decore tuo prospere
rechav.
ascende.
al devar emeth va anneva cedek
6 Propter veritatem et mansuetudinem justitiæ
vethorecha noraoth jeminecha.
docebit te terribilia dextera tua.
Heitcecha senunim Amim taHathecha gippolu
7 Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent,
bleve oive hamelech.
in corde inimicorum regis.
KiSacha elohim Aolam va ed
8 Thronus tuus Deus in sæculum et in æternum :
sevet misor sevet malchuthecha.
sceptrum æquitatis sceptrum regni tui.
Ahavta cedek va tisena resa alken
9 Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea
mesaHcha elohim elohecha semen SaSon
unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis
me Haverecha.
præ participibus tuis.
Mor va haloth kciaoth col bchethotheca
10 Myrrha et stacte et cassia in cunctis vestimentis tuis,
min hecle sen minni simmehucha
de domibus eburneis, quibus lætificaverunt te
bnoth malachim bicrotecha.
filiæ regum in honore tuo.
Niceva segal liminecha bechetemme ofir.
11 Stetit conjux in dextera tua, in diademate aureo.
Simai bath urei vatheti azenech vesichi
12 Audi filia et vide et inclina aurem tuam : et obliviscere
ammech u veth avich.
populi tui et domus patris tui.
Vithave hamelech iafiech ki hu
13 Et concupiscet rex decorem tuum : quia ipse
adonaich vehistaHavi lo.
est dominus tuus, et adora eum.
Uvath sor bemihueâ panaich
14 Et, o filia fortissimi, in muneribus faciem tuam
jaHallu Asire Ame.
deprecabuntur divites populi.
Col kevudda bath melech pnima mimisbsot
15 Omnis gloria filiæ regis intrinsecus : fasciis
zaad levusa.
aureis vestita est.
lirKamoth tuval lamelech bethulôth ahreha
16 In scutulas ducetur ad regem : virgines sequentur
rcotheha muvaoth lach.
eam ; amicæ ejus ducentur illuc.
Tuvalna bisemahod vagil tevoenna
17 Ducentur in lætitiis et exsultatione : ingredientur

A

C

D

mahir sopher het leschoni
לשוני עט כופר מהיר :
chen hutsac Adam mibbene jophjaphitha
יפיפית מבני אדם הוצק חן
elohim barachecha ken hal besiphthothecha
בשפתותיך על-כן ברכך אלהים
leholam
לעולם :
gibbor jarech al charbecha
חרבך על יוך גבור
chaghor
חגור
tselach vehadarecha vahadarecha hodecha
הדך והדרך : והדרך צלך
rechav
רכב
tsedec vehenda emeth devar hal
על-דבר אמת וענוה צדק
jeminecha noraoth vethorecha
ותורך נוראות ימינך
jippelu thachtecha ammim schenunim chitsecha
חציך שנונים אמים תחתיך יפלו
hammelech ojeve belev
בלב היבי המלך :
vahed olam elohim kisacha
ככאך אלהים עולם ועד
malchuthecha schevet mischor schevet
שבט מישור שבט מלכותך :
ken al reschach vattisna tsedec ahavta
אהבת צדק ותשנא רשע על כן
sason chemen elohecha elohim meschachacha
משחך אלהים אלהיך שמן ששון
mechaverecha
מחבורך :
bighdothecha cor ketsithoth vaahaloth mor
מר ואהלות קציעות כל בגדתיך
simmechucha minni schen hechele min
מן היכלי שן מיני שמחוך :
biekerothecha melachim benoth
בנות מלכים ביקרותיך
ophir bechetem liminecha schegal nitseva
נצבה שגל לומינך בחתם אופיר :
veschichichhi oznech vehatti uri vath schimhi
שמעי בת וראי והטי אזנך ושכחי
avich uveth haminech
עמך ובית אביך :
hu ki jophjech hammelech vejithav
ויתאו המלך יפיך כי הוא
lo vehischthahavi adonajich
אדניך והשתחוי לו :
panajich beminacha tsor uvath
ובת צר במנחה פניך
ham haschire jechallu
יחלוץ שירי עם :
mimmischbetsoth penima melech vath kevudda col
כל כבודה בת מלך פנימה ממשבצות
levuschah zahav
זהב לבושה :
acharecha bethuloth lammelech tuval lircamoth
לרקמות תובל למלך בתולות אחריך
lach muvaoth rehotheha
רעותיה מובות לך :
tevoenah vaghil bismachoth tuvalna
תיבלנה בשמחת וגיל תבאינה

hehechal melech.		melech behechal
thalamum regis.	A	בהיכל מלך :
taHad avothecha jihiju baanecha tesitémo		teschithemo vanecha jihju avothecha tachath
18 Pro patribus tuis erunt filii tibi : pones eos		תחת אבותיך יהו בניך תשיתמו
lesarim becol arez.		haarets becol lesarim
principes in universa terra.		לשרים בכל הארץ
asKira simecha becol dor		dor becol schimcha azkira
19 Recordabor nominis tui, in omni generatione		אזכרה שמך בכל דר
vador.		vador
et generatione.		ודר
Alchen amne jehoducha laolam		lecholam jehoducha hammim ken ba
20 Propterea populi confitebuntur tibi in sæculum		על כן עמים יהודוך לעלם
vaheth.		vahed
et in æternum.		ועד :

SCHOLIA IN LECTIONES HEBRAICAS PSALMORUM PRÆCEDENTIUM.

Ad tollendam e nostris scholiis omnem ambiguitatem atque confusionem, non abs re erit discrepantes lectiones Hebraicas veterum scriptorum, ac recentiorum grammaticorum, in certas classes dispertire. Primum itaque dicemus de variantibus lectionibus in litteris consonantibus.

Beth quod vocant *raphatum*, sive destitutum puncto *daghesh*, sonat apud nostrum Anonymum, quasi *v* consonans, in quo nihil differt ab Hebræis hodiernis. Verbi gratia Psal. II, vers. 8, legit istam vocem בשבט *besevet :* quod similiter legunt grammatici recentiores, propter punctulum meditullio primi *beth* inscriptum in Massoretharum exemplaribus quo puncto privatum secundum *beth* pronuntiatur ac legitur ut *v*. vers. 4 et 12 ejusdem psalmi II idem ב, *beth*, non daghessatum sonat *v*, עבדו, *avedu :* תאבדו, *thovedu* : idque in omnibus fere versiculis subsequentis psalmi XLIV studiosus ipse lector observare poterit, præcipue vers. 1, in verbo טוב et דבר, quod Hieronymus sexcentis locis legebat *dabar* et *tob* : Anonymus autem legit *davar* et *tov*, ut nunc temporis.

Hheth duplicem habens aspirationem exprimitur sæpius apud Anonymum per *H* litteram majusculam, ut psal. XLIV, vers. 1, רחש, *ra Has ;* vers. 3, חן *Hen*, etc. Hodie legimus *rachasch*, *chen*, vel *rahhasch* et *hhen*. In hujus ergo litteræ prolatione consentiunt Hieronymus ac scriptor anonymus ; quia S. Doctor duplicem agnoscit multis in locis aspirationem *hheth*, quam Incognitus satis indicat forma elementi majuscula.

Iod in futuro verborum et alibi in nominibus legit juxta sonum *g* ; psal. XLIV, vers. 7, יפלו, *gippolu*, ubi *g* ex pronuntiatione librariorum inductum videtur pro *j* consonante, *gippolu* pro *jippolu* ; psal. II, vers. 9 et 13, *jocer* et *jivear*, etc., cui lectioni astipulantur Rabbini non pauci.

Caph juxta eumdem auctorem aliquando sonat ut *k*, nonnunquam ut *c*. Ita enim psal. II, vers. 13, Latinis litteris expressa sunt כי et כל, *ki*, et *col*. Nostri tamen hebraizantes כ *Kaph* initiale semper *K* legunt *Kol* ut *Ki*. Hieronymus *Chi* et *Chol*.

Samech, durum *s*, reddit per ס majusculum. Sic psal. II, vers. 8, אפסי, *AfSe* ; vers. 13, הוסי, *HoSe*. Eodemque modo legit ש *Sin* Ephraimiticum, quod alio nomine dicitur *Sin Sibolet*. psal. XLIV, vers. 9, ששון, *SaSon*. In hoc sono litteræ *samech* consentiunt tum veteres, tum recentiores.

In elemento פ. *phe*, sæpius dissentit ab Hieronymo, quia Anonymus ille imitatur lectionem Hebræorum recentiorum in פ daghessato ; quod *p* legit, non *phe* more Hieronymiano nullum *daghesch* agnoscente. Psal. II, vers. 9, תנפצם, *tenapecem ;* vers. 12, פן, *Pen* ; vers. 13, אפו, *apo*, etc. Nec tamen usquequaque consentit cum hodiernis grammaticis, qui duplicant sonum *pe* ubi *daghesch* forte occurrit : unde legunt *tennappetzem*, et *appo* cum duplici *p ;* quod vetus Scriptor legit cum unico. Infra tamen, psal. XLIV, vers. 7, duplicat litteram *p* in verbo יפלו, *gippolu*, sive *jippolu*.

De *Tsade* curiosius observari debet, ipsum ab Anonymo legi ac exprimi solitum per *c :* ut supra psal. II, vers. 9, in voce *tenapecem ;* et ibidem in יוצר *iocer*. Psalmo autem XLIV, vers. 7, legit illud quasi litteram duplicem cum *tc*, חיציך, *Heitcecha*. Propius itaque accedit ad lectionem Hebræorum hodiernorum, maxime si litteram *c* inflectas ut in voce vernacula nostra *façon*, et in nomine *françois*. Notandum tamen *tsade* finale apud eumdem Scriptorem sonum habere *z*, ארל, *arez*, etc.

Thav daghessatum in libris Hieronymianis nusquam auditum, agnoscit ubique Anonymus noster cum Massoretharum discipulis : hinc *teroem* et *tenapecem*. etc., quæ apud Hieronymum cum *thav* aspirato legerentur *theroem* et *thenaphesem*.

Jam quod vocales seu motiones spectat, hoc specialiter observandum venit in ms. codice, *Scheva* initiale legi solitum juxta sonum vocalis sequentis ; ut psal. II, vers. 8 et 13, שאל, *saal* pro *scheal*, מאט, *maat* pro *meat*, etc. Sciunt vero Hebraicæ linguæ periti, veteres olim legisse eodem modo סדום, *Sodom*, et צבאות, *tsabaoth ;* licet hic modus abierit nunc in desuetudinem, uno excepto *Scheva*, quod immediate subsequitur *ioá* non notatum *hhiric ;* ut ליום, *liiom*, non *leiom*.

Aïn quasi vocalem *a* semper exprimit auctor incognitus ; sæpius etiam forma litteræ extensa, ac puncto intra eam inscripto : quam nos diligentiam imitando assequi non potuimus defectu typorum æqualium. Neque vero vicuntur hodie apud typographos hujusmodi characteres litterarum, quos ad usus lectionis Hebraico-Latinæ fingere ac pingere placuit scriptori perantiquo, qui non solum in *Aïn* expresso per *A*, sed in aliis pluribus litteris puncta posuit intima, libris editis nequaquam imitanda. Hæc itaque monuisse sufficiat. Cætera studiosorum curiositati investiganda permittimus : ne singula percurrentes eorum diligentiæ invidere dicamur.

Caveat tamen lector nonnulla librariorum veterum paragrammata, et quæ minus bene descripta sunt ab eis in manuscripto : ut est illud psal. II, vers. 8, *vaa Huzadcha* pro *vna Huzathcha*, quæ pronuntiando facile confunduntur, id est, sonus *d* cum sono *th*. Similiter psal. XLIV, vers 15 *zahad* pro *zahab*, *d* pro *b ;* vers. 20, *vaheth* pro *vahed*. Alibi addunt vocalem *e* ad sonum litterarum consonantium ; sic versu 7 ejusdem psalmi XLIV, *bleve* pro *blev ;* vers. 14, *Ame* pro *Am*, etc.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

S. EUSEBIUS HIERONYMUS STRIDONENSIS PRESBYTER.

Vallarsii Præfatio. 9

Maurinorum Patrum Epistola dedicatoria ad Innocentium XII, Pontificem Maximum. 27

PROLEGOMENA IN DIVINAM S. HIERONYMI BIBLIOTHECAM. 31

PROLEGOMENON PRIMUM. — *De nomine Divinæ Bibliothecæ et de modo quo edita sit.* 33

I. Quid significet Bibliotheca Divina. — II. Consilium Hieronymi in vertendis Scripturis sacris.— III. Ejusdem studium in lingua Hebraica perdiscenda.— IV. Quos habuerit hortatores, quos oppugnatores suarum translationum ex Hebræo.— V. In suis translationibus nimiam vitabat novitatem, et interpretationis κακοζηλίαν. 33

PROLEGOMENON II. — *De tempore translationum Hieronymi et earum usu in Ecclesia.* 53

I. Diverso tempore, nec servato sacrorum librorum ordine suas versiones edidit Hieronymus. — II. Apud Græcos ac Latinos statim lectitari cœperunt. — III. Hieronymi translationibus utebantur coætanei scriptores.— IV. Tempore Gregorii Magni Ecclesia Romana, ex Hebræo et antiqua ex Græco editione usa est. — V. Galliarum præsertim Ecclesiæ Hieronymianas versiones cæteris anteponebant. — VI. Ecclesia catholica versionem Latinam Hieronymi publico decreto authenticam declaravit, et eam in suos usus adhibendam decrevit. 53

PROLEGOMENON III. — *De Canone Hebraicæ veritatis et scholiis ejusdem marginalibus.* 81

I. Quid Canon Hebraicæ veritatis. — II. Hujus Canonis sæpius meminit ipse Hieronymus.— III. Hebraicam veritatem Græci ac Latini Patres agnoscunt. — IV. De singulis partibus, sive ordinibus, ejusdem Canonis. — V. Danielis et Estheris additamenta recepta cum signis obelorum in translationem Hieronymi.— VI. Quisnam fuerit auctor marginalium scholiorum Canonis, et quænam sit hujusmodi annotationum utilitas ac præstantia. 81

PROLEGOMENON IV. — *De titulis et capitulis, versibus et metris sacrorum Bibliorum.* 123

I. Biblia sacra in certas partes dividebant scriptores antiqui, sed multis diversisque modis. — II. Sectiones illæ indifferenter vocabantur Tituli, Breves, et Capitula — III. Quænam fuerint distinctiones versuum ab antiquis usurpatæ in Scriptura sacra. — IV. An sint metra in libris sacris, et præcipue in Psalmis Davidis. — V. Hieronymi sententia de metris Scripturarum explicatur et defenditur. 123

LAUS VIRORUM ALIQUOT CLARISSIMORUM, *cum indice Mss. codicum ad quorum fidem restituta est Divina Hieronymi Bibliotheca.* 165

SELECTA VETERUM TESTIMONIA *de Hieronymianis versionicus latinis SS. Bibliorum.* 168

SYNOPSIS *Divinæ Bibliothecæ ex epistola Hieronymi Paulino decumpta.* 173

DIVINÆ BIBLIOTHECÆ PARS PRIMA, QUÆ COMPLECTITUR CANONEM HEBRAICÆ VERITATIS CUM ANNOTATIONIBUS HEBRÆI CUJUSDAM QUI TEMPORE RABANI MAURI IN SCIENTIA LEGIS CELEBRATISSIMUS FUIT. 177

ORDO PRIMUS, LEGIS. 177

PRÆFATIO HIERONYMI IN PENTATEUCHUM, AD DESIDERIUM. 177

LIBER GENESIS. 195

LIBER EXODI. 273

LIBER LEVITICI. 337

LIBER DEUTERONOMII. 415

ORDO SECUNDUS, PROPHETARUM. 503

PRÆFATIO HIERONYMI IN LIBRUM JOSUE. 503

LIBER JOSUE. 511

LIBER JUDICUM. 551

LIBER RUTH. 587

PRÆFATIO HIERONYMI IN LIBROS SAMUEL ET MALACHIM. 595

LIBRI DUO SAMUELIS. 611

LIBRI DUO MALACHIM. 723

PRÆFATIO HIERONYMI IN LIBRUM ISAIÆ. 825

LIBER ISAIÆ. 827

PROLOGUS HIERONYMI IN JEREMIAM. 903

LIBER JEREMIÆ. 902

PRÆFATIO HIERONYMI IN EZECHIELEM. 993

LIBER EZECHIELIS. 995

PRÆFATIO S. HIERONYMI IN DUODECIM PROPHETAS. 1071

LIBER OSEE. 1071

LIBER JOEL. 1083

LIBER AMOS. 1089

LIBER ABDIÆ. 1097

LIBER JONÆ. 1097

LIBER MICHEÆ. 1101

LIBER NAHUM. 1187

LIBER HABACUC. 1111

LIBER SOPHONIÆ. 1113

LIBER AGGÆI. 1117

LIBER ZACHARIÆ, 1121

LIBER MALACHIÆ. 1133

ORDO TERTIUS, HAGIOGRAPHORUM. 1137

PRÆFATIO S. HIERONYMI IN LIBRUM JOB. 1137

LIBER JOB. 1143

PRÆFATIO HIERONYMI IN LIBRUM PSALMORUM JUXTA HEBRAICAM VERITATEM. 1183

LIBER PSALMORUM. 1189

PRÆFATIO HIERONYMI IN LIBROS SALOMONIS. 1305

LIBER PROVERBIORUM. 1309

LIBER ECCLESIASTES. 1339

CANTICUM CANTICORUM. 1351

PRÆFATIO HIERONYMI IN DANIELEM PROPHETAM. 1357

LIBER DANIELIS. 1337

PRÆFATIO HIERONYMI IN LIBRUM PARALIPOMENON. 1389

LIBER PARALIPOMENON. 1393

PRÆFATIO HIERONYMI IN EZRAM. 1471

LIBER EZRÆ. 1475

PRÆFATIO HIERONYMI IN LIBRUM ESTHER. 1503

LIBER ESTHER. 1507

APPENDICULA ad partem I Divinæ Bibliothecæ S. Hieronymi. 1521

J. Martianæi admonitio. 1521

Psalmi XLIV et XLV lingua Hebræorum vernacula, characteribus vero Latinis. 1521

Scholia in lectiones Hebraicas. 1525

FINIS TOMI VICESIMI OCTAVI.

Sancti Amandi. — Ex Typis DESTENAY.

7248 038

THIS VOLUME
DOES NOT CIRCULATE
OUTSIDE THE LIBRARY

THIS VOLUME
DOES NOT CIRCULATE
OUTSIDE THE LIBRARY

3 2044 052 824 265

